Universidad de Deusto
Biblioteca

EPITOME
SANCTORV
Lopez
T. 2

Universidad de Deusto
Biblioteca

†
IHS
BIBLIOTECA DE LOYOLA.
Sala 1
Estante 118
Plúteo 10

120,6
47
1

Universidad de Deusto
Biblioteca

EPITOME SANCTORVM AD CONCIONES.

Tomus Secundus.

AVCTORE

R.mo D. Fratre Ioanne Lopez Episcopo Crotonensi ex sacra Ordinis Prædicatorum familia prouinciæ Hispaniæ assumpto.



ROMAE, Ex Typographia Nicolai Mutij. M.D.XCVI.
SVPERIORVM PERMISSV.

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX

CAPITVLORVM TOMI SECVNDI.

LIBER NONVS.

IEIVNIVM vt Deo sit gratum comitetur mutatio vitæ, & de quadrageſimę ieiunio. Cap. 1
Indumentorũ abuſus feminarumq. ornatus, & luxus acriter a Sanctis taxantur. cap. 2
Inferni, ac purgatorij pœnæ deſcribuntur, quas conſiderare vtiliſsimum eſt. cap. 3
Iniurias proximum ſeipſum lædit non alterum, vnde remittere iniurias conuenientiſsimum eſt. cap. 4
Inuidia maxime de bonis iuſtorum antiquum, & grande malum eſt, & de illius remedio. cap. 5
Ioannis Baptiſtæ & Euangeliſtæ laudes. cap. 6
Ira etſi aliquando bona ſit, tamen multa habet damna, & remedia: iratis autem compati, non indignari debemus. cap. 7
Iudices, Principes, ac reipublicæ gubernatores iuſti ſint, & qui non ſunt tales, nociui ſunt nimis. cap. 8
Iudicium finale terribile eſt malis, & conſolationis plenũ iuſtis, in quo multa ſunt conſideranda. cap. 9
Iudicium, quo homo ſe iudicat, vtiliſsimũ eſt, temerarium autẽ eauendum maxime. cap. 10
Iurandi conſuetudo periculoſiſsimum malum eſt, & quæ mouere nos poſſunt adiuramenta cauenda. cap. 11
Iuſti ſecundum varias cõſiderationes perfecti ac imperfecti dicuntur. cap. 12
Iuſti, & impij dicũtur domini, ſerui, ac cõpediti in ſacra ſcriptura, ſed differenter. cap. 13
Iuſti (qui peregrini ſunt, dum viuunt) dormiunt, & moriuntur mũdo, & omnibus rebus extra Deum. cap. 14
Iuſti in infamijs & perſecutionibus & laboribus, vnde debent conſolari. cap. 15
Iuſti triſtantur videntes mala proximi, ſi autem aliquando gaudere videntur, futura tantum prophetant mala, non optant. cap. 16
Iuſtus etſi ſolus mereatur nomen ſapiẽtis, ſimplex eſt & prudens, mali autem duplici corde viuunt. cap. 17
Iuſti dicuntur ſtare, & ambulare, mali iacere, & ſi contingat vtroſq. cadere, non eodem modo, ſoli autem iuſti habitant in cælo. cap. 18
Iuſti inter impios non corrumpuntur, ſi ſint perfecti, quin potius ad Deum trahunt illos. cap. 19.
Iuſti perſecutionem, & irriſionem patiuntur ab impijs, & quare: Deus tamen iſta moderatur. cap. 20
Iuſtorum varij ſunt gradus, quibus ſimiles modo ſunt mali, qui perſeuerare nõ debent: in omni autẽ ſtatu boni ſunt. ca. 21
Iuſti retro reſpicere non debent, ſed ſemper in bono proficere, ad id autem meliores ſe reſpiciant. cap. 22
Iuſtorum conditiones, proprietates, & laudes, quos Deus veneratur. cap. 23
Iuſti in virtutis initijs ſibi, & non alijs ſtudeant prodeſſe, virtutemq. operentur ſecreto. cap. 24

Universidad de Deusto

INDEX CAPITVLORVM
Libri X.

AD labores, non ad otium, & delicias vocati sumus, malorum autem, etiamsi non sentiantur, magni sunt. cap.1
Lacrymæ commendantur, & quales futuræ sunt, vt Deo probentur. cap.2
Lex naturalis indita cordi, noua autem, & vetus, valde inter se differunt. cap.3
Libertas libera, & dominium, & seruitus, in quo consistant, & in quibus reperiatur, & sit. cap.4
Libri in sacra scriptura dicuntur creaturę, in quibus legimus Deum. cap.5
Lingua vtendum in eum finem, ad quem data est. cap.6
Lingua frenanda est ab omnibus, & in omni loco, maxime autem a feminis, & in mensa. cap.7
Lingua commune malum, in quo pauci nō labuntur propter eius periculum. cap.8
Locus communiter multum iuuat ad virtutem, etiamsi aliquando hominum culpa non prosit. cap.9

INDEX CAPITVLORVM
Libri XI.

MANDATA implenda primo, deinde inspirationes, ac diuina consilia, quę Dominus nostro reliquit arbitrio. cap.1
Mādata Dei scienda, & festinanter implēda, ad quod timore saltem adducendi sunt homines. cap.2
Ad mādata Domini implenda, quę re vera grauia sunt, multa nos debēt mouere friuolis excusationibus omissis. cap.3
Mandata Dei leuia sunt amanti, quibus obediendum est semper. cap.4
Malorum societas, & consilia vitanda maxime ab imperfectis. cap.5
Mariæ virginitas, excellentia, intercessio. Aliaque multa eleganter colligunt Sancti. cap.6
Martyrum præconia, virtutes, ac merita, & de ipsorum imitatione. cap.7
Ad matrimonium contrahendum virtus quæratur vxoris, cuius onera, etsi grauia ferenda sunt, etsi pax inter coniuges seruanda. cap.8
Mors propria taliter cōtemnebatur, & optabatur a Sāctis, quod etiā timebatur, aliena autem flenda, maxime vero impiorum. cap.9
Mortis consideratio, & quod breuiter secutura sit, multas habet vtilitates, qua appropinquante, Dei misericordia consideranda est. cap.10
Mulieres diligere vituperabile non est, cum multæ fuerint viris sanctiores, est tamen eorum societas, & virorum cauenda. cap.11
Mundus malus dicitur, & periculosum mare, quod enauigant Sancti, qui & relinquendus, & odiendus est. cap.12
Mundo mori expedientissimum est. cap.13
Mundi, ac mundanorum iudiciū stultum, & paruipendendum, quibus numquam placuit veritas. cap.14
Murmurationes malorum sic ferant boni vt innocētiam ostendant suam. cap.15
Murmurationes maxime contra iustos, & Prælatos inferunt homini multa nocumenta. cap.16
Murmurare, & consentire murmurāti multas habet inconuenientias, & discordias seminare, quod frequens malum est. cap.17

INDEX CAPITVLORVM
Libri XII.

NOMEN bonum non contemnere, sed conseruare conuenit. cap.1
Nomina varia tribuuntur Deo in sacris litteris, inter quæ nomen dulce Iesu, suaue amandum, ac veneratione omni dignum est. cap.2
Nomina, quibus significatur iustorum, & malorum differentia, nominaque quib. iustorum virtutes aperiuntur. cap.3
Nomina impiorum, quibus ipsorum status miserandus significatur, & mala. cap.4

INDEX CAPITVLORVM
Libri XIII.

OBEDIENDVM Deo, & Prælatis, inobedientia enim grande est peccatum, & Deo nimis odibile. cap.1
Oculi sani clausi, & aperti, quando dicantur, deque ipsorum necessaria custodia. cap.2
Orationem quibus rationibus persuadeāt Sancti. cap.3
Orationi instantes erant Sancti, vt in bono conseruarentur, & aliis prodesset oratio num suarum efficacia grandis, quarum fructu priuantur mali. cap.4
Oratio qualis futura, vt Deo sit probata. cap.5

Ora-

Orationem comitari debent opera bona, & sacrorum voluminum lectio. cap.6
Orandum est perseueranter, & sine intermissione maxime qui orat, & clamat pro bono communi. cap.7
Oratio Dominica explicatur varie a sāctis Doctoribus. cap.8
Orationes iustorum in eorum bonum aliquando non exaudiuntur a Domino, bene tamen peccatorum in eorum malum, & quare orationes omnes non exaudiātur. cap.9
Orationis sit tēpus signatum, & locus, etiā si omni tempore, & loco oratio sit vtilis, vbi nocturnæ orationes commendantur. cap.10
Oratio non dimittatur propter superfluas cogitationes, quas homo patitur, curet tamen multum eas moderari. cap.11
Otium bonum est, & malum, vnde amplexandum est otium bonum, fugiendum autem quod non est tale. cap.12

INDEX CAPITVLORVM
Libri XIV.

PATIENTIAE, & māsuetudinis laus & vtilitas, & quæ ad ipsam habendam mouere nos debent. cap.1
Passiones animæ cum omnino in hac vita tolli non possint, moderādæ sunt. cap.2
Paupertas Christiana, & quod qui hanc amplectuntur honorandi sunt, scilicet, & illa magni habenda. cap.3
Pax, & vnitas impiorum, & carnis, & diaboli abominabilis, diuisio autem commendabilis, & necessaria. cap.4
Pax iustorum, & vnitas multas habet vtilitates, scilicet, & diuisio multa nocumenta. cap.5
Peccata multa, & varia causant nocumēta in anima, in qua sunt. cap.6
Peccata condonata iterum patrare, & ipsis assuescere, neque illa statim derestari, multa habet inconuenientia, quæ Sancti explicant in reincidentia, & obduratione. cap.7
Peccata, quæ varios habent gradus in exordiis expedit euellere paulatim, ne vsu homini infirmo sint insuperabilia. cap.8
Peccata venialia acriter quandoque punit Deus, quare licet perfecte vinci non possint, cauenda tamen sunt. cap.9
Peccata præterita recordari debemus, quæ, scilicet, & aliena, quę videmus, multas vtilitates afferunt nobis. cap.10
Peccatis & peccatoribus mundus plenus in malum Reipublicæ, quare non consi derant, quod peccata secreta, & quæ videntur dulcia erunt patentia, & amara. cap.11
Peccata acriter punit Deus etiā in hoc sæculo, illaq. sunt causa malorum temporalium. cap.12
Peccata comparantur in sacris litteris varie, vt explicentur damna quæ inferunt homini. cap.13
ad Peccata cauenda, & punienda multa nos debent mouere, maxime autē quod vnum peccatum semper est alterius causa, & pœna. cap.14
Peccata excusare non debemus, sed fiere, & erubescere, in quibus mali gloriātur eorum damna contemnentes. cap.15
Peccata iustorum, Sacerdotum, Prælatorū, & Regum nimis grauia sunt, quæ multū flere debent homines. cap.16
Peccatoris status miserandus maxime & flendus, qui varijs comparationibus in scriptura sacra explicatur. cap.17
Peccatores inter desperationem, & præsūptionem mediū statuunt, quos contemnere non debent iusti. cap.18
Peccatores propensione grandi se & iustos in malum præcipitare conantur, de quo rum ruina gaudent, virtutem autem si operantur, id faciunt ficte verbis Deo mē tientes, vel statim eā relinquūt. cap.19
Peccatores obdurati insensibiles, & stulti, nec prosperis, nec aduersis corriguntur, quos Deus non punit in ipsorum malum. cap.20
Pœnitentiæ vis eiusq. effectus, & necessitas multiplex, & ingens, quam differre non debemus. cap.21
Pœnitentia qualis futura, vt prosit, Deoq. sit grata, quæ in Sanctis olim miranda erat. cap.22
ad Pœnitentiam agendam quibus rationibus adducendi sunt homines. cap.23
Perseuerantia necessaria multum homini, quæ cum donum sit, dum instanter ab ipso expostulanda est. cap.24
Petri & Pauli laudes, huiusque mirabilis conuersio. cap.25
Prędicatores opportune, & importune prędicent muneris magnitudinem perpendentes, & fidentes Deo, sed magna cum prudentia. cap.26
Prædicatores, neglecto proprio periculo corrigant, quibus indignari non debemus adulatores autem, & muti dānantur,

tur,& dantur ob peccata plebis. cap.27
Prædicatores,& Prælati prius sibi prosint, quam aliis,operibus prius quam verbis docentes,& tales in bonum Reipublicæ dantur,in malum desunt. cap.28
Prædicatores quales futuri sunt, vt prosint,quod si tales non fuerint,nihilominus audiendi sunt. cap.29
Prælati negligentes,superbi, acceptatores personarum,& delicioſi taxantur, quos tamen honorare debent subditi. cap.30
Prælati quales desiderandi sunt a plebe,& quod quandoque adolescentes ad hæc munia non sunt inepti. cap.31

INDEX CAPITVLORVM Libri XV.

REGNVM Dei,& diaboli,& vtriusque differentia. cap.1
Religiones multæ,sed spiritus vnus,quarũ laudes colligunt Sancti elegantes, ex multis. cap.2
Religioſi quomodo conuersari debent in monasterio, & horum Prælati qualiter se debent habere. cap.3
Religioſi modo degenerant multum ab antiquis,quorum exẽpla inspicienda sunt, ne sæcularium vita illorum sit confusio. cap.4
Religioſi extra monasterium rari,& exemplares,alloquanturque,& imitentur Sãctos,ac senes. Religioſi autem quomodo viuere debent. cap.5
Religioſi impij murmuratores de se confidentes taxantur, & quod acrius puniendi sunt,quam sæculares. cap.6
Religionis status consulto accipiendus est, sed non impediendus,in quo perseuerãdum est. cap.7
Resurrectio vltima probatur, cuius fides non modica causat bona. cap.8

INDEX CAPITVLORVM Libri XVI.

SACERDOTIS dignitas multas postulat virtutes,vnde meticuloſe ad eam accedere oportet. cap.1
Sacerdotes multum honorandi sunt,qui si iusti sint,bono communi prosunt medij inter Deum,&homines,alias ruina Reipublicæ. cap.2
Sacerdotes quales erant olim, & quales modo, & vnde nocumentum hoc oriatur. cap.3
Sacram scripturam legere optimum est ad virtutem, ad cuius intellectum pulchræ sunt Augustini regulæ. cap.4
Saluandi sunt pauci re vera,etiãsi aliquando dicantur multi. cap.5
Sanctorum gesta miranda erant,suntq. inspicienda,vt imitentur,non tamen illorum,si quæ sunt,negligentiæ. cap.6
Sancti sunt Deo cari,cuius bonum,scilicet & proximi celant,& optant, suntque in bono firmi; etsi in variis sint gradibus, nobisq. vtiles in cælo. cap.7
Scandalum malum grande,quando vitare illud tenentur homines, pusilli autem scandalizari non debent. cap.8
Sensus externi,qui in peccatorib.regnant, moderandi,& custodiendi sunt in bonũ nostrum. cap.9
Sermones audire expedientissimum est, & domi conferre, multis autem de causis hominibus non prosunt. cap.10
Spes in solo sit Deo, mediumque statuat inter desperationem, & præsumptionẽ, quam multa nutriunt, & augent. cap.11
Spiritus sanctus in die Pentecostes copiosissime datus discipulis,cuius existentia in anima, & dona pariunt vtilitates multas. cap.12
Superbia varia causat damna, varioſq. habet gradus, insidiaturq. uiris iustis quã plurimum. cap.13

INDEX CAPITVLORVM Libri XVII.

TEMPVS perdere, & emere, qui dicãtur,quo bene vti grandes habet utilitates. cap.1
Testimonia patienter ferenda sunt, & tentationes,ipsis tamen ingerere non debemus. cap.2
Timor bonus,qui semper est in iustis, varias habet vtilitates, non autem timor malorum, seruilis autem donum Dei est. cap.3
Tribulationibus plena est vita, in quibus ad Deum confugiendum est, quæ autẽ videntur prospera, reuera aduersa sunt. cap.4
Trinitatis sanctissimum mysterium figuris, & cõparationib. explicant Sancti,quod rudi plebi caute proponẽdum est.cap.5
Tristitia, quæ est in iustis,gratãter suscipiẽda est, peccatorum autem nociua, & a corde pellenda. cap.6

INDEX CAPITVLORVM Libri XVIII.

VANAGLORIA periculoſum,& frequens malum,& quomodo vincendum. cap.1
Verbum Dei varie comparatur,vt ipsius effectus explicentur,& virtus,quæ multiplex est. cap.2
Verbum Dei prædicatur populo ex Dei misericordia, sic est ingẽs ira,vel quod non proponatur,vel eius virtus enerue tur. cap.3
Via cæli lata dicitur, & angusta,& quod hæc perambulãda sit,& non illa,sic neq. viæ hominis,quæ pessimæ sunt. cap.4
Vigilare multis de causis debent homines, maxime autem quod vita præsens & status futurus incerta sunt. cap.5
Virginum,& viduarum status laudatur:virginitas autem quomodo tutanda sit,in qua gloriari non expedit. cap.6
Virtutem collocauit Deus in hac vita in octo beatitudinibus Euangelicis. cap.7
Virtus in hac vita nusquam est perfecta, vnde semper in ea proficere expedit, etsi laborioſum id sit. cap.8
in Virtute varij sunt gradus,neque in omnibus hominibus virtutes omnes æquales esse valent. cap.9
in Virtute quis sit ordo seruandus, quæ Deo probata esse nõ potest,nisi peccata, desint, & virtutes sint connexæ. cap.10
ad Virtutem multa nos debent mouere, & vt ea summa cura statim in iuuentute inchoetur, a qua recedendum non est. cap.11
Virtutis perfectio in quo consistit, quæ licet a paucis quæratur, tamen paulatim saltem acquirenda est. cap.12
Virtus variis mutationibus est subiecta, quæ cum in exordiis imperfecta sit,multa eget cura vt conseruetur. cap.13
Virtus,quæ secundũ se facilis est, & conformis hominis naturæ consolationibus abundans,vnde tantas patitur difficultates, quibus peccatum, quod contra naturam est, caret. cap.14
Vitam,& statum bonorum, sicut & malorum variis similitudinibus explicant sacræ litteræ,illã autem imitari debet homo. cap.15
Vitæ huius,& hominis miseriæ multæ sũt, quas Deus ad nostrum ordinat bonum. cap.16
Vita hæc breuis,& incerta est ex diuina misericordia, & quomodo sequenti comparetur. cap.17
Vita contemplatiua,quantum in se est,actiuæ præponderat,vtramque tamen coniungere debet homo iustus. cap.18
Voluntas propria abiicienda est, vtpote quæ multorum malorum fons est, & origo,diuinæq. accommodanda. cap.19

EXPLICIT INDEX CAPITVLORVM TOMI SECVNDI.

Universidad de Deusto
Biblioteca

LIBER NONVS
LOCORVM COMMVNIVM
AD SACRAS CONCIONES
MO
AVCTORE R. D. F. IOANNE LOPEZ
Episcopo Cotronensi Ord. Prædic.

Ieiunium vt DEO sit gratum comitetur mutatio vitæ, & de Quadragesimæ ieiunio. Cap. I.

1 Homil. 4. in cap. 6. Matthæi tom. 3.

ORIGENES exponens Euangeliũ feriæ quartæ Cinerũ, explicans verba illa; Tu autem cum ieiunas vnge caput tuum, inquit: Tu Deum timens, tu fidem seruans, tu religiositatem adimplens, tu ergo cum ieiunas, quod sumpturus eras distribue pauperibus. Cum ieiunas frange esurienti panem tuum, pauperem & sine tecto induc in domum tuam, si videris nudum operi eum, & domesticos seminis tui ne despicias. Tunc quando sic ieiunas erumpet quasi mane lumen tuum. Quando enim ieiunas, depone omnem malitiam, omnem zelum, omnem furorem, omnem iniquitatem, omnem iracundiam, omnem superbiam, omne maledictum. Cum ieiunas non manducabis carnẽ (hoc est, non manducabis carnem humanam) impie agendo. Non bibas vinum, non bibas sanguinem per crudelitatem. Non spires siceram, hoc est, non spires adulationem, nec bilinguis sis in perditionem animæ. Cum ieiunas, sicut marcescit venter tuus, sic efficiatur os tuum, sed plus marceat tunc cor tuum. Anima tua sit ab omni mala cogitatione sepositа. Attende ne concipias dolores concupiscẽtiæ. Sed omnia hæc mala deponẽs, omnia indigna excellens, sic sanctum & Deo placẽs ieiunium ieiunabis, hilari animo, & limpido corde ieiuna, & non tristi vultu. Vnge caput tuum. Isaiæ 58.

Caput tuum Christus est. Hoc ergo caput tuũ vnge, & hoc decora omni tempore, & maxime in tempore ieiunij. Vnge per singularem charitatem, vnge & compone per pauperum miserationem. Sed & faciem tuam laua. Aspectum cordis tui laua, munda ab omni contaminatione, ab omni caligine, ab omni erroris obscuritate. Ablue cor tuum Hierusalem, vt salua sis, vt quidam: Lauamini, mundi estote, auferte iniquitates ab animabus vestris a conspectu oculorum meorum. *Isa. 1.*

BASILIVS: Quid prodest quæso corpore ieiunare, animã vero mille vitijs, mille malis esse refertam? Homil 8. in Hexamerõ tomo 1.

IDEM differens de laudibus ieiunij sic habet; postquam multa in laudem ieiunij docuit: Caue ne ieiunij vtilitatem, sola escarum abstinentia metiaris. Verum enim ieiunium est ab omnibus vitij esse alienum. Solue omne vinculum iniquitatis, condona proximo si quid dolet animo, remitte illi debita. Nolite ad contentiones ac lites ieiunare. Carnes non edis? sed comedis fratrẽ tuum. A vino abstines, sed ab iniurijs tibi non temperas. Expectas vesperam vt cibum capias, sed diem totum absumis apud tribunalia. Væ his, qui ebrij sunt, & non a vino. Ira, mentis est temulentia, eamq. a sobrietate excutit, haud aliter quàm vinum. Quin & dolor temulentia est, sensum hominis obruens ac demergens. Rursus alia temulentia metus est, quoties ad ea fertur ad quæ non oportet. In summa quiuis affectus dimouens animum a statu suo, merito dicitur ebrietas. Homi. 1. inter 29. varias. *Isa. 58.*

4 In lib. cuius titulus est, Admonitio ad filiũ spirituale, to. 2

IDEM: Caueto hoc fili, ne per ciborũ abstinentiam mergaris in superbiam, ne quando videaris escis carnalibus abstinere, & vitijs pectus tuum replere. Grandis namq; est confusio animæ, quæ cum sibi subiecerit carnem, ipsa fit subiecta vitijs. Quid prodest ventrem ab escis vacare, & animã passionibus obruere? vel carnis amorem vincere, & in corde liuoris stimulos machinari? Verus enim continens tam a corporis, quàm animæ se passionibus abstinet, quia in vtrisque substantijs homo constare videtur. Nulla est enim perfectio in vna parte esse sublimem, in alia esse prostratum; in vna parte fulgere, & in alia vitiorum caligine occupari. Ciuitas si fuerit forti compage solidata in se, ex alia vero destructa, aditum ad se hosti præbebit. Et nauis si fuerit forti compage solidata, & vnam in se tabulam habuerit perforatam, repleta aquarum fluctibus mergetur in profundum. Verus enim continens cuncta, quæ vana sunt spernit, furorem iracundiæ reprimit, potius sustinet detrimentum, quàm dissoluat vinculum charitatis. Non detrahit cito proximo, nec libenter audit detrahentem. Luxit semper declinare a vitijs, & ad virtutes animæ semetipsum instigat. Talem te & tu exhibe fili, cum velis exercere ieiunium, & cum te abstinueris, abstine & linguã tuam ab illicitis verbis.

5 Hom. 3. ad populũ Antiochenum. to. 5.

CHRYSOSTOMVS: Absurdarũ vndas concupiscentiarum reprime, repelle improbarum hyemem cogitationum, salua scapham. Horum omnium nobis materia ieiunium, & magister est. Ieiunium autem dico, non hoc vulgare, sed accuratũ ieiunium; non tantum ciborum abstinẽtiã, sed & peccatorũ. Non enim ieiunij natura peccata eripere potest, nisi congrua cum lege fiat. Ne igitur inter ieiunij laborem a ieiunij corona excidamus, discamus qualiter & quomodo huiusmodi negotium celebrare debeamus. Quoniam & pharisæus ille ieiunauit, sed post ieiunium illud descẽdit inanis, & ieiunij fructibus cassus. Publicanus non ieiunauit, & pharisæum ieiunantem prœcesit non ieiunans, vt discas ꝙ ieiunij vtilitas nulla, nisi & reliqua omnia consequãtur. Ieiunauerunt Niniuitæ, & Dei misericordiam elicuerũt; ieiunauerunt & Iudæi, & nihil plus egerunt, sed culpati abierunt. Quoniam igitur tantum ieiunij periculum est nescientibus quomodo ieiunare oportet, ieiunij leges discamus, ne in incertum curramus, ne aërem verberemus, neque pugnantes cum vmbra dimicemus. Medicina est ieiunium, sed medicina licet millies vtilis sit, per vtentis imperitiã inutilis sæpe fit. Etenim & nosse oportet tempus, quo ipsam imponere opus sit, & ipsius medicamenti quantitatem, & corporis temperiẽ suscipientem, & regionis naturã, & anni tempus, & congruum victum, & multa alia; quorũ si quodlibet prætermissum fuerit, reliquis omnibus nocebit. Si autem vbi corpori mederi oportet tanta nobis opus est diligentia, multo magis cum animã curemus, omnia scrutari necesse est. Videamus igitur quomodo Niniuitæ ieiunauerunt, & quomodo ab illa liberati sunt ira. Homines & iumenta, & pecudes, & oues ne pascantur inquit. Quid dicis? Et bruta ieiunant, & equi, & muli sacco vestiuntur? Etiã inquit. Sicut enim diuite aliquo mortuo, non seruos solos & ancillas, sed & equos necessarij sacco amicientes & agasonibus tradẽtes, ad sepulchrum sequi iubent, calamitatis magnitudinẽ ostentantes, & omnes ad misericordiam allicientes; sic & in ciuitate illa mori periclitante, & brutam naturã sacco circumtexunt, & ieiunij iugo subiecere. Non licet brutis sermone Dei iram discere, discant fame qđ a Deo infligitur plaga. Etenim si diueretur, inquit, ciuitas, horũ vna esset communis sepultura. Pœnæ igitur partem habere debentia, & ieiunij partẽ capiant. Propterea & hodie Ioel dicentem audistis: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, infantes sugentes vbera. Qua de causa dic mihi immaturam ætatem ad supplicationem vocat? Nõne certum est, ꝙ propter eandem causam? Quoniam enim omnes viri ætate perfecti exacerbauerunt Deum, & ad iracundiam concitauerunt, ætas, inquit, peccatorũ expers irato supplicet. Sed quid dicebant, videamus, quid tandem sit quod ineuitabilẽ illam iram soluerit, num ieiunium solũ & saccus? Non est dicendum, sed totius vitæ mutatio. Vnde hoc manifestum? Ab ipsis propheticis verbis. De Dei enim ira locutus, & illorum ieiunio, idẽ conciliationis causam dicens, Sic inquit; & vidit Deus opera ipsorũ. Qualia opera? quod ieiunauerunt? quod saccũ induerunt? Nihil horum, sed hæc omnia tacens, inquit; quoniã conuersus est quisq; a vijs suis malis, pœnituit mali, quod dixerat facere ipsis Dominus. Cernis, ꝙ non ieiunium periculo eripuit, sed vitæ mutatio Deũ barbaris placatum & beneuolũ reddidit? Hæc dixi non vt ieiuniũ cõtemnamus, sed vt ieiuniũ honoremus: honor enim ieiunij non ciborũ abstinentia, sed peccatorum fuga. Itaq; ciborũ abstinentia tantũ, ieiunium definiens, hic est, qui maxime ipsum vituperat. Ieiunas? Demõstra mihi per ipsa opera. Qualia inquis opera? Si pauperẽ videris, miserere, si inimicũ videris, conciliare, si mulierẽ videris speciosam, transcende. Non enim os tantũ ieiunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia mẽbra. Ieiunẽt manus a rapina & auaritia mundi, ieiunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimentes, ieiunẽt oculi discẽtes numquã formosis obtutibus insilire, nec alienas curiose pulchritudines spectare. Cibus enim oculorũ spectatio, sed si illegitima sit, & prohibita ieiunio nocet, & omnẽ animę salutẽ subuertit, si vero legitima & cõcessa, ornat ieiuniũ. Etenim absurdissimũ esset, cibis & concessa abstinere esca per ieiuniũ, oculorũ vero prohibitã attingere. Non comedis carnẽ? neq; lasciuiã per oculos haurias. Ieiunet & auris, auriũ autẽ ieiunium, detractiones, & calumnias nõ susципere. Ieiunet quoq; os a verbis turpibus & cõuicio. Quæ enim vtilitas cũ auibus quidẽ & piscibus abstineamus, fratres vero

vero mordeamus & comedamus? Detrahẽs, fraternas carnes comedit, proximi carnẽ momordit, propterea & Paulus terruit dicens: Si autẽ vos inuicẽ mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicẽ consumamini. Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum, improbam suspicionẽ infixisti, vulnerasti, innumeris affecisti malis. Infra: Eliminemus omnẽ ex ore nostro detractionem sciẽtes quod & si cinerẽ comedamus, nulla nobis asperę vitę huius vtilitas proderit nisi detractione abstineamus. *Galat. 5.*

8 Hom. 71. ad populum.

IDEM inquit: Non solam nobis inediam ad vesperam vsque, ad salutem satis esse putemus. Nam cum ingratis iudæis misericors per prophetã dixerit Dominus: Ecce anni septuaginta, numquid ieiunium ieiunastis mihi? Et cum comedistis & bibistis, numquid nõ vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? hæc ait Dominus exercituum. Iudicium iustum iudicate & misericordiam & miserationem facite vnusquisque cum proximo suo. Et viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari. Et malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Cum igitur illis adhuc in vmbra sedẽtibus, nulla de solo ieiunio fieret vtilitas, nisi reliqua corrigerẽt, quam nos habebimus excusationem a quibus exigũtur maiora? Infra: Ieiunium cum fide non modicam inducit fortitudinem, multam affert disciplinã, & angelum ex homine reddit, sed non per se, opus enim est & oratione. *Zach. 7.*

9 Epist. 14. ad Celanciam matronam. to. 1.

HIERONYMVS: Caue ne si ieiunare aut abstinere cœperis te putes esse iam sanctã. Hæc enim virtus adiumentũ est non perfectio sanctitatis. Magisq. id prouidendum est, ne tibi hoc, cum licita contemnas, securitatem quandam illicitorum faciat. Quid prodest tenuari abstinẽtia corpus, si animus intumescat superbia? Quam laudem merebimur de pallore ieiunij, si inuidia liuidi simus? Quid virtutis habet vinum non bibere, & ira atq; odio inebriari? Tunc inquam, prœclara est abstinẽtia, tũc pulchra atq; magnifica castigatio corporis, cũ est animus ieiunus a vitijs. Immo qui probabiliter ac scienter abstinentiæ virtutem tenent, eo affligunt carnem suam, quo animæ frangant superbiã, vt quasi de quodã fastidio contemptus sui, atq; arrogantiæ, descendãt ad implendam Domini voluntatem, quę maxime in humilitate perficitur. Idcirco a varijs ciborum desiderijs mentẽ retrahunt, vt totam eius vim occupent in cupiditate virtutum. Iamq. minus ieiuniorũ & abstinentiæ laborem caro sentit, anima esuriente iustitiam. Nam & vas electionis Paulus, dũ corpus castigat, & in seruitutẽ redigit, nõ ad solã hoc facit castitatem, non enim huic tantummodo, sed omnibus omnino virtutibus abstinentia opitulatur.

10 Libro 1. in cap. 1. Isaię. to. 5.

IDEM: Vbi nostra lectio habet kalendas vestras, & solemnitates vestras odiuit anima mea, septuaginta interpretes verterunt ieiunium & otium. Vbi possumus dicere illud ieiunium recipi a Deo, quod otiũ bonorum operũ non habet, sed bona opera comitantur ipsum.

11 IDEM: Conqueritur populus iudæorum, & dicit: Domino quare ieiunauimus, & non aspexisti? humiliauimus animas nostras, & nescisti? Iniuste arguunt Dominum, quòd bona opera non respiciat, solamq. ventris esuriem absq; opere virtutum ingerunt Deo, non comedentes eos cibos, quos creauit Deus fidelibus, vt sumãt eos cum gratiarum actione, sed illos, de quibus scriptum est in Prouerbijs: Hi enim aluntur cibis impietatis, & vino iniquitatis inebriantur. Huiuscemodi epulis saturatus pharisæus, inter cætera verba superbię iactabat, qui nõ biberat vinum de vinea Soret, sed de vinea sodomorum, cuius vinum furor draconũ est, & vua fellis. Quos Deus arguit per prophetã: Quare tacuistis impietatem eorum, & iniquitates vindemiastis, & comedistis frumentum mendacij? Quia igitur proposuerant quæstionem Deo, scire cupientes quare ieiunauerint & humiliauerint animas suas, & Deus non respexerit, obliti veteris historiæ, cur non respexerit ad munera Cain, qui recte quidem offerebat, sed non recte diuidebat cũ fratre, dicente Domino: Diliges Dominum Deum tuum, & proximum tuum sicut teipsum. Propterea respõdit Deus, quòd non ieiunia reprobet, sed opera, quæ in ieiunijs fiunt, dicens: In diebus ieiuniorum vestrorum inueniuntur volũtates vestræ, vt non Dei, sed vestras faciatis volũtates. Et omnes debitores vestros repetitis, repetendo pauperem, quod soluere non potest, & pallium, quod loco pignoris tuleris, egenti non reddere debitori, ne clamor eius peruenìat ad Deum. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Quid enim prodest ieiunijs ora pallere, & ad lites & ad iurgia ieiunare, dicente Scriptura: Qui amat peccata, gaudet iurgijs. Seruum autem Domini non oportet litigare, sed esse mansuetũ. Ieiunatis, inquit & percutitis pugno impie. Huiuscemodi ieiunia in exordio huius prophetæ Dominus arguit, dicens: Ieiunium & otium & neomenias, & sabbata, & alias solẽnitates vestras odiuit anima mea. Vnde præcipitur per Ioel: Sanctificate ieiunium, prædicate curationem, vt a vitijs ieiunemus, & bonis operibus, curatisq. peccatis fiant sancta ieiunia. Deniq; sequitur: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, vt tempore ieiunij vacemus orationi, & interior homo noster non vescatur draconis carnibus, qui datus est in escã populis Æthiopum. Et hæc dicimus non quo ieiunia reprobemus; per quæ Daniel vir desideriorũ futura cognouit, & Niniuitæ iram placauerunt Dei, & Helias ac Moyses quadraginta dierũ esurie, Dei familiaritate saturati sunt, & ipse Dominus totidẽ diebus in solitudine ieiunauit, vt nobis solemnes ieiuniorũ dies relinqueret, sed quo non prosit vacũ portare ventrẽ, & alia facere, quæ Deo displicent, atq; vt cætera prætermittam exterminare facies suas vt appareant hominibus ieiunare. Nolite ieiunare sicut vsq; ad hanc diẽ, vt audiatur in excelso clamor vester, &c. Ne videatur reprobare ieiuniũ, quod ipse prœceperat, docet quo- *Libro 16. in cap. 58. Isa. eod. to.* *Prou. 23.* *Luc. 18.* *Hiere. 2.* *Deut. 32.* *Osee 46.* *Gen. 4.* *Isa. 58.* *2. Tim. 2.* *Ioel 2.* *Psal. 37.* *Dan. 9.* *Ionæ 3.* *Matth. 4.* *Isaiæ 58.*

modo ieiunandũ sit, immo antea instruit, quid debeant declinare. Vt audiatur, inquit, in excelso clamor vester ne eleuetis vocẽ in excelsum, & cum pharisæo, qui Domini iudicio condẽnatur vestra ieiunia, & opera prędicetis. Nõ enim quærit Deus afflictionem solam & humiliationem animæ per iniuriam corporis, vt instar circuli torqueat corpus, ac colla submittat & tristis incedat, iuxta illud, quod in psalmis dicitur: Afflictus sum & incuruatus sum
Psal. 37. vsque in finem, tota die contristatus ingrediebar. Nec vt sacco quis vestiatur, & in cinere
14 dormiat, quod de Dauid & de Achab legi-
2. Reg. 3. *3. Reg. 21* mus, sed vt cum istis hæc faciat quæ sequuntur. Nonne hoc magis ieiunium quod elegi? Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes. Dimitte eos, qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe, frange esurienti panem tuum, & egenos vagosq. induc in domum tuam. Postquam docuit, quale ieiunium reprobet, ostendit, quale libenter accipiat. Præcipit, vt dissoluantur iniquæ cautiones, vbi opprimuntur pauperes calumnia. Dimitte eos, qui confracti sunt liberos, hoc est, qui paupertate sunt fracti, quos afflixit inopia, ne liberos sinas mendicare. Si non habes debitores, frange esurienti panem tuum. Non plures panes ne de paupertate causeris, sed vnum panem. Nec ipsum totum, sed partem panis, quasi non ieiunares, comesurus eras, vt ieiunium tuum non sit lucrum marsupij, sed
Prou. 13. saturitas animæ. Pulchreq. addidit, tuum, ne de rapina facias eleemosynã, redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ. Qui ergo ieiunat ab omnibus malis, & vult suum ieiunium respici, non solum declinet a malo, sed & faciat bonum, vt soluat omne vinculum iniquitatis. Tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua cito orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te, dum ea, quæ diximus feceris, tunc acceptabile erit tuum ieiunium & erumpet matutinum lumen tuum sol iustitiæ.

15 IDEM: Si omne ieiunium placeret Deo, numquam diceret: Sanctificate ieiunium, & non tale ieiunium elegi, dicit Dominus. Et in Euangelio cõdemnantur, qui exterminant facies suas, vt videantur hominibus ieiunare. Et in diebus, inquit, ieiuniorum vestrorum percutitis pugnis impie, & opprimitis pauperem, idcirco nunc dicit; sanctificate ieiunium. Vnde infra cap. 2. eadem repetens verba, sanctificate ieiunium, subintulit: Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, vt sic sanctum purumq. ieiunium pudica explicat pœnitentia. Cumq. sanctificauerint
Ioel 2. ieiunium audient; Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, &c.

16 IDEM exponens verba illa, Et factum est verbum Domini exercituum ad me, dicens: Loquere ad omnem populum terræ, & ad sacerdotes, dicens: Cum ieiunaretis & plangeretis, numquid ieiunium ieiunastis mihi? & cum comedistis, & cum bibistis, numquid non vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? sic

In cap. 1. Ioel. explicans verba illa, Sanctificate ieiunium. to. 5.

Li. 2. in c. 7. Zach.

ait: Considerandum hic quòd fletus, atq; ieiunium sanctificatio dicitur. Vnde & in Ioel, Sa- *Ioel 1.*
cerdotibus præceptum est, vt sanctificarent ieiunium, & prædicarent curationem. Curat enim vulnera delinquentis abstinentia & ieiunium, & curatos quosq; sanctificat. Postquã interrogauerant Persarũ Duces per eos, quos miserant, & ad sacerdotes atq; prophetas sciscitantiũ fuerat expleta legatio, fit sermo Domini ad prophetam imperans, vt loquatur ad vulgum, & ad sacerdotes quid legatis debeant respondere. Quando ieiunabatis & plangebatis in quinto mense (Iulij scilicet) captiuitatis Hierusalem, per annos septuaginta desolationis templi, & subuersionis Hierusalem, numquid mihi proderat quod ieiunabatis? Et ecõtrario, si quando manducatis & bibitis, numquid non vobis & comeditis & potatis? Neq; enim his rebus placatur Deus, sed bonis operibus, & si illius præcepta faciamus, quia esca nos non commendat Deo. Neque si non manducauerimus deficiemus, neq; si manducauerimus abundabimus. Numquid non hæc sunt verba mea adhuc stante Hierusalẽ, & vrbibus Iuda, quæ loquebar ad vos in manibus prophetarum meorum, cum adhuc staret Hierusalem & vrbes Iuda rebus omnibus abundarent. Hęc autem erant verba Domini, quæ sequens scriptura testatur, velle se verum iudicium, & misericordiam in proximos, & viduam, pupillum & aduenam, & pauperem nõ calumniari, & malum non cogitare in corde suo. Hæc, inquit, noluerunt facere, & surdis auribus mea imperia contempserunt. Quamobrem venit indignatio magna super Hierusalem. Et quomodo illi me audire noluerunt, sic & ego non exaudiui eos, & nũc tanta scrupulositate quærunt, quando debeant ieiunare, & plangere; cum ante dixerim per Isaiam: Non tale ieiu- *Isa. 58.*
nium elegi, dicit Dominus, neque vt humiliet homo animam suam, sed solue omne vinculũ iniquitatis, dissolue obligationes violẽtarum cautionum, esurienti da panem tuum, si videris nudum operi eum, tunc erumpet temporanea lux tua, & sanctitates tuæ citius orientur.

17 AMBROSIVS: Inspicere debemus, quæ sit huius forma ieiunij, vt respiciamus quanta sit eius vtilitas. Est enim interdum inutile & inane ieiunium. Quod licet ventrem & omnia viscera succo saturitatis exhaurit, non tamen acceptum est Deo; quia mẽtem & intimos sensus minime vinculo iniquitatis euacuat. Quid enim prodest ieiunare visceribus, & luxuriare? abstinere cibis, & errare? castigare corpus inedia, & mentẽ exercere nequitia? vinũ forte nõ bibere, & ebriũ cogitatione malignitatis incedere? nisi quod facilior est causa saturi siue temulenti, quã iniqui pariter & ieiuni? Vnde inutile & inane est tale ieiuniũ, quod inedia membra debilitat, & animã a pditione non liberat. De quo ieiunio dicit sanctus Propheta ex persona Domini: Vt quid mihi ieiunastis? Non *Isa. 58.*
tale ieiunium elegi, dicit Dominus. An putatis illum ieiunare fratres, qui primo diluculo nõ ad ecclesiam vigilat? non beatorũ Martyrum

17 Ser. 33. de Quadragesima, tepore ieiunij luxuriandi nõ esse. to. 5

rum loca sancta perquirit, sed surgens congregat seruulos, disponit retia, canes producit, saltus, siluasq. perlustrat? Tota die venatibus immoratur, nunc clamorem immoderatum effert, nunc silentium latenter indicit, lætus si aliquid cœperit, iratus si id, quod non habebat, amiserit, & tanto studio gerit quasi ideo indictum ieiunium fuerit vt venetur. In his
18 ergo luxurijs fratres dicite, Quis cultus sit Dei quæ mentis possit esse deuotio, qui propterea ieiunat, non vt Deo & orationibus vacet, sed vt tota die otiosus & liber proprias exerceat voluptates? Hæc voluntas est Domini vt ieiunemus a cibis pariter & peccatis. Abstinentiam indicimus corpori, vt a vitijs magis animam abstinere possimus. Frænum enim quoddam est luxuriantis animæ corpus exhaustum. Quisquis enim ieiunat & peccat, lucrum escarum fecisse videtur, non salutis, & parcendo copijs replesse cellarium, non mentem saginasse virtutibus. Scire igitur debemus fratres hoc acceptum Deo esse ieiunium, non solum vt abstinentia castigemus corpora, sed etiam humilitate animas induamus. Simus ad seruulos mites, blandi ad extraneos, misericordes ad pauperes. Surgentes primo diluculo ad Ecclesiam festinemus, referamus Deo gratias, veniam peccatis postulemus, cautelam futuris. Tota die sit nobis vel oratio, vel lectio. Qui litteras nescit, sanctum virum perquirens confabulatione pascatur, nulli actus sæculi, actus diuinitatis impediant, non ludus tabulæ mentem auocet, non voluptas canum sensus abducat, non negotij compendium animam auiditate peruertat. Quidquid enim aliud præter mandatum Dei feceris, quamuis abstineas, non ieiunas. Illud etiam fratres ad perfectionem ieiunij tacendum nõ est, vt qui abstinemus & minime prandemus, hoc tempore prandia nostra pauperibus prærogemus. Hæc enim est vera iustitia, si te esuriente, de cibo tuo alius satietur, & in prædictis tuis ieiunijs Dominum roges, & ille pro te satiatus exoret. Vtrumque tibi proficiens, & tua fames, & saturitas mendicorum. Cæterum qui sic abstinet, vt nihil pauperibus de suis epulis largiatur, videtur quæstum sibi suum fecisse ieiunium.

19 IDEM bonum est cunctis temporibus ieiunare, sed melius Quadragesimam ieiunare cum Christo. Hanc enim Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit. Quisquis ergo Christianus consecratam ieiunando non impleuerit Quadragesimam præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur, quòd legem diuinitus pro salute sua datam prandendo ipsa rescindit. Qualis Christianus es, cum Domino ieiunante tu prandes? Qualis Christianus es, cum Christo esuriente, tu reficeris? Ille pro salute tua famem sustinet, tu pro peccatis tuis ieiunare formidas? Infra: Pudet dicere, senes & aniculæ Quadragesimã faciunt, iuuenes & iuuenculæ non faciunt. Omni igitur sollicitudine tempus sacratissimum celebremus, non prætereat nos dies absque ieiunio. Ille enim facit Quadragesimam, qui ieiunando, & vigilando ascendit ad Pascha. Sed videamus iste quadraginta dierum sacratissimus numerus, vnde habere cœpit exordium. Legimus primum in veteri testamento Noe temporibus, cum omne genus hu- *Gen. 7.*
manũ scelerata iniquitas occupasset, tot dierum numero patefactis cataractis cæli, aquarum pluuias defluxisse, & mysterio quodam Quadragesimę inundatione orbi terrarum facta, non tam diluuium quàm baptismum contigisse. Baptismum plane fuit per quod in peccatoribus iniquitas sublata est, Noe iustitia conseruata. Ita ergo & modo nobis Dominus illius temporis Quadragesimam dedit, vt constituto dierum numero, patefactis cælis pluuia nos misericordiæ cælestis irroret, & inundatione facta per baptismum lauacri Saluatoris nos imber illuminet. Et sicut tunc factum est, aquarum fluctibus extinguatur in nobis delictorum iniquitas, virtutum iustitia conseruetur. Ipsa enim quæ sub Noe, & modo vertitur ratio. Quisquis enim in hac deuotione Quadragesimæ Dominica mandata seruauerit, necabitur in eo diabolica impietas, & succedens quodammodo sibi moritur ex parte, qua peccator est, viuificatur ex illa
20 parte, qua iustus est. Legimus etiam, quod sanctus Moyses in eremo quadraginta annorum curriculo filios Israel cælesti manna nutrierit. Bonus ergo numerus, qui semper cælum aperit. Vnde & nos obseruemus hunc numerum, vt aperiantur nobis cæli, quatenus & nos pluuia gratiæ spiritualis irroret, & spiritualium sacramentorum manna reficiat. Instar enim patrum nostrorum, hac obseruatione Quadragesimæ & iustificamur & pascimur. Sed dicet aliquis filios Israel in eremo, quãdo mãna saturati sunt, minime ieiunasse. Ego autem dico illos non nisi abstinẽtiæ tunc vacasse, atq; ideo cælestis alimoniæ gratiam meruisse; primum quia anxietas solitudinis concupiscẽtiã repellit escarum: deinde in eremo vnde accurata epulæ? vnde vina pretiosa? Intelligimus ergo ieiunasse filios Israel, quia cognoscimus illis escarum copiam defuisse, & tũc sumpsisse cibũ quando largienti Domino placuisset; vsq; adeo vero abstinentia filiorum Israel in eremo placuit Saluatori, vt quorũdam etiã inter ipsos intemperantia notaretur, ita vt quisquis auidior duplum mannæ cibum sibi collegerat, hic hac iniuria feriretur, vt non tam cibum sibi inueniretur seruasse quam vermes, scilicet, vt quia supra moderatã refectionem concupierant, velut stimulis quibusdam conscientiæ, in morem vermium, vrgeretur. Igitur & nos fratres obseruantes Quadragesimæ quotidiana, & moderata ieiunia, & tanquam in eremo constituti, nihil delitiarum secularium cogitemus, nulla nos cupiditatum corporalium dulcedo sollicitet, simus sobrij, simus casti, habentes quidem conuersationem in vrbibus, possideamus mente desertum.

21 IDEM inquit: Videamus quo tempore hanc obseruãtiam nobis indixerit Dominus,

Serm. 34. de Quadragesima.

Sermo. 36. de Quadragesima.

si non velut per istam deuotionem cuncta elementa voluerit habere profectum. Ecce enim in dicta Quadragesima, constructa hyemalis terra resoluitur, & aquarum fluenta meatus suos glacie liquefacta recipiunt, sic quoq; corporum nostrorum hoc eodem tempore contracta sceleribus peccata soluuntur, & vitæ nostræ purior cursus liquefacto rigore Diaboli meatum suum pristinum recognoscit. Terra induta Quadragesima asperitatem deponit hyemis, ego in dicta Quadragesima asperitatem reijcio delictorum. Illa terra aratu scinditur, vt mundanis sit congrua frugibus, mea terra ieiunijs exaratur, vt cœlestibus sit apta seminibus. Ecce abstinentiæ tempore herba segetum reuiuiscit in messem, surculus arboris conatur in fruticem, palmes vineæ pubescit in gemmam, & omnia de inferioribus ad altiora se subregunt, ita hoc eodem tempore hominũ spes intermortua reuiuiscit in posterum, temporalis vita proficit in æternam, & omne genus humanum ad altiora consurgit. Modo ferrum gestans agricola sarmenta deputat vinearum. Ita & nunc Euangelium tractãs Episcopus sordes amputat populorum, & isto quadragenario curriculo vniuersæ hoc agunt creaturæ, quatenus depositis superfluis, ornatæ in Pascha procedant. Modo omnia sunt in partu, vt tunc reperiantur in fructu. Tunc spina profert rosam, calamus fragrat lilium, suauitatem arida virgulta depromunt, & ita cuncto floribus adornantur, vt festiuitatẽ diei magni, creatura ipsa nitore sui celebrare credatur. Igitur & nos hoc eodem ieiuniorum tempore producamus de spinis nostris rosas, hoc est de peccatis iustitiam, de seueritate misericordiam, de auaritia largitatem. Producit ieiunando libido castimoniam, superbia humilitatem, sobrietas parcitatem. Hoc autem quadragenario numero se ipse Dominus Christus exercuit, non vt profectum ipse caperet, sed vt profectum salutis nobis ostenderet.

22 Sermo. 37. in Quadragesima. IDEM sic ait: Sanctam Quadragesimam abstinendo ipse Dominus consecrauit, & tot dierum noctiumq; curriculo cibum omnino non capiens, vnum ac solidum ieiunij corpus effecerit, quod in totum non obseruare sacrilegum est, ex parte violare peccatum est. Hoc enim fecit causa salutis nostræ, vt rem vtilem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis instrueret, vt ijsdem vestigijs quibus ad fidem currimus ad abstinentiam graderemur. Sed videamus quæ causa steterit, vt ieiunia Saluator indiceret, & ipse sibi primum, vt bonus humani generis medicus ieiunaret. Bonus enim medicus poculũ quod ægro daturus est, prior gustat, vt peritiam artis suæ ante in se ipse demonstret, & experimentum æger accipiens securus sit de poculo, securior de salute. Arbitror autem hanc esse ieiunij causam, vt quia primus Adam in Paradiso constitutus per intemperantiam gulæ gloriam immortalitatis amiserat, eandem immortalitatem secundus Adam Christus per abstinentiam repararet. Et quia contra mandatum Dei gustans, de interdicta arbore peccatum mortis inciderat, nunc secundum mandatum Domini ieiunans vitæ iustitiam mereretur. Hoc enim agit Saluator, vt eisdem vestigijs, quibus admissa fuerint delicta purgentur. Hoc est, vt quia homo manducando deliquerat, corrigat abstinendo: vel quia epulando mulierem cognouerat, nũc eandem ieiunando despiciat. Adam enim Euam non nisi intemperantia prouocante cognouit. Quãdiu autem mansit in illis intemerata parcitas, mansit & impolluta virginitas, & quãdiu ieiunauerunt ab interdictis exulis, tandiu & à pudendis ieiunauere peccatis. Fames enim amica virginitatis est, inimica lasciuiæ. Saturitas castitatem prodigit, nutrit illecebram. Infra: In deserto quodãmodo videtur habitare, qui Quadragesimæ tempore ieiunus, & castus est. Desertum planè quoddam ipsum corpus est Christiani, cum non repletur cibis, non poculis irrigatur, sed arentis inediæ squalore negligitur. Tunc Christus Dominus habitat desertum pectoris nostri, cũ nostrã terram fame squalidam, ac siti aridam esse reperit, secundum quod ait Propheta. Sicut in terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. *Ps. 62.* Aliter enim sicut in sancto ei apparere non possumus, nisi terra corporis nostri fuerit deserta, mundanis delitijs, inuia diabolicis concupiscentijs, & inaquosa libidinosis illecebris.

24 Sermo. 39. in Quadragesima. IDEM sic habet: Sunt nonnulli inter vos fratres, quorum licet vultus in Ecclesia videamus, cor tamen in agris esse cognoscimus, & præsentiam quidem eorum consideramus, in plebe, sed conuersationem eorum inuenimus in rure, de terra enim semper cogitant, de terra tractant, quæ terrena sunt sapiunt. His cõuenit diuina illa sententia. Quia terra es, & in terram ibis. *Gen. 3.* Qui ideo aliquando ad Ecclesiam veniunt, nõ quia ex fide Christiani sunt, sed ne Christiani ab hominibus non putentur, quibus cum ieiunium indicitur de intemperie se temporis semper excusant. Dicunt enim æstiuis mensibus: dies longa est, sol torrentior est, sitim ferre non possumus, poculis nos refrigerare debemus; hyemis verò tempore: graue frigus est, rigores sunt pessimi, algorẽ tolerare nequimus, escis calefieri nos oportet. Ita homines quorum animus semper est in prandio, prandendi sibi causas inquirunt, & dum se à ieiunijs excusant, tempus Creatoris accusant. Dic mihi, ò delicate Christiane, qui æstum solis ieiunando ferre non potes, nunquid æstus quem sustentaturus es torrentior est gehenna? Nunquid hyems cui retrudendus es, horridior est tenebris? In exteriores enim tenebras abijcientur peccatores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Stridor inquã dentium instar hyberni temporis erit in illis tenebris. Ita miser peccator dum hic hyberni rigorem metuit, ibi tenebrarum frigus incurrit. Dum hic æstum solis euitat, ibi gehennæ substinebit ardorem.

25 in cap. 5. Io. AVGVSTINVS ait: Quadragenarius numerus nobis in ieiunio commendatur. Ieiunium

Tractatu 17 Tomo 9. ad Tit. 2. iunium autem magnum, & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum ieiunium, vt abnegantes impietatem, & sęcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo. Huic ieiunio quam mercedem addit Apostolus? sequitur. Expectantes beatam spem, & aduentum gloriæ magni Dei. In hoc ergo sęculo quasi quadragesimam abstinentiæ celebramus cum bene viuimus, cum ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus abstinemus. Sed quia hęc abstinentia sine mercede nõ erit, expectamus beatam illam spem, & reuelationem gloriæ magni Dei. Vnde cum labore celebramus Quadragesimam ante Pascha, cum lætitia verò, tanquam accepta mercede, quinquagesimam post Pascha. Significauit hoc, & ipse Dominus IESVS multò apertius. quãdo post Resurrectionem suã quadraginta diebus conuersatus est in terra cum discipulis, quadragesimo autem die cum ascendisset in cœlum peractis decem diebus, misit mercedem Spiritus Sancti.

26 Sermo. 55. de tempore Tom. 10. IDEM inquit: Tempus Quadragesimæ venit fratres, vt dies istos sanctè, ac spiritaliter celebremus, vt obseruatio sanctæ Quadragesimæ non nobis iudicium pariat, sed profectum. Si enim negligenter agimus, si castitatem seruare nolumus, si ieiunijs, & orationibus, & vigilijs non insistimus, si Scripturas Diuinas, aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta cõuertuntur in vulnera, & inde habebimus iudicium, vnde potuimus habere remedium. Et ideo fratres ad vigilias surgite maturius, ad tertiam, ad sextam, ad nonam conuenite. Nullus se à sancto opere subtrahat, nisi quem infirmitas, aut publica vtilitas, aut fortè certa, & grandis necessitas tenuerit occupatum. Nec solum vobis sufficiat, quod in Ecclesia diuinas lectiones auditis, sed etiam in domibus vestris, aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite. Infra: Ideo fratres in istis quadraginta diebus quasi totius anni cibaria animæ nostræ ieiunando, legendo, vel orando prouidere debemus. Nam licet per totum annum (Deo propitio) lectiones frequenter, & fideliter audiatis, in istis tamen diebus de fluctibus, & pelago huius mundi quasi ad portam Quadragesimæ confugientes debemus requiescere, & lectiones diuinas in exceptorio cordis nostri cum silentio, & pace susçipere, vt Deo propitio quicquid in nauicula animæ nostræ per totum annum multis tempestatibus, idest peccatorum fluctibus, aut fractum, aut dissolutum aliquid, aut corruptum, aut perditum est, omni solicitudine in istis diebus reparare studeamus atq; componere. Vnde iterum rogo, vt occupationis sęculi huius in istis diebus sanctæ Quadragesimæ, si non potestis abscindere, studeatis, vel ex parte aliqua temperare, vt præciso damno & pretiosissimo fructu hoc sæculum fugientes subtrahatis aliquas horas occupationi terrenæ in quibus Deo uacare posſitis. Calca mundum ut calcato eo gradum tibi facias per quẽ in sublime conscendas.

27 Sermo. 64. de tempore IDEM sic habet: Omne uitæ nostræ tempus stadium quoddam debemus putare uirtutum, & ad cœleste brauium tota uirtute contendere: Sed hoc præcipuè in Quadragesimæ diebus implendum est, qui abstinentia, & ieiunijs dedicati tantum nobis ad virtutem animi conferunt, quantum & de corpore uoluptatem decerpunt. In his præcipuè diebus ad implendam Domini uoluntatem accẽdimur, quando maximè per abstinentiam voluptas carnis extinguitur. Sed & illa est in Quadragesimæ diebus grandis utilitas q̃ dum etiam à licitis abstinemus, magis ac magis admonemur illicita uitare. Qui enim abstinemus nos à carnibus, quibus alijs diebus vti licet, qui nos abstinemus à vino, quo moderatè uti licet, qui ergo ista uitamus, quæ aliquando licent, in primis peccata uitemus, quæ omnino nunquam licent. Itaq; uolumus bene ieiunare à cibis? ante omnia ieiunemus, & à uitijs. Quid enim prodest uacuare corpus ab escis, & animam replere peccatis? Quid prodest pallidum esse ieiunijs, si odio, & invidia liuescas? Quid prodest uinum non bibere, & iracundiæ ueneno inebriari? Quid prodest abstinere à carnibus, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Sic ergo ieiunemus à cibis, ut multò magis ieiunemus à uitijs, ut Sanctorum morum ubertate saturemur.

28 Sermo. 69. IDEM ait: Hos sanctæ Quadragesimæ dies debemus omni cum ueneratione susçipere, nec longiorem numerum huius temporis fastidire, quia quanto plures dies sunt ieiunij, tanto maior est causa remedij: quanto prolixior abstinentiæ cursus, redemptio copiosior est salutis: quanto austerior cura vulnerum, tanto medicina est salubrior peccatorum. Quadraginta dierum ieiunijs quęuis iniquitas peccatoris exorari potest, & quãtauis seueritas iudicis mitigari. His diebus solito amplius, & diuinitas miseretur, & iustitia promeretur. Patent enim omnia, & cœli ad indulgentiam, & peccatorum ad confitendum, & lingua ad postulandum. Salutaris quadragenarius numerus. Nam primum cum mundi faciem iniquitas hominum posſideret, tot dierum curriculo Deus effusis de cœlo imbribus, vniuersam terram diluuio superfudit. Et sicut tunc quadraginta diebus pluit ad purgandum mundum, ita & nunc quadraginta diebus miseretur ad hominem purificandum.

29 Sermone 1. in capite ieiunij. BERNARDVS: Hodie sacrum Quadragesimæ tempus, ingredimur, tempus militiæ Christianæ. Non nobis singularis est hæc obseruatio, vna omnium est, quicũq; in eandem fidei conueniunt vnitatem. Quid in caput suum membra sequantur? Si bona susçepimus ab hoc capite, mala autem quare non sustineamus? An respuere tristia volumus, & communicare iocundis? Non est magnum si ieiunet cum Christo, qui sessurus est ad mensam Patris cum ipso?

IDEM

30 Sermo. 3. de ieiunio Quadrageſimæ.

IDEM inquit: Hactenus vſq; ad nonam ieiunauimus ſoli, nunc vſq; ad veſperam ieiunabunt nobiſcum pariter vniuerſi, Reges, & Principes, Clerus, & Populus, nobiles, & ignobiles, ſimul in vnum diues, & pauper. Sed quid de his loquor, quos habemus in hac ieiunij obſeruatione conſortes, quaſi non multo excellētiores habeamus in ea Duces, immò & conſecratores? Quanta deuotione ſuſcipiendum eſt nobis, quod à Sancto Moyſe tanquam hæreditario iure traditur? Quanto feruore amplectendum eſt, quod Helias illæ commendat igneo curru raptus in Cœlum? Iam verò ſi commendant ieiunium præſens Moyſes, & Helias, quāuis magni, tamen conſerui noſtri, quantum commendat illud IESVS, qui & ipſe diebus totidem ieiunauit? Tanto deuotius imitandum nobis eſt Chriſti ieiunantis exemplum, quanto certius eſt propter nos eum ieiunaſſe, non propter ſe ipſum. Ieiunemus ergo chariſsimi, & deuotè ieiunemus, ſancto hoc Quadrageſimæ tempore, ita ſanè, vt nouerimus Quadrageſimam noſtram, non ſolum quadraginta dies habere. Continuanda eſt nobis quadrageſima cunctis diebus miſerę huius vitæ. Querite Dominum, ait Propheta, non ſolum quadraginta diebus, ſed dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt. Verùm præſenti quadrageſima maiore nobis eſt feruore querendus. Propterea ſi fortè diebus cæteris ſtudia veſtra aliquatenus intepuerant, dignum eſt, vt nunc in feruore ſpiritus recaleſcant. Quod ſi gula ſola peccauit, ſola quoq; ieiunet, & ſufficit. Si verò peccauerunt, & membra cætera cur non ieiunent, & ipſa? Ieiunet ergo oculus, qui deprædatus eſt animā, ieiunet auris, ieiunet lingua, ieiunet manus, ieiunet etiam anima ipſa. Ieiunet oculus à curioſis aſpectibus, & omni petulantia, vt benè humiliatus coërceatur in pœnitentia, qui malè liberè vagatur in culpa. Ieiunet auris nequiter pruriens à fabulis, & rumoribus, & quæcūq; ocioſa ſunt, & ad ſalutem minimè pertinentia. Ieiunet lingua à detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atq; ſcurrilibus verbis. Ieiunet manus ab ocioſis ſignis, & ab operibus omnibus quæcūq; non ſunt imperata. Sed multò magis anima ipſa ieiunet à vitijs, & propria voluntate ſua. Etenim ſine ieiunio hoc cætera à Domino reprobantur, ſicut ſcriptum eſt. Quia in diebus ieiuniorum veſtrorum voluntates veſtræ inueniuntur.

Iſa. 55.

Iſa. 58.

32 Sermo. 4. de ieiunio, & oratione.

IDEM ait: Ieiunium & oratio ſic ſociantur, vt frater adiuuans fratrem ambo conſolentur. Oratio virtutem impetrat ieiunandi, & ieiunium gratiam promeretur orandi. Ieiunium orationem roborat, oratio ſanctificat ieiunium, & Domino repreſentat. Quid enim ieiuniū nobis proderit ſi relinquatur in terra? Subleuetur ergo ieiunium penna quadam orationis. Verùm huic ne fortè minus ſufficiat, alteram quoq; neceſſe eſt ſociari. Sint ergo ieiunio noſtro, vt facilè cœlos penetrent alæ duæ, orationis ſcilicet atq; iuſtitiæ. Sanctificate ieiuniū, ait Propheta, vocate cœtum. Quid eſt enim cœtum vocare? Vnitatem ſeruare, diligere pacem, fraternitatem amare. Superbus ille Phariſæus ieiunium habuit, qui nimirum, & ieiunauit bis in ſabbato, & gratias egit Deo. Sed non vocauit cœtum dicens. Non ſum ſicut cæteri hominum, ideoq; ala vna nitens, ieiunium eius nō peruenit in Cœlum. Vos ergo chariſsimi lauate manus veſtras in ſanguine peccatoris, & omnino ſoliciti eſtote, vt alas duas habeat ieiunium veſtrum, ſanctimoniam, ſcilicet, & pacem, ſine qua nemo videbit Deum. Sanctificate ieiunium, vt pura intentio, & deuota oratio, diuinæ illud offerat Maieſtati, Vocate cœtum, vt congruat vnitati. Laudate Dominum in tympano, & choro, vt concors ſit mortificatio carnis.

Ioel. 2.

Luc. 18.

33 Sermo. 7. Quadrageſ. de Peregrino mortuo, & crucifixo.

IDEM ſic habet: Hoc ſancto Quadrageſimæ tempore, in omni obſecro puritate conuerſari ſtudeamus, vbi, & certus, & breuis dierum numerus poſitus eſt. Ne deſperet humana fragilitas. Nam ſi dicitur nobis, in omni tempore ſoliciti eſtote, omnino ad cuſtodiendam puritatem veſtræ conuerſationis, quis non deſperet? Nunc autem monemur breui dierum numero, omnes aliorum temporum negligentias emendare, vt vel ſic guſtemus dulcedinem perfectæ puritatis, & omni deinceps tempore in conuerſatione noſtra ſanctæ huius Quadrageſimæ veſtigia clara reſplendeant. Conemus ergo fratres ſanctum hoc tempus, tota deuotione ſuſcipere, & nunc magis arma ſpiritualia reparare. Nunc enim generali quodam totius orbis exercitu contra Diabolum Saluator congreditur. Beati qui ſub tali Duce ſtrenuè militarunt. Toto ſi quidem anno, domeſtica Regis familia militat, & aſsidua eſt in bellorum procinctu, ſemel autem, & certo tempore vniuerſum Imperium generali congregatur exercitu. Fœlices vos qui domeſtici meruiſtis eſſe. Quid igitur facturi ſunt, qui toto anno pugnam ſuſceperunt, quando, & ipſi rudes, & vacantes prius, ſpiritualia arma arripiunt? Vtiq; ſolito amplius ſolitæ opus eſt inſiſtere pugnæ, vt magna quædam victoria Regi noſtro ad gloriam nobis proueniat ad ſalutem. Reliqua ad ieiunium pertinentia requirenda ſunt, libro 1. capite 1.

Indumentorum abuſus, fœminarumq; ornatus, & luxus acriter à Sanctis taxantur. Cap. II.

1 *Math. c 6. To. 3. Hom. 4.*

ORIGENES explicans verba illa, exterminant enim faciem ſuas, inquit: Bene dicit, q̄ exterminant, hoc eſt immaculatas maculant, incoinquinatas coinquinant, mundas ſordidant. Propterea digna illos exterminatio in hoc ſeculo expectat. Tales ſunt aliquæ mulieres, quæ album, & nigrū, & rubicundum ſuper facies ſuas inducūt, quaſi ſapientiores plaſmatore ſuo, tanquam non bene illum fecerit vultum, tanquam non prudenter iſtam faciem conſtituerit. Huius creā tis opus volunt emendare, & componere non erubeſcunt, & poſt fabricatores, manus ſuper addere non verentur. Mortuis coloribus viuentes ſuas facies liniunt, & de viuentibus in mortem tranſmutant; ideo vt imprudentium faciāt euolare corda, vt minus cautorum ſubuertant animas, vt multam perditionem ſibi met parent. Iſta ergo omnia religioſa, & credentes animæ fugere, & abominare debent.

2 Tom. 1. Homel. 18. in Gen.

CHRYSOSTOMVS explicans illa verba; & fecit Dominus Deus Adæ, & vxori illius veſtes pelliceas, & induit illos, inquit: Iuſsit eos togis pelliceis veſtiri in perpetuam memoriam, q̄ inobedientes fuerimus Domino. Audiant opulenti, & qui luxuriant in vermium operibus, & veſtiuntur ſericis, diſcantq́; quomodo ab initio humanam naturā miſericors Dominus docuerit. Quia propter tranſgreſsionem, pœnæ mortis reus erat factus protoplaſtus, opusq; erat veſte, quæ cōfuſionem tegeret, pelliceas fecit veſtes. Quo docuit nos, vt mollem, & diſſolutam vitā fugiamus, auſteramq; amplexemur. Sed fortè grauatim ferentes hæc diuites dicent: Igitur pellibus veſtiri nos iubes? Non hoc dixerim. Nam neq; illi perpetuo vſi fuerunt his veſtibus. Nam poſtquàm ſe ſe corporalibus neceſsitatibus obnoxios fecere, & ab immortalitate illa, & angelica vita exciderunt, diſpenſauit Deus, vt ex ouium velleribus indumenta ſibi pararent; non alia de cauſa, quam vt tegumentum habeant, & ne rationale animal hoc, ſimiliter nudum, & inhoneſtum inter bruta illa verſaretur. Itaq; veſtium amictus continuum nobis ſit monimentum, quo memores ſimus quātis bonis exciderimus, & diſcamus, quanto ſupplicio humanum genus ob inobedientiam ſit affectum. Dicant igitur nobis, qui tanto vtuntur apparatu, vt iam vſum lanæ prorſus audire nolint, ſed ſerico veſtiātur, eoq; inſaniæ peruenere, vt aurum veſtibus intexant; In primis autem mulieres huic molli tiei deditę ſunt: Quare, dic obſecro, corpus ita ornas, & gaudes eiuſcemodi amictu? Non cogitas q̄ pro magno ſupplicio, propter trāſgreſsionem, tegmen hoc excogitatum eſt? Et quare non audis Paulum dicentem; habentes victum, & quibus tegamur his cōtenti ſimus?

1. Tim. 6.

Vides q̄ vnius dūtaxat rei habenda ſit hic cura, videlicet, ne corpus nudum ſit, ſed vt tegatur. Num adhuc de varietate veſtrum oportet eſſe ſolicitum?

3 Hom. 37. in Gen.

IDEM inquit: Quali venia dignādi ſunt, qui & in veſtimentis multam vanitatem oſtentāt, & vt vermiū texturas geſtent ſoliciti ſunt, & quod grauiſsimum, in his ſuperbiūt. Oportebat tremere, & ſe abſcondere, & vereri præ confuſione, q̄ ipſi quidem ob nullam vtilitatē, neq; neceſſarij vſus gratia, ſed tantum ob vanitatem, & inanem gloriam, & vt vulgo, ac forenſibus admirationi ſint talibus induantur: obambulat autem eiuſdem naturæ conſors, nudus, qui nec plena veſte amicire ſe poteſt, & neq; natura ad compaſsionem ducuntur, ſed quaſi lapideum cor habentes, ita ſe putant, ob veſtium cultus, etiam alijs hominibus ſuperiores eſſe, non perpendentes ſecum quantis malis ſe ipſos reos conſtituant, qui concreditā ſibi à Domino male diſpenſant, & grauioré gehennæ ignem ſibi præparant. Nam ſi omnia, quæ intus repoſita habēt, indigentibus diuites diſtribuerēt, neq; ſic ſupplicium effugerent eorum peccatorum, quæ in delicijs, & veſtium, & conuiuiorum admittunt. Quo enim ſupplicio non ſunt digni, qui modis omnibus dant operam, vt ſericis, & auro intertextis induantur, & poſt ſe pompam trahunt in foro, Chriſtum autem deſpicere nudum, & neq; cibum neceſſarium impetrantem? Maximè autem ſermo iſte aduerſus mulieres congruerit. Maiorem enim apud eas inuenimus ornandi cupiditatem, & intemperantiam cum auratis veſtibus, & auro in capite, in ceruice, & in alijs corporis partibus ornātur, & intus quoq; ſuperbiunt. Quot pauperum ventres poterant inde paſci, & quot corpora nude agentium contegi ex his, quæ à ſolo collo, & humeris pendēt, nullius alterius vſus gratia, quam in damnum, & nocumentum animæ? Propter hoc, & Paulus cum dixiſſet; habentes victum, & amictum vertit ad mulieres ſermonem, & dicit: Non in ſertis, vel auro, vel margaritis, vel veſte ſumptuoſa ornent ſe. Vides quomodo non vult eas talibus ornari, neq; auro circundari, neq; margaritis, neq; veſte preciosa, ſed verum ornatum in animā inducere, & per bonorum operum actionem, & pulchritudinem animæ lucere, & q̄ ab illa, quæ in talia reſpicit, contemnatur ſordida, ſqualida, pannoſa, famelica, geluq; rigeſcens? Hoc enim ſtudium in ornando corpore, internam indicat deformitatem, & huius veſtium ſumptus, illius indicat nuditatem. Impoſsibile enim eſt aliquam agere curam animæ, & tanti facere corporis pulchritudinem, & ornatum; ſicut & impoſsibile in externo illo cultu tantopere occupatum, illius agere curam. Nam quot inde naſcantur mala non poſſum nunc ſermone complecti, ſed ſatis eſt, vt relinquam conſcientiæ eorum, qui in ijs occupati ſunt, quantas inde quotidianas moleſtias experiuntur. Etenim, ſi quid deciderit ex aureo illo cultu, magna tempeſtas, magnusq; tumultus oboritur, in tota domo; vel famulus ſurripuit, & omnes flagellantur, & in carcerem conijciuntur; vel inuidi quidam inſidiati ſunt, & ſubito ſpoliarunt, quantus tunc, & quam intolerabilis mœror? Vel rerum difficultas ingruens in extremam inoxiam redegit, & graniore morte vitam eis attulit. Et in ſumma nunquam inuenies animam iſtiusmodi occupatam, à turbationibus alienam: ſed ſicut maris fluctus, neq; numerari, neq; terminari, queunt ſemper nouis ſuccreſcentibus: ita & turbationes inde orientes, nemo dinumerarit.

1. Tim. 2. 4

IDEM

5 IDEM acriter inuehit in eos, qui calceis sericis vtuntur, & ait: Quod minus peccatũ inueniri poterit, inquies, quam ornatos, & quasi splendentes habere calceos, ac pedibus ita inhærentes, vt ruga nulla conficiatur? Quod nec peccati quidem appellatione notandum est. Age igitur diligentiori vsi examine, quale malum hoc sit videamus. Quantum nobis dedecus esse putatis, cum serica licia calceamentis vestris, quæ nec vestibus quidem vir probus vnquam subtexerit, diligenter inseritis? quantis hoc dignum cachinis arbitramur? Quod si huic nostræ sententiæ non acquiescitis, audiatis Paulum quanta hæc cum acrimonia reprehendat. Quid igitur hac de re Paulus scribit? Non implicationibus, inquit, auri, aut margaritarum, nec vestimento precioso. Quam igitur veniam habere poteris, cum neq; vxori tuæ iubente Paulo preciosæ vestes permittantur, tu calceos luxuriosissimè polias, ac ita construas, vt nimium attentus ad ridiculosa dedecora esse videaris? Non ne vides naues fabricari, eligi remiges, vela dari ventis, maria nauigari, ac mercatores patria, ac liberis relictis, ac vita contempta, ac fluctibus commissa ad extremas Barbarorum partes mille periculis peruenire propter serica hæc licia, vt tu, scilicet calceis tuis ipsa inseras, quibus te ornatiorem esse putes? Non erant veterum certè huiusmodi, sed virorum calcei curialitatem quandam ostendebant. Illud autem molestius differendum est, q̃ iuuenum parentes, cum indifferentem hanc rem censeant, non increpent. Vultis vt afferam, 6 quod grauissimum mihi videtur? In quo dedecore vos pecunijs abutimini? Cum inedia multi laborent, tamen esuriens Christus, & nudus in medio vestri versetur, catenis etiam vinctus nonnunquam nos sericum calceis inseritis. Ipse cum discipulos suos legibus instituebat, nullos illis calceos permittebat, nos autem non dico nudis pedibus, sed viriliter calceatis deambulare non patimur. Quatur pitudine, atq; risu, quid peius fiet? Magnam enim animi molliciem hos ostendit, magnam leuitatem, vna cum curiositate temeraria. Nam quando rebus poterit, qui tantis defluit luxurijs, diligenter vacare? Quando animæ suæ curam habebit? Virtutis penitus expers est, qui studium suum ad hæc contulit vniuersum. Nam qui gloriam serici, qui florem coloris, qui ad aureos intextus curiosè perspicit, quando in cœlum suspiciet? quando illam pulchritudinem admirabitur, qui tincturas istas respiciens, & ad terram flexus altius se non potest erigere? Tu verò ad terrena, quasi porcus Diaboli artibus persuasus, deuolueris. Deus qui cœlum tibi offert, à Diabolo serica tibi licia offerente superatur. Quid facis homo? Animam hac luxuria in cænum conieci sti, eam in terra negligis detineri, & calceamentorum tanto mœrore angeris? discas vsum ipsorum, & tanti ea facere pudebit: adinuenta enim erte sunt, vt lutum, & omnes terræ sordes audacter conculcemus. Quod si tu ab huiuscemodi labe munda cupis calceamenta seruare, ceruicibus tuis, aut capiti connecte. Ridetis hoc audientes, mihi autem lachrymandum potius videtur, cum studia in his rebus vestra, & vesaniam considero. Ita pusillanimi, ac penitus molles hinc iuuenes efficiuntur, erunt etiam auidi non minus. Nam qui vestibus, calceis, cæterisq; huiusmodi valde inhiare soliti sunt, cum multa in his rebus consumãt, magno indigent pecuniæ cumulo. Quod si acciderit auarum habere patrem, cogitur ad alia peiora confugere, vt sibi pecuniam ad impendia ista perquirat. Hac ratione multi ex adolescentibus ętatis florem perdiderunt, & parasiti diuitum constituti, vt huiusmodi cupiditatem, atq; animum suum expleãt, turpia nimium ministeria subierunt. Crudelis etiam huiusmodi est, quia cum viderit pauperem, tanta sui ornatus cura detinetur, vt nec aspexisse quidem videatur, sed auro quidem atq; serico seipsum ornat, pauperem autem fame deperire sinit. Et post alia quãuis non ignorem plurimos adolescentum tanta huius passionis temulentia capi, vt nullam verbis meis attentionem præbuerint, non fuit tamen consilium silentio hæc præterire. Nam patres eorum nisi mente capti sint, vel inuitos filios ad meliorem cogent vitam transire. Qui filios ornamentorum contemptores reddit, in magnis probatiores inueniet.

8 IDEM explicans verba illa cap. 3. de Ioãne, ipse autem Ioannes habuit vestimenta de pilis cameli, inquit: Non de lana cameli habuit vestimentum, ne ipsa mollicies vestimenti delicata faceret membra, sed de asperis setis cameli, vt ipsa asperitas ad virtutem patientiæ animum exerceret. Nam omne vestimentum ad tres pertinet causas, aut ad speciẽ visionis, & vanam gloriam, aut ad delectationem corporis, aut ad tegumentum nuditatis. Ad speciem visionis habere vestimentum seruis Dei non conuenit, similiter ad delectationem corporis Deo seruientibus non est aptũ, sed tantum ad tegumentum nuditatis. Tale ergo Ioannes habebat vestimentum, vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur.

9 IDEM ait: Primi Christiani, semel vt in certamen ingressi sunt vestes exuerunt, nos autem insanientes cum vestibus certare volumus. Idem facimus quemadmodum si quis athletam, puluere aspersum, nigrum, nudum, & oleo, sudore, ac luto simul deformatum viderit, ipse vnguentum olens, acceptis sericis, & aureis vestibus, & stola vsq; ad corrigias calcei demissa, & aureo ornatu in capite ingressus se immittat. Qui enim talis est non impedietur solum, sed omnem curam habet, ne inquinetur, & disrumpatur vestis: vnde & primo aggressu cadet, & id quod timuit statim patietur cum plagis, & damno accepto. Tempus adest certaminis, tu autem sericis indueris, tempus est exercitationis, tempus stadij, tu autem quasi ad pompam te ipsum ornas, & quomodo vinces? Oro ne videas ad exter-

Tom. 2. Homel. 50. in Matth.

1. Tim. 2.

Homel. 3. ex imperfecto in Mat.

To. 3. Ser. 7. in Act. Apost.

externa, sed ad interna. Horum enim curis, quasi vinculis grauibus vbiq; anima colligata est, manum non sinens extollere, neq; extendere contra hostem, molles faciens, ac delicatos.

10 IDEM sic habet: Persequamur gloriam fratres, qua nihil dignius, nihil reuerentius est, relinquamus illam qua nihil abiectius. In amictu, inquit, vestium ne glorieris. Tineæ huius te gloriæ voluptate priuabunt. Gloriantur in re quam vermes, & gignunt, & perdunt. Feruntur enim quidam ex india vermiculi, huiusmodi facere vestes. Si vestẽ possidere cupis superne intextam, amictum omnino mirabilem atq; clarissimum, indumẽtum penitus aureum acquirere stude. Nempe illud aurum non metallum est, cuiusmodi damnatorum effoderunt manus, verum ex virtute generatur. Induamus nos stola illa, quã non homines inopes, aut serui conficiunt, sed ipse Dominus se diligentibus præparat. Quid oro vestimento huic insertum est, quod te facit illustrem? Aurum scilicet. Et hoc quid ad rem? Opificem enim mirantur omnes, nõ eum, qui fuerit amictus. Sed quænam huius vestis vtilitas? quis vsus est? Vt scilicet excutiatur, ne corrodatur à tineis. Quantæ igitur amentia est, quam irrationabilis fatuitatis, pro nihilo tantum præferre studium, & cuncta moliri, & despicere esurientem Christum? 11 Quid memorem præciosorum aromatum, quæ ex India, ex Arabia, & ex Perside conuehuntur? Arida simul, & liquida vnguẽtorum, atq; odorum minus delicatum vsum, quæ omnia sumptum afferunt inutilem, prorsus atq; superfluum? Quid vnguentis, ô mulier corpus vngis, quod intrinsecus immundi tia plenum est? Quid putredine peruium corpus preciosis aromatibus cõdis? veluti si quis vnguentum injciat cæno, aut molli lateri balsamum? Sunt si vis vnguenta preciosa, sunt pleni cœlestis fragrantiæ odores, quæ non ex Arabia, nec ex Perside, sed ex ipso conuehuntur cœlo, emunturq; non auro, sed voluntatis præstantissimo instituto, etiam fide non ficta. Illa igitur aromata circũferamus, hæc enim nobis, & lasciuiæ opinionem inferunt, & nocent plurimum, illa verò fortitudinis atq; miraculi nos admiratione concelebrant, ingentemq; nobis fiduciam præstant. Huiusmodi aromata non germinat tellus, sed virtus inclita gignit.

12 IDEM: Illa glorificat Deum in anima, & in corpore, quæ exteriorem non querit ornatum, quæ vnguentis delibuta non pergit, quę faciem nequaquam fucis, atq; coloribus pingit, quæ Dei contenta opificio, nihil ex se addere, quasi arte molitur. Quid enim studium tuum? quid artem consummato à Deo opificio admonere præsumis? Non tibi sufficit diuina formatio? An verò veluti excellentior opifex diuinum opificem corrigere impia moliris audacia? Atq; ad authoris iniuriam ornaris, vt post te greges iuuenum trahas? Et quid inquies ipsa facere possum? Neq; enim ego hæc volo, sed viri gratia facere ista compellor. Adamari non potest, quæ non vult. Pulchram te condidit Deus, vt in hoc ipse laudetur admirationi, q̃ sit opificium suum, non vt iniurias patiatur. Noli ipsi huiusmodi referre vicem, verum pudicitia, atq; verecundia te ipsam ornare contende? Pulchram idcirco te creauit Deus, vt virtutis tibi adderet præmia, neq; enim idem est speciosam, & quæ à plurimis adamari possit, studere pudicitiæ, & quæ huiusmodi careat, nulliq; sit expetenda castitatem seruare. Speciosam te creauit Deus, quid igitur te ipsam deformem facis? Velut enim, si quis aureæ statuæ illiniat lutum, ita sunt quæ fucis vtuntur, terram tibi illinis partem candidam, partim rubicundam. At, 13 inquies hoc merito faciunt, quæ deformes sunt. Cuius rei gratia? Vt scilicet deformitatem occultent. At profectò in cassum laborant. Quando enim, id quod naturale est, cuiusuis opificis studio, atq; arte superatur? Cur autem deformitas ipsa mærori sit, si probro careat? Audi sapientis cuiusdam viri sententiam; Ne vituperes, inquit, virum in aspectu Eccl. 11. suo, neq; item laudaueris virum in specie sua. Deum igitur admirare solum opificem optimum, non illius opus, neq; enim pulchrum ipse se fecit. Quid enim lucri decor eiusmodi parit? Nihil profectò, verum certamina magis intendit, maioresq; calumnias, atq; pericula suspicionesq; quamplures. Ea deniq; quam non huiusmodi decor illustrat, suspicione carebit, quæ verò formosa est, nisi magno studio, & nimia vtatur continentia, atq; honestate, opinioni protinus pessimæ locum dabit, virq; ipse, eiusmodi semper zelo mordetur. Quo quid dici grauius potest? Neq; enim tantum ex aspectu ipso voluptatis habet, quantum ex suspicione mœroris. Ecce quibus incommodis pulchritudo subiecta est. Porrò eam, quæ decore caruerit, impedimentis plurimis eam liberam facilè inueniemus, neq; enim illi infesti sunt, eiusmodi pulchritudinis aucupes, sed veluti agnus simplex in silentio, atq; in quiete pascitur. Infra: Non erudiamus viros solas intendere facies. Nam si huiusmodi ornatus deseruiat studio citò vir tuus huiusmodi amare faciem consuetus, vultu meretricio capietur. Quòd si illum docueris amare in vxore mores, venustamq; dignitatem, non facilè conuolabit ad scorta, neq; enim hæc in meretrice reperiet, sed contraria penitus. Noli docere virum risus suauitate decipi, neq; fracto, solutoq; incessu capi, ne aduersus te ipsam illi arma ministres, instrue illum castitate gaudere. Poteris autem id, cum huiusmodi habitum portes. Nam si leuis, inconstans, ac lubrica fueris, quomodo verbum honestũ, & graue proferre poteris? Quis te non rideat, atq; subsannet?

14 IDEM exponens verba illa cap. 2. Cum verecundia, & pudicitia in habitu ornato se ipsas ornare, non in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, sed quod decet mulieres pollicentes pietatem per opera bona, ait: Habi-

tum

Homel. 4. in Epist. 1. ad Timot.

Homel. 8. in eandem Epist. ad Timoth.

tum profectò tunicam, vndiq; honestam, compositam significare voluit. Ornatum non exquisitum intelligas, sed moderatum. Quid dicis? Deum precatura pergis, & ornamenta aurea circũfers, flauosq; crines, & ipsos auro compositos? An verò saltatura ad Ecclesiam pergis? Nunquid hic nuptias, & lasciuiæ oblectamenta conquiris? Num vt tui spectaculũ præbeas adueneris? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Illic nempè monilia, illic ornamenta aurea, illic ornatus crinium, illic pretiosa vestis locũ aliquando fortasse habeat. At nũc accesisti, vt Deum pro sceleribus tuis cum lachrymis depreceris, quid te ipsam ornari improbo, atq; intempestiuo studio contendis? Non iste supplicis habitus. Quo enim pacto ingemiscere potes, ac lachrymas fundere, & intensissime, vt decet orare, quæ huiusmodi ornatu cõpta procedis? Nam etsi lachrymas fuderis, risum cernentibus huiusmodi lachrymæ mouebunt. Neq; enim auro amicta debet incedere, quæ lachrymas pro peccatis profundere intendit. Est enim potius scena quædam, atq; simulatio, si ex eodem animo ex quo tanta sumptus magnificentia, tantaq; ambitio prodijt, inde etiam profundi lachrymas viderint. Cum verecundia, inquit, & pudicitia. Noli igitur eas imitari, quæ meretricio feruntur incessu. Nãq; illæ per exteriorẽ cultum, atq; habitum plurimos post se trahunt amatorum greges, atq; hinc plurimæ pessima sæpius suspicione non carent, nihilq; prorsus eiusmodi lucrãtur ornatu, imò & plurimis ex ea opinione nocuerunt. Verum quid agam in quies, si alius de me pessime suspicetur? Tu huic suspicioni per habitũ, per incessum, atq; aspectum fomenta ministras. Quocirca & Paulo ingens cura est, huiusmodi superfluum ornatum ad honestiorem modum componendi, ac tuendo pudori plurimũ studij impendit. Quod si ea, quæ opum tantum indicia sunt, tanto studio circunçidit, aurum, scilicet margaritas, & vestimenta prætiosa, quanto magis ea, quæ in modico studio, & arte, quæruntur cuiusmodi sunt, purpurisso vultus inficere, & stibio oculos pingere, lasciuum obtutum, & qui libidinis iaculetur incendia, superfluam palij, ac tunicæ iactationem, cingulum exquisita arte, studioq; confectũ, studentes soccos, & cætera irritamenta lasciuię? Hæc enim omnia vno verbo signauit cum diceret, In habitu ornato, & cũ verecundia ornare se. Ista quippe, & à verecundia remotissima sunt, & plena dedecoris, turpitudinisq; censentur. Sed si his, quæ sub viro sunt, quæ in delicijs viuunt, quæ diuitijs circũfluunt, interdicit, quanto magis eis, quæ virginitatem professę sunt? Et quę nam in quies, virgo monilia aurea, tortũq; crinem circũfert? Atqui tanta est reliqui habitus cura, tãq; exquisita diligentia, vt oẽm illũ aureũ cultũ facilè transcendere videatur. Licet enim ẽt vilibus pãnis, eiusdẽ cõpositionis opinione notari, nec minus quàm si aureas amiciretur vestes. Quid item cum faciem fucis quidem ornare non pergis, sed eam nimio studio, diligentiaq. circumluis, atque superne a fronte velum facie candidius suspendis, ac demum pallium imponis, vt sub nigro colore facies decentior videatur, & gratior? Quid itẽ oculorum illos innumeros iactus? Quid item de collo, quod nunc quidem operitur, nũc autem de industria denudatur? Quid memorem tractam humi tunicam, incessumq. infractum, & huiusmodi cætera studia, quibus longe magis, quàm auri monilibus intuentes capi solent? Timeamus dilectissimi ne nos quoque eadem audiamus, quæ propheta hebræis mulieribus huiusmodi ornatu exteriori gloriãtibus comminatur dicens: Pro zona funiculo cingeris, & pro ornamento capitis tui caluitium habitura es. Adeo autem plus ista quàm aurum ad lasciuiæ illecebram valent, vt etiã scorta plurima ad hoc omni studio intẽdant, vt per aspectum sui capiant intuentes. Christum habes sponsum, quid amatores post te homines trahis? Merito te ille adulterij damnat, quòd ornatum sibi gratum tibi conquirere negligis, verecundiam scilicet, honestatem, habitumq. ornatum, hic nempe habitus adulter est, atque adeo fœdus, vt meretrices ac virgines fere discernere nequeamus. Huiusmodi exterior ornatus, ornamenta intima demolitur. Is enim qui eiusmodi fuerit studiosus, interioris ornatus negligens sit, necesse est, quemadmodum & is, qui exteriorem aspernatur, studium omne ad componenda sua intima transfert. Nec velim dicas, me miseram, attritum pallium fero, abiectosq. calceolos, nullius pretij tunicã cuiusmodi hic ornatus est? Noli te ipsam fallere, licet, vt dixi, etiam per huiusmodi vilia magis ornari, quàm per aurea illa monilia & exquisitissimas vestes. Quippe per attritum pallium corpori decenter astrictum, impudentiam prẹfers magis, ac pulchritudinis gloriam aucuparis. Pugnare hic congruit non ornari, luctari conuenit non in mollitiem solui. Non aspicis pugiles atq; luctatores, vt illis nequaquam cura sit incessus & habitus, verum his omnibus omissis ad vnam tantum rem intẽti sint, quo pacto, scilicet, & aduersarios feriant, & ipti illorum ictus eludant. Stat ecce diabolus dentibus stridens, ac modis omnibus te prosternere cupiens, dum tu circa huiusmodi diabolicum prorsus ornatum versaris attonita.

15

16

Isa. 16.

17 IDEM inquit: Tale sit hominis vestimentum, vt tantummodo contegatur. Propterea enim nobis ista tribuit Deus, vt operiamus nuditatẽ, hoc autem qualecumque vestimentum valet efficere, quod parui sit pretij. Infra: Quid enim opus est plurimis aureamentis? Eis enim, qui in scena sunt ista conueniunt. Hæc illarum sunt indumenta mulierum, hoc est, meretricum, quæ omnia ad hoc faciunt, vt libenter spectentur. Quæ autem pietatem confitetur non ita se debet ornare. Habes namq; ornatum satis illo maiorem, habes tu spectaculum, ad illud te spectaculum compone illo te ornatu circundato. Quod ergo tibi est spectaculum? Cælum, angelorum innume-

Hom. 28. in c. 12. epist. Pauli ad Hebræos.

innumera multitudo. Talibus circundator vestimentis, vt illos exhilares. Si te aureis ornamentis, & pretiosissimis indumentis ingrediaris spectaculum cæli, cõfestim te spectatores abijciũt. Illic enim non est opus aureis

Ps. 44. indumentis, sed illis de quibus dixit propheta; In fimbrijs aureis circundata varietate, non vt candidum corpus efficias & splendores adijcias, sed vt animam tuam aureis reddas virtutibus decoratam. Ipsa quippe est, quæ in illo spectaculo certamen aggreditur, omnis quippe gloria filiæ regis ab intus. His indue te, & laboribus te plurimis liberabis. Nam & virum tuum cura exoneras, venerabilis viro cum rebus non egueris plurimis. Infra: In ecclesiã ita ornatam procedere fœminam valde ridiculum est. Nonne audiunt vt se ipsas ornent, non auro, non margaritis, non vestibus

18 pretiosis? Cur ergo ingredieris, ò mulier, nisi velut repugnans Paulo, & ostendens, quoniam etiam si millies hoc dicat, tu minus aduertis? Dic mihi si quispiam paganus audiat cum legitur locus iste in quo hæc beatus præcipit Paulus, quid de vobis existimet? Aut si quisquam paganus habens mulierem fidelem, cognoscat, quoniam mustam curam gerit componendi se, & ornandi, & circundandi aureis vestimentis, pergat autem ad Ecclesiam, & ad

1. *Tim.* 2. uertat Paulum commonẽtem, neq; auro, neq; margaritis, neq; veste pretiosa debere mulierem ornari, nõne statim dicit ad se ipsum, quid intus mulier ornatur in thalamo? quid comitur? quid auro textis induitur? Quonam ambulare disponit? Num ad Ecclesiam? Quare? vt audiat se debere vestibus ornari pretiosis? Nonne ridebit? Nonne Christianorum religionem deceptionem esse iudicabit? Propterea obsecro, vt auro textas vestes, aureaq; ornamenta pompa relinquatis, & scenis. Honesta mulier, honestate decoretur. Infra: Vis apparere pulchra, ego etiam hoc cupio, sed pulchritudinem volo, quam Deus inquirit, & concupiscit. Quem habere desideras amatorem Deum an homines? Si secundum illam pulchritudinem pulchra sis, Deus tuam pulchritudinem concupiscit, si verò secundum illam, ille quidem te horrebit, amabunt autem homines scelerosi.

19 IDEM ait: Quæ nã cõmunio molliciei cũ animi virilitate? Ornamento corporali cũ phiHom. 10. in Epist. Pauli ad Colos. losophia? Animus terrenis istis circundatus, circunspicit, quis videat, quis non videat, fastu plenus, curis detẽtus, & innumeris alijs passionibus alligatus. Quid peccatorũ catenas cõnectis? Quando tu quidẽ aurum gestas, alius verò interea perit, quando tu quidẽ tm auri insumis, vt vanã assequaris gloriam, alius verò nihil interea habet quod edat, an nõ peccata cõnectis? Christum induc non aurum. Christus induitur ab eo, qui carnis curã non facit in concupiscentijs. Vis pulchra, & honesta videri? Contenta sis creatoris tui figmento. Quid aurea ornamenta inducis, tanquam figmentum Dei correctura? Infra: Quando vehementer ornaris, ò mulier, tunc nuda quauis turpior facta es. Decorum exuisti. Erat, & Eua nuda, sed cum induta esset, tunc turpior erat. Cum enim nuda esset, gloria Dei ornabatur. Mox verò atq; peccati vestem induit, turpis facta est. Et tu quando superbiæ vestimentum induis, tunc turpior appares. Dic mihi, si quis tibi regalem dedisset vestem, tu verò supra illam seruile quoddam nacta indumentum superindueres, an non, præterquam q; dedecus committeres, pœnas quoq; merito dares? Cœli, & Angelorum Dominum induta es, & terrenis adhuc immoraris. Hoc dixi etiam si studium illud ornandi se tuto, & citra periculum posset fieri, & nullũ malum ex eo nasceretur. Quid enim ornaris dic quæso? vt viro placeas? Igitur domi hoc facias. Hic vero contrarium fit. Si enim propter placere vis viro, alijs ne cura, vt placeas. Si verò alijs placere vis, non potes placere tuo. Oportebat itaq; forũ ingredientem, aut ad Ecclesiam procedentem cunctum deponere ornatum. Filiolã habes? Vide ne damni quicquam capiat. Solent enim filiolę ad rationem educationis componi, & mores imitari maternos. Esto filiolæ tuæ, castitatis, & modestiæ exemplar.

20 HIERONYMVS inquit: Propheticus hic sermo nequaquã proferatur à vobis, filiæ eorum compositæ circumornatę, vt similitudo templi, & dealbatæ ad extra, vt monumenta, quæ extra auro relucent, intus autem sunt turpissima, & immunda. Huiusmodi nõ filiæ regis Christi, sed Tyri. Hæ semper in muneribus, hæ vultus impudicitia p diuites plebis capiũtur, & capiunt. Imperfectissimus mulierũ affectus. Semper in vestibus, semper in auro, lapidibus prętiosis, & ornamentis extrinsecis gloriã ponunt. Nõ sufficit eis libido innata naturæ, sed occasiones quærunt explendæ libidinis. Affectant proculdubio, vt oculi virorũ aurũ contẽplantes, & gẽmas, tandem figantur in faciẽ, vt oculorũ suorũ nutibus facilius incitent ad libidinosum incendiũ. Quid meretrix communis gloriaris in margaritis, & gemmis? Quid ad te attinet argentũ, & aurũ? Quid exaltaris in pulchritudine panni? Non est omnis caro cinis, & fœnum, massa putredinis, cibus vermiũ, & fęti dissimũ stercus? Quid in te mirandũ, quid laudandum puerorum spectaculũ? Nonne etsi laudetur gẽmarum, & metallorũ pretiositas, quã sibi natura tradidit, semper tñ cognoscetis, cinis, fœnũ, & stercus, immundũ ex immũdo productum semine. O si te velles intueri vilissima mulierum, quã verecundareris de corpore, qđ tãto cultu excolis? Cap. 29. Propterea vos charissimæ, quæ estis sponsæ, & filiæ regis æterni, sit ab intus omnis gloria vestra. Sedete ad dexterã sponsi in vestitu nõ exteriori, sed interiori, deaurato auro charitatis, sit vndiq; vestis circũdata varietatibus, vt iã nihil in ornamentis de virtutibus desit. Sint myrrha, & gutta, & casia, à vestimentis, vt in odorẽ virtutũ, & vitæ, cæteræ ad sanctitatẽ vestram adolescentulę currant de sęculo. Hunc vestrum decorẽ concupiscet rex vester, & spõsus. Sic decoratæ adducemini in Templum Regis. Sic secum ma-

In Regula Monacharũ ad Eustochiũ c. 28. To. 9.

Ps. 143.

nebitis in thalamo in lætitia, & exultatione.

21 Lib.2.in c.3 Isiæ To.4. IDEM exponens verba illa. Decaluabit Dñs verticem filiarum Sion &c. sic habet: Nũc ad mulieres propheticus sermo conuertitur, ne se alienas arbitrentur à crimine ob quarum delicias, & luxuriam depasti sunt exactores vineã Dñi. Præmiserat .n. pro eo, ꝙ eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorũ ibant, & plaudebant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decaluabit Dñs verticem filiarum Sion &c. Vtendum est hoc testimonio aduersum Ecclesiæ fœminas, quæ ambulant collo extento, & nutibus loquũtur oculorũ, & plaudunt, tã manibus, q̃ pedib⁹. Decaluabit Dñs verticem filiarum Sion, & crinem earũ nudabit, & pro ornamento erit ignominia &c. Et erit pro suaui odore fœtor, & ꝓ zona funiculus, & pro crispanti crine caluitiũ, & pro fascia pectorali cilicium. Quãdiu protegimur crine homines nos putãt sepulchra dealbata. Cum autem patuerit, quod occultũ est auferetur vniuersa cæsaries, & fœtida caluities omnibus apparebit.

22 In c.2. Epi. Pauli ad Titũ To.8. IDEM explicans verba illa; anus similiter in habitu sancto, ait: Solent hæ ætates circuire domos ociosæ, verbosæ, & curiosæ, suntq; pluri mæ, quę nec canos suos erubescunt, & ante gregem nepotum trementes virgunculæ componuntur.

23 lib.1. de virginibus Tomo 5. AMBROSIVS sic habet: Quanta hęc amentia effigiem mutare naturæ, picturã quęrere, & dũ verentur maritale iudiciũ, prodere suũ. Quęsitis coloribus ora depingunt dũ viris displicere formidãt, & de adulterio vultus meditantur adulterium castitatis. Dum alij studet placere, prius sibi ipsa displicet. Quem iudicem mulier, veriorem requirimus deformitatis tuæ, quam te ipsam, quæ videri times? Si pulchra es, quid absconderis? Si deformis, cur te formosam esse mentiris, nec tuæ conscientię nec alieni erroris gratiam habitura? Ille enim alteram diligit, tu alteri vis placere, & irasceris si amet aliam, qui adulterare in te docetur. Male magistra es iniuriæ tuæ. Ac licet vilis mulier, non alteri tamen, sed sibi peccat, tolerabilioraq; propemodum in adultero crimina sunt. Ibi enim pudicitia hic natura adulteratur. Iam quanto prætio opus est, ne etiam pulchra displiceat? Hinc prætiosa collo depẽdent monilia, inde per humum vestis trahitur deaurata. Quid quod etiam odorum variæ adhibentur illecebræ, gemmis onerantur aures, oculis color alter infunditur? Quid ibi remanet suum, vbi tam multa mutãtur? Infra: cernis, vt pomparum ferculis similis incedat, quæ se componit, vt placeat, omnium in se vultis, & ora conuertens, eo ipso quo studet placere deformior. Prius enim populo displicet, quam placeat viro. At in vobis reiecta decoris cura plus placet, & hoc ipsum, quod vos nõ ornatis, ornatus est. Certè lacerare vulneribus aures, & depressæ onera miseræ ceruicis, nõ sunt alleuamenta pœnarum, sed discrimina metallorũ. Hinc collum catena constringit, inde pedem compes includit. Nihil refert auro corpus oneretur an ferro. Si ceruix præmitur si grauatur incessus, nil prætium iuuat, nisi quod vos mulieres ne pereat vobis pœna trepidatis. Hinc vos etiam miserabiliores, quam qui publico iure damnantur, quod illi optat exui, vos ligari.

24 Ep.15. ad Irenẽũ To.5, *Deut.22.* IDEM causa reddetis cur lex prohibuerit mulieres vti veste virili, atq; viros indui stola muliebri. ait; Sic scriptum est: Non erit res viri super mulierem, neq; induetur vir stolam muliebrem, quia immundus est domino omnis qui fecerit hoc. Et si vere discutias incongruum est, quod ipsa abhorret natura. Cur enim homo non vis videri esse, quod natus es? Cur alienam tibi assumis speciem?

25 Lib.6. Exameron c. 8. Tomo 2. Infra: Quam deforme est virum facere opera muliebria. Ergo & pariant, ergo parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ. Et tamen illæ velantur isti belligerantur. Verum habeant excusationem, qui patrios vsus sequuntur, sed tamen Barbaros, vt Persæ, vt Gothi, vt Armenij. Quid de alijs dicimus, qui hoc ad luxuriam deriuandum putant?

IDEM ostendens, quomodo homo sit ad imaginem Dei, ait: Pictus es homo à Domino Deo tuo bonum habes artificem, atq; pictorem noli bonam delere picturam, non fuco, sed veritate fulgentem, non cera, sed gratia. Deles picturam mulier si vultum tuum materiali candore oblinias, si acquisito rubore perfundas, illa pictura vicij non decoris est, fraudis nõ simplicitatis, illa pictura fallit, vt neq; illi placeas cui placere desideras, qui intelligit non tuum, sed alienum esse, quod placeas, & tuo displices authori, qui videt opus suum esse deletum. Dic mihi si supra artificem aliquem inducas alterum, qui opus illius superioris nouis operibus obducat nonne indignatur ille qui opus suum adulteratum esse cognouerit? Noli tollere picturam Dei, & picturam meretricis assumere, quia scriptum est, Tollam ergò membra Christi, & faciam membra meretricis? Absit. Graue est enim crimen, vt putes, ꝙ melius te homo, quam Deus pingat. Graue est, vt dicat de te Deus, non agnosco colores meos, non agnosco imaginem meam, non agnosco vultum quem ipse formaui, reijcio ego, quod meum non est, illum quære, qui te pinxit, cum illo habeto consortium. Quid respondebis? *1. Cor. 6.*

26 Lib. de Naburthe Israelita c. 5. IDEM diserens de diuitum auaritia, & crudelitate in pauperes, inquit: Sed fortasse redeas domum, cum vxore conferas, illa te hortetur, vt redimas venundatum, immò magis hortabitur, vt mundum muliebrem cõferas. Illa tibi imponit sumptuum necessitatem, vt gemma bibat, in ostro dormiat, in argentea sponda recumbat, auro oneret manus, ceruicem monilibus. Delectantur, & compedibus mulieres, dummodo auro ligentur: non putant onera esse si pretiosa sint, non putant vincula esse si in his thesauri corruscent: delectant, & vulnera, vt aurũ auribus inseratur, & margaritæ dependeant. Habent, & gemmæ pondera sua, habent & vestimenta frigora sua. Sudatur in gemmis, algetur in sericis, tamen prætia iuuant, & quæ natura auersatur commendat auaritia. Smaragdos, & hyacinthos, berillum, topazion, amethistum &c. summo quærunt sudore, vel si dimidium patrimonij petatur, non parcunt dispendio, dum indulgent cupiditati.

27 In c.2.Ep.1 Pauli ad Timot. To.3. IDEM explicans verba illa: Similiter, & mulieres in habitu ornato cum verecundia ornantes se, non in tortis crinibus, aut auro, & margaritis, aut veste ꝓtiosa, ait: humili habitu mulieres orare debere, non in iactantia. Qui enim vult audiri inclinare se debet, amota à se pompa, vt misericordiam Dei prouocet. Habitus enim superbus, nec impetrat, nec recta de se facit credi. Quis enim prudentium iactanter ornatam mulierem non horreat? Quanto magis author Deus, qui corpus à se liberum factũ metallis videt? Nam humilis habitus bonæ professioni congruit, vt posit non aliud æstimari quam cernitur. Quæ autem in domo Dei cum pompa se mauult videri, non vtiq; propter Deum, sed propter homines, consequitur quod vult, vt glorioſa videatur, nihil consecutura à Deo nisi maculam. Quanto enim hominibus splendida videtur, tanto magis despicitur à Deo.

28 Epist.73.ad Possidoniũ. Tomo 2. AVGVSTINVS ait: Nolo de ornamentis auri, vel vestis præproperam habeas in prohibendo sententiam. Illi enim cogitant quæ sunt mundi, quomodo placeant, vel viri vxoribus, vel mulieres maritis, nisi ꝙ capillos nudare fœminas, quas ẽt caput velare Apost. iubet, nec maritatas decet. Fucari autẽ pigmentis, quo vel rubicundior, vel cãdidior appareat, adulterina fallacia est, qua non dubito etiã ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittendæ sunt fœminæ ornari secundum veniam, non secundum imperiũ. Nã verus ornatus maximè christianorũ, & christianarum, non tm̃ nullus fucus mendax, verum ne auri quidem, vestisq; põpa, sed mores boni sunt.

29 Lib.4.de doctrina Christiana To.3 IDEM: Duo adducit testimonia contra fucum mulierum vnũ Cypriani in Epist. de habitu virginum, vbi post alia ait: Quòd ornari te putas, ꝙ putas comi, impugnatio est ista diuini operis, ꝙuaricatio est veritatis. Vox est Apostoli: Expurgate vetus fermentum &c. Itaq; festa celebremus in azymis sinceritatis, & veritatis. Num sinceritas perseuerat, & veritas, quando, quæ sincera sunt, polluuntur, & colorũ adulterinis medicaminum fucis in mendaciũ vera mutantur? Dñs tuus dicit non potes capillum vnũ album facere, aut nigrũ, & tu ad vincendã Dñi tui vocẽ vis te esse potiorẽ audaci conatu & sacrilego contẽptu? Crines tuos inficis, malo p̃sagio futurorũ, capillos iam tibi flãmeos auspicaris, quales in inferno sunt futuri. Testimonium Ambrosij lib. 1. de virginibus adducit, quod nos retulimus iam. *1.Cor.5.*

30 lib.2.de sermone Domini in mõte. To.4. IDEM inquit: Qui immoderato cultu corporis, atq; vestitu, vel cęterarũ rerum nitore p̃fulget, facilè cõuincitur rebus ipsis, pomparum sæculi esse sectator. Qui autem in professione christianitatis inusitato squalore, ac fordibus intentos in se oculos hominũ facit, ceteris eius operibus potest cõijci vtrũ hoc contẽptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat, quia & sub ouina pelle cauendos lupos dñs præcepit, sed ex fructibus, inquit, eorum cognoscetis eos. Sed non propterea ornatu superfluo, debet aspectus hominũ mulcere christianus, quia illum parcum habitum, ac necessarium, etiam simulatores sæpius vsurpant, vt incautos decipiant. Quia & illæ oues non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contegant.

31 Ser.247. de tempore. Tomo 10. IDEM sic habet: Habitus impudicus corporis, nuncius est adulterini cordis, impudicus autem habitus corporis sui in viris, superflua, & inordinata capillatura, vestimentorũq; muliebrum affectata similitudo, calceamentorum quoq;, metas necessitatis excedens. In mulieribus facies fucata, capillorum natiui coloris adulteratio. Hic habitus in vtroq; sexu adulterinus est, & à conspectu tanti spõsi prorsus amouendus. Nec silentio præterire hoc debent amici sponsi diligentes decorem domus Dei. Qui enim formam, quam omnipotens, & prudentissimus plasmator finxit, in aliã transfigurare contendit, nonne euidenter dicere ei videtur, qui se finxit, cur me fecisti sic? Improba temeritas, conditoris plasmata vilificare, vt formam, quantum in se est, in aliud transfiguret. Nec ista dicimus à nobis. Habemus patres nostros doctores egregios, qui irrefragabili authoritate ista damnauerũt. Audiuimus Paulum de superflua capillatura dicẽtem. Vir si comã nutriat, ignominia est illi. Audiamus Cyprianum de adulterino habitu disputante, ait enim: Opus Dei, & factura eius nullo modo adulterari debet in habitu flauo colore, vel nigro, vel quolibet deniq; lineamenta naturæ corrumpente medicamine, dicit enim Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrã, & audet quisquã mutare, & conuertere, qd̃ fecit Deus? Manus Deũ offendunt, qñ id, qd̃ ille formauit, reformare, & transfigurare cõtendunt, sciẽtes qd̃ opus Dei est omne qd̃ nascitur, diaboli quodcũq; mutatur. Et in sequentibus: Non metuis ne cũ resurrectionis dies venerit artifex tuus nõ te recognoscat, & ad sua p̃mia, & promissa veniẽtẽ remoueat, & excludat dicens opus hoc meũ nõ est, nec imago hęc nostra est, cũ te flauo medicamine polluisti, cũ formã, quã dederã tibi, mẽdacio deformasti. Facies corrupta est, mẽbra aliena sunt, Deũ videre non poteris, qm̃ oculi tibi nõ sunt, quos Deus fecit, sed quos diabolus fecit. Maneat in vobis facies incorrupta, forma sincera, à calciamentis superfluis pedes liberi, crines nullo colore fuscati, oculi conspiciendo Deũ digni. Sicut portauimus imaginẽ terreni, sic portemus imaginẽ cœlestis. Empti estis prętio magno, glorificate, & portate Deum in corpore vestro. Deũ enim in corpore nostro portamus, cum imaginem eius per immundas, & prophanas adinuentiones non deforma- 32 *1.Cor.11.* *1.Cor.15.* *1.Cor.6.*

mus,& sic imaginẽ suã in nobis recognoscet.

Inferni, ac Purgatorij pœnæ describuntur, quas considerare vtilissimum est.

Cap. III.

1 Hom. 8. in lib. Num. Tomo 1.

ORIGENES sic habet: Si peccator sum,nũquid eadem mihi erit pœna si semel peccaui,quæ etsi secundo, & tertio, & si frequentius peccemus? Nõ ita erit: sed pro modo, & numero, & mensura peccati etiam pœnæ quantitas metienda est. Deus enim dabit nobis panem lachrymarum, & potabit nos in lachrymis,sed in mẽsura:mensura autẽ hęc erit, quam sibi vnusquisq; vel minus, vel amplius peccando quæsierit. *Ps. 79.*

2 Hom. 5. in c. 31. Num.

IDEM inquit: Tempus belli nobis est in hoc mundo, pugna aduersus Madianitas est, siue aduersum vitia carnis nostræ, siue aduersus contrarias potestates. Spectat nos Angelorum chorus,quomodo de hoc prælio reuertamur. Quid vnusquisq; nostrum reportet sollicitius perscrutantur, quis nostrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quisvè lapides deferat pretiosos. Requirunt etiam si quis æs deferat, aut ferrum, aut plumbum, sed & vas ligneum. In magna enim domo non solum sunt vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia. Requiritur ergo diligenter, cum abierimus illuc, quid vnusquisq; nostrum deferat, & secundum ea, quæ detulerit etiam mansionis ei meritum deputabitur. Probantur tamen omnia hæc. Vniuscuiusq; enim opus quale sit ignis probabit, propterea ergo ait: Hæc est institificatio legis quam constituit Dominus Moysi, præter aurum,& argentum, & æramentum, & ferrum, & plumbum, & stamnum, & omnis res,quæ transit per ignem, & mundabitur. Omnia quæcunq; non transeunt per ignem, transibunt per aquam,& lauabitis vestimenta vestra die septima,& mundi eritis, & post hæc introibitis in castra. Vides quomodo purificatione indiget omnis qui exierit de prælio vitæ huius. Considera enim diligenter, quid indicet historiæ textus. Exierunt isti pugnare pro filijs Israel, interfecerunt Madianitas, interficientes autem eos quantum ad historiæ ordinem spectat, placuerunt Deo, voluntatem eius implentes,tamen hoc ipso,q̃ interfecerunt aduersarios immundi dicuntur effecti, & propterea dicitur ad eos, Et lauabitis vestimenta vestra die septima, & mundi eritis, & post hæc intrabitis in castra. Ergo hi, qui pugnant pro eo ipso, quòd contigerunt hostes immundos, & habuerint cũ eis certamen, polluti sunt. Et ego ergo etiã si vincere potuero Diabolum,etiam si cogitationes immundas, quas cordi meo suggerit, calcare potuero, hoc ipso tamen pollui me, & ero quidem beatus, quod eum superare potui, immundus tamen sum, & pollutus, qui pollutum cõtigi, & ob hoc purificatione egeo. Oẽs ergo purificatione indigemus, immò purificationibus, vt homo purificatus, & mũdus possit ingredi Sanctam Ciuitatem.

3 *Num. 31.*

4 Hom. 5. in Ps. 28.

BASILIVS explicans verba illa, vox Domini intercidentis flammam ignis,inquit: Quãquam indiuisibilis, & insecabilis humanis sensibus videatur ignis,verũtamen ad præceptũ Domini interciditur, ac diuiditur. Existimo aũt, q̃ ignis ad suppliciũ diabolo, & angelis eius paratus, Domini voce interciditur. Quoniam duo sunt in igne potissima, vstiua vis,& illustratoria, comburere, & lucere. Vis prior ignis accerrima quidẽ, ad pœnas irrogãdas reposita est his, qui vstione sunt digni: altera,nempè splendiflui sui luminis difusiua, velut sortito succedet ijs,qui claritate perfruituri sunt gaudij perennis. Vox itaq; Domini intercidentis flammam ignis, ac diuidentis, ita vt obscurus quidem sit ignis supplicij, vi verò comburendi careat lux illa refocillationis, quæ est in cœlis.

5 Hom. 44. in c. 12. Math.

CHRYSOSTOMVS inquit: Nõ ignoro multos, etiam nunc in Pharaonis impietate viuere, qui non in rubro mari demergẽtur, sed in ignis fluuium,atq; pelagus intrudẽtur, pelagus impertransibile,atq; magnitudine acerbissimũ,in quo ignei fluctus,montiũ instar eriguntur,ignei dico,nõ huius ignis, sed ignis certè multò quam hic horribilioris, cuius flãma maximam conficit abyssum, ita vt vndiq; ignis, immanissimæ similis feræ transcurrere videatur. Quod si sensibilis istæ,atq; materialis eos, qui extra fornacem erant absorpsit, quid iste ignis faciet peccatoribus. Et audi, quid Prophetæ de illo die præcinuerũt. *Isa. 13.* Dies Domini incurabilis, furore, ac ira plenus. Nullus enim erit, qui iuuare possit, nunquam iucundam,& tranquillam Christi faciem perspicere poteris. Verum quemadmodum, qui ad metalla destinantur, acerbis ita traduntur hominibus,vt nullos amicorum postea, sed solos eos, qui præsunt videant,simile quid tunc etiã erit. Imò verò asperius, atq; truculentius. Nam hic quidem accedere nonnunquam ad Principes,atq; rogare pro condẽnatis possumus, ibi aũt non amplius licet, sed perseuerabunt in tanto dolore, atq; molestia, quantũ nec dicere homini possibile est. Nãsi accerrimos,quos iste ignis,& hæc flãma dolores infert,oratione assequi nõ possumus, quid de illo dicemus? Præsertim cũ hic vno temporis momẽto in ignẽ positus homo expiret, ibi aũt crematur quidẽ ac dolet, sed nequaquam qd crematur consumitur. Putas autẽ consolationem tibi inde futurã, si vna cum diabolo puniaris? Minimè certè. Quid porrò Ægyptij? Nonne magistratus etiã suos, & singulas principũ domos eisdem vlceribus vexari videbãt?An igitur putas ea de re illo respirasse?Ne quaquã.Friuola.n.atq; facilis hęc ratio,ne credas si cũ alijs puniaris cõsolari te posse. Podagricos tibi ante oculos pone,q̃ qñ acutis cõpũguntur dolorũ stimulis, etsi mille offerre vehemẽtius dolẽtes,ne respicere qdẽ dignãtur. Nõ enim

enim patitur intensus dolor,vt quasi ocioso de cęteris cogitẽt,ac inde cõsolẽtur. Minimè igit nos huiusmodi spes alat:nã cõsolatio q̃ à malis aliorũ originem trahit,in mediocri afflictione locum habet. Quando autẽ magnus est cruciatus,& anima vexata nimiũ adeo fluctuatur, vt se ipsam quoq; ignorare videatur,vnde fructũ consolationis excerpere poterit? Quid erit in cruciatu pœnarum,quẽ stridor dentiũ ingeret? Ideo molestus forsan vobis sum, & dolorẽ his verbis infero,sed quid faciã? Vellẽ itaq; mihi', & vobis conscius esse virtutis, vt hæc dicenda nõ viderentur. Oro atq; obsecro, vt qñ de gehenna quicquã audimus cõpungamur. Nihil enim certè hoc sermone iucũdius est,nihil his rebus amarius. Et qũo inquies,de gehẽna audire quicquã,ac dicere iucundum esse asseris? Quippe qm̃ res tristis est, idcirco qui ab ea re procul se amouent,sermones suauissimi sunt. Præterea hæc audiendo aĩa ad se cõuertitur,& cautior facta effertur altius,& volat sublimius malignę cupiditatis expulsa tyrãnide. Ita hæc de gehẽna verba,ne in gehẽnã venias efficiũt.

7 Ho. 10. in c. 5. Epist. 2. Pauli ad Corinth. Tomo 4.

IDEM: De gehenna diserens ait: Nã parum esse putas pœnã,in choro Sanctorum non constitui,ineffabilẽ gloriã non assequi? Ab illo cœtu,& ineffabilibus bonis procul abijci? Quãdo aũt,& tenebræ erunt,& stridor dentium, & vincula insolubilia,& vermis immortalis,& ignis inextinguibilis, & tribulatio,& angustia, & linguæ quæ cruciãtur,sicut illa diuitis,& ploramus,& nullus audit,& ingemiscimus,& rigamur à doloribus,& nullus attendit,& in oĩa loca respicimus,& nusquã adest, qui consoletur, quid animabus illis miserius? quid itẽ miserabilius? Nã siquidẽ ingressi in carcerẽ,& videntes alios pallidos, alios vero vinctos, & esurientes, alios verò in tenebris conclusos concutimur,horrescimus, & oĩa ne illuc incidamus facimus,qñ adducti trahemur in gehẽnę carcerẽ quales futuri erimus? Non. n. vincula illa ex ferro,sed ex igne sunt nũquã extinguibili,neq; qui p̃sunt nobis eiusdẽ dignitatis sunt,quos vnquã demulcere poterimus, sed angeli, in quos neq; respicere licet, valde iracundi, ppea q̃ dñm tanta cõtumelia afficimus. Non est sicut hic videre ingredientes alios,qui afferant, vel pecuniã,vel cibos, vel sermones consolatione plenos,vt consolationẽ assequamur,sed oĩa illic veniã negant, etiã si Daniel,Iob,& Noè affuerint,& suos viderint puniri,non audent patrocinari.Futurũ enim tunc est,vt & naturalis compassio tollatur,& illos contra sua viscera, cum Domino suo indignari. Proinde nullus speret accepturum se aliquid boni, si nulla bona fecerit,etiam si sexcentos habeat progenitores iustos. Audiamus igitur,& nos,etiam si ignem concupiscentiæ habueris, oppone aliũ ignem, & hic statim extinctus euanescit; etsi volueris quid absurdum loqui, cogita stridorem dentium, & frenũ erit tibi timor; etsi rapere volueris, audi iudicem præcipientem, ac dicentem: Ligatis manibus, & pedibus proijcite illum in tenebras exteriores, & sic etiam hãc cõcupiscentiã eijcies; etsi ebrietati,ac crapulæ vacas, audi diuitem dicentem: Mitte Lazarum,vt extremo digiti in aquam misso refrigeret linguam meã,quia crucior in hac flãma, & liberaberis nõ vulgari passione: si aũt amaueris voluptatem,cogita quanta illic tribulatio,& angustia, & hanc non cogitabis: si autẽ crudelis, & immisericors es, memor esto virginum, quæ extinctis lampadibus sic à thalamo exclusæ sunt, & statim eris misericors; Sed arrodit te desiderium facultatum diuitis, cogita vermem immortalem, & facilè etiam hunc morbum depones, omniaq; alia rectè facies. Nihil enim molestum,neq; graue imperatum est. Itaq; hæc omnia cogitantes, ne admiremur eos,qui in delicijs agũt,sed cogitemus quis illorum finis, ne admiremur raptores, sed cogitemus quis illorum finis. *Luc. 16.*

8

9 libro 6. in c. 14. Isaiæ. Tomo 4.

HIERONYMVS exponens verba illa; Detracta est ad inferos superbia tua,cõcidit cadauer tuum,subter te sternetur tinea, & operimẽtum tuum erunt vermes, ait: Hæc requies est diaboli, iste lectus tentatoris. Putredo,& tinea,& operimentum vermiũ,pœnę intelliguntur æternæ,quas propria gignit cõscientia,vel suppliciorũ materia, quæ ex proprijs peccatis nascitur. Sicut enim quãdiu cadaueris materia est, & aliquis humor in cadauere, vermes nascũtur ex putredine, sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. *Isa. 66.*

10 Lib. 18. in c. 65. Isa.

IDEM exponens verba illa,qui immolant in hortis, & sacrificant super lateres, ait: Lectio septuaginta interpretum sic habet: Adorant incensum super laterem dęmonibus qui non sunt. Dicunturq; dæmonia non subsistere, quia nã à Deo qui verè est exciderũt. Vnde & Hester loquitur ad Dominum; Ne tradas hęreditatẽ tuam his qui non sunt. Et sanctus precatur in psalmo: Remitte mihi, vt refrigerer priusquã abeã,& amplius non ero. Qui enim dũ in hoc viuit corpore, veniã peccatorũ non fuerit consecutus,& sic de vita excesserit, Deo perit,& illi esse desistit, licet sibi subsistat in pœnis. Infra: Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. Cuius testimonij sensus est, q̃ ignis Dei, atq; vindicta semper ardeat peccatoribus, & eos vsq; ad inferos persequatur. Qualis erat diues ille purpuratus, qui requiescente Lazaro in sinu Abrahæ, æternis torquebatur ardoribus. De quo igne, & in Deuteronomio subditur; Ignis succẽsus est in furore meo &c. deuorabitq; terram cũ germine suo,& mõtium fundamenta cõburet, & sagittæ meæ consument eos. Terram, idest carnẽ nostram, eadem flamma cõburet, & fundamenta montium quæ se eleuant contra sciẽtiam Dei. Ipsos quoq; montes, Dei iacula disperdent, & humiliati in pœnis, montes esse desistant. *cap. 14. Ps. 38. Luc. 16. Deut. 32.*

11 Lib. 1. in c. 1 Lam. Hier.

IDEM explicans verba illa,plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius, non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius, inquit: Decepta anima diabolica suggestione in noctem veniet futuræ perditionis. Vbi gemitum dabit perpetuum sine vlla consolatione.Ipsi enim spiri-

Mat. 22.

tus maligni, qui eam ante per illecebras voluptatum in diuersa trahebant, tandem in tenebris exterioribus cõstitutam perpetuis cru
Tren. 1. ciatibus punire non cessant. Infra: Recordata est Hierusalem afflictionis suæ, & præuaricationis omniũ desiderabilium suorum, quæ habuerat à diebus antiquis. Maximo dolore torquetur anima, cum in pœnis constituta iã sero dolet se, tunc negligentem fuisse, quando per bona opera potuit sibi subuenire. In infer no cum dæmonibus cruciata infructuosè peccata præterita deplorat, iuxta illud, quod, scri-
Sap. 5. ptura teste impij, in inferno dicturi sunt. Ergo errauimus à via veritatis, & sol iustitiæ nõ est ortus nobis, lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viã autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Transierunt illa omnia, tanquã vmbra mortis, in malignitate autẽ nostra consumpti sumus. Tunc & ipsi spiritus maligni derident ociũ, quod negligentes inutiliter
Tren. 1. duxerunt per præsentis vitæ spacium. Vnde & nunc per Prophetam dicitur: Viderunt eã hostes, & diuiserunt sabbata eius.

12 AVGVSTINVS refert reuelationẽ mi
in Epist. 206 quæ est Cyrilli Hierosolymitani Episcopi. Tomo 2. rabilẽ, qua ingentes Purgatorij pœnę cõuincũ tur, quã retulimus supra lib. 4. cap. 1. Tomo 3. libro de spiritu, & anima, de cruciatu malorũ in inferno disputans ait: miseris mors est sine morte, & finis sine fine, defectus sine defectu. Quia & mors semper viuet, & finis semper incipiet, & defectus deficere nesciet, mors perimet, & non extinguet, dolor cruciabit, & pauorem non fugabit, flamma comburet, sed tenebras non discutiet. Erit enim in igne obscuritas, in obscuritate pauor, in combustione dolor. Ita reprobi ignibus inferni traditi in supplicijs dolorem sentiẽt, & in doloris angustia pauore ferientur, & semper tolerabunt, & semper timebunt, quia sine fine semper cruciati viuent, sine spe veniæ, & misericordiæ, quod est miseria super miseriam. Si enim post tot millia annorũ, quot capillos habuerunt omnes quicũq; fuerunt & erunt, pœnas suas finiri speIsa. 66. rarent, multò leuius eas sustinerent. Sed quia spem non habent, nec habebunt, desperatione deficient, & ad tormenta non sufficient. De his per Isaiam scriptum est. Vermis eorũ non
13 morietur, & ignis eorum nõ extinguetur, quia nec ipsi consumentur. Vermis conscientiã corrodet, ignis carnẽ comburet, quatenus qui authori suo corde, & corpore deliquerunt, corde simul, & corpore puniantur, cum anima à beata vita separata erit, & corpus æternis supplicijs subiacebit. Ibi erit metus, & mœror, luctus, & dolor. Tunc verè nihil lugere erit nisi flere, quia pœnitere tunc nulli poterit valere, ibi erit tortor cędens, vermis corrodens, ignis consumens. Peccata detegentur, rei puniẽtur, & hoc totũ perenne. Dolor cõbustionis eos foris cruciabit, pœna cęcitatis intus obscurabit. Videbunt autẽ illa teterrima monstra dæmoniorũ, & laruales facies eorũ. Videbunt etiã tormenta inferni, & in tormentis sequaces suos, quos inordinato amore cõtra Dei præcepta amauerunt, quatenus illorũ interitus eos in augmento damnationis suæ affligat: Deũ autem non videbunt, quod est omnium miseriarum miserius. Quis enim dicere potest, quãta pęna erit non videre Creatorem, & plasmatorem oĩum, Redemptorẽ, & Saluatorẽ fidelium, per quẽ sumus, & sapimus? Idcircò necesse est, vt nos vndiq; circunspiciamus, & vbiq; custodiamus. Quisquis meminit illicita se cõmisisse studeat à licitis abstinere, & qui ꝓhibita cõmittit, sibimet abscindat cõcessa, & repræhendat se in minimis, qui meminit se deliquisse in maximis.

14 IDEM explicans verba illa. Mat. 13. Pri-
Ser. 39. de Sanctis. Tomo 10. mum colligite zizania, & alligate ea in fascicu los ad cõburendum, ait: Ligate fasciculos, hoc est rapaces cum rapacibus, adulteros cũ adulteris, fornicatores cũ fornicatoribus, homicidas cum homicidis, auaros cum auaris, iracundos cum iracundis, falsos testes cum falsis testibus, fures cũ furibus, derisores cũ derisoribus, similes cũ similibus. Hi sunt fasciculi ad cõburẽdũ. Fratres expauescere, & timere debemus, de tã breui saturitate, de tã longa fame, de tam lõgis tenebris, de tã breui luce. Infra Ser. 40. Væ illis hominibus, qui habebunt mansionem cum Diabolo, ex qua ascendet fumus tormentorum in sæcula, quorũ vermes non morientur, & ignis non extinguetur: in qua nulla vox nisi gemitus, nulla requies, sed semper inquietudo: in qua nullũ habebũt refrigeriũ, sed semper flãmam, vbi lux nunquã videbitur nisi tenebræ, & non venient vnquã in memoriã ante Deum: quorum cibus est cruciatus, & mansio eorũ cum Diabolo, & nulla visitationis pœna.

15 IDEM postquam de Purgatorio explicuit
Ser. 41. de Sanctis, qui est de Purgatorio. locũ Pauli 1. ad Corin. 3. Si quis ædificat super fundamentũ hoc, lignũ, fœnum, & stipulã &c. si cuius opus arserit detrimentũ patietur, ipse aũt saluus erit, sic tñ quasi per ignem, addit: Ip si in illo purgatorio igne tãdiu moras habebimus, quãdiu supradicta peccata minuta lignũ, fœnũ, stipula consumantur. Sed dicet aliquis, non pertinet ad me quãdiu moras habeam, si tamen ad vitã ęternam perrexero. Nemo hoc dicat fratres charissimi, quia ille purgatorius ignis durior erit, quã quidquid potest in hoc sæculo pœnarũ videri, aut cogitari, aut sentiri. Et cũ de die iudicij scriptũ sit, ꝙ erit dies vnus Isa. 89. tanquã mille anni, & mille anni tanquã dies vnus, vnde scit vnusquisq; vtrũ diebus an mensibus, an fortè ẽt & annis per illum ignẽ sit transiturus? Et qui modo nec vnũ digitum suũ in igne vult mittere, timeat necesse est, vel tunc paruo tpe cruciari. Et ideo totis viribus vnusquisq; laboret, vt capitalia crimina possit euadere, & minuta peccata ita operibus bonis redimere, vt de ipsis nihil videatur remanere, quod illæ ignis possit absumere.

16 GREGORIVS exponens illa verba Iob
in libro 15. moral. cap. 8. Tomo 1. 20. cap. Affligetur relictus in tabernaculo suo inquit: Iniqui tabernaculũ caro est, quia ipsã lætus inhabitat, & si fit possibile optat, vt eam nunquã relinquat. Quam videlicet carnẽ cũ in resurrectione receperit, cũ ea gehẽnæ igni traditus

ditus ardebit; tunc ab ea educi appetit, tunc eius tormenta euadere, si valeat, quærit, tunc incipit velle vitare, quod amauit. Sed quia eandem carnem Deo præposuit, iudicante Deo agitur, vt ex ea amplius in igne crucietur. Hic itaque eam relinquere non vult & tamen ab ea abstrahitur, illic eam relinquere appetit, & tamen in ea propter supplicia seruatur. Ad augmentum itaque tormenti, & hic de corpore, nolens educitur, & illic in corpore tenetur inuitus: & propterea de talibus dicitur: Affligetur relictus in tabernaculo suo.

17 IDEM explicans verba illa Iob: Antequã
Lib. 9. Moral. cap. 38. Iob 10. vadam, & reuertar ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, sic habet: Quid terræ tenebrosæ nomine nisi terra tartari claustra signãtur, quæ æternæ mortis caligo operit, quia damnatos quosque in perpetuum à vitæ luce disiungit. Nec immerito infernus terra dicitur, quia quicumque ab eo capti fuerint stabiliter tenentur. Recte igitur inferni claustra tenebrosa terra nominãtur, quia quos puniendos accipiunt, nequaquam pœna transitoria vel phantastica imaginatione cruciãt, sed vltione solida perpetuæ damnationis seruant. Quæ aliquando etiam laci appellatione
Ezec. 16. signantur, propheta attestante, qui ait: Portauerunt ignominiam suam cum his, qui descendunt in lacum. Infernus ergo & terra nominatur, quia susceptos stabiliter tenet, & lacus dicitur, quia hos, quos semel cœperit, semper fluctuantes, & trepidos tormentis circũfluentibus absorbet. Loca autem illa dicuntur miseriæ & tenebrarum. Miseria ad dolorem pertinet, tenebræ ad cæcitatem, quia foris dolor cruciat, quos diuisos a vero lumine intus cæcitas obscurat, vbi vmbra mortis & nullus ordo, vmbra mortis est obscuritas diuisionis, quia damnatus quisque, cum æterno igne succenditur, ab interno lumine tenebratur. Natura ignis est, vt ex seipso & lucem exhibeat,
18 & concremationem. Sed vltrix illa flamma vitiorum concremationẽ habet, & lumen non
Matt. 22. habet. Vnde tenebræ exteriores vocantur.
Psal. 57. Vnde Psalmista ait: Super eos cecidit ignis & non viderunt solem. Ignis enim super impios cadit, sed sol igne cadente non cernitur, quia illos, quos gehennæ flamma deuorat à visione veri luminis cæcat, vt & foris eos dolor combustionis cruciet, & intus pœna cæcitatis obscuret, vt simul corde & corpore puniantur, & vtrobique pœnas sentiant, qui dum hic viuerent, prauis suis delectationibus ex vtroq; seruiebant. Vnde bene per prophetam dicitur:
Ezec. 32. Descenderunt in infernum cum armis suis. Arma quippe peccatorũ sunt membra corporis, quibus peruersa desideria, quæ concipiunt exequũtur. Cum armis ergo ad infernum descendere, est cum ipsis quoq; membris, quibus desideria voluptatis expleuerunt æterni iudicij tormenta tolerare.

19 IDEM explicans verba illa, vbi nullus or-
Iob 10. do, sed sempiternus horror inhabitat, postquam ostendit in inferno esse ordinata tormẽta pro qualitate delictorum, quia potentes potenter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatio: & in Babylonis damna- Sap. 6. tione dicitur quantum exaltauit se, & in delitijs fuit tantum date illi tormentum & luctũ; quapropter Dominus iussit colligere zizania, Apoc. 18. & ligare ea in fasciculos ad comburendum, quia pares paribus sociantur asserit: quòd ipsa quoque supplicia, quæ ordinata per iustitiã veniunt, ordinata proculdubio in corde morientium non sunt. Quia, vt superius diximus, dum damnatur quisque foris flamma succenditur, intus cæcitatis igne deuoratur, atque in dolore positus interius, exteriusq. confunditur vt sua deterius confusione crucietur. Et sempiternus horror inhabitat. In huius vitæ tormentis timor dolorem habet, dolor timorem non habet, quia nequaquam mentem metus cruciat cum pati iam cœperit quod metuebat. Infernum vero & vmbra mortis obscurat, & sempiternus horror inhabitat. Quia eius ignibus traditi, & in supplicijs dolorem sentiũt, & in doloris angustia pulsante se semper pauore feriuntur, vt & quod timent tolerent, & rursum quod tolerant sine cessatione pertimescant. De his enim scriptum est: Ver- Isa. 66. mis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Hic flamma quæ succendit illuminat, illic ignis qui cruciat obscurat. Hic metus amittitur cum tolerari iam cœperit, quod timebatur, illic & dolor dilaniat, & pauor angustiat. Infra: Fit ergo miseris 20 mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit & finis semper incipit, & deficere defectus nescit. Supplicia in se demersos, & vltra vires cruciant, & in eis vitæ subsidium extinguendo seruant, qui & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat, mors perimit, & non extinguit, dolor excruciat, sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit. Quamuis illic ignis, & ad consolationem non lucet: & tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet. Nam sequaces quoq; suos secum in tormento reprobi, flamma illustrante, visuri sunt, quorum amore deliquerũt in augmentum suæ damnationis. Vnde pur- Luc. 16. puratus dives ad doloris sui cumulum propinquorum absentium meminit. Vnde cõstat, quia eos ad augmentum supplicij, paulo post potuit etiam præsentes videre. Tres pueri in Dan. 3. camino proiecti sunt ligatis manibus & pedibus, quos rex illæsos deambulantes vidit, ignis & vestimenta non attigit, & vincula incendit, sanctisq. viris ad inferendum tormentũ flamma fugit, & ad solutionem vinculorum exarsit. Sicut ergo electis ignis ardere nouit ad solatium, & tamen ardere ad supplicium nescit, ita e diuerso gehennæ flamma reprobis, & nequaquam lucet ad consolationis gratiam, & tamen lucet ad pœnam, vt damnatorum oculis ignis supplicij, & nulla claritate candeat, & 21 ad doloris cumulum, dilecti qualiter crucientur ostendat. In libro de vita solitaria ad fratres de mõte Dei.

BERNARDVS inquit: A cella in cælum sæpe ascenditur, vix autem vnquam a cella in

la in infernum descenditur, nisi sicut dicit psalmista: Descendant in infernum viuentes, videlicet, ne descendant morientes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assiduè contemplando, reuisere amant gaudia cælestia, vt ardentius ea appetant, sic & dolores inferni, vt horreant & fugiant. Et hoc est, quòd imprecantur inimicis suis orantes, vt descendant in infernum viuentes. *Psal.14.*

Iniurians proximum se ipsum lædit, non alterum, vnde remittere iniurias conuenientissimum est. Cap. IIII.

1 IN re hac frequentissimi sunt sancti, de quibus multa diximus supra lib.1.cap.12.& 13. quę omnia huic proposito accommodantur vltra ea, quæ ibi adnotauimus.

Homil.9.in Exo.to.1. ORIGENES explicans ea omnia, quæ in tabernaculo statuenda docuit Dominus vbi iusit columnas facere argenteas, ait: Tabernaculi in seipso vnusquisque formã potest explere. Columnæ autem argenteæ sunt patientia rationabilis. Nam & qui non sentit iniuriam, & propterea non reddit patiens videtur, sed non est rationabilis ista patientia. Iste ergo habet quidem columnas, sed nõ sunt argenteæ: qui vero propter verbum Dei patitur, & fortiter fert, iste columnis argenteis decoratus est, & munitus.

2 Hom. 7. in cap.18.Matthęi.in fine. to.3. IDEM vbi explicat parabolam illius, qui debebat decem millia talenta, inquit: Propositum parabolę vult docere faciles nos esse debere ad indulgẽdum eis, qui nocuerint nobis, maxime, si postquam nocuerint, satisfaciant nocitis nobis, & deprecentur dari sibi veniam eorum, quæ offenderunt. Illud quoque nos instruit, quòd etiam eorum peccatorũ, quæ iam nobis a Deo indulta, sunt reuocationem faciet Deus, nisi indulserimus offendentibus nos, ita ex corde, vt nec modicam aliquam memoriã offensionum earum apud nos reseruemus.

3 Li.9.in cap. 12.epistolæ Pauli ad Romanos. eod. tomo. IDEM explicãs verba illa; Nulli malum pro malo reddentes ait: Malum inferre peccatum est, reddere autem malum grauius peccatum est. Nam ille, qui malum prior intulit non sentit malum esse, quod fecit. Qui autem reddit malum, eo ipso, quo ad vlciscendum est motus, confessus est sensisse malum esse, quod reddidit. Et ideo respiciendum est semper ad eum, qui dixit; Mihi vindictam, & ego retribuam. Infra: Non vos vindicantes charissimi, sed date locum iræ. Scriptũ est enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Hi, qui se ipsos non vindicant, quomodo iræ locum dent dupliciter, potest intelligi. Nam & hoc ipso, quòd (verbi causa) manum manu non referunt, aut conuitio conuitium nõ reddunt, iræ illius, qui fecit iniuriam pertranseundi, & euanescendi locum dederũt. Nemo enim ita rabidus inuenietur, qui illa iniuria si vicem non recipiat, iterum sæuiat, sed, quasi effuso ac digesto furore, necessario mitescet. Est ergo & grande lucrum vbi & peccantis, multitudo compescitur peccatorum, & iniuriæ passio patientia probabilis fit apud Deum. Est autem & hoc modo iræ locum dare, quando pro his, quę inferuntur iniurijs, qui peccãt, secundum ipsius Pauli sententiam, irã sibi thesaurizant in die iræ, tunc cum reddet Deus vnicuique secundum opera sua. Si ergo nosmetipsos vindicemus, non est magnum, quod pro iniuria susceptа reddimus. Verbi causa, aut palmam pro palma, aut saxum pro saxo, aut pro contumelia sermonis nihilominus contumeliam. Si vero seruemus ea vindictæ Dei, in eo, qui læsit, nos locum damus iræ. Ille sine dubio multo grauiores, quàm nos inferre possumus, exiget pœnas. Si inimicus tuus esurierit, ciba illum, si sitierit, potum da illi; hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius. Quamuis in propatulo sit intellectus ille, quo secundum ea, quæ diximus, inquantum inimicis & lædentibus, non solum vicem non reddimus, sed & bona præstamus; intantum pœnas eorum in Dei iudicio cumulamus. Est enim verè iusta damnatio, si arguantur ante Dominum, his intulisse mala, a quibus perceperunt bona. Tamen videmus ne aliquid dignius mandati huius contineat intellectus. Fortasis isti carbones ignis, qui congregantur super caput inimici, in adiutorium ipsius congregantur. Potest enim fieri vt amens ferus, & barbarus inimicus si sentiat beneficium nostrum, si humanitatem, si affectum, si pietatem, compunctionem cordis capiat, commissi pœnitudinem gerat, & ex hoc ignis quidam in eo succendatur, qui eum pro commisso conscientiæ torqueat, & adurat, & isti erunt carbones ignis, qui super caput eius ex nostro pietatis opere congerantur. Noli vinci a malo, sed vince in bono malum; vincitur a malo, qui malis prouocatus reddit malum: in bono autem vincit malum, qui acceptis malis restituit bona. *Roma.12.* 4

5 Hom. 5. de patientia Iob to.1. CHRYSOSTOMVS sic habet: Si autem discere volueris, quoniam non malefacere, hoc fortiores facit, sed inferentes mala tolerare, respice Iacob, quomodo quantumcunque a Laban iniuriatur. Quis ergo fortior erat, qui eum in manus acceperat, nõ audens tangere, sed timens; aut qui sic absque armis, & exercitibus mille regibus sibi terribiliter factus? Nonne hic? Quemadmodum enim calcans, semetipsum excoquit, & adamantem percutiens se ipsum lædit, & qui contra stimulum calcitrat, se ipsum vulnerat, sic qui offendere cogitat, se ipsum offendit, omniq. luto fit infirmior. Excidit quandoque patria, & sanctus Dauid, atque de libertate & vita periclitabatur, & exercitum aduersus impudentem adolescentem tyrannum illum, & patricidam parans, Semei homo quidam malus, sese exposuit virum sanguinum eum appellans, & impium, *Gen.31.* *1.Reg.15.*

pium, milleq. malis infectum, neque sic irritatus est; Quinimmo Imperatorem exercitus rogantem, vt descendere permitteret, & illius truncare caput. Non modo non permisit, sed & insuper ira concitus dixit, Quid mihi, & tibi, fili Saruiæ? Dimitte eum vt maledicat, si forte aspiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi bonum pro maledictione hac? Vides quomodo nouit iustus, quoniam generoso animo perferre maledicta, occasio maioris sit meriti? *2.Reg.16*

6 Hom.43.in Matt. to. 2. IDEM inquit: Calumniator, & insidiator non aliter se ipsum prius interfecit, quàm qui accendit ignem prius concalescit, vt qui duros silices manu cædit, ipse non lapides vapulat, qui ad stimulos calcitrat, seipsum ferit. Contra vero, qui magno animo iniuriam perfert seu silex, ignis, & stimulus, aduersarium vlciscitur, præsertim cum nullas vires iniuriãtes habeant. Non ergo iniuriam pati, sed iniuriam facere, aut nescire pati malũ est. Quot quantasq. iniurias ferebat Dauid? quot quãtasq. faciebat Saul? Vter enim istorũ fortior ac beatior fuit, & vter miserior ac miserabilior? Nonne qui iniuriose faciebat? Cum in manibus habuerit Dauid Saulem, ac pepercerit, vter miserior ac imbecillior, aut beatior, atque fortior? Nonne ille, qui nec iustè quidem inimicum animaduertit? Merito, inquã, ille fortior. Nam Saul armatus erat, constipatus militibus, Dauid autem iustitia muniebatur, quæ multis exercitibus robustior est, idcirco iniuria vexatus, nec iustè quidem perimere inimicum voluit, admonens nequaquã nos inferendo iniuriam, sed æquo animo patiendo fortiores fieri. Quid porro Iacob? Nonne à Laban iniuriam accepit? Vter igitur fortior, atque robustior, qui cum alterum in manu haberit, nec tangere vnquam ausus fuerit, sed semper eum timuerit, an qui sine turba militũ omni exercitus ductori illi terribilior fuerit? Verum, vt nobis confirmatior hæc oratio fiat, in ipso rursum Dauid in contrariam partem, verso sermone, rem considerabimus. Nã qui cum magno animo ferebat iniurias inuictus erat, is postea iniurians imbecillis factus est. Nam ordo ille tunc permutatus fuerat cũ Vriæ iniuriam intulit, & imbecillitas quidem iniuriantis, robur autẽ iniuriam perpesso coniungebatur quippe Vrias vel mortuus domũ illius vniuersam depopulabatur, ita vt Dauid quãuis & rex esset, & viueret, nihil tamen posset. Ille autem gregarius miles, & occisus, omnia illius intus, forisq. confudit. Sunt iniuriantes viliores cæteris, animam suam impugnantes. *7 Gen.31.* *2.Reg.10.*

8 Hom.52.in Matth. IDEM sic habet: Nemo potest iniuriam tibi inferre præter te ipsum. Quare si iniuriatos tibi persequi cupis, te ipsum primò inuadas, nullus enim prohibet. Nam si alium aggrediaris, maiori iniuria pressus iacebis. Quas vero iniurias alterius aduersum te dicere poteris, quia tibi scilicet alius conuiciatus est, alius te percussit, alius tua rapuit, alius in pericula iniecit? Sed non est hoc iniuriam pati, vèrum si vigilanter inspicimus, non paruo emolumento iuuari, non enim qui passus est, sed qui fecit, iniuriam patitur. Omnium certe malorum hæc causa est, quia nec intelligimus quidem quis facit, & quis patitur iniuriam. Nam si rectè intelligeremus, non iniurijs nos ipsos vexaremus aduersus alium orãtes, cum certiores essemus, neminem in terris posse nobis afficere. Non enim tua rapi, sed aliena te rapere, tibi malum est. Illum quippe tam homines, quàm diuinæ litteræ miserãtur, te autem, qui patienter iniuriam pertulisti, & coronã donant: & æternis præconijs laudant. Quemadmodum enim, si quis febricitãs aqua frigidissima plenum vas rapuerit ab aliquo, & cum pestiferam bibendi cupiditatem explenerit, morti se ipsum tradiderit, non eum vnde aqua rapta est, sed eum, qui rapuit accusamus, & sibi ipsi iniuriatum censemus. Sic certè de rapacibus, & auaris cogitare debemus. Si quisquis etiam furore concitus, gladio à latere, cuiuspiam rapto seipsum occiderit, nonne qui rapuit sibi ipsi iniuriam intulit, cum is, a quo ensis raptus fuit, nulla sit vexatus iniuria? ita &c.

9 Hom.12.ex imperfecto Chrysostomi in cap.5 Matth.in fi. IDEM explicans verba illa, ego autem dico vobis non resistere malo, ait: Homines crudeles peccare se non arbitrantur, si reddiderint mala pro malis, non considerantes, quę dicuntur in psalmo: Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam merito ab inimicis meis inanis. Quæcunque enim ille dinumerat, meritò se pati debere, si reddiderit retribuẽtibus sibi mala, sciant Christiani omnia illa, meritò se esse passuros, si reddiderint retribuentibus sibi mala. Nam & casuri sunt ab inimicis suis inanes, & persecuturus est inimicus animas eorum, & comprehensurus, & conculcaturus in terra vitam eorum, & gloriam eorũ in puluerem deducturus. Infra: Si quis te percusserit in vnam maxillam, præbe ei & alterã. Non enim diabolus tantum de vulnere humani corporis gaudet, sed & magis in vulnere animæ delectatur. Ideo enim excitat aliquem, qui te percutiat, vt dum tu excitatus repercutis eum, pecces, & vno ictu vulneret ambos. Ideoq. si repercusseris eum, in prima quidem facie illum vicisse videris, re vera autem à diabolo victus es. Et putas, quia te satiasti de illo, & re vera diabolum satiasti de te. Si autem non repercusseris eum, ab homine quidem victus videris, diabolum autem vicisti. Hæc sectum iustitiam Dei. Videamus autem secundum vtilitatem carnalem. Numquid si repercusseris eum, compescuisti eum, vt iam nõ te percutiat? Sed magis excitas eum, vt adhuc te percutiat. Nam iracundia per iracundiam non cõpescitur, sed amplius irritatur. Quemadmodum si ignem cum igne coniungas, maior flamma succenditur, si autem non repercusseris eum, ille iam stabit, siquidẽ sapit confusus & compunctus corde pœnitet. Attamen & si sic insanus, vt nec patientiam tuam intelligat, nec confundatur in facto suo, numquid potes tu te amplius vindicare, quam Deus te *Matth. 5.* *Psal.7.* 10

erat

erat vindicaturus? Ideoq. si repercusseris eũ, perdidisti vindictam, quia te ipse vindicasti, & liberasti eum de manibus Dei. Si ergo fortiter iraſceris, patientius age, vt melius vindiceris, scilicet per Deum. Infra: Et qui vult tecum in iudicio cõtendere, & tunicam tuam
Gen.39. tollere, dimitte ei & pallium. Sicut Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cũ meliore pallio castitatis, sic & tu proijce pallium in manus calumniatoris, & fuge cũ meliore velamento iustitiæ, ne forte dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimẽtum perdas. Non solum ergo propter læsionem animarum nostrarũ percutientem sustinere debemus, sed etiam propter dæmonstrationem indubitabilium Christi promissionum, vt ille, qui viderit te iniurias proprias negligentem intelligat, quia vere est certissima spes Christianorum in cælis.

11 IDEM ait: Frater tuus iniuria te affecit, lachrymare non ob tuam iniuriam, sed ob illius exitium, sicut Christus Dominus Iudã lachrymatus est, nõ quando ipse crucifigebatur, sed quando ille prodebat. Iniuria te & cõuicio affecit. Deum obsecra, vt statim propitius illi fiat: iram fræna, quoniam quidem lætalem ille accepit plagam, quoniam ipsum vulnerauit diabolus. Ne igitur & tu præterea ferias ne te ipsum vnà cũ illo deijcias: nam tantisper dum supersedes potes ipse & illum seruare, qui si iniuriam iniuria referens te ipse quoq; deieceris, quis tandem vos humi iacẽtes tollet? Certè haudquaquam poterit humi prostratus, an tu qui vnà cum illo collapsus es? Qui tibi ipse manum porrigere nequisti, alteri poteris? Sta igitur generoso pectore, ac scuto oppositio, & mortuum illum è pugna (frater tuus est) per lenitatem trahito? Vulnerauit illum ira, ne vulneraueris & tu, sed prior iaculum abijcito. Nam si ita inter nos vixerimus, è vestigio, sani omnes erimus, sinautem arma in nosmet inuicem sumpserimus, ne diabolo quidem opus erit ad nostri internecionem. Infra: Tu iniuriam prior passus es? Verum, non quod passus fueris, sed quod feceris, hoc ipsum est iniuriam passum esse. Trucidauit Cain Abel fratrem suum. Vter igitur
Gen.4. mortuus erat? Is, qui post mortem clamabat (vox enim inquit, sanguinis fratris tui clamat ad me de terra) an qui dum viueret, timidus, trepidusq. erat? Hic enim, hic quouis mortuo miserabilior erat. Vidisti, vt melius, præstantiusq. sit iniuria affici, etiam si ad cædem vsque quis processerit, discе, vt iniuria afficere deterius sit. Verum hic coronabatur, ille cõtra puniebatur. Sublatus, trucidatusq. est iniuste Abel; sed tamen hic quidem moriens accusabat damnabat, ille autem viuens obmutescebat, & pudore suffundebatur, & reus peragebatur. Vter igitur est reus peractus, qui supplicium affert, an qui supplicium patitur? Qui tantum à Deo honorem consequitur, an qui nouo cuidam & insperato supplicio addicitur?

12 IDEM sic habet: Si toleras iniuriam, victor euadis. Et quòd hoc sit verum, dic quæso, vter vicit; ille, qui super simo rebus omnibus spoliatus sedet Iob, an qui omnia abstulit diabolus? Clarum est, quòd omnibus destitutus, qui vero omnia abstulit, succubuit. Vtrũ igitur tanquam victorem admiramur diabolum percutientẽ, an percussum Iob? Sane perspicuum est, quòd Iob. Si malum fuisset & iniuriam accipere, nunquam id nobis Deus præcepisset. Deus enim mala non præcipit, an ignoratis, quòd ipse est Deus gloriæ, neque dedecore vos, neque risu, neque detrimento complecti voluit, sed contraria afferre? Idcirco mandat, vt iniuriam accipiamus, & persuadet, quid gloria sit, quid ignominia, quid damnum, quid lucrum. Qui iniustè operatus est cum pecunijs abijt, sed conscientia mala: qui autem iniuriam accepit, pecunijs priuatus, fiduciam in Deo habet, possessionem innumeris thesauris pretiosiorẽ. Inquis, perdidi mea omnia, & tacere præcipis, calumnia sum grauatus, & me æquo animo ferre admones? & quanam ratione potero? Facile quidem si cælum suspexeris, & eius videris pulchritudinẽ, & quid tibi polliceatur Deus te accepturum, si iniurias generose pertuleris, ita facias & intelliges, quòd sedenti super cherubim factus es similis. Etenim ille cõtumelijs affectus est, verberibus cæsus est, neque vicem reddidit, sed innumeris beneficijs prosecutus est eos, qui eiusmodi iniurias in eum machinati fuerant. Intellige, quòd nudus egressus es de vtero matris tuæ, & nudus hinc migrabis, & tu, & ille, qui tibi iniuriatus est, sed is longe magis innumeris cum vlceribus, & vermibus scaturientibus. Vides apud aliquem pauperis domum lachrymare, nõ qui suis rebus spoliatus est, sed qui spoliauit. Non enim intulit, sed accepit malum, illum namq; rebus priuauit præsentibus, se ipsum autem ineffabilibus bonis.

Hom.16. in 1. epist. Pauli ad Corinthios.

IDEM probare contendẽs, quòd nemo lę- 13
ditur, nisi à se ipso sic habet: Multi dicũt quo- Hom. 9. ex 16. varias. to. 5.
tidie videmus lædi quamplurimos, & affligi, & opprimi cum omni iniuria, humiles & infirmos a potentibus, & pauperiores à ditioribus inuadi, & sicut non est possibile numerare fluctus maris, ita nec hi, qui affliguntur, & iniuriam patiuntur, possunt numero comprehendi. Et in tantum labes mali huius augetur, vt nonnulli infœlices & stulti in id insaniæ proruperint, vt etiam diuinam pro his prouidentiam culpent. Cum ergo huiusmodi apud plurimorum mentes feratur opinio, necessario contra hæc hic noster introducitur sermo.
Infra: Omne, quod est in rebus, habet aliquid quo corrumpi possit, ac lædi. Verbi gratia; ferrum rubigo lædit, lanam tinea, ouem lupus, dulcedinem mellis amaritudo, grando vineam lædit, virgulta locustæ, morbi animaliũ corpora. Requiramus ergo nunc, quid illud sit, quo virtus quoque animi lædatur, ac vitietur humani. Alij putant, quòd noceat homini paupertas, alij damna, aut calũniæ, alij mors, & in his esse cunctas hominum miserias iugiter deflent. Flent pauperes, captiuos, exules, ægro-

ægrotantes, &c. Hi vero, qui malè agunt, & nequiter viuunt, à nullo penitus flentur, sed laudantur, & beati dicuntur, quòd omnium malorum causa est. Ostendamus quo modo nihil horũ nocere prudenti viro potest. Quid enim, qui facultates amisit, huiusmodi damna læserunt in animi virtute? Quæ est hominis virtus? Non sunt diuitiæ, ne timeas paupertatem, nec sanitas corporis ne languorem metuas, nec fama & existimatio humana, ne te hominum maledicta terreant, nec vita hæc communis, ne timeas mortem, nec libertas, ne seruitutem perhorrescas. Sed quæ est virtus ani-
14 mi? Rectè sentire de Deo, & rectè inter homines agere. Illa enim omnia, quæ supra diximus auferri ab homine possunt, etiam si nolit, hæc vero si habeat, auferre ab eo nullus omnino, nec ipse diabolus potest, nisi ipse ea, qui possidet perdat. Percussit diabolus Iob, vt male de Deo loqueretur, aut sentiret. Sed in tam multis malis, non solum nihil læditur Iob, verum & clarior per hæc ac magnificentior redditur. Cum enim cunctis eum facultatibus, atque ipsius sanitate corporis spoliasset, immensas ei virtutum diuitias per patientiam congregauit. Quod si iste, qui tanta perpessus est, & ab eo perpessus, qui omnes homines nequitia & crudelitate præcellit, lædi in animi virtute non potuit, quis erit iam cuius videatur iusta excusatio, cum dicit; ille me læsit, ille offendit, ille nocuit? Si enim diabolus, qui omni malitia repletus, commotis vniuersis viribus suis, atque omnibus telis, & armis, iustum lædere non potuit, sed magis eum gloriosum reddidit, quomodo dignè quis vllum hominẽ culpabit, quod ab eo lædi quiuerit, aut noceri? Hominem non diabolus, sed propria ignauia lædit cum peccat. Sed dices, quid ergo? Qui calumnijs circumuẽtus proscribitur, & amittit vniuersam substantiam, non est læsus, cum paternis nudatus bonis vltima egestate cruciatur? Non, immo vero non solum læsus non est, sed & lucri aliquid capiet si vigilauerit. Quid enim Apostolos penuria rerum temporalium læsit? Nonne in fame, & siti, & nuditate degebant, & pro his clari magis & magnifici habebantur? Quid autem Lazarum, nõ vero Ioseph? Nonne quod opprobrijs domi, & peregrè repletus est in admiratione est omnibus apud homines, & in magna gloria apud Deum? Mors ipsa, dic mihi, quid nocuit iustissimo Abel? Nonne ob hoc in omni orbe terrarum canitur, & celebratur? Vides quomodo non solum nullus lædatur ab alio, sed quòd & lucra maxima capiant sancti homines in his, quibus videntur affligi. Sed tamen quamuis sancti clariores effecti sint per tolerantiam, nõ tamen, qui iniurias intulerũt, eximuntur scelere, per
15 positi sui malitiam. Meritò igitur à iusto iudice Deo illis quidem, qui constanter philosophati sunt, & ad palmam victoriæ peruenerunt regnum paratur, alijs autem gehenna. Infra: Cum ergo hæc mala inferũtur iniustè tu non consideres eorum, qui inferunt iniuriam, sed eorum, quæ pro his retribuẽtur perpende gloriam. Cum ergo neque facultatum damna, neque calumniæ, neq; opprobria, nec exilia, nec ægritudines, & cruciatus, neq; ipsa mors, quæ videtur omnium horũ esse grauior, lædat homines, quinimmo & iuuet, & clariores reddat, vnde iam probabis lædi aliquẽ posse, cum ex his omnibus non lædatur? Verũ ego & amplius adhue quid assignare tentabo, quia illi soli læduntur, qui lædunt, & nulli alij nocet noxa, quàm cæteris inferunt, nisi ipsis, qui inferunt. Claret ergo non solum neminẽ lædi ab his, qui iniurias inferunt, sed illos tantummodo lædi, a quibus irrogantur iniuriæ, quoniam quidem neque diuitiæ, neque libertas, neque sanitas, aut alia huiusmodi propria hominis bona sunt, sed sola animi virtus. Et ideo cum erga ea, quæ extrinsecus sunt damnum, aut amissio, aut afflictio vlla superuenit, non læditur homo, quia omne bonum eius in animi virtute cõsistit. Si autem in virtute homo lædatur, non ab alio læditur, sed à seipso. Si quando verberatus ab alio, vel facultatibus spoliatus, &c. blasphemum & impium ex ore suo protulerit verbum, læsus in hoc valde est, non tamen ab alio, sed à seipso per impatientiam suam. Infra: Vis autem videre quãtum mali habeat vindictæ cupiditas? Misericordiam Dei aufert ab homine, & concessam iam gratiam infringit, ac reuocat. Scriptum est enim in Euangelio, quòd is, qui mul- *Matt. 18.*
torum talentorum debitor fuerat, & veniam precatus a Domino impetrauerat, cum conuersus ad conseruum suum, qui parum ei pecuniæ debebat, hoc est, qui in eum parum peccauerat, exigere eum cœpit, vindictam scilicet sumere. Et ob quod immitis fuit erga indulgentiam conserui, ipse de se sententiam tulit, vt non solum iam concessa non frueretur indulgentia, sed & tortoribus traderetur, atq; vniuersam debiti summã cum supplicijs, pœnaq. persolueret, & ita pro vindictæ desiderio munus diuinæ perdidit indulgentiæ.

16 IDEM sic ait: In inimicorum insidijs, & Hom. 68. ad populum.
calumnijs nos iniuriam non patimur, sed illi, qui faciunt. Ait enim, Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Peccauit autem, non qui malè passus est, sed qui malè fecit. Non ergo mortuũ oportet vlcisci, sed orare pro eo, vt eruatur à morte. Nonne videtis apem quemadmodum immoritur aculeo? Per illud nos animal docet Deus, ne proximos afficiamus tristitia, ipsi namque prius mortẽ excipimus. Et illos quidem fortè paululum lædimus, nos autem non amplius viuemus, quemadmodum nec illud animal. Ferarum est verè sæuissimarum, nemine quempiam lædente iniuriam incipere, immo vero neque ferarum. Ille namque si permittas in deserto se pascere, neque coangustans in necessitatem redegeris, numquam lædent, numquam mordebunt, sed propriam transibunt viam. Tu verò cum sis homo rationalis, iniuria fratrem afficis, & deuoras, & vnde poteris excusari? Non Paulum audis dicentem: Quare non magis iniuriam pa- *1. Cor. 6.*
timini? at vos iniuriã facitis, & hæc fratribus.

Vides,

Vides, quòd male pati in male faciẽdo est, bene verò pati in male patiendo. Imagines lapidibus impetens, quem lapidat, nonne semetipsum? Postmodum regis quidem terreni lapidans imaginem se lapidibus obruit, Christi vero temerans imaginem (homo enim Dei imago) nonne seipsum lædit?

17 Cõcione 2. in psal. 36. to. 8.

AVGVSTINVS exponens verba illa; Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum, vt decipiant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde, gladius eorum intret in corde ipsorum sic habet: Facile est, vt gladius eius perueniat ad corpus tuum, sicut peruenit gladius persecutorum ad corpora martyrum, sed percusso corpore cor mãsit illæsum. Illius autem cor, qui gladium eduxit in corpus iusti, non plane mansit illæsum. Hoc psalmus iste testatur. Framea eorum non dixit, intret in corpus eorum, sed framea eorum intret in cor ipsorum. In corpore occidere voluerunt, in anima moriuntur. Illos enim quorum corpora interficere voluerunt, *Matt. 10.* securos Dominus fecit, dicens eis: Nolite timere eos, qui occidũt corpus, animam autem non possunt occidere. Quale est autem sæuire gladio, nec posse occidere nisi corpus inimici, & posse occidere animam suã? Desipiunt, contra se sæuiunt; insaniunt, non se vident, tamquam si vellet aliquis per corpus suum ferrũ traijcere, vt concideret tunicam alterius. Attendis quo peruenisti, & non attendis, quia traiecisti. Illius concidisti vestem, tuam carnem. Constat ergo plus esse, quod se lædunt iniqui, & quod sibi nocent, quàm quod sibi videntur nocere illis, quos oderunt. Superius dixerat: Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum. Gladij eductionem intelligi noluit apertam oppugnationem, arcus autem intensionem occultas insidias. Ecce gladius eius peremit eum, & dispositio insidiarum eius frustratur, hoc est, nihil nocet iusto.

18 In psal. 92.

IDEM exponens illa verba: Indutus est Dominus fortitudine, & præcinxit se, inquit; Qui detrahunt nobis, aliquando nobis absentibus faciunt, aliquando coram in faciem, sicut Domino faciebant pendenti in cruce. Nõ opus habes fortitudine, quando tibi aliquis detrahit absenti, quia non audis, nec sentis, si autem in faciem tibi dicat, opus est, vt fortis sis. Quid est fortis sis? Vt feras, ne ideo te putes fortem cum audieris, quia percutis pugno, victus conuitio. Non est ipsa fortitudo si conuitiatus percutias, quoniam ab ira victus es. Et valde stultum est hominem victum fortem *Prou. 16.* dicere, cum dicat Scriptura: Melior est, qui dominatur animo suo expugnatore vrbium. Habes ergo aduersarium magnum in te ipso. Cum audito conuitio ira cœperit surgere, vt reddas malũ pro malo, recordare verba Apo- *1. Pet. 3.* stoli: Non reddentes malum pro malo, neque maledictum pro maledicto. His verbis recordatis, frãgis iram, tenes fortitudinem, & quia coram te ille tibi maledixit, præcinctus es illa.

IDEM explicans verba illa; ignis autem ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius, sic habet: Istum ignem possumus accipere in pœna malorum, quia cum prædicaretur Christus iratæ sunt gentes, & commouerunt persecutionem, quæ ira ignis fuit magis consumens eos, qui persequebantur, quàm eos, quos persequebantur. Cum enim videmus duos, vnum irascentem, alterum patienter ferentem, quis eorum ardeat vestrum est iudicare. Ponite vobis ante oculos hominem iniquum, commotum animo, trucem vultu flammantibus oculis, scintillãtibus verbis ferri in hominis necem, in iniurias, in contumelias, non se capere, non se tenere: alterum patienter excipientem verba, quidquid ille inferre voluerit, & percutient maxillam parantem alteram, cùm videris hinc furias, inde lenitatem; hinc iram, inde patientiam; hinc flãmas, inde tolerantiam; dubitas pronunciare, quis eorum ardeat, pœnamq. patiatur? Ille, cuius corpus vexatur, an cuius animus vexatur? Propterea & Isaias dixit: Et nunc ignis *Isa. 26.* aduersarios comedet. Quid est nunc? Antequàm veniat dies magnus iudicij iam furore suo ardent, qui postea sempiterno illo igne arsuri sunt. Nisi forte putatis, fratres mei, quiã iniustitia, quæ procedit ex homine ad lædendum alterum hominem, illi ad quem procedit, nõ nocet, nocet, & illi, de quo procedit, nõ nocet. Vnde fieri potest? Aliquando facula ardens apponitur ad lignum humidum, & viride, & non illum incendit, ipsa tantum ardet, sic & inimicus tuus. Si quis existit iniustus, qui tibi moliatur insidias, vel præparet molestias, iniustus est. Tu si viride lignum fueris, succo spiritali vigens & vrens, flammis inimicitiarum restiteris orando pro illo, qui te persequitur: ille ardet, tu manes integer, & iniustitia illius illi nocet, tibi nihil nocet. Sed quomodo Christo nihil nocuerunt iudæi, sic nec tibi quisquã persecutor inimicus, si tu elegeris esse membrum capitis illius. Ecce ignem ante Dominũ præeuntem in pœnam iniquorum.

19 In psal. 96.

20 In psal. 102. *Psal. 8.*

IDEM inquit: Extendite dilectionem vsque ad inimicos, securi estote. Ideo venit Christus, cui tanto ante dictum est. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem, vt destruas inimicum & vindicatorem vel vltorem. Destruere voluit Dominus vindicatorem, id est eum, qui se voluit vindicare, vt non illi dimittantur peccata sua. Ferto iniurias, securus esto, faciet enim misericordias Dominus, & iudicium omnibus iniuriã patientibus. Mihi enim vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

21 In psal. 143.

IDEM ait: De nulla re sic vincitur inimicus, quam cum misericordes sumus. Omnia delentur mala, cum ex vero corde, & plena fiducia dicimus illi, qui videt. Dimitte nobis, sicut & nos dimittimus, aut noli dimittere, si non dimittimus. Quod etsi non dixeris, noli dimittere si non dimittere, prorsus non dimittit si nõ dimittimus. Vis vt dimittam, dimitte. Aliquid contra te teneo, aliquid & tu contra

tra alterum tenes, dimitte, & dimitto. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Hęc est mensura, ignosce, & ignosco. Est apud te mensura veniæ dandæ, inuenies apud te mensuram veniæ accipiendæ.

22 In psal. 145.

IDEM explicans illa verba, facit iudiciũ iniuriam patientibus, sic habet: Vindicat iniuriam accipientes, puniẽs omnes iniuriosos. Si ergo fauebit iniuriam accipientibus, & puniet iniuriosos, vide modo de quorum numero esse vis? Vide an in eis velis esse, qui iniuriã accipiũt? an in eis, qui iniuriam faciunt? Statim enim ad te procedit vox apostolica, & dicit tibi. Iam quidem omnino delictũ est, quia *1. Cor. 6.* iudicia habetis vobiscum, quare nõ magis iniuriam patimini? Corripit homines, quia non patiuntur iniuriam. Non vt patiaris molestiã te hortatur, sed vt patiaris iniuriam, nõ enim omnis molestia iniuria est. Quidquid enim iure pateris non est iniuria, latrones multa patiuntur, sed non iniuriam. Beati autẽ, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam.

23 Hom. 15. de verbis Domini in caput 18. Mathæi.

IDEM inquit: Omnis homo debitor est Dei, & debitorem habet fratrem suum. Quis est, qui non habeat debitorem fratrem, nisi in quem nemo peccauit? Putasne quisquã in genere humano reperiri potest, qui non & ipse aliquo peccato obstrictus sit fratri suo? Debitor est ergo omnis homo, habens tamen & ipse debitorem. Ideo Deus iustus constituit tibi regulam in debitore tuo, quod faciet ipse cum *Coloss. 3.* suo. Donantes, ait Apostolus, vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut Deus in Christo donauit vobis.

Inuidia maxime de bonis iustorum antiquum & grande malum est, & de illius remedio. Cap. V.

1 Homil. 11. inter varias huius tomi, quæ est de inuidia.

BASILIVS sic habet: Nihil mortaliũ animis inuidiæ perturbatione perniciosius contingit, quę ante omnia ipsi nocet auctori, alijs vero quam minimum. Quemadmodum enim venenum ferrum, sic inuidia hos, qui eã possident, consumit, atque vastat. Magis autem sicut viperas dicunt abrupto matris ventre nasci, sic inuidia concipientem se animam corrodere simul ac tabefacere solet. Est enim inuidia dolor de proximi prosperitate, ac rerum successu conceptus. Quapropter animo inuido nunquam tristitia, nunquam mœstitia deest. Abundat proximi ager, domus bonis omnibus repletur, ex voto eueniunt omnia. Cuncta hæc tristitiæ, doloris q. occasionem inuido præbent. Ex quo nihil ab homine nudo, qui omnium iaculis petitur, differre videtur. Fortis est aliquis, alius forma clarus, alius eloquentia, alius prudentia præstat, hæc omnia maligni feriunt animum, cumq. mutire nihil audeat aut possit, simulat gaudium, secum tacite rumpitur, coram hilaritatem præfert, intus vero ab inuidiæ malo perditur, nihil omnino retegere nolens, morbum in imo cordis recessu, eius abrodentem atque absumentem viscera, mœstus retinet. Igitur talis nec medicum mali huius, nec medicinam ad id fugandum aptam inuenire potest, quamquam curãdorum ægrorum tot referti sunt libri. Sed vnam tantum mali requiem expectat, si quando cui inuidet ruentem aspiciat. Hic finis odij si miserum ex beato, infœlicem ex æmulo videat. Infra: Quid hoc morbo perniciosius? Interitus vitæ, pestis naturæ, aduersa omnibus bonis ex Deo venientibus, demum ipsi Deo contraria. Per inuidiam diabolus palam Deo aduersari inuentus est. Dolens enim ob præclara dona homini concessa, quando Deo nocere non valuit, ipsum insidijs petijt hominem. Eadem & Cain visus est admittere primus diaboli discipulus inuidiam & cædem ab eo edoctus, quas & Paulus simul iunxit, inquiens plenos inuidia & cæde. Quid igitur ille admisit? Vidit ex Deo honorem fraternum, & exarsit in inuidiam, atque eum, qui honoratus erat a Deo occidit, vt irritaret Deũ, qui illum honorauerat. Cum enim impar esset ad debellandum Deum, in cædem incidit fraternam. Quare inuidiam fugiamus pugnæ in Deum magistram, homicidij matrem, naturę confusionem, amicitiæ expertem, calamitatem absurdissimam. Quid miser homo angeris nihil mali passus, aut quid eum petis, qui de tuo nihil detrahit, aut minuit? Si vero beneficio quoque deuinctus obtrectas, inuides maledicis, nonne vides te contra tuum cõmodum contendere? Talis profecto Saul erat, cui beneficiorum magnitudo causa fuit, vt aduersus Dauid insurgeret. Demum admirabili eius musica a Mariæ morbo liberatus, hastã *1. Reg. 18.* in eum intentauit. Deinde cum ipse cum suo exercitu ex inimicis seruatus, & a dedecore ex Golia proueniente rursus liberatus esset, cum puellæ dicerent; Saul percusit mille, & Dauid decẽ millia, ob hanc solam vocem, primũ, hominẽ per se ipsum interficere, & insidiose amouere tentauit, deinde exulẽ constituit, cõtraq. eum exercitũ duxit. Nec aliud belli causa fuisse apparet, quã Dauid successus & gloria. Inuidia ergo genus est inimicitię intractabile qdẽ ac admodũ insuperabile. Nam cũ beneficentia eos, qui alioqui sunt infesti, reddat mitiores, malignum tamen & inuidũ magis irritat, atq; ad odium acuit, quantoq. magis fortuna crescit, tanto ille maiori premitur dolore, atq; luctu. Quod animal tã agreste est, quod nõ feritate nõ vincant. Canes educatione mansuescunt, leones obsequio tractabiles fiunt, inuidi tantũ, officijs agrestiores euadũt. Quid quæso Ioseph ex ingenuo seruũ fecit? Nõne fratrum *Gen. 37.* inuidia? Verentes. n. illi somniorũ exitũ, seruũ fratrẽ fecerunt, cumq. non dederunt, ne aliqñ adorarent. Sed ex diuina hoc cõtigit prouidẽtia, vt astutia illorũ inuerteretur. Per ea enim, quibus impedire se diuinum cõsilium putauerunt, paulo post illud ad exitum deduxerunt. Christus Dns ob inuidiam tantis est petitus insidijs. Hic armis euersor vitæ nostræ diabo-

lus à mundi initio, vsque ad sæculi consummationem, omnes homines ferire, & ad interitum deducere contendit. Nec mirum, vt qui per inuidiam ac superbiam cecidit, nostra itē pernicie gaudeat; nosq. eiusdem vitij spiritu configere ac pessundare cupiat. Quemadmodum ardētem siluam, aut materiam nobis cura est, procul ab igne submouere; sic opus est (quoad fieri possit) inuidorum cōuersationes à nostra amicitia repellere, vt extra eorum venenatas sagittas securius agamus. Vt ærugo frumenti est vastatio, sic inuidia amicitiæ pestis. Illud autem in hoc malo laudauerit quisquam, quòd inuidus quanto in proximum vehementius mouetur, tanto sibi met maius parit incommodum. Quemadmodū sagittæ magna vi emissæ, si indurum aliquid ac respuens inciderint, in emittentem facile redeunt; sic inuidia, proximis tristitiam nequaquam affert, tantum inuidenti officit. Sed & qui morbo huiuscemodi sunt affecti, longe peiores venenatis iaculis existimantur, quòd illa per plagas virus inferunt, atque nocent, & paulatim infestum est, depascuntur, at inuidos existimāt nonnulli, non solùm rebus alijs, sed oculis etiā officere, incommodaq. inferre. Vnde & corpora vegeta pubescentium prosperam habitudinem inficiunt, atque debilitant, statim, vt ex eorum oculis pernicie quadam defluente, ac contaminante, videas contacta membra pulchra in siccitatem venire. Fugiamus ergo fratres intolerabile malum. Serpentis, ideſt, præceptum, diaboli inuentum, inimici satio, punitionis arrabo, pietatis impedimentum, via ad gehennam, regni cœlorum priuatio. Sicut autem vultures per multa quidem prata, multa etiam amœna & odorata loca circumuolātes, ad tabida & fœculenta loca feruntur, muscæ quoque salubre, si quod offendunt, prætereunt, ad vlcera vero properant; sic inuidi, vitæ splēdorem, ac rerum bene gestarum magnitudinem, minime quidem respiciunt, manca vero, & fragilia, & si quid erratum, tantū obseruant, hæc diuulgant, & per hanc tantum, homines cognosci volunt. Fortitudinem vocat inuidus audaciam, modestum vero sine sensu hominē, iustum, immitem, liberalem, vt prodigum taxat, domestice frugalem, auarum dicit. Denique omnis virtutis species in vicina vitiorum nomina conuertunt nusquam calumnia rebus laudatis deficiente. Quid ergo faciendum, vt hanc animi pestem ab initio minime quidem patiamur, aut in ea fortasse affecti facile liberemur? Primum quidem si nihil rerum humanarum magnum, aut supra naturam existimemus, non potentiam, non gloriam, non opes, non corporis habitudinem prosperam. Non enim in rebus fluxis bonum constituimus, sed ad sempiternorum, & verorum bonorum participationem vocati sumus. Itaque nec diues æmulandus est propter diuitias, nec potens ob dignitatis culmen, nec fortis ob corporis robur, nec eloquens ob dicendi facultatem.

Infra: Qui ita fuerit animatus, vt nihil vsquā humanum admiretur, huic proculdubio domi

4

nari inuidia nullo modo poterit. Si quis vero ita gloriæ cupidus fuerit, vt omnes antecellere cupiat, maximam profectò inuidiæ occasionem, causamq. dabit.

5 Hom. 21. in aliquot sacræ Scripturæ loca.

IDEM sic habet: Inuidia propriū est diaboli vitium. Non enim diabolus statim creatus est diabolus, sed cum angelicam potestatē accepisset in dæmonis naturam conuersus est. Hac enim iniquitate imbutus, & à Dei familiaritate alienatus, postquam vidit hominem, paruum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum, cum esset antiquior homine, facile cōspexit quōmodo cætera omnia, & terrestria, & cœlestia verbo facta, solum hominē manibus Dei plasmatum esse. Hunc ei honorem inuidit. Eum namq; sole præstantiorem animaduertit, cum ille verbo, hic manibus sit conditus, & ille ob hominē constituus, homo vero propter Deū. Homo item, vt Deus esset, sol, vt homini famularetur. Considerauit insuper, quomodo primum creaturæ, deinde homo esset, quod ipsi tātum veluti patrifamilias curadam, domum plenam Deus præpararit. Non enim ante omnia fecit hominem, ne pauper, inopsq. foret, sed prius cœlum tāquam tectum nobile, sponte constructum constituit; terram strauit, vt hominis pedibus solidum stateret pauimentum, tantam tanquam variā animalium & fructuum multitudinē ei subiecit. Vniuersam creaturam hominis vsui cōcessam esse vidit, tantamq. beneuolentiā diuinam ac beni gnitatem erga eum aspexit, vt non contentus Deus tot ei cōmoditates tribuisse, eum tanquā suas delitias & ornamentū proprium eligēs in paradiso collocauerit, insuper angelos ei pædagogos adhibuerit. Deū postremo cū eo conuersantē, & eadem lingua cū eo colloquētem. Vbi igitur vidit tā exile animal ad angelorum dignitatem à Deo vocatū, inuidia motus est, & eum per insidias aggredi cogitauit. Est itaq; inuidia, diaboli proprium malū, quod medicinam spernit. Qui caput aut membrū aliquod dolēt medico aperiunt morbū, at qui ægrotat inuidia quid dicet? Angunt me proximi bona, veritas hæc est, attamen hæc quisq; verba, fateri erubescit. Quid quęso te affligit proprium malum, an alienum bonū? Certe malum tuum incurabile. Canes enim nutriendo mansuetos reddimus, inuidum vero, beneficio nostro deuinciendo, longe peiorē reddimus. Non enim gaudet in ijs, quæ recipit bonis, sed tua tristatur fœlicitate, quòd facultas tibi sit eius vsui subueniendi.

6 Hom. 52. in Genes. to. 1.

CHRYSOSTOMVS explicans verba illa Genesis cap. 26. videntes Gerari affluere iusto Isaac opes, abigere eū inde conati sunt. Æmulati sunt enim eū sic ait: Considera quanta sit illorum malitia, qui & aquas iusto inuident, & neque rex, qui in tanta potestate erat; inuidiam continere potuit, sed dicit: Abi a nobis, quia potentior nobis factus es tu. Magna maleuolentia. Cuius gratia abigis iustū? Num aliqua in re tibi nocuit? Num iniuriā intulit? Sed ita se habet inuidia, nihil cum ratione operatur. Abi à nobis, quia multo potētior factus es,

es, quam nos sumus. Ita agere solet inuidentia, non potest benigniter videre aliorum fœlicitatem, sed fœlicitatem proximi, suam putat infœlicitatem, & tabescit bonis proximi, nec magna viri mansuetudo illorum domare potuit inuidiam.

7 Hom. 61. in Genesim.

IDEM disserens de inuidia fratrū Ioseph, inquit: Grauis hæc affectio est, & quando animam inuaserit, nō prius eam relinquit, donec in extremam absurditatem eā inducat, & lædens animam aqua nata est, omnino aliter eū, cui inuidet, efficit quam vult. Nempe clariorem, illustriorem, nobiliorem reddit, vnde iterū alia grauior inuido plaga nascitur. Et nihil loqui poterāt ei pacificè. Quia affectio dominabatur eis, & inuidia quotidie crescebat, quasi captum facti, & tyrannidem huius mali ferentes in dolo loquebantur, & nihil pacifice loqui poterant. Et attende quomodo causam odij, inuidiā significauerit. Vt viderunt enim, inquit, fratres, ꝙ à patre plus diligeretur.

Infra: Hic morbus ab initio & Cain, vt fratrē occideret, armauit. Vt enim vidit, quòd fratris dona Deo magis accepta fuerunt, ad eum occidendum prouocatus est.

8 Hom. 41. in in Matth. to. 2.

IDEM inquit: Tale certè malum inuidia est, qua nulla vmquam malignitas peior inuenitur. Nam adulterio inquinati, voluptatis saltem iniquæ fructum, vt putant, aliquem capiunt, & breui tempore peccatum committūt. Inuidi autem & multo ante seipsos, quam quibus inuident, perturbant & cruciant, & ita in agendo semper, inuidendoq. sunt, vt nunquam peccandi afferant finem, sed sicut sues lutosa immunditia, & dæmones nostris damnis lætātur; sic inuidi calamitate proximorū exultant. Cumq. aliquid triste, & doloris efficiens proximo acciderit, tunc aliquantulum requiescit, atq; respirat. Alienas enim iacturas suos quæstus existimat, & aliorum fœlicitatem, miseriā suam arbitratur. Nonne igitur tales homines lapidibus petendi? Non aliter profecto quàm rabie concitati canesq. pernicioſi, dæmonesq. atrocis furiæ. Nam quemadmodum Scarabæi alieno stercore, sic inuidi aduersa aliorum fortuna nutriuntur, cum sint communes humano generi hostes, atq; inimici. Inuidia pestiferum malum, hominem in diaboli cōditionem, atq; in dæmonem immanissimum conuertit. Inuidia prima hominis cædes apparuit. Inuidia fraterna charitas contempta est. Inuidia sanguine hominis terra primo maculata. Inuidia deniq; factum est, vt hiatu suo terra Dathan, Chore, Abyron, vniuersumq. illum populum viuos absorpserit. Sed facillimum est inuidos accusare, difficillimum autem talē ægrotationem omnino euitare. Fornicatores ac publicani in cælos cōscendere potuerunt, & propter hoc vitiū filij regni eiecti sunt in tenebras exteriores. Quomodo igitur ne veneno suo nos inficiat, faciemus? Si dabimus operā, vt quemadmodum fornicatori nefas est Ecclesiam ingredi, sic inuido quoque, immo vero multo magis inuidus, quàm fornicator à cœtu fidelium exterminandus est. Deus orandus per-

Gen. 4.
Num. 16.

9

discendumq. tibi est turpissimū flagitium esse inuidiam. Sic enim affectus celeriter, tāquam à periculoso morbo fugies. Sed quamuis homo omnibus inuidentior sit, ieiunio tamen aliquo, aut paruo argento pauperibus erogato, effecisse credit, vt nihil mali commisisse videatur: cum tamen omni pessima atque scelestissima passione vexetur. Nā vnde Cain fratricida effectus est? Vnde vero Esau fratrem infectabatur? Vnde Laban, vnde Iacob filij, vnde Chore, Dathan, & Abyron, vnde Maria atque Aaron inquinati fuerūt? Vnde ipse diabolus calumniæ nomen sortitus est? Adhæc illud etiam tecum semper verte, quia non maiorem illi, cui inuides, quàm tibi ipsi facis iniuriam, cum te ipsum versus mucronem impellas. Quam enim Abel ipsi Cain iniuriam intulit? Nonne illum, quidem inuitus ad meliorem vitam citius transmisit, ac seipsum ærumnis inuoluit? Esau vero, qua in re mansueto Iacob obfuit? Qua in re fratres sui, Ioseph peiorem reddiderunt? Nonne quāquam vsque ad sanguinem ferè veniſſent inediæ malo in extremis periculis fuerunt, cum ille regia potestate in Ægypto potiretur? Nam quāto maiore inuidia laboras, tanto maiora illi offers bona cui inuides. Deus enim, qui omnia perspicit cum viderit innocētem iniuria circumuentum, extollit multo magis, clarumq. illum facit, inuidentem autem deprimit. Nam si lætitia inimicorum incommodis affectos impune id committere non patitur (non lætare, inquit, casu inimicorum tuorum, ne quando videat Deus, & nō placebis ei) multo maioribus profecto eos, a quibus innocentes per inuidiā exagitantur supplicijs tradet. Interimamus ergo pestiferam hanc bestiam, ac multa eius capita detruncemus. Quod si qui amantem se diligit nihil maius publicanis adipiscitur, qui odio innocentem insectatur, quid patietur?

Num. 16.
Num. 12.
10
Prou. 14.

Infra: Cuius rei gratia proximum inuidendo persequeris? An quia in honore ac dignitate viuit? Non cogitas igitur quantam honoris perniciem ignauis ac indiligentibus solent afferre? Cur igitur virum tu admiraris, eiq. inuidendum esse putas, qui tot, tantisq. periculis concutitur?

11 Hom. 36. in in Ioā. to. 3.

IDEM inquit: Videamus quantum mali afferat inuidia, quo pacto mentis oculos contra propriam salutē perstringat. Nam quemadmodum insani aduersus seipsos nonnumquā sententiam ferunt, ita & inuidi solam inuidiosi miseriam disquirentes, eius salute & fœlicitate anguntur. Hi feris sæuiores. Ille enim fame impulsæ nos appetunt, hi beneficos nonnumquam inimicorum loco habent. Feris inquā, sęuiores, dęmonibus pares, & fortasse iniquiores. Ipsi namque aduersus nos nullo amicitiæ fœdere hostiliter persequuntur, suo generi minime insidiantur. Quorum exemplo in iudæos Christus inuectus est, cum in Beelzebub eum eijcere dæmonia dixissent, homines autem neque naturæ suæ participes reueriti, eos infesto animo impetūt, atq; seipsos prius, quā quibus inuident, supplicio afficiūt, animumq. pertur-

bationibus, & anxietatibus temere cruciant. Quamobrem miser proximi tui cõmodis perturbaris? Dolendum est, cum malis afficimur, non cum proximi fœlicitatẽ intuemur. Idcirco omnis inuido venia desperanda est. Nam scortator voluptatis stimulos in excusationem affert, fur paupertatem, homicida furorẽ, friuolas quidẽ nec admittendas qualescumq; tamen excusationes, tu vero quam affers quæso? Nullam profectò nisi animi prauitatẽ, atq; malitiam. Nam si inimicos amare iubemur, quãtam pœnã ex amici odio daturos nos arbitramur? Et si amicos diligendo nihil gentilem superamus, si nihil de nobis mali meritos persequimur, quã merebimur veniã? Hic affectus, & fornicatione, & adulterio grauior, alterum enim ipso auctore consumitur, inuidiæ autem vis vniuersos populos perdidit, vniuersum orbem terrarum coinquinauit, ipsa cędis mater, ipsius suasu Cain fratrem interemit, ipsi Esau in Iacob, fratrum in Ioseph, diaboli in humanum genus, odiũ & insidiæ tribuendæ sunt. At tu neminẽ interficis, sed longe grauiora patraris cum fratris ignominiã cõcupiscis, cum vndiq; laqueos tendis, cum ægre fers orbẽ terrarum debitum Deo exhibere seruitiũ. Non igitur cum illo, sed per illum cum Deo bellũ geris, Deo iniuriã facis, cum tuum honorẽ ipsius honori præferas. Si fratri inuides omniũ malitiam excesseris, quod vel inde constat. Scortatus quidã apud Corinthios, breui vitã emẽdauit. Cain fratri inuidendo, numquã odium posuit, sed quanto frequentius à Deo admonitus est, tanto magis dolebat, magis cruciabatur, & properabat ad cædẽ. Hic ergo, quàm ille grauior morbus, qui, nisi magna adhibita diligentia, non facile remedia admittit.

2.Cor.2.

13 IDEM inquit: Inuidus, vt proximũ perdat, perdit seipsum. Inuidi oculus consumitur dolore, morte viuit perpetua, omnes inimicos existimat, etiã nihil iniuriatos, dolet ꝙ Deus honoratur, his lætatur, quibus & diabolus honoratur apud homines, sed hic non honor est. Noli inuidere si apud Deũ honoratur, æmulari illi, & similis efficiaris. An nõ vis? Quid ergo & teipsum perdis? Congratulandũ est proximo, vt si in bonis operibus pariter laborare non possis ex congratulatione saltẽ mereris.

Hom.54.in Ioannem.

Exec.35. Ideo Ezechiel propheta Moabitas punitos dicit, ꝙ lætati sunt super Israelitis, & alios quosdam salutem consecutos, ꝙ alienis malis condoluerunt. Quod si miserentibus aliorũ malis est aliquod meritum, multo magis aliorum honoribus congratulantibus. Reprehendit Moabitas, ꝙ super Israelitis lætati sunt, quos Deus vltus est. Et quamuis ipse puniat, non tamen vult, vt eorum supplicio lætemur. Quod si cõdolendum est vitorum supplicio, multo magis honoratis non inuidendum. Sic enim Chore, & Dathan perierunt. Quibus inuident clariores reddunt, seipsos torquẽt. Fera enim venenosa inuidia est, fera immunda, & morbus voluntatis, omni venia & excusatione indigna, omnium malorum, & mater, & auctor.

14 IDEM habet: Tanta est inuidentiæ tyrãnis vt cũ alios commendatos viderint, homines inuidi seipsos mordeant, atq; excrucient. Quoties Dei Ecclesiam vel verbo, vel alio quo uis modo auctam, aditamq. intellexerint, dispereunt. Quare quid exitiosius esse queat? Neq; enim, qui hæc committit, cum fratre tãtum, sed & cum Dei voluntate depugnat. Hoc ergo cõsiderans, morbum huiusmodi sedato, & si minus proximum certe te ipsum a malis infinitis eximito. Id genus homines, vnà cum diabolo Ecclesiæ bellum inferũt. Fortasse etiã & multo pestilentius. Nam hi sumpta amicitiæ persona clam ignem succendunt, se prius ipsos in caminum cõijcientes ac morbo laborantes non solum misericordia indigno, sed & admodũ ridiculo. Quid enim quæso te impalescis? quid tremis? quid formidolosus es? qd tandem mali accidit? quòd clarus, ꝙ splendidus, ꝙ bene audiens frater est? Igitur coronari oportet ac lætitia exilire, Deumq. glorificare, ꝙ membrum tuum relucens, & illustre. At tibi dolet, quod Deus glorificatur? Vides quo bellũ ipsum pertineat? Dices, at nõ mihi molestia Dei gloria, sed fratris. Verũ per hunc fratrem gloria ad cælum conscendit. Igitur & bellum itidem à te exortũ. At non hoc, inquis, mihi dolet, sed vellem Deũ per me glorificari. Igitur fratre bene audiẽte, gaude, ac tunc per te etiam Deus glorificabitur, dicentq. omnes, Benedictus Deus, qui tales famulos habet ab omni inuidentia liberos, de alienis bonis inter se congratulantes. Infra: Si quem videremus ignem manibus, ac ligonem gestantem, hanc ædem vnà cum altari demoliri, euertere, incendere, nonne fieret, vt ab omnibus ijs, qui rem forte spectarent, lapidibus obrueretur tãquam impius? Quid igitur? Si quis flammam gestet, hoc quo vtimur igne, edaciorẽ inuidentiam dico, nõ lapidum ędificia demolientem, neq; aureum altare euertentem, sed quod longe & lapidibus, & altari pretiosius est, præceptorum ædificium subuertẽtem ac deuastantem, hic qua tandem venia dignus esse queat? Quanam ergo morbi huius medela inueniri queat? Coniunctim omnes preces fundamus, vnam eandemq. pro ipsis vocem tãquam pro energumenis edẽtes. Hi enim hoc infœliciori sane conditione sunt, quam illi, ꝙ furor hic nõ nisi à certo animi proposito ortũ habet. Prece itaq; ac supplicatione per multa, morbus hic indiget. Bello perniciosior est inuidentia, nam qui bellũ gerit, sublata belli causa inimicitias desinit, at inuidentiæ morbo qui laborat, amicitiam numquã inierit, & præterea aperto ille marte rem gerit, hic aũt adumbrato. Ille honesta quadã ratione bellum excusare potest, hic autem aliud nihil, quam insanit animo, præditus satanico. Cuinam igitur huiusmodi animũ conferas? Cui viperæ, cui serpenti? Hoc certè animo neq; deterius, neq; sceleratius qcquã. Hoc enim malum Christianorum conuẽtus subuertit, hoc hæreses peperit, hoc fraternã manum armauit, perfecitq. vt iustos sanguine dextera madesceret, hoc naturæ leges a suis compagibus motas reuellit, hoc morti valuas adaperuit, & execrationem illam ad opus deduxit, ac neq; partus, neq; parentum, neq; alterius cuiusuis rei memorẽ esse miserum illum permisit. Verum tali furore atq; insania exstimulauit, vt Deo exhortante ac dicente, sub te

Homil.7.in epist. Pauli ad Roman.to.4.

Gen.4. erit appetitus eius, & tu dominaberis illius, nec sic quidẽ animum emoliret, atqui in crimine eum absoluit, ac fratrem etiã illi submisit. Sed tamen morbus ita erat immedicabilis, vt vel sexcentis pharmacis adhibitis plus scaturiret. Quamobrem igitur omnium miserrime doles? Anne qđ honoratus sit Deus? Hoc ipsum vero mentis est prorsus satanicæ. An potius, ꝙ frater à vitæ, morumq. integritate vulgo melius te audit? Tibi vero rursum licet illum exuperare. Quamobrem si vincere vis, ne iugules, ne interficias, sed finito illum, vt luctæ subsistat argumentum, ac viuentẽ vincito, sic enim futurũ est, vt honorificã laureã reportes.

16 IDEM sic habet: Quemadmodũ si nasus æqualis ceruix recta, membra cætera laudata si sint, oculi exultãt, clarescuntq. ijdem multa lachrymarum vbertate cæterorũ dolorem, & calamitatẽ prosequuntur, ipsi illæsi sint licet: Ita fratres reputemus, mẽbrorum coniunctionem imitemur, proximi malis ne insultemus, bonis ne inuideamus. Furiosorum hoc est, & mente carentium. Qui oculum sponte effodit, an non ingens amentiæ documentum præbet? Qui manũ vorat, non conspicuum furoris exhibet argumentum? Si porro hoc ita in membris est, in fratribus si fit quid obstet, quo minus furoris arguamur, in ingens incõmodum incurramus? Infra: Omne regnum in se diuisum haudquaquã cõsistet. Equidẽ nihil tam dispergit, dissipatq. quam inuidia. Sæuum malum nec vlla venia dignũ, & ipsa vitiorum omnium radice, auaritia, tetrum magis. Auarus enim tum certe cum accepit ipse, inuidũ tum, cũ alius non accepit, gaudet. Rem strenue peractam putat, quoties proximo est acta male, successum ab alterius infortunio, non fortuna sua metitur cõmunis hominum naturæ, oberrans hostis. Inuidet Satan, sed hominibus, socio iam nemini. Tu vero homo cum sis, hominibus inuides, odium aduersus genus naturãq. communem exerces, quod ne Satan quidẽ facit. Quam veniam assequére? quam tandem excusationem prætendes, si fratris successum vidẽs intremiscas, pallescas, vbi coronari gaudere, exultare oportuisset? Quod si æmulari libet nil obsto, ęmulare sanè, sed vt ei, qui vir bonus est, similis euadas. Hæc honesta æmulatio est, nõ commodis aliorum, sed sui ipsius vitijs offendi. Qui æmulatur nihil successu fratris,

17 sed quod relinqui se videt, indolebit. Inuidus, cum rẽ succedere videt alteri, tabescit, prorsus velut fucus quispiam alienis laboribus tabescens, capescere labores, ipse numquã cogitans, alium accinctum videns ingemiscit. Omnia facit, vt illum remoretur, cui rei morbum cõferemus? Perinde esse videtur, vt si somnolentus asinus, & crassa carnium pulpa grauis, equo veloci coniungatur, qui cũ sequi nolit, illum mole sua inhibere etiã conetur. Nã & hic quomodo profundo somno aliquando surgat, nihil neq; cogitat, neq; occupatur, omnia vero mouet, vt alium in cælum properantẽ subuertat, deijciatq. Expressa quædã Satanæ imago, qui hominem in paradiso vidẽs, nihil eam ob rem mutabatur, sed ex hoc illum statu deijcere parabat. Cui inuidetur, si modo vigilet, illustrior odio redditur. Sic Ioseph ille clarus euasit, sic pontifex Aaron. Coegerunt inuidorum insidiæ Dñm, vt iterum, iterumq. clarum huic testimonium exhiberet, eædem vt virga germinaret in causa fuerunt. Quid inuidè obsecro male te habet? Num quod frater domũ spirituale accepit? Sed vnde accepit obsecro? Nonne à Deo? Aduersus illum igitur inimicitiam exerce, qui domum dedit. Infra: Inaccessum hac tabe laborantibus cælum; nec cælum modo non patet, sed ne vita quidẽ hac ipsa cõmodè frui licet. Non ita vestem, nõ ita lignũ insidens vermis, insidens tinea rodit, cõsumitq. vt illa inuidiæ ardentissima febris ossa haurit, ipsamq. mẽtis sobrietatẽ depopulatur.

Num.17.

IDEM ait: Heri & pridie amicus eras fratris, & loquebaris cum illo, fortasis etiã comedebas, repẽte, qm̃ vidisti mẽbrum tuum magis honestatum, abiecta amiciæ persona hostilẽ induisti, immo insaniã. Insania enim manifesta est alienis bonis cruciari. Hoc enim rabidorũ canum, & insanientium hominũ est: nã sicut illi in omnium insiliunt facies, inuidia exacerbati. Melius esset habere serpẽtẽ in viscera sese volutantẽ, quã liuorẽ intus depascentem. Nam illũ sæpe pharmacorum vsu euomi cõtingit, & alimento mitigari. Liuor autẽ nõ voluitur in viscera, sed in animæ sinu versatur, affectioq. est difficile curabilis. Et serpẽs quidem, cum intus sit, apposito alimento humana corpora nõ contingit. Liuor aũt licet plurima illi edulia proponas, illam deuorat animã, vndequaq; mordens, disrumpens, distrahens, nec inuenire potes vllam medicinã, per quã à suo furore liberetur. Numquid vna infœlicitate eius, q bene agebat, melius habet? immò neq; sic: nam licet iste æger sit, alium tñ videns bene habentem, illis doloribus obnoxius est, & vbiq; vulnera, vbiq; plagæ. Adeoq. excellens est morbus, vt licet quis se domi includat, priscis tamen viris olim mortuis inuideat. Hic morbus & Ecclesiam inuasit, & hoc est, ꝙ omnia sursum ac deorsum conuertit, corporisq. compagem discidit, & stamus alter contra alterum inuidia nos armante.

18 Hom.27.in 2.epist.Pauli ad Cor.

IDEM inquit: Laudatur quispiam virtute probatus, & Ecclesiam ædificans sana doctrina, nos huic protinus inuidemus, quia quę-

19 Homil.3.in j.epist.Pauli ad Tim.

que Dei sunt, gerit, videmurq; inuidere illi quidem, verum liuor ipse noster transit in Dominum maiestatis. Si autem Christi vrgeret affectus, siue id per nos, siue per alios fieret, nihil moueremur. Dic enim quæso, si quisquam medicus filium habens cæcitati proximum, ipse nihil remedij adhibere posset, alium vero fortasse reperiret, qui hoc posset, num illum repulisset? Nequaquam. Sed diceret, Siue per te sanitas, siue per me contingat, nihil

refert. Cur id? Quia non ea, quæ sua sunt, quærit, sed quid filio expediat, studiosè persequitur. Ita & nos si Christum toto animi affectu amaremus, diceremus profecto. Siue per nos, siue per alios quoslibet, quod expedit fiat, nihil ad rem, siue per veritatem, siue per occasionem Christus annuncietur. Audi deniq; dicentem sanctum Moysem, ad eos, qui eum irritare volebant, cum Eldad & Medad prophetare nunciarentur. Nolite inquit, pro me æmulari, quis mihi det, vt omnis populus Domini prophetet? Nempe ista omnia ex gloriæ vanitate procedunt, nonne hæc inimicorum atq; hostium sunt? Nos inuidentes ipsum Deum persequimur nostri tã studiosum amatorem, absit inquies. Hoc verbo omnes loquimur, cæterum contraria factis ostendimus.

Philipp. 1. *Num. 11.*

20 Homil. 44. ad populum Antioch.

IDEM sic habet: Sicut furentes sæpenumero gladios in se conuertunt, itidẽ & inuidi, propriam negligunt salutem, feris quoq; peiores. Nam illi quidẽ esca indigentes, vel priusquam a nobis irritentur, aduersus nos armantur, hi vero beneficijs quoq; frequẽter allecti, benemeritos maleficijs prosecuti sunt. Cur doles, ò homo proximi bonis? Dolere nos oportebat his, quæ patimur malis, non in quibus alios probabiles haberi videmus. Infra: Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia, ex hoc liuiores & pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc vrbes obsidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcumq; malũ videris ex hac radice producitur. Hoc auaritiam parit, hoc pro liberis seruos facit, væ super væ irascitur. Infra: Quid inuides, ꝙ hominibus mirabilis esse videtur alter, qui ho die quidem sunt, cras autem non erunt? Sed quod gloria fruitur? Quali dic mihi? De qua ne propheta dicit, ꝙ flos est fœni? Propterea igitur inuides, quoniam onera baiulat, & fœni tales circumfert sarcinas? Si vero tibi talis dignus inuidia videtur honor & lignicidæ per singulos dies onera ferentes, & vrbẽ ingredientes. Nihilo enim melius, hoc est onus, sed grauius, illud enim corpus tãtum premit, hoc autem & animã plerunq; læsit, & voluptate maiorem intulit anxietatem. In homilia hac, & sequenti multa dicit de inuidia, sed quæ in anterioribus homilijs sunt enarrata.

Isa. 40.

21 Homil. 53. ad populũ.

IDEM ait: Multi cum flentibus flent, cum gaudentibus autem nõ item gaudent, sed gaudentibus alijs ipsi lugent, quod est liuior & inuidia. Multi quidem cum periclitantibus periclitantur, claritatem vero consequentibus compuncti sunt, tanta vis est inuidiæ. Cum diabolo inuidi Ecclesiam impugnãt, fortasis autem & diabolo peius, multa habet hic etiam, quæ dixerat supra to. 4.

22 Epist. 27. ad Eustochiũ virginẽ epi taphiũ Paulæ. to. 1.

HIERONYMVS inquit: Semper quidem virtutes sequitur inuidia, feruntq; summos fulgura montes. Nec mirum si hoc de hominibus loquar, cum etiam Dominus noster pharisæorum inuidia & zelo sit crucifixus, & cuius inuidia mors introiuit in orbem terrarum. Liuori cedendum est, & dandus huic insaniæ locus. Quod fecit Iacob in fratre suo Esau, & Dauid in pertinacissimo inimicorum Saul, quorum alter in Mesopotamiam fugerit, alter se Allophylis tradiderit, malens hostibus, quàm inuidis subiacere.

23 In cap. 12. epist. Pauli ad Romanos. to. 9.

IDEM exponens verba illa; gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus, inquit: Hoc ait, vt si quid patitur vnum mẽbrum compatiantur omnia membra, sicut Iob ait: Si non ingemui cum videre homines in necessitate. Et Dominus fletibus Mariæ ad fletum prouocatur non pro Lazaro, quem erat suscitaturus sed propter incredulitatẽ iudæorum. Nos autem iam peruerso modo flemus cum gaudentibus, & gaudemus cũ flentibus. Si quis enim laudatus fuerit, contristamur, si quis ceciderit exultamus. Vnde ostendimus nos, qui talia facimus de corpore Christi non esse, qui non dolemus de acie nostra viros fortissimos corruentes, nec gaudemus, si videamus eos fortiter dimicantes, quamuis ipsi tam validi non simus ad pugnandum.

24 Lib. 8. de ciuit. Dei c. 3. to. 5.

AVGVSTINVS vbi agit de Socrate, refert, ꝙ a multis damnatus fuisset, quæ verba explicans Viues in commentarijs ait, dixisse Socratem cum morti proximus esset. Nõ me inquit, vel accusatores periment, vel crimina, sed inuidia sola, qua vna præclari viri quãplurimi interierunt, & interibunt.

25 In psal. 139. to. 8.

IDEM explicans verba illa; Abscõderunt superbi laqueũ mihi, ait: Totũ corpus diaboli explicauit breuiter, cũ ait; Superbi ipsi iustos plerunq; se dicũt cum sint iniqui. Ipsi sunt, qui cum sint falsi iusti, necesse est, vt inuideant veris iustis. Nemo enim inuidet alteri in eo, qđ nõ vult, vel esse, vel videri. Alius tibi inuidet, quia dies es, aut dies vult esse, aut putari vult dies. Alius tibi inuidet, quia clarus es, & nobilis, aut hoc esse affectat, aut hoc se putari cupit. Et sic omnia, quæ videntur bona in hoc sæculo, & putantur, quod quisque vult habere, & in quo vult excellere in eo tibi inuidet. Isti autem, qui falsi iusti sunt, videri nolunt iusti, cum non sint. Et necesse est, vt quem viderint verum iustum, inuideant illi, & hoc cum illo agant quomodo amittat vnde gloriatur. Inde veniunt omnes seductiones. Hoc prior ipse diabolus voluit, qui cadens, stanti homini inuidit. Et quia ipse amisit regnum cœlorum homine illuc peruenire noluit, & non vult. Quia ergo superbus est ipse, & ideo inuidus, quia superbus, omne corpus ipsius, talium corpus est. Quare inuides iusto, ò homo iniuste? Quia vis videri iustus. Cito fac quod melius est, & facilius eris. Quod vis videri, esto rebus, ita diliges, cui inuidebas. Quia, quod illum doles esse, eris & tu, & amabis in eo te, & ipsum in te. Etenim si inuideres diuiti, non esset in potestate tua, vt dies esses. Si inuideres alicui Senatori nobili, non esset in potestate tua, vt nobilis tu esses, & clarus. Si inuideres pulchro numquam pulchrum te faceres. Si inuideres forti, numquam tibi vires dares. Si inuides iusto, res in voluntate est, esto quod doles esse alterum.

Gen. 3.

IDEM

26 Ser. 83. de tempore. Tomo 10.

IDEM sic habet: Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum; Imitantur autem eum, qui sunt ex parte eius. Inuidiæ malum lædit parum aliquid etiam eos, in quos intenditur, grauius tamen & pernicioſius eos prius à quibus procedit affligit. Sicut. n. erugo ferrũ, ita inuidia ipsam animã in qua est interimit, & consumit. Et sicut aiunt viperas dilacerato, & dirupto illo ipso materno vtero in quo conceptæ sunt nasci, ita & inuidiæ natura illam ipsam animam à qua concepta est, & consumit, & perdit. Qualis hæc animæ tinea est? Quæ cogitationum tabes pectoris? Quanta rubigo zelare in homine domum Dei, & in malo opprobrio bona aliena conuertere, aliorũ gloriam facere pœnam suam, velut quosdam pectori suo admouere carnifices, cogitationib⁹, & sensibus suis adhibere tortores, qui se intestinis cruciatibus lacerent. Non cibus talibus lætus non potus potest esse iucundus. Suspiratur semper, ac ingemiscitur, & doletur, diebus; ac noctibus pectus obscessum sine intermissione laniatur. Et quantum ille cui inuidet successu meliore profecerit, tantum inuidus in maius incendium liuoris, ignibus exardescit. Pallor in facie, tremor in labijs, stridor in dentibus. Quisquis ille est, quem in zelo suo persequitur inuidus subterfugere eum forsitan poterit, & vitare, inuidus verò fugere non valebit. Vbicũq; fuerit, aduersarius suus secum est, hostis in pectore semper incluſus. Infra: Consideret vnusquisq; conscientiam suam, & si se videt de prosperitate proximi sui inuidiæ veneno percussum, euellat de pectore suo spinas, & tribulos, vt in eo semen Domini, quasi in fertili agro multiplicata segete luminis cõcipiatur, vt amaritudo inuidiæ, Christi dulcedine leniatur. Amet eos, & quos ante oderat, de meliorum semper profectibus gratuletur.

27 Ser. 18. ad fratres in Heremo.

IDEM inquit: Fratres nolite inuicem inuidere, inuidia enim omnes virtutes concremat, omnia bona dissipat, omnia mala generat. Ille inuidus est, qui alienum bonum suũ facit, & si facere non potest, velut canis latrat, & ardet, sed primo se ipsum (more phœnicis) occidit? Phœnix dum senescit ad partes calidissimas volat, ligna ficcissima congregat, & lignis congregatis, alis ligna percutit, & sic ignem accendit, & in eo se comburi permittit, ex quibus cineribus vermiculus nascitur, & postmodum phœnix alia efficitur. Sic inuidus agit cunctis diebus vitæ suæ intus & extra se ipsum comburens, seipsum primo infestãs, primo se ipsum vulnerans, & vexans. O inuidia omni vitio peior, & omni peste deterior. O inuide qui nunquam quiescere potes. An ignoras, ꝙ omnis malitia habet aliquam fœlicitatis vmbram? Sed tu ipsa inuidia nequissima pestis tormentum sine refrigerio, morbum sine remedio, laborem sine respiratione, pœnam sine intermissione, famem sine saturitate semper habere videris. O inuide vermis mortifere, qui in hedera Ionæ quotidie nasceris. O igneus serpens quo populus Israel pungitur. Hic est bruchus, quo fructus terrarum depascitur. Legimus, ꝙ filijs Israel manna cœlitus datum est, quo reseruato scaturiebat multitudo vermium. Sic ex cœlesti gratia fideli collata, occasionaliter in animo superbi, inuidia nascitur. Legimus etiam vermen ex hedera natum, cuius vmbra Ionas à calore defendebatur, tandem hedera corruit, & funditus deuastatur per vermen inuidiæ. Inuidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur, erugo quæ thesaurum sapientiæ depredatur, bruchus qui terrarum virentia comburit, quia quicquid boni operis viresçit in homine, penè pestis inuidiæ perdit. Hæc est quæ Angelum de cœlo proiecit, quæ hominem de Paradiso exulauit, quæ filios Israel in deserto percussit, quæ contra Ioseph fratres armauit, quæ Danielem in lacum leonum misit, quæ caput nostrum cruci affixit. Scitote fratres mei, & discite, & super tecta prædicate, quòd inuidia est illa fera pessima, quæ concordiam dissipat, linguam maledicam multiplicat, iustitiam disperdit, & omnia mala generat. Hæc est quæ Abel occidit, Paulum decollauit & Ioannem, Stephanum lapidauit, muros Hyerusalem euertit, Romam depopulauit, Carthaginem destruxit, Troyam deuastauit, & multa mala per hanc feram pessimam in orbe terrarum facta esse legimus.

Ionæ 4. *Num. 21.* *Ps. 104.* *Exo. 16.* *Isa. 14.* *Gen. 4.*

23 Lib. 5. moral. cap. 32. To. 1.

GREGORIVS explicans verba illa, Iob cap. 5. & paruulum occidit inuidia, sic ait: Inuidere non possumus nisi eis, quos nobis in aliquo meliores putamus. Paruulus ergo est, qui liuore occiditur, quia ipse sibi testimoniũ perhibet, quod eo minor est cuius inuidia torquetur. Hinc est, quòd Cain ad perpetrandũ fratricidium corruit, quia despecto suo sacrificio, prælatum sibi infremuit cuius Deus hostiam accepit. Hinc Esau ad persecutionem fratris exarsit, quia primogenitorum benedictione perdita, quam tamen pro esu lenticulæ ipse vendiderat minorem se eo, quem nascendo præibat ingemuit. Hinc Ioseph fratres sui Ismaelitis vendiderunt, quia cognito reuelationis mysterio, ne se fieret melior, eius profectibus obuiare cognati sunt. Hinc Saul Dauid lancea interimere conatur, quia quem magis quotidie augeri virtutum successibus sensit, vltra se excrescere expauit. Paruulus itaq; est, qui inuidia occiditur. Quia nisi ipse inferior existeret de bono alterius non doceret. Sed sciendum est, quòd quãuis per omne vitium, humano cordi antiqui hostis virus infunditur, in hanc tamen nequitiam tota sua viscera serpens cõcutit, & imprimendæ malitiæ pestem monit. De quo nimirum scriptum est, Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Nam cum deuictum cor liuoris putredo corruperit, ipsa quoq; exteriora indicant quã grauiter animum vesania instigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra fugescunt, fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumq; in labris cordis crescens absconditur odium, dolore cęcum tenebrat conscientiam vulnus inclusum. Nil lætum de proprijs libet, quia tabescen-

Gen. 4. *Gen. 25.* *Gen. 37.* *1. Reg. 18* *Sap. 2.*

scentem mentem sua pœna sauciat, quam fœlicitas torquet aliena, quantoq; extranei operis in altum fabrica ducitur, tanto fundamentum mentis liuidæ profundius suffoditur, vt quo alij ad meliora properãt, eo ipso deterius ruant, qua ruina etiam illud destruitur, quod in alijs actibus perfecto opere surrexisse putabatur. Nam inuidia, cum mentem tabefecerit, cuncta, quæ inuenerit bene gesta, consumit. Vn de bene per Salomonem dicitur; vita carniũ sanitas cordis, putredo ossium inuidia. Quid enim per vitam carnis, nisi infirma quædam ac tenera, & quid per ossa nisi fortia acta signãtur? Dicitur autem putredo ossium inuidia, quia per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam fortia acta virtutum. Vita autem carnium sanitas est cordis, quia si mentis innocẽtia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt, quandoq; roborantur. Qui liuoris peste plene carere desiderat, temporalia negligat, & illam hæreditatem diligat, quam coheredũ numerus non angustat. Imminutio enim liuoris est affectus surgens infernæ dulcedinis, & plena mors eius, est perfectus amor æternorum. Quia cum nulla terrena desiderat, nihil est, quod eius erga proximum charitati contradicat. Paruulum ergo occidit inuidia, quoniam huius pestis languore non moritur, nisi qui adhuc in desiderijs infirmatur.

29

Pro. 14.

30 IDEM exponens verba illa, Iob. 5. per diem incurrent tenebras, & quasi in nocte, sic palpabunt in meridie sic habet; Iniquorum hominum mentes cum quędam à proximis bene gesta conspiciunt, in extenso liuoris sui ecu leo torquentur, & grauem malitiæ suæ pœnam sustinent, cum bona in alijs tabescentes vidẽt. Rectè itaq; dicitur per diem incurrent tenebras, quia mens illorum cum de aliena melioratione affligitur, de radio lucis obscuratur, quia sępe in proximis, dum bona aperta considerant, si qua mala lateant inuestigant, & sollicitis inquisitionibus laborant, si quid fortè, quod accusare possint inueniant. Sana quidẽ membra conspiciunt, sed clausis cordis oculis, vulnus palpantes quærunt. Vnde bene subditur: Et quasi in nocte, sic palpabunt in meridie. Dies boni operis in proximo exterius lucet, sed quasi in nocte palpant, quia liuoris sui intus tenebras tolerant. Peruenire ad aliqua, quæ repræhendant fatagunt, detractionis aditum quærunt; sed quia hunc inuenire non valent, cæci exterius circumeunt. Quod bene exprimitur, cum Loth protegentibus angelis in domo eius Sodomitę ostium non inuenerũt, sicut scriptum est; Vimq; faciebant Loth vehementissime, & iam proximum erat, vt frangerent fores, & miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Loth, clauseruntq; ostium, & eos qui erant foris percusserunt cæcitate à minimo vsq; ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Quid est, quod malis aduersantibus intra domum, Loth reducitur, & munitur, nisi quod iustus quisq; dum prauorum insidias sustinet, ad mentem reuertitur, & imperterritus manet. Sodomitæ autem viri in domo Loth ostium inuenire nequeunt, quia corruptores mentium contra vitam iusti nullum accusationis aditum depræhendunt. Percussi enim cæcitate, quasi domum circumeunt, quia inuidentes, facta dictaq; perscrutantur. Sed quia eis de vita iusti fortis vndiq; ac laudabilis actio obuiat, errantes nihil aliud, quam parietem palpant. Bene ergo dicitur, quasi in nocte, sic palpabunt in meridie, quia dum bonum, quod vident accusare nequeunt, cæcati malitia, malum quod non vident ad accusationem quærunt. Sed Deus saluum faciet eg num de gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem.

Gen. 19.

Lib. 6. Moral. c. 13.

Joannis Baptistæ & Euangelistæ laudes.
Cap. VI.

De Ioanne Baptista. §. 1.

1 ORIGENES explicans verba illa. Luc. 1. Mansit autẽ Maria cum Elisabet, quasi mensibus tribus, ait: Si enim eo quòd tãtum venit Maria ad Elisabeth, & salutauit eã, exultauit infans in gaudio, & Spiritu sancto, plena Elisabeth prophetauit, & in vna hora tantos profectus habuit, nostræ coniecturæ relinquitur, quid in tribus mensibus Ioannes profecerit assistente Maria Elisabeth. Valde quippe indignum est in puncto horæ, atq; momento exultare infantẽ, per tres vero menses Ioãnem ex vicinia matris Domini, & ipsius Saluatoris præsentia nihil profecisse. Exercebatur ergo, & quodammodo in athletico sancta matre per tres menses vrgebatur Ioannes, & præparabatur in matris vtero, vt mirabiliter natus mirabilius nutriretur.

Hom. 9. in Luc. To. 3.

2 IDEM explicans verba illa de Ioanne, Puer autem crescebat, & confortabatur spiritu, inquit: Puer crescebat in spiritu, nec in eadem permanebat mensura, qua cæperat, sed semper crescebat in eo spiritus, & per singulas horas, atq; momenta spiritu succrescente, anima quoq; sua incrementa capiebat. Infra: Et erat in deserto vsq; ad diem ostensionis sue ad Israel. Dixi nuper, q̃ & conceptus Ioannes stupendum quid habuerit, quãdo exultauit infans in vtero, & suum necdum genitus Dominum recognouit, & natiuitas non impar miraculum, quãdo ad eum, velut audientem, & intelligentem, Zacharię prophetantis sermo cõuertitur dicens; Et tu puer propheta altissimi vocaberis. Digne igitur, qui sic cõceptus fuerat, & natus non expectauit, vt à patre nutriretur vsq; ad diem ostẽsionis suæ ad Israel, sed recessit fugiens tumultum vrbium, populi frequentiam, viciniam ciuitatum, & abijt in desserta vbi purior aër erat, & cœlum apertius, & familiarior Deus, vt vacaret orationibus, & cum angelis conuersaretur, vocaretq; Dominum, & illum audiret respondentem; ecce adsum. Si enim maior in natis mulierum Ioanne

Hom. 11. in Lucam.

ne Baptista fuit nemo, Moysi autem respondit Deus, respondit & Ioanni, qui maior Moyse fuit, qui est nutritus in heremo, cuius natiuitatem idem Archangelus, qui, & Domini nuncia uit. Erat igitur in deserto Ioannes, & nutriebatur nouo, & extra humanam naturam modo. Cibus autem erant locustæ, & mel siluestre, volucre paruum non in sublime se eleuãs vix à terra consurgens, & saliens potius, quam volans.

3 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa, ipse autem Ioannes habebat vestimentũ de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos, sic habet: Erat omnino mirabile, humano in corpore tantam videre toleran tiam. Erat enim maiore dignus admiratione Ioannes, quam Elias. Si quidem ille in vrbibus pascebatur, hic vero ab ipsis incunabilis in heremo semper inhabitauit. Erat illi impręparata mensa facilis amictus, & habitatio faci lior amictu. Neq; enim, vel tecto indiguit ille, vel lecto, non mensam, vel aliqua huiusmodi requisiuit, sed Angelica quadam vita mortali in carne resplenduit. Propterea etiam vestimentum de pilis camelorum habuit, vt habitu quoq; ipso mundi contemptũ doceret, suadens cæteris, nihil cum terra habere commune, sed ad priorem nobilitatem reuerti, quam habuerat Adam, priusquam de victu, vestituq, curaret. Quomodo in solitudine hyemes, pluuiasq; sustinuit, & hoc tenero adhuc corpore, atq; puerili ætate? Quemadmodum valuit rudis adhuc natura carnis, tantas inæqualitates aërum, cum illa ciborum tenuitate tolerare, vt de reliqua heremi afflictione silеamus? Heremum ita Ioãnes habitauit, vt cœlum, & quasi angelus aliquis è cœlo, ita in ciuitatem à solitudinis vastitate descendit. Ingens quidem athleta pietatis, ac velut toto spectante mundo, Dei iudicio coronatus, & cœlestis cuiusdã philosophiæ dignitate resplendens. Et hoc nõ dum destructo vtiq; peccato, necdum lege cessante, aut morte deuicta, nec confractis certè æneis portis, sed vetere adhuc morte regnante. Infra: Si verò ille in omni vitæ ratione mundissimus, cœloq; ipso clarior, & prophetis celsior, quo nullus hominum maior fuit, quiq; tanta apud Deum familiaritate gaudebat, ad omnem tamen patientiam durabat laborum, satis alte deliciarum fluxa despiciens, atq; ad omnem se vitæ rigorem coarctãs, quã nos satisfactionem afferre poterimus, qui post tot Christi beneficia, postq; mille nostrorum onera peccatorum, ne minimam quidem partem illius castigationis imitamur? sed, comessationibus, ac potationibus dediti, vndiq; relaxantes, in prædam diaboli pręparamur? Tunc exibat ad eum omnis Iudæa, & Hierosolyma, & omnis regio Iordanis, & baptizabantur ab eo confitentes peccata sua. Vides quantum præsentia valebat prophetæ? Quemadmodũ ad se fecit vndiq; populos conuolare, & illos ad peccatorum suorum cognitionem reduxit. Erat siquidem admiratione dignissimum, tantam in hominis habitu fulgere virtutem, tantamq; in illo splendere cõstantiæ dignitatem. Quem vtiq; tam ingentẽ videbant, plurimaq; vultus gratia corruscantem, ipsum quoq; prædicationis genus nouum erat, atq; diuersum regnum prædicans cœlorum, & promittens, atq; gehennæ supplicium.

Hom. 10. in c. 3. Matth. Tomo 2.

4

Mat. 11.

Mat. 3.

5 IDEM exponens verba illa. Math. 3. Ipse autem Ioannes habuit vestimenta de pilis Cameli, dicit: Non de lana cameli habuit vestimentum, ne ipsa mollicies vestimenti delicata faceret membra, & ipsa deliciositas virtutem patientiæ emolliret, sed de asperioribus setis cameli, vt ipsa asperitas ad virtutem patientiæ ipsum animum exerceret. Ideo non dixit de lana cameli, sed de pilis cameli. Tale habebat vestimentum, vt de virtute animæ eius ipse habitus corporis loqueretur. Indicabat in habitu vestem religiosiorem, non mollem, neq; delicatam, sed cilicinam, grauem, & aspe ram, & conterentem corpus, potius quam fouentem. Infra: Edebat locustas, quæ sunt volatilia quædam parua, & non satis in altum volantia. Infra: Tunc exibat ad eum omnis Hierosolyma. Amplius resonabat conuersatio vitæ eius in heremo, quam vox clamoris ipsius. Et magis expauescere faciebat homines operibus suis, quam verbis. Et forsitan ni si sermones suos conuersatione huiusmodi cõmendasset, nunquam omnis Iudæa ad vocem eius exisset ad eum. Egrediebatur ad eum omnis Iudæa. Ad comparationem enim illius sanctitatis, quis poterat arbitrari se iustum? Inimitabilis erat conuersatio eius, omnium vitam apparere faciebat culpabilem, vt iam nemo in operibus suis confideret. Quemadmodum enim si videris albam vestem, dicis, satis candida vestis est, si verò posueris eam iuxta niuem, incipit tibi sordida apparere, etsi verè sordida non est, tamen quantum ad similitudinem niuis sordida inuenitur, sic quantum ad comparationem Ioannis, omnis homo videbatur immundus.

Hom. 3. ex imperfecto Chrysostomi.

6 IDEM explicans verba illa, cum audisset Ioannes in vinculis opera Christi, inquit: Ioãnes specie homo, gratia angelus, quia nihil carnis erat in eo, nisi visio sola, corpore tenebatur in carcere, animo autem in cœlo. Et quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille suscipiebat pro beneficio. Et ira illius quasi Dei misericordia fruebatur, quia verum gaudium Sanctorum est exire de mundo. Et non solum de morte sua non contristabatur, sed ipsam quoq; dilationem vitæ suæ, pœnam putabat. Vis scire, quod est super humanam naturam? Missus in carcerem non de suo periculo sollicitus erat, sed de aliorum salute cogitabat, idest discipulorum suorum. Infra: explicans illa verba, etiam dico vobis, & plusquam propheta, ait: Prophetæ est de Christo prædicare. Nunquid prophetæ fuit, vt in vtero constitutus Deum in vtero cognosceret? Prophetæ est pro merito conuersationis, & fidei prophetiã accipere, nunquid prophetæ fuit, vt prius fieret propheta, quam homo, & ante gratiam acciperet? Prophetæ est beneficium à Deo accipere,

Hom. 27. ex imperfecto in c. 11. Matth.

pere, nunquid prophetæ est beneficium baptismatis Deo donare? Prophetæ est verbum ante tempus significare de Christo, nunquid prophetæ est facie ad faciem digito Christum ostendere? Prophetæ est, vt ipse de Deo prophetet, nunquid prophetę est, vt Deus de illo prophetet, dicens, ecce ego mitto Angelum meũ ante faciem tuam? Iam nunc incipit dicere causas, propter quas amplius erat, quam propheta Beatus Ioannes, qui talem meruit habere laudatorem. Et Ioannes quidem testificatus erat de Christo, ecce agnus Dei: Sed amplius recepit a Christo, quam præstitit. *Ioan. 1.*

7 Ioannes enim Christum glorificans, humanã illi contulit laudem, Christus autem Ioanni diuinam contulit gloriam. Nam iste illum agnũ ostendit ille autem istum Angelum prædicauit. Iste minus laudauit in Christo, quã erat, nam non solum peccatum mundi abstulit, sed etiam vitam æternam mundo donauit. Ille autem istum supra quã videbatur erexit, vt qui homo erat angelus diceretur. Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam. Audi nunc, & intellige dignitatem. Puto si non est audaciæ dicere, ꝙ glorioſior est Ioannes, quia homo fuit, & propter virtutis meritum angelus est vocatus, quam si nomine angelus, & natura fuisset. Angelus enim hoc ipsum, quod angelus est, non tantum est virtutis præmium, quantum naturę proprietas. Iste autem mirabilis est, qui humana natura angelicam sanctitatem transgressus est, & obtinuit, quod nõ habuit natura per gratiam Dei. Quantum præ cæteris prophetis Ioannes in tempore iuxta Christum, tantũ iustitia præ illis proximior erat Christo. Multæ quidem stellæ ante lucem præcedunt nunciantes lucis aduentum, nulla tamen earum luciferi nomen habere meruit, nisi vna, quæ cum ipsa luce procedit. Sic omnes prophetæ ante faciem Christi præcedunt, nunciantes aduentum eius, solus tamen Ioannes præcursor est appellatus. Omnes prophetę prophetauerunt de Christo, de illis autem non prophetatum est, ipse autem non solum prophetauit de Christo, sed etiam alij prophetę prophetauerunt de ipso. Quis aliquando dictus est vox clamantis in deserto? Nam omnes portitores verbi fuerunt, iste autem ipsa vox, quę desertum facere poterat, quasi agrũ cultum. *Luc. 3.*

8 IDEM ait: Quia Ioannes maiorem accepit gratiã, propterea in heremo philosophatur, & reseruat se in aduentum Christi; quia nunciaturus erat Christum statim in heremo nutritur, ibi crescit, non vult cum hominibus conuersari. In heremo cum angelis philosophatur. Considerate monachi dignitatem vestram. Ioannes princeps vester est, ipse monachus. Statim, vt natus est in heremo viuit, in heremo nutritur, Christum expectat in solitudine. Fœlices sunt, qui imitantur Ioannem, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit. Expectabat Christum, oculi eius nihil aliud dignabantur aspicere. Vnde (Hom. 28. in Ioannem,) idem Ioannes dixit. Qui habet sponsam sponsus est, amicus autem sponsi gaudio gaudet propter vocem sponsi. Qui dixerat, non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calceamenti, amicum se eius in prẽsentia dicit? Non vt extollat se, nec vt laudet, sed vt hanc maximam curam habere, neq; inuito se, & ęgre ferẽte id fieri, sed cordi sibi, & quã gratissimum esse ostẽdat, & hæc sunt, quorum gratia maximè omnia fecit, quæ omnia amici appellatione significauit. Amici enim sponsi exultant, maximè in nuptijs illius, vbi voluptatis magnitudinem explicare voluit. Quasi diceret. Tãtum abest, vt molestè miracula eius, & opera feram, vt tunc maximè dolerem, si non fierent, si ad sponsum sponsa non accederet, dolore tunc afficerer. *Hom. 2. ex varijs in Ioannẽ. To. 3.*

9 HIERONYMVS ait: Ioannes ille maior omnium prophetarum non vestitur mollibus, non exquisitis ad gulam dapibus saginatur, sed in hoc mundo pene sine mundo est, cunctam desideriorum deserens curam mundialem, setosa durum virum horridant, tegmina non decorant, humifero esu, melleo tenuiter sudore saturatur. Deniq; hic non agnum illum, quem in vmbra veritatis soliti erant Iudæi habere pro Pascha, per quem mundi peccata non poterant aboleri, sed illum verum agnum, cuius omnis esset mortalitas cruore saluanda, primus agnouit dicendo, Ecce Agnus Dei. Illud etiam in eo mirandum est, ꝙ heremum elegerit, Domini prædicaturus aduentum, non in templis, non loquitur in plateis, multitudinem multitudini profuturus horrescit. Et cur vox est clamantis se declinatur auditor? Opus est vtiq; multitudo doctori. Et quę in heremo multitudo? Sine dubio nulla. Et quid faciẽt propheta, qui & vox est, & vox clamantis? Elegit ni fallor locum non vbi eum nullus audiat, sed ad quem populos de naturę corruptæ cõuersatione reducat, vt in propheta nouam vitam videntes diuinam mirari discant, seq; omnibus vitijs circunciſos in heremo esse patiantur. Locus ergo ipse formado ctrinę est, & ipsa prædicatio solitudo est virtutum. Operatur habitatio dum vrbium sequẽtia sollicitus relinquit auditor, & heremum à contagione mundi, velut à theatro hoc voluptatum auulsus ingreditur. *In Epist. de vera circũcisione Tomo 9.*

10 AMBROSIVS sic habet: Multis modis & innumerabilibus differentijs gratiæ opera, & dona variãtur, inq; ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus, & impares quantitates. Sicut enim in germinibus herbarum, atq; lignorum, quæ terra producit, non vna species, nec vnum in omnibus genus est, sed singula quęq; in sui seminis forma, & in sue stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non statim, vt ꝙduntur accipiunt, sed certis, & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem; per succedentia sibi incrementa perueniant, ita & semina charismatum plantęq; virtutum non in omni agro cordis humani, totum hoc pariter, quod sunt futura nascuntur, nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoa- *Lib. 2. de vocatione gẽtium. To. 1.*

choatione perfectio. Exierit quidẽ frequẽter potẽs, & misericors Deus mirabiles istos suę operationis effectus, & quibusdã mẽtib⁹ nõ expectata profectuum mora, totum simul quicquid collaturus est inuehit. In Abrahæ lumbis Leui sanctificatur, & simul cum eo domus Aaron, & sacerdotalis ordo benedicitur. Iacob nullo merito suffragante dilectus, priusquam nascatur eligitur. Hieremiæ dicitur. Priusquam te formarẽ in vtero noui te, & antequam exires de ventre sanctificaui te. Ioannes intra Elisabeth matris viscera Spiritu sancto repletus exultat, & vt nullus inter natos mulierum maior sit, prius sentit initia gratiæ, quam naturæ. Sed cum & alia similium documentorum exempla non desint, multo tamen crebrior, multoq; numerosior pars illa hominum est, cui particulatim, quicquid superna largitas donat, accrescit. *Heb. 7.* *Hiere. 1.* *Luc. 1.*

11 IDEM sic habet: In beatissimi Baptistæ laudibus, quid potissimum prædicem nescio, vtrum quod mirabiliter natus sit, an quod mirabilius sit occisus? Natus enim est Propheta, in veritate peremptus est; nascendo annũciauit Saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incestum. Vir enim sanctus, & iustus, & qui, prẽter communem hominum natiuitatem, ex repromissione generatus fuerat, hoc de Deo meruit, ne communi cum cæteris de sæculo morte discederet, sed corpus quod Domino donante susceperat, Dominum confitendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia voluntatem Domini fecit, quia propter opus Domini, & natus est, & defunctus. Infra: Recensita natiuitatis eius serie ait: Minus autem mirari debemus, ꝙ tantam Ioannes gratiam in nascendo meruerit, debuit enim præcursor, & præuius Christi habere aliquid simile natiuitati Domini Saluatoris. Habet huius natiuitas, aliquid gloriæ, atq; miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse, quam virginis, tamen sicut Mariam suspicimus, quod virgo peperit, ita in Elisabeth miramur, quod anicula procreauerit. Illud autem quam mirandũ, quod idem Gabriel Archangelus vtriusq; natiuitatis officium repręsentat. Hoc etiam in laudibus Ioannis minimè tacendum videtur, quod nondum natus etiam prophetat, & adhuc in materni vteri finibus constitutus, aduẽtum Christi, quia voce non poterat gaudijs cõfitetur. Exultat in vtero antequam nascatur, & prius quam mundi oculis habitum recognoscat, spiritu mundi Dominum recognoscit. In quo arbitror propheticam conuenire sententiam; prius quam te formarem in vtero noui te, &c. *Ser. 63. qui est de natali S. Ioãnis Baptistæ. in vlt. verb. Tomo 5.* *Hiere. 1.*

12 IDEM ait: Si pater Zacharias, cum eum nominauit vocem recepit, quanto magis nos, cum laudemus illum eloquium, promeremur. Cum enim Zacharias pater eius, propter incredulitatem natiuitatis illius, ab Angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus, subito nato Ioanne filio linguam resoluit. Videte igitur Sancti Baptistæ meritum, vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Os quod angelus alligauerat, Ioannes absoluit, quod Gabriel obstruxerat paruulus reserauit, quanquam, & ipse sit angelus, sicut scriptum est de eo; Ecce ego mitto angelum meũ ante faciem tuam. Respicite Ioannem, & videte quanta sit vis eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotem, quo nascente fit repente propheta. Magnus Ioannes cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet dicens: Inter natos mulierum maior non est Ioãne Baptista. Præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere est, inferior est Ioanne. *Ser. 64. de Nati. S. Ioã.*

13 IDEM explicãs verba illa, & erit magnus coram Domino, inquit: Non corporis hic, sed animæ magnitudinem declarauit. Est coram Domino magnitudo animæ, magnitudo virtutis. Est etiam paruitas animæ, & pueritia virtutis. Pusillus est, qui nullum adhuc virtutis videatur habuisse processum. Vir perfectus ille dicitur, qui caret errore pueritiæ, & lubricum adolescentiæ, animæ maturitate nõ sentit. Pusillus contrarius est magno. Et si iuxta Apostolum, paruulus sub elementis est, cum enim essemus paruuli, sub elementis huius mundi eramus seruientes: ergo magnus supra elementa mundi est. Magnus, qui in deserto prædicans, delitias hominũ, corporisq; lasciuiam magna animi virtute depressit. Paruulus ergo in sæculo, magnus in spiritu. *Lib. 1. c. 1. Luc. To. 3.* *Galat. 4.*

Infra: Præibit in conspectu Domini in spiritu, & virtute Heliæ. Bene ista iunguntur. Nunquam enim sine virtute spiritus, nec sine spiritu virtus est. Et ideo fortasse in spiritu, & virtute Heliæ, quia Beatus Helias virtutẽ magnam habuit, vt ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret. Virtutem abstinentiæ, atq; patientiæ, & spiritum prophetandi. In deserto Helias, in deserto Ioannes. Ille coruis pascebatur, hic, dũ dies esset, calcata omni voluptatis illecebra, parsimoniam prætulit, luxumq; contempsit. Ille Achab regis gratiam non quæsiuit, hic Herodis spreuit. Ille post triennium, pluuijs terram rigauit, & hic post triennium arescentem nostri corporis humum fidei imbre perfudit. Ille Iordanem diuisit, hic ad lauacrum salutare conuertit.

14 AVGVSTINVS ait: Celebratur Natiuitas Sancti Ioannis Baptistæ, quia in vtero fuit sanctificatus. Hæc autem festiuitas non solum apud fideles, sed apud infideles vigiliã habet. In hoc festo maxime pagani infideles ad Ecclesiam suam conueniebant vigilantes. Dum illa Sancta Elisabeth (quæ filia fuit Sanctæ Ismaræ, quæ quidem Ismara soror fuit carnalis Sanctæ Annæ matris Dominæ nostræ) grauida esset de Ioanne, ante aduentum virginis sanctificatus Ioannes non fuit; sed salutata Elisabeth à Virgine, mox Ioannes sanctificatus fuit in vtero: vnde meritò eius natiuitatem celebramus. *Ser. 25. ad fratres in Heremo.*

BER-

15 In Ser. Natiu. S. Ioan. Bapt.

BERNARDVS inquit: De Ioãne scriptum est. Erat ipse lucerna ardens, & lucens. Magnum testimonium. Est enim tantùm lucere vanum, tantùm ardere parum, ardere, & lucere perfectum. Audi quid sapiens dicat; *Ioan. 5.* *Eccl. 27.* Vir sapiens permanet sicut Sol, nam stultus, vt Luna mutatur. Quia enim splendet Luna sine feruore, modo plena, modo exigua, modo nulla videtur. Mutuatum si quidem lumen nũquam in eodẽ permanet statu, sed crescit, deficit, extenuatur, & penitus non comparet. Sic sic, qui conscientias suas in alienis labijs posuerunt, modo magni, modo parui sunt, modo nulli, secundum quod adulantium linguis, vel vituperare placuerit, vel laudare. Sic sapientis ardor internus foris lucet, etsi non ei datur vtrumque curat semper ardere magis. *Math. 5.* Dictum est Apostolis, & apostolicis viris: Sic luceat lux vestra coram hominibus. Dictum est hoc, & Ioanni, sed ille in spiritu tanquam angelus eruditur. Nimirum tantò propinquior Deo, quantò vox verbo vicina, cui nulla voce alia media, quod foris sonet oporteat intimari. Neq; enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero matris suæ. Vere ardens, & vehementer accensus, quem sic præoccupauit flamma cœlestis, vt id Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat, vel seipsum. Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus, qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore solum adhuc potuit illuminare modium suum, soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum reuelans motu nouæ exultationis. *Luc. 1.* Vnde hoc mihi, inquit, vt veniat mater Domini mei ad me? Quis enim tibi indicauit matrem Domini, mulier sancta? Vnde me nosti? 16 Vt facta est, inquit, vox salutationis tuę in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Illuminauit ergo iam tunc modium suum, sub quo latebat, paulo post mundum nouis illustratura fulgoribus. Ille erat, inquit, lucerna ardens, & lucens. Non ait lucẽs, *Ioan. 5.* & ardens, quia Ioanni ex feruore splendor, nõ feruor prodijt ex splendore. Sunt enim, qui non eo lucent, quia feruent, sed magis feruent, vt luceant: qui non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Ardens erat Ioannes in se ipso vehementi austeritate cõuersationis erga Christum, infimo quodam, & pleno feruore deuotionis, erga peccantes proximos, constantia liberæ increpationis, luxit, seipsum ostendens ad imitationem, & luminare maius, quod latebat ad peccatorum remissionem, & ipsas quoq; tenebras nostras illuminans cohibendo. Considera igitur hominem angelicõ promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem. Victum, & vestitum habentes (ait Apostolus) his contenti simus. *1. Tim. 6.* Apostolica perfectio ista est, sed Ioannes etiam hæc contempsit. Audi Dominum in Euangelio. Venit (inquit) Ioannes nõ mãducans, nec bibens, plane, nec vestiens. Sicut *Math. 11.* enim non est locusta cibus, nisi aliquorum forte irrationabilium animalium, sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Quid vos irrationabiles feræ, & reptilia deserti cibos exquiritis delicatos? Ioannes sanctus homo missus a Deo, immo angelus Dei, quo nullus maior in natis mulierum innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit, vos indui festinatis byssо, & purpura, & splendide epulari? Heu hic est præsentis totus honor diei, hæc Baptistæ reuerentia tota, hæc natiuitatis eius prophetata quondam lætitia est. Cuius enim memoriam agitis, ò nimis delicati cultores, cuius celebratis natalem? Nonne illius qui in heremo fuit hirsutus veste confectus media? Multi (inquit angelus) in natiuitate eius gaudebunt. Verum id quidem multi 17 in natiuitate eius gaudebunt, & paganis ipsis (vt audiuimus) læta est, & solemnis. Illi celebrant, quod ignorant, sed non ita debuerant Christiani. Nunc vero, & ipsi in hac Ioannis natiuitate gaudent, sed vtinam de natiuitate, non de vanitate. Infra: Ardebat Ioannes sibi, lucebat nobis. Gaudeamus in feruore eius ad imitationem, gaudeamus in lumine, non tamen ibi manentes, sed vt in lumine eius videamus lumen, cui ipse testimonium perhibuit. Venit Ioannes, ait Dominus, non *Math. 11.* manducans, neq; bibens. Incentiuum feruoris id mihi est, materia humilitatis. Quis enim in nobis est fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicuius momenti reputare præsumat? Quæ homicidia, quæ sacrilegia, aut flagitia sic puniebat Ioannes in se ipso? Ex hoc sane, & erga proximorum delicta feruorem intuere Ioãnis. Genimina viperarum, ait: Quis ostendit vobis fugere à ventura ira? De quanto *Luc. 3.* mẽtis feruore procedere putas scintillas istas, immò carbones desolatorios? Arguit pharisæos, arguit regem crudelem, atq; superbum, sacra quadam vehementia, ad hoc prodiens de deserto millia illi parcens. Ligatus quoq; & in carcerem trusus, nihilominus stetit in veritate, & occubuit pro veritate fœliciter. Ferueat etiam in nobis zelus iste charissimi. Ferueat amor iustitiæ, odium iniquitatis, peccata dissimulet nemo. Nemo quodin se est æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam, nemo dicat, nunquid custos fratris mei ego sum? Est enim consentire silere cum arguere possis. Iam vero super humili, & omnino feruentissima deuotione Ioãnis erga Dominum, quid loquemur? Inde enim exultauit in vtero, inde expauit in Iordane baptizaturus eum, inde, non modo Christũ qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calciamenti eius soluere, dignum se esse negabat. *Ps. 61.* Nõne Deo subiecta erit anima mea? Alioquin non ero lucerna ardens, nisi toto corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Luxit etiam Ioannes, tu puer propheta altissimi vocaberis (ait pater) præibis enim ante faciem Domini para-

re vias eius, ad dandam scientiam salutis plebi eius. Ad dandam, inquit, non salutem (neq; enim ille lux) sed scientiã salutis, in remissionẽ peccatorum. Num scientiam salutis sapiẽs paruipendere potest? Ponamus tñ necdũ venisse Ioannẽ, necdũ significasse de Christo, vbi salutẽ queremus? Peccaui peccatũ grãde, qđ sanguine aialium deleri nõ potest. Si peccati mei oblitus fuero, stultus sum, & ingratus. Si in memoria mea pmanet, arguet me in ęternũ. Quid *Ioan. 1.* igitur faciã? Ibo ad Ioãnẽ, & audiã vocẽ lętitię, & misericordię, verbũ remissionis, & pacis. Ec- *Ioan. 3.* ce, inquit, agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et alibi: Qui habet spõsam spõsus est. Ostendit igitur, quia venit Deus, quia spõsus, quia agnus. Quia Deus certũ est, quod peccata remittere possit, vult autem quia sponsus est, quia amabilis est, agnus etiã est, ne timeas eã, quã facere venit delictorum purgationem, ne vstione, & scissione, ossa, & medullas ossiũ collidat, ne dolorem inferat morte grauiorẽ. Audi, agnus est, in mansuetudine venit, cũ lana, & lacte, solo verbo iustificans impiũ. Dñm oportet crescere, me aũt minui. Minui vtiq; splẽdore non feruore. Retraxit radios, recollegit se, ne fieret sicut ille, qui totũ profert spiritũ suũ. Illum, inquit, oportet crescere, qui exhauriri nõ potest, de cuius plenitudine oẽs accipiant, me aũt minui, cui datus est spiritus ad mẽsurã, & dãda magis opera, vt ardere semper valeã, quã lucere. Præcessi sole tanquam sydus matutinum, abscondi necesse est orto iam sole. Non est mihi nisi modicum olei, quo vngar, volo illud in vase tutius, quam in lampade possidere.

19 In Ser. de priuilegijs Ioã. Bapt.

IDEM ait: Hodie dies nobis illuxit insignis, & tãto diebus cęteris sanctior, quãto sanctiorẽ hoiem terris infudit. In hac si quidẽ die natus est sanctorũ splendor, iustorũ lętitia, & gloria, gaudiũ angelorũ, consanguineus Christi, amicus spõsi. Felix homo, qui fęliciter cœlorũ perã bulans officinas, cursu fęliciss̃imo sequit redẽptorẽ. Lętantur angeli, & vtriusq; naturę numerositas admiratur hoiem, sic ingressum abyssũ luminis, & intra interna diuinitatis absorptũ, vt ipsam reuerberet aciẽ angelicæ puritatis, sic ab ortu vitę vsq; ad occasum cõuersatus est cũ hoibus, vt forma vitę, morũ informatio haberetur, primus honor est gloria in annũciatione. Astat. n. patri Archãgelus Gabriel, & ait ei: Nascetur tibi filius parentũ gaudiũ, nobilitas generis, orbis exẽplũ, finis legis, euãgelij principiũ, mortis expulsio, ianua vitę, decus hoium cõuersationis splẽdor, oĩs iustitię principatus. Cõsidera nũciãtiæ sublimitatẽ, loci dignitatẽ, quia cũ staret pater a dextris altaris incẽsi, corã arca &c. Diei reuerẽtiã, in solẽnitate, qñ Iudęi oẽs cõueniebãt, & tũc intelliges, quã excellẽti gloria Ioãnis genitura pdicetur. Secundus honor est sãctificatio in vtero matris. Lõge minor Hieremię sanctificatio, quã Ioãnis. Illẽ qdẽ in vtero matris sanctificatus, hic spiritu sancto repletus dicitur. Ibi. n. sanctificatio emũdationẽ, hic repletio inundationẽ signat Apostoli, q in auribꝰ suis tractauerunt de verbo vitæ, cum spiritum sanctum accepissent, insufflãte Dño, vix quinquagesimo à resurrectionis die, ad illũ gradum potuerunt peruenire, vt diceretur de eis, repleti sunt oẽs spiritu sancto, quod tñ Ioãnes in vtero legitur assecutus. Tertius honor est excellentia in exultatione. A seculo non est auditum, qꝫ quis exultauerit in vtero matris. Quid mirũ si exultat, si amplexantibus se, matribus, regem, & militem tantũ duo tenerrimi parietes abiungunt. Quartus honor est gaudiũ in natiuitate. Quintus honor est singularitas in conuersatione. Intra teneritudinẽ .n. annorũ beatus iste puer ad heremũ ductus est, nec obsistit ætatis infirmitas, quã maiestas Dñi fecundabat. Mira conuersatio, vix mundũ intrauerat, & iã mundi fugiebat gloriam, & sæculi cupiditates non solũ obliuiscebatur, sed nescie- 20 bat, perpetuũ cum Deo habens consortium, & animalis vilissimi satiatur edulio, nihilq; cõctũ accipit ieiunãtis asperitas. Sextus honor est nouitas in prædicatione. Ipse .n. fuit primus, qui de regni cœlestis perpetua mansione diseruit. Ascendit Moyses in caliginem, in quã erat Deus, loquitur familiariter cũ Deo, gloriosum nomẽ Adonai ei reuelatur, sed intus orbus regni cęlorũ memoria, nec nominatur, nec auditur. Veni ergo ad Ioannẽ, & audi vocẽ exultationis, vocem nouitatis, verbũ misericordiæ, sermonẽ glorię, quod celauerat Deus, iacuerat angelus, latuerat patriarchis, prophetæ nescierunt. Pœnitentiã, inquit, agite appropinquabit .n. regnum cęlorum. Hæc est vox, de qua maxi- *Math. 3.* mus ille contẽplator cœlestium visionũ, in hæc verba, prosequitur. Et vox prima, quã audiui, *Apoc. 14.* sicut citharędorũ citharizãtiũ in citharis suis. A diebus Adæ vsq; ad Ioannẽ ơganum nostrũ versum est in vocẽ silentiũ. Quare? Quia si occidis, occidi iuberis, sabbato ligna colligis, lapidari iuberis, & ille cui ꝓpriũ est misereri semper, & parcere, nisi ferire nõ nouit. Ioãnes natus ostendit medicamentũ vulneri, peccato pœnitentiã, & veniã. Hæc est prima vox clamãtis in deserto, vox turturis, q̃ audita est in terra nostra. Ex tunc misit in os nostrũ canticũ nouũ, *Cant. 2.* & superexaltat misericordia iudiciũ. Septimꝰ honor est dignitas in baptismate, qñ Christus Dñs cœlorum rex astantibus angelis venit ad Ioannem, vt baptizetur ab eo. Octauus honor est prima reuelatio de trinitate facta Ioãni, qñ descendit spiritus sanctus sicut columba super Christum in Iordane, & vox patris audita est, hic est filius meus dilectus. Pater auditur in voce, filius baptizatur in flumine, spiritus sanctus demonstratur in columbæ specie. Nonus *Math. 11.* honor est testimonium veritatis, quod de Ioãne Christus Dñs prædicauit. Quid existis in desertum videre? O mira testificatio redemptoris. Quis ingressus est mundum, & mundum, vel in aliquo non cognouit?

De S. Ioanne Euangelista. §. 2.

21 Hom. 2. ex varijs in Euãg. To. 3.

ORIGENES explicans Euangeliũ Ioã. 1. in principio erat verbum, ait: Superuolat beatus Ioannes Theologus, non solum quæ intelligi, ac dici possunt, verum etiam, quæ superant omnem intellectum. O beate Ioãnes nõ immerito

vocaris Ioannes, Hebrẽũ nomen eſt, ſignificãs, cui donatum eſt. Cui .n. Theologorũ donatũ eſt, quod tibi donatũ eſt, abdita, videlicet ſummi boni penetrare myſteria, & ea quæ tibi reuelata, & declarata ſunt humanis mẽtibus, ac ſenſibus intimare? Dic quẽſo cui talis, ac tanta donata eſt gratia. Recubuit Ioãnes in cœna ſuper pectus Dñi, qui poſt quam ſemel veritatis perſpexit vultũ, nequaquã eius acies repercutitur, non fallitur, nulla caligine obcęcatur.

Infra: Petrus Chriſtũ, Deũ, & hoĩem iam fatẽ cognoſcens, & dicens, tu es Chriſtus filius Dei viui, altiſsime volauit, ſed Ioannes altius illo, qui eundẽ Chriſtũ de Deo ante oĩa tpa genitũ intellexit, dicens, In principio erat verbũ. O beate Paule raptus es, vt te ipſe dicis, in tertium cœlum, ſed non es raptus ſuper oẽ cœlũ, & paradiſum. Ioannes oẽ cælum conditũ, oẽm creatã paradiſum, hoc eſt, oẽm humanã angelicãq; tranſgreditur naturã. In tertium cœlum raptus, o vas electionis, & magiſter gentiũ audiſti verba, quæ non licet homini loqui. Ioãnis intimæ veritatis inſpector vltra oẽ cœlum in paradiſo paradiſorũ, hoc eſt, in cauſa oĩum audiuit vnũ verbum, per quod facta ſunt oĩa, & 22
licuit ei illud verbũ dicere, hoĩbusq; prędicare, quantum hoĩbus p̃dicari poteſt, ac fiducialiter clamat. In principio erat verbũ. Nõ ergo Ioãnes erat homo, ſed pluſquã homo, qñ & ſeipſum, & oĩa quę ſunt ſuperauit, & ineffabili ſapientię virtute, puriſsimo mẽtis acumine ſubuectus in ea, q̃ ſuperiora sũt ſecreta, videlicet, vnius eſſentiæ in tribus perſonis, ingreſſus eſt. Non .n. aliter potuit aſcendere in Deum, niſi prius fieret Deus. Vt .n. radius oculorũ noſtrorum, ſpecies rerũ ſenſibiliũ, coloreſq; nõ prius põt ſentire, quã ſe ſolaribus radijs immiſceat, vnũq; cũ ipſis, & in ipſis fiat; ita animus ſanctorũ purã rerum ſpiritualium, oẽmq; intellectũ ſuperantiũ cognitionẽ non ſufficit accipere, niſi prius incõprehẽſibilẽ veritatis participationẽ dignus efficiat habere. Sãctus itaq; theologus in Deũ trãſmutatus, veritatis particeps, Dei verbũ ſubſiſtere in principio pronunciat. Animaduerte angelũ diuinum ſuper filiũ hoĩs aſcendentẽ, & annunciantẽ ipſum eſſe ante oĩa in principio, & mox deſcẽdentẽ ſuper eundem filium hoĩs, & dicentẽ; Verbũ caro factum eſt.

23 BASILIVS exponit euangeliũ Ioannis c. 1. in principio erat verbũ &c. inquit: Oĩs quidẽ euãgeliorum vox reliquis omnibus ſancti ſpiritus præceptis eminentior eſſe dignoſcitur, q̃ in alijs per prophetas ſeruos, in euangelijs autem ipſe per ſe Dominus nos eſt allocutus. In ipſius autem euangelij laudibus, & ſermonis magnitudine, & ſententiarum grauitate, Ioannes filius tonitrui primas obtinet.

24 CHRYSOSTOMVS ait: Sanctiſsimus Ioãnes admirationis plenus, arcana redũdans ſapientia, tonitrui filius eſt Chriſto dilectiſsimus, columna oĩum quæ in orbe ſunt eccleſiarum, qui cęli claues habet, qui Chriſti calicem bibit, qui ſuper pectus Dñi multa cũ fiducia recubuit. Infra: Huic Apoſtolo ſupernæ affuerunt virtutes, eius animæ pulchritudinem, ſapientiã, & ſpeciẽ virtutis admirantes. Etenim tanquã lyram quandã pretioſis lapidibus, auroq; diſtinctam, ſic ſuam ſibi aĩam exornando effecit, vt per eũ magnum, & altum ſpiritu perſonaret. Nihil nobis humanũ, ſed à ſpiritus ſancti profundis, & abditis theſauris omniã prolo quitur, quæ neq; angeli, priuſquã hic diceret, nouerunt. Nãq; & ipſi nobiſcũ per Ioannis vocẽ, & per nos didicerunt, quæ cognouimus, & quod nobiſcum beatus etiã Paulus hic verbis *Eph. 3.*
ſignificauit, vt innoteſcat principatibus, & poteſtatibus in cęleſtib⁹ per eccleſiã multiformis ſapientia Dei, ſi ig tur principatus, & poteſtates, cherubin quoq; & ſeraphin, hæc p eccleſiã didicerunt, plane cõſtat ipſos angelos ſumma cũ attentione eius ſeſe auditores exhibere. No biſcũ ergo angeli didicerũt, quæ ignorauerũt. Et in Ser. 1. addit. Audiemus Ioannẽ narrantẽ ea quæ in cœlo ſunt, & quæ nemo vnquã ante hac intellexit. Talẽ .n. & tã profundã doctrinã ad nos affert, qualẽ credibile eſt, ab ipſis ſpiritus ſancti theſauris accepiſſe, tanquã modo ex ipſo cœlo deſcenderit, immo neq; omnes, qui in cœlo ſunt, ſcire ea credendum eſt, vt iã diximus. Infra: Corpore habitauit Aſiam vbi antiquitus omnes philoſophorum ſectæ philoſophatæ ſunt; Idcirco locus is dęmonibus obnoxius eſt, & admodũ formidabilis. In medio tamẽ inimicorum claruit, illorum fugata caligine arcem euertit, quam munitiſsimam.

IDEM ſic habet: Ioannes erat diſcipulus 25
ille, quẽ diligebat Ieſus. Quid huic beatitudini *Hom. 32. in Ioan.*
pat? Sed tãtę dilectionis cauſam contẽplemur. Quẽnã ea eſt? Reliquit patrẽ, & nauiculam, & rete, & ſecutus eſt Ieſum, verũ hoc frater fecerat, & Petrus, & Andręas, & alij Apoſtoli. In quo ergo excelluit, q̃ tantã ſibi Ieſu cõciliauerit dilectionem? Incredibilis arbitror Ioannis manſuetudo, & lenitas, quæ quãta ſit virtus ex Moyſe manifeſtum eſt: quippe quæ tm̃ ac talẽ præſtiterit, nihil .n. humilitati cõparandum.

HIERONYMVS recens multorum opinionem de Mariæ aſſumptione, dicit etiã, & de 26
Ioanne, idẽ nec reprobat, ait: Aiunt beatam *In Epiſt. ad Paulã, & Euſtochiũ de aſſumptio. B. Mariæ. To. 9.*
virginem beata cum Chriſto immortalitate veſtiri. Quod & de beato Ioanne euangeliſta eius miniſtro plurimi aſſeuerant, quia in ſepulcro eius, nõ niſi manna inuenitur, quod & ſcaturire cernitur. Infra: Poſt aſcenſionem Dñi Ioannes apoſtolus, atq; euãgeliſta Mariã, cui Chriſtus eã de cruce commiſit, virgo virginem ſeruauit, ſuiſq; ei deſeruiuit obſequijs, nõ quod eximius ille ſanctorum chorus apoſtolorum deſeruerit eã, inter quos poſt reſurrectionẽ intrãs, & exiens, familiarius cõtulit de Chriſti incarnatione. Quam ſane beatã virginẽ, etſi oẽs venerati ſunt diſcipuli, eiq; famulabantur affectu dilectionis, Ioannes tamen amplius, ac ſpecialius, vſque in finem vitæ, qui ſibi commiſſam accepit in ſuam, quaſi matrem filius, virgo virgini cohæſit, & deſeruiuit officioſiſsime cura adoptionis. Non enim pudiciſsima virginitas alicui Apoſtolorum rectius, quam virgini commendatur, vt eſſet ad inuicem grata ſocietas, & floridus aſpectus,

ctus, necnon & venuſtas conuerſandi vernans, alternatim pudicitiarum ſplẽdore decoratur.

27 IDEM ſic habet: Dixit Chriſtus Petro loLib. 1. aduerſus Iouinianum. To. 2. quenti de Ioanne, ſi ſic eũ volo manere donec veniã quid ad te? Ex quo oſtenditur virginitatẽ nõ mori, ſed manere cũ Chriſto, & dormitionẽ eius tranſitũ eſſe non mortẽ, ſed cur nõ Ioãnes electus es, virgo, vt ſuper illũ fundetur eccleſia? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, & pęnę puer progreſſę ętatis hoĩbus pręferretur. Vt autẽ ſciamus Ioannẽ tunc fuiſſe puerũ manifeſtiſsime docẽt eccleſiaſticę hiſtorię, q̃ vſq; ad Traiani vixerit imperiũ, ideſt poſt Paſsionem Dñi 68. anno dormierit. Petrus Apoſt. eſt, Ioannes apoſtolus, & virgo. Sed Petrus Apoſtolus tantum, Ioãnes Apoſt. & Euangeliſta, & Propheta. Apoſtolus, quia ad Eccleſias ſcripſit, vt magiſter, Euangeliſta, quia librum euangelij condidit. Propheta, vidit .n. in Pathmos inſula in qua fuerat a Domitiano Principe relegatus, Apocalypſim infinita futurorũ myſteria continentẽ. Refert aũt Tertullianus, q̃ à Nerone miſſus in feruentis olei doliũ purior, & vegetior exierit, quã intrauerit. Sed & ipſum eius euangeliũ multum diſtat à cęteris, quia Ioannes noſter, vt aquila ad ſuperna volat, & ad ipſum patrẽ peruenit dicens, in principio erat verbum &c. Expoſuit virginitas, quod nuptiæ ſcire non poterant, & vt breui ſermone multa cõprẽhendã doceãq; cuius priuilegij ſit Ioãnes, a dño virgine, mater virgo virgini diſcipulo cõmẽdatur.

28 IDEM ait: Arcana, & myſteria nouerat
lib. 3. in c. 14 Zach. To. 5. euangeliſta Ioannes, qui auſus eſt dicere, quod angeli forſitan neſcierũt. In principio erat verbũ, &c. Et idcirco amatur à Dño, quia optimũ habebat profundum, & recubuerat ſupra pectus IESV, vnde & hauſerat ſapientiam.

29 IDEM ait: Beatus Ioannes euangeliſta cũ
lib. 3. in c. 6. epiſt. Pauli ad Galatas. Tomo 9. Epheſi moraretur, vſq; ad vltimam ſenectutẽ, & vix inter diſcipulorum manus ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocẽ verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc, filioli diligite alterutrũ. Tandẽ diſcipuli, & fratres, qui aderãt tędio affecti, q̃ eadem ſemper audirent, dixerunt. Magiſter, quare ſemper hoc loqueris? Qui reſpondit dignã Ioanne ſententiam, quia præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat ſufficit.

30 AMBROSIVS inquit: Plerũq; virtutib⁹
lib. 2. offic. c. 20. To. 4. pares, diſpares ætatibus ſui delectãtur copula ſicut delectabantur Petrus, & Ioannes. Nã adoleſcentẽ legimus in euangelio Ioãnẽ, & ſua voce, licet meritis, & ſapiẽtia nulli fuerit ſeniorũ ſecũdus. Erat .n. in eo ſenectus venerabilis morum, & cana prudentia. Vita enim immaculata bonæ ſenectutis ſtipendium eſt. *Sap. 4.*

31 AVGVSTINVS exponens Euangeliũ,
Tract. 124. in c. 21. Ioã. To. 9. quod eccleſia legit in feſtiuitate euãgeliſtę Ioãnis, ſic ait: Quod occaſione verborũ, quę de Ioãne Chriſtus dixit, ſic eũ volo manere donec veniã, nonnulli arbitrati ſunt ipſum non obijſſe, ſed in illo ſepulchro eius, quod eſt apud Epheſum dormire, & quia videtur terra illius ſenſim ſcatere, & quaſi ebullire, hoc eius anhelitu fieri arbitrantur, & donec Chriſtus veniat, ſic manere, quod reprobat Auguſtinus. Infra: Illud in his duobus Apoſtolis Petro, & Ioanne dubitatur, cur Ioannem plus dilexerit Dñs, cũ ipſum Dñm plus dilexerit Petrus. Cum .n. Ioãnes ſe diſcipulum quem diligebat IESVS nominet proculdubio non mendaciter, ſe præ cęteris Apoſtolis dilectum, ait: in ſignumq; maioris erga eum dilectionis Dñi, recubuit in cœna ſuper pectus eius. Quod autem Petrus Dñm plus alijs apoſtolis dilexerit, illa verba manifeſtant, quæ ipſi dixit, interrogatus .n. Petre diligis mẽ plus his, reſpondit, etiam Dñe, tu ſcis, quia amo te; plus his intelligendum eſt. Tamẽ ſi quæramus, quis eorum fuerit melior, quis dubitauit eum, qui plus diligit eſſe meliorem? Sed tamen quantum ipſe ſapio meliorem, qui plus diligit Chriſtum, fœliciorem vero, quem plus diligit Chriſtus.

IDEM ait: Omnibus diuinæ ſcripturæ 32
paginis euangelium excellit. Inter ipſos autẽ *In prologo ſuper Ioãnẽ qui habetur in exordio huius tomi in primis illius verbis.*
euangeliorum ſcriptores Ioãnes eminet in diuinorũ myſteriorum profunditate, qui a tẽpore Dominicæ aſcenſionis per annos 65. verbum Dei abſq; adminiculo ſcribendi, vſq; ad vltima Domitiani prędicauit tempora. Sed occiſo Domitiano cum permittente Nerua de exilio redijſſet Epheſum, compulſus ab epiſcopis Aſię, ſcripſit euangelium de Chriſti diuinitate. Vnde merito in figura quatuor animaliũ aquilæ volanti cõparatur, quæ volat altius cęteris auibus, & ſolis radios irreuerberatis aſpicit luminibus. Cæteri euangeliſtę, qui de diuinitate pauca dixerunt, quaſi animalia greſsibilia cum Dño ambulant in terra, hic autem diuinitatis potentiam ſublimius contemplans, cum Domino ad cęlum volat. Qui enim ſupra pectus Domini in cœna recubuit, cœleſtis hauſtum ſapientiæ cæteris excellẽtius de ipſo Dominici pectoris fonte potauit.

Ira (etſi aliquãdo bona ſit) tamẽ multa habet dãna, & remedia, iratis autem cõpati, non indignari debemus. Cap. VII.

BASILIVS ſic habet: Audimus in prouerbijs ſcriptũ. Ira ſapientes perdit. Audimus item apoſtolicũ dictũ: Ira, & omnis indignatio, & clamor a vobis abſcedat, & Dñm dicentem: Si quis iraſcitur fratri ſuo ſine cauſa reus erit iudicio. Igitur ſi quando nos hoc vitium tentauerit, dare debemus locum iræ, tanquam exitum violento cuidam torrenti, diſcentes tamen tacite turpẽ eorum tumultuationẽ, qui hoc malo tenentur cognoſcemus, q̃ vir iratus fœdus aſpectu ſit. Quando .n. ſemel iræ perturbatio mentẽ pręcipitans imperium animę ſumpſerit, hominem penitus in feram conuertit, nec hominem qui rationis ſit compos eſſe ſinit. Quod enim venenum virus emittentibus erit, hoc item, & furor animo irritatis, ac perturbatis. Impetu feruntur, inſiliunt, rabie vt canes affi- 1
Hom. 10. ex varijs, quæ eſt de ira. Tom. 1. Eph. 4. Mat. 5.

ciuntur punguntur vt scorpij, mordẽt vt serpẽtes. Nouit & scriptura eos, qui hoc vitio tenentur, ferarum appellatione vocare, quibus sese, ob peruersitatẽ similes, ac familiares reddiderunt. Nam & canes, & serpentes, & genimina viperarũ, & his similia nominat. Qui.n. ad mutua inter se eiusdẽ generis parati sunt inferenda incommoda, iure feris, ac venenatis ascribi possunt, quibus ex natura continuũ aduersus hoium odium inest. Effrenes linguæ ora incustodita, incontinentes manus, contumeliæ probra, accusationes, verbera, & alia eiusmodi q̃cũq; quis enumerare poterat, irę sunt, ac furoris fructus. Ob irã ensis acuitur, mors homini ex hoie venit, fratres inter se ignorantur, parẽtes, ac liberi naturę obliuiscũtur? Sed ante oĩa, & se ipsos nõ agnoscũt irati, deinde neq; quot quot habent necessarios. Quemadmodũ.n torrentes ad loca curua decurrentes, secũ obuia quæq; trahunt, sic & ĩratorũ impetus violenti & instabiles oĩa similiter perdurrunt, atq; obruunt. Nõ eis senectus venerãbilis, nõ vitę virtus, non generis propinquitas, non acceptæ iã gratiæ, non deniq; quicq̃id aliud quãuis æstimandũ, in honore est. Momentanea quędã insania est ira. Quin & maximũ se in malũ sæpius cõijciunt, & studio vindicãdi seipsos negligũt. Eorũ nãq; memoria, quibus lesi sunt, incitati & animo exacerbato atq; æstuanti, nõ prius desinunt, quam incõmodum aliquod infestãti infligant, vel ipsi (si id cõtingat) accipiant, quem admodum sæpe euenit, vt quę per vim tentata sunt, plus accipiant incõmodi, quam inferant. Quis.n. in ea se mala cõijceret, quæ ira feruidi hoies, quauis occasione vociferãtes, & exasperati subeunt, atq; tolerant? Nã & omni fera venenata impudentius ruunt, nec prius desistunt, quã aliquo magno malo, & intolerabili, ira intumescente, æstuante exatient animũ. Neq;.n. ensis, neq; ignis, neq; horrendum aliquid animũ ira intumescẽtem, ac furentem, satis cõpescere valebit, non magis, quã a dęmonibus detenti, à quibus irati nihil nec forma, neq; animi affectu differunt. Nam ijs, qui ad vindictam anhelant, ita quidem circũ præcordia sanguis feruet, quasi vi ignis ebulliat, & exæstuet superne vero accensa facie alio aspectũ visendũ exhibet iratũ, eã formam quæ oĩbus consueta est, & nota, quasi larua quadã, vt in scena fieri solet, prorsus immutans, oculi consueti non apparent, sed ignei, micantesq; dentes acuunt veluti sues grassantes, vultu sunt liuẽti sanguine effuso. Oris humore increbescente, venę obturbati, intra viscera spiritus angustia disruptæ. Vox aspera, & intensa, sermo inconstans, & cõfusus, ac temere cadens nec significanter ne ex parte qdẽ prolatus. Postquã vero ira sicut flãma, sicca materia succẽsa, irritãtes inuasit, tũc nec sermone dicenda, neq; referenda videre licet spectacula. Videbis oẽs partes corporis insaniæ instrumenta factas. Si aũt pariter aliquẽ ex aduerso concurrentẽ inueniãt, irãq; mutuã inter se exerceãt, ea patiuntur q̃ fas est eos pati, qui sub tali dęmone cõtendunt ac certãt. Cę pit qui primus manib⁹ iniuriã intulit, alter vlciscitur, hic instat, ille nõ cedit, corpus obiter vulneribus petitur: ira vero facit, vt dolor, & incõmodum minime sentiantur. Non.n. damna corporis, aut sensum curant, cum sint oĩ studio, & viribus tãtum ad vlciscendum cõmoti. Ne fratres malũ malo curate, neue cõtendite inuicem calamitate mutua vincere. In rixa.n. is inferior est, qui victor est, ac peccatis longe grauior discedit. Contumeliã intulit iratus, tu vince, amoueq; silentio malum. Tu aũt contra facis, qui velut vndam fluentem illius iram in cordis penetralia suscipiens, ventos imitaris cõtra flatibus aduersis resistentes. Noli tuo aduersario pro magistro vti, nec quẽ odio prosequeris hunc æmulari, nec fieri velut speculum irati velis, illius formã in te ipso ostendens. Rubicundus ille est ob iram? tu minime ruborem præferas. Illi sanguinei oculi? tui quiete ac cũ grauitate aspiciant. Vox illi aspera? tibi mitis. Neq; enim sic in locis desertis echo in ipsos clamantes intempestiue infungitur; sicut in hoiem iniustum, & contumeliosum cõtumelia reuertitur. Immo sonus quidẽ illic idẽ redditur, contumelia vero augmentata recurrit. Nã si inter litigantes forte conuicia dicuntur, primus obscurum hoiem vocat, alter vernam, ex vernis regerit. Hic pauperẽ, alter mendicũ. Hic indoctũ, alter stupidũ appellat. Deniq; sic durant donec conuitia sicut sagittæ deficiant. Deinde omni contumelia per linguã cõsumpta, ad manus venitur & pugnam. Ira nãq; certamen excitat, certamen vero cõuitiũ, conuitiũ verbera, verbera demũ vulnera, ex quibus & mortes sæpe sequuntur. Itaq; irã ab initio, vt mali originem cõpescamus. Sic.n. plurima mala velut radice quadam, & principio hac animi perturbatione existente, facile excidere poterimus. Quandó verborum cõtumelia tentaris illud existima, periculũ de te fieri, an Deo per patientiã adhæreas, seu per irã inaduersarij partes inclines. Da tẽpus cogitationibus ad optimã eligendi partẽ opportunũ. Nam e duobus alterum proculdubio cõsequeris; aut inimicum tuæ mansuetudinis exẽplo munitiorem reddes, vel certe si despexeris, acrius illũ vindicabis. Quid enim aduersario durius esse potest, quã te animum gerere contumelijs omnibus altiorẽ? Sine illum frustra te allatrare, in se ipso disrumpi. Hunc quando q; pœnitebit eorum, quæ loquitur, te nunquã benefacti, aut virtutis pœnitebit. Quid plura? Hinc cõtumelia regnum cœlorum clausit tibi taciturnitas idem aperuit, Audi Dauid dicentem. Dum consisteret peccator aduersum me, non iratus sum, aut vltus, sed surdus factus, & humiliatus sum, & silui a bonis. Tu aũt ad iracundiam ob paruam contumeliam concitaris, imitaris vero vt bonum. Ecce iam vitiũ quod reprehẽdis ipse patras. Si malũ est contumelia, eius imitationẽ fuge. Non.n. incepisse alium ad excusationẽ sufficiet. Iustius quidẽ fuerit, vt arbitror, hinc intẽdi aduersum te querelã, eo q̃ ille exẽplũ sapiẽtię prius nõ vidit, tu vero cũ iratũ tu piter se monẽtẽ, & ridiculũ, & probrosũ videris, eius vestigia quęris imitari clamãdo, succẽ sendo, resistẽdo. Si malũ est ira, cur malũ id nõ euitas? Si venia dignũ, cur irato succenses? Per ea enim quæ facis, & aduersarij culpas leuiores reddis, & te ipsum condemnas. Nonne vides, quemadmodum sagittę si duriora offendãt resultant, ac excidunt, in mollibus verò, & obedientibus facilè figuntur? Ita & in contumelijs euenit, qui eis occurrit, ac resistere quærit illas in sese recipit, qui autẽ mansuetudine armatus ad eas excipiendas se præparauerit omnino excutiet, ac euitabit. Oportet itaq; motus animi insanos, ac præcipites exẽplo Domini, ac sanctorum, ac beatorum prẽceptorũ memoria cohibere, quomodo magnus Dauid, & qua mansuetudine iniquitatẽ Semei tuleric, nõ enim iræ locum dedit, in Deũ causam transferens, quoniã Dñs ait, mandauit ei, vt maledicat mihi. Gymnasium tibi quoddam, & exercitatio ad philosophiã verba alterius sint. Si.n. nihil moueris integer es animo, ac sanus. Si vero aliquid animo pateris, saltem in te cõde tristitiam. In me turbatum est cor meum, inquit Propheta, hoc est, non extra perturbationẽ animi ostendi, sed veluti quandam intra littus abruptam vndam retinui. Quomodo igitur iræ incommoda fugiamus? si eã nullo modo mentẽ rationem vè occupare sinamus. Quamobrẽ si forte in cogitationẽ veniat, aut cadat, ita eã retineamus, vt equum iugalem nobis ratione, vt freno quodã obtẽperantẽ, ac ordinẽ proprium nequaquam excedentem, & via ingredientem, qua à mentis recto cõsilio dirigitur. Est.n. pars animi irascibilis nobis ad multa virtutis opera necessaria. Q̃n velut miles quidem, apud ducem arma sumẽs, paratus est eius iussu auxilium præbere; sic iracũdia rationi adiutrix contra peccatum fuerit. Neruus est aiæ indignatio fortitudinẽ, constantiãq; ac robur ad res bene agendas præbens, quę animã forte voluptate delinitam, ac lasciuiẽtem, veluti ferro quodã cohibens, fortiorem ex remissa reddit. Neq; enim si contra iniquitatẽ desit indignatio, & ira, satis eã odio, quo decet, persequi poterit. Q̃n veluti canis pastori, sic ira rationi obediens mitis quidẽ, ac mansueta iuuantibus eam, & à ratione reuocabilis erit. Nam canis ad vocem, & aspectum alienum, toruus, & agrestis, etiã si palpari se videat, notos vero, & amice alloquentem timere admodum, ac vereri videtur. Ira similiter optima est opitulatur q; animæ prudenti. Insuper cum insidiosis non facile cõciliatur, aut consuetudinẽ habet. Nullam deniq; beneuolentiam erga ea, quę nocent, retinet, sed aduersus voluptatem insidiãtem, veluti lupum quendam allatrare cõtinuo videtur. Sic itaq; ex irâ viris prudentibus vtilitas capitur: ira quãdo oportet, & vt oportet ex ratione dispensata, fortitudinẽ, patientiãq; ac constantiã parit, præter vero rectã rationẽ tractata furor, & insania efficitur. Idcirco nos psalmus admonet. Irascimini, & nolite peccare. Ipse nãq; Dñs in euangelio illum, qui irascitur fratri sine causa, damnat. Illum verò qui tanq̃ pharmaco ad ea, quæ oportet ira vtitur, minimè condẽnat. Dicitur nãq; ponam inimicitiã inter te, & serpentẽ. Et rursus. Hostes fitis Madianitis. Docentis verba sunt, vt ira veluti armis vtamur. Ideo Moyses oĩum hominum mansuetissimus vituli idololatriã damnans, Leuitarũ manus in cędẽ fratrũ armauit. Vnusquisq; inquit, vestrum gladiũ ad latus teneat, & transite à porta in portã, & suum quisq; fratrẽ interimat. Et Paulo post ait: Manus vestras hodie Dño consecrastis, quilibet in filio suo, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio. Quid Phinees iustũ reddidit? Nonne iusta contra fornicantes ira, qui alioqui mitis, ac mãsuetus existens, postq̃ stuprum Zãbri, & scorti Madianitidis palam in põpulo vidit, minimè tam indignũ facinus passus, ira vt oportebat vsus, protinus vtrũq; trucidauit. Samuel autem Agag regem Amalech a Saule contra Dñi mandatũ seruatum, nõne iusta ira in medium trahens occidit? Sic itaq; fit ira sæpenumero bonarum actionũ ministra. Helias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes comedentes de mensa Iezabel, iusta sapientiq; indignatione in totius Israel vtilitatẽ vt morte mulctarentur effecit. Tu autẽ fratri tuo sine causa irasceris. Quomodo.n. non sine causa? Cũ sit alius, qui instigat dæmon, & alius qui instigatur homo, cui tu maledicis, simile quoddã canibus admittens, qui saxa mordere solent, quando iactantes attingere nõ valent. Instigatus enim, ac incitatus misericordia profecto dignus est. Qui vero incitat odio maximo est insectandus. In hunc igitur iram transfer hoium interfectorem, mendacij patrẽ, peccati ministrum. Fratrem vero in te peccantẽ miserabere. Nam si in peccato vsq; in extremũ durauerit, cum ipso dæmone æterno tradetur igni. Sicut aũt differẽtia nomina sunt indignationis, & iræ, sic & ab ipsis significantiam plurimum ab inuicem differunt. Est.n. indignatio stimulus quidã breuis, ac subitus, acutusq; passionis vapor. Ira vero permanens, ac diuturna tristitia, aptaq; sese ociose vlcisci, veluti libido quædam se vindicandi. Si puer verbis te cõtumeliosis peteret, occasionẽ tibi potius ridẽdi daret. Quod si phrẽnesi captus, & sensu excidens verba incõposita, & stulta dicat, misericordia potius quam odio dignus erit. Itaq; fratres ne obsecro tantum nobis malum inducamus, animæ morbũ, rationis tenebras, à Deo alienationem, obliuionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinẽ calamitatũ, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quendam impudẽtem nostra interiora possidentem, deniq; sancti spiritus iter ad nos impedientem. Vbi.n. inimicitiæ sunt contentiones, indignationes animabus nostris perpetuos generantes tumultus, ibi spiritus mansuetudinis non requiescit.

CHRYSOSTOMVS narrans verba vrbanitate, ac mansuetudine plena, quæ Gen. 33. Iacob rediẽs de Mesopotamia, dixit fratri suo Esau, quib⁹ irã illius sedauit, inquit: Imitemur iustum illum, & si qui sunt qui male nobis afficiuntur, non magis eorũ accendamus irã, sed magna mansuetudine, & humilitate, verborũ,

Hom. 58. in Gen. To. 1.

& operũ reprimamus eorũ inimicitias, & afflictas eorũ curemus aïas. Hoc summæ virtutis est, vt nõ solum eos, qui bene nobis afficiuntur magno studio diligãmus, & eis modis omnib⁹ seruiamus, sed etiã eos, qui nobis infesti esse volũt, assiduitate officiorũ nobis cõciliemus amicos. Nihil enim mansuetudine violentius. Nã sicut rogum, cum valde accenditur, aqua iniecta restinguit, ita & animum, camino magis exardescente, verbũ cum mãsuetudine prolatum extinguit. Et duplex inde nobis lucrũ accrescit, tum q̃ nos mansuetudinẽ declaramus, tum q̃ fratris indignationem cessare facimus, & mentem eius à turbatione liberamus. Quid enim dic mihi, num reprehendis fratrem tuũ, & accusas indignationẽ, & quod hostiliter fecerit erga te? Cur igitur non diuersa via studes incedere, sed ipse magis irasci vis? Non potest igne, ignis extingui, repugnat enim hoc naturæ. Sic neq; furor furore alio demulceri poterit vnquam. Verum quod igni est aqua, hoc iræ est mansuetudo, & mititas.

11 Hom. 3. in c. 1. Ioannis Tom. 3. *Epist.* 4. IDEM inquit: Qui fuerit iniuria lacessitus, non modo memor non infigat pectori, sed quam primum ea obliuioni prorsus mandet. Non amplius vna nobis die ad iram indulsit Apostolus, sol, inquit, nõ occidat super iracundiam vestrã. Et merito quidem; nihil enim tã breui fieri potest molestius. Quod si nox ira pcitos nos comprehẽderet, oẽs operationes nostræ grauiores subsequerentur, cum ignis plurimum memoria excitetur, si per ociũ omnia animum prouocantia atrocius nobis reputentur. Prius quam igitur tam exitiali vacemus ocio, & vehementiorem flãmam accẽdamus, præueniendum præcepit, & quicquid pectus nostrum vrit, penitus extinguendũ. Vehemens enim iræ affectus est, & omni flamma vehemẽtior. Quare nobis celeritate opus est, vt hunc ignem extinguamus, nevè ad summum eũ euadere sinamus. Irę enim morbus, nisi mox sedetur, multas generat calamitates, domos, ac familias totas euertit, veteres dissoluit cõsuetudines, & breui momẽto res infandas molitur. Quamobrem huic indomitę beluę nolimus habenas remittere, sed pręduro freno, metu scilicet diuini iudicij eã cohibeamus. Quoties cũ dolore aliquo amicus te, vel familiaris affecerit ad irãq; concitauerit, veniat in mentẽ, quæ tu contra Deum cõmiseris, quodq; si à proximo offensam, & contumelias æquo animo tolleraueris, leuius in te Dei iudiciũ prouocabis.

Luc. 6. Dimittite, inquit, & dimittetur vobis. Cũ hoc succurrerit omnis vltionis cupiditas cõtinuo euanescit. Illud pręterea animo frequenter volutes velim, & si quãdo in immanitatẽ aliquã, & furorem mox lapsurus te continueris, etsi quando ira percitus in alicuius iniuriam, pernicievè præceps irrueris, id enim non parũ tibi ad correptionẽ profuerit, age dic quęso vtrũ tibi laudabilius duxeris, cum ab ira victus es,

12 an cum eam vicisti? Nonne victi nos ipsos reprehendimus vehementius, & nemine nos accusante erubescimus, & multa nos operum, & verborum nostrorum subit pœnitentia? Verũ cũ affectus strenue superanimus, victoris more, & gaudemus plurimum, & exultamus. Victoria enim contra iram est, & quidẽ maxima, non cũ vlciscimur iniurias, sed cum eas æquo animo toleramus. Neq; cum ira excandescis cuipiã mineris interitũ, neq; in eum furibundus irruas. Neq; admonentem, vt iram cohibeas cõtemnere velis, ea gratia, ne quis te forte irrideat. Nemo te hac causa irridebit, sed cum ira te traxerit in vindictã, vel si quis irriserit, stultus erit estimãdus. Tu vero noli inter stultos, & amentes victoriæ gloriam quærere, sed ea contentus sis, quam sapientum tibi iudicio comparaueris. Verum quid in paruo, & humili hominum spectaculo te constituo? Ipsum cõtinuo Deum aspice, qui te laudabit. Vis manifestè intelligere quantum mali afferat iracundia? Adsis cum aliquãdo quispiam rixatur, neq; enim in temetipso facile hanc possis deprehendere turpitudinem, tenebris, & ebrieta te ratione obuoluta, sed cum tui tibi affectus non dominantur. Tunc in alijs rem tuam planissime cognoscas licet, cum incorrupte, & vere iudicare possis. Videbis nãq; iratos non secus, ac insanos turpiter in medium præcipites fieri. Cum enim circa præcordia ira efferbuerit, os ignem emittit, tota inflatur facies, incõpositæ manus mouentur, ridiculę prosiliunt pedes, monitoribus & rixam dirimere conantibus insultant, in eosq; nulla ab insanientibus differentia ituunt. Et cum hæc faciunt tanq̃ amentes nihil sentiunt, nihil intelligunt, sed asinorum more calcibus, morsibusq; inuicem insultant. Et profecto iracundia percitus nullum decorem, modestiamq; seruare potest. Hi igitur homines, post hanc ignominiam ad se reuersi, dolore simul angũtur, & metu cum intelligant, quos læserint, quos furoris, & insanię suæ testes habuerint. Quippe qui in illo furore non secus, ac mente capti, quid faciant non aduertunt, cum ad se redierint, tum demum omnia secum reputãt, num amici, num inimici ei insanienti affuerint? num viderint? Pari enim ratione vtrosq; formidant, alios tanquàm reprehensores, & eos, quorum præsentia magis sibi sit erubescendum, alios tanquàm, qui ipsorum malo, & ignominia plurimum gaudeant. Quod si ad plagas, & verbera inuicem proruperint, longe maiore formidine anguntur, ne quid grauius ei, qui cæsus est accidat, ne aut febris in mortem, aut vlcus insanabile, in vltimũ ei adducat periculum. Et quid, inquit, mihi pugna opus erat? quid iniurijs? quid contentionibus? Hæc, & illa pereant, & omnibus his terrenis rebus maledicũt, quæ ipsis discordiæ prębuerunt materiam, & de dæmonibus conquęruntur, stultores autem cum perperam, quod operantur temporum malitiæ insimulant, non tamen malitia temporum causa est. Sed intumescit cor, inquit, & iniurijs excandescit. Nouimus, quid ira possit, & idcircò, qui immanem hanc beluam exuperant, eos maximè admiramur, neq; deest, modo velimus, facultas. Quamobrem cum Domini nos, & princi 13 pes contumelijs persequuntur, nõ irascimur, 14

assi formido ira non minor nos absterret, neq; a principio irę locum dare permittit? Quam ob rem serui sæpenumero à nobis maledictis affecti silentio omnia perpetiuntur, an quod seruitutis vinculo continentur? Tu autem noli solum Dei timorem cogitare, sed etiã quod ipse tibi iniuriam faciat, cum silentium indicit, & omnia æquo animo perferes. Dic te vrgenti; Quid faciam tibi? Alius mihi dexterã & linguam cohibet, hoc profecto verbum & tibi, & illi fiet philosophiæ materia. Agite quęso nos ipsos alloquamur. Deus nunc nos lacessit cum manus nostras continet, ne prosiliamus contra. Nostram calamitatem victoriam nobis ducimus, & cum maxime ab ira vincimur, tunc maxime vicisse existimamus, & cum humi misere prostrati iacemus innumeris à diabolo plagis, vulneribusq. acceptis, victoriam reportasse contendimus, cum tamẽ malorum perpessio victoria sit.

15 Hom. 47. in Ioannem. IDEM ait: Si quis nobis insultauerit humiliemur, si quis exasperatur mitigemur, si quis mordet, & lacerat, & contumelijs prosequitur, nolimus commoueri, ne victi, nos ipsos perdamus. Etenim ira fera est & vehemẽs & furibũda. Incantemus eam diuinæ Scripturæ carminibus, terra & puluis es? & quid superbit terra, & puluis? & impetus iræ eius casus ei. Et vir iratus immodestus est. Nihil turpius aspectu irati, nihil visu grauius. Quod si aspectus multo magis anima. Quemadmodũ enim cœnum si contrectetur grauius olet, ita & anima cum perturbata est, & multis intrinsecus fluctibus agitata. Iniuria affectus in mẽtem quòd illi supplicium maneat, & non modo nulla in proximum ira fereris, sed deplorabis vicem eius. Neque enim febribus laborãti, neque tumido quisquam irascitur, sed his morbis affecti, sui misericordiam & lachrymas mouent, huiusmodi est irati animus, qui si in te prosiliat, tace & opportunam ei plagã infliges. Si contumeliam contumelia prosequeris, ignem excitabis. Fiamus spirituales, & sæuissimã hanc beluam fræno cohibeamus. Inter iram & insaniam nihil differt, sed breuis quidem dæmon est, immo quam qui dæmonio vexatur grauior. Ille enim venia dignus est, iratus nulla, sed supplicijs innumeris. Sponte sua in profundum perditionis defertur, & etiã ante futuram gehennam pœnas dat. Tumulto enim quodam & æstu intolerabili die, noctuq. varijs cogitationibus anxius iactatur. Vt ergo & præsenti supplicio, & futuro liberemur abiecta ira mansuetudinem induamus.

16 Hom 17. in acta Apost. IDEM: Puri, ait, ab ira simus. Non habitat Spiritus sanctus vbi furor. Maledictus furibundus. Nihil sani potest ingredi vbi ingreditur furor. Nam sicut in tempestate maris, magnus est tumultus, magnus clamor, & nec ad tempus potest quis philosophari, sic neque in ira. Non vides quomodo, quando voluerimus de aliquibus necessarijs loqui, locos à turbatione mundos obseruamus, si autem qui foris est tumultus impedit, multo magis interna turbatio. Et si orat quis, frustra orat cum ira hoc faciens, & si tacet iterum simile est, & si comedat etiam sic damnum habet, & si dormiat. Quid in iracundo non turpe? Vide oro, dæmoniacorum oculos, & ebriorum, & insanientium, quid differunt inter se? Nonne nihil est, quam insania? Quid enim si ad tẽpus hoc fit, nam & insaniens ad tempus detinetur. Dicis nesciebam quid dixi. Et quare nesciebas hoc homo rationalis rationem habens? Quare ea, quæ brutorum sunt facis, sicut equus, ferus ab ira, & furore raptus? Nihil est aliud ira quam irrationalis impetus. Nihil autem quod rationem requirit per id, quod ratione caret, geri potest. Elias dicebat: Vsquequo claudicatis in duas partes, & nõ irascebatur? Et Phinees occidebat, & non irascebatur. Ira enim nõ permittit videre, sed quasi in nocturna pugna omnia ligat, & oculos, & aures, & trahit quoquo voluerit. Liberemur igitur ab hoc dæmone incipientem illum compescamus. Canis impudens est ira, sed discat audire legẽ. Non- 17 ne si canis ita in caula ferox sit, vt nõ obediat imperanti pastori, neq; illius vocem agnoscat, omnia pereunt ac corrumpuntur? Cum ipsis ouibus pascitur, sed si ipsas depascitur inutilis est, ac occidatur. Si didicerit te audire, alecanem, vtilis est contra lupos, contra fures, latrans, non contra oues, neque contra familiares. Si non audiet, omnia corrumpit, si didicerit contemnere, omnia perdit. Quod igitur in te est mansuetum, ne consumat, sed custodiat ira, & pinguefaciat. Custodiet autem & in magna securitate seruire faciet, si malas cogitationes, si diabolũ persequatur. Si canis adu- letur quidem ouibus, ferociat autem contra externos, & vigilet, virtus est canis, & licet esuriat, non tanget oues, & licet satur sit, non parcet lupis. Talis & ira sit, licet irritetur, mãsuetudinem non amittat, licet quieta sit, contra malas cogitationes insurgat. Suum dominum etiam percutientem non relinquat, sed agnoscat, alienum autem etiam adulãtem impetat. Est aliquando vtilis ira, sed quando latrat contra alienos. Accepit Dauid Saulem, & 1. *Reg.* 26 non iratus fuit, neque infixit lanceam suscepto inimico, sed vltus est diabolum. Moyses *Exo.* 2. quando alienum iniustè agere vidit, etiam occidit, quando autem cognatum non item, sed fratres cõciliauit. Tametsi mitissimum illum Scriptura testetur, nihilominus erat etiam viuax, & alacer. Nos autem non sic, sed vbi mãsuetudinem declarare oportebat, omnibus bestijs sumus ferociores, vbi autem seueros esse, omnibus segniores. Sicut medicus non incidens vbi oportet, & vbi non oportet incidens, omnia corrumpit. Ideo oro, vt re hac tempestiue vtamur. Iræ autem tempus numquam quando nos ipsos iuuamus, si autem alij corrigendi sunt, tunc ea vtendum maxime, vt alios eripiamus.

18 Hom. 31. in acta Apost. IDEM narrans quomodo Paulus nõ odio habuit eos, qui eum lapidauerunt, sed iterum ingressus ciuitatem benefacturus est his, qui iniuria affecerant, inquit: Sic tuleris tu asperum conuitiatorem. Ne autem dicas, nihil in-

iustè

iuste feci. Quid enim iniuste egit Paulus. Regnum annunciauit ab errore depulit, ideo flagellatus est. Contumelia te affecit quis, tace, & benedic si potes, & sic prædicasti sicut Paulus docens mansuetudinem. Scio plerosq; nō ita vulneribus, vt verborum plaga sauciari, nā illud quidem vulnus corpus susscipit, hoc autē anima. Memor esto Domini tui, memor esto Pauli, hoc pharmacum impone memoriæ. Cogita, q̄ qui cæderis vincis, ille autem qui cēdit vincitur, & totum per hoc curabo. Infra: Et tu si videris exasperari fratrem, tu magis cede, maiore enim consolatione furor ille indiget, quanto molestioribus contumelijs insequitur, tanto maiore mansuetudine illi opus est. Et sicut incendium quando maxime flat, tunc magis opus, vt cedatur, ita & ira flagrantem bestiam, quādo maxime effera est, omnes effugimus, ita & nos, irascentem. Nec putes hoc esse honorem, alioqui & bestiam honoraremus, & furibundos honoraremus si deuitaremus. Non vides nautas quando vehementer flat ventus, detrahere vela ne subuertatur nauis? Eques quādo se equi simul rapiunt, laxat, & non retinet frēnum ne sua sponte vim euacuet. Hoc & tu fac? Ignis est furor, flamma acuta est, indiga materiæ, ne suppetas igni materiam, & statim extinxeris malum. Non habet à se ipsa robur ira, nisi alius sit, qui illam alat. Nullā excusationem habes, ille detinetur furore, & nescit quid facit. Tu considerans illum, quando in eadem incides, & neq; illius exemplo sapientior efficeris, qualis venia? Si in conuiuio videret, quis in vestibulo aliquem ebrium, & turpiter agere, deinde ipse ijsdem vitijs irretiatur, nōne post illum hic multo minus venia dignus fuerit? Sic & hic, ne putemus defensionem dicere, ego non cepi. Hoc contra nos est, quia neq; nos eius turpitudine visa temperatiores facti sumus, ea propter pœna dignus es, q̄ neq; exemplo viso melior factus te ipsum continuisti. Si videris ebrium vomere, dilacerare, disrumpere, oculis toruis videre, immunditia mensam implere omnes illum fugere, deinde in illam ipsam incidas ebrietatem nonne magis eris odibilis? Talis est etiam qui irascitur, plusquam vomens, inflat venas, incendit oculos, disrumpit viscera, vomit verba, illa immunditia magis impura, omnia non cōmanducata, sed cruda loquitur, nihilq; perfectum, non enim sinit ira. Sed sicut illic sæpe humorum nimietas stomachū perturbat, omniaq; euacuat, ita & hic caloris nimietas perturbat animam, nec sinit latere quæ silere deceret, sed dicenda, & non dicenda effutit, non audientes, sed seipsum confundens. Nihil vt homo loquitur, sed quædam vt bestia, alia vt furibundus. Mallem assidere homini lutum edenti, quam talia loquenti. Non videtis porcos stercora deuorare, & suauiter gluti re? Ita & illi. Quid enim fœdius, quam verba, quæ contumelioſi conuiciatores loquuntur. Nullum autem illis studium est, vel sanū, vel mundum aliquid dicere, sed quicquid fœdum, quicquid turpe hoc facere, & loqui solēt.

19

Hoc sane grauius, q̄ dum se ipsos magis confundunt, alios confundere putant.

IDEM ait: In contumelijs nihil nos contristat, vt eorum, qui nos vident sententia. Nō enim æquale est publice contumelia aspergi, & priuatim, sed illas quidem priuatas contumelias facile ferimus, quando nemo conscius, & sine teste hoc patimur. Itaq; quod triste, non est ex natura contumeliæ, sed in sententia spectantium, vt ita non videatur contemptibilis esse. Quid igitur si hæc pro nobis sit? Non ne qui cōtumelia afficit, fit ignominiosus, quā do pro nobis sententiā fert? Vtrum contemnunt præsentes eum, qui contumelia afficit, an eum qui contumelia afficitur, & silet? Vtrum igitur condemnamus omnes? Manifestum, q̄ eum qui contumelia afficit, etsi minor quidē sit, insanire illum dicemus, sin par humore, desipire, si autem maior, neq; sic approbabimus? Vter enim approbatione dignior is, ne qui tempestatibus agitur, in turbulentia versatur, exasperatus erga communem naturam sic afficitur, vel qui in tranquillitate, & portu, ac bona animi constitutione sibi imperat? Nonne hic quidem angelo, ille vero nec homini similis est, & ille, neq; propria mala ferre potest, hic etiam aliena, hic seipsum ferre nō potuit, ille & alium, ille naufragatur, hic securus nauigat naue eius secundis ventis fruente. Non enim in vela sua irruere furoris spiritū permisit, qui mentis nauem subuertat, sed aflantur illa à tenui blandaq; aura, quæ est patientiæ spiratio, ipsum ad philosophiæ cursum cum magno silentio ducens. Et sicut nautæ in naufragio nesciunt, quæ abiiciunt si a suis, & ab alienis depositā receperunt, sed omnia quę posita in naue similiter eijciunt, tam pretiosa, quam non pretiosa, vbi autem cessat tempestas, tunc cogitantes quanta eiecerint lachrymantur, & propter iacturæ damnum, serenitate non gaudent, ita & hic, quando ira spirat excitaturq; animi tempestas, nesciūt, quæ suo ordine eijcere debeant. Vbi vero ira cessauerit, tunc cogitantes qualia effutiuerint considerant damnum, & quietem non sentiunt, memores verborum ex his per quæ confuderunt seipsos damnumq; maximum passi sunt, non in pecunia, sed in exiſtimatione māsuetudinis. Profecto ira tenebrosa est. Dixit insipiens in corde suo non est Deus. Forsan de eo, qui ira exasperatur hoc dicere tēpestiue poterit quis. Dixit iratus non est Deus, nam ob nimiam irā suam illum non quærit. An non tu magis doles, quam is qui contumelia afficitur? Contumelia, proscinde alium, qui nihil improperat, an non conscientiæ tribunal te propter multa flagellabit? Quando enim audis, q̄ is, qui cōtumelia afficitur nullum malum verbū loquutus est, non ne tu hac ratione magis doles? Dic oro quomodo mansuetum, humilem, & æquū innumeris abluere conuitijs ausus es? Hæc vobis, qui contumelia afficimini consolatio est. Contumelia afficimini, contumelia afficitur, & Deus, exprobramini exprobratur, & Deus, conspuimini sane nobiscum communicauit, &

20 Hom. 39. in acta,

21

Ps. 13.

Do-

Dominus noster, nunquam autem contumelia affecit. Et ita nos sumus qui communicamus Christo, non vos. Ferre enim eum, qui contumelia afficit Dei est, contumelia autem afficere immeritum dæmonibus congruit, cū quibus stant, qui contumelia afficiunt.

22 Hom. 41. in acta in fine.

IDEM inquit: Vis monstremus tibi animam spumabundam, immundam, & distortos oculos mentis? Gogita irascentes, ac ebrios, à furore, quia salliua non immundiora verba eijciunt, profectò fœtidum sputum eructant. Et sicut illi nullum ex præsentibus norunt, ita & hi. Obumbrata est enim eorum mens, & distorti sunt oculi, non amicum, non inimicū non reuerendum, non contemptibilem videt. Non vides hos tremere sicut illos? Non cadunt in humum, sed anima illorum humi sita est, & cadit turbine acta. An non videtur tibi esse animæ abiectæ, & suam perdentis sobrietatem? Etiam ea dicunt, & faciunt, quæ ebrij furore. Est quædam, & alia insaniæ species hac grauior, quando nec remitti ira sustinēt, sed apud se ipsos alunt familiarem, scilicet lictorem se torquentem vlciscendi inquam cupiditatem. Ipsos enim vlciscendi auidos primum perdit vltionum meditatio. Nam quantum putas tormentum esse afflictæ animæ, quotidie cogitare, vt vlciscatur inimicum? Prius te ipsum puni, qui talis es. Necessarium enim apud te semper flagrare ignem, & incendium in tantum incendens non finis decrescere, cogitans inferre alteri malum, ipse autem te ipsum mordes, semper flammam vigescentem ferens, & animam interquiescere non sinens, sed semper in exasperatione, & in turbatione, & in tempestate mentem habens. Quid hac insania molestius? Semper inquam contristari, & inflari, & ardere. Tales enim sunt animę eorum, qui vltionem meditantur. Nam vbi viderint eum, quem volunt vlcisci, statim perculsi sunt, si vocem audiant, conciderunt, tremunt, si in lecto fuerint innumeras pœnas apud se scribunt dilacerantes, torquentes illum inimicum, ad hæc si illum clarescere viderint,

23 papæ, o pœnas. Remitte illi peccatum, & libera te ipsum à tormento. Cur persecueras semper, vt te punias, vt illum semel flagelles, & in eum animaduertas? Ira neq; vsq; ad vesperam maneat, inquit Paulus. Sicut enim putredo, quædam ac tinea, ita mentis nostræ radicem arrodit. Quare bestia in viscera tua includis? Melius esset viperam, vel serpentem in corde positam esse, quam iram. Nam ille quidem statim nos liberaret, hæc autem manet semper dentes fortiter infigens, immissoq; veneno, pessimarum cogitationum exercitus producit. Sed hæc facio ne derideat, ne contemnat. Miser homo non vis a conseruo derideri, sed odio haberi à Domino tuo? Non vis contemni à conseruo tuo, & contemnis Dominum? Quid magis ridiculum, & quid frigidius anima, quæ semper irascitur, & vult vlcisci? Muliebris, ac puerilis voluntas est. Nam vt illa etiam contra inanimata irascitur, & si non percutiat pauimentum non dimittit irā,

Eph. 4.

ita profectò, & hi. Etenim iræ imperium ferre, puerilis animi est, imperare autem fortitudinis fuerit. Igitur nos non ridemur si sapienter agamus, sed illi ab affectione non vinci non est contemptibilium hominum. Ita autem timere externum risum, & propter hunc affectioni propriæ subiacere, & Deum offendere contemptissimorum hominum fuerit. Non vlcisci Deo facit æqualem. Risum ne hoc putas. Vtinam omnes de me hoc dicerēt, inutilis, & miser homo est, omnes in illum contumelias iaciunt, ipse autem fert, omnes insiliunt, ipse autem non vlciscitur. Vtinam apposuissent, neq; si vellet posset, vt mea laus sit ex Deo, & non ex hominibus. Dicat, propter timiditatem, & ignauiam non vlciscitur. Nihil hoc nobis nocet, quando Deus scit, sed thesaurus noster tanto fidelius obseruatur. Nullus me lædens derisit me, inquit, hoc est, vltus sum. Quin ob hoc derideri mereris, quia vltus est.

24 In apologia Hieronymi aduersus Ruffinum. Tomo 2.

HIERONYMVS inter ænigmata, quę colligit ex Aristotele vnum erat ignem gladio ne fodias, significans iratum, & tumidum animum verbis maledicis non lacessendum.

25 Lib. 11. in c. 36. Isaiæ. Tomo 4.

IDEM explicans quomodo Ezechiæ iussu milites non responderint verbum Rapsacis ducis Assiriorum conuitijs, & blasphemijs, inquit: Tacuit omnis populus, & non respondit ei quicquam. Si quidem præceptum regis acceperant, vt non responderent ei. Vere iustus Ezechias agens cūcta fideliter vniuersaq; consilio. Ideo autem iusserat blasphemanti Assyrio non responderi, ne eum ad maiores blasphemias prouocarent. Vnde scriptum est. Eccl. 8. Ne succendas carbones peccatoris, & in psalmo legimus. Cum confiteret peccator aduersum me, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et iterum: Pone Domine custodiam ori meo, & ostium munitum labijs meis, ne declines cor meum in verba malitiæ. Psal. 38. Psal. 140.

26 lib. 1. in c. 4 Micheæ. Tomo 5.

IDEM exponens verba illa, & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones, non sumet gens aduersus gentem gladiū, & non discent vltra belligerare, ait: Hoc est, vt dicamus ad fidem Christi iram, & effrenata conuitia esse deposita, vt mittat vnusquisque manum super aratrum, & nō respiciat post tergum, & contumeliarum iacula, hastasq; confungens, fructus metere cupiat spirituales.

27 lib. 2. in c. 12 Prouerb. Tomo 8.

IDEM explicans illa verba, fatuus indicat statim iram suam, qui autem dissimulat iniuriam callidus est, inquit: Qui se in præsenti desiderat vlcisci fatuus est, qui autem pro Domino iniuriam contemnit, sapiens. Hunc versiculum alia translatio sic habet: Stultus eadem hora pronunciat iram suam, occultat autem ignominiam suam astutus. Non autem ignominiosam iracundiæ passionem, ita a sapientibus occultandam esse decernit, vt eius velocitatem culpans non prohibeat tarditatē, quam vtiq; si per infirmitatis humanæ necessitatem irruerit, ideo censuit occultandam, vt dum ad præsens sapienter obtegitur, a sapientibus amoneatur, & in perpetuum deleatur.

Hæc

Hæc enim est natura iræ, vt dilata langueſcat, & pereat, prolata vero magis magisq; ferueat.

28 in c.18.Prouerbiorū. IDEM exponens verba illa, ſpiritum ad iraſcendum facilem, quis poterit ſuſtinere, ait: Quia qui ad iraſcendum facilis est, nec ſeipſum potest ſuſtinere, ita vt iratus ſæpe dicat ea, quæ poſtmodum placidus, quia dixerit pœniteat, & plerūq; an dixerit ignoret. Cuius tamen veſania nonnunquam per ſapientium modeſtiam facillime ſuffertur, atq; in tempore ſopitur.

29 in c.29.Prouerb. IDEM explicat verba illa, totum ſpiritū ſuum profert ſtultus, & ait: Impatientia impellente agitur, vt totus foras ſpiritus proferatur. Quem idcirco citius perturbatio deijcit, quia nulla alterius diſciplina ſapientiæ circuncludit. Sapiens autem differt, & reſeruat in poſterum. Læſus enim in præſens ſe vlciſci non deſiderat, quia etiam tolerans parci optat, ſed tamen vindicari omnia extremo iudicio non ignorat. Hunc locum antiqua tranſlatio ſic habet. Totam iram ſuam profert impius, ſapiens autem diſpenſat per partes. Quia nimirum ſtultus ad vltionem ſui irę perturbatione ſuccenditur, ſapiens autem paulatim eam maturitate conſilij, ac moderationis extenuat, ac expellit. Infra: Vir iracundus prouocat rixas, & qui ad indignandum facilis est erit ad peccata procliuior. Ianua vitiorum omnium iracūdia est, qua clauſa, virtutibus intrinſecus dabitur quies, aperta vero ad omne facinus armabitur animus.

30 In Pſal. 76. To.8. *Ephe. 4.* IDEM explicās verba illa, turbatus ſum, & non ſum locutus, ſic habet: Hoc est quod dicit Apoſtolus. Sol non occidat ſuper iracundiā veſtram. Turbatus ſum, quaſi homo, non ſum locutus, quaſi chriſtianus. Iracundia cępit in corde meo, ſed iracundiam in verba non produli.

31 lib.2.in c.4. Ep.Pauli ad Eph. To. 9. *Coloſſ. 3.* IDEM explicans verba illa, ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram, iraſcimini, & nolite peccare, ait: Iraſcimini, & nolite peccare, de quarto pſalmo ſumptum est, & videtur illi eſſe contrarium, quod alibi dicitur, nūc autem deponite, & vos omnem irā, & indignationem, & turpem ſermonem ex ore veſtro, ſed & ſimpliciter intellectum nocet dum putātur iræ frœna laxata. Duplex autem non ſolum apud nos, verum etiam apud philoſophos iræ nomen accipitur. Vel cum iniuria laceſſiti naturalibus ſtimulis concitamur, vel cum requieſcente impetu, & furore reſtincto poteſt mens habere iudicium, & nihilominus ſuper eo, qui putatur læſiſſe, deſiderat vltionem. Arbitror itaq; de priori ira nunc dictum, & nobis quaſi hominibus eſſe conceſſum, vt ad indignæ alicuius rei faciem moueamur tranquillitatemq; mentis velut lenis, quædam aura conturbet, nequaquam tamen intumentis gurgitis furoris impetu ſubleuemur. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Si ſimpliciter hunc ſolem intelligimus, qui oculis carnis aſpicitur peccamus quando iraſcimur, & occidente ſole iracundia perſeuerat. Non peccamus autem quando v. g. à prima hora vſq; ad vndecimā iraſcentes facimus, quod indignatio, furor, ira ſuggeſſerint. Quo ſenſu nihil mihi videtur abſurdius, quaſi nō quæat quiſq; a ſolis ortu vſq; ad occaſum in tanta ſcelera debacchare quanta tota vitā ſua non poſsit lachrymis expiare. Præcipit ergo Apoſtolus, ne talia faciamus furore ſuperati, per quæ nobis ſol occidat, & principale cordis tenebris inuoluatur, vel intelligenda ſunt hæc verba, ſicut illa Pſal. 4. quę dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini, ideſt quæcūq; in die, vel opere, vel ſermone, vel cogitatione peccatis, hæc ſuccedente pœnitentia purgate per noctem, & ira breuis ſit, nec in diem craſtinum differatur.

AMBROSIVS explicat verba illa, ori tuo fac oſtium, & vecte, & verbis tuis iugum, & ſtateram, & ait: Sit ori tuo oſtium, & clau datur vbi oportet, & obſeretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & cō tumeliam cōtumeliæ rependas. Audiſti hodie lectum, iraſcimini, & nolite peccare, ergo, etſi iraſcimur, quia affectus naturæ eſt, malum ſermonem non proferamus de ore noſtro, ne in culpam ruamus. Sed iugum ſit verbis tuis, & ſtatera, hoc menſura, vt lingua tua menti ſit ſubiecta, reſtringatur habenę vinculis, frenos habeat ſuos, quibus reuocari poſsit. Infra. cap. 4. Hæc ſi cuſtodiat aliquis ſit mitis, manſuetus, modeſtus, cuſtodiendo enim os ſuum, nec prius loquēdo, quàm examinet verba ſua, vt non ex indignatione, & ira in ſermonem erumpat, ne indicet ineſſe dictis ſuis ſtimulos iracundiæ. Infra. cap. 5. Quando ergo aliquis nobis cōuitiatur, laceſsit, ad iurgium vocat, tunc muti fieri non erubeſcamus. Peccator eſt enim, qui nos prouocat, qui iniuriam facit, & nos ſimiles ſui facere deſiderat. Ergo illius eſt ſtudium, vt irritet, vt ſimilia illo loquar, ſimilia agam, iuſti autem diſſimulare, nihil loqui, tenere bonum fructum conſcientiæ. Hæc ſunt arma iuſti, vt cedendo vincat. Infra. cap. 6. Quod opus eſt moneri, cum audimus conuitia? Cur non imitamur dicentē, obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis? An hoc dixit tantūmodo, non etiam fecit Dauid? immò & fecit, nam cum ei conuitiaretur Semei tacebat Dauid, & quamuis ſeptus armatis, non retorquebat conuitium, non vltionē quærebat. Ibat ergo tanquam mutus, & humiliatus, ibat tacens, nec mouebatur cum vir appellaretur ſanguinis, qui erat conſcius propriæ manſuetudinis.

32 lib.1. offic. c.3. To.4. *Eccl.28.* *Pſal.4.*

IDEM ait: Caueatur iracundia, aut ſi præcaueri non poteſt, cohibeatur. Indignatio enim ita animum perturbat, vt rationi nō relinquat locum. Primum eſt igitur, ſi fieri poteſt, vt morum tranquillitas vſu quodam, affectioni propoſito in naturam vertatur. Deinde quoniam ita plerūq; motus infixus eſt naturę, ac moribus, vt euelli, atq; euitari non queat, ſi prœuideri potuerit, ratione opprimatur. Aut ſi prius occupatus fuerit animus ab indignatione, quam cōſilio proſpici, ac prouideri potuerit, ne occuparetur, meditare quomodo motum animi tui vincas iracundiam temperes. Reſiſte iræ ſi potes, cede ſi nō potes, quia ſcriptum eſt. Date locum iræ. Iacob fratri indignanti præceſsit, & Rebecchæ, ideſt patientiæ inſtructus conſilio abeſſe maluit, & peregrinari, quam excitare fratris indignationem, & tunc redire cum fratrem mitigādum putaret. Et ideo tantam apud Deum inuenit gratiam. Ergo ſi prœuenerit, & prœoccupauerit mentē tuam iracūdia, & aſcēderit in te, ne relinquas locum tuum. Locus tuus patientia eſt, locus tuus ſapientia eſt, locus tuus ratio eſt, locus tuus ſedatio indignationis eſt. Aut ſi te contumacia reſpondentis mouerit, & peruerſitas impulerit ad indignationem, ſi non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam, ſic enim ſcriptum eſt. Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Deinde inquire pacem, & ſequere eam. Pacem illam ſancti Iacob vide, qua primum ſedato animum. Si non prœualueris frenos linguæ impone tuæ. Deinde reconciliationis ſtudium non prœtermittas. Vitemus ergo, aut temperemus iracūdiam. Non mediocre eſt mitigare iracundiā, non inferius, quam omnino non commoueri. Hoc noſtrum eſt, illud naturę. In te ergo te cōpara, vt quaſi puer iniuriam non teneas, malitiam non exerceas, omnia à te innocēter proficiſcantur. Noli reſpondere irato ad verecūdiam eius, ſiue impudenti ad impudentiam eius. Cito culpa culpam excutit. Si lapides teras nonne ignis erumpit? Ferunt gentiles Archiſtæ tarētini dictum philoſophi, quod ad villicum ſuum dixerit, O te infelicem, quam te afflictarem niſi iratus eſſem. Iam dixerat Dauid de inimicis, quoniam declinauerunt in me iniquitates, & in ira moleſti erant mihi. Audiamus in ira turbatus, quid dixerit, quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Illi ergo ad iracundiam prouocabant, hic tranquillitatem eligebat. Iam dixerat iraſcimini, & nolite peccare. Hoc eſt iraſcimini vbi culpa eſt, cui iraſci debeatis. Non poteſt enim fieri, vt non rerum indignitate moueamur, alioqui non virtus, ſed remiſsio iudicatur. Iraſcimini ergò, ita vt à culpa abſtineatis. Vel ſic, ſi iraſcimini, nolite peccare, ſed vincite ratione iracundiam, vel certe ſic, ſi iraſcimini, vobis iraſcimini, quia commoti eſtis, & non peccabitis. Qui enim ſibi iraſcitur, quia cito commotus eſt, deſinit iraſci alteri. Qui autem vult iram ſuam iuſtam probare plus inflammatur, & cito in culpam cadit. Melius eſt autem ſecundum Salomonem, qui iracundiam cōtinet, quam qui vrbem capit, quia ira etiam fortes decipit.

Rom. 12. *Gen. 27.* *Pſ. 33.* 34 *Pro. 16.*

35 In c.12.Ep. Pau.ad Roman. To.3. IDEM explicans verba illa, non vos defendentes chariſsimi, ſed date locum iræ, ait: Vt pacis fœdera ſeruari poſsint, ab ira diſſimulandum monet, maxime quoniam per iram ſolet peccari, quando quis furore commotus plus exigit, quam poſtulat cauſa delicti, aut ſibi ipſi incommodum præſtat, ſi grauiora peccata incompetenti vindicta vult exequi.

Vnde & Salomon. Noli eſſe iuſtus multum, eſt enim, inquit, qui perit in ſua iuſtitia. Volens enim ſingulis peccatis reſpondere, circa vindictam, mortem poteſt inuenire, tam ſibi, quam ei, quem plagis affligit. Non ſolum autem de ſubiectis vindictam prohibet competē tem, ſed & de fratre forte in nos peccante nō quæramus vindicari, ſed remittamus, Dei iudicio reſeruātes, ne dum ab ira detinemur inueniat locū inimicus, in quo ſuggerat, & ſuadeat, quod contra nos eſt.

36 In Pſal. 4. Tomo 8. AVGVSTINVS explicans verba illa: iraſcimini, & nolite peccare, inquit: Etiam ſi iraſcimini nolite peccare, ideſt etiam ſi ſurgit motus animi, qui iam propter pœnam peccati non eſt in poteſtate, ſaltem ei nō conſentiat ratio, & mens, vt mente ſeruiamus legi Dei.

37 Cōtionē 2. in Pſ.30. IDEM explicans verba illa, turbatus eſt in ira oculus meus, anima mea; & vēter meus, ſic habet: Iraſcitur iſte alienis peccatis. Quis non iraſcatur videns homines cōfitentes ore, Deum negantes moribus? Quis non iraſcatur, videns homines, ſæculo, verbis, & non factis renunciantes? Quis eſt, qui non iraſcatur videns fratres iraſcentes fratribus, & inſidiantes, fidem non ſeruantes, oſculo quod infigunt ſacramentis Dei? Et quis enumeret omnia, quibus iraſcitur corpus Chriſti. Is dicit. Zelus domus tuæ comedit me. Dicit, & alibi, quoniam videt multos mala facientes. Defectio, vel tædium tenuit me, pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. Dicit, & alio loco. Vidi inſenſatos, & tabeſcebam. Ira ſi manſerit, & non cito euulſa fuerit tranſit in odium. Ideo vt recens ira euelleretur, & in odium non conuerteretur, nos docet ſcriptura, dicens. Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Infra: Nō ait extinctus eſt oculus meus præ ira, ſed turbatus. Nam ſi extinguitur iam odium eſt. Antequam ergo eatur in tenebris, conturbatur oculus in ira. Sed cauēdum eſt, ne ira vertatur in odium, & oculus extinguatur. Turbatur anima, & venter, hoc eſt interiora mea, quia male viuentibus iraſci licet clamare non licet. Cum iraſcimur, & clamare non poſſumus, interiora noſtra turbantur. Tanta eſt enim aliquando peruerſitas, vt nec corripi poſsit.

Pſ.68. *Pſ. 118.* *Eph. 4.*

38 lib.5.moral. c.31. To. 1. GREGORIVS exponit verba illa, virū ſtultum interficit iracundia, & ait: Sciendum nobis magnopere eſt, quia quoties turbulētos motus animi ſub māſuetudinis virtute reſtringimus, ad ſimilitudinem redire cōditoris conamur. Nam cum tranquillitatem mentis iracundiæ diuerberat dilaniatam, quodāmodo ſciſamq; perturbat, vt ſibimetipſi non congruat, ac vim intimæ ſimilitudinis amittat. Quanta ergo ſit iracundiæ culpa penſemus per quam dum manſuetudo amittitur ſupernæ imaginis ſimilitudo vitiatur. Per iram ſapientia perditur, vt quid quōue ordine agendum ſit, omnino neſciatur, ſicut ſcriptum eſt. Ira in corde ſtulti requieſcit. Quia nimirum intelligentiæ lucem ſubtrahit, cum mentem permouendo confundit. Per irā iuſtitia relinquitur, ſicut ſcriptum

Iob c.5. *Eccl.7.* *Iac. 1.*

tum est. Ira viri iustitiam Dei non operatur. Quia dum perturbata mens iudicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat. Per iram gratia vitæ socialis amittitur, sicut scriptum est; Noli esse assiduus cum homine iracundo, ne discas semitas eius, & summas scandalum animæ tuæ. Et idem. Quis poterit habitare cum homine, cuius spiritus facilis est ad irascendum? Quia qui se ex humana ratione non temperat, necesse est, vt bestialiter solus viuat. Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est; Sol non occidat super iracundiam vestram. Quia cum menti iracūdia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cognitionis abscondit. Per iram sancti spiritus splendor excutitur, quo contra iuxta vetustā translationē scriptū est: Super quē requiescet spiritus meus, nisi super humilē, & quietum, & trementem sermones meos? Cum enim humilem diceret, quietū protinus adiunxit. Si ergo ira quietem mētis subtrahit, suā sancto spiritui habitationem claudit, cuius recessione animus vacuus, ad apertam mox insaniam ducitur, & vsq; ad superficiem, ab intimo cogitationum fundamento dissipatur. Nā iræ suæ stimulis accensum cor palpitat, corpus tremit, lingua se præpedit, facies ignescit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoscūtur noti. Lingua quidem clamorem format, sed sensus, quid loquatur, ignorat. In quo itaq; iste abreptitijs longe est, qui actionis suæ cōscius non est? Vnde fit, vt plerūq; vsq; ad manus ira ipsiliat, seq; ipsum animus retinere nō valeat quia factus est potestatis alienæ. Aliquādo autem manus nō exerit, sed in maledictionis iaculum linguam vertit. Plerūq; ira, per silentiū clausa, intra mentem vehementius æstuat, & clamosas tacita voces format, verba sibi, quibus exasperetur, obijcit, & quasi in causæ examine posita, durius exasperata respondet: quod Salomon breuiter insinuat, dicens: Præstolatio impiorum furor. Sicq; fit, vt perturbatus animus maiorem strepitum sui silentij sentiat, eumq; grauis clausa iræ flamma consumat. Vnde bene ante nos quidam sapiens dixit; Cogitationes iracundi vipereæ sunt generationis, mentem comedunt matrem suam.

Sciendum vero est, quod nonnullos ira citius accendit, facilius deserit. Nonnullos vero tarde quidem commouet, sed diutius tenet. Alij citius quidem flammam faciunt, accensis calamis, sed protinus in fauilla fugescunt. Alij autem lignis grauioribus, durioribusq; non dispares accensionem tarde susciuiunt, sed tamē accensi semel, difficilius extinguuntur, & quia se tardius in asperitatem concitant, furoris sui diutius ignem seruāt. Alij autem, quod est nequius, & citius iracundiæ flammas accipiunt, & tardius deponunt. Nonnulli vero has, & tarde suscipiunt, & citius amittunt. Sed quid prodest, q; iracundia quomodo mentem teneat dicimus, si non etiam qualiter compesci debeat exprimamus? Duobus enim modis fracta possidere animum ira desuescit. Primus quippe est, vt mens sollicita, antequam agere quodlibet incipiat, omnes sibi, quas pati potest contumelias proponat, quatenus redemptoris sui probra cogitans, ad aduersa se præpararet. Quæ nimirum venientia tāto fortius excipit, quanto se cautius ex præscientia armauit. Solerter ergo animus, ante actionis suæ primordia, cuncta debet aduersa meditari, vt semper hæc cogitans thorace patientiæ munitus, quicquid acciderit prouidus superet. Secundus seruandæ mansuetudinis modus est, vt cum alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in alijs excesimus, delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter nāq; illatam iniuriā tollerat, qui pie meminit, quod fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cum surgente furore animi, sua cuiq; ad mētem culpa reuocatur, quia erubescit peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpe se recolit parcēda peccasse. Sed inter hæc sciendum est, quod alia est ira, quam impatientia excitat, alia, quam zelus iustitiæ format. Illa ex vitio, hæc ex virtute generatur. Si enim nulla ira ex virtute surgeret, diuinæ animaduersionis impetum, Phinees per gladium non placasset. Hanc iram quia Heli non habuit, motum cōtra se implacabiliter supernæ vltionis excitauit. De hac ira per psalmistam dicitur; Irascimini, & nolite peccare. Si enim sic proximos, vt nos amare præcipimur, restat vt sic eorū erratibus, sicut nostris vitijs irascamur. De hac per Salomonem dicitur; Melior est ira risu, quia per tristitiā vultus, corripitur animus delinquentis. De hac iterum psalmista ait; Turbatus est præ ira oculus meus. Ira quippe per vitium, oculum mentis excęcat, ira autem per zelum, turbat. Ipse nāq; zelus rectitudinis, quia inquietudine mētem agitat, eius mox aciem obscurat, vt altiora in commotione non videat, quę bene prius tranquilla cernebat. Sed cum per zelum animus mouetur, curandum summopere est, vt nec eadem, quæ instrumento virtutis assumitur, menti ira dominetur, nec quasi domina præeat, sed velut ancilla ad obsequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robustius contra vitia erigitur, cum subdita rationi famulatur. Vnde necesse est, vt hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis mouetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat; sed in vltione peccati tempus, modumq; considerāns, surgentem animi perturbationem subtilius retractando restringat, animositatem reprimat, & motus feruidos sub æquitate disponat. Quia vero, sicut diximus, ēt laudanda boni æmulatio mentis oculum turbat, recte nunc dicitur: Virum stultum interficit iracundia. Ac si aperte diceretur, Ira per zelum, sapientes turbat, ira vero per vitium, stultos trucidat, quia illa sub ratione restringitur, hæc vero irrationabiliter deuictæ menti dominatur.

Prou. 22.

Eph. 4.

39

Isa. 66.

40

Prou. 11.

41

Ps. 4.

Eccl. 7.

Ps. 6.

Iudices, Principes, ac Reipublicæ Gubernatores iusti sint, & qui non sunt tales, nociui sunt nimis.

Cap. VIII.

1 Hom. 11. in Exod. to. 1.

ORIGENES sic habet: Dat Iethro cōsilium Moysi, probabile satis & vtile, vt eligat viros, & cōstituat principes populi viros Deum colētes, viros potentes, & odientes superbiam. Tales enim oportet esse principes populi, qui non solum superbi non sint, sed qui oderint superbiam. Idest non solū ipsi absque vitio sint, sed & vt in alijs oderint vitia. Non homines dico odisse, sed vitia. Et ordinabis, inquit, eos tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, & iudicabunt populum omni hora. Audiant principes populi, quia debent omni hora populum iudicare, semper & sine intermissione sedere in iudicio, dirimere lites, reconciliare dissidentes, in gratia recordare discordes.

2 Homil. 3. in lib. Iudicū.

IDEM explicans verba illa Iudicum capite 2. Clamauerunt filij Israel ad Dominum, & suscitauit eis Dominus Deus Saluatorem, Aioth filium Gera, virum ambidextrum, inquit: Ecce qualis est iste, qui suscitatur ad saluandum Israel, nihil habet in se sinistrum, sed vtramque manum dextrā habet. hoc est enim ambidexter. Dignus vero populi princeps, & Ecclesiæ iudex, qui nihil agat sinistrum, cuius quod agit dextera, nesciat sinistra sua, in vtraque perte dexter est, in fide dexter est, in actibus dexter est. Econtrario mali principes (si dici potest) ambisinistri dicuntur. Totū enim quod agunt sinistrum est, totum peruersum, totum igni æterno, cum his, qui a sinistris sunt, deputatum.

3 In lib. quæstionum Hebraicarum, super libru Regū. to. 3. 2. Reg. 12.

HIERONYMVS explicat verba illa, quæ dicta sunt Dauid post adulterium cū Bersabee. Verumtamen quoniam blasphemare fecisti inimicos Domini, propter hoc filius, qui natus est tibi, morte morietur, inquit: In Hebræo ita legitur; Verumtamen quoniam blasphemādo blasphemasti inimicos Domini propter verbum hoc etiam & filius, qui natus est tibi, morte morietur. Et est sensus saluationē tribuisti inimicis Domini, quibus insurgentibus contra populum Domini, peccato hoc tuo præpediente, non poterit eis resistere populus Domini. Insuper etiam ipsi inimici victorioſi existēt, propter peccatum tuum, super populum Domini. Vbi peccatū regis in grandem cesit populi ruinam & damnum.

4 Lib. 1. in c. 1. Isaiæ. de principibus illius reipublicæ. to. 5.

IDEM dixit Propheta, Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera. Pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos. Propter quod malum subdit: Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis. Plangitq. clementissimus pater, principes delinquentes, & hostes suos vocat & inimicos, qui & peribunt. Quando autem placatus fuerit populo hanc illi misericordiam pollicetur. Et restituam iudices tuos, vt fuerunt prius, & consiliarios tuos, sicut ab initio. Erunt iudices tui sancti, sicut Moyses, & Iosue, & alij, a quibus liber Iudicum nomē accepit, & postea Dauid, & alij iusti reges. Restituet ergo Iudicum similitudinem in grandem Reipublicæ vtilitatem.

5 In cap. 13. Danielis.

IDEM loquens de iudicibus iniquis, qui Susannam volebant perdere, explicans verba illa; Egressa est iniquitas de Babylone a senibus iudicibus, qui videbantur regere populum, ait: Pulchre de presbyteris peccatoribus non qui regebant populum, sed qui videbātur regere. Qui enim bene præsunt populo, regūt populum, qui autem tātum nomen habent iudicum, & iniuste præsunt populo, regere videntur populum magis, quam regant.

6 Lib. 1. in ca. Ionæ. to. 5.

IDEM refert sententiam Platonis, qui dixit, fœlices fore respublicas, si aut philosophi regnent, aut reges philosophentur.

7 Lib. 2. in ca. 8. Zach.

IDEM explicans illa verba; Iudicium pacis iudicate in portis vestris, sic habet: Hoc est iudicium pacis, vt propositum index habeat pacificare discordes. In iudicio prima sit veritas, atque iustitia, deinde sequitur misericordia. Quodq. sequitur, in portis vestris, oderūt in portis corripientem, & verbum sanctū abominati sunt. Dauid quoque iudicabat in portis, quando Absalon veritatem iudicij repromittens, patri tendebat insidias. Et quæritur quare apud Iudæos in portis locus fuerat iudicandi. Ne cogerentur agricolæ intrare vrbes, & aliquod subire dispendium, iudices in portis residebant, vt tam vrbanos, quam rusticos in exitu, & introitu vrbis audirent, & finito negotio vnusquisque confestim ad sedes proprias reuerteretur.

Amos 5.

2. Reg. 19

8 Epist. 20. to mo 5.

AMBROSIVS explicans verba illa Ioānis: Non possum ego a me facere quicquam, sicut audio, & iudico, inquit. Non quasi infirmus, hoc dicit, sed quasi iudex, vt cognoscamus homines in iudicando, quod non ex volūtate nostra, & potestate, sed ex æquitate debeamus formare sententiam. Constitue aliquem reum coargutum, & conuictum criminis, non astruētem defensionis genera, sed deprecantem, ac voluentem se ad genua iudicis. Respondet ei iudex. Non possum a me facere quicquam. Iustitia in iudicando, non potentia est in iudicando. Ego non iudico, sed facta tua de te iudicant. Ipsa te accusant, & ipsa te condemnant. Leges te adiudicant, quas iudex non conuerto, sed custodio. Nihil ex me ego profero, sed ex te forma iudicij in te procedit. Secundum quod audio iudico, non secundum quod volo, & ideo iudicium meum verū est, quia non voluntati indulgeo, sed æquitati. Consideremus itaque, quæ sit iudicādi religio. Dominus cęli atque terrarum, iudex omnium dicit. Non possum a me facere quicquam, sicut audio & iudico. Et malus index homo dicit Domino suo, nescis quoniam potestatem habeo dimittere te, & potestatem habeo crucifige-

Ioan. 6.

Ibidem.

Ioan. 19.

cifigere te? Quare Dominus non potest? quia iudicium meum, inquit, verum est, non enim quæro voluntatem meam, idest, voluntatē hominis, quem vos videtis, non arbitrium homi nis, quem vos hominem tantummodo iudicatis, non voluntatem carnis infirmam, sed voluntatem diuinam, quæ auctor legis, arbitriaq. iudicij est. *Ioan. 6.*

9 Lib. de ordine. to. 12. AVGVSTINVS refert Pythagoræ sententiam de gubernatoribus reipublicę dicens: Mirari & quotidianis efferre laudibus soleo, quòd regendæ reipublicæ disciplinā suis auditoribus vltimā tradebat iam doctis, iam perfectis, iam sapientibus, iā beatis. Tantos enim ibi fluctus videbat, vt eis nollet committere, nisi virum, qui & in regendo pene diuine scopulos euitaret, etsi omnia defecissent ipse illis fluctibus, quasi scopulus fieret. De solo enim sapiente verissime dici potest. Ille velut pelagi rupes immota resistit.

10 Lib. 4. de ciui. Dei. c. 4. to. 5. IDEM sic habet: Remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia? Manus etenim ipsa hominum, cum imperio principis regitur, pacto societatis astringitur, placiti lege præda diuiditur. Hoc malum, si intātum perditorum hominum accessibus crescat, vt & loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen assumit. Eleganter enim & veraciter Alexandro illi magno quidam comprehensus pirata respondit, nam cum idem rex hominem interrogasset quid ei videretur, vt mare haberet infestum? Ille libera contumacia; Quid tibi, inquit, vt orbem terrarum? Sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, diceris Imperator.

11 Ser. 14. ad fratres in eremo. tomo 10. IDEM inquit: Regia via, qui terram iudicant incedere debent, nec declinare ad dexteram molliendo iudicium, nec ad sinistram exasperando supplicium. Non enim crudelitas est punire reatum, sed iustitia, nō tyrannicum, sed diuinæ rectitudinis iudicium. Non tamen volumus, nec consilium damus, vt mox iudicent, sed cum omni maturitate incedant, & inuenta discussaq. rei causa in Christi nomine iudicent delinquentes. O sancta, laudabilisq. iustitia, sub te, & per te pudicitia regnat, pax per te triumphat, & securitas. O iustitia, qui te amauerit, qui te strinxerit, cum Moyse mare mundi vitiorum sanguine rubricatum, sicco vestigio pertransibit. Hæc est virga, qua petra percussa manat in fluenta. Quia lapidea subditorum corda iudicio iustitię tacta in virtutum exuberant flumina. *Heb. 4.* Hæc est virga Aaron, quæ fronduit, floruit, & fructum peperit, quia iustitia quasi frondet, dum mente concipitur, floret dum viriliter exercetur, fluctificat dum subditus corripitur. *Matt. 3.* Hæc est ventilabrum, quo granum diuiditur a palea. Infra: Tunc vero iustitia dicitur gladius ex vtraque parte acutus, quia hominis defendit corpus ab exterioribus iniurijs, & animam a spiritalibus molestijs. *Num. 25.* Hæc est pugio, quo Phinees trāsfixit coeuntem cum Madianitide Iudæum & cessauit quassatio. *1. Reg. 17* Hic est lapis, quo Dauid percussit Philistæum, & à seruitute Israel liberauit. Hic autem sine discretione gladius est in manu furiosi. Hæc sine prudentia est mors, & bonorum persecutio. Hic sine misericordia gladius est in manu tyranni. Cū summa enim discretione, fratres mei, tenenda est iustitia, cum summa deliberatione inferēda est pœna, iudicando non ex suspicione, sed ex omni certitudine veritatis. O quam facile est iudicare, sed o quam amarum est, quod iudicatum est retrahere. Ideo non puer, non insensatus vobis præesse debet, sed annosus, prudens, castus, vt sal, & lux mundi cunctis appareat, talis iustitiam non poterit ignorare. Tunc enim regnum Romanorum pacifice tamdiu perseuerauit, quamdiu sapientes regere permiserunt, sed dum iuuenes & inexpertos regere permiserunt tamquā iustitiam ignorantes, acceptores personarum facti sunt, & sic iustitiam perdentes, dominiū orbis terrarum perdiderunt. Iuuenes ergo imprudentes, duces non constituendi sunt, ne ipsi simul cum populo pereant. Tales enim si præsunt non solum præterita, & futura non cogitant, sed ad audire quod bonū est, & verum aures suas obturant. Taliter etiā non solum iuuenes, sed etiam antiquos in diebus malis hoc facere frequenter minime dubitamus. Principes Romanorum scientiam de præteritis habebant, in quibus & certificari optime poterāt: & de futuris aliquid scire semper procurabāt. In hoc autem exercitium eorum consistebat: quòd iustitiam vsq; ad mortem sequebantur, & pro ea moriendo felices se esse putabant.

12 13 In serm. 3. IDEM ait: Conueniſtis omnes iudices in domum episcopi, vt quid pro vestra salute necessarium fuerit audiatis, & audientes operibus adimpleatis. Vos enim reputati estis ab hominibus duces populi, orphanorum patres, viduarum mariti, iustitiæ zelatores, reipublicæ amatores. Cauete ergo ne corrumpamini odio, amore, pretio, precibus, vel timore. Decet igitur iudices non solum quæ diximus adimplere; sed cum Dei adiutorio calcare superbiam, abominari luxuriam, abhorrere falsitatem, despicere auaritiam, quæ nouerca dicitur esse, & summa inimica iustitiæ. Decet igitur iudices largitatē sectari, amare paruulos, pusillis & orphanis faciem serenā, non solum verbo, sed etiam opere demonstrare. Decet etiam iudices sapientes esse: ne dicere valeant legem ignorantes bonum malum, & malum bonū. Decet iudices plus honorem Dei, quam marsupia plena diligere. Sed væ vobis, o iudices, væ vobis in æternum: quia nō est in vobis veritas, nō misericordia, non pietas, nō iustitia, nec scientia Dei in vobis pōt inueniri. Regnat in vobis acceptio personarū; non est veritas in vobis. O patres pauperū, o vere nō patres, sed prædones. Quare non patres? quia vbique per vos opprimuntur, nec est qui misereatur pupillis Dei: sed si diues locutus fuerit mox tacuistis causas suas vsque ad nubes perduxistis. Eia igitur, o iudices attendite; ne cum falsis iudicibus Susannæ confundamini.

Consi-

Osee 4. Considerate o iudices terræ, quid per Oseam Deus loquatur. Ait enim: Visitabo populum meum, iudices & vias eorum; & cogitationes eorum reddam eis.

14 In serm. 3. Epiph. BERNARDVS explicans verba illa; Turbatus est Herodes & omnis Hierosolyma cum illo inquit: audito nomine regis, rex Herodes successorē suspicatus expauit. Nec mirum si turbatur Herodes; sed quod Hierusalē ciuitas Dei (quæ visio pacis est) cum Herode turbatur, quis nō miretur? Videte fratres, quātum noceat iniqua potestas, quomodo caput impium, subiectos quoque suæ conformat impietati. Misera plane ciuitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ, & ad nouæ salutis ortum Herodiana mouebitur turbatione.

15 Serm. 46. in in Cantica. IDEM explicās verba illa; Lectulus noster floridus, tigna domorum nostrorū cedrina, sic habet. Domos populares conuentus intellige Christianorum, quos hi, qui in sublimitate positi sunt, Christiani vtique vtriusque ordinis principes, quasi tigna parietes, iustis impositis legibus fortiter stringunt; ne sua quisque lege, vel voluntate viuentes, tanquam parietes inclinati, & maceriæ depulsæ dissideant a semetipsis, & sic omnis structura ædificij corruens dissipetur. Laquearia vero, quæ a tignis firmiter pendent, & domos insigniter ornant, puto bene instituti cleri mansuetos, & disciplinatos mores, riteq. administrata officia designare. Quomodo namque stabunt ordines clericorum, & administrationes eorum; si non principum tanquam tignorum beneficio, & munificentia sustententur, & protegantur potentia? Et cedrus quidem quoniam imputribile est, necnon & odoriferum, altæq. proceritatis lignū, satis indicat, quales oporteat assumi viros in vices tignorum ad reipublicæ gubernationem. Ergo validos & constātes necesse est, esse eos, qui super alios ordinātur, necnon & longanimes in spe, atque ad superna mentis verticem attollētes. Qui etiam bonum fidei suæ, & conuersationis vbiq; odorem spargentes, dicere cum Apostolo possunt; bonus odor Christi sumus in omni loco.

Iudicium finale terribile est malis & consolationis plenum iustis, in quo multa sunt consideranda.

Cap. IX.

1 Homil. 9. in lib. Num. ORIGENES explicans historiam numerorū 16. vbi narratur, quòd sæuiente ira Dei in populum tulit Aaron thuribulum cum igne, & positus est inter mortuos, & viuentes pro populo Dei deprecatus est, & plaga Dei cessauit, inquit: Puto, ꝙ nō solum primo aduentu Dominus forma ista completa sit: sed eadem seruabitur & in secū-

do. Veniet enim iterum Filius hominis, & cū venerit, inueniet quosdam mortuos, quosdam autem viuentes. Mortuos dicimus eos, qui nimietate scelerum in peccatis suis mortui intelliguntur. Viuentes autem, qui in operibus vitæ permanserint. Tunc Pōtifex noster Christus medius viuorum & mortuorum stare dicēdus est; cum statuet oues a dextris suis, hœdos autem a sinistris. Et dicet ijs, qui a dextris sunt: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Matt. 25.* Ijs autem, qui a sinistris sunt dicet, Ite maledicti in ignem æternum. Et sunt vtiq; mortui ij, qui in ignem mittuntur æternum, sunt autem viui illi, qui mittuntur ad regnum.

2 Libro 3. in Iob. *Iob 3.* IDEM loquens Iob de natiuitatis eius inter alia ait: Non requirat eum Deus desuper; inquit: Quid dicis, ò beate Iob? Ergo alios dies inquiret, vt de isto solo dicas, non inquirat illum Dominus desuper? vtique ait: Omnes dies sæculi inquirentur, omnia tempora & momenta atque sæcula requirentur & producentur; nimirum non dies sæculi, qui naturam non habent, iam transacti, sed verba & facta, quæ in illis diebus sunt gesta, cogitationes & consilia, atque tractatus, qui in omni tempore vel momento huius sæculi tractati sunt, atque cogitati. Hæc igitur omnia in omnibus gentibus, & in omni lingua inquisita, in iudicio manifestantur in tempore inquisitionis. Non enim mentitur is, qui ait: Memor sum ea, quæ a sæculo sunt, dinumerare, non solum tempora, & momenta, & dies, & annos: sed quin potius omnium hominum cordis occulta, iuxta hoc quod dictum est; qui fingit sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum. Et adhuc alibi; ipse autem nouit abscondita cordis. Apostolus vero his consonanter dicit, in die qua iudicabit Deus occulta hominum. Ille enim dies manifestabit omnia in igne reuelans cuncta.

3 In Psal. 36. IDEM explicās verba illa; Et deducet sicut lumen iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem, sic ait: Tuam iustitiam, quam tu egisti in occulto, & reuelasti eam soli Deo, hanc producet sicut lumen Deus, & ostēdet te iustum illuminatum sole iustitiæ; cælo, & terræ, & omnibus, qui in cælo sunt. Ostendet lumen iustitiæ tuæ, & (si ita dici oportet) iactabit se de te tanquam de filio, tāquam qui acceperis spiritum adoptionis. Iustitia quæ fit in occulto, pater qui videt in occulto, reddet palam in tempore suo, producitur a Deo sicut lux, & iudicium tuum sicut meridies. In iudicio cum causa tua discutitur, iustitiā causæ tuæ tanquam lucem Deus faciet manifestā: & iudicium, quod & dijudicat, velut in meridiem faciet manifestum.

4 Homil. 3. in Psal. 36. IDEM sic habet: Sicut ad mare rubrum venerunt Hebręi, venerunt & Ægyptij, sed Hebræi, quidem transierunt mare rubrum, Ægyptij autem demersi sunt in ipso; hoc modo etiam nos, siquidem Ægyptij sumus, & sequimur Pharaonem diabolum præceptis eius obedientes, demergemur in illum fluuium, siue la-

cum igneum, cũ inuenta fuerint in nobis peccata. Si autem sumus Hebræi, & sanguine agni immaculati sumus redempti, ingredimur quidem & nos fluuium ignis: sed sicut Hebræis erat aqua dextra, lænaque; ita etiam ignis erit murus. Infra: explicat illa verba de iustis, in diebus famis saturabuntur. Tunc dicit noctem illam futuram, cum iam nemo potest operari: sed vnusquisque tunc pascitur ex operibus suis, quæ hic posuit, operatus est. In illo tempore malo, cum peccatores supplicijs affliguntur, erit sine dubio fames his, qui nullos fructus boni operis collegerunt. In illo autem famis tempore saturabuntur iusti ex fructibus iustitiæ suæ. In die sexta nunc colligere debemus manna dupliciter, vt sufficere nobis possit in hoc sæculo, & in futuro: alias in diebus famis non saturabimur.

5 IDEM exponens verba illa, secũdum duritiam tuam, & cor impœnitens, thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, qui reddet vnicuique secundum opera eius, sic ait: Omnes homines per hæc, quæ agunt in hoc mundo, aut congregant in terra, aut in cælo, aut in thesauro iræ Dei. Qui iniquus est, per duritiam cordis, & cor impœnitens: in thesauro iræ actus suos recondit. Homo terrenus, qui de terra est, & de terra loquitur, & cum ei attulerit ager fructus vberes, destruit horrea, & maiora ædificat, & thesaurizat in terra. Aut sapiens est, in Deum diues, & in terris ambulans, conuersationem habet in cælis. Iste talis diuitiarum suarum thesauros condit in cælis. Diem autem iræ vocat Paulus diem iudicij, de quo Amos ait: Væ his, qui desiderant diem Domini. Vt quid vobis dies Domini, & hæc est; tenebræ, & non lux. Quemadmodum si effugiat homo a facie leonis, & occurrat ei vrsus, & intret in domum suam, & extendat manus suas ad parietem, & mordeat eum serpens. Nonne tenebræ, & non lux sunt dies Domini; & caligo, quæ non resplendet? Sed & Ioel dicit ad sacerdotes: Clamate ad Dominum sine cessatione, heu me, heu me in diem, quia prope est dies Domini, & sicut miseria ex miseria eueniet. Tuba canite in Sion, prædicate in monte sancto meo, & confundantur omnes,

6 qui habitãt super terram: quia adest dies Domini, quia prope est dies tenebrarum, & caliginis dies nubis, & nebulæ. Similis ei non fuit a sæculo, & post ipsum non erit, vsque ad annos sæculi sæculorum. Ante ipsum ignis cõsumens; & post ipsum flamma accensa. Sicut paradisus delitiarum, erit terra ante faciem eius, & post tergum eius caput exterminij; & nullus est, qui euadat eum. Sicut aspectus equorum facies eorum; & sicut equites ita sequentur. Sicut vox curruum super vertices montium insilient; & post multa: Propter quod magna est dies Domini, & quis erit idoneus ei? Sophonias vero ita dicit: Reuertimini a facie Domini Dei, quia prope est dies Domini: & præparauit Dominus victimam suam, sanctificauit vocatos suos. Et post pauca. Prope est dies Domini magna: prope est, & velox nimis. Vox diei Domini amara & dura: posita est & valida. Dies iræ dies illa, dies angustiæ & necessitatis, dies acerbitatis & perditionis, dies tenebrarum & caliginis, dies tubæ & clangoris super ciuitates munitas, & super muros excelsos. Et afficiam homines, & ambulabunt quasi cæci, quoniam Domino peccauerunt: & effundam sanguinem eorum, sicut puluerem, & carnes eorum, sicut stercora. Argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die iræ Domini. In igne æmulationis consumetur omnis terra: quoniam consummationem & festinationem faciet super omnes, qui habitant terram. Isaias quoque similiter memorat. Ecce enim dies Domini veniet insanabilis furoris & iræ: ponere orbem terræ desertũ, & peccatores perdere ex eo. Et post pauca: Cælum enim furore accendetur, & terra mouebitur a fundamentis suis: propter furorem iræ Domini sabaoth, in die qua superuenerit furor eius. His tot & talibus de die iræ testimonijs congregatis, vides, quòd in his omnibus dies iræ vindictæ, dies iudicij designatur. Hunc diem vocat etiam Apostolus reuelationis, iusti iudicij Dei. Reuelanda namq; esse omnia idem Apostolus in consequentibus dicit: Cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cum iudicabit Deus occulta hominum.

7 BASILIVS explicans illa verba, cur timebo in die mala, iniquitas calcanei mei circundabit me, inquit: Malam iudicij diem dicit, de qua dicitur dies Domini immedicabilis in omnes gentes, in qua, propheta hoc teste, quemlibet propria consilia circundabunt. Tunc itaque, quia nihil iniquum in vitæ huius via admisi: malam diem non timebo. Non me peccatorum, quæ admiserim, vestigia circundabunt: neque me, tacita accusatione aliqua facta, reprehensionem afferentia condemnabunt. Nemo quidem alius accusator sistetur, quam propria facta, quæ gesta sunt, peccatum proprio insignitum charactere producetur, sui omnibus expressam suggerens, & euidentem memoriam. Me igitur peccatorum vestigia haud circũdabunt: quoniam inclinaui in parabolam aurem meam.

8 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa, statim post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, inquit: Quorum dierum? Antichristi & prophetarum eius. Magna enim tunc tribulatio futura est: cum ita multi futuri sunt seductores. Sol obscurabitur, quia luce aduentus illius superabitur, & stellæ cadent. Quis enim vsus nulla existente nocte, ipsarum erit? Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vsque in occidentem: sic erit aduentus Filij hominis. Quomodo fulgur, vt videatur, nõ indiget præcone, aut nuncio, sed in momento temporum omnibus apparet; sic aduentus ille vbique splendens statim videbitur, tunc apparebit signum Filij hominis in cælo. Crux enim sole fulgentior videbitur. Obscuratur enim sol, crux autem apparet; quod fieri non posset

posset, nisi solares radios splendore superaret. Crucem in suam iustificationem secum habẽs Dominus, in iudicium veniet: acerbũ ac ignominiosum mortis suæ genus ostendens. Tunc plangant tribus: non enim accusantibus opus erit, cum crucem viderint. Plangent igitur, quia ex morte ipsius nihil profecerunt: quia Crucifixum, quẽ adorare oportebat, contempserunt. Crucem secum habet: vt peccatum iudæorum sine accusatione condemnetur. Veluti si quis lapide percussus, ipsum lapidem vel cruentas vestes in testimonium ostendat.

Infra: Tunc mittet angelos suos cum tuba magna, & congregabunt electos a quattuor ventis. Hoc vocationis modo illos honorauit, qui in nubibus rapientur obuiam Christo in aëra.

1. *Thess.* 4. Erit autem tubarum sonus ad exsuscitationẽ, ad gaudium, ad exprimendum rerum stupor ẽ, ad dolorem eorum, qui relinquũtur. Væ mihi de die illo terribili; qui cum oporteret nos expositione istarum rerum gaudere, dolemus & mœrore conficimur. Nam me quidem, cũ hæc in mentem veniunt, horror inuadit terribilis, & amarissime flens, ex profundo corde ingemisco: quia quæ ad virgines, & ad seruum, qui

Matt. 25. abscondit talentum dicentur, vehementer me perturbant.

9 IDEM explicãs illa verba, ab arbore autem fici discite parabolam; quando iam ramus

Homil. 78. eius tener fuerit, & folia nata, dicitis, quia prope est æstas, inquit: Hinc prædicit æstatẽ tunc spiritalem, tranquillitatemq. a fluctibus huius vitæ iustis hominibus futuram: iniustis autem a cõtrario hyemem, ac terribiles tempestates, post æstiuam tranquillitatem venturas.

10 IDEM sic ait: Instat iam tempus reddenHom. 33. in Ioan. to. 3. dæ rationis. Ideo Paulus ait: Dominus prope est, nihil solliciti sitis. Dominus prope est, nõ lõge a fine absumus, sed iam mundus properat,

Philip. 4. hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat. Quemadmodum enim corpus, iam aduentãte morte, innumeris malis afficitur, & domus prope casum in rimas fatiscit: ita orbis terrarum ad finem properans, tantis vndiq; malis conteritur. Nã si Pauli temporibus Dominus prope erat: nũc profecto propius. Si ante trecentos annos finem temporum Paulus esse dixit; Quid nunc dicendũ? cohibeamus igitur affectus nostros, exerceamur in Dei timore: etenim nobis licentia perditis, nihil tale expectãtibus, ex im-

Matt. 24. prouiso Dei aduentus aderit, quod his verbis Christus significat: Sicut factum est in diebus

1. *Thess.* 5. Noe, sic erit, &c. Et Paulus: Cum dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus: sicut dolor in vtero habentis. Sæpe grauidæ mulieres inter edendum & ludendum, dum balneis, dũ spectaculis oblectantur, repentinis torquentur doloribus: hac & nos, in hac vita, conditione versamur. Simus ergo semper parati.

11 IDEM sic habet: Summa nobis in omniHom. 38. in Ioannem. bus vtendum est diligentia fratres: quia reddenda ratio est, & verborum, & operũ, & pœna subeunda. Non enim in præsenti vita finis nobis est, formidoloso iudicio aderimus. Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis prout gessit: siue bonum, siue malum. Hoc iudiciũ semper præ oculis habeamus: ita semper virtuti vacare poterimus. Nam sicut qui diei illius obliuiscitur, tanquã fræno abiecto, in præcipitiũ defertur, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore, & causam affert; auferuntur iudicia tua a facie eius: ita quem cõtinuus hic percellit timor, modeste viã viuendi ingreditur. Recordare, inquit nouissima tua, & in æternum non peccabis. Qui enim dimittit nunc nobis peccata miserendo; is tunc iudicando pandet. Omne enim iudicium dedit pater filio, & puniendi, & honorandi.

2. *Cor.* 5.

Psal. 9.

Eccli. 7.

Ioan. 5.

12 IDEM ait: Vnusquisq; in suam ipse conHomil. 5. in cap. 2. epist. Pauli ad Romanos. scientiam descendens, peccatis suis diligenter expensis, exactam vitæ anteactæ rationẽ sibi reposcat, vt ne tũc damnemur, cum orbis vniuersi iudicium fiet. Nam illud quidem iudicium terrificum, horrendum tribunal, timoris plenę eiusdem quæstiones & inquisitiones. Igneum flumen rapitur, frater non redimit,

Psal. 48. redimet homo? Istud perpende: si nostrum cuiusquam occultum crimen aliquod, hoc ipso die in medium delatum, huic modo confessui innotesceret, nonne fieret, vt ille interire ac terram sibi potius dehiscere, quam tam multos peccati sui testes habere mallet. Quid igitur tunc nobis fiet miseris; cum omnia orbi vniuerso palam facta, in tam aperto, tanquam illustri theatro denuta, hominum nobis partim cognitorum, partim incognitorum oculis subijcientur? Enimuero proh dolor: vnde nam ipse territare vos cogor? Nempe ab hominum opinione, cum id facere, conuenientius fuerit, ab ipsius Dei tum terrore, tum condemnatione. Qui enim (obsecro te) tunc futuri sumus, cum vincti, frendentibus in exteriores tenebras dentibus, abducemur? Seu potius, quid facturi sumus (quod ipsum omnium terribilissimum est) cum Deum offendemus, illiq. occurremus? Nam si quis est, qui sensu ac mente præditus est: is certe geheunæ pœnam tolerare malit, quam aduerso Deo stare. Hoc vero cum nobis graue non sit; propterea ignem ille nobis comminatus est æternum.

13 IDEM explicans verba illa Pauli, omnes Hom. 10. in cap. 5. epist. posteriores ad Corin. nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, inquit: Cogitemus illud tribunal, & putemus ipsum nunc adesse, & pœnas exigere: ego enim illud amplius dicam. Nam Paulus quoniam sermonem de resurrectione habebat, & non volebat illos affligere, non diutius hæsit in sermone illo, sed paucis, vt dixit. Vnusquisq; reportabit quæ fecit, statim prætercurrit. Nunc igitur censeamus illud adesse, & vnusquisque suam conscientiam dijudicet, & iam cogitet adesse iudicem, omniaq. releuari, & in mediũ adduci: non enim solum nos assistere oportet, sed & releuari. Nunquid erubuistis? nunquid obstupuistis? Si aũt nunc, cũ nondũ res agitur,

Libro 2. in cap. 2. epist. Pauli ad Roman. to. 3.

Luc. 12.

Amos 5.

Ibidem.

Ioel 2.

Ibidem.

Sophon. 1.

2. *Macha.* 2.

Hom. 13. in Ps. 48. to. 4.

sed solum proponitur, & in cogitatione effugiatur, a conscientia perimus: quid faciemus quando aderit, quando vniuersus orbis terrarum assistet, quando angeli & archangeli, ordines hinc inde constituti, & cursus omnium, & raptus in nubes, & acies cursu plena, quando tubæ hinc inde, & continuæ illæ voces? Etenim si nunc rege cum suis ingrediente, ob paupertatem non accedere audentes, nō tantam a spectaculo voluptatē accipimus: quantum mœrorem ex eo, quòd non sumus participes eorum, quæ apud regem sunt, & ignominiam putamus non esse prope illum, quid tunc erit? Num paruam putas esse pœnam, in choro non constitui; ineffabilem gloriam non assequi? Ab illo cœtu & ineffabilibus bonis procul abijci? Quando autem & tenebræ erunt, & stridor dentium, & vincula insolubilia, & vermis immortalis, & inextinguibilis ignis & tribulatio, & angustia, & ploramus & nullus audit, & ingemiscimus & rigamur a doloribus, & nullus attendit, & omnia loca respicimus, & nusquam adest qui consoletur. Quid animabus illis miserius? quid item miserabilius?

14 Homil. 3. in 2. epist. Pauli ad Tim. IDEM exponens verba illa capitis primi; Det illi Dominus inuenire misericordiam in die illa, inquit. De die iudicij loquitur, quando misericordia nimium omnes egebimus, ne horroris plenam sententiam audiamus, discedite a me maledicti in ignem æternum. Horrendum quippe est, nimisq. metuendū extremi iudicij examen. Et certe Deus mansuetus est, lenis est, placidus est. Deus enim misericordiarum dicitur, & pater totius consolationis, & bonus, & benignus, & non vult mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Vnde igitur quæso, vnde dies illa sic anxia, sic plena terroris? Igneus namq; fluuius ante illius faciem ducitur. Aperiuntur operum nostrorum libri: dies illa, vt ardens clibanus est. Discurrunt angeli: fornaces succensæ & paratæ sunt multæ. Quomodo ergo bonus, quomodo clemens est; Sic quoq; plenus clementiæ ac bonitatis est: immo ex hoc maxime discitur ipsius clementiæ magnitudo. Nam ex istis terrorem incutit nobis; vt vel ita coacti metu, ad æterni regni desiderium excitetur.

Matt. 25.

2. Cor. 1.

Ezec. 18.

15 Homil. 9. in cap. 4. ep. 2. ad Timot. IDEM exponens verba illa, nō solum autem mihi, sed & his, qui diligunt aduentū eius, inquit: Quoniam modo quis diligit aduētum Christi, si de eius præsentia gaudet, digna gaudio faciens, opes omnes (si opus sit) atque ipsam animam ponet, vt bonis fruatur æternis, vt secundum ipsius aduentum congruo habitu mereatur aspicere cum fiducia, cum gloria, cum claritate: hoc est diligere aduentū eius. Qui illius aduentū diligit, omnia faciet, vt ante vniuersalem illum, singularis fiat ad eū quidam Saluatoris aduentus, ad eum veniens, & mansionem apud eum faciens.

16 Homil. 2. in epist. Pauli ad Coloss. IDEM inquit: Nunc idem patimur, quod euenit, & auiū pullis pigrescentibus, semperq. in nido manere cupientibus. Illi quanto diutius hæserint, tanto redduntur imbecilliores. Nidus enim quidam est præsens hæc vita, ex festucis, & luto compactus. Et si magnificas mihi ostenderis ædes, etiam ipsas regias auro multo, & lapidibus pretiosis splendidas, nihil tamen illas ab hirundinum nidis differre putabo. Ingruente namq; hyeme cadent omnia sponte sua. Hyemem vero diem illum dico: non quidem omnibus hyemem. Nam & Christus illum noctem simul vocat & diem: noctē propter peccatores, diem propter iustos; ita & ego nunc hyemē diem iudicij voco. Si æstate bene enutriti non fuerimus, vt imminente hyeme volare queamus: non agnoscent nos matres, nec fouebunt, sed fame perire sinent, aut cadente nido prorsus interire. Tanquam enim nidum quendam, immo & facilius etiam nido subuertet: tunc omnia Deus reparans, ac restaurando adaptans omnia. Qui vero tunc pennis carebunt, illiq. in aëra occurrere non potuerunt; si ita fuerint ignauiter educati, vt leue alarum remigiū non habeant: ea patientur, quæ merito ad hunc modum dispositis ferenda veniunt. Nidus quidem hirundinum, si ceciderit, mox perit: nos vero nō ita perimus, sed continue puniemur. Hyems erit futurum illud tempus, immo hyeme sæuius. Non enim illic torrentes vndarum præcipitabunt; sed fluuij ignei. Nō fient ex nubibus tenebræ; sed tenebræ insolubiles, atq; adeo crassæ & obscuræ: vt neque cælum videre liceat, neq; aërem, maioreq. premantur angustia improbi, quàm si qui in terram defodiendi sint.

17 Homil. 8. in ep. ad Thessalonicenses. IDEM explicans verba illa, nos qui viuimus, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, ait: Si descensurus est Christus; vt quid rapiemur in nubibus? Honoris gratia. Nam rege ciuitatem ingressuro, qui illustres quidē sunt, ad occursum eius egrediuntur: qui vero rei sunt & iudicio obnoxij, intus expectant iudicem. Et patre beneuolo, & proaduentante, filij quidem & qui digni essent filiorum loco, per vehiculum educuntur, vt videant & exosculentur; qui vero de seruis interea illum offenderunt, intus expectant eū. Ipse pater in nubibus susceptt Christū. Et nos in nubibus rapiemur. Vides quantus futurus est honor? Et occursum descēdenti faciemus; & quod omnium est fœlicissimum, ita semper cum Domino erimus. Infra: Qualis igitur tremor, qualis timor eos, qui in terra tunc erunt, qui iudicem expectabunt, obtinebit? Vna namque rapietur, & vna relinquetur: & vnus accipietur, & vnus relinquetur. Quis erit tunc animus illorum, quando istos quidē sublatos videbunt, se vero ipsos relictos? An non quauis gehenna terribilius eos ista deiectos, ac consternatos reddere poterunt? Quādo audierimus tubas, quando vocem illam archangeli, quauis tuba clariorē perceperimus, quādo cælum hoc vndique sursum euectum, & cōtractum, quando aduentantem Deum regem omnium viderimus? quis tunc nobis animus erit? Horreamus obsecro, & terreamur; non secus ac si ista iam fierent. Videtis aliquando ad mortem quosdam abduci; quē putatis illis esse animum? Ego multos, qui post deductionem reuocati fuerāt ad regiam beneuolentiā, dicentes audiui, se neq; homines, velut homines, vidisse, q̄ animo fuissent summopere, cum abducerentur, perturbato, & stupefacto. Si ergo corporalis mors vsq; adeo nos perterrefacit, quando æterna illa aduenerit, quid patiemur? Non potest, credite, non potest sermone compræhendi, quæ futura est animi passio. Audistis de diluuio, multa de illo dicebat iustus, & cum cētum annis fabricaretur arca, & iustus clamaret, nemo credebat. Verum quia non crediderant verborum minis: sustinuerunt, & experti sunt re ipsa supplicium. Hoc & nos patiemur, nisi crediderimus. Quapropter, & aduentum suum Christus diebus Noe comparat: eo q̄, vt diluuio illi non credebant, ita & diluuio gehennæ accidet.

Matt. 24.

18

Gen. 6. et 7

19 Epist. 5. quæ est ad Theodorū lapsū. Tomo 5. IDEM sic habet: Veniet Dominus iudicaturus terram, sed quomodo veniet? Audi prophetas clamantes, & dicentes, Deus manifeste veniet, Deus noster, & non silebit. Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida. Aduocauit cœlum de sursum, & terram diiudicare populum suum. Ad hæc Isaias pœnā nobis proponit. Ecce, inquit, dies Domini veniet austerus furore, & ira ad ponendum totum orbem terrarum in solitudinem; & ad abolendos peccatores ex ea: quia nec stellæ cœli, neq; quis alius ornatus cœli lucem diffundet, & obtenebrescet sol in exortu suo, neq; luna dabit lumen suum, & orbi terrarum ingeram mala, & perdam superbiam iniquorum, & altitudinem superborum humiliabo, & erunt qui relicti sunt pretiosiores, quam aurum valde exustum igni, & homo pluris æstimabitur lapide, qui est ex saphir. Cœlos enim commouebit, & terra excutietur ex fundamentis suis propter furorem iræ Domini sabaoth, in die, qua venerit furor eius. Infra: Subscribit etiam Malachias. Ecce, inquit, veniet Dominus omnipotens, & quis poterit cogitare diem aduentus eius? aut quis stabit ad vidē dum eum? Ipse enim tanquam ignis cōflans, & tanquam vrceus, vel herba fullonum: & sedebit conflans, & emundans argentum. Et iterum: Ecce dies Domini veniet exardens, vt fornax, & inflammabit eos, & erunt omnes alienigenæ, & omnes, qui faciunt absurda arūdo, accendet eos dies ventura, dicit Dominus: nec relinquetur, neq; radix, neq; palmæ. Cæterum vir desideriorum, vidi, inquit, in visione noctis, & ecce cum nubibus cœli, sicut filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquum dierū peruenit, & datus est ei principatus, & honor, & regnum, & omnes populi, & tribus, & linguæ ei seruient: & potestas eius potestas æterna, quæ non destruetur. Horruit spiritus meus, ego Daniel territus sum, visiones capitis mei conturbauerunt me. Tunc aperientur omnes cœlestium fastigiorum portæ. Tunc omnia stupore conferta erunt, & horrore, & metu. Tum etiam angelos ingens metus occupabit: propterea, quod cōserui iudicium subituri sunt, de peracta in mundo vita. Nā si in iudicio vnius ciuitatis, quæ in ipsorum cura omnes exhortati sunt, quanquam etiam extra periculum, quid tunc erit, quādo cognoscetur de vniuerso terrarum orbe, sub iudice nō requirente testes, nec iudicia, sed quando absq; illis facta, simul & verba ipse reus in medium exacte prodet, ostendetq; scelera ipsorum istorum auctoribus, pariterq; illis, qui ea ignorant? Quomodo, inquit, fieri potest; vt tunc non concutiatur quælibet potentia? Si enim fluuius ignem non volueret; neq; angeli assisterent adeo formidabiles, soli autem cōuocati homines, quorum pars laudata est, & in admiratione habita, pars ablegata ingloriè, ne gloriam Dei videat, num istud per se pœna foret tota gehēna longe acerbior? Quare obsecro ob oculos modo ponas, nō dico immanissimam illam pœnam, & suffusos graui pudore, necnon palam cōspicuos, defixis in terram oculis, ob conscientiam ignominiæ; sed illam viam teterrimam, quæ ad ignem abripit, sed & ferentes tormenta, traditosq. atrocibus punitoribus, idq; eo tēpore, quo coronis adornati celebresq; excantantibus angelis, regio throno assistunt, quicūq; hic bona facientes, digni habiti sunt vita æterna.

Isa. 13.

Psal. 49.

Cap. 3.

Cap. 4.

Dan. 7.

20

21 Lib. 2. aduersus Pelagianos. To. 2. HIERONYMVS narrat sanctitatē Ezechiæ regis, de quo scriptū legimus fecit rectū in oculis Domini. Iste abstulit excelsa, & contriuit statuas: contriuitq; serpentem æneum, quem fecerat Moyses. In domino Deo Israel confisus, & post ipsum non fuit similis in cunctis regibus Iuda, qui fuerunt ante eum. Adhę sit domino, & non recessit ab eo, & erat Dominus cum eo. Et infra: Ægrotauit Ezechias vsq; ad mortem: venitq; ad eum Isaias, & dixit: Dispone domui tuæ, quia morieris, & non viues. Qui conuertit faciem suam ad parietem, fleuitq; fletu magno. Certe iustus erat Ezechias, & corde perfecto. Iturus erat ad Dominum, plorare non debuit. Quæris rationem fletuum? si cogitaueris hominem non miraberis causam doloris. Nullus enim intrepidus vadit ad iudiciū Domini, habens conscientiam peccatorum. Infra: Erubescet luna, & confundetur sol: quando visitauerit Dominus super militiam cœli in excelsis. Hoc est, quod in alio loco scriptum est. Castra non sunt munda in conspectu eius, & aduersum Angelos suos peruersum quid reperit. Luna erubescit, sol confunditur, & cœlum operitur cilicio, & nos intrepidi, atq; lætantes, quasi omni careamus vitio, occurremus iudicis maiestati, quando tabescent montes erecti, videlicet in superbiam, & omnis militia cœlorum, vel astra, vel angelicæ dignitates, & complicabuntur sicut libri cœli, & omnis exercitus eorum instar foliorum defluet. Quomodo inebriatus est in cœlo, inquit, gladius meus, & nunc super idumæam descendet. Gladius Dei inebriatur in cœlis: & tuum solium erit in sanctitate securum. In Idumæam descendet, quæ interpretatur, vel sanguinaria, vel terrena: vt prophetica auctoritate discamus omnem terram indigere iudicio.

4. Reg. 18.

4. Reg. 20

Iob 25.

Isa. 24.

Apoc. 6.

IDEM

22 IDEM loquens de futuro iudicio, inquit: In Ep. ad amicū, quem instituit in sciētia diuinæ legis. To. 9.
Ecce si vmbrato repente de cælo, solis claritas
nostris aspectibus denegetur, & productis in
nostram humilitatē nubibus, pluuię terris im-
mineant, si commotis, vt assolet, elementis, in
rotam sui currus tonitrua cōcitentur, & hinc
inde fulgurū iacula palpebris terribiliter obie
cta coruscent, quanquam in consuetudine ista
contingant, pauemus, contremiscimus, & pro-
ni ad terram, deposita superbia, ceruices sub-
mittimus. Quid faciemus in illa die miseri,
Luc. 23. quando reuoluto cœlo cum angelicis virtuti-
bus, igneus Dominus totus adueniet? quando
cadentibus desuper stellis, sol in tenebras, &
Ps. 96. in sanguinem luna mutabitur? quando mon-
tes sicut cera liquescent? quādo terra ardebit,
& arescent flumina, & maria siccabuntur, & cō
tra rerum naturam, consumpto diuinitus hu-
more, ariditatem in aquis, ignis operabitur?
quando peccatores dicent montibus, cadite
super nos, & collibus tegite nos? quando vo-
cabunt homines mortem, & vocata non ve-
niet? quando illud implebitur tempus, quod
lugubri Hieremias prædicit affectu dicēs, re-
spexi in terram, & ecce non erant luminaria.
Vidi montes, & ecce erant trementes, & vni-
uersi colles turbati. Intendi aciē, & ecce non
erat homo, & omnes volucres cœli pauebant.
Vidi, & ecce carmelus desertus, & omnes ciui
tates succensæ igni à facie Domini, & à facie
iræ indignationis eius, & interierunt vniuer-
sa.
23 IDEM explicans verba illa; Ingredere in
Lib. 1. in c. 2 petram, abscōdere in fossa humo, a facie timo
Isa. To. 4. ris Domini, & a gloria maiestatis eius. Oculi
sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabi
tur altitudo virorum, exaltabitur autem Do-
minus solus in die illa, sic habet: Multi hæc de
die iudicij intelligunt, ꝙ omnis creatura com-
paratione diuinæ glorię humiliter, & incurue-
tur, & nihil se esse sentiat. Tunc nec diuitiæ,
nec nobilitas generis, nec potentia dignitatū
aliquem defendere poterunt: cuius iram nul-
lus poterit declinare. Vnde hortatur, vt in-
grediamur petras, & abscondamur in spelun-
cis à facie Domini, quando omnia vastabun-
Luc. 23. tur, quando homines dicent montibus, cadi-
te super nos, & collibus cooperite nos. Dies
enim Domini exercituum super omnē super-
bum, & excelsum, & super omnem arrogantē,
Ps. 28. & humiliabitur, & super omnes cedros liba-
ni. Vox Domini confungentis cedros: & con
fringet Dominus cedros libani. Et super om-
nes quercus Basan, & super omnes montes
excelsos, & super omnes colles eleuatos, &
super omnem turrim excelsam, & super om-
nem murum munitum, & super omnes naues
Tharsis, & super omne, quod visu pulchrū est.
Et incuruabitur sublimitas hominum, & humi
liabitur altitudo virorū, & eleuabitur Domi-
nus solus in die illa. Et introibunt in spelun-
cas petrarum, & in voragines terræ à facie for
midinis Domini, & a gloria maiestatis eius,
cum surrexerit percutere terram.
24 IDEM exponit de die iudicij illa verba,
vlulate, quia prope est dies Domini, quasi va- Lib. 6. in c. 13. Isa.
stitas a Domino veniet. Propterea omnes ma-
nus dissoluētur, & omne cor hominis tabescet,
& conteretur. Prope est dies Domini: consum
mationis totius mundi, atq; iudicij, vel exitus
vniuscuiusq; de vita. Venit enim à Domino
deprędatio. Omnes manus dissoluentur, qui-
bus dicitur in alio loco: confortamini manus
dissolutæ. Dissoluentur autem manus, quia
nullum opus dignum Dei iustitia reperietur,
& non iustificabitur in conspectu eius omnis
viuens. Vnde propheta dicit in psalmo. Si ini Ps. 129.
quitates obseruaueris domine: domine quis
sustinebit? Omne quoq; cor, siue anima homi
nis tabescet, & pauebit conscientia peccati
sui. Hæc est dies formidolosa, atq; terribilis,
de qua, & Sophonias loquitur: metuite à fa- Ca. 1.
cie domini, quia prope est dies domini. Et
rursus: Prope est dies domini magna: prope
est, & velox nimis. Et Amos: Væ desideran- Ca. 5.
tibus diem domini, vt quid vobis dies domi-
ni, quæ tenebræ sunt, & non lux? Torsiones,
& dolores tenebunt, quasi parturiens dolebūt:
vnusquisq; ad proximum suum stupebit, facies
combustæ vultus eorum. Per quæ verba ostē-
ditur torqueri eos propria conscientia, & fa- Ps. 4.
cies habere combustas eo igne, quem sibi suc-
cenderant, quia non possunt dicere, signatum
est super nos lumen vultus tui domine. Et nos 2. Cor. 3.
gloriam domini speculātes, in eandem imagi-
nem transformamur à claritate in claritatem.
Vnusquisq; stupebit ad proximum suum: vi-
dens eum in eisdem esse tormentis, quibus ip-
si cruciātur. Ecce dies Domini venit crudelis,
& indignationis plenus, & iræ, furorisq; ad po
nendam terram in solitudinem, peccatores e-
ius conterendos de ea. Pro crudeli, septuagin
ta verterunt insanabilem, cum enim dies iudi
cij aduenerit, implebitur illud, quod in psalmo Ps. 6.
legitur; in inferno, quis confitebitur tibi? Non
est enim illud tempus pœnitentię, sed pœnarū.
Et in alio loco dicitur: Quam magna multi- Ps. 30.
tudo dulcedinis tuæ domine, quam abscondi-
sti timentibus te. Ergo abscōditur multa Dei
misericordia, ab his, qui adhuc in timore sunt
positi, & perfectam Dei non habent charitatē,
vt dum crudelem audiunt diem Domini, &
insanabilem, & indignationis, furorisq; plenū
peccare desistant. Tunc ad comparationem
diuinæ maiestatis stellæ cœli, & omnis splen-
dor earum retrahent lumen suum.
IDEM explicans verba illa, luxit vinde- 25 Lib. 8. in c.
mia, infirmata est vitis, ingemuerunt omnes, 24. Isa.
qui lætabantur corde, sic ait: In consumma-
tione mundi: præteritarum delitiarum recor Luc. 16.
datio, erit materia cruciatuum. Vnde, & di-
ues ille in conuiuio purpuratus, qui recepe-
rat bona in vita sua, eleuās oculos suos de in-
ferno, Lazarum vidit in requie. Et dominus Luc. 6.
increpans diuites, & luxuriosos, atq; ridentes,
loquitur in Euangelio. Væ vobis diuitibus,
quoniam recepistis consolationem vestram.
Væ vobis, qui nunc saturati estis, quoniam esu
rietis. Væ vobis, qui ridetis nunc, quia luge-
bitis, & flebitis. Quando igitur fuerit resur-
rectio mortuorum, & iudicij aduenerit dies:
tūc lugebit virum, atq; vindemia: de qua Moy-
Deut. 32. ses loquitur, de vinea Sodomorum vinea eo-
rum, & de suburbanis Gomorræ. Vua eorū,
vua fellis, & draconum: vinum eorum vene-
num aspidum insanabile. Tunc omnis potio,
siue vt hebraice dicitur ebrietas, quæ statum
mentis euertit, & homines vulgare non pati-
tur amaritudinē, commutabitur; quæ ad tem-
pus vtentibus, se mella mentitur, & in nouissi-
mo amarior felle reperietur. Tunc omnis
dulcedo lætantium, ac tympanorum, & citha-
ræ sonitus in planctum vertetur, ac gemitum:
Isa. 24. Attrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis
domus nullo introeunte. Clamor erit super
vino in plateis, deserta est omnis lætitia, trās-
latum est gaudium terræ. Clamor erit in pla-
teis super vino, non in arcta, & angusta via,
quæ ducit ad vitam, sed in lata, & spatiosa,
Ps. 72. quæ ducit ad mortem, super vino, & ebrieta-
te erroris eorum, qui dormierunt somnum
suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitia-
26 rum in manibus suis. Translatum est quippe
in cœlos gaudium terræ, & relicta est in vrbe
quondam celeberrima solitudo. Et vt scire-
mus perspicue de totius orbis interitu nun-
ciari intulit; Hæc erunt in medio terræ, in
medio gentium, siue populorum. Infra:
Hi leuabunt vocem suam, atq; laudabunt, cū
glorificatus fuerit dominus, hinnient de mari.
Hi igitur, qui remanserint, & post vindemiā
mundi, atq; pressuram, manus quiuerunt an-
tichristi persequentis effugere, siue pœnæ im-
minentis ardores, leuabunt voces suas in su-
blime, Deumq; laudabunt. Cum venerit Do-
minus in gloria patris sui, cum Angelis san-
ctis, & eum viderint in sua maiestate regnan-
tem: tunc hinnient in ęquorum similitudinem
lætitiæ magnitudinē gestientes, & hinnient de
mari huius sæculi. Infra: Et dixi secre-
tum meum mihi, Væ mihi. Hoc est. Non
possum cuncta narrare, quæ seruo, hæret lin-
gua faucibus meis, vox dolore concluditur.
Væ mihi, quantus ordo pœnarum ante ocu-
los versatur meos; cerno præsentia, quæ fu-
tura sunt, Præuaricantes præuaricati sunt, &
præuaricatione transgressorum præuaricati
sunt. Hæc est causa luctus, & gemitus mei,
propter quam secundo dixi. Secretum meum
mihi, secretum meum mihi, quia omnes præ-
uaricati sunt legem Dei, & nequaquam domi-
ni pœna differtur, nec futura prædicitur, sed
imminet, & habitatores terræ captos tenet.
Cumq; se putauerint fugisse ex alio, incident
in aliud, & quocunque se verterint, impen-
dentem iram domini non euadent. Quia ca-
taractæ de excelsis apertæ sunt, & concutien-
tur fundamenta terræ. Propterea formidinē,
& laqueum, & foueam domini non euadent:
quia cataractæ de excelsis, siue vt manifestius
27 septuaginta transtulerunt, fenestrę cœli aper-
tæ sunt, vt despiceret dominus hominum vni-
uersa peccata, quæ prius, quia non puniebat,
videbatur peccatoribus ignorare. Postquam
autem apertis fenestris, vidit cuncta opera
mortalium; concussa sunt fundamenta terrę.
Tūc agitatione agitabitur terra, sicut ebrius.
Idest, quomodo ebrius nescit quid agat, sed he
bescentibus ebrietate neruis, nec pes, nec mēs
stat in suo officio: sic omnes homines, qui ver-
santur in terra malorum magnitudine, atq;
pœnarum, ebrij erunt, & stupebunt ad cuncta,
quę cernent. Infra: Erubescet luna, &
confundetur sol. Cernens homines, qui suo
fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonita-
te fecisse, qui solem suum oriri facit super bo-
nos, & malos.
IDEM explicans verba illa, aperuerunt 28
super te os suum, omnes inimici tui sibilaue- lib. 1. in c. 2.
runt, & fremuerunt dentibus suis, & dixerunt lamē. Hier.
deuorabimus. En ista est dies, quam expecta-
bamus, inuenimus, vidimus, inquit: Si hæc
corporales inimici contra Hierusalem terre-
nam tunc fecerunt, quid spirituales nequitiæ,
& ministri antiqui hostis facturi sunt erga spi-
ritualem Hierusalem, hoc est, animam christia
nam, quando eam pro suis iniquitatibus sibi a
domino traditam vndiq; pœnis, vndiq; dolo-
ribus circundant, nec eam quicquam tunc iu-
uat, ꝙ in præterita ætate, aliquid de terrena
fœlicitate habuerat?
IDEM explicans verba illa, tetendit ar- 29
cum suum, & posuit me, quasi signum ad sagit- lib. 2. in c. 3.
tam, inquit: Per arcum aliquando dies iudi- lamentatio-
cij designatur, sicut per Psalmistam dicitur: num.
Ostendisti populo tuo dura: potasti nos vino Ps. 56.
compunctionis, dedisti metuentibus te signifi-
cationē, vt fugiant a facie arcus. In arcu enim
quando longius trahitur corda: tanto de eo
districtior erit sagitta. Sed nimirum, sic ex-
tremi iudicij dies, quanto longe differtur, vt
veniat: tanto cum venerit de illo districtior
sententia procedet. Idcirco diuersis nunc cla
dibus percutimur, vt his correcti paratiores
tunc inueniri valeamus. Vnde illic præmis-
sum est, ostendisti populo tuo dura flagella, vi-
delicet sæculi, quæ secuturum grauius iudicij
diem præcurrunt. Dedisti metuentibus te si-
gnificationem, vt fugiāt a facie arcus, ac si di-
cat. Hoc tempus misericordiæ est, illud iudi-
cij erit. Per ista ergo huius temporis flagella
significans, quomodo tunc persecuturus es,
quando non parcens iudicas, qui sic districte
modo percutis, quando parcis.
IDEM exponēs verba illa: vę ciuitati san 30
guinum, oliæ cuius rubigo in ea est, & rubigo Lib. 7. in c.
eius non exiuit de ea. Sanguis enim eius in 24. Ezech.
medio eius super limpidissimam petram effu-
dit illum, super terram non effudit illum, vt
possit operiri puluere. Væ ciuitati sanguinū,
cuius ego grandem facio pyram. Congere
ossa, quæ igne succendam, consumētur carnes,
& concoquetur vniuersa compositio, & ossa
tabescent, ait: Sunt qui totum istum locum
ad consummationem mundi transferant. Mun 1. Ioan. 5.
dus ergo, qui in maligno positus est die iudicij
diuino igne succenditur, & ciuitas sanguinum
ponitur super carbones ignis. Et ponitur san
guis, qui effusus est in propatulo creaturæ vni-
uersę, vt omnium scelera pateant, quia nihil
occul-

occultum, quod non reueletur, ne terra operiantur, aut puluere.

31 in c.7. Dan. IDEM explicans verba illa; Aſpiciebã donec throni poſiti ſunt, & antiquus dierum ſedit &c. ſic habet: Sedens, & vetuſtus dierum dicitur Deus, vt æterni iudicis habitus demõſtretur. Quodq; capilli eius lanę mundiſsimę comparantur; purum oſtenditur, ſincerumq; iudicium, & nullam perſonam in iudicãdo recipiens. Senex quoq; deſcribitur, vt maturitas comprobetur ſententiæ. Thronus eius flamma ignis, vt peccatores tormentorũ magnitudinem pertimeſcant, & iuſti ſaluentur, ſic tamen, quaſi per ignem. Rotæ eius ignis accenſus, ſiue currus eius. Et in Ezechiel. *Ca. 1.* Quadrigæ ſedes inducitur Deus, & omnia Dei flammea ſunt, vt lignum, fœnum, ſtipulam, arſura in die iudicij nouerimus. Et in pſalmis le- *Pſ. 96.* gimus. Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu omnes inimicos eius. Fluuius igneus, rapidusq; egrediebatur à facie eius, vt peccatores traheret in gehennam.

Infra: Iudicium ſedit, & libri aperti ſunt. *Apoc. 20.* Conſcientiæ, & opera ſingulorum in vtrãq; partem, vel bona, vel mala omnibus reuelantur. Bonus liber eſt ille, quem ſæpe legimus, liber viuentium. Malus liber, qui in accuſatoris tenetur manu, qui eſt inimicus, & vin- *Apoc. 12.* dex, de quo, & in Apocalypſi legitur: accuſator fratrũ noſtrorum. Liber iſte terrenus eſt, *Hiere. 17.* de quo, & Propheta dicit, in terra ſcribantur.

32 Lib. 3. in c. 13. Oſeæ. To. 5. IDEM exponens verba illa, colligata eſt iniquitas Ephraim, abſconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei, inquit: Quomodo ſi ligetur quid in ſacculo, conſeruatur, & non perit ei, cui ligatum eſt: ſic omnis iniquitas, qua in Deum peccauit Ephraim, colligata eſt ei, & abſcondita, & quaſi in marſupio reſeruatur. Deniq; cum dies vltionis aduenerit, & extrema captiuitas, dolores quaſi parturientis venient ei, ſiue apprehendent illum. Mulier parturiens, multo antequam pariat ex eo tempore, quo concepit, ſcit ſe eſſe pariturã, & expectat quotidie extrema tormẽta, cruciatusq; venturos; ita, & Ephraim filius inſipiẽs, de quo ſupra dixerat, Ephraim columba inſipiens non habens cor, in contritione filiorũ, & populi ſui, cum dies parturitionis aduenerit, aut ſtare, aut ſufferre non poterit. Peccata ergo, quæ putantur ſecreta, cum dies parturitionis aduenerit, dolore eiulationibusq; pandentur.

33 in c.1. Ioel. IDEM explicans verba illa; Clamate ad Dominum in cordibus veſtris, & dicite A a a, diei, quia prope eſt dies domini, & quaſi vaſtitas a potente venit, ſic habet: Dies retributionis omnium delictorum illa eſt, de qua *Ca. 13.* vniuerſi ſcribunt Prophetæ, & maxime Iſaias clamitat. Ecce dies domini inſanabilis venit; furoris, & iræ, vt ponat vniuerſum orbem deſertum, & peccatores perdat ex eo. Hic dies recte appellatur inſanabilis, quia cum dies iudicij venerit, non erit locus pœnitentiæ, quia æternitati comparatur, prope eſt, & non longe. Quodq; ſequitur: Et vaſtitas a potente veniet. Siue vt ſeptuaginta tranſtulerunt, & quaſi miſeria de miſeria veniet. Hic ſenſus eſt, q̃ mala ſuccedant malis, & omnis afflictio, Deo iudice diſpenſetur, qui potens eſt, & corpus, & animam perdere in gehennam. *Mat. 10.*

IDEM exponens verba illa; Vlulate in 34 monte ſancto meo, conturbentur omnes ha- in c.2. Ioel. bitatores terræ, quia venit dies domini, quia 35 prope eſt dies tenebrarum, & caliginis, dies nubis, & turbinis, quaſi mane expanſum ſuper montes, populus multus, ac fortis, ſimilis ei non fuit à principio, & poſt eum non erit: Præcipitur, inquit, Sacerdotibus, vt exaltent vocem ſuam, vt confundantur omnes habitatores terrę, & confuſio eos pertrahat ad pœnitẽtiam. Diem autem domini, diem intellige iudicij, ſiue diem exitus vniuſcuiuſq; de corpore. Quod enim in die iudicij futurum eſt omnibus, hoc in ſingulis, die mortis impletur. Dies tenebrarum eſt, & anguſtiæ, dies nubis, & turbinis: quia cuncta pœnarum plena ſunt, atq; cruciatuum. Veniet angelorum populus multus, & fortis, vt reddat vnicuiq; ſecundũ opera ſua; Et ſicut mane, & aurora conſurgẽs primum occupat montes, ſic iudicium ab excelſis, & potentibus incipiet, vt potentes potenter tormenta patiantur. Similis ei nõ fuit à principio, & poſt eum non erit. Omnia enim mala, quæ veteribus hiſtorijs continẽtur, aut inundatione maris, aut alluuione fluminũ, aut peſtilentia, morbis, fame, beſtijs, hominum vaſtitate, hominibus acciderunt; his ſupplicijs, quæ in die ſunt reddenda iudicij, non poterunt comparari. Ante faciem huius populi, qui multus, & fortis eſt, erit ignis vorans, ſiue conſumens, vt omne in nobis fœnum, lignum, & ſtipulam cõſumat, & poſt eum vrens flamma, vt nihil abſq; ſupplicijs derelinquat. Quęcũq; hic populus non attigerit, nec inuenerit in eo combuſtionis materiã, horto Dei, & paradiſo aſsimilabitur voluptatis. Si quem autem exuſſerit, quaſi ſolitudinem in cinerem rediget, ac fauillas, nec eſt, qui furorem eius poſsit euadere, cuius crudelis aſpectus fremẽtium equorum habebit ſimilitudinem, & ſic diſcurrent ad cruciandos, quos in poteſtatem acceperint, quaſi equites huc illucq; volitantes. Terribilis erit ſonitus eorum, quaſi quadrigarum per prona currentium, & ſuper capita montium exilient, excelſos quoſq; & in eccleſiæ culmine conſtitutos cruciare cupientes. Et quia ante faciem eorum ignis eſt vorans, atq; conſumens, ſic cuncta vaſtabunt. Quomodo ſtipulam flamma conſumit: ita venient ad puniendum, ita expediti erunt, & parati, vt populis fortis ad prælium. Tantus erit timor omnium, & tanta conſcientia peccatorum, vt nullus luceat, nec ſplendorem habeat gaudij, ſed inſtar aduſtæ ollę facies eius vertatur in tenebras. Aſcendent murum, & omnem munitionem, iniunctumq; ſibi explentes opus non declinabunt in partem alteram, ſed inhiabunt miſerorum ſupplicijs, nec tormentis eorum ſatiabuntur, ſed vnuſquiſq; credita ſibi in peccatores ſupplicia perſequetur.

Sol

Sol & luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. Sol, & luna tanta miſerorum ſupplicia videre nõ poterunt, & inhærebunt, & pro claro lumine tenebris operientur horrendis, ſtellæ quoq; retrahent fulgorẽ ſuum, dum etiam qui ſancti ſunt præſentiam *Amos 5.* Domini abſq; formidine non videbunt. Magnus eſt dies Domini, atque terribilis, de quo alibi ſcriptũ eſt. Vt quid deſideratis diem Domini? Et hic eſt tenebræ, & non lux, & terribilis valde, rarusq; aut nullus eum poterit ſuſtinere, quin in ſe præbeat materiam ſæuiendi.

36 In c.3. Ioel. IDEM exponens verba illa, conſurgant, & aſcendant gentes in vallem Ioſaphat, quia ibi ſedebo, vt iudicem, omnes gentes in circuitu, Mittite falces, quoniam maturauit meſſis, ait: Verba hæc in die iudicij implenda ſunt. Populi populi in valle conciſionis, quia iuxta eſt dies domini in valle iudicij, ſiue conciſionis populi congregantur, vt interficiantur, & corruant, & a Domino iudicentur. Cuius mœrorem diei, & tormenta pereuntium, ne ſol quidem, & luna, aſtraq; cetera poterunt intueri, ſed retrahent fulgorem ſuum, & furorẽ iudicantis, reddentisq; vniuſcuiuſq; opus in caput ſuum aſpicere non audebunt. Non q̃ clementiora ſint, quàm Dei iudicia, ſed q̃ omnis creatura in tormentis aliorum de ſuo iudicio pertimeſcat. Et Dominus de Sion rugiet, & de Hieruſalem dabit vocem ſuam, & mouebuntur cęli, & terra &c. Dominus ſpes populi ſui, & fortitudo filiorum Iſrael. Dominus inſtar leonis rugiet, ſiue clamabit, & tã excelſa vox eius erit, atq; terribilis, vt cęlorũ cardines, & terrarum fundamenta quatiãtur. Cũq; tam ſeuerus in eos fuerit, qui puniendi ſunt: erit clemens erga populum ſuum, & dabit eis fortitudinem.

37 lib.2.in c.5. Amos. IDEM explicans illa verba, væ deſideran tibus diem domini, vt quid eam vobis? Dicit. Nulli dubium eſt, omnes noſtros, diem tenebrarum diem intelligere iudicij. De qua ſcri- *Soph. 1.* bit Sophonias. Iuxta eſt dies domini magnus; iuxta eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara, & dura. Simul decutitur confidentia ſuperborum: qui vt apud homines iuſti appareant, ſolent diem expectare iudicij, & dicere. *Phi. 1.* Vtinam veniat dominus, vtinam liceat nobis diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Cum igitur nemo poſsit de Dei iudicare iudicio, & de otioſo quoq; verbo reddituri ſimus rationem, & *Iob 1.* Iob quotidie pro filijs ſuis obtulerit hoſtias, *1.Cor.4.* quæ temeritas eſt audire cum Corinthijs, Sine nobis regnatis, atq; vtinam regnetis, vt & nos vobiſcum regnemus. Nominibus autem leonis, vrſi, & colubri, vel diuerſa ſignificantur ſupplicia, vel ipſe diabolus, qui recte, & leo, & vrſus, & coluber appellatur.

38 lib.2.in c.3. Abacuc. IDEM exponens illa verba: Super excelſa deducet me victor in pſalmis canentem, inquit: Si voluerimus hæc verba de conſummatione mundi accipere, ſic accipienda ſunt, *Exo. 9.* quomodo in Exodo, quãdo percuſſa eſt Ægyptus, & percuſsit Deus vineas eorum, & ficulneas eorum, & occidit primitiua hominum, & iumentorum, & ægyptias fruges locuſta bruchusq; conſumpſit; ficus in ægypto non attulit fructum, nec erat germen in vineis, men- *Abacuc 3* tiebatur opus oliuę, & arua non dabant cibũ, non erant ob id armenta in præſepibus, populus autem Iſrael exultabat in Domino: & gaudebat in Deo ſalutari ſuo. Sic in conſummatione mundi, quando multiplicata iniquitate refrixerit charitas, & ficus non attulerit fructus, & vineæ non habuerint vuas: tunc quicũq; iuſtus, & electione Dei dignus fuerit inuentus, loquitur exultans, Ego autẽ in Domino gaudebo; Dominus Deus fortitudo mea. Et ſuper excelſa mea deducet me victor in pſalmis canentem; ſcribam canticum triumphanti, ſumam citharam.

IDEM explicans verba illa, & erit in die 39 illa, dicit Dominus, vox clamoris a Porta pi- in c.1.Soph. ſcium, & vlulatus a Secunda, & contritio ma- 40 gna a collibus, ait: Si diem illam quam Dominus cõminatur, diem iudicij voluerimus accipere; tunc implebitur vox clamoris à Porta piſcium (ſiue compungentium, vt ſeptuaginta verterunt.) Prima enim porta oculorum erit: qua exhibebuntur nobis peccata noſtra ante oculos noſtros, & omnis pompa, & imago antiquorum ſcelerum, & vitiorum proferetur in medium. Tunc illud erit verũ, quod ſcriptum eſt; Ecce homo, & opera eius ante faciem eius. Torquebit igitur eum conſcientia, & poſtquàm compunctus clamauerit à prima oculorum porta; vlulabit etiam Secunda, quam & aures intelligere poſſumus, & conteritur in nobis quicquid fuerit excelſum, & propter cæcitatem, & ſurdas aures ignorabatur à nobis. Vel certe in fine mundi, & in conſummatione lugebunt a Porta piſcium prima; qui ſuum baptiſma nõ ſeruauerunt, lugebunt a Secunda, qui non egerunt pro peccatis dignã pœnitentiam. Et erit magna contritio ſuper colles, qui nec pro peccatis incuruati ſunt, vt verticem ſuum ſubmitterẽt, & ſua ſcelera deplorarent. Infra: Conticuit omnis populus Canaam. Blaſphemiam eorum in die iudicij ceſſare ſignificat: & os, quod in altum poſuerunt, linguamq; ad terram vſq; penetrantem æterno ſilentio conticeſcere. Infra: Et erit in tempore illo, ſcrutator Hieruſalem in lucernis. In fine mundi, quia dies Domini ipſa intelligitur, ſcrutabitur Dominus Hieruſalem, ideſt eccleſiam ſuam cum lucerna, & vliſcetur ſuper viros contemptores, qui noluerunt ſeruare mandata Domini, & inſuper blaſphemauerunt in cordibus ſuis, quòd nihil prodeſſet bene facere, nec obeſſet male agere, quia nec bonorum operum præmium, nec malorum pœnam reſtitueret Deus, ideo ait: Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis, qui dicunt in cordibus ſuis, non faciet bene Dominus, & non faciet male. Iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis, dies iræ dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulę, & turbinis, dies tubę, &

clan-

clangoris super ciuitates munitas,& super an-
gulos excelsos. Prope dicitur dies ille,propter
pœnæ magnitudinem: quia patienti nūquam
longe videtur supplicium,quod inferendū est.
Verba hæc de captiuitate Iudæorum, vel de
morte vniuscuiusque,vel de die iudicij possunt
optime intelligi.

41 IDEM exponens verba illa,ecce venit,di-
In caput 3. cit Dominus exercituum, & quis poterit co-
Malachiæ. gitare diem aduentum eius? Et quis stabit ad
videndum eum? inquit: Quis poterit cogita-
re diem aduentum eius? Si cogitare præ potē-
tia maiestatis eius nemo potest: ferre quis po-
terit? Et quis stabit ad videndum eum: idest,
quis eum poterit cæcutientibus oculis in sua
claritate conspicere, qui est sol iustitiæ, & in
cuius pēnis est sanitas? Ipse veniet quasi ignis
conflans & quasi herba fullonum. Ignis enim
in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius
tempestas valida. Tunc vocabit cælum desur-
sum vt dijudicet populū suum, flumina ignis
trahent ante eum, peccatores quosq; voluen-
tia. Ignis est Dominus his, qui peccant gra-
uiter, ipsos consumens; qui autem leuia pec-
cata cōmittunt, vt lotis munditiam restituat,
dicitur herba fullonum, & purgauit filios Le-
ui. Tempus est enim, vt iudicium incipiat a
Ezec. 9. domo Dei. Et alibi scribitur a sanctis meis in-
cipite. In filijs autem Leui,omnem sacerdota-
lem intellige dignitatem. Si autem sacerdotes
purgandi sunt,& colandi,vt purum aurum re-
maneat, & argentum, quid de cæteris est di-
cendum? Et accedam ad vos in iudicio,& ero
testis velox maleficis, & adulteris,& periuris.
Quanta formido iudicij, cum ipse Dominus
sit testis,& iudex. Testis est autem cunctis ma-
leficis & adulteris. Hæc enim crimina perpe-
trantur occulte: & ideo proferuntur in me-
dium, ne lateant.

42 IDEM explicans verba illa: ecce dies ve-
In caput 4. niet succensa, quasi caminus, & erunt omnes
Malachiæ. superbi, & omnes facientes impietatem, sti-
pula & inflammabit eos dies veniēs,dicit Do-
minus exercituum, quæ non relinquet eis ra-
dicem,& germen, inquit: Ecce dies veniet, id
est,dies iudicij,quæ sanctis lux erit,& peccato
ribus tenebræ, & ipsa dies erit succensa quasi
caminus,siue clibanus, vt omnes impij vertā-
tur in stipulam,& camini crementur ardori-
bus. Cumque eos inflammauerit,atque com-
busserit, nō relinquet in eis vllam radicem &
germen. Econtrario dicitur,quòd timentibus
nomen Domini orietur sol iustitiæ, qui vera
omnia iudicabit, & nec bona, nec mala, nec
virtutes, nec vitia latere patietur. Et sanitas
erit in pennis eius, vt sanatos per pœnitentiā
portet in humeris suis. Sicut Deuteronomij
Deut. 32. 32. scriptum est: Assumpsit eos, atque porta-
uit in humeris suis.Tunc egrediētur,qui nunc
sęculo, quasi carcere sunt inclusi; & salient,
quasi vituli de armento.

43 IDEM exponens verba illa: Deus mani-
In Psal. 49. to. 8. feste veniet, Deus noster & non silebit. Ignis
in conspectu eius exardescet, sic habet: In die
iudicij Deus manifeste veniet: quia vt in Apo
calypsi legitur: Videbit eum omnis oculus. *Apoc. 1.*
Ignis in cōspectu eius ardebit. Duplicem hic
ignis intelligitur habere virtutem. Illuminat
enim,& exurit. Gaudeant iusti, quia illumi-
nantur ex eo. Timeant peccatores, qui exu-
rendi sunt ab eo. Et in circuitu eius tempestas
valida, quæ flagellat & corripit peccatores,
triticumque secernit a paleis. Et quos ignis
exurit,tempestas inuoluit. Et in alio loco di-
cit: Purgabit aream suam, & congregabit tri- *Luc. 5.*
ticum in horreum; paleas autem comburet
igni inextinguibili. Discernereq. tunc dicitur
populum suum, discernit terrenos, vt cum cæ-
lestes ponuntur ad dexteram, hi ad sinistram
collocentur. Vel discernet populum suum in
iudicio,quando dicturus erit, ite maledicti in
ignem æternum,& ad sanctos, ite in vitam æ-
ternam. Infra: Existimasti inique, quòd
ero tui similis. Dum non vindico in præsenti,
arbitratus es,ea mihi placere,sicut tibi placet
tua mala. Arguam te,& statuam illa contra *Psal. 49.*
faciem tuam, tua scilicet peccata,& aliorum,
quæ post te reliquisti. Vtinam nos in hoc sæ-
culo poneremus ante nos peccata nostra, &
non Deus ea in iudicio statueret ante faciem
nostram, vbi iam non castigatio, sed iudicium
mortis accedit. Intelligite hæc qui obliui-
scimini Dominū, & sua mandata: ne quando
rapiat,& non sit qui eripiat. Nequando, ra- *Ibidem.*
piat ad mortem vel ad diem iudicij, Vnde di-
xit. Et non est qui de manu tua possit erue-
re. Vel rapit ille,hoc est,in mortem præcipi-
tat obliuiscentes se,& nemo eripere potest.

IDEM inquit: Postquam dixerat Paulus 44
sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo, Lib. 3. in c.
subdit; expectantes beatam spem,& aduētum 2. epist. ad
gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Titum. to. 7
Christi. Hæc pietas expectat beatam spem,
& aduentum gloriæ magni Dei, sicut enim
impietas magni Dei reformidat aduentum;
ita pietas illum præstolatur.

AVGVSTINVS ait: Hæc persecutio 45
nouissima,quæ futura est ab antichristo, sicut Lib. 20. de
in Apocalypsi, & apud Danielem positum est ciuit. Dei,
tribus annis, & sex mensibus durabit. c. 13. to. 5.
Dan. 12.
Infra cap. 14. De die iudicij ait: Ioannes in
Apocalypsi, & vide mortuos magnos, & pusil- *Apo. 20.*
los, & aperti sunt libri, & alius liber apertus
est,qui est vitæ vniuscuiusque, & iudicati sunt
mortui,ex ipsis scriptulis librorum,secundum
facta sua. Libros dixit esse apertos,& librum.
libri quos priore loco posuit, intelligendi sunt
sācti,vt in illis ostēderetur,quæ Deus fieri ius-
sisset,in illo autem,qui est vitæ vniuscuiusque,
quid horum quisque non fecisset,siue fecisset.
Liber apertus dicitur, quædam vis est intelli-
genda diuina,qua fiet,vt cuique opera sua vel
bona,vel mala cuncta in memoriam reuocen-
tur, & mentis intuitu mira celeritate cernan-
tur, vt accuset vel excuset scientia conscien-
tiam,atque ita simul,& omnes, & singuli iudi-
centur. Et infra cap. 19. loquens Paulus *2. Thess. 1.*
de die iudicij, ait: Rogamus vos fratres per
aduentum Domini nostri Iesu Christi, vt non
cito moueamini a vestro sensu, neque terrea-
mini

mini, quasi instet dies Domini. Ne quis vos
seducat vllo modo, quoniam nisi venerit re-
fuga,vel discessio primum, & reuelatus fuerit
homo peccati filius perditionis, qui aduersa-
tur & extollitur supra omne, quod dicitur
Deus, aut quod colitur, ita vt in templo Dei
sedeat, ostendens se tamquam sit Deus, &c.
tantum,qui modo tenet,teneat,donec de me-
dio fiat. Et tunc reuelabitur iniquus ille, quē
Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, &
euacuabit illuminatione præsentiæ suæ, cum
cuius est præsentia secundum operationem
satanæ, in omni virtute, & signis, & prodigijs
mendacij, & in omni seductione iniquitatis
his, qui pereunt, eo quòd fidem veritatis non
receperunt, vt salui fierent. Et ideo mittet il-
lis Deus operarionem erroris, vt credant men
dacio, & iudicentur omnes, qui non credide-
runt veritati,sed cōsenserunt iniquitati. Nul-
46 li dubium est, eum de antichristo ista dixisse,
dieq. iudicij. Hunc enim appellat diem Do-
mini non esse venturum, nisi ille prior vene-
rit, quē refugam vocat vtiq; a Domino Deo.
Non veniet ad viuos & mortuos iudicandos
Christus, nisi prius venerit ad seducendos in
anima mortuos aduersarius eius antichristus,
præsentia siquidem eius erit in omni virtute,
Apoc. 20. & signis,& prodigijs mēdacij. Tunc enim sol-
uetur satanas, & per illum antichristū in om-
ni sua virtute mirabiliter quidem,sed menda-
citer operabitur. Dicuntur autem signa men-
dacia, quoniam mortalis sensus per phantas-
mata decepturus est, vt quod non facit,facere
videatur; vel quia illa ipsa,etiam si erunt vera
prodigia, ad mendacium pertrahent creditu-
ros: diaboli enim virtus grandis est circa na-
turalia, vt in flagellis Iob legiums, & tunc erit
maxima,quando tantam quantam numquam
habuit, accipiet potestatem. Et infra ca-
pite 24. Daniel de hoc vltimo iudicio sic pro-
phetat, vt antichristum quoque prius ventu-
rum esse prænunciet. Cum enim visione pro-
phetica, quattuor bestias significantes, quat-
tuor regna vidisset, ipsumq. quartum a quo-
dam rege superatum, qui antichristus agno-
Dan. 7. scitur; & post hæc æternum regnum filij ho-
minis, qui intelligitur Christus. Et quærebā,
inquit diligēter de bestia quarta, quæ erat dif-
ferens præ omni bestia terribilis, amplius den-
tes eius ferrei,& vngues eius ærei, manducās,
& comminuens, & reliqua pedibus suis con-
culcans. Et dixit Danieli ille, a quo quæsie-
rat intelligentiam: Bestia quarta quartum re-
gnum erit in terra, quæ præualebit omnibus
regnis,& manducabit omnem terram, & con-
culcabit eam, &c. & verba aduersus Altissi-
mum loquetur, & sanctos Altissimi conteret.
47 Hoc est antichristi aduersus Ecclesiam sæuis-
simum regnum, licet exiguo spatio temporis
sustinendum. Infra cap. 24. de vltimo iu-
Psal. 49. dicio loquitur Dauid, cum ait: Ignis in con-
spectu eius exardescet,& in circuitu eius tem-
pestas valida. Deus noster manifeste veniet,
inter iustos, & iniustos iudicaturus iuste, qui
prius venit occultus,ab iniustis iudicādus in-
iuste. Et non silebit,sicut quondam,quando,si-
cut agnus coram tondente se, obmutuit. Ad- *Isa. 3.*
uocabit cælum desursum, hoc est, sanctos, qui
in nubibus rapiētur obuiam Christo in aëra.
Aduocabit cælum desursum, & terram, &c.
vt cælum intelligatur in eis, qui cum illo sunt
iudicaturi, & terra in eis, qui iudicandi sunt,
& aduocabit cælum sursum, idest in iudicia-
rias sedes eriget. Vel aduocabit cælum sur-
sum, idest,angelos in supernis locis, cum qui-
bus descendet ad faciendum iudicum,aduoca-
bit, & terram, idest,homines in terra vtique
iudicandos. Si autem intelligantur aduoca-
bit cælum sursum, & terram similiter sursum
aduocabit, nihil melius intelligi existimo,quā
homines, qui rapientur in nubibus obuiam
Christo, sed cælum dictum propter animas,
terram propter corpora. Discernere popu-
lum suum, quid est, nisi per iudicium secerne-
re bonos a malis, tamquam oues ab hœdis?
Deinde conuersio sermonis ad angelos facta
est, cum ait: Congregate illi sanctos eius, per
angelicum enim ministerium, tanta res pera-
genda est. In capite 25. de iudicio explicat 48
locum Malachiæ 3. Ecce venit Dominus, &
quis poterit sustinere ad videndum eum, &c.
eadem dicit,quę ex Hieronymo adnotauimus
in expositione huius loci in hoc eodem capi-
te. In capite 26. explicans eundem locum,
ait: Et ero testis velox. Testem si dicit futu-
rum, quia in iudicio suo non indigebit testi-
bus. Eumq. velocem, siue quia repente ven-
turus est, eritq. iudicium ipso inopinato eius
aduentu celerrimum,quod tardissimum puta-
batur, siue quia ipsas conuincet,sine vlla ser-
monis prolixitate, conscientias. In cogitatio-
nibus enim sicut scriptum est: Impij interro- *Sap. 1.*
gatio erit. Et Apostolus cogitationibus in- *Rom. 2.*
quit, accusantibus, vel etiam excusantibus in
die, qua iudicabit Deus occulta hominum.
Etiam sic ergo Dominus futurus testis intelli-
gendus est velox, cum sine mora reuocaturus
est in memoriam, vnde conuincat,puniatque
conscientiam. In capite 27. exponit locum
Malachiæ 4. Ecce dies veniet ardens, sicut cli-
banus,&c. exponit locum sicut ex Hieronymo
iam adnotauimus.

IDEM sic habet: Expectatur dies iudicij 49
aderit ille æquissimus iudex,qui nullius potē- In cōcione
tis personam accipiet, cuius palatium auro, ad Cathecumenos. to. 6
vel argento nemo corrumpet. Stabunt omnes
animæ; vt referat vnaquæque secundum ea,
quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malū.
Præsto enim erit aduersarius diabolus,recita-
buntur verba professionis nostræ. Et si talis
inuentus fuerit quisque, vt debitor ex hac vi-
ta migret: exultabit ille aduersarius in con-
spectu serenissimi iudicis, superiorem se esse
declamans,agensq. talem causam apud talem
iudicem æquissime, inquit: Iudex iudica, iu- *Psal. 88.*
stitia, & iudicium præparatio sedis tuæ. Iudi-
ca meum esse, qui tuus esse noluit; meus est,
mecum damnandus est. Post renūciationem,
vt quid inuasit pannos meos? Quid apud eum
impudicitia faciebat,cui ipse renunciauerat?

Quid intemperantia, quid auaritia, quid ira, quid cetera mea? Postremo æquissime fugientem a me, confugiente ad te, postea cum meis, quibus renunciauerat apprehendi, inuasorem detinui. In ipsa quodammodo mea possessione a me apprehensus est. Quid in theatro faciebat renunciator turpium voluptatũ? Thesaurizauit sibi irã in die iræ. Hæc omnia mea post renunciationẽ inuasit, meus esse voluit, & mea concupiuit iudicia, iudica æquissime, quoniam, quem tu non dedignatus es tanto pretio liberare, ipse mihi se postmodum voluit obligare. Poterit ne os aperire is, qui post professionem suam talis inuenitur, vt iuste diabolo addicatur? Videte quid agatis, filij mei, fratres mei, videte quid agatis, quomodo hãc professionem vestram custodiatis. Contestamur vobis ipsum iudicem, omnesq; potestates cælestes, quæ & nos audiunt admonentes, & nos excipiunt profitentes, ne in vacuum gratiam recipiatis, sed corde integro tota virtute, renunciate tam damnosam diaboli hæreditatem.

50 In libro de perfectione iustitiæ cõtra Celestinum. to.7. *Prou.* 20. IDEM explicat locum Prouerbiorum: Quis gloriabitur castum se habere cor? Hoc dixit, quoniam præcesserit, cum rex iustus sederit in throno. Quantalibet enim iustitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt inueniatur esse culpandum, cum rex iustus sederit in throno, cuius cognitionem fugere delicta non possunt, nec illa, de quibus dictum est, delicta quis intelligit? Quis ergo tunc gloriabit castum se habere cor, aut mundum se esse a peccato.

51 In Psal. 2. to.8. IDEM explicans verba illa; Cum exarserit in breui ira eius, beati omnes, qui confidunt in eo, inquit: Ideſt, cum vindicta venerit, quæ impijs, & peccatoribus præparatur, non solum eos non attinget, qui confidunt in Domino, sed etiam ad regnum illis instruendum, & sublimandum proficiet. Non enim dixit, cum exarserit in breui ira eius, securi omnes, qui confidunt in eo, tanquam hoc solum inde habeant, quod non puniuntur sed beati dixit vbi est, bonorum omniũ summa, & cumulus. Quod autem positum est, in breui, hoc maxime significare arbitror, quia repentinum aliquid erit, dum hoc remotum, & longe futurũ peccatores existimabunt.

52 In Psal. 6. to.8. IDEM explicans verba illa; Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, inquit: Regius vates, inquit, in die iudicij nec argui vult, nec corripi. Arguuntur in die iudicij omnes, qui non habent fundamentum, quod est Christus, emendantur autem, ideſt purgantur, qui huic fundamento superædificant lignum, fœnum, stipulam. Detrimentum enim patientur, sed salui erunt, quasi per ignem. Quid ergo iste orat, qui non vult in ira Domini, vel argui, vel emendari? Quid, nisi vt sanetur? Vbi enim sanitas est, nec mors metuenda est, nec vrentis, aut secantis medici manus.

2. Cor. 3.

53 In Psal. 7. to.8. IDEM explicans verba illa; Nisi conuersi fueritis gladium suum vibrabit, potest, inquit. Ipse Christus gladius dici bis acutus, quem non vibrauit primo aduentu, sed tamquam in vagina humilitatis abscõdit. Vibrauit autem, cum in secundo aduentu veniens iudicare viuos, & mortuos in manifesto splendore claritatis suæ, iustis lumine suo, & terrore impijs coruscabit. Nam in alijs exẽplaribus pro eo, quod est, gladium suum vibrabit, frameam suam splendificabit, positum est. Quo verbo conuenientissime significari arbitror, vltimum Dominicæ claritatis aduentum.

54 In Psal. 9. to.8. IDEM exponens verba illa; Sedet in insidijs cum diuitibus in occultis ait; Antichristum cum diuitibus huius sæculi sedebit, quoniam falsam fœlicitatem ipsorum ad decipiendos homines ostentabit. Insidiatur in occulto tamquam leo in spelunca sua, leonem in cubili dicit eum, in quo, & vis, & dolus operabitur. Prima enim persecutio Ecclesiæ violenta fuit, cum tormentis, & cædibus Christiani ad sacrificandum cogerentur. Altera persecutio fraudulenta est, quæ nunc per hæreticos, & falsos fratres agitur. Tertia supereſt per antichristum ventura, qua nihil periculosius, quoniam & violenta & fraudulenta erit. Vim habebit in imperio, dolum in miraculis. Ad vim relatum est, quòd dictum est, leo. Ad dolos, quòd dictum est, in cubili suo. Insidiatur, vt rapiat innocentem, hoc ad dolum pertinet. Quod autem sequitur rapere pauperem dum attrahit, eum violentiæ deputatur. Attrahit enim significat, quibus potest cruciatibus affligendo ad se adducit. Item in muscipula sua humiliabit eum, dolus est, inclinabitur, & cadet cum dominatus fuerit pauperum, vis est. Muscipulã enim bene significat insidias, dominatio vero terrorem apertissime insinuat. Et bene ait: Humiliabit eum in muscipula sua, cum enim signa illa facere cœperit, quanto mirabilior videbuntur hominibus; tanto illi sancti, qui tunc erunt contemnentur, & quasi pro nihilo habebuntur, quos ille mirificis factis superare videbitur.

55 In Psal. 9. to.8. IDEM exponens verba illa; Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me, inquit. Quid ergo fratres, quia tanta inimici in Christianos fecerunt, & exultauerunt, & iucundati sunt super eos, quando apparebit, quòd non sunt iucundati? Quando illi cõfundentur, illi exultabunt in aduentu Domini Dei nostri, cum venerit ferens in manu retributiones, damnationem impijs, regnum iustis, societatem cum diabolo iniquis, societatem cum Christo fidelibus. Quando ergo hoc ostendet? quando stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt. Illi autem dicent intra se pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes: Quid nobis profuit superbia, & diuitiarum iactantia quid cõtulit nobis? Transierunt illa omnia tamquam vmbra, & tamquam nuncius præcurrens, & tamquam nauis, quæ pertransit fluctuantem aquam, &c. Et quid dicunt de iustis? Quomodo

Sap. 5.

do cõputati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Tunc erit dedicatio domus, quæ modo in tribulationibus fabricatur. Tunc recte dicet populus ille, exaltabo te Domine, quoniã suscepisti me: nec delectasti inimicos meos super me.

56 In Psal. 49. IDEM explicans verba illa; Deus manifeste veniet, Deus nostar, & nõ silebit, ait: Qui venit occultus, veniet manifestus. Venit occultus iudicandus, veniet manifestus iudicaturus. Venit occultus, vt ante iudicem staret, veniet manifestus, vt etiam de iudicibus iudicet. Silet modo non exercens iram, sed expectans pœnitentiam. Dicit alio loco: Tacui, numquid semper tacebo? Quando ergo non tacebit, Deus manifeste veniet. Ignis ante ipsum præcedet, & in circuitu eius tempestas valida. Timeamus mutemur, & non timebimus, ignem palea timet auro quid facit? Qui non desiderãt Dei faciem, timeant, vel ignem supplicia terreant, quem præmia nou inuitãt. Veniet dulcedo præsentiæ, non mutaris, non excitaris, non suspiras, non desideras, amplexaris peccata tua, & delicias carnis tuæ, stipulas ad te congeris, veniet ignis. Ignis in conspectu eius ardebit. Si credamus futurum iudicium fratres, bene viuamus. Tempus misericordiæ nunc est, tempus iudicij tunc erit. *Luc. 13.* Pœnitebit & tunc, sed frustra pœnitebit. Modo pœniteat, cum fructus est pœnitendi, modo adhibeatur ad radicem arboris, cophinus stercoris, ideſt cordis luctus, & lachrymarum, ne veniat ventus, & eradicet. Cum enim eradicauerit, iam ignis expectatur. Modo, etsi fracti sunt rami, possunt rursum inseri, tunc omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Ignis in conspectu eius ardebit, & in circuitu eius tempestas valida. Valida tempestas ventilatura tam magnam aream. Hac tempestate erit illa ventilatio, qua seiarabitur a sanctis omne immundum, a fidelibus omnis simulatio, a pijs, & trementibus verbum Dei omnis contemptor & superbus. Modo enim mixtura quædam iacet a solis ortu, vsque ad occasum. Proculdubio ista tempestas quandam separationem factura est. Alij erunt iudicantes cum Domino, qui sedebunt super sedes duodecim. Alij vero iudicandi, sed ad dexteram ponendi.

Roma. 11.

Matt. 3.

Infra: Aduocauit cælum sursum. Cælum omnes sanctos perfectos iudicaturos, aduocauit eos sursum sessuros, secum iudicaturos duodecim tribus Israel. Et terram discernere populum suum. Vocabit terram non cõterendam, sed discernendam. Terram discernit, alios ponens ad dexteram, alios ad sinistram.

57 In Psal. 59. IDEM explicans verba illa; Dedisti metuentibus te, significationem, vt fugiant a facie arcus, inquit: Per tribulationes temporales significasti tuis fugere ab ira ignis sempiterni. Dicit enim Apostolus Petrus. Tempus est, vt iudicium incipiat a Domo Dei. Etsi initium a nobis qualis finis erit eis, qui non credunt Dei Euãgelio? Etsi iustus vix saluabitur, impius, & peccator, vbi parebunt? Ne sanctis in laboribus, & passionibus suis deficerent, his verbis alloquitur eos Petrus. Quid ergo futurum est in iudicio? Arcus est extentus, adhuc in comminatione est, nondum in præsentatione. Et videte quid sit in arcu. Nonne sagitta in priora mittenda est? Neruis tamen retro extenditur in contrarium, qua illa mittenda est, & quanto plus erit eius extensio retrorsum, tanto maiore impetu illa currit in priora. Quanto magis differtur iudicium; tanto maiore impetu venturum est. Ergo, & de temporalibus tribulationibus gratias Deo agamus, quia dedit plebi suæ significationem, vt fugiant a facie arcus, vt exercitati fideles eius in tribulationibus euadant ignem æternum.

1. Pet. 4.

58 In Psal. 67. IDEM exponens verba illa; Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereãt peccatores a facie Dei, ait: Per hæc verba illud intelligi potest, vt futurum iudicium comminetur, quia cum mali in hoc sæculo, sicut fumus se extellendo defecerint, veniat illis in fine extrema damnatio, vt ab eius facie pereant in æternum, cum in sua claritate fuerint præsentati, velut ignis ad pœnam impiorum, lumenq. iustorum. Et iusti exultent in conspectu Dei, & delectentur in lætitia. Tunc enim audient; Venite benedicti patris mei, percipite regnum. Et delectantur non in timore, sicut in hoc sæculo, sed in lætitia.

59 In Psal. 77. IDEM explicans verba illa; Et eduxit illos in nube diei, & tota nocte in illuminatione ignis, inquit: Domini nostri aduentus in carne est, per quem Deus rectos faciet cursus nostros, & itinera nostra in pace perducet per Iesum Christum Dominum nostrum, cuius in hoc sæculo tamquam in die sacramentum manifestum est, in carne, velut in nube, in iudicio vero, tamquam in terrore nocturno, quia tũc erit magna tribulatio sæculi, tamquam ignis, & lucebit iustis, & ardebit iniustis.

60 In Psal. 124 IDEM exponens verba illa; Quoniam nõ reliquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas, ait: Modo quidem iusti aliquantum laborant, & modo aliquanto iniusti dominantur iustis, veniunt ad honores, fiunt reges, quia hoc facit Deus propter disciplinam plebis suæ, exhibendus est illis honor debitus potestati. Infra: Sed numquid sic erit semper, vt iniqui imperent iustis? Non sic erit, & ideo ait psalmus: Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum. Sentitur ad tempus virga peccatorum super sortem iustorum, sed non ibi relinquitur, non erit in æternum. Veniet tempus, quando vnus agnoscantur Deus, veniet tempus, quando vnus Christus in claritate sua apparens, congreget ante se omnes gentes, & diuidet eas sicut diuidit pastor oues ab hœdis, oues ponet ad dexteram, hœdos ad sinistram. Et videbitis ibi multos seruos inter oues, & multos dominos inter hœdos, & rursus

multos dominos inter oues, & multos seruos inter hœdos. Sed ferant iusti ad tempus dominos, quia non erit hoc in sempiternum, sed præparent se ad possidendum hæreditatẽ; vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Nam si videant, quia semper est virga peccatorum super sortem iustorum, cogitant apud se, & dicunt: quid mihi prodest, quia iustus sum? Semper mihi dominabitur iniquus, & ego semper seruus ero? Ne autem hoc dicat dicitur illi, quia ad tempus potest esse virga peccatorum super sortem iustorum, nõ tamen eam relinquet Dominus super sortem illorũ. Vnde subdit; benefac Domine bonis, & rectis corde.

61 IDEM exponens verba illa; In hoc perfecta est in nobis charitas, vt fiduciã habeamus in die iudicij, sic habet: Quisquis fiduciam habet in die iudicij, perfecta est in illo charitas. Quid est fiduciam habere in die iudicij? non timere ne veniat dies iudicij. Sunt homines, qui non credunt diem iudicij, isti non possunt fiduciam habere in die, quem non credunt esse venturum. Cœpit aliquis credere diem iudicij, si cœpit credere, cœpit & timere; sed quia timet, nondum habet adhuc fiduciam in die iudicij, nondum est in illo perfecta charitas. Numquid tamen desperandũ est? In quo vides initium, cur desperas finem? Initium timor est, quia initium sapientiæ timor Domini. Cœpit ergo timere diem iudicij, timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, incipit viuere interius, & mortificat membra sua, quę sunt super terram, incipit desiderare quod timebat, timebat enim ne veniret Christus, & inueniret impium, quem damnaret, desiderat vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet. Iam cum cœperit desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus sponsi, renunciat adultero, habet iam fiduciam in die iudicij, & clamat: Et tu Domine vsquequo? conuertere Domine, & eripe animã meam. Gemebat se differri. Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur, sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia viuunt, sicut qui cupit dissolui, & esse cum Christo. Ergo fratres, date operam intus agere vobiscum, vt desideretis diem iudicij, aliter non probatur perfecta charitas. Ille autem desiderat, qui fiduciam habet in eo, ille autem fiduciam habet in illo, cuius conscientia non trepidat in charitate perfecta, atque syncera. In hoc autem habemus fiduciam, quia sicut ille est, & nos sumus in hoc mundo; hæc est causa fiduciæ, quod ad charitatem referẽdum est, quia sicut ille diligit inimicos, ita & nos.

62 IDEM sic ait: Tu iustus iudex signãs peccata, quasi in sacculo obseruasti omnes semitas meas, & cunctos gressus meos dinumerasti, tacuisti, semper siluisti, patiẽs fuisti. Væ mihi demum loqueris quasi parturiens. Deus deorum Domine, præstabis super malitia, noui, quia manifestus venies, noui, quia non semper silebis, cum in conspectu tuo ignis exardescet, & in circuitu tuo tempestas valida in-

Tract. 9. in primã canonicam Ioannis. to. 9.

Psal. 110.

Psal. 6.

In lib. meditationum to. 9.

Iob 13.

gruerit, cum aduocaueris cælum desuper, & terram discernere populum tuum. Et ecce coram tot millibus populorum nudabuntur omnes iniquitates meæ, tot agminibus angelorum patebunt vniuersa scelera mea, non solum actuum, sed etiam & cogitationum. Tot iudicibus inops astabo, quot me præcesserunt in opere bono. Tot arguentibus confundar, quot mihi præbuerunt bene viuendi exempla. Tot conuincar testibus, quot me monuerunt proficuis sermonibus, seq. imitãdos iustis dederunt actionibus.

63 IDEM sic ait: Quid faciemus charissimi in illo metuendo iudicij die, cum trementę mundo Dominus, præcinentibus angelorum buccinis, in illo maiestatis suæ throno circundatus cælestis militiæ luce consederit, ibique de terræ gremio, & antiquo puluere, suscitato humano genere, astante testimonio conscientiæ singulorum, positus in conspectu peccatorum pœnis, iustorumq. præmijs rationẽ vitæ cœperit postularè, & dicere, ego te, o homo de limo manibus meis feci, ego terrenis artubus infundi spiritum, ego tibi imaginem meam conferre dignatus sum, tu vitalia mandata contemnens, deceptorem sequi, qua Deũ maluisti. Cum expulsus de paradiso mortis vinculis propter peccatum tenereris, carnem assumpsi in præsepio expositus, & pãnis inuolutus iacui, infantiæ contumelias, humanosque dolores pertuli, irridentium palmas, & sputa suscepi, flagellis cæsus, vepribus coronatus, cruci affixus. En clauorum vestigia, quibus affixus pepẽdi. En perfossum vulneribus latus, cur quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuisti? cur habitaculum, quod mihi in te sacraueram luxuriæ sordibus, polluisti? Cur me grauiore criminum tuorum cruce, quam illa, in qua quondam pependeram, afflixisti? Grauior enim, apud me peccatorum tuorum crux est, in qua inuitus pendeo, quam illa, in qua tui misertus, mortem tuam occisurus ascendi. Et quia post omnia mala tua ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluisti, ab auditu malo non mereberis liberari, despexisti enim in iudice veniam.

Serm. 67. de temp. to. 10.

64 IDEM sic habet: Tempore hyemis, & arbor quæ aret, & arbor quæ viget vtraque nuda est onere foliorum, vtraque vacua onere frugum veniet æstas, & discernet arbores. Viua radix folia producit, impletur fructibus, arida inanis æstate, sicut hyeme remanebit. Itaque illi horreum præparatur, hinc securis adhibetur, vt amputata in ignem mittatur. sic æstas nostra Christi est aduentus, hyems nostra Christi occultatio, æstas nostra Christi reuelatio. Denique arboribus bonis dicit Apostolus: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. Certe mortui, sed mortui specie, viui in radice, venturum est tempus æstatis, & tunc dicitur cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

Serm. 212. de tempore.

Coloss. 3.

65 IDEM ait: Ab auditu malo nos liberare digne-

Ser. 38. de sanctis. dignetur Deus, vt in nobis impleatur id, quod scriptũ est; in memoria æterna erit iustus, ab

Psal. 111. auditione mala non timebit. Hoc est, auditum

Matt. 25. malum, quem audituri sunt impij, discedite a me maledicti in ignem æternum. Irreuocabilis sententia erit, quæ a pijssimo Deo, ideo multo ante prædicitur, vt a nobis totis visceribus caueatur. Si enim nos Deus noster vellet punire, non nos ante tot sæcula commoneret. Inuitus quodammodo vindicat, qui quo modo euadere possimus multo ante demonstrat. Nõ enim te vult percutere, qui tibi clamat, obserua. Ergo qui ad sinistram stabunt, audient; Esuriui, & non dedistis mihi manducare. Et qui ad dexteram sunt, non accipient regnum, quia numquam peccauerũt, sed quia benefecerunt. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, putas vbi mittendus est, qui rapuit alienum? Si in ignem mittetur, qui nudum non vestit, vbi mittendus est, qui vestitum expoliauit? Rogo vos, fratres charissimi, hinc attẽdite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona non faciunt? In alio loco Do-

Matt. 3. minus terribiliter nos admonet, dicens: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Non dixit, quæ facit fructum malum, sed quæ non facit fructum bonum. Hinc possumus agnoscere, quas pœnas arbor spinosa in die iudicij patretur,

Matt. 7. quando illa, quæ fructum non dederit, excidetur, & in ignem mittetur. Quid prodest dicere Domine, Domine, & non facitis, quæ dico? Denique Apostolus cum de reddenda ratione in die iudicij loqueretur dixit; oportet

2. Cor. 5. nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum, & Dominus

Matt. 16. in Euangelio ait: Tunc reddet vnicuiq; secundum opera sua.

66 IDEM ait: In omnibus operibus vestris

Ser. 16. ad Fratres in eremo. semper mementote, quòd omnes stabimus ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; prout gessit in corpore. Cauendum est ergo, ne

2. Cor. 5. ante illud terribile tribunal vacui, vel denudati appareamus. Non enim sancti tunc nobis subueniet, quia tempus non erit miserendi, & misericordiam impetrandi, & iam fugiet a ianua paradisi Maria. Omnes enim contra nos tunc erunt, Abraham contra inobedientes, & Isaac contra impatientes, & Iacob contra negligentes, & Ioseph contra incontinentes. Si obedientes fueritis, tunc Abraham ante tribunal iudicis, non vos condemnabit, sed commendabit, non vos a se expellet, sed conuocabit, non vos maledicet, sed sublimabit.

67 IDEM inquit: Quàm metuenda est illa

Ser. 63. ad Fratres in eremo. dies, in qua Dominus Iesus cum flamma ignis aduenire proposuit, qui in circuitu inimicos suos inflamabit, & omnes, qui operantur iniquitatem. In illa die plangẽt se omnes tribus

Matt. 24. terræ, & videbunt filium Dei venientem in nubibus cum virtute magna, & maiestate. Commouebitur ante eum terra, & peccatores peribunt. Siccabitur mare, & montes sicuticera ardebunt. Sol conuertetur in tenebras, & luna non dabit lumen suum. Tunc apparebit signum filij hominis, quod est crux Christi. In cuius lumine omniũ manifestabuntur abscondita cordium.

GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 5. Et conterentur in porta, & non erit, qui eripiat, sic habet: Sicut vrbis aditus porta dicitur, ita est dies iudicij porta regni, quia per eum ab electis omnibus ad cælestis patriæ gloriam intratur. Vnde & hunc diem, cum ad retributionem sanctæ Ecclesiæ Salomon appropinquare conspiceret, dixit: Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum Senatoribus terræ. Vir Ecclesiæ est Christus Dominus, qui in portis se nobilem ostẽdit, qui despectus prius in contumelijs extitit, sed in ingressu regni sublimis apparebit. Qui cum terræ senatoribus residet; quia iudicij sententiam cum sanctis eiusdem Ecclesiæ prædicatoribus decernet, sicut & ipse in Euangelio dicit: Sedebitis super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Quod Isaias longe antè prænuncians, ait: Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi sui. De his portis iterum Salomon dicit: Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eam in portis opera eius. Tunc quippe sancta Ecclesia de fructu manuum suarum accipit, cum eam ad percipienda cælestia laboris sui retributio attollit. Tunc eam sua opera in portis laudant, quando eius mẽbris in ipso regni aditu dicitur: Esuriui, & dedisti mihi manducare, &c. Filij igitur huius stulti ante portam elati sunt, sed in porta conterentur, quia amatores huius sæculi in præsenti vita superbiunt, sed in ipso regni aditu æterna anima duersione feriuntur.

68 Lib. 6. Moral. c. 5. to. 1.

Prou. 31.

Matt. 19.

Isa. 3.

Prou. 31.

IDEM explicans verba illa; Oculi tui in me, & non subsistam, ait: Districtus ad iudicium veniens, & ad saluandum non vides, & ad feriendum vides. In iudicio peccator cum respicitur nõ subsistit; quia cum districtus iudex merita subtiliter inquirit, reus ad tormẽta non sufficit. Quamuis etiam hoc voci iustorum congruit, quorum mens semper sollicita vẽturo examini intẽdit, omne enim quod agunt metiuntur, dum caute considerant, ante quantum iudicem stabunt. Enumerant mala proprij operis, & contra hæc exaggerant bona gratiæ conditoris. Considerant praua, quã districtè iudicet, bona opera quam subtiliter pensęt, & perituros se absq; ambiguitate præsciunt, si remota pietate iudicentur, quia hoc ipsum quoque quod iuste videmur viuere culpa est, si culpam nostram, dum iudicat hanc apud se diuina misericordia, nõ excusat. Hinc enim in hoc eodem libro scriptum est: Astra non sunt munda in conspectu eius, quia apud eum districte iudicati, ipsi quoque maculas habent, qui per munditiam sanctitatis lucent. Bene ergo iusti voce dicitur, oculi tui in me, & non subsistam: hoc est, si subtili examinatione discutior, ad perferẽdum iudicium non assurgo.

69 Lib. 8. Moral. cap. 9.

Iob 25.

70 IDEM exponẽs verba illa: Cum vix parLib.17. Moral. cap.21. uam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri? Iob 26. inquit: Qui mira fecit in humilitate veniens, conſiderari non poteſt cum quãto terrore venturus ſit in maieſtatis ſuæ fortitudine apparens. Ordo primi aduentus illius penſari & conſpici in tantum potuit, in quantum ad redimendos carnales veniens, diuinitatis ſuæ magnitudinem, carnalibus oculis tẽperauit. Quis vero eius celſitudinis terrorem ferat, cum ſecundi aduẽtus potentia, per ignẽ iudicium exercens, in poteſtatis ſuæ maieſtate canduerit? De primo aduentu loquens, illũ paruam ſtillam ſermonum eius appellat, quia quicquid altum, quicquid terribile in hac luce poſiti de eius conſideratione cognoſcimus, ex immenſitate cæleſtium ſecretorum, velut tenuis ad nos gutta ſuperni liquoris emanat, & quis poterit tonitruum magnitudinis eius intueri? Ac ſi dicat, ſi humilitatis eius admiranda vix ferimus, horrendum, atque terribilem maieſtatis eius aduentum, qua virtute tolerabimus? Hunc tonitruum aduentus eius, etiam *Pſal.49.* pſalmiſta inſinuat, dicens: Deus manifeſte veniet, Deus noſter & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius ardebit, & in circuitu eius tẽpeſtas valida. Hunc Sophonias propheta denunciat dicens, iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta *Soph.1.* & velox nimis. Vox diei Domini amara, tri71 bulabitur ibi fortis. Dies illa, dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis, & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Terrorem ergo diſtricti examinis, quem Sophonias tubam, beatus vero Iob tonitruum appellat, *Ioel 2.* Ioel quoque conſiderans, ait: Conturbentur omnes habitatores terræ, quia prope eſt dies Domini, dies tenebrarum & caliginis, dies nubis, & turbinis. Magnus enim dies Domini & terribilis valde, & quis ſuſtinebit eum? Sed quam incomprehenſibilis ſit, atque inconſiderabilis illa magnitudo, qua in ſecunda oſtẽſione venturus eſt, bene vtcumque perpendimus, ſi primi aduentus pondera, ſollicita conſideratione penſamus. Cum enim moriturus diceret, quem quæritis? & vocem ſolummodo mitiſsimæ reſpõſionis ederet dicens; Ego ſum, armatos perſecutores ſuos protinus in terrã proſtrauit. Quid ergo facturus eſt, cum iudicaturus venerit, qui vna voce hoſtes ſuos perculit, etiam cum iudicandus venit? Quod eſt illud iudicium, quod immortalis egerit, qui in vna voce non potuit ferri moriturus? Quis eius irã toleret, cuius & ipſa non potuit manſuetudo tolerari? conſideret ergo vir ſanctus, & dicat, cum vix paruam ſtillam ſermonũ eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

72 IDEM explicans verba illa Iob 28. Lapi-
Lib.18. Moral. cap.19. dem caliginis, & vmbram mortis diuidit torrens, a populo peregrinãte ait: Eos, quos modo vel infidelitas excęcat, vel crudelitas obdurat, flammarum fluuius a conſpectu æterni iudicis exiens, ab electorum tũc populo ſeparat, vt tunc a bonis, qui peregrini ſunt in hoc mũ- *Heb.11.* do & hoſpites ſuper terram, igni diſtricti examinis diuidet.

IDEM exponens verba illa; Per gyrum 73
dentium eius formido, inquit loquens de anti- Lib.33. Moral. cap.23. chriſto; Quale illud tempus perſecutionis apparebit quando ad peruertendã fidelium pietatem alij verbis fæuiunt, alij gladijs? Quæ vtrorumq. actio, ideſt potentium, atque loquentium, in Ioannis Apocalypſi breui eſt ſenten- *Apoc. 9.* tia comprehenſa qua dicitur poteſtas eorum in ore, & in caudis eorum erat. In ore namq; doctorum ſcientia, in cauda vero ſecularium potentia figuratur. Vnde non immerito per gyrum dentium eius, formido ineſſe deſcribitur, quia multis terroribus agitur, vt in peruerſis eorum prædicationibus, & ſi non veritatis ſententia, certe temporalis potentia timeatur. Vnde bene eundem Antichriſtũ pſalmiſta deſcripſit, dicens: Sub lingua eius labor *Pſal.9.* & dolor, ſedet in inſidijs cum diuitibus in occultis. Propter enim peruerſa dogmata ſub lingua eius labor & dolor eſt, propter miraculorum vero ſpeciem ſedet in inſidijs, propter ſecularis autem poteſtatis gloriam, cum diuitibus in occultis. Quia enim ſimul & miraculorum fraude, & terrena poteſtate vtitur, & in occultis, & cum diuitibus ſedere perhibetur.

BERNARDVS explicans verba illa; 74
Reuertere ſimilis eſto dilecte mi, capreæ, hin- Serm.27.in Cantica. nuloq. ceruorum ſic habet. Poſtulat ſponſa ſecundum ſponſi aduentum, vt illud non ſolum *Cap. 2.* ſit cum velocitate, ſed fragilitatem etiam exprimit, & ſexus in caprea, & ætatis in hinnulo. Vult itaque eum (vt mihi videtur) etſi cum poteſtate venire, non tamen in forma Dei in iudicio apparere, ſed ſane in ea, quam nõ modo natus, ſed & paruulus natus eſt nobis. Nẽpe, vt ex vtroque admoneatur infirmo, mireſcere in die iræ, memineritq. in iudicio miſericordiam ſuperexaltare iudicio. Etenim ſi *Pſal.129.* iniquitates obſeruauerit, etiam electorũ quis ſuſtinebit? Aſtra non ſunt munda in cõſpectu *Iob 25.* eius, & in angelis ſuis reperit prauitatem. Vt ergo cum iratus fuerit miſericordiæ recordetur, rogatur ab iſta apparere in miſericordiæ habitu illo, de quo Apoſtolus; Et habitu, inquit, inuentus vt homo. Neceſſarie quidem. Si enim cum hoc quoque temperamento tanta erit, in iudicio æquitas, in iudice feritas, in *Phil.2.* maieſtate ſublimitas, vt ſecũdum prophetam, non poſsit cogitari dies aduentus eius, quid putas foret, ſi ignis ille conſumens (Deum loquor omnipotentem) in illa ſuæ diuinitatis *Malac.3.* magnitudine, fortitudine, puritate, veniſſet contra folium, quod vento rapitur oſtendere potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſecuturus? Et homo eſt, inquit, & quis videbit eũ? *Iob 13.* Et quis ſtabit ad videndum eum? Quanto magis Deum nobis abſque homine exhibentem, nemo hominum ferret, vtpote claritate inacceſsibilem, celſitudine inattingibilem, incomprehenſibilem maieſtatem? Nunc vero cum exarſerit in breui ira eius, quam grata propter

Pſal.2. pter filios gratiæ apparebit blanda quædã viſio hominis, ſpei robur, fiduciæ augmentum, quod ſcilicet, gratia & miſericordia ſit in ſanctos eius, & reſpectus in electos illius. Deniq; ipſe pater Deus dedit filio iudicij poteſtatem, & non quia ſuus, ſed quia filius hominis eſt. O vere patrem miſericordiarum, vult per hominem homines iudicari, quo in tanta trepidatione & perturbatione malorum, electis fiduciam præſtet naturæ ſimilitudo. Liquet ex his omnibus, ſponſam in ſe diuinũ habere conſilium, & myſterium ſupernæ voluntatis minime ignorare, quæ ſub vmbra imbecillium animãtium, naturam infirmiorem, vel potius inferiorem, (quia iam infirma non erit) in iudicio exhibendam, & orantis affectu, & ſpiritu prophetantis enunciat, quatenus qui cælum, terramq. mouebit in virtute ſua, accinctus po*Pſal.64.* tentia cõtra inſenſatos, & ſuauis nihilominus & mitis, & quaſi omnino inermis appareat propter electos. Vbi hoc quoque addi poteſt, quia ad diſcernẽdum alterutros a ſe, opus erit quodammodo illi, cum hinnuli quidẽ ſaltibus, luminibus capreæ, quatenus videre, & diſcernere in tanta multitudine, & in tanta turbatione poſsit, in quoſnam ſalire, & quos tranſilire oporteat, ne forte contingat iuſtum pro impio conculcari, cum in ira populos confringet. Nam quantum ad impios neceſſe eſt im*Pſal.17.* pleri, quod Dominus dixit, Comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, vt lutum pla*Iſa.63.* tearum delebo eos. Et alibi: impletum tunc cognoſcetur, calcaui eos in furore meo, & cõculcaui eos in ira mea.

76 IDEM inquit: Attende quam cito venit
In tract. de inferiori domo cap. 38. In prologo in vitã ſancti Malach. dies vltima. Præſentaberis ante tremendum iudicem, accuſaberis multis & magnis offenſis, non vno, non paucis, ſed innumeris criminibus, non dubijs, ſed certis, non breui accuſatione, ſed tam longa, quam longa eſt tota vita tua, non vno accuſatore, ſed tot, quot ſunt delicta tua. Ipſe iudex erit diſtrictus accuſator tuus. Omnes etiam ſpiritus boni & mali corã Deo te accuſabunt: boni, quia Deo debent æquitatem, mali, quia tuam ſeruant iniquitatem. Tot iudicibus & populis aſtabis, quot præceſſerunt te in opere bono. Tot arguentibus confunderis, quos tibi præbuerunt bene viuendi exemplum. Omnibus populis nudabuntur iniquitates tuæ, & cunctis agminibus patebũt vniuerſa ſcelera tua. Multa vero peccata tunc proruent ex improuiſo, quaſi ex inſidijs, quæ modo non vides, & forſitan plura, & terribiliora, quam ſint, quæ nũc vides. Vndiq; erunt tibi anguſtiæ, hinc erunt accuſantia peccata, inde terrens iuſtitia, ſubtus patens horridum chaos inferni, deſuper iratus iudex, intus vrens conſcientia, foris ardens mundus. Si iuſtus vix ſaluabitur, peccator ſic deprehen*1.Pet.4.* ſus, in quam partẽ ſe premet? Latere erit impoſsibile, apparere erit intolerabile. In tanto diſcrimine torquebit te tua conſcientia male ſibi conſcia, cruciabunt cordis arcana. Cogẽte etiam conſcientia, tu ipſe eris accuſator, & iudex tuus. Conuictus teſte propria conſcientia, & teſtibus oculis ipſius iudicis, fugere non poteris, ſed tremens, & anxius ſtabis ſuſpenſus ad graniſsimam ſententiam, in periculoſa anguſtia, tanquam illico recepturus quod in perpetuum amittere non poteris. Iudex tunc erit vehementer iratus, ſententia eius ſemel rata erit immutabilis, tortores horribiles, qui nunquam miſerentur, erunt parati, vt data ſententia te damnatum ad tormenta rapiant. Tormenta erunt ſine interuallo, & ſine temperamento, timor cõturbabit te cum terra aperietur coram te, & tu rues, & cades in ſtagnũ ſulphuris ardentis, & fœtentis. Ignis exterius carnem tuam comburet, vermis interius conſcientiam corrodet, ibi eris ſine fine, ſine ſpe veniæ & miſericordiæ.

IDEM ſic habet: Multa apud nos inopia 77
eſt ſanctorum virorum, vt nulli ſit dubium illa *Prologus. Matt. 24.* ſententia nos feriri, quoniam abundabit iniquitas refrigeſcet charitas multorum. Et vt ſuſpicor ego, aut præſto, aut prope eſt, de quo ſcriptum eſt: Faciem eius præcedet egeſtas. Ni fallor, antichriſtus eſt iſte, quem fames ac ſterilitas totius boni, & præit & comitatur. Siue igitur nuncia iã preſentis, ſiue iam, iamq. affuturi prænuncia, egeſtas in euidenti eſt.

Iudicium, quo homo ſe iudicat, vtiliſsimum eſt, temerarium autem cauendum maxime.

Cap. X.

BASILIVS ſic habet, ex- 2
plicans verba illa; Si vere Hom.12. ex varijs huius tomi, quæ eſt in prin. Prouerbiorum. to.1. vtique iuſtitiam loquimini recte iudicate filij hominũ. Apud noſmetipſos iudiciũ quoddã naturale habemus, per quod ab iniquis bona *Pſal.57.* facile diſcernimus, neceſſarium nobis, in agẽdorum optione, recta facere rerum diſcrimina, & quaſi iudicem quemcumque, qui iuſta ſit alioqui mente, res cogniturum contrarias, fauere virtuti oportebit, damnare autem vitiũ. Verbi gratia: Inceſtus, & pudicitia apud ſe iudicatur, & alta mens tua pro tribunali ſedet. Ex vna parte voluptas inceſtui ſuffragatur, Dei timor pudicitiæ aſsiſtit. Si igitur peccatum condemnans, virtutem ſuperare nolueris, rectum rei iudicium conſtitues. Si vero ad voluptatem propenſus, hanc duxeris potiorem, obliquum, & minime rectum facies iudicium, reus ſane factus vocis illius, væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, amarum dulce, & dulce amarum, tenebras lucem, & lucem tenebras. Quoniam igitur, ex ipſius Salomonis ſententia, cogitationes iuſtorum iudicia ſunt viro ſapienti, omnino ſatagendum erit, intra cordis arcana tribunal conſtituere, rectaq. facere iudicia, mentem quoque velut in trutina ſuſpendere, ad ea, quæ conueniunt, & ad quodlibet agendum, æqua lance librare. Quando ſingula Dei mandata contra aduerſan-

uersantem sibi malitiam coram te iudicium experiuntur, da legi diuinæ contra vitium victoriam. Iniquum & æquum apud te iudicantur, da vt vincat virtus: contumelia & patiẽtia inuicem pugnant, vitupera contumeliam, lauda patientiam: odium & charitas, fortitudo & timiditas, prudentia & imprudentia, iustitia & iniustitia iudicantur: tunc denique in tuæ mentis recessu iudiciorum rectitudinẽ ostende, & veluti in tribunali tibi ipsi aside mandatum Dei faciens, monstra te vitium abhorrere, ac omnino ab eo esse auersum, virtuti vero fauentem, studentemque. Si enim in rebus cũctis, quas agis, apud te potiora & meliora vincere permittas, beatus in die illa fueris, quãdo Deus occulta hominum iudicabit, vt testatur Euangelium, cogitationibus simul corda hominũ accusantibus & defendentibus, nec condemnatus discedes, verum iustitiæ corona ornaberis, qua tu item virtutem in omni vita rememineris.

2 In hom. 21. quæ est in aliquot sacrę scripturæ locos.

IDEM inquit: Adsunt tibi ob oculos fratrum differentiæ, hic pauper, ille diues, hic hospes, alius domesticus. Si iudicaueris ne inæqualia videas, ne videas diuitem sublimẽ, pauperem humilem. Natura namque vna est, homo hic & ille, vna in vtrisque necessitas. Noli in distribuendis honoribus respectus habere inæquales. Est enim diues sæpe mendax, rapax, libidinosus; pauper vero iustus. Non igitur tantum faciem spectabis, sed occulta, penitioraq. considera, eum honora, qui pretiosa possidet. Quid quæso ab externis probas homines, præcordia vero, mentemq. minime curas? Bel externe quidem æs habuit, lutum vero sub ære fulgente absconditum. Si illustres in vita videris, considera æs esse apparens, intus cœnosa omnia. Contra vero quidam intus aurum habẽt exteriorem, testa circũdatum, hoc est thesaurum in vasis fictilibus absconditum. Hic castus, ille libidinosus. Vtrum horum ditior, qui castitatem seruat, an qui aurum ex iniuria possidet? Certe, qui castus. Igitur respice æqualia ac plana suum cuique tribuens honorem.

3 Hom. 22. in cap. 18. Genesis. to. 1.

CHRYSOSTOMVS exponens verba illa Domini, qui peccantibus sodomitis dixit: Descendam, & videbo vtrum peccata opere compleuerint ait: Quid sibi vult, quòd sermonem suum ita attemperat, cum descenderim, inquit, videbo. Per verbum crassius docere nos vult, quòd opus sit magna diligentia, & nõ auditu solo peccatores condemnandi sunt, neque sententiæ ferendæ. Audiamus hæc omnes non enim solum ij, qui pro tribunali sedẽt obseruare hanc legem debent, sed & nullus vmquam ob nudam accusationẽ proximum condemnet: idcirco Moyses posthæc, Spiritu sancto afflatus, nos admonet dicens: auditum vanum ne accipias. Et Paulus: Tu autem cur iudicas fratrem tuum? Et Christus quoque prẽcipiens discipulis aiebat: Nolite iudicare, vt non iudicemini. Cur enim ante tempus inuadis iudicis ius? cur præuenis diem illum terribilem. Vis iudex esse, cognosce te ipsum, &

Exo. 23.

Rom. 2. & 14.

Matt. 7.

tua delicta, nullus est, qui vetet, sic enim & peccata tua emendabis. Quod si relictis rebus tuis, sedes ad iudicandum alios maiores te, tibi ipsi colligere peccatorũ sarcinas non sentis? Nam etsi iudiciariæ potestatis non sis particeps, attamen iudicasti mente, & peccato fecisti te obnoxium sola suspicione, & tenui accusatione condemnans. Quapropter beatus Dauid clamabat, dicens: Detrahentem clam proximo suo hunc persequebar. Vidisti virtutis eminentiam, non solum nõ recipit, quæ dicuntur, & abigit volentem fratri suo maledicere. Igitur si & nos peccata nostra imminere volumus, hoc maxime omniũ seruemus, ne condemnemus fratres nostros.

Psal. 100.

4 In Psal. 51. to. 8.

AVGVSTINVS sic habet: Non est desperandum de hominibus bonis, si per eos terrenum aliquid administretur. Nec rursum cõtinuo gratulandũ hominibus, qui cælestia agere dignoscantur negotia, cum plerunque illi, qui negotijs secularibus implicati sunt, cor semper sursum habeãt, & isti, qui cælestia semper prædicant, cor trahant in terra. Sed iuxta sunt ista genera hominum. Inuenimus modo ciuem Hierusalem, ciuem regni cælorum administrare aliquid in terra, vt puta purpuram gerit, magistratus est, proconsul est, Imperator est, rempublicam regit terrenam; sed cor sursum habet, & si christianus est, si fidelis est, si pius est, si cõtemnens in quibus est, & sperat in quibus nondum est. De quo genere fuit illa sancta mulier Hester, quæ cũ esset vxor regis, ventum est ad periculum deprecandi pro ciuibus suis. Et cum oraret corã Deo, vbi mentiri non posset in oratione sua, dixit; Ita sibi fuisse illa ornamenta regalia sicut pannũ menstruatæ. Non ergo iudicemus vel desperemus de ciuibus regni cælorum, quãdo videmus eos aliqua gerere Babyloniæ negotia aliquid terrenum in republica terrena. Nec rursum continuo gratulemur omnibus hominibus, quos videmus agere negotia cælestia, quia & filij pestilentiæ sedent aliquãdo in cathedra Moysis, de quibus dicitur, quæ dicunt facite, quæ autẽ faciunt, facere nolite; dicunt enim, & nõ faciunt. Illi in terrenis rebus leuant cor in cælum, isti in cælestibus verbis, trahũt cor in terra, veniet autem tempus ventilabri, quando vtrumque diligentissime discernatur.

Esther 14.

Psal. 1.

Matt. 13.

5 In psal. 118 cõcione 12.

IDEM exponens verba illa; Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, quia iudicia tua iucũda, inquit: Quis est, qui suum opprobrium suspicatur, & non magis nouit suum quisque opprobrium, quam cuiuslibet alienum? Suspicari enim potius alienum potest homo, nõ suum, quoniam, quod suspicatur ignorat, in suo autem opprobrio non est cuiusque suspicio, sed scientia vbi loquitur cõscientia. Quid est ergo quod ait? Opprobriũ meũ, quod suspicatus sum? Nimirum de superiore sensu etiam iste ducendus est, quoniam quandiu non auertit homo oculos suos, ne videat vanitatem, quod in seipso agitur, hoc de alijs suspicatur, vt propter quod ipse colit Deum, vel bona opera facit, credat, & alium facere.

Possunt

Possunt quippe homines videre, quod agimus, cuius autem rei contemplatione agimus occultum est, & ideo datur suspicionibus locus, vt audeat homo iudicare de occultis hominũ, & falsa plerumque, & si vera, tamen ei incognita temere suspicari. Et quia possumus suspicari eos, quos iuste viuere videmus, & quo fine faciant non videmus, continuo subiecit, nolite iudicare, vt non iudicemini, cum prius dixisset attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt iudicemini ab eis. Vnde & hic cum dixisset amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum, addidit; quia iudicia tua iocunda, idest, iudicia tua vera. Hominum autem iudicia de occultis hominũ non suauia quia temeraria, & ideo suum dixit opprobrium, quod de alijs suspicatum est. Hoc opprobrium suum petebat auferri, quod in se sensérat, & in alijs fuerat suspicatus, vt non esset diabolo similis, qui de occultis sancti Iob suspicatus est, quod non gratis Deum coleret, quem popposcit tentandum, vt crimen, quod obiecerat inueniret. Sed cum libenter alterius opprobrium, nonnisi æmulatio suspicetur, dum bonum opus reprehẽdi non potest, quo fine fiat reprehẽditur, quia non se exerit, quod occultum est, atq; ita male suspicari non debet quilibet, non videndo, quod latet, & non inuidendo, quod eminet. Profecto contra hoc malum, quo quisque libenter de homine malum, quod non prospicit suspicatur, charitas habenda est, quæ non æmulatur.

Matth. 7.

Iob 1.

6 Homil. 2. ex quinquagin ta varijs hu ius tomi. tom. 10.

IDEM explicans verba illa Psal. 49. Existimasti inique, quòd ero tui similis? arguã te & statuam contra faciem tuam inquit: Arguã te. Et quid faciam arguendo te? Modo te nõ vides, facio vt videas te, quia si videres te, & displiceres tibi, placeres mihi. Quia vero te non videns placuisti tibi, displicebis & mihi, & tibi: mihi cum iudicaberis, tibi cum ardebis. Constituam te ante faciem tuam. Non te vides, facio, vt videas te. Quod tu post dorsum tuum posuisti, ego ante faciem tuam ponam. Videbis fœditatem tuam, non vt corrigas, sed vt erubescas. Modo enim fratres charissimi omnes amatores luxuriæ, & qui cum delectatione faciunt iniquitatem, peccata sua post dorsum proijciunt. Si vero boni aliquid casu fecerint ante se ponunt, & inde assidue gloriantur, & dicunt ego illum liberaui, illi tantum dedi. Ac sic ante tribunal Christi perditis bonis, quæ ante se habebant, peccata, quæ post dorsum proieceran, tante faciem eorum reuocantur, & sine vllo termino sustinebunt iudicium, qui sibi, dum viuerent, noluerunt prouidere remedium. Qui vero de animæ suæ salute attentius cogitant, e cõtrario faciunt. Bona quæcumque fecerint, post dorsum proijciunt, mala autem quęcumq; surrepserint, ante oculos ponunt, & dum de ipsis in præsenti sæculo erubescunt, & vulnera curare, & sordida abluere, tota fidei deuotione contendunt, cum in die iudicij ante tribunal Christi venerint, mala quæ ante faciem suam posuerant auferentur, bona vero, quæ propter

7

vanitatem post dorsum proiecerant ante oculos collocabuntur, & merebuntur audire, venite benedicti possidete paratũ vobis regnũ. Statuam te ante faciem tuã. Modo ergo quisquis talis es, fac quod tibi minatur Dominus facere, tolle te de dorso tuo, vbi te videre non vis, dissimulans a factis tuis, & constitue te ante te. Ascende tribunal mentis tuæ, esto tibi iudex, torqueat te timor, erumpat cõfessio, dic Deo tuo, quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictũ meum ante me est semper. Quod erat post te, fiat ante te. Et cum factum fuerit ante te, puniatur a te, ne tu ipse postea a Deo iudice fias ante te, & non sit quo fugias a te. Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum. Non cogitabas de vita tua mala, intellige qui oblitus es Dominum ne te rapiat, vt leo, & non sit qui eripiat. Sicut leo, sicut potens, sicut fortis, vt ille cui resistere nemo potest.

Psal. 10.

Psal. 49.

8 Serm. 202. de tẽpore.

IDEM exponens verba illa Matthæi. 7. Nolite iudicare, vt non iudicemini, ait, quod est hoc fratres cum ipse Dominus in alio loco Euangelij dixerit, nolite secundum faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate. Et alibi dicatur, iudiciũ verum iudicate? Non enim sibi diuina lectio contraria esse potest, sed intellectum sobrium quærit, in conuersatione humana sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur, sunt vero quędã quæ non sine peccato iudicantur. Aperta enim mala, & iudicari, & argui debent, illa vero, quę ignoramus vtrum bono an malo animo fiant, scire nõ possumus, iudicare penitus non debemus. Prandere, & non prandere tẽpore ieiunij, vtrumq; potest fieri, per gulam, vel luxuriam, &c. in his ergo, & similibus, quæ vtrum bono an malo animo fiant, scire non possumus, melius est, vt ad partem dexteram nostrum animum declinemus, quia tolerabilius est, nos in hoc falli, vt eos, qui mali sunt, bonos esse credamus, quam ex consuetudine iudicandi etiam de bonis, quod malum est suspicemur. De istis quæ sunt soli Deo nota periculose nostros proximos iudicamus. De ipsis enim Dominus dixit, nolite iudicare, vt non iudicemini. De illis vero quæ aperta sunt mala iudicare, & arguere cũ charitate desinemus, detestãtes morbum potius, quam ægrotum. Infra: maxima pars generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur, cum tamen nõ ita se velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare. Propter hoc scriptura diuina admonet dicens, prius quam interroges, ne vitupereris quemquam, & cum interrogaueris iuste corripe, omnis homo prius se vult interrogari, & postea si reus est patienter tolerat reprehendi. Et quicquid nobis omnes volumus ab alijs fieri, iustum est, vt hoc in alijs studeamus implere, post illud, quod scriptum est: Omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter.

Ioan. 7.

Zach. 7.

9 Lib. 11. moraliũ. c. 18.

GREGORIVS exponens verba illa Iob capite 13. Non veniet in conspectu eius omnis hypocrita, sic habet: Sciendũ est, quod

duobus

duobus modis in conſpectu Domini venimus. Vno quidem, quo hic peccata noſtra ſubtiliter perpendentes, in eius nos conſpectu punimus, & flendo dijudicamus. Nam quoties conditoris noſtri potentiam ad ſenſum reducimus,
3. Reg. 17. toties in conſpectu illius ſtamus. Vnde recte per Heliam dicitur; Viuit Dominus in cuius conſpectu ſto. Alio quoque modo in conſpectu Domini venimus, cum in extremo iudicio ante tribunal eius aſsiſtimus. Hypocrita igitur, per examen vltimum ante conſpectum iudicis venit, ſed quia modo culpas ſuas conſiderare diſsimulat, in conſpectu Domini venire recuſat. Sicut enim iuſti viri, cũ diſtrictionem venturi iudicis contemplantur, peccata ſua ad memoriam reducunt, deflent quę commiſerunt, & diſtricte ſe iudicant ne iudicentur, ita hypocritæ, quo exterius hominibus placent, eo ſe interius aſpicere negligunt.

10 IDEM ſic ait: Debet vniuſcuiuſq; mens,
Lib. 25. Moral. cap. 18. & cauſas ſuas apud Dominum, & cauſas Domini contra ſe ſollicita inquiſitione diſcutere, debet caute penſare, vel quæ ab eo bona perceperit, vel quæ mala bonis illius peruerſe viuendo, reſponderit. Quod electi quotidie facere non ceſſant. Vnde bene Salomon ait; Co-
Pro. 11. gitationes iuſtorum iudicia. Accedunt enim ad ſecretarium iudicis intra ſinum cordis, cõſiderant quam diſtricte quandoque feriat, & puniunt flendo, quod perpetraſſe ſe intelligũt, timẽt ſubtilia diuina iudicia, etiam de his, quæ in ſemetipſis intelligere fortaſſe non poſſunt. In ſecreto interioris iudicij, ipſa mentis ſuæ executione conſtricti, pœnitendo feriunt, quod ſuperbiendo commiſerunt. Ibi nãque aduerſum ſe quicquid ſe impugnat enumerant, ibi ante oculos ſuos omne, quod defleant coacerũant, ibi tot patiuntur ſupplicia, quot pati timent, nec deeſt in hoc iudicio mente concepto omne miniſterium, quod punire reos ſuos plenius debeat. Nam conſcientia accuſat, ratio iudicat, timor ligat, dolor excruciat. Quod iudicium eo certius punit, quo interius ſæuit. Vnus quiſque enim, cum cauſam huius examinis contra ſe aggredi ceperit, ipſe eſt actor, qui extubet, ipſe reus, qui exhibetur, odit ſe qualem fuiſſe ſe meminit, & ipſe qui eſt, per ſemetipſum inſequitur illum, qui fuit atque ab ipſo homine aduerſus ſemetipſum, fit quædam
11 rixa in animo, parturiens pacem cum Deo. Hanc cordis rixam Dominus requirebat, cum
Hiere. 8. per prophetam diceret; Attendi, & auſcultaui, nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo dicens, quid feci? Iſta cordis humani rixa placata eſt, cum prophetæ ſuo, de Achab rege ſemetipſum reprehendente, loqueretur dicens;
3. Reg. 21 Vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius. Quia ergo nunc in poteſtate eſt, internum mentis noſtræ contra nos ſubire iudiciũ, recognoſcendo accuſemus noſmetipſos, & quales ſumus, pœnitendo torqueamus, non ceſſemus, dum licet iudicare, quod fecimus. Electorum eſt actus ſuos quotidie ab ipſo cogitationis fonte diſcutere, & omne, quod turbidum profluit ab intimis exſiccare. Infra: Cum indiſcuſſa mens relinquitur, in quodam ſenio torporis ſopitur, quia ſui negligens, & propoſitum robur inſenſibiliter perdens, a forma prioris fortitudinis, dum ſeneſcit ſeneſcit. Vnde per Prophetã ſub Ephraim ſpecie dicitur: Comederunt alieni
Oſee 7. robur eius, & neſciuit, ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. Cum vero ſemetipſam quærit, & ſubtiliter pœnitendo ſe diſcutit ab ipſa hac vetuſtate ſua, lota lachrymis, & mœrore incenſa renouatur.

Iurandi conſuetudo periculoſiſsimum malum eſt, & quæ mouere nos poſſunt ad iuramenta cauenda. Cap. XI.

1 BASILIVS exponens illa verba, qui iurat proximo ſuo, & non decipit, inquit. Hic iuramentũ homini perfecto inter eas virtutes, quę illum decent concedi videtur, in Euãgelio vero prorſus prohibetur. Quis habitabit in tabernãculo tuo, & quis requieſcet in mõte ſancto ſuo, Pſal. 14.
qui iurat proximo ſuo, & non decipit. Illic vero, ego autem dico vobis ne iuretis omnino. Quid igitur dicemus? Quod vbique Dominus tam in veteri, quam in noua lege eandem habet præceptionis conſiderationem. Cupit enim peccatorũ effectibus occurrere, & a primis initijs malignitatem excindere. Vt enim vetus lex ait; Non mœchaberis. Dominus vero, non concupiſces. Illa item, non occides. Dominus perfectiora inſtituens, Non iraſcaris. Sic itaque in hoc loco contentus abit Prophe-
ta iuramento, quod iuſtum ſit ac rectum. Dominus vero, vel occaſionem ipſam periurij. Qui enim, vel recte iurat forte, & is poſsit interdum falli, qui vero non iurat periculum vitauit periurij. Nominat item Propheta, multis adeo locis iuramentum immutabilem formamque rei, ac propoſiti cuiuſlibet confirmationem, vt eſt illud iuraui, & ſtatui cuſtodire iudicia iuſtitiæ tuæ. Item iurauit Dominus, & non pœnitebit eum. Non quod Deum ad teſtimonium dictorum, fidemque dubietati faciendam induxerit, ſed quòd is immutabili ac firmo decreto, gratiam promiſsionis Dauidi confirmauit. Sic & hic dictum eſſe poteſt illud, qui iurat proximo ſuo, & nõ decipit, hoc eſt, qui promiſſa affirmat proximo, Matt. 5.
& non decipit, vt cum ſeruatoris dicto conueniat, ſit ſermo veſter; eſt, eſt, non non. De eiuſmodi rebus dũ aſtruis, & affirmas, annue, de his vero, quæ non ita ſe habent, & ſi omnes homines adhortarentur, & obſecrarent, numquam vllo pacto inducaris, vt contra naturæ, veritatem affirmes. Non facta eſt res? negatio ſequatur, facta eſt. Conſenſa firmetur. Citra vllam verborum implicationẽ ad aliud reſpiciens, ipſam per ſe veritatem ſtudeto exprime-

primere ſimplici ac nuda vſus aſſenſione. Qui vero ſic affirmãti minime crediderit, ipſe viderit, damnum ſentiet incredulitatis, turpe enim, & omnino ſtultum ſeſe; vt fide indignum accuſare, & ad iuramenti ſecuritatem confugere.

2 IDEM refert de Clinia philoſopho pythagorico, quòd cum illi per iuramentum mul-
In hom. 24. quæ eſt ad adoleſcẽtes quomodo ex gentiliũ doctrinis proficiant. ctam trium talentorum vitare liceret, iniuriã pati maluit, quam iurare, idque cum non eſſet falſo iuraturus, atque ita iam tunc, quaſi illud de iuramento nobis interdicto præceptum audiuiſſe videretur.

CHRYSOSTOMVS exponens verba
3 illa cap. 5. Ego autem dico non iurare omnino, inquit: Niſi iuramentum interdicatur nõ poſſunt amputari periuria. Ex iuramẽto enim periurium generatur. Nemo eſt enim, qui frequenter iurat, & non aliquando periuret.
Eccli. 23. Propter hoc admonet Salomon: Non aſſueſcat iuramento os tuum, multus enim caſus in illo. Sicut enim, qui facit cõſuetudinem, multa loqui neceſſe eſt, vt aliquando, & importuna loquatur, & qui facit conſuetudinem frequenter manu ſua percutere neceſſe eſt, vt aliquando, & iniuſte percutiat, ſic qui facit conſuetudinem iurare in rebus idoneis, frequenter, & in rebus ſuperfluis, etiam nolens, conſuetudine trahente periurat. Nam omnium rerum cõſuetudine, quando voluerimus tunc facimus, ſed non quando volumus tunc repellimus eam.
Ibidem. Et qualis eſt contra iurantes Dei ſentẽtia docet Salomon: Vir, inquit, multum iurans non exiet plaga de domo eius. Si ergo a iurãtibus plaga non recedit quomodo a periurantibus plaga recedet? Dic mihi amice, iurando, quid
4 proficis? Nam ſi aduerſarius tuus crederet bene te iuraturum, nũquam te iurare compelleret, ſed quia periuraturum te æſtimat, ideo te iurare cõpellit. Et cum iuraueris, non quaſi in veritate iuramenti tui placatus tacet, ſed quaſi in damnatione periurij tui vindicatus recedit: iuramentum enim numquam bonum exitum habet. Sed forte dicis, quid faciam? Nõ mihi credit, nec vult credere niſi iurauero, Acquieſce magis pecuniam perdere, quam ſalutem. Pretioſior tibi videatur anima tua, quã res tua. Si rem aliquam perdideris viuere potes, ſi Deum perdideris quomodo viues? An neſcis, quia quod inuitus amittis propter Dei timorẽ, maiorem mercedẽ habes pro illo, quã ſi eleemoſynam dediſſes? O inſipiens qui alterum iurare compellis, neſcis quid agis? Ille etſi periuraverit, vel cum lucro periurat, tu autem ſine lucro, periurij illius particeps inueniris. Qui in iurando non timet Dei præceptum negligere, nec in periurando timebit. Quid autem vis? Timet Deum, aut non timet Deum. Si timet etiam ſine iuramento nõ mentitur, ſi autem non timet, neq; cum iuramento dicet veritatem. Ceſſet ignis, & incendium non fit, ſubtrahe glatium, & homicidium non committitur, ſic tolle iuramentum, & periurium non fit.

5 IDEM ſic habet. Ponamus nobis quotidianas leges iam a facilioribus incipiamus. Homil. 8. in acta Apoſt. tom. 3.
Malam iurandi conſuetudinem ab ore noſtro auferamus, frænum imponamus linguæ, nullo hic ſumptu opus, nullus labor exigitur, non indiget magna tẽporis mora exercitatio, ſufficit velle, & totum factum eſt. Res enim hæc a conſuetudine pendet. Infra: Magna, & clara voce prædico omnibus ac teſtificor, ita vt eos, qui ſic prænaricantur, quique ea quæ a maligno ſunt loquuntur, hoc eſt enim iuramentum, nec limina eccleſiaſtica aſcendant. Præſtitutus autẽ vobis ſit menſis præſens, vt ſic corrigamini. Si quis noluerit hoc præceptum perficere abſtineat a liminibus eccleſiaſticis, ſiue princeps ſit, ſiue alius diademate cinctus. Ieiunate, orate Deum, & nos vobiſcum, vt illam pernicioſam conſuetudinem eijciamus. Nihil maius eſt, quam fieri doctores orbis, non parum fuerit vbiq; audiri, quod nullus in hac vrbe ſit qui iuret. Si hoc fieret non ſolum veſtrorum operum accepturi eſſetis mercedem, ſed & noſtri pro fratribus ſtudij, nam quod nunc vobis ſum; id vos toti orbi futuri eſtis. Omnino, & alij imitabuntur vos.

6 IDEM inquit. Age dic, quam ob cauſam Homil. 9.
introductum eſt iuramentum, & quare conceſſum? Dicamus originem eius, & vnde natum ſit. Ingreſſum eſt iuramentum quando mala creuerũt, quando omnia ſimul ſurſum ac deorſum facta ſunt, quando ad idololatriam inclinauerunt, tunc ſane quãdo infideles apparuerunt, Deum vocabant teſtem quaſi fideiuſſorẽ dantes, dictis ſatisfacturum: iuramẽtum enim eſt fidei iuſsio, vbi mores fidem non habent. Vnde primum taxatur is qui iurat, ſi ei fides, non habeatur abſque fideiuſſore, & fideiuſſore maximo, & quia tam parum homines, ſibi mutuum credunt, non hominem quærunt fideiuſſorem, ſed Deum. Secundo idem crimen eſt eius, qui iuramentum recipit, ſi pro contractibus Deum ad fideiuſsionem trahat, & dicat ſe non crediturum niſi illum accipiat. O exellentem ſtuporem; O contumeliam, vermis ac terra, ac cinis exiſtens, & fumus, audes talem Dominum tuum in fideiuſſorem rapere, & illũ cogis accipere. Ideo & qui cogit, quàm qui iurat magis ineuitabile habet ſupplicium. Similiter, & qui nullo poſtulante iurat, etiam hoc difficilius eſt, quod quis iurat pro vnico obolo, pro paruo emolumento, pro iniuſtitia? Et hæc ſic periculoſa, quando non fuerint periuria, ſi autem periuria committentur, tunc omnia confunduntur, & in cauſa ſunt, tam is qui dat, quam is qui accipit iuramentum. Dic mihi rapis ad iuramẽtum virum quid expectans num quod peieret? Sed hoc extremę
7 inſipientiæ, in tuum enim caput pœna conuertetur. Melius erat opes perire, quàm illum perire. Quare cum tuo damno hoc facis, & cum contumelia Dei? Beſtiæ eſt talis anima, & viri impij. Sed expecto quod non peieret. Igitur & aſq; iuramento crede. Sed ſunt multi aiunt, qui abſque iuramento audent fraudẽ facere, qui cum iuramento non faciunt. Decipis te ipſum homo. Homo furari, qui didicerit,

cerit hominem iniuria afficere, vellet etiam iuramentum calcare sæpius. Si autem reuerentiam habet in iurando, multo magis iniustè faciendo. Sed quid dicam de iuramentis alijs relictis forensibus? Pro decem obolis iuramenta fiunt, & periuria. Quia enim fulmen superne non descendit, & non omnia subuertuntur stas obstringens Deum. Quam ob rem vt olera accipias, vt calceos, pro paruo argento, in testimonium illum vocas? nũquid quoniam non punimur, putamus nos neque peccare? Hoc diuinæ misericordiæ est, non nostræ virtutis. Nescitis quid sit Deus, & quali ore inuocari debeat. Quoties de viro aliquo virtutibus prædito loquimur, dicimus, laua os tuum, & sic memor sis, nunc vero honorabile
Phil. 2. nomen, quod est super omne nomen, quod
Psal. 8. admirabile in omni terra, quod dæmones audientes contremiscunt, simpliciter distrahimus, o consuetudinem quæ id fecit cõtemptissimum. Denique si imposueris alicui necessitatem iurandi in domo sancta, quam horrendum iuramẽtum si sic afficeris iniungis? Nonne horrere oportebat cum nominatur Deus?
Exo. 39. At inter iudæos, quidem hoc nomẽ tam reuerendum erat, vt in tiaræ lamina scriberetur, &
8 nulli eas diuini nominis literas licebat gestare nisi soli summo sacerdoti, nũc autem temere ita portamus nomen illius. Si simpliciter nominare Deum non omnibus fas erat, hoc certe, quod in testimonium vocatur, quantæ audaciæ, dic oro, quantæ insaniæ? Ecce dico, & testificor vobis emendate iuramenta forensia, eos autem, qui non obtemperãt, omnes mihi indicate, ecce præsentibus vobis imperabo his, qui ad ministerium segregati sunt domũ orationis, & admonebo, & ostendam nulli iurare licere. Expellamus hunc morbum ab anima, iam a foro illum pellamus, atque omnibus mercatorum & opificum officinis, ne putetis per transgressionem legum diuinarum secularia corrigi. At non credit, inquit: etenim & ego hoc ab aliquibus audiui, quod si non iuraueris multa iuramenta, non credetur mihi. Tu horum causa es, qui tam prompte, & facile iuras, quod si hoc non esset, sed omnibus esset manifestum, quod non iures, crede mihi dicenti, quòd vel solo nutu plus crederetur tibi, quam ijs, qui innumera iuramenta deferant. Cui igitur magis creditis, mihi non iuranti, an iurantibus? Sed tu, inquit, princeps es ac episcopus. Cum veritate respondete mihi obsecro. Si continuo iurassem, ac semper, nunquid priuilegium haberet principatus meus? Minime. Vides quod non propter hoc. Omnes sciant, quòd his qui in hanc Ecclesiam cõgregantur, nulli iurare liceat, & ex hoc efficiamur certi, & non sola fide, etiam hoc signo a Græcis, & ab omnibus alijs differamus. Signaculum accipiamus ex cælestibus, vt tamquam regia arméta vbique fulgeamus, ex ore & lingua iam noti efficimur, sicut barbari, & sicut ij, q græce loqui sciũt, lingua n.a barbaris discernimur, ex hoc nos cognobiles fiamus, si loquamur sicut Apostoli, & loquamur sicut Angeli.

IDEM sic habet: Cogita quanta sit confusio hominem quendam, cui est grauis pera, 9 Homil. 18.
& baculus, ac pallium cum pueris proficisci, & eadem, quæ illi discere, eum qui iam debeat philosophari syllabas ac elemẽta legere: nõne magnus oritur risus? sed maior ex vobis. Non enim tantum discrimen inter philosophiam, & elementa, quãtum inter iudaica, & nostra. Sed quantum inter angelos, & homines? Si quis dic oro angelum e cælo deuocet, & dicat illi, vt hic stet, & audiat nostros sermones, quasi is erudiendus sit, nonne ridiculum foret, & confusione dignum? Si autem de his erudiri adhuc ridiculum, illis non attendere, dic oro, quanta condemnatio, quanta confusio? Et quomodo non confusione dignum, christianum erudiri debere, non iurandum esse? verumtamen reprimamus affectus, ne magis rideamur. Age igitur de veteri lege disseramus hodie. Quid *Eccli. 23.*
autem ista inquit? Iuramento ne assuescat os tuum, neque cum nomine sancti coassuescas. Quare? nam quemadmodum famulus, si continuo flagelletur, a cicatrice nõ purificabitur, sic neque qui iurat. Vide sapientiam istius sapientis, non dixit, iuramẽto ne assuescas mentem tuam, sed os tuum. Quia sciuit totum oris esse, & quod facile corrigitur. Consuetudo enim est, quę postea etiam absque electione fit, os non cum anima loquitur, sed ex consue-
10 tudine, totum in lingua situm est. Deinde apponit; nã sicut seruus, qui flagellatur, cõtinuo a cicatrice non purgabitur: ita neq; qui iurat. Non periurium hoc loco, sed iuramẽtũ amouendum admonet, apposita illi pœna. Anima iurantis plena est vulneribus, & cicatricibus. An non vides? Hoc graue est quamuis certe poteris si voles videre. Dedit enim tibi Deus oculos. Talibus oculis videbat propheta di- *Psal. 37.*
cens; Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Contempsimus Deum, odio habuimus nomen bonum, conculcauimus Christum, soluimus pudorem. Nullus cum reuerentia memor est nominis Dei. Et tu quidem si dilexeris quempiam, & ad nomen illius excitatior efficeris. Deum autem sic continuo vocas, quasi nihil, vocas illum, vt exacerbes. Infra: Vultis discere quare concedebant priscis iurare? Quoniam per idola iurabant. Ob consuetudinem difficile tibi est, non iurare, & ab illa ægre abstraheris? Igitur quoniam tanta consuetudinis est vis, eam in aliam transfer consuetudinem. Et quomodo, inquit, possibile? quod sæpius dixi, hoc etiam nunc dico. Sint animaduersores eorum, quæ dicuntur multi, stent inquisitores, & correctores. Sit minister horum doctor, sit & puellus, sit & vxor, sit & amicus, & vicinus, & cognatus, ita enim fieri, nequit, quin is, qui tot habet custodes, tot obseruatores, tot increpantes, facile effugiat, & non seruetur. Et in vno, quidem die difficile feres hoc, & in secundo, & in tertio, deinde autem facile erit.

IDEM inquit. Narrans Ananiæ, & Saphiræ mortem, quam passi sunt, si hoc patiebantur,

11 bantur, qui solũ mentiti erant, ij qui peierant,
Homil. 12. quid non patientur? Tempestiuũ fuerit, & ho-
Zach. 5. die ex lege ostendere periurij grauitatẽ. Falx inquit volans erat lata cubitis decem. Quòd volat, manifestat pœnæ celerrimum aduentum iuramentis affuturæ. Quòd autem cubitorum decem latitudine ac longitudine, vehementiam, ac magnitudinem signat malorum. Quòd autem a cœlo, signum est sententiam in cęlesti ferre iudicio. Porro quòd in falcis speciem ostenditur ineffugabilem pœnam monstrat. Quemadmodum enim falx, quæ in ceruicem immissa, nec in seipsam retracta fuerit, manet quodammodo iam etiam resecta ceruice; sic & terribilis quædam pœna est, quæ super peierantes venit, nec desistit nisi prius perfecerit opus suum. Si autem iurantes hic effugerimus pœnas ne confidamus. In malum enim nostrum hoc fit, quia grauiori malo seruamur. Infra: Non est possibile, quòd is qui iurat non peieret, siue volens siue nolens. Non est etiam possibile, quòd periurus saluetur. Sufficit vnum periurium ad hoc perficiendum, & totam pœnam nobis intentandam. Hæc hyperbolicæ accipienda sunt.

12 IDEM sic habet: Portus securus est, non
Homil. 13. iurare. Portus in quo a ventis impetuosis,
Mar. 3. quis non submergitur. Vide quid propter iuramentum facit Herodes, caput præcursoris amputauit, propter iuramentum enim, inquit, ac discumbentes nolebat illam repulsam pati.
2. Reg. 21. Quid propter iuramentum passæ sunt tribus infestæ tribui Beniamin? Quid propter iuramentum passus est Saul? Nam ille quidem adiurauit. Herodes autem etiam homicidium
Iosue 9. periurio peius commisit. Iterum Iosue propter iuramentum Gabaonitis factum, qualia passus est cognouit. Satanæ enim loquens est iurare, disrumpamus igitur funes, & facile contra omnem custodiam consistemus.

13 IDEM narrat, qua ratione Constantino-
Lib. contra Gentiles. politanus Imperator iuramentum violauerit
tom. 5. de fœdere quodam cum inimicis seruando, quam causam Babylas archiepiscopus Constantinopolitanus, tamquam vile quoddam ac nullius pretij mancipium a templo Dei expulit tanta cum constantia, quanta pastor scabiosam ouem ab ouili excludit, etiam si in carcerem ob factum coniectus sit, capitaliq. sententia punitus.

14 IDEM ait; Peccatum iurandi valde
Homi. 4. ex sexdecim varijs. crudele est, & ideo valde crudele putatur,
tom. 5. & hac de causa illud timeo, quia nullus illud pertimescit; sed sicut simplex sermo prolatus reatum non videtur afferre, ita & iusiurandum esse putatur. Et si quis increpauerit risus monet, iocos narrare putatur, & ideo de hac re sermonem longius protraho. Sed ille inquis iurat homo, qui mitis est, & cui est sacerdotium commendatum, & qui in multa castitate, & reuerentia conuersatur. Nolo mihi hunc sanctum, hunc mitem, hunc pudicum, hunc proferas sacerdotum, sed si Petrum mihi, si Paulum si de cœlo angelum narres, nec sic personarum dignitate terrebis. Nam legem non seruilem, sed dominicam de iure iurando lego, & quando imperiale constitutum recitatur, omnis seruilis dignitas conquiescat. Non ex seruorum negligentia, sed ex sua præceptione sortem tibi Deus attribuit. Est tibi coniux, sunt filij, est amicus, est seruus, est vicinus, est sanguinis cognatione sociatus, festina omnibus huius legis præcepta narrare. Sed inquis dura res consuetudo, & quæ facile mutari non possit, & quæ nos nonnumquam, & inuitos trahit, & nolentes committere cogit illicita. 15
Igitur tanto te huius mali reatu liberare festina, & ad aliam consuetudinem migrare propera. Et ab omnibus singulisq. coniunctis, hoc postula, hoc pete beneficium, vt te iurantem arguant, vt confundant. Nam qui alterum ne iuret arguit, nec facile se præcipitare patietur in periurium. Etenim est iurandi peccatum, & non solum cum de rebus friuolis, sed etiam cum de maioribus celebratur. Nos autem, & cum vilia comparamus, & cum de vno nummo contendimus, & cum aduersus seruulum cõmouemur, Deum testem inuocamus. Et hominis quidem ingenui, & aliqua dignitate muniti in publico ad huius modi res non audemus testimonium postulare, ne & iniuriam contra nos vindicta procedat: Deum autem Cælorum regem, Angelorum Dominum, & cum contrahis, & cum loqueris, & cum quibusdam sermonibus delectaris, aduocans testem. Vt igitur hoc crimine liberemur, inuicem admoneamur, insitum tempus constituamus, & tempus dierum decem. Volentibus enim, & vigilantibus, & hi sufficiunt dies, quò penitus hoc crimine consuetudinis liberemur; & post decem dies si nihilominus illaqueati reperiamur, pœnam nobis constituamus.

IDEM ait; Vnam vos omnes petere vo- 16
lo retributionem pro concione hac, vt in ci- Homil. 1. ad populũ Antiochenum.
uitate blasphemantes, mihi castigetis, & si quempiam in biuio, & foro Deum blasphemantem audieris, accede, increpa, & si verbera infligere oporteat, ne recuses, ipsius faciem alapa percute, contere os ipsius, percussione manum tuam sanctifica. Et si vlli accusauerint, & si in carcerem traxerint sequere, & si pœnas iudex pro tribunali reposcerit, dic cum libertate, quòd angelorum Dominum blasphemauit. Si regem terræ blasphemantes puniri oportet, multo magis illum contumelia afficientes. Commune crimen est, publica iniuria, cuique licet accusare volenti. Discant Iudæi, & gentiles, quòd ciuitatis saluatores sunt Christiani, & procuratores, & præsides, & idem discant dissoluti, quòd, & Dei seruos, ipsos timere oportet, vt etsi quid tale loqui aliquãdo eligãt, sese vndiq; circũspiciant, & vmbras timeant anxiãtes, ne forte christianus audiens insiliat, & vehementius puniat. Non audisti quid Ioannes fecerit? Tyrannum vidit hominem nuptiarum leges

subuertentem, & cum fiducia in medio foro
Matt. 14. dicit: Non licet tibi habere vxorẽ fratris tui. Ego autem non ad tyrannum te duxi, neque ad iudicem, neque pro nuptijs temerarijs, neque pro seruis contumelia affectis, sed pro furore in Deum, tibi æqualem castigare deposco. Etsi mori opus sit, fratrem castigare ne torpeas, martyrium tibi hoc est, quoniam & Ioannes martyr fuit.

17 IDEM inquit: De ijsdem continue com-
Ad populum hom. 5. monefacere non dicentis, sed audientium est crimen continue indigentium disciplinæ super simplicibus, & facilibus præceptis. Quid enim facilius quàm non iurare? Consuetudinis tantum opus est, non est corporis labor, non est pecuniarum impendium. Vis discere quomodo vitium superari possit? Cum videris te ipsum, vel alium quemque, vel seruorum, vel filiorũ, vel vxorem hoc modo captos, & continue commonefactos, neque correctos, iube non pransos cubare, & hanc tibi, illisq. damnationem impone, damnationem non damnum, sed lucrum ferentem, & celerrimam correctionem.

18 IDEM docet iuramenta oriri ex contem-
In fine ho. 10. ptu Dei, in 12. præcipit ad iuramenta cauenda fieri solidata, & confraternitates. In 13. ait: Nemo mihi dicat, quòd multi iam correcti nõ iurant, hoc non est quod quæritur, sed vt omnes; quousque hoc non videro respirare non
Matt. 18. possum. Pastor ille centum oues habebat, & vna amissa, non sensit de nonaginta nouem salute delectationem, donec perditã inuenit, & gregi restituit. Ne igitur hoc dicas, quòd pauci quidam relicti sunt, qui non sunt correcti, sed illud considera, quòd isti pauci non correcti, multos corrumpunt alios. Etenim & vnus
1. Cor. 5. erat apud Corinthios fornicatus, & tamen tantum gemebat Paulus, tanquam perdita ciuitate, & multum congrue. Sciebat etenim quòd illo non correcto, vitium procedens, & omnes alios inuaderet.

19 IDEM sic habet: Antea rogaui vos, vt Ioã-
Hom. 14. nis caput abscissum ad hoc calido cruore distillans sumentes, sic domum quisque suam redeatis, & putetis ante oculos habere ipsum vocẽ emittentem, & dicentem, odio habete iugulatorem meum iuramentum. Quod increpatio non fecit, hoc fecit iuramentum. Quod ira nõ potuit tyrannica, hoc periurij necessitas effecit. Et quando omnibus publice audientibus arguebatur, increpationem generosè tulit tyrannus, cum vero se in iuramentorum necessitatem adegit, tunc illud beatum caput abscidit. Hoc igitur ipsum, & nunc peto, & petere non desistam, vt quocumque abierimus hoc gestantes caput abeamus, & omnibus clamans, ostendamus, & iuramenta vituperans. Quamuis namque valde simus ignaui, & negligentes capitis illius oculos intuiti, terribiliter nos respicientis, & minantis iurantibus, freno omni vehementius per timorem huiusmodi repressi cohibere facile poterimus linguam a iurandi præcipitio. Nec enim hoc solum habet mali iuramentum, quòd & temerarium, & seruatum iuratos pœnæ facit obnoxios, quod in nullo peccatorum alio accidere quispiam videt, sed & aliud non minus isto malum, quod neque volentibus, neque studentibus sæpius possibile est bene iurare. Primo quidem continue iurans, & voluntarius, & inuitus, & ignarus, & sciens, & serio, & ioco loquens, & ab ira sæpe elatus, & a multis alijs omnino peierabit. Ita est concessum, & manifestum, quod multum iurantem, & periurum esse necesse est. Secundo, quod etsi non raptus, aut inuitus, at ignorans hoc patiatur, ab ipsa rei natura, & voluntarius, & sciens omnino, peierare cogetur. Sæpius igitur nobis prandentibus, & seruorum 20
aliquo peccante, se illum flagellaturum vxor iurauit; mox vir contrarium iurauit. Hic quicquid fecerint necesse est omnino periurium constitui, quicquid enim fiat ipsorum alter periurij reus fiet, magis autem ambo penitus. Iuratus flagellare seruum, & prohibitus, iam ipse peierauit, & prohibenti rursum, & iuramenti veritatem impedienti, periurij crimen allegauit. Multa etiam contendentes iurant homines contra. Sicut enim pueri funiculum longum, & corruptum ex contrario inter se trahentes cum multo impetu, supini omnes cadunt, funiculo per medium disrupto, & hi quidem capite, hi vero alia corporis parte feriuntur; sic & inter se contraria iurantes, iuramento pro rerum necessitate disrupto, in periurij barathrum vtrique cadunt, hi quidem peierando, hi veto periurij causam alijs præbendo. Et vt hoc vobis fiat manifestum antiquam vobis narrabo historiam. Hostes aliquando Iudæorum aggresso Ionatha Saulis filio, hos quidem trucidan- 1. Reg. 14
te, illos vero in fugam conuertente, volens Saul amplius contra reliquos exercitum excitare, & facere ne prius absisteret, quàm omnes opprimeret, contrarium quàm voluit, fecit, iuratus, neminem vsque ad vesperam panem comedere vsque ad hostium suorum vltionem. Quid nempe hac re stultius fieri possit? Fatigatos enim, & labore multo pressos milites cum refocillare debuisset, per iuramenti necessitatem fami grauissimæ ipsos tradens, volens integrum exercitum iuramento cogente ieiunare. Et ideo tantum diabolo aditum aperuit, vt non tantum duo, & tria, & quattuor, sed & multo plura ex hoc iuramẽto periuria texeret. Siluam præteribat exer- 21
citus, fauum habentem, & ingressus est populus ad fauum, & transibat loquens. Mensa extemporanea, vt aggressionis facilitas, & nutrimenti suauitas, & latendi spes in iuramentorum præuaricationem ipsos alliceret. Veruntamen illi cupiditatem continuerunt, nec intra se dixerunt, quid autem nobis curæ est? Nunquid enim quisquam nostrũ hoc iurauit? Ille inconsideratorũ pœnas dabit iuramentorum. Quare namq. iurabat? Sed nihil huiusmodi cogitabant, sed cum multa transibant reuerentia, & cũ tot essent ipsos alliciẽtia, disciplinã seruabant. Ionathas autem qui non audierat patrẽ suum iurantẽ extendit summitatem sceptri,

sceptri, quod habebat in manu sua, & intinxit in fauum mellis, & conuertit manum suam in os suum. Non tantum periurium patrari diabolus volebat; verum & filij cædem componebat. Infra: Ex primo iuramento ortum habuit secundum, & dixit viuit Dominus, quoniam, si cibum sumpserit Ionathas morte morietur, post cognita, quòd gustasset cibum, iurauit tertio, dicens; Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quoniam morte morieris hodie. Sed populus iurauit, & contrarium regi iurauit, dicens; Hæc faciat nobis Deus, & hæc adijciat si morte morietur. Viuit Dominus, si cadet capillus de capite eius in terram. Nunc mihi reminiscimini funiculum a puerulis tractum, & disruptum, & trahentes supinos proijcientem. Iurauit Saul non semel, neque bis, sed sæpius, contraria iurauit populus, & iam contendebat, necesse est, iam penitus iuramentum scindi. Cogita, quæ mala nascebantur, si enim noluisset rex resistere, & ad iuramentum procedere, totus restitisset populus, & tyrannis crudelissima facta fuisset, & rursum si voluisset filius pro-
priæ consulens saluti, se ipsum exercitui de- 22
dere, parricida statim fuisset. Vides & tyrannidem, & filij cædem, & bellum gentile, & pugnam, & iugulationes, & cruores, & infinita cadauera ex vno patrata iuramento? & tamen nec sic iuramenti veritas processisset. Itaque ne consideres hoc, quod nõ est factum, sed hoc considera, quod rei natura, hæc fieri cogebat. Licebat & aliam narrere historiam, & ex illa demonstrare grauiorem hac, & maiorem calamitatem vnum fecisse periurium. Etenim ciuitatum, & mulierum, & puerulorum captiuitate, & incendio, & barbarorum inuasione, & sanctorum pollutione, & innumeris alijs grauioribus malis iudæos affecit vnum omnes iusiurandum. Sed quia in longum sermo protenditur, id omitto. Infra: Vtinam mihi liceret, frequenter iurantium animas exuere, & ipsorum oculis subijcere vulnera, & cicatrices, quas quotidie capiunt a iuramentis. Nec admonitionis aut consilij indigeremus, quoniam vulnerum aspectus omni sermone potentius, huic improbæ consuetudini etiam plurimum adhærentes a malitia abducere posset. Verumtamen, quoniam ipsorum oculis animæ dedecus subijcere, &
Eccli. 23. ipsam tabefactam, & corruptã ostendere non licet, audi dicentem Dominum, sicut seruus, qui continue flagellatur, de cicatrice nõ mundabitur, sic iurans, & Deum semper nomi-
Hebr. 7. nans, a peccato non innocens fiet, qui, impossibile est os iurare meditatum, non continue peierare. Propterea supplico omnibus, vt pernicioſam hanc consuetudinem deponentes exanima, aliam coronam reportetis. Et sicut
Act. 11. vbique de ciuitate nostra cantant, quòd prima omnium in orbe terrarum, christianorum nomen induit, sic facite, vt omnes dicãt, quòd sola omnium in mũdo Antiochia proprijs iuramenta finibus expulit. Immo si hoc fiat, non tantum ipsa coronabitur, verumetiam alias in eundem zelum rediget.

IDEM inquit: Audistis Prophetam de iu- 23
ramentis nobis loquentem: Respexi oculis Homil. 15.
meis, & vidi, & ecce falx volans longitudine Zach. 5.
cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et dixit ad me: Quid tu vides? Et dixi; Video falcem volantem longitudine cubitorum viginti, & latitudine cubitorum decem. Et ingredietur, inquit, domum iurantis in nomine meo, & dissoluet in medio, & suffodiet lapides, & ligna. In loco falcis iurantes sequens pœna videtur. Vt vltionem ineuitabilem esse, & supplicium effugi nõ posse videas. Ensem enim volantem forsitan aliquis effugere poterit, falcem autem in collum delapsam, & pro funiculo factam, nemo fugere potest. Cum autem & alæ adsint, quæ salutis vlterius spes? Qua vero causa lapides, & ligna iurantis dissoluit? Vt ruina, alijs correctio fiat. Postquam enim iurantem mortuum terræ condi necesse est, domus dissoluta, & ruina facta, prætereũntibus omnibus, & cernẽtibus admonitio erit per aspectum, vt non eadem audeant ne eadem patiãtur, & accusatrix erit mortui criminis continua. Non ita pungit ensis sicut iuramenti natura. Non sic occidit gladius sicut iuramenti plaga. Infra: Lo-
quens de his, qui iuramenta extorquẽt ab alijs 24
ait: Non ita gemo, & deploro quospiam in vijs iugulatos audiens, sicut gemo, & lachrymis prosequor, & horresco, cum video quempiam ad Ecclesiam venientem, prope altare accedentem, & manus imponentem, & Euangelijs iurantem attractis. De pecunijs, quæso dubitas, & animam occidis? Quid tantum lucraris, quantum animam tuam, & proximum lædis? Si enim credis, quòd verax sit homo, ne iuramenti necessitatem adducas, si vero nosti quod mentitur, ne peierare cogas. Sæpius namque pugna conflata, contumeliam patiẽtes generosè ferimus, & contumelianti dicimus. Quid tibi faciam? In me conuitiatus es. Ille talis est Dominus tuus, ille meas cohibet manus. Et hoc nobis in consolationem sufficit. Ita quoque cum a quoquam iuramentum expostulaturus es, te ipsum contine, & prohibe, & dic iuraturo. Quid tibi faciam, Deus iussit non adiurare. Ille me continet nunc. Sufficit hoc, & ad honorem legislatoris, & ad securitatem tuam, & ad iuraturi timorem. Cum enim ille viderit, quod sic alios adiurare veremur, multo magis ipse facile iurare formidabit.

IDEM postquam explicuit locum Za- 25
chariæ, de quo superius diximus, quòd falx Homil. 19.
volans, & maledictio egrediens, & ingrediens domum peierantis ligna, & lapides destruet omnes, ait: Ego autem hodie demõstro non vnam, & duas, & tres domos iurantis destructas, sed & ciuitatem totam, & populum religiosum, & gentem multa semper prouidentia vti solitam, & tribum multis elapsam periculis. Etenim Hierusalem ciuitas Dei, sanctorũ arcam habens, & omnem illũ cultum vbi prophetæ fuerũt, & spiritus gratia, &

arca, & tabulæ testamenti, vbi angeli sæpe incedebant, hæc ciuitas innumeris nascentibus bellis, & multis ipsam incursantibus barbaris, tanquam muro ex adamante circundata, sic illos omnes semper derisit, & regione tota deleta, nihil graue passa est. Nec hoc solũ est admirabile, verum & quod grauem sæpe plagam hostibus inferens, sic eos emittebat, & tantam a Deo nacta erat prouidentiam, vt ipse Deus
Osee 9. diceret: Velut vuam in deserto inueni Israel, & velut signum in sicu temporaneum vidi patres ipsorum. Et iterum de ipsa ciuitate: Velut rami oliuæ in summo excelsi, & dicent: Ne noceas ipsis. Veruntamen Dei ciuitas chara tot elapsa periculis, & in multis peccatis veniam assecuta, & quæ sola ex omnibus alijs captiuitatem effugere potuit, & semel, & bis, &
26 sæpius, solo iuramento prostrata est. Et quomodo id fuerit, dicam. Fuit quidem Sedechias apud ipsos Rex. Hic Sedechias iuramentum dedit Barbarorũ regi Nabuchodonosor, quod in ipsius auxilio permaneret, postea defecit, & ad Aegypti regem transfugit, iuramenta paruipendens, & tanta passus est, quanta statim
Ezec. 17. audietis. In Ezechiele enim dicitur, quod propter iuramentum peribit, radices eius euellet, & fructus eius distringet, & siccabit omnes palmites germinis eius, & arescet. Et demonstrare volens, quod non humana vi destruetur, sed quoniam Deum sibi fecit inimicum, per illa iuramenta, subiunxit: Et non in brachio grandi, & in populo multo, vt euelleret eam radicitus. Spreuerat enim iuramentum, præuaricando pactum meum, quoniam iuramentum meum, quod spreuit, & fœdus, quod præuaricatus est, ponã in caput eius, & expandam super eũ rete meum. Vides quomodo sæpius dixit, quod illæ propter iuramentum hæc
4. Reg. 25 omnia passus est? Implacabilis est enim Deus,
Hiere. 38 contemptis iuramentis. Vnde ingressi hostes cum magna facilitate regis domum incenderunt, & domos Hierusalem, & murum eius subuertit, & vbique ignis grassabatur barbaricus, iuramento ignem ducente, & flammam passim circumagente, & populum in ciuitate relictum, & adiunctos regi transportauit archimagirus, & columnas æreas, quæ erãt in Domo Domini, & mare æneum confregerũt Chaldæi, &c. Itaque recordare mihi falcis volantis, & iurantis, domum resoluentis, & parietes destruentis, & ligna, & lapides. Recordare mihi quomodo iuramentum hoc vrbem ingressum, & domos, & templum, & mœnia, ædificia splendida destruxit, & ruinam fecit ciuitatis, & neque sancta Sanctorũ, neque sacra vasa, neque aliud quicquam pœnam, & vltionem illam auertit, quia transgressum fuerat iuramentum. Et ciuitas quidem tam
27 miserabiliter soluebatur. Rex autem his miserabiliora, & tristiora patiebatur, & sicut ædificia falx ista volans destruxit, sic & hunc fugientem absumpsit. Occidit enim rex Babylonis filios Sedechiæ coram oculis suis, & oculos eius eruit, & vinxit eum compedibus, vt in Babylonem duceretur. Non videbit Babylonem, ait Propheta, quoniam in Iudæa excæcationem passus est. Vbi namque *Hiere. 39.* iuramentum spretum est, ibi & vindicatum, & in Babylonem captiuus ductus est. Fratres hæc scientes, ab hac stulta cessemus consuetudine. Si enim antiquitus cum Iudæi ad perfectam disciplinam non exigebantur; sed multus erat condescensus, tanta propter iuramentum expugnatio, & captiuitas fuit, quid congruum est nunc, passuros esse iurantes post legem hoc facere prohibentem. Ne mihi iam aliquis consuetudinem prætendat; propter hoc enim indignor, & irascor, quoniam consuetudinem vincere non possumus. Infra: Vidisti falcem, vidisti caput Ioannis, audisti historiam de Saule, audisti captiuitatis Iudaicæ modum. Cum his autem omnibus audisti Christi sententiam dicentem, nolite iurare omnino, quoniam iurare quomodocumque diabolicum est, & tota maligni machinatio. Audisti, quod vbique iuramenta sequuntur periuria, Hæc omnia congregans, inscribe cordi tuo. Exurgens e lecto, & domum tuam egrediens, hanc legem repete: Ego autem dico vobis, nolite iurare *Matt. 5.* omnino. Discant aliæ ciuitates, quod hanc inhabitantes mallent prius linguam abscindi, quam ex ore iuramentum emittere. Legem nobis ponamus, non prius publica, non prius priuata tractare negotia; donec hanc legem de non iurando impleamus, & omnino necessitate compulsi, facile superabimus, & ornabimus nos ipsos, & omnem ciuitatem. Cogita namque quale est vbique terrarum hæc audire, quod Antiochiæ præualuit mos Christianis congruus, & ibi neminem audires, licet maxima necessitas instet iuramentum emittere.

IDEM multa habet de iuramentis, sed 28
quæ iam in anterioribus adnotauerato In ho- Homil. 27.
milia 27. similiter in 28. de vitanda pessima & 28.
iurandi consuetudine disputans, ait: Cogita quod apud gentiles multi balbutientes, multa meditatione linguam sibi claudicantem correxerunt. Hoc itaque vobis, & ego nunc dico, cogitate gentilium philosophos, & tũc scietis quanto simus digni supplicio, despicientes diuinas leges, cum illi quidem pro humana honestate infinite laborauerint, vos vero neque pro cælesti regno studium par exhibeatis. Infra: Cum iuramenta corrigere cœperis, siue semel, siue secundo, siue tertio, siue vigesimo legem transcenderis, ne desperes, sed iterum surge, & studium tuum resume, & omnino victor eris. Paulus aiebat: Cum de- *Heb. 7.*
beretis magistri esse propter tempus rursum indigetis, vt doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei. Propterea nos quoque lugemus, & conquerimur. Etsi permanentes videro iam vobis interdicam hęc ascendere sacra vestibula, & immortalium participes fieri misteriorum, sicut fornicantibus, & adulteris, & homicidij reis. Nam melius est cum duobus, vel tribus Dei leges custodientibus solitas offerre preces, quàm multitudinem aggregari præuaricantium, & alios corrumpentium.

29 HIERONYMVS explicans verba illa:
Lib. 5. in c. 17. Ezech. tom. 4. Factum est verbum domini ad me, dicens: Dic ad domum exasperantem: ecce venit rex Babylonis Hierusalem, & assumet regem, & principes eius, & adducet eos in Babylonem, ferietq. cum eo fœdus, & accipiet ab eo iusiurandum, &c. Qui recedens ab eo, misit nuncios ad Aegyptum, vt daret sibi equos, & populum multum. Nunquid prosperabitur, qui fecit hæc? Et qui soluit pactum, nunquid effugiet? Viuo ego dicit Dominus Deus, quoniam in loco regis, qui constituit eum regem, cuius fecit irritum iuramentum, & soluit pactum, quod habebat cũ eo, in medio Babylonis morietur. Et non in exercitu grandi, neque in populo multo, &c. Spreuerat enim iuramentum, inquit: Hæc est parabola, quod sub duabus aquilis, & vinea, duos reges Babylonis, & Aegypti scriptura monstraret, & regem Sedechiam, qui contra iusiurandum deserta amicitia Nabuchodonosor, se ad regem Aegypti transtulit. Qui dissoluit, ait, pactum, nunquid effugiet? Ex quo discimus etiam inter hostes seruandam fidem, & non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multo enim fidelior
30 inuentus est ille, qui propter nomen Dei tibi credidit, & deceptus est, te, qui per occasionem diuinæ maiestatis hosti tuo, immo iam amico es molitus insidias. Ecce dedit manum suam regi Aegypti, & tradidit se, & periurij contra Deum commisit sacrilegiũ, nunquid, ait, proderit ei? Infra: Viuo ego, quoniam iuramentum quod spreuit, & fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Ex extendam super eum rete meum, & adducam eum in Babylonem, & iudicabo illum ibi in præuaricatione, qua despexit me. Quamdiu non iures, & pactum non ineas sub nomine Domini, prudentiæ est, & fortitudinis, superare aduersarium, vtcumque potueris. Cum autem te constrinxeris iuramento, nequaquam aduersarius, sed amicus est, qui tibi credit, & sub occasione iusiurandi, ideſt, Dei nuncupatione deceptus est. In præuaricatione qua despexit me. Ergo qui contemnit iuramentum, illum despicit per quem iurauit, illiq. facit iniuriam, cuius nomini credidit aduersarius. Propter quam causam expandam super eum rete meum, &c. Quicquid igitur contra Sedechiam fecit Nabuchodonosor, non suis fecit viribus, sed ira Dei, in cuius nomine fuerat peieratum. Ex quo loco manifeste constat, vt ex Chrysostomo animaduertimus Hierosolymæ, & Iudaici populi subuersionem, & plagam tam ingentem propter vnicum violatum iuramentum a rege obuenisse.

31 IDEM explicans verba illa: Ego video
Lib. 1. in c. 5. Ezech. tom. 6. volumen volans, &c. In versione septuaginta interpretum, quæ sic habet: Ego video falcem volantem longitudinis cubitorum viginti, & latitudinis cubitorum decem. Et dixit ad me: Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ: quia omnis fur ex hoc vsque ad mortem punietur, & omnis periurus ex hoc vsque ad mortem cruciabitur. Et educam illud dicit Dominus, & ingredietur in domum furis, & in domum iurantis in nomine meo mendaciter, & requiescet in medio domus eius, & consumet eum, & ligna eius & lapides eius hic habet his verbis: Moneamus eos, qui parua putant crimina furtum, atque periurium, quod inducatur maledictio, quæ in volumine, ac falce descripta est in domum furis, atque periuri, & commoretur in ea, & omnia eius ligna, lapidesq. consumat.

32 AVGVSTINVS explicans verba illa:
Lib. de mendatio ad cõ sentium to. 4. Ego autem dico vobis, non iurare omnino, inquit. Iurauit ipse Apostolus in epistolis suis, & sic ostendit quomodo accipiendum esset, quod dictum est: Dico vobis non iurare omnino, ne scilicet iurando, ad facilitatem iurandi veniatur, atque ex facilitate ad consuetudinẽ, atque ita ex consuetudine in periurium decidatur. Et ideo non inuenitur iurasse, nisi scribens, vbi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Et hoc vtique a malo, sicut dictum est. Quod autem amplius est a malo est, non tamen suo, sed eorum infirmitates, quibus etiam sic fidem facere conabatur. Illud autem nõ iurare omnino sic accipiendum est, & ad hoc positum, vt quantum in te est non affectes, non ames, non quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum.

33 IDEM ait: Nulla causa nos ad peieran-
Lib. contra mendatium ad Consentium. to. 4. dum debere adduci. Ista saltem scelera, vel ampliora stupris, vel certe non minora iudicemus. Namq. cogitandum est sæpissime homines, de quarũ adulterio suspicantur ad iusiurandum prouocare coniuges suas. Quod vtique non facerent, nisi crederent etiam illas, quæ non timuerunt perpetrare adulterium, timere posse periurium. Quia & reuera nonnullæ impudicæ, quæ non timuerunt illicito concubitu viros fallere, eisdem viris, quos fefellerant timuerunt Deum testem fallaciter adscribere.

34 IDEM explicans Iosue 9. quomodo Ga-
Lib. 6. quæstionum in Iosue. baonitæ deceperunt Israelitas, & decepti iurauerunt firmantes cum ipsis pactũ sic habet: Quæri potest quomodo iurationẽ seruandam esse Gabaonitis crediderint Hebræi, quibus ita iurauerant tanquã de longinqua terra venientibus, sicut illi mentiti fuerunt. Sciebant enim se debellandos, si cognitum esset Hebræis in ea terra eos habitare, quàm erant ab habitantibus recepturi. Mentientibus ergo quod de longinqua terra ad eos venissent, iurauerunt eis Israelitæ. Postea vero quam cognouerunt ibi eos habitare, vbi omnes quos inuenerant secundum Dei præceptum debellare oportebat, nolebant tamen frangere iurationem. Et licet eos mentitos esse didicissent parcere maluerunt iurationis causa, cum possent vtique dicere se tantum illis iurasse, quos eos esse crediderant, ideſt de longinquo venientes. Cum vero aliud cognouerunt præceptum circa eos domini implendum erat, vt sicut ceteri expugnarentur. Deus

autem hoc approbauit, nec parcentibus, succenſuit, quamuis eum non interrogaſſent, quinam illi eſſent, & ideo eos illi fallere valuiſſent. Vnde non importune, vtique credendi ſunt, & ſi fallere homines, pro ſua ſalute voluerunt, non tamen fallaciter Deum timuiſſe, in populo eius, propterea nec ſuccenſuit Dominus iurantibus, aut parcentibus, vt poſtea Cabaonitas ipſos, tamquam populi ſui homines, de domo Saul vindicauerit, ſicut regnorum oſtendit hiſtoria. Et quoniam iuratio ſic ſeruata eſt, quamuis in hominibus, qui mentiti ſunt, vt ad clementiam ſententia flecteretur, non diſplicuit Deo.

35 In lib. quæſtionum ex vtroq; teſtamento mixtim. *Gen. 22. Exo. 33. Matt. 5.*

IDEM inquit: Vetus lex Deum iuraſſe allegat, ſic enim dicit: Permemetipſum iurauit, dicit Dominus. Saluator iurare prohibuit, quomodo non deſtruxit vetera? Antequã notitia Dei eſſet in terris, nõ aliter oportuit prouocare homines ad ſpem inauditam, quam iureiurando promiſsio illius fieret ab eo, quem non, vt dignum erat ſciebant. At vbi cepit ſciri, non vtiq; iurare oportuit, quem mentiri fas non eſſet arbitrari. Ideoq; ergo Dominus, nec ſeruos iam iurare præcepit, ſed tales ſe inſtituere, vt ſermonibus illorũ fides habeatur. Sacramentum enim iuris iurandi, aut perfidia exegit, aut fallacia inconſtantis, vt quia fallere homines ſolent, timore Dei reuereantur.

36 Lib. 1. de ſer. Domini in monte. *Matt. 5.*

IDEM explicans verba illa audiſtis, quia dictum eſt antiquis, non periurabis, reddes autem Domino iuramenta tua? ego autem dico vobis non iurare omnino, &c. ſit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non. Quod autem amplius eſt a malo eſt, inquit. Iuſtitia phariſæorum, eſt non periurare, hanc confirmat, qui vetat iurare. Sicut enim falſum loqui non poteſt, qui non loquitur, ſic periurare non poteſt, qui non iurat. Et quia Paulum iuraſſe legimus, ſic intelligitur præcepiſſe Dominum, ne iuretur, ne quiſquam, ſicut bonum appetat iuſiurandum, & aſsiduitate iurandi ad periurium, per conſuetudinem delabatur. Quapropter, qui intelligit, non in bonis, ſed in neceſſarijs iurationem habendam, refrenet ſe quantum poteſt: vt non ea vtatur, niſi neceſsitate, cum videt pigros eſſe homines ad credendum quod eis vtile eſt credere, niſi iuratione firmetur. Ad hoc itaque pertinet, quod ſic dicitur; ſit autẽ ſermo veſter eſt, eſt, non, non. Hoc bonũ eſt, & appetendum, quod autem amplius eſt, a malo eſt, ideſt, ſi iurare cogeris, ſcias de neceſſitate venire infirmitatis eorũ, quibus aliquid ſuades. A malo eſt dixit, & non malum eſt, hoc eſt, tu non malum facis, qui bene vteris iuratione, quę neceſſaria eſt, vt alteri pſuadeas, quod vtiliter perſuades, ſed a malo eſt illius, cuius infirmitate iurare cogeris. Sed nemo nouit, niſi qui expertus eſt, quam ſit difficile, & conſuetudinem iurandi extinguere, & numquam temere facere, quod nonnumquam facere, neceſsitas cogit.

37 Lib. 1. de ciuitate Dei

IDEM narrat de Marco Attilio regulo nobiliſsimum exemplum. Is enim imperator populi Romani, captiuus apud Carthaginenſes fuit, qui cum ſibi mallent a Romanis ſuos reddi, quam eorum tenere captiuos, ad hoc impetrandum, etiã iſtum precipue regulum, cum legatis ſuis, Romam miſerunt, prius iuratione conſtrictum, ſi quod volebãt, minime peregiſſet, rediturum eſſe Carthaginem. Perrexit ille atq; in ſenatu, contraria perſuaſit, quoniam non arbitrabatur vtile eſſe Romanæ reipublice mutare captiuos. Nec poſt hanc perſuaſionem a ſuis ad hoſtes redire compulſus eſt, ſed quod iurauerat, id ſponte repleuit; At illi eum excogitatis atq; horrendis cruciatibus necauerunt. Merito certe laudant virtutem, tã magna infœlicitate maiorẽ. Et per Deos ille iurauerat. Deos certe ſic ille coluit, vt propter iuſiurandi fidem, nec remaneret in patria, nec inde quolibet ire, ſed ad ſuos accerrimos inimicos redire minime dubitaret. Ille enim carere omnibus rebus maluit, quam Deos, per quos iurauit offendere.

cap. 15. tom. 5.

38 Lib. 3. de ciuit. cap. 20.

IDEM narrat Sagunti exitium, quæ ciuitas eſt Hiſpaniæ vulgo (Moruiedro nuncupata) quæ in innumeras incidit calamitates ab Hannibale obſeſſa, ne iuramentum, quod Romanis præſtiterat violaret: miſereq. propter id deleta eſt; iuratione enim illis ſe conſtrinxerat. Huius enim ciuitatis interitus, cauſa fuit illa, quæ de Marco regulo, commemorata fuit, vtriuſque enim interitus cauſa cõſeruatio fidei fuit. Propter hanc enim ad hoſtes, & redire ille noluit, & noluit iſte tranſire.

39 Ser. 30. de verbis Apoſtoli. tom. 10. *Iaco. 5*

IDEM explicans verba illa Iacobi Apoſtoli, ante omnia, nolite iurare, inquit: Dicet, quis Deum iuraſſe, & non eſſe proponendũ de Domino Deo iurationis exemplum, Deus enim eſt, & forte ſoli illi competit iurare, qui non poteſt peierare. Homines enim falſum iurant, vel cum fallunt, vel cum falluntur. Si diſcutiat homo, quoties iuret, per totum diem quoties ſe vulneret, quoties linguæ gladio feriat, & transfigat, quis in illo locus inuenietur ſanus? Iuratio ab ore, non diſcedit, frequentatur, plura ſunt, plerumque iuramenta, quam verba. Quia ergo graue peccatum eſt, peierare, compendium tibi dedit ſcriptura: Nolite iurare. Qui enim iurat, aliquando verum iurare poteſt, qui autem non iurat, mendacium iurare numquam poteſt. Iuret ergo Deus, qui iurat ſecurus, quem nihil fallit, quem nihil latet. Cum enim iurat, ſe adhibet teſtem. Periurium præcipitium eſt. Qui iurat, iuxta eſt, qui non iurat, longe eſt. Fac te ambulare in aliquo loco, vbi a parte dextra, ſpatioſa ſit terra, nec vſquam anguſtias patiaris, a ſiniſtra præceps locus eſt. Vbi eligis ambulare, ſuper finem terræ in labio præcipitij, an inde longe? Puto, quia inde longe. Sic qui iurat, in fine ambulat, & pedibus infirmis, quia humanis. Si offenderis deorſum is, ſi lapſus fueris, deorſum is. Et quid te excipit? Periurij pœna. Ergo volebas verum iurare, audi conſilium Dei, noli iurare. Falſa iuratio exitioſa eſt, vera iuratio periculoſa eſt, nulla iuratio ſecura eſt.

Infra: Ante omnia, nolite iurare. Cum dicit, ante

ante omnia cautos, nos fecit aduerſus linguã noſtram. Ante omnia ait, vt attendatis præ cæteris, vt vigiletis ne ſurrepat vobis conſuetudo iurãdi? Conſidera quoties iures per diẽ, quoties per horam? Non aperis os, niſi a tali iuratione. Nolles, vt diceret tibi ante omnia, vt te aduerſus conſuetudinem intentiſsimum redderet, vt omnes motus linguæ tuæ diligentiſsime conſiderares, eſſes cuſtos malæ cõſuetudinis tuæ? Iurauimus & nos, paſsim habuimus iſtam teterrimam conſuetudinem, & 40 mortiferã. Dico charitati veſtræ, ex quo Deo ſeruire cœpimus, & quantum malum ſit in periurio vidimus, timuimus vehementer, & venenoſiſsimam conſuetudinem timore frænauimus. Frænata reſtringitur, reſtricta lãgueſcit, langueſcens emoritur, & malæ conſuetudini bona ſuccedit. Non dicimus nos non iurare, ſed iuro magna neceſsitate compulſus. cum videro non mihi credi, niſi faciam, & ei, qui mihi non credit, non expedire, quod non credit, hac perpenſa ratione, & conſideratione librata cum magno timore dico, corã Deo, aut teſtis eſt Deus. Sed tamen aliud habet humana peſsima conſuetudo. Et cum tibi creditur, iuras, & cum nemo exigit, iuras, & horrentibus hominibus iuras. Infra de his, qui iuramenta exigunt ab alijs dicit. Et ipſe, qui exigit iurationem, multum intereſt, ſi neſcit ipſum falſum iuraturum, an ſi ſcit. Si enim neſcit, & ideo dicit iura mihi, vt fides ei fiat non audeo dicere, non eſſe peccatum, tamen humana tentatio eſt. Si autem ſcit, & cogit iurare, homicida eſt ille. Ille enim ſuo periurio ſe perimit, ſed ipſe manum interficientis, & expreſsit & preſsit. Iſtam ergo conſuetudinem quotidianam, crebram, ſine cauſa, nullo extorquente, nullo de tuis verbis dubitante iurandi, auertite a vobis. Tantum enim mali habet iuratio, vt qui lapides colunt, timeant falſum iurare per lapides, tu non times Deum præſentem, Deum viuentem, Deum ſcientem, Deum in contẽptores vindicantem? Infra: Ante omnia, fratres mei, obſecro vos ne ſine cauſa me Deus hæc loqui compulerit. Dico enim ſæpe iſtam quæſtionem deuitaſſe, timui enim ne monendo, & præcipuendo, plus reos facerem non audituros, hodie autem plus timui, ne loqui recuſarem, quod loqui iuberer. Admoneat proximus proximũ, hoc eſt, quod hodie audiuimus, hoc eſt, quod obſtricti ſumus. Non fiat hodie, certe cum recens ſermo eſt, expertus loquar, non fiat hodie, pigrius fit cras. Si & cras factum non fuerit, minus laboraturus eſt, qui cuſtodit; adiuuatur enim cõ ſuetudine ſuperioris diei, triduo moritur peſtis, de qua laboramus, & gaudebimus de fructu veſtro.

41 Ser. 11. de ſanctis, qui eſt ſecũdus in decollatione S. Ioãnis Bapt.

IDEM ait: Loquens de Herode, qui occidit Ioannem. Vbi videbat cruentum facinus, timebat reatum periurij; ne Deum offenderet periurando, Deum offendit ſæuiendo. Delemus Herodi conſilium. Si dixerimus, parce Ioanni, periurium ſuademus: ſi dixerimus noli periurare, ad ſcelus implendum pronocamus. Antequam ergo veniatis ad iſtum bicipitem laqueum, tollite de ore veſtro temerarias iurationes, antequam veniatis ad iſtam conſuetudinem malam, moneo fratres meos. Quid opus eſt, vt veniatis ad hunc articulum, vbi non poſſumus inuenire conſilium? Sed vi- 1. Reg. 13 deo pium hominem, & ſanctum in temerariã iurationem incidiſſe, & maluiſſe non facere quod iurauerat, quam iurationem ſuam ſuſo hominis ſanguine implere. Dauid enim iurauerat occiſurum Nabal carmelum, iurauit temere, ſed non impleuit iurationem ſuam maiore pietate. Infra: Si quis prouocauerit te ad iurationem, ſi iuraueris de illa re, quam putat te commiſiſſe, & forſitan non feciſti, ne remaneat in illo mala ſuſpicio. Si iuraueris tu, non ſic peccas, quomodo ille, qui te prouocauit, quia dixit Dominus ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non: quod amplius eſt a malo eſt. Si prouocatus fueris, vt iures ab ipſius malo eſt, qui te prouocauit non a tuo. Et hoc eſt a malo communi totius generis humani, quoniam corda noſtra videre nõ poſſumus. Nam ſi corda noſtra videremus, cui iuraremus? Quando 42 a nobis exigeretur iuratio? quando videretur oculis proximi ipſa cogitatio? Ille autem, qui hominem prouocauit ad iurationem, & ſcit eum falſum eſſe iuraturum, vincit homicidã, quia homicida corpus occiſurus eſt, ille vero animam; immo duas animas, & illius, quem iurare prouocauit & ſuam. Fuit hic homo quidam in hoc populo ſimplex, innocens, bene fidelis ab omnibus vobis hypponenſibus cognitus, Titus hymeni vocatus; ab illo audiui, quod dico: neſcio quis negauit ei, vel quod ei debebatur, & hominis fidei ſe cõmiſit. Commotus prouocauit eum ad iuſiurandum, iurauit ille, iſte perdidit, ſed iſto perdente ille penitus perijt. Dicebat ergo iſte Titus hymeni homo grauis, & fidelis, ipſa nocte ſe exhibitum fuiſſe ad iudicem, & cum magno impetu atque terrore ſe perueniſſe ad præſidẽtem excelſum quendam, & admirabilem virum, cui parebat officium ſimiliter excelſorum, iuſſum fuiſſe perturbatum retro reuocari, & interrogatum fuiſſe his verbis. Quare prouocaſti hominem ad iurationem, quem ſciebas falſum iuraturum? Reſpondit ille; Negauit mihi rem meã. Reſponſum eſt illi, & nonne melius erat vt rem tuam, quam exigebas, perderes, quam animam hominis iſtius falſa iuratione perimeres? Proſtratus eſt, iuſſus eſt cedi. Cæſus eſt tam grauiter, vt in dorſo euigilantis veſtigia plagarum apparerent. Sed dictum eſt illi; Poſtea quam emendatus eſt, parcitur innocentiæ tuæ de cætero, caue ne facias. Fecit ille quidẽ magnum peccatum, & emẽdatus eſt. Sed multo granius peccatũ faciet, qui poſt iſtum meũ ſermonem, & exhortationem tale aliquid fecerit. Cauete a falſa iuratione, cauete a temeraria iuratione. Ab his duobus malis cauebitis, ſi conſuetudinem iurandi a vobis abſtuleritis.

44 Lib. 4. dial. cap. 18. to. 1.

GREGORIVS ſic habet: Quidam vir ci nctis in hac vrbe notiſsimus, ante trienniũ filium

filium habuit, annorum ſicut arbitror quinq; quem nimis carnaliter diligẽs remiſſe nutriebat, atque idem paruulus (quod dictu graue eſt) mox vt eius animo aliquid obſtitiſſet, maieſtatem Dei blaſphemare conſueuerat, qui in hac ante triennium mortalitate percuſſus, venit ad mortem. Cumque eum ſuus pater in ſinu teneret, ſicut hi teſtati ſunt, qui præſentes fuerunt, malignos ad ſe veniſſe ſpiritus trementibus oculis puer aſpiciens, cœpit clamare: obſta pater, obſta pater, qui clamans declinauit faciem, vt ſe ab eis in ſinu patris abſconderet. Quem cum ille trementem requireret, quid videret puer adiũxit, dicens; Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt, qui eum hoc dixiſſet maieſtatis nomen protinus blaſphemauit, & animã reddidit. Vt enim omnipotens Deus oſtenderet, pro quo reatu talibus fuiſſet traditus executoribus, vnde viuentem pater ſuus noluit corrigere, hoc morientem permiſit iterare, vt qui diu per diuinitatis patientiam blaſphemus vixerat, quandoq; per diuinitatis iudicium blaſphemaret, & moreretur, quatenus reatum ſuum pater eius agnoſceret, qui paruuli filij animam negligens, non paruulum peccatorem gehennæ ignibus nutriſſet.

Iuſti ſecundum varias conſiderationes perfecti, ac imperfecti ſunt, ac dicuntur. Cap. XII.

1 Hom. 2. expoſit. 2. in Cant. to. 2.

ORIGENES explicans verba illa; Indica mihi vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ait: Sponſum percontatur ſponſa, in quibus amœnitatibus meridianos percurrat æſtus, meridiem appellans illa cordis ſecreta, quibus clariorem ſcientiæ lucẽ a verbo Dei anima conſequitur. Hoc enim tempus eſt, quo ſol excelſiorem circuitus ſui verticem tenet. Si quando ergo ſol iuſtitiæ Chriſtus, Eccleſiæ ſuæ excelſa, & ardua virtutum ſuarum ſecreta manifeſtat, amœna eam paſcua, cubiliaq. meridiana videbitur edocere. Nam cum adhuc initia habet diſcendi, & prima (vt ita dicam) ab eo ſcientiæ ſuſcipit rudimenta tunc dicit propheta: Adiuuabit eam mane diluculo. Nunc ergo, quia perfectiora iam quærit, & excelſiora deſiderat, meridianum ſcientiæ lumen expoſcit. Hinc puto, & Abrahæ poſt multas eruditiones, quibus apparens ei Deus, imbuit eum de ſingulis, & docuit, poſt refertur, quia viſus eſt ei Deus ad quercum Mambre ſedenti ad oſtium tabernaculi ſui meridie. Si enim lux, quæ in hominis eſt mente, & puritas cordis clara fuerit & ſplẽdida, iſte meridianum tempus in ſemetipſo habere videbitur, & per hanc puritatem cordis, quaſi in meridie poſitus, Deum videbit. Foriſq. ſedet ad oſtium tabernaculi. Foris etenim eſt extra corpus poſita mens eius, qui longe eſt a corporalibus cogitationibus, longe a carnalibus deſiderijs, & ideo ab his omnibus foris poſitum viſitat Deus. Eiuſdem quoque myſterij eſt, quòd Ioſeph fratres ſuos ſuſcepit in Ægypto in meridie eos paſcit, & in meridie adorant eum cum muneribus.

2 Lib. 1. aduerſus Pelagianos. to. 2.

HIERONYMVS inquit; ad Philippẽſes Paulus ait: Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, curro autem ſi quomodo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Ieſu. Fratres, ego me non arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea vero, quæ ſunt priora extendens me ipſum, ad brauium perſequor ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu. Quotquot ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus, & ſi quid aliter ſapitis, & hoc vobis Deus reuelauit. Dicit ſe nondum comprehendiſſe, & nequaquam eſſe perfectum, ſed inſtar ſagittarij ad ſignum iacula dirigere. Et aſſerit præteritorũ ſe ſemper obliuiſci, & ad priora ſemper extendi, per quæ docet præterita negligenda, & futura cupienda, vt quod hodie perfectum putauit, dum ad meliora & priora extenditur, cras imperfectum fuiſſe conuincat. Atque ita per ſingulos gradus, dum nunquam in ſtatione, ſed ſemper in curſu eſt imperfectum doceat, quod homines putabamus eſſe perfectum, ſolamq. perfectionem, & veram iuſtitiam Dei tantũ virtutibus coaptandam. Secundum propoſitum, inquit, perſequor ad brauium ſupernæ vocationis. O Paule dicis te nondum accepiſſe, & necdum comprehendiſſe, & necdum eſſe perfectum, & præteritorum ſemper obliuiſci, & ad priora te extẽdi, ſi quomodo poſsis occurrere in reſurrectione mortuorum, & conſequi brauium ſupernę vocationis? Et quomodo ſtatim infers quotquot ergo perfecti ſumus, hoc ſapiamus? Comprehendiſſe quod non cõprehendimus, accepiſſe quod non accepimus eſſe perfectos, qui nondum perfecti ſumus? Quid ergo ſapimus, immo quid ſapere debemus, qui perfecti non ſumus. Imperfectos nos eſſe confiteris, & necdum comprehendiſſe, necdum accepiſſe. Hæc eſt hominis vera ſapientia imperfectum eſſe, ſe noſſe, atque, vt ita loquar cunctorum in carne iuſtorum imperfecta perfectio eſt. Rem nouam audio. Qui paulo ante dixerat, nõ quòd iam acceperim, aut iam perfectus ſim, & vas electionis, qui pro confidentia habitantis in ſe Chriſti audebat loqui; an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. & tamen ſimpliciter fatebatur ſe non eſſe perfectum, nunc quod ſibi proprie denegabat, mittit in turbam, iungitq. ſe cum ceteris, & ait quotquot ergo perfecti ſumus hoc ſentiamus. Sed qua ratione hoc dixerit exponit in ſequentibus. Hoc inquit ſapiamus, qui volumus ſecundum humanæ fragilitatis modulum eſſe perfecti, necdum nos accepiſſe, necdum comprehendiſſe, necdum eſſe perfectos. Ex quo perſpicuum eſt duas in ſcripturis ſanctis eſſe perfectiones. Primã perfectionem & incomparabilem veritatem perfectamq. iuſtitiam Dei virtutibus coaptandam, ſecundã autem, quæ competit noſtræ fragilitati, iuxta illud

Pſal. 142. illud, quod in pſalmis dicitur: Non iuſtificabitur in cõſpectu tuo omnis viuens, ad eam iuſtitiã, quæ non cõparatione, ſed Dei ſciẽtia dicitur eſſe perfecta. Iob quoque, & Zacharias, & Eliſabeth iuſti dicti ſunt ſecundum eam iuſtitiam, quæ poſsit in iniuſtitiam aliquando mutari, & non ſecundum illam, quæ nunquam mutari poteſt, de qua dicitur: Ego Deus, & non mutor. Et hoc eſt, quod Apoſtolus alio loco ſcribit: Etenim nõ eſt glorificatum, quod glorificatum eſt propter excellentem gloriam, quod videlicet legis iuſtitia ad comparationem Euangelicæ gratiæ, non videatur eſſe iuſtitia. Si enim, ait, quod deſtruitur, glorioſum eſt, multo magis quod permanet, erit in gloria. Et iterum: Ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Cum autẽ venerit, quod perfectum eſt euacuabitur, quid ex parte eſt. Et videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognoſco ex parte, tunc cognoſcã ſicut & cognitus ſum. Et in pſalmis: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam. Et iterum: exiſtimabam, vt cognoſcerem, hoc labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuariũ Dei, & intelligam in nouiſsimis eorum. Et Hieremias: Stultus eſt omnis homo a ſcientia. Et idem Paulus: Fatuum, ſeu ſtultum Dei ſapientius eſt hominibus. Vnde conſtat quòd comparatione Dei, nulla creatura poteſt eſſe perfecta, ſecundumq. verã, conſummataq. iuſtitiam. Ceterum alium differre ab alio, & diuerſas eſſe in hominibus iuſtitias; nulli dubium eſt, & vel maiorem eſſe alium, vel minorem, & tamen ſecundum ſtatum, & menſuram ſuam poſſe iuſtos nominari, qui aliorum comparatione iuſti nõ ſunt. Stella a ſtella differt in claritate, & in vno corpore Eccleſiæ membra diuerſa ſunt. Habet ſol fulgorem ſuum, luna quoque noctis tenebras temperat, & innumerabiles aliæ ſunt ſtellæ, quas micare in firmamento cernimus. In ſingulis diuerſa ſunt lumina, & tamen in ſuo vnaquæque perfecta eſt, ita dumtaxat, vt comparatione maioris perfectionę careat. Vnde Apoſtolus dicit: Nunquid omnes Apoſtoli? Nunquid omnes prophetæ? Nunquid omnes doctores? Nunquid omnes donationes habent ſanitatum? Nunquid omnes linguis loquuntur? Nunquid omnes interpretantur? Æmulamini dona maiora, omnia autem hæc operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult. In domo magna vaſa diuerſa ſunt, alia aurea, alia argentea, ænea, ferrea, ligneaq. Et tamen ſecundum modulum ſuum cum æneum vas perfectum ſit comparatione argẽtei vaſis imperfectum dicitur, rurſumq. argẽteum aurei collatione deterius eſt. Atque hoc modo dum ſibi inuicem comparantur imperfecta, & perfecta ſunt omnia. In agro terræ bonæ ex vna ſemente trecenarius, & ſexagenarius, & centenarius fructus, fructus exoritur, ipſis numeris indicatur impar eſſe, quod naſcitur, & tamen in ſuo genere perfecta ſunt ſingula. Ex quibus omnibus conſtat non ſolum ad comparationem diuinæ maieſtatis homines nequaquam eſſe perfectos, ſed ne angelorum quidem & ceterorum hominum, qui virtutum culmina cõſcenderunt, cum & tu, qui melior es alterius collatione, quem imperfectum eſſe moſtraueris, rurſum ab alio te præeunte vincaris ac per hoc non habeas veram perfectionem, quæ ſi perfecta ſit, nulla re indiget. Prouocat autem diuinus ſermo ad perfectionem, vt ſecundum vires noſtras vnuſquiſque noſtrorum quantum valuerit extendatur, ſi quomodo valuerit peruenire, & comprehendere brauium ſupernæ vocationis. In beatitudine autem, vbi cuncta perfecta erunt, erit Deus omnia in omnibus. Nunc autem ex parte prophetamus, & ex parte cognoſcimus. Nec enim poſſunt omnia eſſe in omnibus hominibus. Perfectus ergo erit ſanctus in eo, quod fecit, & imperfectum in eo quod facere non potuit.

Luc. 1.

2. Cor. 3.

4

1. Cor. 13.

Pſal. 138.

1. Cor. 1.

1. Cor. 15.

3

1. Cor. 12.

6 Lib. 7. de natura, & gratia cõtra Pelagianos. tomo 7.

AVGVSTINVS explicans locum pſalmi, Quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, ait: Teſtimoniũ hoc, & alia huiuſmodi ſic intelligi poſſunt, vt perfectam plenamq. iuſtitiam, cui nihil prorſus addendum ſit, dum in hoc corpore viuimus, conſequi non poſſumus. Infra: Abſtinet ſe ab omni re mala, qui habet peccatum, quod in ſe regnare non ſinit, cui ſurrepit improbandæ cogitatio, quam peruenire ad finem operis non permittit. Sed aliud eſt non habere peccatum, aliud non obedire deſiderijs eius. Aliud eſt implere, quod præceptum eſt non concupiſces, & aliud eſt per quendam abſtinentiæ conatum ſaltem id agere, quod item ſcriptum eſt: Poſt cõcupiſcentias tuas ne eas. Facere eſt ergo iuſtitiã in vero Dei cultu cum interno concupiſcentiæ malo interna conflictatione pugnare, perficere autem, omnino aduerſarium non habere. Nam qui pugnat, & adhuc perclitatur, & aliquando percutitur, etiam ſi nõ ſternitur. Qui autem non habet aduerſarium plena pace lætatur, & ipſe eſſe ſine peccato veriſsime dicitur, in quo nullum habitat peccatum, non qui per abſtinentiam mali operis dicit, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum.

Pſal. 142.

Rom. 7.

7 Lib. 3. cõtra duas epiſtolas Pelagianorũ ad Bonifacium.

IDEM conciliat duo loca Pauli ad Philippenſes 3. Non quod iam acceperim, aut iam perfectus ſim, fratres, ego me non arbitror cõprehendiſſe. Et paulo poſt, qui ſe negauerat eſſe perfectum. Quotquot ergo perfecti, inquit, ſumus, hoc ſentiamus. In quibus verbis oſtendit, ſecundum iſtius vitæ modũ eſſe quandam perfectionem, eiq. perfectioni hoc quoque deputari, ſi ſe quiſque nouerit, nondum eſſe perfectum. Infra: Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem. Hic dictum eſt, beati, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, in cælo autem, quoniam ipſi ſaturabuntur. Quis igitur ita non ſolum a diuino, ſed a ſenſu quoq; abhorret humano, qui dicat in homine tantam eſſe poſſe iuſtitiam, cũ ab illo eſuritur, & ſitiatur, quanta erit cum ex illa ſaturabitur? Quã vero eſt non dico impudens, ſed inſana ſuperbia nondum eſſe æquales

1. Cor. 13.

angelis Dei, & putare se iam posse habere iustitiam æqualem angelis Dei, nec intueri tam magnum, & spiritualem virum, qui vtique ipsam iustitiæ perfectionem esuriebat, & sitiebat, quãdo magnitudine reuelationum noluit extolli, & datus est ei angelus satanæ, audiuitq. nam virtus in infirmitate perficitur. Huius igitur iustitiæ perfectione sunt prædi ti angeli Dei in cælo. Hanc perfectionem virtutis vtique nõdum habebat Apostolus Paulus, sed inerat ei extollendi se infirmitas. Et quid est virtus in infirmitate perficitur, nisi quia in isto loco infirmitatis hactenus perfectio potest esse virtutis, vt in ipsa infirmitate præsente elatio reprimatur? Ex quo factum est, virtutem, quę nunc est in homine iusto perfectam hactenus numerari, vt ad eius perfectionem pertineat etiam ipsius imperfectionis, & in veritate cognitio, & in humilitate confessio. Tunc enim est secundum hanc infirmitatẽ pro suo modulo perfecta ista parua iustitia, quando etiam, quid sibi desit intelligit. Ideoq. Apostolus, & imperfectum, & perfectum se dicit. Imperfectum, scilicet cogitando quantum illi ad iustitiam desit, cuius plenitudinem adhuc esurit, & sitit. Perfectum autem, quod & suam imperfectionem confiteri non erubescit, & vt perueniat, bene procedit, sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cuius bene promouetur accessio, quamuis nõ perficiatur intentio, nisi fuerit facta peruentio. Infra: Cum dixerit Paulus secundum iustitiam, quæ ex lege est, fuisse sine querela, mox addit: Quæ mihi lucra fuerunt, hæc propter Christũ damna esse duxi. Nimis insipienter dicitur, tãtum amari Deum ante quam videatur, quantum amabitur, cum videbitur. Porro si in hac vita pio nemine dubitante, quanto amplius diligimus Deum tanto vtique sumus iustiores, quis dubitet piam veramq. iustitiam, cum fuerit dilectio Dei perfecta tunc perfici? Hęc omnia nondum plena, & perfecta in Apostolo erant, sed tanquam in via positus ad eorum plenitudinem, perfectionemq. currebat. Infra: Admonẽs Paulus eos, qui possent iustitiæ plenitudine iam se putare perfectos. Quot ergo, inquit, perfecti sumus hoc sapiamus, tanquam diceret, si secundum hominis mortalis capacitatẽ pro huius vitæ modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectionem hoc quoque pertinere intelligamus, vt angelica illa, quæ in Christi manifestatione nobis erit iustitia, nõdum nos perfectos esse sapiamus. Licet ergo nõ immerito in aliquibus iustis pro huius vitæ capacitate perfecta dicitur iustitia, parua tamen est ad illam magnam, quam capit æqualitas angelorum. Qua qui nondum habebat, & propter illam, quæ iam inerat perfectum, & propter istam, quæ adhuc deerat, imperfectum se esse dicebat.

Phil. 3.

9 In Psal. 5. to. 8.

IDEM explicans illa verba; Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo, inquit: Ad templum, sicut prope templum intelligimus. Non enim ait, Adorabo in templo sancto tuo, sed adorabo ad templum sanctũ tuum. Intelligendum etiam est, non de perfectione, sed de progressu ad perfectionem dictum esse, Vt illud perfectionem significet; introibo in domum tuam: sed vt hoc proueniat prius adorabo, inquit, ad templum sanctum tuum. Domine deduc me in tua iustitia. Satis hic declarauit in profectione se esse, ideſt in profectu ad perfectionem nondũ in ipsa perfectione, quando vt deducatur, exoptat.

10 In Psal. 38.

IDEM exponens verba illa; Notum fac mihi Domine finem meũ, ait: Transilui quædam, & veni ad quædam, & ea, in quæ veni meliora sunt eis, a quibus transiliui, sed restat adhuc quod transiliendum sit. Finem meum notum mihi fac. Finem, qui mihi deest non cursum, qui mihi adest. Finem illum dicit, quem currens intuebatur Apostolus, & de sua imperfectione confitebatur, aliud in se intuens, aliud alibi quærens. Ait enim non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim, fratres ego me non arbitror apprehendisse, nondum perfectus sum. Curramus. intendamus, in via sumus, nec tam sis securus ex eis, quæ transisti quam solicitus pro eis, ad quæ nondum peruenisti. Hoc desiderauit Dauid notum sibi fieri, cum hic esset, vt sciret quid sibi deesset, & non tam gauderet de his, ad quę peruenerat, quam & desideraret ea, ad quæ nondum peruenerat.

Phil. 3.

11 Tract. 41. in Ioan. to. 9.

IDEM exponens verba illa; Si filius vos liberauerit tunc vere liberi eritis, sic habet: Libertas alia est in hac vita, alia in futuro. In hac vita nullus liber est a peccato. Quis enim mundus? nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. In hac vita inchoata est, nõ perfecta libertas. Quare non est perfecta libertas? Quia video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ, nõ enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum illud facio. Caro, inquit, concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, vt non ea, quæ vultis illa faciatis, ex parte libertas, ex parte seruitus, nondum tota, nondum pura, nondum perfecta libertas, quia nondum plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, & ex parte accepimus libertatem. Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Ecce vnde libertas, inde liberi, vnde cõdelectamur legi Dei. Delectat me lex, delectat me quod iubet lex, delectat me ipsa iustitia. Videa autem aliã legem in mẽbris meis. Ecce quæ remansit infirmitas. Ex hac parte sentit captiuitatem vbi, non est impleta iustitia. Nam vbi condelectatur legi Dei, non captiuus, sed legis amicus est. Sed si carni seruis legi peccati, fac quod ait ipse Apostolus; Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ad obediendum desiderijs eius, neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato. Non ait, non sit, sed non regnet. Quandiu viuis, peccatũ necesse est esse in mẽbris tuis, saltem illi regnum auferatur, nõ fiat quod iubet. Surgit ira, noli dare iræ linguam ad maledicendum, noli dare iræ manum, aut pedem ad feriendum, non surgeret ista ira irrationabilis, nisi peccatum esset in membris, sed

Rom. 7.

Gal. 5.

12

Rom. 6.

sed tolle illi regnum, non habeat arma vnde contra te pugnet, discet etiam non surgere, cũ arma non cœperit inuenire. Fræna irã, coërce concupiscentiam, inest tamen quod frænetur, quod coërceatur. Quid autem volebat ille iustus mente, seruiens legi Dei, nisi vt omnino non esset quod frænaretur? Et hoc debet conari omnis, qui tendit ad perfectionem, vt ipsa concupiscentia minuatur. Perficere bonum non inueniebat Paulus, quia non poterat facere, vt non concupisceret, faciebat tantum vt concupiscentiam refrænaret, post concupiscentias non vadens.

Iusti & impij dicuntur domini, serui, ac compediti in sacra Scriptura, sed differenter. Cap. XIII.

1 Homil. 7. in Gen. to. 1.

ORIGENES ait: Duo sunt filij Abraham, vnus de ancilla, & vnus de libera, vterque tamen filius Abraham, licet non vterq; de libera. omnes, qui per fidem veniũt ad agnitionem Dei possunt filij Abrahæ dici. Sed in his sunt aliqui pro charitate adhærentes Deo, alij pro timore futuri iudicij. iste, qui in charitate perfectus est, & de Abraham nascitur, & filius liberæ est. Qui vero futuræ pœnæ metu mandata custodit, de ancilla est filius Abrahæ. De quo dicit Paulus: Quãto tempore heres paruulus est, nihil differt a seruo. Si vero relinquens initiorum Christi sermonem ad perfectionem feratur, & quę sursum sunt quærat, ex illis erit, qui non accipiũt spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis in quo clamat, Abba pater.

Galat. 4.

Rom. 8.

2 Hom. 15. in Genesim.

IDEM explicans verba illa, quæ Iacob dicta sunt de Ioseph, Filius tuus Ioseph viuit, & dominatur in omni terra Aegypti, inquit: Cal care libidinem, fugere luxuriam, omnesq. voluptates corporis premere, ac frænare, hoc est principatum gerere totius Aegypti. Si quis vero est, qui aliqua quidẽ vitia corporis subiuget, alijs vero cedat, de isto non integre dicitur, quia principatum agit totius terræ Aegypti, sed vnius, aut alterius ciuitatis: Ioseph vero, cui nulla corporis libido dominata est totius Aegypti princeps, & dominus fuit.

3 Hom. 16. in c. 47. Gen.

IDEM explicans quomodo omnes Aegyptios premẽte fame, Pharao in seruitutem redegit, ait; Pharao populum sibi in seruitutem redegit, nec aliquem intra Aegyptiorum fines liberum dereliquit, sed in omni terra Aegypti libertas adempta est. Factaq. est Aegyptus domus seruitutis, & quod est infelicius volũtariæ seruitutis. Nam de Hebræis quamuis legatur, quia in seruitutem redacti sunt, & quia iugum dominationis pertulerint, violenter tamen ad hoc memorantur addicti. Scriptum est enim, quia Aegyptij oderant filios Israel, & per potentiam opprimebant eos violenter, & affligebant vitam eorum in operibus duris luti, & lateris, in quibus omnibus in seruitutem eos redigebãt cum vi. Hebræi violenter scribuntur in seruitutẽ redacti, quibus naturalis inerat libertas, quæ non eis facile, sed per vim extorquebatur; Pharao vero Aegyptium populum facile sibi in seruitutem redegit. Procliues enim sunt Aegyptij ad degenerem vitã, & cito ad omnem famulatum decidunt vitiorum. Respice ad originem generis, & inuenies, quòd pater eorum Cham, qui nuditatem riserat patris huiusmodi sententiam meruit, vt filius eius Chanaan seruus esset fratribus suis, quo in eo nequitiã morum argueret conditio seruitutis. Hebræi vero etiam si in seruitutem redigantur, etiam si tyrannidem patiãtur ab Aegyptijs violenter, & necessitate patiuntur. Idcirco ergo liberantur de domo seruitutis, & ad libertatem pristinam, quam inuiti amiserant, reuocantur. Denique etiam diuinis legibus cauetur, vt si forte emerit quis Hebræum seruum, non eum perpetua seruitute possideat, sed sex annis seruiat ei, septimo vero anno exeat liber. De Aegyptijs vero nihil tale cẽsetur, nec vsquam diuina lex curam gerit libertatis Aegyptiæ, qui eam sponte perdiderant, sed æterno eos conditionis iugo, ac seruituti perpetuæ dereliquit. Hæc ergo si intelligamus spiritualiter, quæ sit Aegyptiorum seruitus agnoscimus, quia seruire Aegyptijs nihil aliud est, quam obnoxium fieri carnalibus vitijs, & dæmonibus esse subiectum. In quod vtique vnumquemque non extrinsecus illata necessitas cogit, sed segnities animi, & libido, ac voluptas corporis subigit, cui se animus per concordiam subdit. Qui vero libertatis animæ curam gerit, & dignitatem mentis cælesti cogitatione nobilitat, iste ex filijs Israel est. Qui etiam si violenter opprimatur ad tempus, nõ tamen libertatem suam in perpetuum perdit. Denique & Saluator in Euangelio de libertate, & seruitute differens, ait: omnis, qui peccat, seruus est peccati. Et iterum dicit: Si cognoueritis veritatem, veritas liberabit vos.

4 Deut. 15.

Ioan. 8.

5 Homil. 8. in c. 20. Exod.

IDEM exponens verba illa; Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo seruitutis, sic habet: Hæc de te dicta sunt, si vltra Aegyptijs non seruias. Vide si non negotia sæculi, & actus carnis domus est seruitutis. Sicut rursum e contrario relinquere sæcularia, & secũdum Deum viuere domus est libertatis. Ergo Aegyptus domus est seruitutis: Iudæa vero, & Hierusalem domus est libertatis. Sicut Aegyptus ista terrena prouincia filijs Israel domus dicitur seruitutis, ad comparationem Iudææ, & Hierusalem, quæ eis domus efficitur libertatis, ita ad comparationem cælestis Hierusalem, quæ (vt ita dicam) mater est libertatis, totus hic mundus, & omnia, quæ in hoc mundo sunt, domus est seruitutis. Et quoniam de paradiso libertatis pro pœna peccati ad huiusmodi ventum fuerat seruitutem, idcirco primus sermo decalogi, ideſt prima mandatorum Dei vox de libertate profertur, dicẽs: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti de domo

serui-

seruitutis. Hanc vocem in Aegypto positus audire non poteras. Sed ne inde quidem profectus in prima mansione, nec in secunda, nec in tertia, nec cum transires rubrum mare, sed cum peruueneris ad montem Syna. Multis ergo ante laboribus peractis, multis ærumnis & tentationibus superatis, vix aliquando mereberis præcepta suscipere libertatis, & audire a Domino: Ego Dominus, qui eduxi te de domo seruitutis.

6 Homil. 6. in lib. Iudicū. IDEM explicans verba illa capitis quinti de cantico Deborę; Audite reges, &c. ait: Reges appellat eos, qui conuocantur ad audiendum verbum Dei. Exulta populę Dei audiens tuæ nobilitatis insignia. Tibi dictum est, regale genus, populus in acquisitionem, ideo quia vos reges estis, merito rex noster Christus Dominus rex regum dicitur, & Dominus dominantium. Regem te omnium esse facit, si regnet Christus in te. Rex namque a regendo dictus est. Si ergo, & in te animus regnat, & corpus obtemperat, si concupiscentias carnis sub iugum imperij tui mittas, si vitiorum gētes sobrietatis tuæ frēnis arctioribus premas, merito rex diceris, qui te recte regere noueris. Cum ergo talis fueris effectus, digne vt rex ad audienda diuina verba vocaberis.

7 Libro 1. in cap. 1. epist. ad Roman. tom. 3. IDEM explicans illa verba: Paulus seruus Iesu Christi, cui seruio, sic habet. Cur seruus dicitur is, qui alibi scribit, non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Et iterum: quia estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda nostra clamantem; Abba pater. Itaque iam non est seruus, sed filius: Quomodo ergo se seruum confitetur? Siue id secundum illam humilitatem dictum putemus, quam Dominus docuit, dicens: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, non errabimus. Neque enim per hoc lædetur veritas libertatis in Paulo. Dicit enim, & ipse: nam cum liber sim ab omnibus hominibus, me seruum feci. Seruit ergo Christo non in spiritu seruitutis, sed in spiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior est seruitus Christi. Alibi dicit: Qui seruus vocatus est, libertus est Domini. Libertus enim neque ex integro liber, neque ex integro seruus est appellatus. Seruus est Paulus sapientię, iustitiæ, veritatis, & omnium omnino virtutū. Sed & illud (si videtur) in hoc loco addimus, quòd sicut scientia, quæ nunc datur sanctis, est per speculum in ænigmate, ita & libertas, quæ nunc sanctis præstatur, nōdum plena libertas est, sed velut per speculū: & ideo sancti seruos se esse dicunt ad comparationem illius libertatis, quæ est in cælo. Quomodo etenim potest in carne quis positus, adipisci integrā libertatem, vt in nullo iam seruiat carni? Sicut nec adoptionem filiorum, quis in corpore positus habere, quis ex integro potest? Atq; vtinam hoc saltem obtinere quis in hac vita possit, vt seruus quis Christi ex integro fiat. Non carni, non sanguini, non vanæ gloriæ, non cupiditati, non auaritiæ, non iracundiæ, non inuidiæ, sed qui soli Christo, idest, omnibus simul virtutibus seruiat.

Matt. 11.

1. Cor. 9.

1. Cor. 7.

CHRYSOSTOMVS ait: Reges efficimur, si voluerimus absurdis imperare cupiditatibus; nam is demum regnat, & quidē verius, quàm qui diademate cinctus est. Rex multos habet exercitus: at nos lōge plures habemus cogitationes. Quæ res alia facit regē? vestes? At hic melioribus indutus est, potioremq. gestat stolam, quam neq; tinea exedit, neq; tempus consumit. Deinde variam gestat coronā, tum eam, quæ est gloriæ, tum eam, quæ est miserationū Dei. Ait enim: Benedic anima mea Domino, qui te coronat in misericordia, & miserationibus. Rex dominatur, satellitibus omnibus imperat, & obediunt omnes, eiq. inseruiunt: iusto subduntur cogitationes. Patriarcha Abraham, cum iuberetur interficere filiū, cogita quàm multæ cogitationes tūc insurrexerint in illum, & tamē subegit omnes: omnes illum metuebāt magis quàm regem, metuunt satellites, omnesq. solo oculorum intuitu compescuit, nec vlla illarum ausa est erumpere, sed submittebāt vultus ac velut Imperatori cedebant vniuersæ, quamuis erāt acerrimæ omnes. Attamen tot cogitationibus in illum armatis, multa erat tranquillitas, stabant cōpositę omnes ornantes illum verius quam terrentes.

8 Homil. 3. in 2. epist. ad Corin. to. 4.

Gen. 22.

IDEM inquit: Quid iuuat integris gentibus dominari, si serui perturbationū sumus? Quid nocet nulli hominum principari, & si vitiorum tyrannide celsiores sumus? Istud summa libertas, istud imperium, istud regnū, atq; potestas, illa vero omnia misera seruitus quātūlibet coronas innumeras quis habeat. Quomodo enim illi intus dominorum multitudo imperat, auaritia scilicet, ira, libido, & perturbationes reliquæ. Diadema quid prodest? Acriore tutior tyrannide premitur, quando illum, quominus subditus sit corona nequit eripere. Quemadmodum si apud Barbaros detineretur seruus, quisquā rex, & illi ad maioris seruitutis indicium, neque purpuram, neq; diadema auferant, sed cum illis insignibus, & aquas ferre, & coquere, & alia inferre ministeria iubeant ad maiorem, & sui honorem, & ignominiam illius, ita Barbaris omnibus immanius vitia ista imminent nobis. Nam qui ista cōtemnit Barbaros quoque irridebit, qui vero succumbit, longo diriora ab his, quam a Barbaris patietur. Quippe Barbari, cum prevalent viribus, concidunt corpus: hæc vero animam cruciant, & omni ex parte dilaniant. Barbarus victor tēporali tradit neci: hæc autem in æternam præcipitant mortem. Solus ergo liber est ille, qui libertatem intrinsecus habet, sicut ille seruus est, qui succumbit irrationabilibus vitijs.

9 Hom. 18. in 1. epist. ad Tim.

10 In epist. ad Fabiolā, de quadragin. ta duabus māsionibus to. 3. Cant. 2.

HIERONYMVS ait: Duplicia sunt in scripturis vincula, quæ quandiu rupit Samson, vicit inimicos. vincula Christi voluntaria sunt, & vertuntur in amplexus. Quicumq; his fuerit colligatus, dicet, læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Præcepta virtutum vincula putemus ęterna, iuxta illud, quod

Isa. 45. quod in Isaia dicitur: Et Sabaim viri sublimes ad te transibunt, & tui erunt, post te ambulabunt vincti manicis. Et Paulus vinctus est Iesu Christi. Alia vincula sunt mala, sicut de meretrice legimus, vinculum in manibus eius. Et ex persona Domini dicentis: Dirūpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis iugum ipsorum. Et alibi: Laqueus contritus est, & nos liberati sumus.

Eph. 3.

Eccli. 7.

Psal. 2.

Psal. 123.

11 Lib. 2. in c. 4. epist. ad Galat. to. 6. IDEM explicans verba illa: Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera, inquit: Si serui sumus peccati Agar nos generauit Aegyptia. Vnde dicentibus iudæis Domino: Semen Abrahæ sumus, & nemini seruiuimus vmquam, respondit Dominus: Omnis, qui facit peccatū, seruus est peccati; seruus autem non manet in domo in æternum, filius autem manet in æternum. Si non regnat peccatum in nostro mortali corpore, vere Dei filij sumus. Infra: Cum Apostolo dicamus: Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, & audiamus renouati vocem Domini dicentis: si manseritis in sermone meo, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. Hac libertate, & Apostolus liberatus aiebat: cum enim sim liber ex omnibus. Qui facit peccatum, seruus peccati est, ille quia se ex omnibus vitijs liberum ab omni concupiscentia & errore sciebat alienum, recte in Christi libertate gaudebat, dicens: Non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

Ioan. 8.

Rom. 6.

Ioan. 8.

1. Cor. 9.

Galat. 4.

12 In Psal. 78. to. 3. AVGVSTINVS explicans verba illa; Intret in conspectu tuo gemitus compeditorum, ait: Compedes sunt infirmitas, & corruptibilitas corporis, quæ aggrauāt animam. Ab his compedibus concupiscebat dissolui Apostolus, & esse cum Christo. Donec ergo corruptibile hoc induat incorruptionem, & mortale hoc induat immortalitatem, velut compedibus caro infirma impedit promptum spiritum. Has compedes non sentiunt, nisi qui in semetipsis ingemiscunt grauati, habitaculum, quod de cælo est, superindui cupientes. Pro his propheta gemitibus ingemit, vt intret in cōspectu Dei gemitus compeditorum. Possunt, & illi intelligi compediti, qui præceptis sapientiæ colligati sunt, quæ patienter sustentata in ornamenta vertūtur. Vnde scriptum est: Inijce pedem tuum in compedes eius.

Phil. 1.

1. Cor. 15.

2. Cor. 5.

13 Cōcione 2. In Ps. 101. IDEM exponens verba illa; Dominus de cælo in terram prospexit, vt audiret gemitus compeditorum, sic habet: Agnoscuntur compedes disciplinæ Dei, & timoris eius. Per quem timorem non timuerunt serui Dei eos, qui corpus occidebant, quia eum timebant, qui corpus & animam potest occidere in gehennam. Nisi enim compedibus timoris huius ligati essent martyres, quando illa omnia dura, & molesta sustinerent a persecutoribus suis, quando eis liberum erat facere quod cogebantur, & euadere quod patiebantur? Sed alligauerat eos Dominus istis compedibus, duris quidem, & molestis ad tempus, sed tolerandis propter promissa eius, cui dicitur: propter verba labiorum tuorum, ego custodiui vias duras. Gemendum quidem est in his cōpedibus ad impetrādam misericordiam Dei; vnde vox martyrum est in alio psalmo: Intret in conspectu tuo gemitus compeditorū. Non tamen euitandæ sunt tales compedes, vt appetatur perniciosa libertas. Proinde scriptura, ne recusemus esse compediti sapientiæ, sic nos alloquitur: audi fili, & excipe sententiam meam, & ne abijcias consilium meum, & infer pedem tuum in compedes illius, & in torquem eius collum tuum, subijce humerum tuum, & porta illam, & ne oderis vincula eius, in omni anima tua accede ad illam, & in omni virtute tua serua vias eius, inuestiga, & inquire, & innotescet tibi, & continens factus, ne derelinquas eam, in nouissimis enim inuenies requiem eius, & conuertetur tibi in lætitiam, & erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis, & torques illius in stolam gloriæ, decus enim aureum est in illa, & vincula illius fila hyacinthina, stolam gloriæ indues eam, & coronam exultationis superpones tibi. Clament ergo compediti quamdiu sunt in vinculis disciplinæ Dei, in qua sunt exercitati martyres, soluētur compedes & volabunt, & eadem ipsa postea in ornamentum conuertuntur. Quid enim persecutores occidendo martyres fecerūt, nisi vt compedes soluerentur, & in coronas conuerterentur? De cælo ergo respexit Dominus, vt audiret gemitus compeditorum, vt soluat filios mortificatorum. Mortificantur illi, filij autem mortificatorum nos sumus. Quomodo autem soluimur nos, nisi cum dicimus ei, dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis? Soluitur autem vnusquisq; a vinculis cupiditatum malarum, vel a nodis peccatorum suorum, sicut Lazarus egressus de monumento soluitur, & iubetur abire.

Psal. 26.

Psal. 78.

Psal. 115.

Ioan. 12.

14 Lib. 30. Moral. cap. 12. to. 1. GREGORIVS explicās verba illa Iob cap. 39. Quis dimisit onagrum liberum in solitudinem, & vincula eius quis soluit, inquit: Onager, qui in solitudine commoratur, nō incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis secularibus cōuersantur. Qui apte etiā liber dicitur, quia magna est seruitus secularium negotiorum, quibus mens vehementer atteritur, quamuis in eis spōte desudet. Cuius seruitutis cōditione carere, est in mundo iam nil concupiscere. Quasi enim quodā iugo seruitutis premunt prospera, dum appetuntur, premunt aduersa, dum formidantur. At si quis semel a dominatione desideriorum temporalis colla mentis excusserit, quadam iam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum Dominus vidit secularīū ceruicibus impressum, cum diceret: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inue-

Matt. 11.

nietis requiem animabus vestris. Iugum meũ suaue est, & onus meum leue. Asperum quippe iugum, & duræ sicut diximus seruitutis est põdus, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desiderijs ab appetitione rerum temporalium, securitate mentis exoneratur. Soluit Deus onagri vincula quãdo ab electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne, quod illectam mentem tenebat, ac ligabat.

Iusti, qui peregrini sunt, dum viuunt, dormiunt, & moriuntur mundo, & omnibus rebus extra Deum.

Cap. XIIII.

1 Hom. 65. in Gen. to. 1. *Gen.* 47. CHRYSOSTOMVS exponens verba illa Geneſis 46. in quibus interrogatus Iacob a Pharaone de annis vitæ respondit: Dies annorum vitæ meæ, quibus peregrinatus sũ, pauci, & mali, ait: Vides quomodo omnes iusti in hac vita ita affecti sunt. Audies enim & Dauid post hæc dicentem: quia pereginus ego sum, & aduena hic, dicit; Dies annorum vitæ meæ, quibus peregrinus sum. Propterea & Paulus dicebat: de iustis illis, quòd confitebantur quasi peregrini, & aduenæ super terram. *Psal.* 38. *Heb.* 11.

2 Hom. 16. in c. 8. epist. 2. ad Corint. to. 4. IDEM inquit: Si tibi quis construxisset domum hic non mansuro, damnum putasses, nunc autem hic vis ditari; vnde & ante vesperam sæpius emigrare contingit. Non vides, quòd in aliena terra versamur quasi hospites, & peregrini? non vides quòd aduenas contingit eijci, quando nec cogitant, nec sperant? Id quod & nobis contingit. Igitur quoniam natura sumus aduenæ, simus & voluntate, vt ne illic fiamus peregrini, & ignobiles, & neglecti. Nam si hic voluerimus fieri ciues, neque hic, neque alibi erimus, sin peregrini manserimus, & sic conuersabimur, vt peregrinos decet, spem societatis habebimus eorum, qui hic, & qui illic sunt ciuium, in cælo enim sua habet habitacula, cui totus mundus hospitium est.

3 In epist. ad amicũ quẽdam, quem instituit in scientia diuinæ legis. to. 4. HIERONYMVS ait: Consideremus, quod in hac terra hospites sumus, & peregrinorum more pro diebus nouissimis habitamus. Vos enim de hoc mundo non estis, dicitur nobis. Quid ergo in aliena satagimus? quid turbamur? Nemo in deteriori, & extranea patria plus eligit possidere, quàm in sua. De his tãtum solicitudinem habere debemus, & curam, quæ nobiscum transferre possumus. Ambiant terrena gentiles, quibus cælestia nõ debentur: christianis diuitiæ, & hereditas sit diuinitas Christi.

4 Lib. 2. in c. 7. Ezechiel to. 4. IDEM explicans verba illa; Venit contractio super te, qui habitas in terra, inquit: Verba hæc super te, qui habitas in terra, iuxta illud Apocalypseos Ioannis debemus accipere. Væ super omnes, qui habitant in terra. Sanctus enim non est habitator terræ, sed aduena, & peregrinus. Dicitque; Aduena sum & peregrinus sicut omnes patres mei. Quamobrem & Abraham Hebræus peregrinus transitorq. memoratur, de præsenti sæculo ad futurum transire festinans. *Apoc.* 8.

5 Lib. 6. in c. 18. Ezech. IDEM sic habet: Illud, quod a Balaam dicitur: Moriatur anima mea in animabus iustorum (nostra lectio habet morte iustorum) hunc habet sensum, vt cupiat mori sæculo atque peccator, ac viuere cum iustorum animabus, quorum vita Christus est, & possunt canere: Placebo Domino in regione viuorum. Non est enim Deus mortuorum, sed viuorum. *Num.* 23. *Psal.* 114. *Matt.* 12.

6 Libro 12. in Ezech. IDEM explicans verba illa Ezechielis cap. 39. Et erit in die illa dabo Gog locum nominatum Sepulchrum in Israel, vallem viatorum ad orientem maris, inquit; Hæretici decipere conantur viatores, eos videlicet, qui sæculum istud pertranseunt, & non sunt habitatores, sed peregrini dicentes illud propheticum: Aduena sum ego, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Quis enim prætereuntium, de quibus scriptum est: & non dixerunt, qui præteribant, benedictio Domini super vos, non admiratur, & obstupescit, cum vallem viderit viatorum, quæ viatoribus vallis, habitatoribus mons videtur? *Psal.* 38. *Psal.* 128.

7 Lib. 1. in c. 4. Osee. to. mo 5. IDEM exponens verba illa; Iudicium Domino cum habitatoribus terræ, non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra, ait: Recte, qui habitatores terræ sunt, & non incolæ ad iudicium prouocantur, quia a facie aquilonis exardescunt mala super habitatores terræ. Et in Apocalypsi Ioannis: Væ, væ, væ, dicitur super habitatores terræ. Qui autem potest cum propheta dicere: aduena sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei, & pertransit mũdum istum quasi aduena, & peregrinus, veritatem sequitur & misericordiam, & scientiam Dei, ne inundatione maledicti atque homicidij, mendacij, & furti, & adulterij, & sanguinis opprimatur. *Apoc.* 8.

8 In caput 1. Ionæ. IDEM exponens verba illa, quæ dixit Ionas Hebræus; Ego sum, ait: Non dixit Iudæus ego sum, quòd scissura decem tribuum a duobus populo nomẽ imposuit, sed Hebræus sum, hoc est transitor. Sicut & Abraham, qui dicere poterat, aduena sum ego, & peregrinus, sicut omnes patres mei, de quo in alio psalmo scribitur: Transierunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Moyses, transeam, inquit, & videbo visionem hanc magnam. *Psal.* 104.

IDEM

9 In cap. 4. Ionæ. *Gen.* 4. IDEM exponẽs verba illa; Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra orientem ciuitatis, inquit: Primus Cain homicida, & fratricida cruentum mundum germani sanguine dedicans, ædificauit ciuitatem, & vocauit eam ex nomine filij sui Enoch. Vnde & Osea propheta dicit: Deus ego, & non homo, in medio tui sanctus, & non ingrediar in ciuitatẽ. Egreditur ergo columba, vel dolens de istiusmodi ciuitate, & habitat contra orientem, & est ibi in tabernaculo suo. *Osee* 11.

10 In cap. 1. Sophoniæ. IDEM explicans verba illa; Congregans congregabo omnia a facie terræ, &c. ait: Septuaginta interpretes hunc locum sic vertisse defectione deficiat a facie terræ, dicit Dominus, deficiat homo & iumenta, deficiant volatilia cæli, & pisces maris. Defectionẽ in bonam partem possumus accipere, deficiuntq. qui cõuersationem habentes in cælis, & in carne non secundum carnem militantes conuersantur, eo quòd sciant eos, qui in carne viuãt, Deo placere non posse. Hi quantum in se est, omnia agunt, ne sint in carne, sed in spiritu, & a terra recedentes aiunt: Conresuscitauit, & consedere nos fecit in cælestibus in Christo. Quod autem primum dixerat generaliter defectione deficiat a facie terræ, postea in partes diuidit, deficiat homo, deficiant iumenta, deficiant volatilia, deficiant pisces. Deficit quis, vt homo si contemnat humana, & non vltra moriatur, vt homo & audiat, ego dixi dij estis. Deficit alius, vt iumentum, quia ad altiora cõscendens accusatur sermone prophetico: homo cum in honore esset, non intellexit comparatus est iumentis insipientibus, similis factus est illis. Deficit quasi volatile cæli, qui facit sibi pennas aquilæ, & reuertitur ad domũ præceptoris sui diues, & omnem deserẽs paupertatem. Deficit quasi piscis maris, qui comprehensus sagenis Domini cum bonis piscibus separatur. Cum hæc fuerint patrata subdit, & infirmabuntur impij, & auferam iniquos a facie terræ: infirmabuntur impij non habentes tantum robur, quantum prius. Sed & tollentur iniqui, non dixit occidentur, sed tollentur, vt ad meliora cõuersi, de impietate, & iniquitate ad pietatẽ, iustitiamq. translati incipiant esse, quod ante non fuerant. *Rom.* 8. *Psal.* 31. *Psal.* 89.

11 Lib. 2. in c. 14. Prouer. to. 6. IDEM explicans verba illa: Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt, sic habet: Domus quippe in mansione, tabernaculis vti solet in itinere. Domus igitur impiorum delebitur, quia habitationẽ vitæ præsentis, in qua semper manere desiderabant, perdent in mortẽ reprobi, & hoc quod non præuidebant exilium perpetuæ damnationis subibunt. Tabernacula autem iustorum germinabunt, quia præsens eorum conuersatio, in qua incolæ sunt apud Deum, & peregrini crescentibus sine cessatione meritis ad fructum vsq; suauissimum patriæ cælestis pertingit.

12 In Psal. 9. to. 2. AVGVSTINVS exponens illa verba: Tibi derelictus est pauper, pupillo tu eris adiutor ait; Pupillo tu eris adiutor, idest ei, cui moritur pater hic mundus, per quem carnaliter genitus est, & iam potest dicere, mundus mihi crucifixus est, & ego mundo. Talibus enim pupillis pater sit Deus. *Gal.* 6.

IDEM explicans verba illa; Quoniam aduena, seu inquilinus, ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei, sic habet: Quid est inquilinus? Vbi migraturus sum, non vbi perpetuo mansurus. Vbi perpetuo sum mansurus dicatur Domus mea? Vnde migraturus sum inquilinus sum, sed tamen apud Deum meum sum inquilinus, apud quem domo accepta mansurus sum, de qua domo Apostolus ait; Quoniam ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in cælis. Si domus hæc æterna est in cælis, cum ad eam venerimus, inquilini nõ erimus. Quomodo enim eris inquilinus in æterna domo? Hic autem, vbi dicturus est Dominus, migra, & quãdo dicturus est, nescis: paratus esto. Desiderando autem domum æternam, peratus eris, nec succenseas ei, quia cum vult dicit. migra. Non enim cautionem tibi fecit, & placito quodam se obstrinxit, & conductor domus accersisti certa pensione ad certum tempus, quando vult Dominus eius, migraturus es, & peregrinus. Ergo ibi patria, ibi domus, inquilinus apud te, & peregrinus. Et hic subauditur apud te? Multi enim peregrini sunt cum diabolo, qui autem iam crediderunt, & fideles sunt, peregrini quidem sunt, quia nondum ad illam patriam, domumq. venerunt, sed tamen apud Deum sunt. Quandiu enim sumus in hoc corpore peregrinamur a Domino, & ambimus siue hic manentes, siue peregrinantes placere illi. Peregrinus sicut omnes patres mei. Si ergo sicut omnes patres mei, dicturus sum, me non migraturum, cum illi migrauerint? Alia conditione mansurus sum, quàm illi manserunt? *In Psal.* 38. 2. *Cor.* 5. *Ibidem.*

13 In Psal. 67. IDEM explicans verba illa; Si dormiatis inter medios cleros pennæ columbæ deargẽtatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri, inquit: Dormire inter medios cleros est terrenam hereditatẽ non quærere ardenter, & cœlestem hereditatem expectare patienter. Nã, qui Deo propterea seruire volunt, dum quærunt in hac vita fœlicitatem, ablatus est somnus ab eis, & non dormiunt. Inflammantibus enim cupiditatibus, agitati in facinora propelluntur, nec omnino requiescunt desiderando, vt acquirant, metuendo ne amittant. Hoc est quantum mihi videtur dormire inter medios cleros, id est, inter medias hereditates, nondum in re, sed tamen in spe cælestis hereditatis habitare, & a terrenæ fœlicitatis iam cupiditate cõquiescere. Cum autem venerit quod speramus, nõ iam inter duas hereditates requiescemus, sed in noua vera requiescemus, & regnabimus. Sic enim dormiẽtes erunt pennæ colũbæ deargentatæ, vt tẽpore quo resurgent, rapiantur in nubibus obuiã Christo in aera, & semper iam cum Domino

 viuant.

viuant. Apostoli,& beati martyres,ceteriq. iusti vsque ad hoc tempus dormierunt inter medios cleros regni terreni,felicitatem iam contemnentes,& regni cælorum æternitatem sperantes,& nondum tenentes. Et qui tam beate dormierunt, eis velut pennis nunc volitat,& laudibus exaltatur Ecclesia. Columba igitur deargentata est,vt hac eorum fama ad imitandum posteris inuitatis, dum sic etiam dormiũt ceteri addantur pennæ, quibus vsque in finem sæculi sublimiter prædicetur.

14 IDEM explicans illa verba; Incola ego
Cõcione 8. In Ps. 118. sum in terra,nõ abscondas a me mandata tua, ait. Inquilinos, & incolas nos esse in terra dicimus, quia supernam patriam, vnde pignus accipimus, & quò peruenientes nunquam in-
Psal. 38. de migremus, inuenimus. Nam & ille qui in alio psalmo dicit: Inquilinus ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei,non ait, sicut omnes homines,sed dicendo,sicut omnes patres mei, iustos proculdubio vult intelligi, qui eum tempore præcesserunt,& in hac peregrinatione gemitu pio sempiternæ patriæ su-
Heb. 11. spirarunt,de quibus scriptum est ad Hebræos: Secundum fidem mortui sunt hi omnes,cũ non accepissent promissiones, sed a longe eas videntes,& salutantes,& confitentes, quia hospites,& peregrini super terram sunt. Qui enim talia dicunt,ostendunt,quia patriam quærunt. Etsi quidem eius memores essent, a qua discesserant, habuissent tempus reuertendi. Nunc autem meliorem appetunt, id est, cælestem, ideo nõ confunditur de his Deus,vocari Deus eorum,præparauit enim eis ciuitatẽ. Et illud,
2. Cor. 5. quod legimus:quamdiu sumus in corpore,peregrinamur a Domino, potest intelligi hoc nõ esse omnium,sed fidelium. Et videmus quid his verbis Apostolus iungat, cum enim dixisset, quãdiu sumus in hoc corpore,peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, & non per speciem, vt intelligeremus eorũ esse istam peregrinationem, qui ambulant per fidem. Infideles autẽ non possunt veraciter dicere se in terra peregrinos,non enim habent alibi ciuitatem, ac per hoc non sunt in terra alienigenæ, sed terrigenæ. Vnde ait alia scriptura de quo-
Isa. 28. dam:posuit enim apud mortem domum suam, & apud inferos,cum terrigenis axes suos. Sunt autem & ipsi peregrini, & inquilini non huic terræ, sed populo Dei a quo sunt alienigenæ. Vnde credentibus,& sanctam ciuitatem, quæ non est de hoc mundo, habere incipientibus Apostolus dicit: Ergo non estis iam peregrini, & inquilini,sed estis ciues sanctorũ,& domestici Dei. Ipsi ergo sint ciues terreni, qui sunt in
Eph. 2. Dei populo peregrini, qui vero ciues sunt in populo Dei, ipsi sunt in terra peregrini, quia totus idem populus quamdiu est in corpore peregrinatur a Domino.

15 IDEM sic ait,Propheta Aggeus,& Zacha-
In Ps. 148. rias eo tempore,quo captiuus populus tenebatur in Babylonia prophetabãt futurum finem captiuitatis, vt restauraretur ciuitas Hierusalem,quæ bello ceciderat. Significaueruntq. no bis in mysterio vitam futurã, vbi laudabimus
1. Esdræ 3 Deum post captiuitatẽ vitæ præsentis,vbi erit innouatio ciuitatis illius magnæ Hierusalem, vnde peregrini suspiramus, captiuati adhuc sub onere,& sarcina corporis mortalis, vnde adhuc gemimus in peregrinatione, exultabimus autem in patria. Qui autẽ non gemit peregrinus, non gaudebit ciuis. Prophetę isti sancti magnam consolationem præbuerunt tunc captiuo populo constituto in Babylonia sub regibus alienigenis, ostendentes futurum tempus liberationis, instaurationis Hierusalem. Figurata sunt hæc in antiquis,præsentia ostenduntur in nobis. Modo dicit Apostolus,quandiu sumus in corpore, peregrinamur a Domino, nondum sumus in patria.

GREGORIVS explicans verba illa Iob 16
Lib. 5. moral. cap. 5. to. 1. cap. 3. Gaudentq. vehementer cũ inuenerint sepulchrum ait:sicut sepulchrum locus est,quo absconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mũdo viuimus, cum mente in eum foris vagamur, sed mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius in secreto internæ contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium a tumultu inutilium curarum,a clamore perstrepentium perturbationũ semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atq; intus ante Dei
Psal. 30 faciem in sinu mentis abscondunt. Vnde bene per psalmistam dicitur: Abscondes eos in abscondito vultus tui a conturbatione hominũ.
Coloss. 3. Hinc est, quod Paulus per contemplationem mortuos, & quasi in sepulchro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Qui ergo mortem quærit,gaudet dum sepulchrum inuenit, quia qui mortificare se appetit valde ad inuentam requiem contemplationis hilarescit,vt extinctus mundo lateat, & a cunctis exteriorum rerum perturbationibus,intra sinum se intimi amoris abscondat.

17 IDEM explicans verba illa, tabernacu-
Lib. 5. moral. cap. 31. lum impiorum non subsistet,inquit: Quid hoc loco tabernaculi nomine, nisi ædificatio terrenæ felicitatis exprimitur, per quam super
Iob 8. se reprobi casura multiplicant, vt se a præsentis vitæ necessitatibus, quasi ab æstu, & imbribus defendant? Honoribus namque excrescere ambiunt, ne despecti videantur. contemnunt curare, quod sequuntur, & tota intentione satagunt, ne quid in præsentibus desit. Vbi ergo mentis habitationẽ construunt, ibi proculdubio tabernacula fixerunt. Gaudent sibi suppetere bona, quæ cupiunt, atque vbi carne requiescunt, ibi & mentem extinguendo sepeliunt. At contra iusti nec oblata bona hic pro magno suscipiũt, nec illata mala valde pertimescũt; sed cum bonis præsentibus vtuntur,mala futura metuunt, & cum de malis præsentibus gemunt, bonorum sequentium amore consolantur,sicque temporali refouentur subsidio,sicut viator in stabulo vtitur lecto

pausat,

pausat,& recedere festinat, quiescit corpore, sed ad aliud tendit mente. Nonnunquam ve-
18 ro,& aduersa perpeti appetunt, in transitorijs prosperari refugiunt, ne delectatione itineris a patriæ peruentione sequestrentur, ne gressum cordis in via peregrinationis figant. Qui ergo contra præsentia se aduersa non muniũt
Mat. 17. quasi contra æstus, & pluuias habere tabernaculum nolunt. Vnde & Petrus iure reprehenditur, quia necdum mentis perfectione roboratus,veritatis claritate cognita, in terra figere tabernaculum conatur. Iusti itaque hic se constructuere negligunt, vbi peregrinos se & hospites nouerunt. Quia enim in proprijs gaudere desiderãt esse in alieno fœlices recusant. Iniusti autem quantò longius ab æternæ patriæ hereditate diuisi sunt, tantò in terra altius fundamẽta cogitationis figunt. Hinc est,
Heb. 12. quòd iusti non in hac vita, sed in futura cogitationes habent. Vnde Paulus dicit, quòd Abraham in casulis habitabat, quia habẽtem fundamenta ciuitatem, quam supernus artifex constructuit expectabat. Bene ergo dicitur, tabernaculum impiorum non subsistet, quia vitæ fugientis amatores,dũ studiose se in præ-
Luc. 12. sentibus construunt, repente ad æternam pœnam rapiuntur. Sicut qui dicebat: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare. Sed quia eius tabernaculum in veritatis fundamento non subsistit, illico audiuit stulte hac nocte animã tuam repetunt a te.

19 IDEM explicans verba illa Iob cap. 21.
Lib. 15. Moral. cap. 35. Interrogate quemlibet de viatoribus, & hæc eadem illum intelligere cognoscetis, quia in diem perditionis seruatur malus,inquit: Viator dicitur, qui præsentem vitam viam sibi esse, & non patriam attendit, qui in dilectione prætereuntis sæculi,cor figere despicit,qui nõ remanere in transeuntibus,sed ad æterna peruenire concupiscit. Qui enim in hac vita viator esse non appetit, huius vitæ prospera mi-
Psal. 36. nime contemnit, & ea, quę ipse desiderat,cum abundare alijs viderit miratur. Vnde Dauid propheta, quoniam a dilectione præsentis sæculi iam corde transierat,iniqui gloriam describens dicebat: vidi impium superexaltatũ, & eleuatum sicut cedros libani,transiui,& ecce non erat. Quia enim cor huic mundo non subdidit hunc iure despexit,dicens: Transiui, & ecce non erat. Esset quippe aliquid in eius æstimatione impius, si ipse ab hoc sæculo per intentionem minime transisset. Sed is, qui nõ transeunti magnum aliquid esset, transeunti animo quàm nihil esset apparuit: quia dum
Exo. 3. æterna retributio cogitatur, præsens gloria quàm sit nulla cognoscitur. Hinc Moyses cum supernæ conremplationis gloriam quæreret, dixit: Transiliens videbo visionem. Nisi enim gressum cordis a sæculi amore remouisset,ne-
Tren. 1. quaquam intelligere superna potuisset. Hinc Hieremias Propheta luctum cordis tui considerari deposcens, ait: O vos omnes,qui transitis per viam, attendite, & videte,si est dolor, sicut dolor meus. Qui enim præsentem vitam non quasi viam transeunt, sed quasi patriam attendunt,luctum cordis electorũ considerare nesciunt. Illos ergo,vt dolorem suum considerent exquirit, quos in hoc mundo contingit animum non fixisse. Igitur, quia malus ad diẽ perditionis seruatur, & ad diẽ furoris dicitur hoc,nonnisi qui est viator intelligit,quoniam, qui cor in præsentibus fixit,quæ iniquo seruãtur supplicia non deprehendit.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 28. 20
Lib. 18. Moral. cap. 28. Vnde ergo venit sapientia,& quis est locus intelligentiæ? Absconditа est ab oculis omnium viuentium,inquit: Sapientia, quæ Deus est, si omnium viuentium oculis occulta esset, hanc proculdubio sanctorum nemo vidisset, quod dici non debet. Datur tamen intelligi, quia quamdiu hic mortaliter viuitur mundo,Deus videri non potest. Absc̃odita est ab oculis omnium viuentium, quoniam quisquis sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit, qui nullus potest Deum simul amplecti, & sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur,quo vel intentione cordis,vel affectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde ad Moysen dicitur: Non videbit me homo, & viuet. Ac si aperte diceretur. Nullus vnquam Deum spiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit. Vnde Paulus quoque Apostolus, qui adhuc Dei inuisibilia, sicut ipsa testatur, ex parte cognouerat, iam huic mundo totum se mortuum perhibebat, dicens: Mihi mundus crucifixus est, & ego
Galat. 6. mundo. Non sufficit,vt diceret;mundo crucifixus sum, nisi etiam præmitteret; mihi mundus crucifixus est, vt non solum se mũdo mortuum, sed etiam mundum sibi mortuum esse testaretur, quatenus nec ipse mundum, nec ipsum iam mundus appeteret. Talis erat Paulus, vt nec ipse mundum, nec mundus ipsum concupiscere, ipse gloriam mundi, quam appeteret, non videbat iam mortuus, mundus ipsum humilem, atque despectum videre iam non poterat.

21 IDEM exponens verba illa: Propter no-
In exposit. psalmi septimi pœnitentialis. men tuum Domine, viuificabis me in æquitate tua,ait: Non viuit iustitiæ,nisi qui moritur iniquitati. Sicut autem quod seminauimus, non viuificatur, nisi moriatur prius; sic qui
Psal. 142. mundo, & concupiscentijs eius non moritur, in fructu bonorum operum nõ multiplicatur. Supereſt ergo, vt mortificemus membra nostra,quę sunt super terram,quatenus viuificet nos auctor vitæ. Ad hoc enim ipse mortuus est,& resurrexit, vt nos peccatis mortui iustitiæ viuamus. Plus est autem viuificari in æquitate, quàm viuificari æquitati. Denique, qui in æquitate viuificatur,in ipsam æquitatem introducitur, vt nihil iniquum sapiat, nihil impium agat. Potest etiam per æquitatem ipse Christus intelligi,in quo viuificatur, qui mundo moritur.

22 IDEM exponẽs verba illa, Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit sic habet: In his verbis etiam ordo notandus est. Prius quippe mortificare dicitur, deinde viuificare, quia nisi sęculum amare desistimus, Deo per amorem viuere non valemus, Ioanne attestante, qui ait: qui diligit mũdum, non est charitas patris in eo. Vnde & is, qui se mortificatum, & viuificatum, qui se prostratum, & erectum meminerat, loquebatur dicẽs: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Viuebat, sed non mundi vita, quia dicebat: Viuo autẽ iam non ego, viuit verò in me Christus. Dominus ergo mortificat, & viuificat. Mortificatum quippe, & viuificatum esse est, præsentia nulla concupiscere, & æterna desiderare. Ducit ad inferos, & reducit, vt mortificet quidem ducit ad inferos, vt viuificet reducit ab inferis. Omnipotenti enim Deo ad inferos ducere est, peccatorum corda ęternorum cruciatuum consideratione terrere. Et quoque ab inferis reducere est, territas pœnitentiũ mentes spe vitæ indeficiẽtes attollere. Tunc quippe peccare desistimus, cũ superna gratia mollitis cordibus futura tormenta formidamus, & ab inferis reducimur, cum inferno visitati solatio ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus.

Lib. 2. in ca. 2. primi lib. Reg.

1. Ioa. 2.

Gala. 2.

Iusti in infamijs, & persecutionibus, & laboribus vnde debent consolari.
Cap. XV.

1 BASILIVS de re hac vltra ea, quæ diximus lib. 5. cap. 15. & lib. 6. cap. 9. explicans verba illa; multę tribulationes iustorũ, & ex omnibus his liberauit eos Dominus ait: In omnibus, inquit Paulus, tribulati sed non angustati, ideo Dominus discipulis suis dicit: in mũdo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum. Ex quo si quandoq. in morbis, in corporis mutilatione, orbitatibus, plagis, ignobilitate, omni denique rerum inopia, & egestate, iustos homines constitutos videris reminiscere verbi huius, quòd multæ sunt iustorum tribulationes, & ex omnibus liberet eos Dominus. Qui autem dixerit, quòd virum plane iustum tribulatio non deceat nihil aliud dicit, quàm athletæ non conuenire aduersarium. Athleta enim minime certans, quas habebit occasiones sibi coronas comparandi?

1 Homil. 9. in Psalm. 33. tom. 1.

Ioan. 16.

2 IDEM exponens verba illa, & laborauit in æternum, & viuet adhuc in finem ait: Si vis hæc verba de hominibus iustis intelligere, reminiscere Iob dicentis, homo natus est labori. Item Apostoli de se testantes, abundantius omnibus illis laboraui. Et rursum: in laboribus abundantius. Qui igitur in hoc mundo laborauit, hic viuet in finem, Qui vero in delicijs, & omni genere vitæ solutioris degit, præ teneritudine, ac mollicie purpuram, & byssum induit, seq; quotidianis epulis lautioribus oblectat, laborem pro paranda virtute fugitans, is nec in futuro illo viuet, sed semotius, & ex longiore interuallo vitam videbit in camini flamma cruciatus. Qui vero pro virtute innumeris agonibus desudarit, & vt eam assequeretur, multis laboribus tortus, nimisq. examinatus, hic est, qui viuet in finem. Quàm multa in afflictione passus est Lazarus pauper? Quàm multis laboribus attritus Iob cõtra aduersarium certando? Qui enim certando delassati fuerint, ait, illic recreabuntur, còq. Dominus istos ad requiem inuitat, qui labore lassescunt, sunt ve onerati, De his dicitur: Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos, vbere fructu plenos. Qui igitur per Deum redemptus est, is quidẽ in hoc seculo laborauit, at labore perfunctus viuet in finem, hic plane non videbit interitũ cum viderit sapientes morientes. Qui angustam, & sudoribus plenam viam præleni, & solutiore elegerit, is æternam corruptionem non videbit, afflictionem illam perpetuo duraturam die visitationis Dei.

Iob 5. 2. Cor. 11. 1. Cor. 15.

Psal. 125.

3 IDEM secunda Reg. 63. in qua docere vult, quòd metuere Christianus nõ debet quãdocumque in aliquo periculo constitutus sit, aut opem diuinam desperare, sed confidere, potius tamquam præsente Domino, & rebus ipsius omnibus consulente, & confirmante, inquit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro. Vestri autem etiam capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere multis passeribus meliores estis vos. Et idem: facta est procella magna venti, & fluctus mittebat in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in puppi super ceruical dormiẽs, & excitant eũ, & dicũt illi: Magister nõ ad te pertinet quia perimus? Et exurgens comminatus est vento, & dixit mari: tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna. Et alibi: Exurgẽs princeps, sacerdotum, & omnes, qui cum eo erant repleti sunt zelo, & iniecerunt manus in Apostolos, & posuerũt eos in custodia publica. Angelus autem Domini, per noctem aperuit ianuas carceris, & educens eos dixit: Ite & stantes loquimini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Et Paulus: non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quibus verbis, illa paulo post adiungit: qui de tãtis periculis nos eripuit in quẽ speramus, qđ & adhuc eripiet.

Lib. Moral. sententiarũ, tom. 2.

Matt. 10. Mar. 4. Act. 5. 2. Cor. 1.

4 CHRYSOSTOMVS sic habet; Quando fuit illustrior Iob, cum domum cunctis aperuerit, aut eadem cadente cum benedixit Deum, nulloq. amaro sermone commotus est? Quando magis claruit, cum de velleribus agnorum suorum calefacti sunt nudorum humeri, aut cum audiens de Cœlo ignem descendisse

Hom. 5. de patientia Iob. tom. 1.

scendisse non est turbatus, sed mansuete tulit calamitatem? Quando maior fuit cum ad oppressorum defensionem corporis sanitate vtebatur, conterens molares iniquorum, & è medio dentium eorum prędam eripiens; aut cum hoc ipsum corpus oppressorum scutum consumi vermibus videbat, sedensq. in sterquilinio idem ipse sanię radebat testam accipiens? Et illa quidem præclara gesta, hæc autem patibula, tormentaq. erant. Sed tamen plus hęc, quam illa Iob clariorem ostenderunt. Infra: Et sicut peccatoribus duobus existentibus, alter quidem hic tormentis affligatur, alter non, afflictus ille non afflicto melior erit; sic & duobus iustis hic existentibus, siquidem alter plures, alter pauciores ærumnas sufferat, qui plures sustinuerit beatior erit. Pauperes vel vestimentum lacerum habent, ille verò nudus sedebat, & quod habuit indumentũ a natura carnis, scilicet velamen, sanie acerba diabolus corrupit. Et pauperes quidem, vel sub tecto sunt, ille verò sub dio nocturnis sęper agebat, neque tugurij tenuis folamen habens. Et illi quidem a principio de ærumna, calamitateq. cogitauerunt, ille verò calamitatem inopinatam subijt, repętinam accipiens ex diuitijs mutationem, Infra: Si in paupertate degis, & fame, milleq. periculis, Lazari recordare paupertatis, solitudinis, milleq. alijs huiusmodi dimicantis, & hæc plurimam præstabunt virtutem. Memento Apostolorum, qui in fame, & siti, & nuditate viuebant, Prophetarũ iustorum, atque hos omnes inuenies pauperum tribulationibus, suspirijs, afflictorum partes sustuliſſe. Deus enim non illos odiens tot permittebat aduersis laborare. Sed quoniam vehementer diligebat eos, per ipsa mala splendidiores illos reddidit. Si enim homines eos, qui in eorum causa insudant, sine mercede abire non sinunt, multo magis Deus eos, qui tot insudauerunt laboribus, non permittet quandoque suorum laborum representatione fraudari. Infra: Multos audiui dicentes, ille, & ille mansuetus quidem in iudicium trahitur, alter inique calumniatus, alter demersus est, inquit, alter præcipitatus, & Deus hęc fieri permisit. Quare? Ne cito in insaniam eleuentur mirabilium magnitudine, ac operum perfectione, permisit eos Deus affligi, atque ne maiorem de humana natura ceteri habeant suspicionem, Deos nõ homines eosdem esse dicentes, & vti Dei virtus appareat per infirmos, per vinctos vincens, & superans: & vt post tot mala tempestiue, atque opportune sancta eorum mens appareat, stimulati aduersis abundantius, & solatium habeant, & fomentum, ad illos respicientes, atque memoriam habentes eorum malorum, quæ sibi ipsis contigerunt.

5

6 IDEM ait: Deus non modo ab alijs nos sæpe tribulari sinit, sed nonnunquam ipse etiã plagam minatur, non vt eam in nos inducat, sed vt nos ad se potius adducat. Quod si quales in tribulatione sumus, tales etiam esse mus in requie nequaquam egeremus afflictionibus erudiri. Et quid ego de nobis loquor? Illis quoque, quos legimus, sanctis plurimum eruditionis de tribulatione veniebat, propter quod Propheta dicit: Bonum mihi quòd humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Ipse quoque Dominus Apostolis dicebat: In mundo pressuram habebitis. Et cum Paulo datus esset stimulus carnis, qui eum colaphizaret, cũ Dominum deprecaretur, vt discederet obtinere non potuit, quia maxima inde commoda colligebat. Quòd si etiam sancti Dauid vitam velimus inspicere, inuenimus eum profecto inter pericula clariorem, nec illum tantummodo, verum etiam ceteros sanctos. Nam beatus Iob maxime cum tribularetur, effulsit, & Ioseph, Deo in tribulatione plus placuit, Iacob quoque, & eius pater clariores de tribulationibus texuerunt coronas, victoresq. proclamati sunt. Ne ergo de his, quæ nobis accidunt quæstionem curiositate moueamus. Nosse enim quando tribulationes auferri oporteat, illius est, qui eas permisit inferri: illatas vero cum omni gratiarum actione tolerare, nostræ opus est voluntatis.

Hom. 10. In cap. 3. Matt. tom. 2.

Psal. 118. Ioan. 16. 2. Cor. 12.

7 IDEM sic habet: Iustitia in tentationibus floret, in prosperitate autem marcida est. Quemadmodum si focum posueris super terram, comburit ipsas radices herbarum, & vt in loco illo iam non facile nascatur herba; sic & tentationis ignis positus super carnem comburit radices concupiscentiarum in ea, vt non facile concupiscat. Infra explicans verba illa Matthæi 3. cuius ventilabrum in manu eius, ait: Hic triturandi sumus, hic ventilandi: Sicut enim granum tritici inclusum in palea foras non egreditur, nisi fuerit trituratum, sic & homo de impedimentis mundialibus, & de rebus carnalibus, quasi in palea inuolutus, difficile egreditur, nisi fuerit aliqua tribulatione vexatus. Nam sicut quidem plenum granum mox vt leuiter percussum fuerit, de palea sua exilit foras, si autem subtile fuerit, tardius egreditur, quod si vacuum fuerit, nunquam egreditur, sed illic conteritur in palea sua, & ita cum paleis foras iactatur; ita omnes quidem homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est, & boni cordis habet medullam, mox vt leuiter tribulatus fuerit, negligens quæ sunt carnalia, currit ad eum. Si autem modice infidelior fuerit, cum grandi tribulatione vix recedit, & vadit ad Deum. Qui autem infidelis est, & vacuus, quantumuis contritus fuerit, sicut granum vacuum de palea non egreditur, sic nec ille de carnalibus rebus, & de impedimentis mundialibus nunquam egreditur, nec transit ad Deum, sed illic in malis constitutus conteritur, vt cum infidelibus quasi cum paleis foras proijciatur. Et sicut triticum, primum quidem trituratur, & cum trituratum fuerit, in vno loco iacet cum paleis confusum, postea autem ventilatur, vt quæ fuerãt iam disiuncta corporibus, separentur & locis; sic & populus

Hom. 7. im perfecti in Matth.

Matt. 3.

8

in Ec-

in Ecclesia, aut motibus conteritur carnalium passionum animam semper vrgētium, aut castigationibus corporalibus, quasi virgis, quibusdam, aut conculcationibus iniquorū, quasi calcibus irrationabilium iumentorum, vt disiungantur fideles ab infidelibus, per diuersas concussionum species, cum autem disiuncti fuerint ab inuicem actibus adhuc in Ecclesia habentur commixti. Ideo mouetur persecutio quasi ventus, vt ventilabro Christi iactati, qui iam disiuncti fuerant actibus, separentur, & locis, vt sicut triticum mūdum in granarijs, sic sancti probati in regnis cęlestibus reponātur. Vides ergo, quia tentatio non perdit, sed manifestat eos, qui in pace non apparebant?

9 Homil. 9. in cap. 5. epist. ad Romanos. tom. 4. Exo. 1.

IDEM inquit; Deus nobis vitam præsentem laboriosam reddidit, vt vos mundi seruitute liberaret, & ad synceram libertatem traduceret. Sic igitur Iudæi, dum & luto, & lateritio operi adstricti, colligatiq. essent, comes erant, & faciles, Deumq. assidue vocabant: at cum libertati restituti, tum murmurare tum Deum irritare, ac sese malis infinitis cōficere. Quid igitur, inquiet aliquis, de ijs dicas, quos sæpenumero aflictio transuersos egit, atque in errorem induxit? Nempe quod erroris inductio non ab afflictione, sed ab illorum imbecillitate profecta sit. Nam qui ab afflictione perculsus in diuersum agitur, id multo facilius a laborum relaxatione patietur. Si enim ligatus cadit (hoc enim afflictio) multo facilius solutus. Dices quomodo fiet, vt afflictio euertere me nequeat? Si cogitaueris, velis, nolis, ferendum esse, quod tibi incommodum illatū est, sed si interim gratias agis te maximum facere lucrum, sin autem ægre fers meres, ac cōuicia in Deum iacis, te nō solum præsentem leuare calamitatem, sed tēpestatem maiorem, ac ruinam tibi adscisceres. Hæc igitur animo versantes, quod necessitatis esse viderimus, ita nos comparemus, vt voluntatis, ac propositi nostri esse incipiat. v. g. Filium quis amisit, alius facultates omnes. Si cogitaueris fieri nō posse, vt quod factum est infectum fiat, fieri vero posse, vt casum generoso animo ferens, fructum etiam aliquem ex irreparabili illa calamitate reportes, tu autē si pro maledictis laudem Domino referas, ita fiet, vt quæ tibi incommoda minime volenti allata erunt, in voluntatis, ac propositi merita vertātur. Filium tibi ante tempus ereptum vides? Dicito, Dominus dedit, Dominus abstulit. Vides exhaustas tibi esse facultates? Dic nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. In mentem tibi veniant Apostoli, qui dum flagellarentur, dum exagitarentur, dum infinita tolerarent mala gaudebant se dignos habitos, qui pro nomine Iesu contumeliam ferrent.

Iob 1.

Act. 10.

10 Hom. 1. in secūdā epi. ad Timoth.

IDEM ait; Non sunt casus omnes communes omnibus, alius ex vxore, alius ex filio, alius ex seruo, alius ex amico, alius ex quouis detrimēto causam mœroris ducit. Plurimęq. sunt doloris causæ atq; differentes, prorsumq. neminē inuenies tristitię, ac doloris exortē &c. alius magis, minimisq; alius doleat, non itaq; feramus grauiter, neque nos tātummodo tristia pati arbitremur. Neque enim fas est, vt homo qui sit mortalemq. hanc agat vitam doloris angorisq. sit expers. Sed nisi hodie, eras se ingeret mœstitiæ causa. Quemadmodum deniq; fieri non potest, vt qui nauigant absque cura sint, ita & qui vitam hāc fragilem viuūt, absque solicitudinis angore esse non possunt. Infra: Quemadmodum hi, quibus aliqua pars corporis dolet putant se plus dolere, quā proximos, & cui oculum dolet nullum putat sibi æquari posse dolorem, rursusq. qui stomachi languore tenetur, illum putat dolores omnes excedere, singuliq. quibus detinetur incommodis omnia vi suę magnitudinis transcendere existimant: Ita & in angore animi ac mœstitia contingit, vt quo quisq; premitur, eum putet ceteros sua acerbitate superare, quippe qui hoc suo experimento dijudicat. Sicut qui filios non habet, nihil ea infœlicitate, putat esse molestius, & qui inter paupertatis angustias filijs angitur, nihil atque eam liberorum multitudinem execratur. Miles nihil militia laboriosius, nihil periculosius putat, meliusq. arbitratur, pane tantum, & aqua in cibum vti, quam tantas perferre molestias, &c. idem late ostendit in omnibus alijs statibus, & concludit prorsus perdifficile hominū genus, vbi acquiescat inueniet cum semper ad querimonias indignationesq. sit pronum. Quando omnes homines simul reprehendit, quis tunc dicit nihil est homo, nisi animal infœlix laboribus, & ærumnis expositum.

11 Hom. 26. in epist. ad Hebræos.

IDEM explicans verba illa cap. 11. Fide Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pharaonis, eligens magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iocunditatem maiores diuitias ęstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi, inquit: Non dixit Paulus: maiores diuitias æstimans thesauris Aegypti cęlū, & ea quæ in cælis sunt, sed improperium Christi. Pro Christo enim improperium sustinere melius indicauit, quā in delicijs esse. eligens magis affligi, cum populo Dei. Vltro se ipsum proiecit in tāta pericula, cum ei liceret, & pie viuere, & sęcularibus perfrui bonis: quàm temporalem peccati habere iocunditatem. Peccatum dixit, nolle affligi cum alijs, hoc peccatum esse putauit. Si igitur ille non alacriter affligi, cū alijs peccatum esse putauit, magnum ergo bonum est, afflictio ad quam ex fastigio regali seipsum proiecit. Maiores diuitias ęstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Improperium Christi vocat, quando quisquam a domesticis, ab his, quibus beneficium præstitit improperium sustinet. Vnde delitiæ, & remissio ad partem peccati pertinent, improperia vero sustinere ad Christum.

12 Homil. ad pop. Antiochenum.

IDEM inquit; Non potest malus, tā malus esse, sed euenit, vt & aliquid habeat boni, neque bonus, esse bonus omnino, sed & nonnulla

nulla solet habere peccata. Cum itaque malus prosperis vtitur rebus ad capitis sui perniciem, vt enim illorum paucorum retributionem bonorum hic capiens, illic deinde puniatur hac de causa recipit. Et ille præsertim beatus est, qui hic pœnas luit, vt peccatis omnibus depositis probatus migret, ac mundus,

1. Cor. 11. & insons, hocq. nos docens Paulus ait: Ideo

1. Cor. 5. inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi, & iterum: tradidi huiusmodi satanæ. Et Propheta quoque dicit: quòd susceperit de manu Domini duplicia, pro omnibus peccatis suis. Sed hęc quidem probantis sunt bonos pro peccatis, pœnas hic luentes, vbi verò bona mali recipientes hic, illic omnino

Esa. 40.

Luc. 16. cruciantur. Abraham audi dicentem diuiti: Recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala, vnus in fœlicitate, alius in infœlicitate. Propterea nunc hic consolatur, tu vero cruciaris. Nullus athleta generosus in stadio balnea quærit, aut mensam cibis, & vino redundantem. Athleta pugnat puluere, oleo, solis ardore, sudore largo, tribulatione, & angustia. Hoc est certaminis tempus, & pugnæ, igitur, & vulnerum, & cruoris, & doloris. Per tribulationem consummari nos oportet. Sanguine plenam esse decet christianam vitam, non alienum effundendo, sed separatum suum effundere præstando.

13 Epistol. 23. quæ est ad Marcellā de Exod. to. 1.

HIERONYMVS Blasillę sic exorditur: Abraham tentatur in filio, & fidelior inuenitur. Ioseph in Aegyptum venditur, vt patrem pascat, & fratres. Ezechias vicina morte terrētur, & fusus in lachrymas quindecim annorum spacio protelatur ad vitam. Paulus lupus rapax cæcatur, vt videat, & repentino tenebrarum horrore concutitur, Dominum vocat, quem dudum, vt hominem persequebatur. Ita nunc, mi Marcella, Blesillam nostram vidimus ardore febrium per triginta ferme dies iugiter æstuasse, vt sciret reijciendas esse delicias corporis, quod paulo post vermibus exarandum sit. Venit, & ad hanc Iesus, & tetigit eam, & ecce surgens ministrat ei. Redolebat aliquid negligentiæ, & diuitiarum fascijs colligata, in sęculi iacebat sepulchro. Sed infremuit Iesus, & conturbatus in spiritu clamauit, dicens Blesilla, veni foras. Quæ vocata surrexit, & egressa cum Domino vescitur.

14 Epist. 34.

IDEM ad Iulianum, quem consolatur in amissione vxoris, & duarum filiarum, & facultatum suarum, ait. Audio te in breui tempore duas virgunculas filias vinctis pene extulisse funeribus, & pudicissimam, ac fidissimam coniugem tuam Faustinam, in qua sola post amissos liberos quiescebas subita tibi dormitione subtractam, quasi si naufragus in littore latrones reperiat, & iuxta eloquia prophetarum fugiens vrsum incidat in leonem, extendensq. manum ad parietem a colubro mordeatur. Consecuta rei familiaris damna vastationem totus, barbaro hoste, prouinciæ, & in communi depopulatione priuatas possessionū tuarum ruinas, abactos armentorum, ac pecorum greges, vinctos occisosq. seruulos. Hic est catalogus tentationum tuarum. Quę si ad te respicias grandia sunt, si ad bellatorem fortissimum ludus, & vmbra certaminis. Infra pag. 207. laudant te alij, & tuas contra diabolum victorias penegyricis prosequātur, quod lęto vultu mortes tuleris filiarum, quòd sanctissimam coniugem tuam, non quasi mortuā, sed quasi proficiscentem deduxeris. Infra: Difficile imo impossibile est, vt & præsentibus, quis & futuris bonis fruatur, & vt hic ventrem, & ibi mentem repleat, vt de delicijs transeat ad delicias, vt in vtroque sæculo primus sit, vt & in cælo, & in terra appareat gloriosus.

15 Lib. 2. aduersus Pelagianos. tom. 2.

IDEM ait; Computrescāt, dicit Habacuc, ossa mea, & subter me vermes scateant, tantū vt requiescam in die tribulationis, vt ascendā ad populum fortem meum, vel accinctum. Hic tribulationes, & angustias afflictionemq. animi deprecatur, vt in futuro virorum iam cum Christo regnantium numero societur, Ex quo perspicuum est, hic pugnam, atque certamen, & in futuro esse victoriam.

16 In caput 1. Ioel. tom. 5.

IDEM explicans verba illa, ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis, sed & bestiæ agri, quasi area sitiens imbrē, suspexerunt ad te quoniam exsiccati sunt fontes aquarum, sic habet: Propheta clamante ad Dominum, vel populo per Prophetam, quia ignis comederit speciosa deserti, & flamma succenderit omnia ligna regionis, bestiæ, & iumenta agri suspexerunt ad Dominum, quasi areola sitiens imbrem, quoniam aruerūt fontes, & ignis deuotauit speciosa deserti virentia, herbis loca. Clamare autem ad Dominum, per Prophetam, & iumenta ad eum suspicere fecit ignis, qui deuorauit speciosa deserti, & flamma, quæ succendit omnia ligna regionis, vt & fruges, & poma pariter interirent: simulq. consideremus, quod nisi propter angustiam, & ablationem delitiarum, nec Propheta, nec bestiæ clamassent ad Dominum, aut ad Dominum suspexissent.

17 Libr. 2. in c. 15 Prouer. tom. 8.

IDEM explicans verba illa, omnes dies pauperis mali, secura mens quasi iuge conuiuium inquit. Omne tempus populi Dei, quādiu in præsenti pauper est afflictionibus abundat, & ærumnis, quia nec dum ad diuitias supernæ bonitatis, & perpetuę mansionis peruenit. Vnde monet Apostolus, dicens: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. At vero reprobi, qui metu carentes diuino, securi mundo vtuntur, quasi iugibus stulti reficiuntur epulis.

Eph. 5.

18 Serm. 7. in Psal. 118. tom. 5.

AMBROSIVS exponens verba illa, memor fui nocte nominis tui, inquit: Non magnum est, si tunc Domino gratias agas, quando in prosperis, & secundis es, sed si tunc adhæreas Christo, quando te persecutor exagitat, quando aliqua procella perturbat. Amisisti filium, in illo dolore, in illa nocte, in illa destitutione memento Domini

Dei

Dei tui, ne in tua præuariceris ærumna. Pulsus in exiliũ memento memento Domini Dei tui, ne patriæ interdictæ charitatem Deo præferas. Alicuius diuitis oppressus potentia, amisisti proprias facultates, indiges sumptu, memento Domini Dei tui, ne nox te egestatis abducat a deuotionis affectu. Hoc est enim mandatum legis, vt in nocte magis queras quando magis exaudiaris a Domino, & possis dicere, in tribulatione inuocaui Dominum.

19 In cap. 4. epistolæ 2. ad Timoth. to. 3.

IDEM explicans verba illa: In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt, ait: Pressuram, & tribulationes sibi illatas, defensionem suam nuncupat. Passio enim Christianis vita est, & persecutio, defensio. Pressura enim illata pro iustitia, defendit illum in die iudicij. Et quia derelictus est ab hominibus hac de causa amplius adiutum se credit a Deo, & ideo ait: Dominus autem astitit mihi, & confortauit me.

20 Epistola 33 tom. 2.

AVGVSTINVS epistola, quæ est ad Chrysinum, quem consolatur, ne deficiat in aduersis, ait: Rumor ad me detulit, Deus faciat vt non sit, te animo perturbatum, vt multum mirer prudentiam tuam, & Christianum animum parum cogitare rerum terrenarum conditionem nullo modo æquari posse cælestibus, vbi cor nostrum, & spes nostra collocanda est. Nunquid aut totum bonum tuum in his rebus erat, quas nunc videris amittere, aut tam magnum bonum illic deputabas, vt eo subtracto, sic tenebrescebat mens nimia tristitia, quasi lumen eius, non Deus, sed terra sit? Erige animum frater, Deus noster non perit a suis, nec perdet suos, vult autem monere nos quàm sint hæc fragilia, & non certa, quæ nimis diligunt homines, vt soluat a nobis vinculum cupiditatis, per quod implicatos nos trahunt, & totum amorem nostrum consuefacimus in eum currere, in quo nulla damna timeamus. Per mala præsentia docuit nos Deus temperanter prospera sæculi huius contemnere, & fortiter aduersa tolerare.

21 In epistola 137. quę est ad clerum, & populum Hipponensem.

IDEM inquit: Bonifacium presbyterum consolans, quod de adulterio infamatus falsò esset diabolus, qui vt leo circuit quærens quẽ deuoret, quem non potest deuorare seductum ad nequitiam, famam ipsius inquinare conatur, vt si fieri posset, opprobrijs hominum, & malarum linguarum detractione deficiat, & sic in eius fauces ruat. Si autem nec famam innocentis maculare potuerit, hoc ei persuadere tentat, vt per maleuolas suspiciones de fratre suo iudicet, & sic ab illo implicatus absorbeatur. Vt autem linguis detrahentium non deficiatis, sic per Prophetam Dominus dicit: Audite me, qui scitis iudicium, populus meus, in quorum corde lex mea est. Opprobria hominum nolite metuere, & detractione eorum ne superemini, nec quod vos spernant, magni duxeritis: sicut enim vestimentum, ita per tempus absumentur, & sicut lana a tinea comedentur, iustitia autem mea in æternum manet. Infra: Ad quid aliud sedent homines peccatores, & quid aliud captant, nisi, vt quisquis Episcopus, vel clericus, vel monachus, vel sanctimonialis ceciderit, omnes tales esse credant; sed ne omnes posse manifestari? Et tamen etiam ipsi cum aliqua maritata inuenitur adultera, nec proijciunt vxores suas, nec accusant matres suas. Cum autem de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur aliquid criminis, vel falsitatis sonuerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur.

Isa. 51.

IDEM inquit: Scimus ait Apostolus, quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum: omnia, inquit, non solum ergo illa quæ appetuntur, vt suauia, verum etiam illa, vt molesta vitantur: Et secundum præcepta diuina in omnibus gratias agimus ei, de quo dicimus; Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo, & bonum mihi Domine, quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas. Neque enim re vera si fallacis prosperitatis, semper hic tranquillitas arrideret, anima humana portum illum veræ certæq. securitatis appeteret.

22 Epist. 196. quę est apud Probam. Roma. 8. Psal. 33. Psal. 118.

IDEM ait: Prosunt ista mala, quæ fideles pie perferunt, vel ad emendanda peccata, vel ad exercendam, probandamq. iustitiam, vel ad demonstrandam vitæ huius miseriam, vt illa vbi erit beatitudo vera, atque perfecta, & desideretur ardentius, & instantius requiratur. Sed circa omnes ista seruantur, de quibus Apostolus dicit: Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.

23 Lib. 13. de Trinitate. to. 3. Rom. 8.

IDEM exponit locum Pauli ad Rom. 8. Expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat, inquit: In his verbis hoc eum puto dicere: nam & hoc ipsum, quod in nobis dolet cum facta carnis mortificamus, id est, cum esurimus, & sitimus per abstinentiam, dũ frenamus delectationem concubitus per castitatem, dum iniuriarum lacerationes, & contumeliarum aculeos per patientiam sustinemus, dum neglectis, atque reiectis voluptatibus nostris laboramus, quicquid in nobis in hac, atque huiusmodi attritione dolet, creatura est. Dolet enim corpus, & anima, quę vtique creatura est, vt expectat reuelationem filiorum Dei, id est, expectat quando appareat, quod promissum est in gloria. Quoniam & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit, & parturit vsque adhuc.

24 Lib. 83. quæstionũ to. 6.

25 Lib. 1. de ciuitate Dei c. 30. tom. 5.

IDEM ait; Cur afflicti rebus aduersis de temporibus querimini Christianis, nisi quia vestram luxuriam cupitis habere securam, & perditissimis moribus remota omni molestiarum asperitate affluere? Neque enim propterea cupitis habere pacem, & omni genere copiarum abundare, vt his bonis honeste vtamini, hoc est, modeste, sobrie, pie, sed vt infinita varietas voluptatum insanis effusionibus exquiratur, secundisque rebus ea mala oriantur in moribus, quæ sæuientibus peiora sint hostibus. Scipio enim iudicio totius senatus, vir optimus istam vobis metuens calamitatem, nolebat æmulam tunc imperij Romani Carthaginem dirui, & decernenti, vt diueretur contradicebat Catoni, timẽs infirmis animis hostem securitatem, & tanquam pupillis ciuibus idoneum tutorem, necessarium videlicet esse terrorem. Nec eum sententia fefellit re ipsa probatum est, quàm verum diceret. Delecta quippe Carthagine, magno scilicet terrore Romanæ reipublicæ depulso, & extincto, tanta de rebus prosperis orta mala continuo subsecuta sunt, vt corrupta dirruptaq. concordia, prius sæuis cruentisq. seditionibus, deinde malarum connexione causarum, bellis etiam ciuilibus, tantæ strages æderentur, tantus sanguis effunderetur, tanta cupiditate proscriptionum, ac rapinarum ferueret immanitas, vt Romani illi, qui vita integriore mala metuebant ab hostibus, crudeliora paterentur a ciuibus.

26 Lib. 2. de peccatorũ meritis, & remissione contra Pelag. tom. 7.

IDEM ait; Qui autem dicunt si peccato mors ista corporis accidisset, nõ vtiq; post remissionem peccatorum, quam redemptor nobis tribuit moreremur, non intelligunt, quomodo res, quarum reatum, ne post hanc vitam obsint, Deus soluit, tamen eas ad certamen fidei finit manere, vt per illas erudiantur, & exerceantur proficientes in agone iustitiæ. Posset enim, & alius hoc non intelligens dicere: Si propter peccatum, dixit Deus homini, in sudore vultus tui, vesceris pane tuo, & spinas, & tribulos pariet tibi terra, quare, & post remissionem peccatorum, labor hic permanet, & hæc dura, & aspera, parit etiam terra fidelium? Item: si propter peccatum, dictum est mulieri, in dolore paries filium, cur etiam post peccatum remissum, fœminæ fideles eosdẽ dolores parturiendo patiuntur? Et tamen cõstat, propter peccatum, quod admiserant, illos a Deo primos homines hæc audisse, atque meruisse, nec resistit his verbis diuini libri, quæ posui de labore hominis, & de parturitione mulieris, nisi qui alienus a fide Catholica est. Verum, quia & tales non desunt, eis respondemus, ante remissionem esse illa supplicia peccatorum, post remissionem autem, certamina, exercitationesq. iustorum: ita & illis, quos de morte corporis, similiter monet, respondere debemus, vt eã, & peccato accidisse fateamur, & post peccatorum remissionẽ, vt magnus timor eius a proficientibus superetur, ad certamen nobis relictã esse non dedignemur. Infra; Vnde statuit Deus, vt post Adæ peccatum propagata caro peccati, ad recipiẽdam iustitiam, laboribus & molestijs niteretur. Propter hoc etiam de paradiso eiectus Adam, contra Eden habitauit, idest cõtra sedem delitiarũ, vt significaret, quòd in laboribus, qui sunt delitijs cõtrarij, erudienda esset caro peccati, quæ in delitijs obedientiam non seruauit, antequam esset caro peccati. Sicut ergo illi primi homines, postea iuste viuendo, ab extremo supplicio liberati, non tamen in illa vita meruerunt ad paradisum reuocari; sic & caro peccati, etiam si remissis peccatis, homo in ea iuste vixerit, non continuo meretur eam mortem, non perpeti, quam traxit de propagine peccati. Tale aliquid nobis insinuatum est de Dauid, ad quem Propheta, cum missus esset, eiq. propter peccatum, quod cõmiserat euentura mala ex iracundia Dei cõminaretur; confessione peccati veniam meruit, & tamen consecuta sunt, quæ Deus fuerat comminatus, vt sic humiliaretur a filio, vt sic pietas hominis in illa humilitate exerceretur, atque probaretur. Sic & mortem corporis, propter hoc peccatum Deus hominibus inflixit, & post peccatorum remissionem, propter exercendam iustitiam non ademit.

2. Reg. 12.

Gen. 3.

27

28 In Psal. 28. tom. 8.

IDEM explicans verba illa; Dominus diluuium inhabitare facit, inquit. Dominus primum inhabitat diluuiũ huius sæculi in sanctis suis, tanquam in arca, ita in Ecclesia custoditis. Et sedebit Dominus rex in æternum, & deinde sedebit regnans in eis in æternum. Dominus virtutem populo suo dabit. Quia Dominus virtutem populo suo, contra huius mundi procellas, & turbines dimicanti dabit, quia pacem illis in hoc mundo, non promisit.

Gen. 7.

29 In Psal. 33.

IDEM explicans verba illa; Clamauerunt iusti, & Dominus exaudiuit eos, & ex omnibus tribulationibus eorum eripuit eos, sic habet: Iusti erant tres pueri, de camino, clamauerunt ad Dominum, & in laudibus eorum, ignes friguerunt. Accendere, & lædere flamma non potuit, laudantes Deum innocentes. Infra: Multæ tribulationes iustorum, & de omnibus his liberabit eos Dominus. Nũquid dicit, ideo sint Christiani iusti, vt nihil tribulationis patiantur? Non hoc promittit, sed dicit multæ tribulationes iustorum. Magis si iniusti sunt, pauciores habent tribulationes, si iusti sunt, multas habent. Sed post paucas tribulationes, aut nullas, illi venient ad tribulationem sempiternam, vnde nunquam eruentur: iusti autem, post multas tribulationes venient ad pacem sempiternam, vbi nunquam aliquid mali patientur. Custodit Dominus omnia ossa eorum, vnum ex his non conteretur. Ossa sunt firmamenta fidelium. Quomodo enim in carne nostra, ossa faciunt firmamentum; sic in corde Christiano fides facit firmamentum. Patientia, ergo quæ est in fide, ossa sunt interius. Ipsa sunt, quæ frangi non possunt, quia tolerantiam habent sancti in omnibus tribulationibus.

Dan. 3.

30 In Psal. 36.

IDEM in fine explicans illa verba; Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem, ait: Si Deus inquis, res humanas respiceret, non floreret illius iniquitatis, & mea innocentia laboraret. Omnis morbus animæ, habet in scripturis medicamentum suum. Qui ergo sic ægrotat, vt ista dicat in corde suo, bibat potionem psalmi huius. Noli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent, & sicut

Gen. 3.

sicut olera herbarum cito decident. Quod tibi longum videtur, cito est Deo. Quod ait fœnum, hoc intelligimus, olera prati vilia quædam sunt, & superficiem terræ tenentia altam radicem non habent, proinde per hyemem virent: at vbi sol æstatis feruescere cœperit, arescent. Modo ergo tempus est hyemis, gloria tua nondum apparet, sed si alta radix est charitatis tuæ, sicut multarum arborum gloria per hyemem transit frigus, venit æstas, id est, iudicij dies, tunc arescet viror fœni, tunc apparebit arborum gloria. Mortui enim estis, *Coloss. 3.* ait Apostolus, quomodo videntur arbores per hyemem, quasi aridæ, quasi mortuæ. Ergo quæ spes, si mortui sumus? Intus est radix. Vbi radix nostra, ibi & vita nostra. Et vita vestra, 31 inquit, abscondita est cum Christo in Deo. Quando arescit, qui sic habet radicem? Quando autem erit ver nostrum? Cum Christus apparuerit vita nostra, tunc apparebitis, & vos cum ipso in gloria. Quid ergo modo? Noli æmulari in malignantibus, &c. quoniam tanquam fœnum cito arescent. Quid ergo tu? Spera in Domino. Illi enim sperant non in Domino, spes illorum mortalis, caduca, fragilis, volatica, transitoria, inanis erit. Spera in Domino, & fac bonitatem, & pasceris in diuitijs *Psal. 72.* eius. Diuitiæ huius terræ, Dominus eius, Deus *Psal. 56.* eius sunt. Ipse est, cui dicitur: pars mea Dominus. Dominus pars hereditatis meæ. Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Discerne petitionem cordis tui a petitionibus carnis tuæ. Petitiones cordis sunt illæ, quibus petuntur carnalia; cordis autem, quibus postulantur spiritualia. Infra: Et educet iudicium tuum, tanquam meridiem. Ergo modò quid? Angustiæ, & tribulationes, & tentationes, & beatus qui perdurat, quia *Matt. 10.* qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Ne cedat insultatoribus, ne eligat hic florere, vt ex arbore fœnum fiat. Subditus esto domino, exerce te operibus, labora in vinea, finito die pete mercedem, fidelis est, qui te adduxit ad vineam. Infra: Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua. Prosperatur impius, sed in via sua, laboras, sed in via Dei. *Psal. 1.* Illi prosperitas in via est, in peruentione infelicitas, tibi labor in via, in peruentione felicitas, quoniam iter impiorum peribit, nouit autem Dominus vias iustorum. Has vias ambula, quas nouit Dominus. Et si ambulas in eis, 32 non te fallunt. Via vero impiorum felicitas transitoria, finita via peracta est felicitas, quia via illa lata est, finis eius in profundum inferni perducit. *Matt. 7.* Via vero tua angusta est, & pauci ingrediuntur per eam, sed ad quam latitudinem perueniant, debes cogitare, ne æmuleris eum, qui prosperatur in manu sua, define ab ira, & derelinque furorem. Si felicitatem sæculi tibi promisit Christus, murmura aduersus illum, quando vides infidelem felicem. Promisit autem felicitatem in resurrectione mortuorum. Quid autem in hac vita pateris, quod *Ioan. 13.* non ipse pertulerit? Non est seruus maior domino suo. Ille pro te dolores, flagella, opprobria, mortem passus est. Et quid horum iusto debebatur? Quid non tibi peccatori debebatur? Noli æmulari, vt maligneris, quoniam qui malignantur exterminabuntur. Sed felicitatem eorum video: Crede illi qui dicit, exterminabuntur, quia melius ille videt, quàm tu. Sustine Dominum. Sed quandiu peccator floret? Quandiu sustinebo? Festinas? cito erit, quod tibi diu est. Infirmitas facit diu videri, cito est. Quomodo inueniuntur desideria ægrotorũ? Nihil tandiu quàm vt calix sitienti præparetur. Vtique festinantur a suis, ne forte offendatur infirmus. Quando fiet? quando dabitur? Celeritas est in illis, qui tibi seruiunt, sed infirmitas tua diuturnum putat, quod cito agitur. Ergo videte medicum nostrum blandientem infirmo dicenti, quandiu durabo, quandiu erit? Et adhuc pusillum, & non erit peccator, sustinentes autem Dominum ipsi hereditabunt terram, ne sustinentiam istam longissimam putes, modicum sustine, sine fine accipies, quod sustines; adhuc pusillum modicum, & non erit peccator.

IDEM inquit: Cum sequeris viam Chri- 33 Concion. 2. eiusdem Psalmi.
sti, non tibi sæculi prosperitates promittas. Per dura ambulauit, sed magna promisit. Sequere, noli tantum attendere quà iturus es, sed quò venturus sis. Tolerabis dura temporalia, sed ad fœlicitatem, & lætitiam peruenies sempiternam. Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Nam & operarius in vinea deficeret, nisi attenderet quid accepturus esset. Cum autem attenderis quid sis acceptorus, omnia tibi erunt vilia, quæ pateris, nec digna æstimabis, pro quibus illud accipias. Miraberis tantum dari pro tanto labore. Nam vtique fratres pro æterna requie labor æternus subeundus erat. Aeternam felicitatem accepturus, æternas passiones sustinere deberes. Sed si æternum sustineres laborem, quando venires ad æternam felicitatem? Ita fit, vt necessariò temporalis sit tribulatio tua, qua finita, venias ad fœlicitatem infinitam. Sed plane fratres posset esse longa tribulatio pro æterna felicitate. Verbi gratia. Vt quoniam felicitas nostra finem non habebit, miseria nostra, & labor noster, & tribulationes nostræ diuturnæ essent. Nam etsi mille annorum essent, appende mille annos contra æternitatem, quid appendis cum infinito, quantuncunque finitũ. Decem millia annorum, decies centena millia, si dicẽdum est, & millia millium, quæ finem habent, cum æternitate comparari non possunt. Huc accedit, quia non solum temporalem voluit laborem tuum Deus, sed etiam breuem. Paucorum dierum est tota vita hominis, etiam si læta duris non miscerentur, quæ plura, & longiora sunt certe quàm dura, & ideo breuiora, & pauciora sunt dura, vt durare possimus. Si ergo per totam vitam suam homo in laboribus, & in ærumnis esset, in doloribus, & in tormentis, in carcere, & in plagis, in fame, & siti omnibus diebus, horis omnibus

nibus, per totam vitam suam vsque ad ætatem senectutis pauci dies sunt tota vita hominis, quo labore transacto, veniet regnum æternũ, 34 veniet sine fine felicitas, veniet hereditas Christi, veniet coheres Christus. Veterani milites, qui laborant in militia, & versantur inter vulnera totannos, incipiunt militare in iuuentute, exeunt senes, vt habeant paucos dies quietos senectutis suæ, quãdo eos iam ipsa ætas incipit grauare, quos bella non grauant, quanta dura tolerãt, quæ itinera, quæ frigora, quos soles, quantas necessitates, quæ vulnera, quæ pericula, & non attendunt patientes hæc omnia, nisi paucos dies quietos illos senectutis, *Psal. 36.* ad quos vtrum perueniãt, nescinnt. Ergo a Domino gressus hominis dirigẽtur, & vitam eius volet. Ipse est enim Christianus, qui vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quam per illam, qua ipse iuit. Dura videtur, sed ipsa est tuta via, alia forte delitias habet, sed latronibus plena est: Cũ ceciderit iustus, non conturbabitur, quoniam Dominus firmat manus eius. Ecce quid est vel le viam Christi. Contingat illi, vt aliquam tribulationem patiatur aliquam exhonorationẽ, aliquam contumeliam, aliquam afflictionem, aliqua damna. Proponit sibi Dominum suum quanta genera tentationum passus est, & non conturbabitur, cum ceciderit, quia Dominus confirmat manum eius, quia prior passus est. Quid timebis, ò homo, cuius directi sunt gressus, vt velles viam Domini? Quid timebis? Dolores? Flagellatus est Christus. Contumelias timebis? Audiuit, dæmonium habes: qui dæmonia excludebat. conspirationem malorum? conspiratum est aduersus illum. falsum testimonium? & illud dictum est contra Dominum in resurrectione ipsius.

35 IDEM exponẽs verba illa: Hęc omnia ve- *In Psal. 43.*
nerunt super nos, nec obliti sumus te, & inique non egimus in testamento tuo, & non recessit retro cor nostrũ, & declinasti semitas nostras a via tua, ait: Quia non recessit retro cor nostrũ, quia obliti non sumus te, quia inique non egimus in testamento tuo positi in magnis tribulationibus, & persecutionibus, declinasti semitas nostras de via tua. Semitæ enim nostræ erãt in voluptatibus sæculi, in prosperitatibus tẽporaliũ rerum. Tulisti semitas nostras de via *Matt. 7.* tua, & ostendisti nobis, quàm arcta, & angusta via est, quæ ducit ad vitã? Et declinasti semitas nostras de via tua. Quid est, declinasti semitas nostras de via tua? Tanquam diceret nobis, in tribulatione positi estis, multa patimini, multa quæ amabatis in hoc sęculo amisistis, sed nõ vos dimisi in via quã angustam vos doceo. Latas semitas quærebatis? Quid vobis dico? Hac itur ad vitam sempiternam. Qua vultis ambulare, ad mortem pergitis. Quàm lata, & spatiosa via est, quæ ducit ad interitum, & multi ambulant per eam, quàm arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui ambulant per illam. Qui sunt pauci? Qui tolerant tribulationes, qui tolerant tentationes, qui in istis omnibus molestijs non deficiunt, qui non ad horam gaudent ad verbũ, & in tempore tribulationis tanquã orto sole arescunt, sed habent radicem *Luc. 8.* charitatis, ne eos sol vrat, sed nutriat. Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis, seu infirmitatis, ergo exaltabis nos in loco fortitudinis.

IDEM explicans titulum psalmi, qui est in 36 *In Psal. 53.*
fine in hymnis intellectus ipsi Dauid, cum venerunt Ziphęi, & dixerunt ad Saul: nonne ecce *1. Reg. 23.*
Dauid absconditus est apud nos, inquit: Fructuosus dolor nunc est, cum te accusas, cum in te reprehendis malos mores tuos, cum reprehensos persequeris, persecutos excludis, illisq. exclusis mutaris exuens te veterem hominẽ, & induens nouũ, eligens potius Christi opprobrium, quàm florẽ Ziphęorum. Latebat Dauid inter Ziphęos, nec delectabatur flore illorũ. Vnde aiebat in alio psal. Iudica me Deus, *Psal. 42.*
& discerne causã meã de gẽte nõ sancta. Quid est, discerne causam meã, iudica me? Discerne me a Ziphęis, inter quos lateo. Pertuli eorũ florẽ, iam veniat & flos meus. Et illorum quidem flos fuit temporalis, & arescente fœno decidit, flos autẽ meus quis erit? Plantasti in domo Do- *Psal. 91.*
mini, in atrijs domus Dei nostri florebunt.

IDEM explicãs verba illa; Moab olla spei 37 *In Psal. 59.*
meæ, inquit: Spei meæ est olla Moab non consumptionis meæ. Vide in tribulationibus ollã spei, audi Apostolum: Sed & gloriamur, inquit, *Rom. 5.*
in tribulationibus scientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem. Si tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio vero spem, olla est autem tribulatio, quæ operatur spem, merito Moab olla spei meæ. Spes autem non confundit, olla non me confundet, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis.

IDEM explicans verba illa; Et senectus 38 *In Psal. 91.*
mea in misericordia vberi, seu pingui, inquit: Senectus mea nouissima mea dixit: Quomodo in ætatibus nostris nouissima senectus, est sic totũ hoc, quod modo patitur Christi corpus in laboribus, in ærũnis, in vigilijs, in fame, in siti, in scãdalis, in pressuris, iuuẽtus ipsius est. Senectus ipsius, ideſt, nouissima ipsi⁹ in lętitia erũt. Infra: Iustus, vt palma florebit, sicut cedrus libani multiplicabitur. Transit fœnũ, transit flos peccatorũ. Quid de iustis? Iustus, vt palma florebit. In palma significauit, quia in nouissimis suis pulchra est, vt initiũ eius a terra ducas, finẽ ipsius in cacumine, vbi habet totã pulchritudinẽ, aspera radix videtur in terra; pulchra coma sub cęlo est. Erit ergo & tua pulchritudo in fine. Nũquid cũ sol exierit arescit palma? Nũ quid arescit cedrus? Cum autẽ sol cadens aliquãdo fuerit, arescit fœnũ. Venit ergo iudiciũ, vt arescant peccatores, vt vireſcãt fideles. Cedrus, & palma nec in tẽpestatiubus curuãtur.

IDEM ait: Ipsa merces redditur operarijs in vinea laborantibus, secundum euange- 39 Tractatu 17. in Euangel. Ioannis.
lium: Operarij sumus, & adhuc in vinea laboramus, finito die, finito opere, merces restituetur. Sed quis operarius perdurat ad perci-

piendam mercedem, nisi qui pascitur, cum laborat? Non enim & tu operario tuo mercedem solam daturus es, non etiam affers illi vnde vires reparet in labore? Pascis vtique cui mercedem daturus es. Similiter Deus hic nos pascit, ne deficiamus in labore.

40 Sermone 9. in Matthæū 20.10. IDEM explicans verba illa; Venite omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, sic habet: Mirum videtur quibusdam cum audiunt Dominum dicentem: venite ad me omnes, qui laboratis, &c. & considerant eos, qui iugum ipsum intrepida ceruice subiecerunt, & illam sarcinam mansuetissimis humeris acceperunt, tantis agitari, & exerceri difficultatibus huius seculi, vt non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad labores vocati videantur, cũ & Apostolus dicat: omnes qui pie 2. Tim. 3. volunt viuere in Christo Iesu persecutionem patientur. Ait ergo aliquis, quomodo iugum suaue est, & sarcina leuis, quando illa ferre nihil est aliud, quàm pie viuere in Christo? Et quomodo dicitur: venite qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, ac nõ potius dicitur Matth. 20. venite, qui vacatis, vt laboretis? Nam & vacantes inuenit, quos conduxit in vineam, vt ferrent æstum diei. Et sub illo iugo leui audiamus Apostolum dicentem: In omnibus exhibeamus nos metipsos sicut Dei ministros 2. Cor. 6. in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, &c. Et alibi: A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter vergis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, & cetera, quæ numerari quidem pericula possunt, sed tolerari nisi spiritu iuuante, non possunt. Omnia ergo illa quæ commemorauit aspera, & grauia, frequentius, 2. Cor. 4. & abundantius sustinebat, astante spiritu sancto, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renouaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia delitiarum Dei, in spe beatitudinis futurę, omnia præsentia deliniret aspera, & omnia grauia releuaret. Ecce quàm suaue iugum Christi portabat, & omnia illa quæ superius enumerata dura, & immania omnis auditor horresci, leuem tribulationem 41 diceret; intuens interioribus, & fidelibus oculis quanto pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati ęternos labores impiorum, & sine vlla sollicitudine perfrui ęterna fęlicitate iustorum. Secari, & vri se homines patiuntur, vt dolores non æterni, sed aliquanto diuturnioris vlceris acriorum dolorum pretio redimãtur, inlanguida, & incera vacationis breuissimæ, atque vltimæ vitæ. Immanissimis bellis miles attritus pluribus fortasse annis in laboribus inquietus, quàm in otio quieturus. Quàm terribili, & tremenda sęuitia cęli, & maris impleti sunt mercatores, vt diuitias acquirant. Quos æstus quæ frigora, quæ pericula ab equis, a fossis, a flumiuibus, a feris perferunt venatores, quem laborem esuriendi, & sitiendi? Sed intus omnibus, qui hæc non amant, eadem grauia patiuntur, qui verò amant, eadem quidem, sed non grauia pati videntur, omnia enim fæua, & immania prorsus facilia, & prope nulla facit amor. Quanto ergo certius, ac facilius ad veram beatitudinẽ charitas facit, quod ad miseriam quantum potuit cupiditas fecit, quàm facile toleratur quælibet aduersitas temporalis, vt æterna pena vitetur, æterna requies comparetur. Non immerito Paulus dixit: non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. Ecce vnde illud iugũ Rom. 8. suaue est, & sarcina leuis. Etsi angusta est paucis eligentibus, facilis tamẽ omnibus diligentibus. Dicit psalmista: propter verba labiorũ tuorũ, ego custodiui vias duras. Sed quę dura sunt laborantibus, eisdẽ ipsis mitescunt amãtibus.

42 In Psal. qui habitat. sermone 17. BERNARDVS sic ait; Vtilis tribulatio quæ probationem operatur, ducit ad gloriam. Cum ipso sum, inquit, in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Agamus gratias patri misericordiarum, qui nobiscum est in tribulatione, & in omni tribulatione nostra nos cõsolatur. Res necessaria tribulatio, quæ in gloriam vertitur, tristitia quę mutatur in gaudiũ. Res necessaria est ista necessitas, quæ coronã parit. Semẽ modicũ est tribulatio, magnus exinde fructus exurgit. Forte, insipidũ, forte, acerbum est, forte granum sinapis. Non consideremus quæ videntur, sed quę non videntur in eo. Quæ enim videntur temporalia sunt, quæ autẽ 2. Cor. 4. non videntur, æterna. Gloriemur in spe gloriæ magni Dei, prælibemus primitias gloriæ, sed vt dicam expressius, gloriemur in tribulationibus. In tribulatione siquidem spès est, quoniam tribulatio patientiam operatur, patien- Rom. 5. tiæ probationem, probatio vero spem. In tribulatione spes gloriæ, immo & ipsa in tribulatione gloria continetur. Sicut spes fructus in semine, sic ipse fructus in semine est. In hunc modum etiam modo regnũ Dei intra nos est, thesaurus ingens in fictilili vase, in agro vili. Est inquam, sed absconditum est, fœlix, qui ibi inuenerit illud. Quam veraciter hunc thesaurum inuenerat, qui aiebat: momentaneum, & 2. Cor. 4. leue tribulationis nostræ supra modũ in sublimitate æternum glorię pondus operatur in nobis. Non dixit remunerabitur, sed æternũ gloriæ pondus operatur. Gloria abscondita nobis est in tribulatione, in momentaneo hoc latet æternitas, in hoc leui pondus sublime, & supra modum. Omne gaudium existimemus, cum in varias incideremus tribulationes. Dicamus ex animo melius est ire ad domum lu- Eccli. 7. ctus, quàm ad domum conuiuij. Cum ipso sum in tribulatione, ait Deus, & ego aliud interim requiram quàm tribulationem? Descendit, vt prope sit his, qui tribulato sunt corde, vt nobiscũm sit in tribulatione nostra. Bonum mihi Domine tribulari, dummodo ipse sis mecum, quã regnare sine te, epulari sine te, sine te gloriari. Bonum in tribulatione magis amplecti te, in camino habere te mecum, quàm esse sine te, vel in cælo. Quid enim mihi est in Dan. 3. Psal. 72. cælo, & a te quid volui super terram? Aurum probat fornax, & viros iustos tentatio tribu-

Eccli. 2. tribulationis. Ibi ibi cum eis es Domine, ibi medius astas, sicut olim, cum tribus pueris es dignatus etiam ethnico apparere, vt diceret; quia species quarti similis filio Dei. Quid trepidamus? quid cunctamur? quid effugiamus hunc caminum? Sęuit ignis, sed Dominus nobiscum est in tribulatione. Si Deus nobiscum, quis contra nos? Si ille eripit, quis est, qui rapiat de manu eius? Postremo si ille glorificat, Rom. 8. quisnam alius inglorium faciet? Si ille glorificat, quis humiliabit?

44 Serm. 28. in Cantica. Cap. 1. IDEM explicans verba illa; Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis, inquit: Est nigredo persecutionis, quæ pro summo ornamento habetur, si quidem suscipiatur, pro iustitia, & veritate. Act. 5. Vnde est illud: Ibant Apostoli gaudentes a conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt, pro nomine Iesu contumeliam pati. Deniq; beati, qui persecutionem patiuntur, propter iustitiam. Hac potissimum gloriari Ecclesiam arbitror, hanc libẽtius imitari de pellibus spõsi, qui dicebat, si me persecuti sunt, & vos persequentur. Vnde addit sponsa: Nolite me cõsiderare, quod fusca sim, quia decolorauit me Sol: Hoc est. Nolite me notare, quasi deformẽ; quia cernitis pro ingruente persecutione minus florentem, minus secundum gloriam sæculi coloratam. Quid exprobatis nigredinem, Cant. 1. quam feruor persecutionis, non conuersationis pudor inuexit? Filij matris meæ pugnauerunt contra me adijciens, persecutionem passam se esse aperte significat.

45 In epist. 1. quæ est ad Robertũ nepotẽ suum. IDEM ait; Olus, faba, pultes, panisq. cibarius cum aqua, quiescenti quidem fastidio sunt, sed exercitato magnæ videntur delitiæ. Iam forte tunicis dissuetus exhorres nimirum eas, tam propter hyemis frigus, quã propter æstatis ardorẽ, sed non legisti, qui timet pruinam irruet super eum nix? Vigilias times, & Iob 6. ieiunia manuumq. laborem, sed hæc leuia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio tenebrarum exteriorum facit, non horrere solitudinem. Si futuram cogitas de verbis ociosis discussionem, non valde displicebit silentiũ. Fletus æternus, & stridor ille dentiũ ante cordis oculos reductus, pares tibi reddet mãtam, & culcitiam. His rationibus conuincebat Bernardus iuuenem, & nobilem, & delicatum ad ferendos labores grandes religionis.

Iusti tristantur videntes mala proximi, si autem aliquando gaudere videntur, futura tantum prophetant, mala non optant. Cap. XVI.

1 Homil. 10. in c. 18. Numerorum. tom. 1. ORIGENES explicans verba illa; Et dixit Dominus ad Aaron, tu, & filij tui, & domus patris tui, tecum sumetis peccata sanctorum, inquit: Qui meliores sunt inferiorum, semper culpas, & peccata su-

scipiunt. Sic enim, & Apostolus dicit: Vos qui Rom. 15. firmiores estis, debetis imbecilitates infirmorum sustinere.

2 Lib. 1. in Lamentationes Hieremiæ. tom. 4. HIERONYMVS explicans verba illa; Vindemia eos sicut vindemiasti me ait. Vindemiare est vnum quemque operum suorum fructum metere. Vindemiat enim Dominus hostes suos, qui sanctos eius vindemiauerunt, quando pro contritione temporali, qua illos ad probationem opprimere permisi sunt, in futuro iudicio perpetuã faciet recipere vltionem. Sed hoc intimandum est, quòd quando sancti viri deprecatorio more contra hostes suos rogant, non voto malitiæ, sed spiritu prophetiæ, hoc quod præ sciunt futuri prædicunt. Nam iusti conuerti homines desiderant nõ perire, sicut dixit Dauid: Confundantur, & reue- Psal. 39. reantur, qui quærunt mihi mala. Vbi venitur ad homines corrigibiles, non maledictio fundi tur, sed correctio postulatur. Confundi est facta sua erubescere, & in meliorem sententiam commutari. Et vt hoc magis ad conuersionẽ intelligere debuisses addidit. Reuereantur, id est emendat, colant, quem persequendum esse putauerant. Quando autem dicitur iudica; Psal. 34. Domine nocentes me, id est damna, de diabolo intelligit, & ministris eius, & dicit id, quod nouerat esse venturum. Nam cum Dominus præ- Cap. 1. cipiat, pro inimicis orare hominibus, hæc non potest conuenire sententia, quorum damnatio nem, aut postulet, aut exoptet.

3 In lib. expositionis epistolæ Pauli ad Galatas. tom. 5. AVGVSTINVS inquit; Nihil sic probat spiritualem virum, quã peccati alieni tractatio, cum liberationem eius potiusquam insultationem, potiusquã auxilia, quã conuitia meditatur, & quantum facultas tribuit suscipit, & ideo dicit Paulus: Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis instruite huiusmodi. Deinde ne sibi quisq; videatur instruere, etiam cũ proterue exagitat irridetq. peccãtem, aut superbe tanquam insanabilem detestatur. In spiritu, inquit, mansuetudinis considerans teipsum, ne & tu tenteris. Nihil enim ad misericordiam sic inclinat, quàm proprij periculi cogitatio.

4 In Psal. 69. tom. 4. IDEM exponens verba illa; Confundantur, & reuereantur, qui quærunt animam meã, sic habet: In alio psalmo dolebat se non quæri ad imitandum dicens: Perijt fuga a me, & non est, qui requirat animam meam: Hic autem dolet se quæri ad opprimendum, & ait: Confundantur, qui quærunt animam meam. Quæris animã iusti, cum imitari cogitas, quę- Psal. 141. ris animam iusti, cum occidere cogitas. Con- Matt. 5. fundantur, & reuereantur. Et vbi est, quod audisti a Domino tuo, diligite inimicos vestros, benefacite his, qui vos oderunt, & orate pro his, qui persequuntur vos? Ecce persecutionem pateris, & maledicis his, a quibus pateris. Quomodo imitaris Dominum in cruce dicentem: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt? Hoc optant sancti inimicis suis, confundantur, & reuereantur:

Quandiu enim non confunduntur, & reuerentur, necesse est facta sua defendant. Optemus hæc inimicis nostris: secure optamus, vt de malefactis confundantur. Et mentem explicans psalmi dixerat: Est in hoc psalmo vox contribulatorum inter passiones periclitantium, vt erant martyres. Nos non tales persecutiones vrgent, quales ipsos vrgebant, sed fortasse peiores in omnimodis generibus tantorum scandalorum. Nostra enim tempora magis abundant illove, quod damnauit Dominus, dicens: væ mundo a scandalis. Et quoniã abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Neque enim & Loth ille sanctus in Sodomis ab aliquo corporalem persecutionem patiebatur, sed persecutio eius facta mala Sodomitarum erant. Inter proximorum peccata nos gemimus, & hæc persecutio nostra est, si est in nobis charitas, qua dicat: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?

Matt. 18.
Matt. 24.
2.*Cor.* 11.

5 In Psal. 98.

IDEM explicans verba illa de Moyse, Aaron, & Samuele, vicissẽs in omnes adinuentiones eorum, disputat in quo sancti isti sunt puniti, & ait: quid est quod in illis vendicatum est quæro, & secundum homines non inuenio, secundum autẽ quòd scio pati seruos Dei, quotidie vendicatum est in illos. Legite, & videte vindictas, vindictas quotidie patiebantur, populos contradicentes, quotidie patiebantur, inique viuentes, & inter illos viuere cogebantur, quorum vitam quotidie reprehendebant. Hæc erat vindicta, nondum proficit, cui parua est. Tantum te enim torquet iniustitia aliena, quantum recesseris a tua. Cum enim fueris frumentum, id est, herba bona, de semine bono cum cœperis fructum dare, tunc tibi apparebunt zizania: cum enim creuisset, & herba fructum fecisset, tunc apparuerunt zizania. Ex sententia Domini, necesse erit parcere zizanijs, ex conditione serui, necesse erit viuere inter zizania. Separare ea non potes, tolerare tibi, necesse est. Vide quantas plagas in corde patiaris, qui corpore, & corde integro inter malos versaris. Qui apponit scientiam, apponit dolorem. Ecce abundet in te charitas, & plus dolebis peccantem. Quanto in te maior est charitas, tanto amplius te torquebit, quem toleras, non torquebit tanquã irascentem illi, sed tanquam dolentem pro illo. Vide Paulum Apostolum quid patiebatur. Dixit enim multa, quæ patiebatur, & præter illa, quæ sunt exteriora, & quæ patiebatur a malis persecutoribus Christi, ait, præter illa, quæ sunt instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Et videte qualis sollicitudo quàm paterna, quàm materna. Videte quomodo cedebatur, vt vindicaretur in omnes affectiones eius. Dicimus affectiones eius, in quas vindicabat Deus: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Quantò maior charitas, tantò maiores plagæ de peccatis alienis.

Eccl. 1.
2.*Cor.* 11.

IDEM explicans verba illa; In quacunque die tribulor, velociter exaudi me; sic habet: Quid est in quacunque die tribulor? Non sufficeret dicere: inclina ad me aurem tuam, quoniam tribulor? In quacunque die tribulor inclina ad me aurem tuam. Tanquam vnitas corporis, si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Tribularis tu hodie, ego tribulor, tribulatur alius crastinò, ego tribulor. Post istam generationem alij posteri, qui succedunt posteris tribulantur, ego tribulor, neque in finem sæculi. Quicunque in meo corpore tribulantur, ego tribulor. Infra: Et ossa mea sicut in frixorio confrixa sunt. Et ipsa ossa mea, & ipsa fortitudo mea, non sine tribulatione, non sine vstione. Ossa corporis Christi, fortitudo corporis Christi, vbi maior, quàm in sanctis Apostolis? Et tamen vide ossa frigi. Quis scandalizatur, & ego non vror? Fortes sunt fideles boni intellectores, & prædicatores verbi, viuentes vt loquuntur. Fortes plane sunt, sed omnes qui scandalum patiuntur, frixorum ipsorum sunt. Sunt ossa interiora omnibus carnibus, & portant omnes carnes. Verum si quisquam patiatur aliquod scandalum, & in anima periclitetur, tantum os frigitur, quantum amat. Desit amor, nemo frigitur, adsit charitas, etsi membrum compatitur, patiente vno membro, quomodo friguntur, qui portant vniuersa membra? Infra: A voce gemitus mei adhæserunt ossa mea carni meæ. A voce gemitus mei, non a voce gemitus illorum, quibus compatior. Multi enim gemunt, gemo & ego, & hoc gemo, quia male gemunt. Amisit nummum gemit, amisit fidem, non gemit. Acquisiuit pecuniam, perdidit iustitiam. Gemit tunc, qui gemere nouit, qui capiti propinquat, qui recte hæret corpori. Volumus eos emendare, corrigere, & quando non possumus, gemimus. Adhæserunt fortes inualidis, adhæserunt firmi infirmis. Qua lege adhæserunt, nisi quia dictum est: debemus nos firmi infirmitatem infirmorum portare.

6 In Psal. 101

1.*Cor.* 12.

Rom. 15.

7 In Psal. 118. cõcione 24.

IDEM explicans verba illa; Iniquos odio habui, & legem tuam dilexi, ait: Non dicit, non ait: iniquos odio habui, & iustos dilexi, sed iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi, sed cum dixisset, iniquos odio habui, exposuit quare, addendo, & legem tuam dilexi, vt demonstraret, non in se hominibus iniquis odisse naturam, qua homines sunt, sed iniquitatem, qua legi, quam diligit, inimici sunt.

8 In Psal. 138

IDEM exponens verba illa; Nonne omnes, qui te oderunt, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam? inquit: Nonne cum zelus domus tuæ comedit me, videbam insensatos, & tabescebam? Nonne & tædium detinebat me a peccatoribus derelinquentibus legem tuam? Sed vbi est, diligite inimicos vestros? An quia vestros dixit non Dei? Benefacite, inquit, eis, qui oderunt

Psal. 68.

oderunt vos, non ait, qui oderunt Deum. Ideo iste securus dixit: Nonne eos qui oderunt te Domine odio habui? Non dixit, qui oderunt me. Et super inimicis tuis tabescebam: Tuis dixit, non meis. Sed qui nos propterea oderunt, & propterea nobis inimici sunt, quia Deo seruimus, quid aliud quàm eum oderunt, & eius inimici facti sunt? Nunquid ergo tales inimicos nostros diligere non debemus? Ergo attende, quod sequitur, perfecto odio oderam illos. Quid est perfecto odio? oderam in eis iniquitates eorum, diligebam condi tionem tuam: Hoc est, perfecto odio odisse, vt nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas. Inimici facti sunt mihi. Quomodo ergo & in eis impleuit, quod ipse dixit: nonne eos, qui te oderunt Domine, oderam, & quod Dominus præcepit: diligite inimicos vestros? Quomodo implebit hoc, nisi illo perfecto odio, vt hoc in eis oderit, quod iniqui sunt, hoc diligat, quod homines sunt?

Exo. 31.

Famulus Dei Moyses quomodo oderat peccatores, cum pro eis orabat, & quomodo non oderat, cum eos occidebat, nisi quia perfecto odio oderat eos? Ea namque perfectione sic oderat iniquitatem, quam puniebat, vt diligeret humanitatem, pro qua orabat. Corpus ergo Christi ab impijs in fine etiam corporaliter separandum est, nunc inter eos interim gemat. Sit filia, & sponsa Christi modo sicut lilium inter spinas, &c.

9 Sermone 2. de resurrectione Domini.

BERNARDVS inquit: Quotiens peccantem videris fratrem, continuo procedere debet compassionis affectus, tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex te ipso. Vos, inquit Apostolus, qui spirituales estis, instituite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Et cum exiret Dominus, baiulans crucẽ, & plangerent super eum mulieres paucæ, conuersus ad eas dixit: Nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. ordinem diligenter attende. Super vos, inquit primo, deinde super filios vestros. Temetipsum attende, vt alij noueris compati, vt arguas in spiritu lenitatis. Te ipsum considera, ne & tu tenteris. Sanctus quidam senex, cum audisset peccasse vnũ ex fratribus amarissime flebat, & dicebat ille hodie, ego cras; Qui sic flebat super se, putas quia non compassus sit fratri? Sed quid agimus, quod nonnulli dura ceruice, & attrita sunt fronte, vt quo magis eis compatimur, tanto magis nostra & compassione, & patientia abutuntur? Nonne sicut compatiebamur fratri, ita & ipsi iustitiæ compatiendum est, quam videmus tam impudenter prouocari? Scio, quia si qua in nobis est charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non possumus. Hic est zelus iustitiæ, quo aduersus delinquentes accendimur, tanquam pietate ducti erga eam, quam contemni videmus iustitiã Dei. Veruntamen oportet, vt priora sibi vendicet compassionis affectus, alioquin in spiritu vehementi conterimus naues Tharsis,

Galat. 6.

Luc. 23.

conterimus quassatum calamum, extinguimus linum fumigans. Sed cum vterque aderit videlicet & compassionis affectus, & zelus iustitiæ, necesse est, vt adsit spiritus discretionis, ne forte indiscretio confundat vniuersa. Vnde Propheta regius ait: Bonitatem, & disciplinã, & scientiam doce me. Simulare aliquis potest, vt cum priuato amore, vel odio ducitur, compassionis affectum, aut zelum putet esse iustitiæ. Quærendus ergo est affectus compassionis, rectitudinis zelus, & spiritus discretionis. Bonitatem postulat, vt compati norit, & disciplinam, vt corrigat, & scientiam, vt cum discretione vtrunque præstet. Videas multos (sincera licet intentione, & benigno accedant animo) leuiter dicere, quod grauiter audiatur. Volat irreuocabile verbum, & quod sanare deberat, exasperat, & exulcerat magis. Venite, emite absque argento vinum, & lac. A Domino emenda est lactis dulcedo, & vini austeritas ad corrigendum proximum.

Psal. 113.
Isa. 55.

10 Sermone 12 in Cantica.

IDEM differuerat de vnguento contritionis, & deuotionis, & ait: Sed est vnguentum, quod ambobus longe antecellit, & hoc appellauerim pietatis, eo quod fiat de necessitatibus pauperum, de anxietatibus oppressorum, de perturbationibus tristium, de culpis delinquentium, & postremo de omnibus quorumlibet miserorum ærumnis, etiam si fuerint inimici. O quæcunque es anima sic affecta rore misericordiæ, sic affluens pietatis visceribus, sic te omnibus omnia faciẽs, sic facta ipsa tibi tanquam vas perditum, vt ceteris præsto vbique semper occurras, atque succurras, sic denique mortua tibi, vt viuas omnibus. Tu felix, cuius manus distillauerunt totius suauitatis liquorem. Sic erat Paulus vas electionis, cuius pectus sic affecerat sollicitudo omnium Ecclesiarum, qui aiebat: quotidie morior propter vestram gloriam. Et rursum: quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Decebat namque primis, & purissimis aromatibus redolere vbera, quæ Christi membra lactarent eos, quos parturiebat, donec Christus formaretur in eis. Audi & de alio diuite quomodo ad manum habebat electas species, de quibus optima vnguenta confi ceret. Foris, inquit, nõ mansit peregrinus, ostiũ meum viatori patuit. Item oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, conterebã molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Si comedi buccellam meam solus, & non comedit pupillus ex ea. Si despexi prætereuntem, eo quod non haberet indumentum. Ioseph etiam suis venditoribus hanc fragrantiã propinauit, erumpebant lachrymæ de pingue dine cordis non iræ indices, sed gratiæ proditrices. Samuel lugebat Saul, & ad ignem charitatis incalescente pectore, liquefactus intus pietatis adeps foras emanabat per oculos. Quid de Moyse dicam? quanto adipe, & pinguedine ipse repleuerat viscera sua? Qui inter assiduas lites, & iurgia non potuit domus illa exasperans furore suo vnctionem spiritus

Iob 29.
Iob 31.
Gen. 45. 11
1. *Reg.* 15

exterminare, in tantum, vt populo ingrato, & rebelli non modo non iraſceretur, ſed & iraſcentem Deum ſuo interuentu liniret. Si dimittis, ait, dimitte, ſinautem dele me de libro, quem ſcripſiſti. O vere hominem vnctum vnctione miſericordiæ. Loquitur plane parentis affectu, quam nulla poſsit delectare fœlicitas excluſis, quos parturiuit. verbi gratia, ſi dies quiſquam mulieri paperculæ dicat: ingredere tu ad prandium meum, ſed quem geſtas paruulum, relinque foris, quia plorat, & moleſtus eſt nobis, nunquid faciet? Nonne magis eliget ieiunare, quàm expoſito pignore charo ſolam prandere cum diuite? 2.Reg.1. Sic fuit & Moyſes, &c. Dauid illius mortem lugebat, qui ſuam ſemper ſitierat: Illius moleſte ferebat deceſſum, cui ſuccedebat in regnum. Plura diximus de re hac libro 1. capite 14. & 16.

Iuſtus etſi ſolus mereatur nomen ſapientis, ſimplex eſt, & prudens, mali autem duplici corde viuunt.

Cap. XVII.

1 Lib. 1. in c. 1. Iob. to. 2. ORIGENES explicans verba illa; Erat Iob ſimplex, ac rectus, inquit; Erat ſimplex, non fictus. Non erat in illo duplicitas, non erat in illo hæſitatio. Non loquebatur aliud in ore, aliud vero cogitabat in corde. Non aliud dicebat verbis, & aliud cogitabat in animo. Non erant verba illius mollia in labijs, iacula vero in occulto: quemadmodum nunc ſunt plurimorũ, quemadmodum ſunt innumerabilium. De quibus dicitur: Molles fuerunt ſermones ſuper oleum, & ipſi ſunt iacula. Et adhuc: Proximo ſuo loquitur bona, & initia ſe habet mala. Et alibi: In labijs ſuis blandus induleat inimicus, in corde vero ſuo inſidiatur. Erat Iob verax in corde, verax in cogitationibus, & verax in reſponſionibus, verax in verbis, & verax in factis, verax cum hominibus, & verax cum angelis. *Pſal.54. Iob 40.*

2 In epiſt. ad amicũ ægrotum de viro perfecto. to.9. HIERONYMVS ſic ait: Homo noſter Deum colere, principalem ſcit eſſe ſapiẽtiam, non edoctus humanæ ſapientiæ verbis, ſed ſpiritu Dei, & eius ſuperfuſa nobis dignatione callemus. Hæc eſt illa ſtultitia ſæcularium, hæc ſapientia vocatorum, cogitare ſemper in corde: quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi. Ipſum habere ſemper in ore, quoniam verbum eſt, eſurire eum, quoniam panis eſt. Ipſius ſpiritu etiam ebrios mente excedere, quia calix eſt noui teſtamenti. Illum loqui omni tempore, quoniam linguas nobis nouas ſpiritus eius aduexit. Quæ ſunt autem iſtæ linguæ nouæ, niſi in ſæculo eſſe, & ſermonem de ſeculo non habere, alijs linguis loqui populo, quam loqui populus ſecum conſuenit. Dominum amare, quia interpellat pro nobis metuere, quia pater omne iudicium dedit filio. Illum momentis omnibus adorare, & ab illo petere neceſſaria nobis, & ipſi placita, qui peti ſe vult, qui quod eſt nouum inter nos ſolus petentes ſe amat. Cui etiam ſolus, quod mirabile eſt, iraſcitur, niſi petatur. Nunc quare non ab hominibus iſtius mundi hæc ſapientia cognoſcitur. Quia dum diabolus hominem ſibi ſubiugauit, ne amiſſam ſapientiã quæreret, ſic cunctis fucis ſuæ artis infecit, vt & ſtultitiam ſapientiæ colore veſtiret, vt mala non fugerent, qui non cernerent oppoſita meliora. Denique ex illo tempore ſic paſsim humanum genus graditur ſtultitia pro ſapientia habetur, dicente Pſalmiſta: quoniam laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Tunc vita eſſe putatur, quę mors eſt, & ſub ſpecie boni, mala decipiũt, cum ad intelligentiæ fraudem dolo bonorum omnium virtus operitur. Nam diuitię non ſecuturæ poſt hominis mortem amantur, iniuriam feciſſe virtutis eſt, aliena poſsidere potentiæ eſt, innocentem circumuenire aſtutiæ eſt, non Chriſtum ſapere ſapientiæ eſt, ſic plena ſunt omnia erroribus, ſic infuſa per hominum mentes caligine alium alio incurſante, mundus inuoluitur, & ad hoc vſque veritas obſcuratur, vt in mortis gremio iacuiſſe beatitudo dicatur. Quod vbi ille Deus nos ſemper cogitans, & noſtra, vidit per ſapientiam mundi ſuã ſapientiam fuiſſe diſertam, placuit etiam ei è contrario aduerſus aſtutiam diaboli ſapientiæ ſuæ diuitijs innumerabilibus vti, & ſcientiæ altitudinem, quam nullus poterit inueſtigare ſicuti eſt, & ſuam ſapientiam ſtultitia velare, & vitam ſuam, mortis quadã obſcuritate celare, vt ad ſapientiam peruenire non poſſet, qui in hoc ſæculo opinionem ſtultitiæ fugiſſet, & ad vitam eius non accederet, qui non contemptum mortis habuiſſet. Quid igitur ſequitur, niſi vt relicta ſæculi ſapientia, ſtultos nos haberi patiamur, vt in ſpe aduentus Domini partem aliquam habere mereamur. Tunc enim ſciſsis omnibus velamentis, talia qualia ſunt ſingula, cuncta cernentur, id eſt, vt ſtultitia mundialis falſæ ſapientiæ inuolucris denudata ſiſtetur, & mors mentitæ beatitndinis deoperta velamine vitalium inimica prodetur. Tunc & cæleſtis ſapientia, quæ ſęculariter ſtultitia nominatur interpoſita, altitudinem ſcientiæ Dei ſine alicuius labore elucubrationis intrabit. 3 Pſal.9.

4 Lib. 9. in c. 28. Ezech. to.4. IDEM exponens verba illa; Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientiæ, & perfectus decore in delicijs paradiſi Dei fuiſti, inquit: Vno verbo cum dixiſſet: tu ſignaculum ſimilitudinis, iungitur plenus ſapientia, perfectus decore, ſiue corona decoris, vt ſeptuaginta interpretes verterunt, vbi enim ſimilitudo Dei eſt, ibi & plenitudo ſapientiæ, & perfectus decor, ſiue quaſi diuerſis floribus ornata, & compoſita corona virtutum.

IDEM

5 Lib. 1. in ca. 1. Prouerb. tom. 7. IDEM explicans verba illa; Si quæſieris eam (ſapientiam ſcilicet) quaſi pecuniam, & ſicut theſauros effoderis eam. Tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Domini inuenies, inquit: Si tanta cura ſapientiã, quanta cupidi quærunt pecuniam, vel certe, ſi tam ſollicitè quæſieris ſapientiam, ipſa ſapientia (quaſi infinitas per hanc, & ineffabiles diuitias is acquiſiturus) percipies præmia, quæ ſubſequenter exponuntur. Qui vero theſauros effodit, eijcit rudera terræ, & facit in altum foueam, ſedulus inſiſtit labori, donec ad theſauros, quos quærit attingat. Et qui theſauros ſapientiæ inuenire deſiderat, quicquid ſibi terrenum ineſſe deprehenderit expurget, carnales illecebras abijciat, foſſam in ſe humilitatis faciat, nec quieſcat ab agendo, priuſquam ſe venam veritatis inueniſſe cognouerit. Si ſollicito corde quæſieris, peruenies ad experientiam amabilis Domini, qui non initium, ſed perfectio eſt ſapientiæ cęleſtis in hac vita. Iacob.1. Quia Dominus dat ſapientiam. Vnde Iacobus ait: Qui indiget ſapientia poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. Infra: Cuſtodiet rectorum ſalutem, & proteget gradientes ſimpliciter. Cognatæ ſibi ſunt virtutes; rectitudo, & ſimplicitas, neq; ab inuicem, queunt ſeparari. Vnde & ſapientia, vna ſine altera non quærit, ſed in quibuſcunque ambæ conueniunt, hos cuſtodit, & protegit. Denique Iob 1. de beato Iob dicitur: Quia erat vir ille ſimplex, & rectus; Simplex videlicet, per innocentiam menſuetudinis, rectus per cautelam diſcretionis. Simplex, quia nullum lædere, immo cunctis prodeſſe deſiderat, rectus quia ſe a nullo corrumpi permittebat.

6 Lib. 2. in caput 10. Proverb. IDEM exponens verba illa; Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus, ſapientia autem eſt viro prudentia, inquit. Prudentia a prouidendo nomen accepit. Stultus igitur eſt, qui gaudet in ſcelere, ſapientis autem eſt, & eius qui viri nomine dignus ſit præuidere, quia riſus dolore miſcebitur, & gaudia peccandi, pœna ſequetur vltionis. Infra. 14.

7 Lib. 2. in caput 14. Proverbiorum. IDEM explicans verba illa; Innocens credit omni verbo, aſtutus cõſiderat greſſus ſuos. Sapiens timet, & declinat a malo, ſtultus tranſilit, & confidit, ait: Innocens credit, & confidit, &c. hanc innocentiam vetuit Dominus, & hanc habere aſtutiam docuit, cum dixit: 1. Ioan. 4. Chariſsimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint. Sapiens timet, & declinat a malo, &c. Sicut ſtulti eſt de ſua alacritate confidere, torrentem rapidum, vel voraginem latiorem ſaltu velle tranſire, ſapiens autem ad planum, vel pontem diuertere; ita qui peccatum, quantum valet, declinat timens ne inuoluatur malis ſapiens eſt, ſtultus autem, ille qui contemptim peccat, blandiens ſibi, quia aut poſteriori tempore pœnitẽtiam agat commiſſorum, aut ſi repente moriatur, fortiter pœnas inferi ſufferat. Impatiens opprobrabitur ſtultitiam, & vir verſutus odioſus eſt. Reprehenſibilis, quidem eſt homo impatiens, ſed multo peior, & odioſior Deo eſt verſutus, tametſi apud homines melior æſtimetur. Ille enim palam omnibus ſuam oſtendit ſtultitiã, iſte autem, cum ſit corde peruerſus, ſæpe ſimplicitatem ſimulat, & iuſtitiam, atque humano iudicio ſanctum ſe dici delectat, cum ſit diuino examine inter reprobos æſtimatus. Infra: Corona ſapientium diuitiæ eorum, fatuitas ſtultorum imprudentia. Sapientes non tereni aliquid emolumenti, pro diuitijs habent, ſed coronam ſolummodo, quam pro virtutibus in futuro percipient: at ſtultorum fatuitas maxima hæc eſt, quia improuidi æternorũ, de præſentibus tantum commodis gaudent. Imprudentia enim, quaſi improuidentia dicitur.

8 In cap. 28. Iob tom. 8. IDEM explicans verba illa; Sapientia verò vbi inuenitur, & quis eſt locus intelligẽtię? Neſcit homo pretium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium, &c. ſic habet: In his verbis, dicens, neſcit homo pretium eius inæſtimabilem eſſe ſapientiam Dei timoris ſignificauit. Non inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Hanc ſapientiam non habet quiſpiam, niſi carnem ſuam crucifixerit, cum vitijs, & concupiſcentijs, niſi vixerit, vt Paulus, & ceteri ſancti in anguſtijs, &c. Et ideo ſuauiter dicti ſunt viuere illi, qui nullo iugo diſciplinæ tenentur, & effrenes, ac præcipites in labẽ prorumpunt vitiorum. Abyſſus dicit, non eſt in me, & mare loquitur, non eſt mecum? Hoc intelligit de illis, qui carnali conuerſatione mundi tenetur illecebris. In his ſapientia inueniri non poteſt. Infra: Trahitur autem ſapientia de occultis. Hæc enim non poteſt, niſi de ſupernis aſſumi, ſiue de intimis cordis affectibus dono sãcti Spiritus trahitur, vt propheta ait: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, vt videlicet ſapiat homo Deum, & timeat, ac recedere a malo intelligat. Abſcondita eſt ab oculis omnium viuentium. Viuentium mundo intelligendum eſt, volucres quoque cęli latet, ſuperbi, & leues, ſiue qui altum ſapiunt, quod ad tumorem arrogantiæ pertinet, intelligendi ſunt. Pſal.118.

9 In Pſal. 11. tom. 1. IDEM explicans verba illa; Vana locuti ſunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt, ait: Vbi nos legimus, labia doloſa in corde, & corde, &c. Symmachus tranſtulit labia lubrica, in corde aliud eſt, & aliud loquitur. Labia doloſa bilingues dicuntur, quia duabus linguis loquuntur, quia aliud dicunt, & aliud retinent.

10 Lib. 3. officiorum ea. 10. tom. 4. AMBROSIVS inquit: In omnibus rebus dolus abeſſe debet, aperienda ſimplicitas, intimanda veritas eſt. Infra: narrans Gabaonitarum dolum, quando Ioſue fefellerunt fingentes ſe de longinquo veniſſe, pro ineundo fœdere cum Iſraelitis, ait. Non cognouit Ioſue fraudes eorum, ſed citò credidit. Adeo ſancta erat illis temporibus fides, vt falliere ali quos poſſe, non crederetur. Quis hoc reprehendat in ſanctis, qui ceteros de ſuo affectu æſtimant? Et quia ipſis amica eſt veritas mentiri

tiri neminem putant, fallere, quid sit ignorat, libenter credit, quod ipsi sunt. Hinc Salomon
Prou. 14. ait: Innocens credit omni verbo. Non vituperanda facilitas, sed laudanda bonitas. Sed propter astutiam mulctauit eos vilioris obsequio ministerij.

11 IDEM inquit: Dominus in Euangelio dixit: Vulpes foueas habent, quoniam in simplicitate cordis, & in innocentia nos iubet viCap. 11. *Matt.* 8. *Psal.* 51. uere. Dauid ait: Sicut nouacula acuta fecisti dolum. Nequitiæ arguens prodditorẽ, eo quòd instrumentum huiusmodi ad hominis adhibetur ornatum, & plerunque vlcerat. Si quis igitur prætẽdat gratiam, & dolum nectat, Doeg
1. Reg. 22 proditoris exemplo, vt eum, quem celare, & protegere debeat, prodat ad mortem, instrumenti istius comparatione censetur.

12 IDEM ait: Astutia vnusquisque fratrem
Lib. 5. Hexameron c. 3. to. 1. suum circumuenire, & decipere nititur, & in nouas se fraudes componere, vt quem vi obtinere non potest, circumscribat dolo & fuco quodam artis obducat. Fraudulẽtum illud Polixi ingenium non præteribo, qui vadoso in littore petram nactus affigitur ei, atque eius nebuloso ingenio colorem subit, & simili specie terga obductus, plurimos piscium sine vlla suspicione fraudis allapsos, dum notam non præcauent, & saxum opinantur, cassibus furtiuæ artis includit, & sinu quodam suæ carnis intercipit. Sic spontanea venit præda, & talibus capitur argumentis, qualia sunt eorum, qui ingenium suum sæpe commiitant, & diuersas nocendi artes mouent, vt qui eos audiunt, aut vident, incauta facilitate se credant, eoq. citius labuntur, dum distinguere non norunt cauere, quod noceat, dum grauior sit, & magis noxia improbitas benignitatis obumbrata velamine. Et ideo cauendi sunt, qui crines suæ fraudis, & brachia longe, lateq. dispergunt, vel speciem induunt multiformem. Et isti enim polixi sunt, nexus plurimos habentes, & callidorum ingeniorum vestigia, quibus irretire possint quidquid in scopulos suæ fraudis inciderit.

13 IDEM inquit: Insipiens præsentia tanLib. de Noe & arca t. 31. tom. 1. tummodo videt, quæ in oculis sunt, futura non respicit, præterita non cogitat. Sapiens autem & præterita recordatur, & futura considerat. Omnis ergo mẽs sapiens retrorsum ambulat, hoc est, præterita spectat, nihil vacuum, nihil nudum suorum patitur esse gestorum. Hoc
Gen. 9. dicit explicans verba illa Geneseos 9. in quibus scriptum est, quòd quando Sem, & Iaphet viderunt Noe patrem suum nudum incedentes retrorsum, operuerunt verenda, &c.

14 IDEM explicans verba illa; Iuxta eloquiIn Ps. 118. tom. 2. tuum, da mihi intellectum serm. 22. ait: Non intellectum generaliter dicit, sed intellectum secundum verbum Dei. Est enim intellectus ad mortem, sicut est prudentia ad interitum. Filij huius sæculi prudentiores sunt, quàm filij lucis in hac generatione. Sed prudentia ista, quæ sæculi est ad vitam, non suffragatur æternam, circa honorem, circa lucella est, quæstibus coacernandis intenta non meritis comparandis phalerata magis quàm vera sapientia, vt est philosophia omnis, quæ aliena quærit, cum sua nesciat; Scrutatur cæli plagas, mundi spatia rimatur, quæ sibi prodesse non possunt; Deum ignorat, quem solum debet inquirere. Ideo verus sapiens dicit: Si quis videtur sapiens esse inter vos in hoc sæculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Elaborandum est igitur, vt in hoc sæculo stulti simus. Secundũ verbum tuum da mihi intellectum, non secundum mercatores huius sæculi, &c. sed secundum verbum tuum.

15 IDEM explicans verba illa; Nam prudẽIn cap. 8. epist. ad Roman. to. 3. tia carnis mors est, prudentia autem spiritus vita, & pax, inquit: Prudentia carnis peccatũ est, quod generat mortẽ. Prudentia enim ideo dicitur cum res stulta sit, quia secularibus hominibus errores ex visibilibus concepti contra legem Dei, prudentia videntur, maxime, quia omnis industria, & astutia illorum in eo est, vt peccent. Sapere enim sibi videntur, si istud diligentius curent, cum nihil stultius sit, quàm peccare. Est & alia prudentia carnis, quæ mũdanis rationibus inflata negat aliquid fieri, quod mundi caret ratione. Prudentia autem spiritus, hæc vere est sapientia, quæ vitam acquirit & pacem. Sequens enim spiritalia contemptis illecebris vitæ præsentis, æternam habebit vitam cum pace. Quoniam sapientia carnis inimica est Deo, legi enim Dei non est subiecta, nec enim potest. Qui enim in carne sunt, Deo placere non possunt. Sapientes mundi in carne sunt, quia respiciẽtes mundum spiritali sapientiæ resistunt.

16 AVGVSTINVS ait: Hæc est vera saLibro 2. de serm. Dom. in monte, tom. 4. pientia, vt id quod Domino reuelante fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus, & id quod Domino reuelante, appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate appetamus.

In libro cui titulus est, Expositio quarundam propositionũ in epist. ad Rom. IDEM explicans verba illa cap. 8. Prudẽtia carnis inimica est Deo. Lege enim Dei nõ est subiecta, nec enim potest, sic habet: Inimicus Dei dicitur, qui legi eius non obtemperat, & hoc per carnis prudentiam, id est cum appetit temporalia bona, & timet temporalia. Definitio enim prudentiæ in appetendis bonis, & uitandis malis solet explicari, qua propter recte appellat Apostolus carnis prudentiam, qua hæc appetuntur pro magnis bonis, quæ non perseuerant cum homine, & ne hæc amittantur timetur, quæ quandoque amittenda sunt. Non potest autem talis prudẽtia legi Dei obtemperare. Sed tunc obtemperatur legi Dei, cum hæc prudentia extincta fuerit, vt ei succedat prudentia spiritus, qua nec in temporalibus bonis, spes nostra est, neque in malis timor. Prudentiam carnis habet, qui inferiora sectatur, & prudentiam spiritus cum superiora eligit, & diligit.

17 IDEM ait: Prudentia vobis necessaria est
Serm. 4. ad frat. in eremo, qui est de prudentia. to. 10. in eremo, quia docet quid fugiendum, & quid tenendum sit. Prudentia docet te, nẽ inuitaris rebus temporalibus, nec mireris de rebus transitorijs, cum sint caducæ, & ea, quæ possides tanquam aliena possidere aduertas. Prudentia docet te, vt quæ non potes perpetuò tenere, fructuose permittas abire. Prudentia docet te, vt in cunctis semper idem sis, tam in prosperis, quàm in aduersis. Prudentia docet te, quomodo præsentia ordines, quomodo præteritorũ recorderis, & quomodo futura prouideas. Estote igitur fratres prudẽtes sicut ser*Matt. 10.* pentes, & simplices sicut columbæ. Duo enim sunt, quæ connexa ad inuicem sunt, vt vnum sine altero, aut parum, aut nihil omnino proficiat. Simplicitas enim sine astutia, stultitia reputatur, astutia sine simplicitate superbia approbatur. Astutia serpentis in quattuor diuiditur partes. Prima est, quòd totius corporis venenum in gutture colligit, & ibi prudenter, docẽte natura, seruare studet, vt si aliquando sibi necesse fuerit, in promptu habeat vnde se defendere possit. Sed in hac parte serpens quandoque decipitur. Mustela enim semper serpenti aduersatur, & ante foramen cauernæ serpentis se ponit, & eum prouocando tandiu vmbra caudæ suæ solerter illudit, donec ipsum egredientem agnoscit. Tunc vero mustela desuper ascendit insidias tendens, vt cum serpentis caput viderit, capitalem vindictam sumat de hoste, quem nunquam diligere potuit. Prouocatus itaq; serpens extra cauernæ foramen caput emittit, & cum nihil deorsum videat, ver18 so gutture respicit sursum. Sed mustela ternens tempus optatum, dentes imprimit circa venenum, sic absque periculo inimicum occidit. Hæc est prima serpentis astutia, in qua mundi sapientes notantur, quorum prudentia nõ in cælestibus, sed in terrenis tota versatur, quibus diabolus in vmbra mutabilium rerum alludit, alludendo decipit, decipiendo occidit. Et ne forte valeant aspirare in ipsis terrenis cupiditatibus, sæpe eos cogit expirare. Secunda prudentia in serpente est, quòd quando in aquam descendere cupit, venenum reponit in loco tutissimo, sed recedens ab aquis iterum resumit venenum. Hæc enim vestigia serpentis multi sequuntur, qui post abrenunciationem mundanæ conuersationis, post iuramentum sanctæ professionis, post agnitionem sanctæ veritatis, reuertuntur ad venenum prauæ
2. Pet. 2. consuetudinis, quibus melius esset veritatem non agnouisse, quàm post agnitionem retrorsum abire. In hoc enim vno fratres imitari debemus serpentem, quia venenum deponit, sed non quia iterum venenum resumit. Tertia prudentia serpentis est, quòd veterem pellem per singulos annos exuere didicit, quam depositurus angustum foramen requirit; per quod trãsiens cum dolore pellem derelinquit, sciens quia pelle deposita, pulchrior apparebit. Per hoc, fratres, datur intelligi, vt & nos pellem viciorum deponamus, & per foramen stigmatum Christi transeamus, & tunc pulchriores apparebimus. Per hoc foramen di-

ues ille Zachæus intrauit, quando omnia bona sua pauperibus erogauit. Quarta serpentis natura est, quòd dum lædi quæritur in capite, vt vitam conseruet totum corpus ad percussionẽ exponit. Quia licet corpus percutiatur, si caput illæsum seruauerit, damna mortis non patitur; sic & nos cuncta nobis aduersantia, animo re capitis sustinere non timemus, vt in beata vita requiescere valeamus.

19 GREGORIVS explicãs verba illa Iob Lib. 1. Moral. c. 2. to. 2. cap. 1. Simplex & rectus, ait: Nonnulli ita sunt simplices, vt rectum quid sit ignorent, sed eò veræ simplicitatis innocentiam deserunt, quò ad virtutem rectitudinis non assurgunt: quia dum cauti esse per rectitudinem nesciunt, nequaquam innocentes persistere per simplicitatem possunt. Hinc est, quòd Paulus discipulos admonet, dicens: Volo vos sapientes esse *Roma. 16.* in bono, simplices autem in malo. Hinc rursus dicit: Nolite pueri effici sensibus, sed malitia *1. Cor. 14.* paruuli estote. Hinc per semetipsam veritas discipulis præcipit, dicens: Estote prudentes *Matt. 10.* sicut serpentes, simplices autem sicut columbæ. Vtraque necessario in admonitione coniungit, vt simplicitatem columbæ astutia serpentis instrueret, & rursum serpẽtis astutiam columbæ simplicitas temperaret.

20 IDEM explicans eadem verba, inquit: Cap. 12. Quisquis æternam patriam appetit, simplex procul dubio & rectus viuit. Simplex videlicet opere, rectus fide. Simplex in bonis, quæ inferius peragit, rectus in summis, quæ in intimis sentit. Sunt namque nonnulli, qui in bonis, quæ faciunt, simplices non sunt. Vnde bene per quendam sapiẽtem dicitur: Væ peccatori ter*Eccls. 2.* ram ingredienti duabus vijs. Duabus quippe vijs peccator terrã ingreditur, quando & Dei est, quod opere exhibet, & mundi quod per cogitationem quærit.

21 IDEM explicans verba illa Iob cap. 8. Lib. 8. Moral. cap. 31. Deus non proijciet simplicem, nec porrigẽt manum malignis, ait: Maligni appellãtur hypocritæ, quia benignitatẽ erga proximos ostẽdunt, & dolos suæ iniquitatis operiunt. Per omne namq; quod faciunt vel loquuntur, simplicitatem exterius exhibent, sed subtilitate interius duplicitatis callent, puritatem superficie simulant, sed semper malitiam sub specie puritatis occultant. Contra quos bene per
Deut. 22. Moysen dicitur: Non indues vestem ex lana, linoq. contextam. Per lanam quippe simplicitas, per linum verò subtilitas designatur. Et nimirum vestis, quæ ex lana, linoq. conficitur, linum interius celat, lanam in superficie demonstrat. Vestem ergo ex lana, linoq. contextam induit, qui in locutione vel actione, qua vtitur, intus subtilitatẽ malitiæ operit, & simplicitatẽ foris innocentiæ ostendit. Quia enim sub puritatis imaginẽ deprehendi calliditas non valet, quasi sub lanæ grossitudine linum latet.

22 IDEM explicans verba illa Iob cap. 12. Lib. 10. Moral. cap. 16. Deridetur iusti simplicitas, ait: Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere sensum

sum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare. At contra sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, bona gratiæ exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere. Sed hæc iustorũ simplicitas deridetur, quia ab huius mũdi sapientibus puritatis vitæ fatuitas creditur. Omne enim quod innocẽter agitur, ab eis, proculdubio stultum putatur, & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapiẽtiæ fatuum sonat. Quid namque stultius videtur mundo, quam mentem verbis ostendere nil calida machinatione simulare, nullas iniurijs cõtumelias reddere, pro maledicẽtibus orare, rapienti nõ resistere? Vnde bene huius mundi dilectoribus dicitur: Abominationes Aegyptiorũ immolabimus Domino Deo nostro. Oues quippe Aegyptij edere dedignantur, sed quod abominantur Aegyptij, hoc Israelitæ Deo offerunt; quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti quique, velut infimam obiectamq. despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, & excolentes recti puritatem, ac mãsuetudinem Deo offerunt, quam abominantes reprobi fatuitatem putant.

Exo. 8.

23 IDEM explicans verba illa; Iob 16. cap. & rugæ meæ testimonium, dicunt contra me, sic habeti: Quid per rugas, nisi duplicitas designatur? Rugæ itaque sunt sanctæ Ecclesiæ omnes, qui in ea dupliciter viuunt, qui fidem vocibus clamant, operibus denegant. Has rugas in electis suis sancta Ecclesia non habet, quia videlicet nesciunt aliud de se foris ostendere, & intus aliud habere. Vnde Paulus dixit. Vt exhiberet ipse, sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam. Maculam quippe, & rugam non habet, quæ & turpitudine operis, & duplicitate sermonis caret. Dicit ergo nunc Ecclesia, rugæ meæ testimonium dicunt contra me. Id est, ipsi me insequendo increpant, qui nunc in meo corpore positi, duplicitatis suæ in se malitiam non emendant.

Lib. 13. Moral. cap. 4.

Tit. 2.

24 BERNARDVS ait; Vno verbo est sapiens, cui quæq. res sapiunt, prout sunt.

Sermo. 1. de verbis Apostoli, nõ est regnũ Dei, esca, & potus.

IDEM explicãs verba illa; Dedit illi sciẽtiam sanctorum, inquit: Scientia sanctorũ est, hic temporaliter cruciari, & delectari in æternum. Et in contrarium scientia malorum relabitur. Alia est scientia mundi quę docet vanitatem, & alia scientia carnis, quæ docet voluptatem.

25 In ser. de expositione loci sapientię 10. iustũ deduxit Dominus per suas rectas &c.

Iusti dicuntur stare, & ambulare, mali iacere; & si contigat vtrosque cadere, non eodem modo: soli autem iusti habitant in Cælo.

Cap. XVIII.

1 Homil. 4. in Psalm. 36. tom. 2.

ORIGENES explicans verba illa; Cum ceciderit non lidetur, quia Dominus supponit manũ suam, sic habet. Dixerat regius vates a Domino gressus hominis dirigẽtur, & viam eius volet, hoc est Christum cupiet. Et statim subdit: Cum ceciderit non conturbabitur. Superius dicẽs; quia a Domino diriguntur gressus eius, hic de casu eius loquitur. Vide ergo, quia etiam his, qui iter hoc incedunt, aliquando accidit cadere, etiam his, qui a Domino diriguntur: Sed est multa differentia inter casum iusti, & casum iniusti. Iustus (inquit) cum ceciderit non prosternitur, non collidetur: iniustus, & qui spem non habet in Deo positam, si ceciderit prosternitur, & non surgit, ideſt, si peccauerit nõ pœnitet, & peccatum suum emendare nescit. Iustus autem si in aliquo offenderit (in multis enim offendimus omnes) sed scit emendare, scit corrigere, scit ille, qui dixerat, nescio hominem, paulo post, cum respectus fuisset a Domino, flere amarissime, scit & ille qui de tecto mulierem viderat, & concupierat eam, dicere peccaui, quia tibi soli peccaui, & malum coram te feci. *Psal. 50.* Si ergo cum ceciderit iustus non prosternitur, non permanebit in peccato, sed exiliet, cito tanquam damula ex retibus, & tãquam auis de laqueo. Iniustus autem non solum permanet, sed & prosternitur in peccatis. Infra: Cum ceciderit non prosternitur. In quo ostenditur esse aliquos casus, qui tamen non continuo indicent, esse victum, & prostratum eum, qui ceciderit. Sicut enim in agone fieri solet, vt duobus inter se luctantibus accidat, primo quidem cadere vnum, & cum ceciderit surgat, & vincat; ita etiam in nostro agone, qui est nobis aduersus principẽ huius mundi, si forte acciderit aliquem de nobis vinci, & in aliquo peccato cadere possibile est, vt post peccatum resipiscat aliquis, & exurgat, & perhorrescat malum, quod admisit, & de cętero non solum contineat se verum etiam satisfaciat Deo, lauans per singulas noctes lectum suum, accipiens verbum propheticæ authoritatis, qua dicitur: Nunquid qui cadit, non adijciet, vt resurgat, aut qui auersus est, non conuertetur? Væ his, qui auersi sunt auersione impudenti, dicit Dominus. Et iste est, qui cadere quidem potuit, prosterni vero non potuit. Si autem videris aliquem cecidisse in aliquod peccatum, & post casum desperantem conuersionem, hic non solum cecidit, sed in casu suo prostratus, atq; demersus est. Est quidem optabile, vt athleta pietatis, ac

Psal. 40.

Hiere. 8.

ac virtutis maneat semper immobilis, vt ne vllam quidem luctam (vt ita dicam) perdat, ne semel inclinetur, aut supplãtetur. Quod si fieri non potest, sed euenerit eum cadere, non iaceat post casum, ne prosternatur, sed exurgat, & emẽdet culpam, ne de ipso Apostolus dicat: & lugeam multos ex his, qui ante peccauerũt, & non egerunt pœnitentiam de immunditia, quàm gesserunt. Vigilare ergo debet agonista si fieri potest, vt semper vincat, quotiescunque conflixerit, & statim capiat coronas. Cum ceciderit non prosternetur. Et quare non prosternetur adiecit, dicens: Quia Dominus confirmat manum eius, ne cadat, Dominus gressus eius dirigit, si autem ceciderit, non prosternitur, Dominus, inquit, firmat manũ eius.

3 Lib. 5. in caput. 5. epist. ad Romanos. tom. 3. IDEM explicans verba illa; Per vnum hominem peccatum intrauit in hunc mundũ, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, inquit: Peccatum non dixit in omnes homines, sed in mundum introisse, mortem vero in mundum, sed in omnes homines, & non introisse, sed pertransisse, non puto, quòd frustra hac diuersitate, vsus sit Paulus. Arbitror quòd mundum hic terrenos quosque, & in terrena conuersatione permanentes designet, homines verò eos dicat, qui iam se incipiunt agnoscere, & scire, quòd ad imaginem Dei facti sunt. In illos ergo, qui mundus appellantur, ideſt terrenos intrasse dicit peccatum, & nusquam eius exitum ponit. In eos, verò quos iam homines vult intelligi, dicit pertransisse peccatum, ideſt, fuisse quidẽ, sed per pœnitentiam conuersionis depulsum esse, & pertransisse, nec vltra in eis stetisse. Infra: Explicans verba illa; Regnauit ergo mors ab Adam, vsque ad Moysen, ait: Regnauit non super omnes, sed in eos, qui peccauerunt in similitudinem prævaricationis Adæ. Nam introiuit, quidem mors in mundum, & in omnes pertransijt, non tamen in omnes regnauit. Aliud est enim pertransire, & aliud regnare. Peccatum enim pertransijt etiam iustos, & leui quadam eos contagione perstrinxit. In prævaricatoribus verò, ideſt eis, qui se ei tota mente subijciunt, regnum tenet, & omni potestate dominatur.

4 Lib. 8. in caput 26. Isa. tom. 5. HIERONYMVS exponens verba illa; Et visitabo iniquitatem habitatoris terrę contra eum, ait: Habitatores terræ sunt illi de quibus dicitur in Osee, maledictio, & mendacium, & adulterium, & furtum inundauerunt super habitatores terræ. Et in Apocalypsi legimus. Væ super habitatores terræ. Porro iusti licet videantur in terra, tamen conuersatio eorum in cęlis est, qui possunt dicere: aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei, & fruuntur habitatione altissimi, de quibus sanctus loquitur: Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cęli commorabitur.

Osee 4.

Apoc. 8.

Psal. 38.

Psal. 90.

5 Lib. 1. in caput 2. Ezechielis. IDEM explicans verba illa; Et vidi, & ecce cidi in faciem meam, sic habet: Sciendum est, quòd aliud sit in faciem cadere, & aliud retrorsum. Abraham postquam audiuit de natiuitate Isaac, cecidit in faciem, & risit. Heli autem, qui peccauerat retrorsum cecidit. Et de Dan in Genesi, scriptum est: Fiat Dan coluber in semita, mordens plantam equi, vt cadat eques retro. Quia enim ad morsum columbri ceciderat ex equo, propterea Saluatoris expectat aduentum. Et in Euangelio secundum Ioannem, qui ad comprehendẽdum Dominum venerant, postquam ille respondit, ego sum, ceciderunt retrorsum in terram. Infra: Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tibi. Iacens, sermones Dei audire non poterat, sed audit cum Moyse, tu vero hic sta mecum: Quod & Daniel accidisse sibi commemorat. Præceperat Prophetæ sermo diuinus, & iusserat: Sta super pedes tuos, sed sine auxilio Dei stare non poterat, propterea ingreditur in eum, seu assumit, & suscitat, vt firmo sit gradu, & possit dicere: statuit supra petram pedes meos. Nullumq. peccatorem stantem legimus, sed ad sanctos dicitur: state ergo succincti lumbos vestros. Peccator autem illud Deuteronomij meretur audire, non erit stabile vestigium pedis tui.

1. Reg. 4.

Gen. 49.

Ioan. 18.

Psal. 39.

Eph. 6.

Deut. 28.

6 Expositione in Psal. 5. to. 8. AVGVSTINVS exponens verba illa; Mane astabo tibi, & videbo, ait: Astabo quid est, nisi non iacebo? Quid est autem aliud iacere, quàm in terra quiescere, quod est in terrenis voluptatibus beatitudinem quærere? Astabo, inquit, & videbo. Non est ergo inhærendum terrenis, si volumus Deum videre, qui mundo corde conspicitur.

7 In Psal. 26. IDEM explicans verba illa; vnam petij a Domino hanc requiram, & inhabitem in domo Domini, sic habet: In alio Psalmo scriptum est, mane astabo tibi, & contẽplabor te. Modo ideo non contemplor, quia cecidi, tunc astabo tibi, & contemplabor. Hæc vox humana est. Cecidit enim homo, & non mitteretur, qui erigeret nisi cecidissemus. Nos cecidimus ille descendit; ille ascendit, nos leuamur, quia qui ruit leuatur, & stabimus, & contemplabimur, & magna delectatione perfruemur.

Psal. 5.

8 Lib. 4. Moral. cap. 22. GREGORIVS explicãs verba illa Iob 3. Obtenebrentur stellæ caligine eius, inquit. Stellę huius noctis caligine obtenebrãtur, quãdo & hi, qui magnis iam virtutibus splendent, adhuc de obscuritate culpæ aliquid renitentes sustinent, vt etiam magnæ vitæ claritate luceant, & tamen adhuc noctis reliquias nolentes trahant. Quod ad hoc agitur, vt mens proficiens ad virtutem iustitiæ, sua melius infirmitate roboretur, & inde verius in bonis luceat, vnde eam etiam nolentem parua reprehensibilia humiliter obscurant. Vnde bene cũ Israelitico populo, præcepta repromissionis terra partiretur, Ephraim tribui Chananæus, Gentilis populus non occisus, sed factus tributarius dicitur, scriptũ est: habitauitq. Chananæus, in medio Ephraim tributarius. Quid enim Chananæus gentilis populus, nisi vitium significat? Et sæpe magnis virtutibus terram

Ioſue 16.

pro-

promissionis ingredimur, quia spe intima de æternitate roboramur. Sed dum inter acta sublimia vitia quædam parua retineamus, quasi Chananæum viuere in terra nostra concedimus. qui tamen nobis tributarius efficitur, quia hoc ipsum vitium, quod subigere non possumus, ad vsum nostræ vtilitatis humiliter retorquemus, vt eo de se mens, & in summis vilia sentiat, quo suis viribus etiam parua, quæ appetit non expugnat. Vnde & bene rursum scriptum est: Hæ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt erudiret in eis Israelem. Ad hoc namque, quædam vitia nostra minima retinentur, vt sese nostra intentio sollicitam in certamine semper exerceat, & eo de victoria non superbiat, quo viuere in se hostes conspicit, a quibus adhuc vinci formidat. Israel ergo seruatis gentibus eruditur, quando in quibusdam minimis vitijs elatio virtutis nostræ comprimitur, & in paruis sibi resistentibus discit, quòd ex se maiora non subigit. *Iudicū. 3.*

9 Lib. 5. in caput. 11. primi libri Regum cap. 3. tom. 1.

IDEM explicans verba illa; Et Philistæi congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta millium curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena, quæ est in littore maris plurima inquit: His verbis innuitur, quàm cauta, & circumspecta semper esse debeat vita sanctorum. Apertas quidem tentationum tenebras potèter abijciunt, sed sæpe caliginem ignorantiæ in rebus leuioribus, quasi arenæ minutias, non euadunt. Continuo vsu corpus in Dei omnipotētis seruitio dirigunt, sed eorum mens, quæ foris membra perfecte ordinat, cogitationes superfluas aliquando nequaquam vitat. Quid enim aliud tunc, quàm vulgi importunam multitudinem sentiunt, qui currus, & equites magna virtute prostrauerunt? Sed doctor egregius dicit: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Permittit quidem Deus electos suos magnis tentationibus impeti, vt magnificentissime in celesti regno debeant coronari, sed magna prælia permittit, quæ vincant, leuia excitat, in quibus cadant, vt victoria fortium magna sit casus innoxius, vt cadentes se facile erigant, & eos fortia, in quibus victores steterant, non attollant. Nam si currus, & equites vincimus extolli de victoria non debemus, quia innumerabilia sunt, quę cogitando, loquendo, videndo, gustando, &c. & operando committimus. Huius namque vulgi innumerabilis tela, etiam ille vitare non poterat, qui dicebat, in multis offendimus omnes. Hinc item dilectus Iesu, loquitur dicens; Si dixerimus quia peccatum non habemus ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. *Rom. 8.* *Iac. 3.* *1. Ioan. 1.*

10 Ser. 2. in Ps. qui habitat.

BERNARDVS explicans verba illa; Qui habitat in adiutorio altissimi, dicet Domino susceptor meus es tu, &c. inquit: Omnis qui adhuc in adiutorio habitat, non in regno, & frequenter opus habet fugere, & interdum cadit, sed Dominus susceipit nos. Ipse susceptor est, vt etiam cum ceciderimus non collidamur, quoniam supponit manum suam. Homines enim aliquando cadere necesse est, dum in hoc sæculo detinentur, sed alij collidun tur, alij non, quia Deus supponit manum suam. Nam & iustus septies in die cadit. Verùm hoc interest inter eorum casus, quod iustus susciipitur a Domino, & ideo resurgit fortior. Iniustus autem, cum ceciderit non adijciet vltra, vt resurgat, immo vero, aut in pudorem nexium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excusat, quod fecit, & hic est pudor adducens peccatum, aut fit ei frons meretricis, & iam nec Deum timet, nec hominem reueretur, sed prædicat peccatum suum, sicut Sodoma. Iustus verò super Domini manum cadit, & miro quodam modo ipsum etiam ei peccatum in iustitiam cooperatur, scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nonne cooperatur nobis ille casus in bonum, vnde & humiliores efficimur, & cautiores? Nonne Dominus cadentem illum susciipit, qui ab humilitate susciipitur? Impulsus euersus sum, vt caderem, ait Prophęta, sed nihil profecit, qui impulit me, quoniam Dominus susciepit me. Sic ergo dicet fidelis anima Domino, susceptor meus es tu, possunt omnia dicere, creator meus es tu, redemptor meus es tu, at verò susceptor meus es tu, is tantum dicere potest, qui habitat in adiutorio altissimi. Vnde & addidit: Et Deus meus. Cur non Deus noster? Quia in creatione, & redemptione ceterisq. omnibus beneficijs est Deus omnium, sed in tentationibus suis, tanquam proprium eum habent singuli electorum. *Psal. 36.* *Pro. 24.* *Hiere. 3.* *Isaiæ 3.* *Rom. 8.* *Psal. 117.*

11 Serm. 17. in Cantica.

IDEM inquit; Iustus non colliditur, quia Dominus supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt visitans eos diluculo, & subito probans illos. Denique septies cadit iustus, & septies resurgit, si tamen cadat in die, vt se cadere videat, & cecidisse sciat, & resurgere cupiat, & requirat manum adiuuantis, & dicat: Domine in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. *Prou. 24.* *Psal. 29.*

Iusti inter impios non corrumpuntur, si sint perfecti, quin potius ad Deum trahunt illos, Cap. XIX.

1 Homil. 6. in caput. 16. Exodi. 1.



ORIGENES explicans verba illa; Filij autem Israel ambulauerunt, per siccum in medio mari, inquit: Et tu si filius Israel es, potes ambulare, per siccum in medio mari? Si fueris in medio nationis prauæ atque peruersæ, sicut lumen Solis verbum vitæ continens ad gloriam. Potest fieri, vt in medio peccatorum incedentem, te non infundat humor peccati. Potest fieri, vt transeuntem te per

per hunc mūdum, nulla libidinis vnda respergat. Qui Aegyptius est, & sequitur Pharaonē ille vitiorum fluctibus mergitur. Qui vero sequitur Christum, sicut ille ambulauit, & ipse ambulat.

2 Li. 1. in c. 1. Iob to. 2.

IDEM explicās verba illa; Homo erat in terra Hus nomine Iob ait: Ausitidi viri erant ex genere Esau impij, iniusti, infideles, obscœni, insatiabiles, sicut & pater eorum Esau, qui cum esset impius, non docuit filios suos pietatem, neque iustitiam, sed impietatem, & iniustitiam. Quod si dixerit aliquis, cum ergo talis fuerit Esau, atq; generationes eius quomodo fuit Iob ex illis, atque inter illos pius ac bonus? Ita fuit sicut mox in principio Abel innocens, cum Cain iniusto, sicut & Noe iustus inter gigantes illos sceleratos, sicut & Melchisedech sacerdos Dei altissimi in medio maledictorum Chananæorum, sicut Abraham, qui credidit, in medio Chaldæorum idola colentium. Sicut ergo omnes isti, cum essent pij, & sancti, atque religiosi, Dei amici, ex impiorum sunt generationibus procreati, ita admirabilis Iob, cum ex obscœni, atq; insatiabilis Esau genere, atque cognatione prodierit, sanctus ac iustus sponte effectus est. Hoc demonstrat dicens: Homo erat in terra Hus. Erat tanquā rosa inter spinas, tanquam lilium inter tribulos candidus ac rubens, candidus fide ac sanctitate, rubens velut rosa, plane quia sustinuit passiones ac dolores. Homo quidam erat in regione Hausitide. Erat tāquam columba inter raptrices aquilas, tanquam agnus in medio luporum diripientium, tanquam stella in medio nubium teterrimarum. Homo quidam erat iustus inter iniustos, inter prophanos sanctus, pius inter impios, inter obscœnos mundus, tanquam smaragdus in luto, tanquā margarita in arena. Cum ergo inter tales esset, nō talis fuit, quales & illi. Cum esset inter iniustos, non est commixtus iniustitijs, sed permansit in medio impiorum tanquam adamas immobilis, tanquam lucerna inextinguibilis, tāquam lumen, quod non immutatur, tanquam radius, qui non occidit. Sic nos oportet esse sanctos, atque immaculatos in medio generis praui atque peruersi, vt fulgeamus tanquam luminaria cæli in mundo, verbum vitæ continentes in die Christi, vt de nobis dicatur sicut de beato Iob & erat sine querela homo ille iustus, qui in regione erat Hausitide.

3 Homil. 5. in Ps. 28. to. 1.

BASILIVS explicans verba illa; Vox Domini præparans, & perficiens ceruos, ait: Talem hoc animal naturæ conditionem sortitum est, vt nullo veneno serpentis lædi queat, cui remedio est, siue purgationi, si forte in id inciderit (quemadmodum aiunt, qui talia obseruauerunt) vipera deuorata. Omnia vero venenum iaculantia iniquis, & aduersis virtutibus in sacro eloquio comparātur, dicente Domino: Dedi vobis potestatem conculcandi serpentes, & scorpiones. Trahit item ceruus oris respiratione è cauis animalia venenata latentia, quæ vi spiritus sui ex ipsis quoquoque lustris extrahit. Sic sanctus aduersatur improbitati ac nequitiæ. Quando igitur aliquem Dei hominem perfectum & absolutum viderimus, vtilitatem ex eius congressu, & cōuersatione sectemur. Nam vbi cerui præsentia est, omnium ibi serpentium malitia fugatur. Odorem cerui nulla ferunt animalia venenata, quando vel ad suffitum cornu ceruini secedunt reptilia.

4 Lib. de spiritu sancto. cap. 9.

IDEM inquit: Quemadmodum corpora illustria, perlucidaque, contacta radio solis fiunt, & ipsa supra modum splendida, & alium fulgorem ex se se profundunt; sic & animæ spiritu afflatæ, ac spiritu illustratæ, fiunt & ipsæ spirituales, & in alios gratiam emittunt.

5 In lib. constitutionū monastica rum c. 22. to. 2.

IDEM docens religiosam societatem relinquendam nō esse propter malum aliquem, qui in religione habitet, ait: Si quis dicat religionem deserendam, quia mali in ea sint, non idoneam recedendi causam commentus est. Si quidem neque Petrus, neque Andreas, Ioannesve, propter Iudæ improbitatem, se a reliquorum Apostolorum choro submouerunt, neq; alius de Apostolorum numero quispiam hanc ad recedendum ansam arripuit, neque quominus Christo obtemperās esset vlla in re, illius vitijs retardatus est, sed contra potius relicta illius peruersitate Dominicæ disciplinæ seruientes, virtutemq. magno ipso studio sectabantur. Ex quo intelligitur, qui aliorum improbitate cogi se dicat, vt a spirituali se segreget societate, eum neutiquam idoneam leuitatis suæ causam inuenisse. Infra: Cur non hic exemplum firmæ fidei erit, & in rebus præclaris constantiæ reliquis existit? Vt fulgente recte factorum ipsius splēdore, etiam qui in vitiorum tenebris degunt, ad meliorem per eum viam reuocentur. Atque etiam Noe iustus ille, cum in illa pessimorum hominum colluuie versaretur, non dixit Deo; propterea oportere se exire de mundo, quòd reliqui omnes improbi essent, sed eo magis more generosi ac fortis athletæ ad hæc occalescens se obduranit, & in profundissimo vitiositatis pelago, pietatem a tempestate incolumem cōseruauit, nec vlla in re Domino prorsus repugnans fuit, sed patientia, tolerantiaq. pietatis nauigium in medijs impietatum fluctibus tutatus est. Quid? Nonne Loth cum Sodomis in tanta impietate, tanta legum omnium ac iuris peruersione versaretur, virtutem ab omni vitio integrā custodiuit? Atque inter sceleratissimos hospitum cæsores sanctimoniam vitæ perpetuo, & ipse incontaminatam seruauit, & reliquis quo ad fieri poterat exemplo suo idem secum vt facerent, auctor fuit, nempe qui in docenda honestate antiquiora facta habuerit quàm verba.

6 Li. 1. in c. 5. Osee. to. 1.

HIERONYMVS explicans verba illa; Et dixit Dominus ad Osee: Vade, sume tibi vxorem fornicationum, sic habet. Non culpandus est propheta, si meretricem conuerterit ad pudicitiam, sed potius laudandus, quòd ex mala bonam fecerit. Non enim qui

bonus permanet, ipse polluitur, si societur malo, sed qui malus est, in bonum vertetur, si boni exempla sectetur. Ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam fornicariæ copulatum, sed fornicariam assumpsisse pudicitiam, quam antea non habebat.

7 Li. 1. in c. 2. Habacuc. to. 4. IDEM explicans verba illa; Væ qui congregat auaritiam malam domui suæ, ait: Mala dicitur auaritia ad distinctionem bonæ, vt sit bona auaritia doctoris Ecclesiastici, qui nunquam satiatur multitudine sectatorum, & quantò plures habuerit discipulos, tantò magis ad doctrinæ studium concitatur.

8 Lib. 2. in c. 22. Prouer. to. 8. IDEM explicans verba illa; Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ, inquit: Dicendum est, quia sicut perfecti viri peruersos proximos non debent fugere, qui illos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquam trahuntur, ita infirmi quique societatem debent declinare prauorum, ne mala, quę frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari.

9 Lib. 2. de doctrina christiana. to. 3. AVGVSTINVS exponens verba illa Canticorum: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis, ait: In his verbis intueor sanctos, cum eos quasi dentes Ecclesiæ intueor præcidere ab erroribus homines, atque in eius corpus emollita duritia, quasi demersos, mansosq. transferre. Oues etiam iucundissime agnosco detonsas, oneribus sæcularibus tanquam velleribus depositis, & ascendentes de lauacro, idest, de baptismate creare omnes geminos, idest duo præcepta dilectionis, & nullam esse ab isto sancto fructu sterilem video.

10 Lib. 2. cõtra litteras Petiliani. to. 7. 2. Tim. 5. IDEM sic habet: Quod ait Paulus scribens Timotheo: Ne communices peccatis alienis consensu, & placito intelligi voluit. Vnde statim subijciens quomodo id agat, te ipsum, inquit, castum custodi. Neque enim & ipse Paulus, communicabat peccatis alienis, quia falsos fratres, de quibus gemit, in vnitate corporali tolerabat, aut communicauerunt furto, & sceleri Iudæ prædecessores eius Apostoli, quia cum eo iam Domini venditore sacrosanctam cœnam cõmunicauerunt? Multum interest inter consentientes, quibus mala placent, & tolerantes, quibus hæc displicent. Illi enim palea fiunt, dum paleæ sequuntur sterilitatem, illi triticum, dum expectant, vt segregentur per Christum ventilatorem.

11 In Psal. 13. to. 8. IDEM exponens verba illa; Sepulchrum patens est guttur eorum, inquit; In allegoria his verbis illi intelliguntur, qui occidunt, & quasi deuorant interfectos eos, quibus suorum morum peruersitatem persuadent. Cui simile est e contrario, quod Petro dictum est: Act. 10. Macta & manduca, vt in suam fidem, & bonos mores suos, gentes conuerteret.

12 In Psal. 34. IDEM exponens verba illa; Ne dicant in corde suo, euge, euge animæ nostræ, nec dicant, deuorauimus eũ, sic habet: Sancti martyres dicunt, nisi quia Dominus erat in nobis, Psal. 123. cum exugerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos, vel absorbuissent nos. Quid est absorbuissent nos? In corpus suum traiecissent nos. Hoc enim absorbes, quod in corpus tuum traijcis. Vult te mundus absorbere, tu absorbe mundum, & traijce illum in corpus tuum, occide, & manduca. Quod Petro dictum est: Macta & manduca. Occide in eis Act. 10. quod sunt, fac eos quod tu es. Illi autem contra; si tibi persuaserint impietatem, absorberis ab eis, non quando persequuntur te, ab eis absorberis, sed quando tibi persuadent quod sunt. Ne dicant, absorbuimus eum. Tu absorbe corpus paganorum. Quare corpus paganorum? Vult te absorbere, fac illi quod vult tibi facere. Ideo fortasse vitulus ille comminutus in aquam missus, & in potum datus populo, vt absorberetur ab Israel corpus impiorum. Exo. 32.

13 Lib. 1. Moral. c. 1. to. 2. GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 1. Vir erat in terra Hus, nomine Iob, inquit: Sanctus vir vbi habitauerit, dicitur, vt eius meritum virtuti exprimatur. Dicatur quòd in terra gentilium Deum ignorantium habitauerit, vt hoc eius laudibus proficiat, quòd bonus inter malos fuit. Neque enim valde laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse. Hinc est, quòd idem beatus Iob sibi met attestatur, dicens: Frater fui draconũ, & socius struthionum. Hinc Petrus, magnis Loth laudibus extulit, quia bonum in- Iob 30. ter reprobos inuenit, dicens: Et iustum Loth 2. Pet. 2. oppressum a nefandorum iniusta conuersatione eripuit. Aspectu enim & auditu iustus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iusti iniquis operibus cruciabant, qui nimirum cruciari non posset, nisi praua propinquorum opera, & audiret, & cerneret. Et tamen aspectu & auditu iustus dicitur, quia iniquorum vita non delectando iusti aures, atque oculos, sed feriendo tangebat. Hinc Paulus discipulis dicit: In medio nationis prauæ, & per- Phil. 2. uersę, inter quos lucetis sicut luminaria in mũdo. Hinc pergami Ecclesiæ dicitur: Scio vbi Apo. 2. habitas, vbi sedes est satanæ, & tenes nomen meum, & non negasti fidem meam. Hinc sancta Ecclesia sponsi voce laudatur, cum ei dicitur; sicut lilium inter spinas, sic amica mea Cant. 2. inter filias. Bene ergo beatus Iob memorata terra gentili inter iniquos vixisse describitur, vt inter spinas iuxta sponsi præconium, lilium creuisse monstretur.

14 Serm. 48. in Cant. BERNARDVS explicãs verba illa; Sicut liliũ inter spinas, sic amica mea inter filias inquit: Spina falsus frater est, spina vicinus est malus, sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. O candens liliũ, o tener & delicate flos, increduli & subuersores sunt tecum, vide quomodo caute ambules inter spinas. Plenus est

est mundus spinis. Versari in his, & minime lædi diuinæ potentiæ est, non virtutis tuæ. Luc. 12. Considera lilia agri quomodo inter spinas vigent, & nitent. Si fœnum, quod hodie est, & eras in libanum mittitur, Deus sic custodit, quanto magis amicam, & sponsam suam charissimam? Denique custodit Dominus omnes diligentes se. Sicut lilium inter spinas, sic ami ca mea inter filias. Nõ mediocris titulus profecto virtutis inter prauos viuere bonum, & inter malignantes, innocentiæ retinere candorem, & morum lenitatem, magis autem si his, Psal. 119. qui oderunt pacem pacificum, & amicum ipsis te exhibeas. Id plane tibi similitudinem tibi datam de lilio iure quodam proprietatis specialiter vendicabit, quod ipsas vtique pungentes se spinas candore proprio illustrare, & venustare non cessat.

Iusti persecutionem, & irrisionem patiuntur ab impijs, & quare, Deus tamen ista moderatur.

Cap. XX.

1 Homilia 9. in c. 16. Numerorum. to. 1. ORIGENES explicans verba illa; Et murmurauerunt filij Israel aduersum Moysen, & Aaron, dicẽtes: Vos occidistis populum Domini. Et factum est, cum irrueret synagoga super Moysen, & Aaron in impetu fregerunt ad tabernaculum testimonij. Illud vero obtexit nubes, & apparuit maiestas Domini, & introiuit Moyses, & Aaron ad faciem tabernaculi testimonij, inquit: Non legimus antea, quia obtexerit nubes tabernaculum, & apparuerit maiestas Domini, & receperit intra nubem Moysen, & Aaron, nisi nunc, cum insurrexit in eos populus, & lapidare eos voluit. Discamus ex hoc quanta sit vtilitas in persecutionibus Christianis, quantum gratiæ conferatur, quomodo propugnator eis fiat Deus, quomodo abundanter sanctus spiritus infundatur. Tunc enim maxime gratia Dei adest, cum hominum iniquitia concitatur, & tunc pacem habemus apud Deum cum ab omnibus propter iustitiam bella perpetimur. Adoperuit ergo eos nubes tabernaculi, & irruit synagoga super Moysen, & Aaron, & apparuit gloria Domini. Quamuis magni sint vitæ, merito Moyses, & Aaron, quãuis animi virtutibus polleãt, apparere tamen eis gloria, non potuisset, nisi in persecutionibus, in tribulationibus, in periculis, atque in ipsa penè morte iam positis. Et tu ergo non putes tibi dormienti, & otioso apparerũ posse gloriam Dei. Aut non & Paulus Apostolus in ijs Dei gloriam consequi meruerit? Nonne super omnes ceteros enumerat se, tribulationibus, in necessitatibus, in carceribus fuisse? Ter naufragium passum esse, naufragia pertulisse. Pericula maris, pericula fluminum, pericula latronum, pericula a falsis fratribus. Quæ quanto magis abundant, tanto amplius ijs, qui patienter tulerint, conferunt gloriam Dei.

2 Homilia 9. in Psal. 33. to. 1. BASILIVS explicans verba illa; Et qui oderunt iustum, delinquent, ait: Qui quòd in delictis viuant, iustum habent odio, tanquam qui a regula rectissima, a iusti moribus, sic isti redarguuntur comparatione melioris. Ex quo enim in peccatis vitam transmittunt, suam veriti, ne coarguantur, oderunt iustum. Rursus per id in iustos conceptum odium, se implicant peccatis, & obuoluunt. Multæ enim occasiones sunt, ob quas iustus soleat odio haberi. Libertas illa dicendi inter coarguendum, oderunt enim redarguentem in porta, & sanctum abominantur sermonem. Præterea ambitio primas obtinendi partes, & imperij cupiditas multos nouit, vt meliores se insectentur, odioq. habeant. Vsu venit etiam vt propter ignorantiam verborum, & quod ignoratur quis sit iustus, odio habeantur iusti.

3 Epist. 88. ad Eustathium medicum. to. 2. IDEM ait: Videntur mihi, qui odium inexcusabile contra nos induerunt haud dissimile ab eo facere, quod habet Esopica fabula. Quemadmodum enim illa lupum culpas quasdam aduersum agnum producere facit, quasi is turpe sibi ac dedecorosum fore putet, si præter iustam rationem interimat agnum, a quo nihil sit læsus, vt tamen, licet omnem quæ ex adornata calumnia intenditur, accusationem, agnus placide diluat, nihilo magis lupum ab impetu sibi temperare, sed etiã si iustis rationibus vincatur, dentibus tamen victorem peruincere: ita & qui odio nostri non secus, atque rei honestæ student, turpe forsan putantes, si absque ratione nos odio persequi videantur, causas odij contra nos, & crimina fingunt. Nihil autem eorũ, quæ contra nos feruntur, constanter tuentur, sed nunc hanc, paulo post aliã, & rursum quoque aliam inimicitię causam assignant, atque ita nulla in re malitia illorum soli consistit, sed mox, atque ab hac intenta culpa resiliunt, alij incumbunt, & rursum illa neglecta aliam reprehendunt, & si omnia, de quibus me accusant diluero, ab odio tamen haud recedunt.

4 Homil. 25. in Matt. to. 2. CHRYSOSTOMVS exponens verba illa; Qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, &c. ait: Solus iustus, & quidem multo cum cumulo bonorum suorum possidet firmitatem, qui potentissima virtutũ cohorte munitur, atq; inter hos tumentes seculi fluctus plurima tranquillitate perfruitur. Descendit, inquit, pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impulerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat supra petram. Pluuiam, & flumina, & ventos translatione verborum afflictiones, & ingruentia hominibus pericula nuncupauit, calumnias videlicet, insidias, fluctus, interitus, aliorum impugnationes, ceteraq. omnia vitæ præsentis incommoda. Qua fundatus est supra petram. Hoc restantur Apostoli, qui torrente totius orbis in se pariter irruente ty-

rannorum scilicet, atque populorum, Iudæorum, atque gentilium, suorum, & alienorum, pulsata fluctibus rupe firmius constiterunt.

Infra: Hoc est enim maxime mirabile, quia cum plurimas illi paterentur insidias, maximeq. in illos tempestatum turbines frequenter irruerent, nequaquam tamen eorum animos labefactare potuerunt, nec eis aliquem incutere merorem. Exagitat te vndique inimicus, & afflictionibus mille circundat, sed clariorem tibi profectò texit coronam. Quod autem præcipue mirandum est, non modo nihil omnino lædunt, qui talibus insidias machinantur, sed eos etiam faciunt oppugnatione meliores. Quicunque enim adamantem percutit, magis ipse percutitur. Et qui aduersus stimulum calcitrat, sine dubio ipse compungitur, suisq. proprijs ictibus vulneratur; & qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur, & malitia tantò efficitur infirmior, quantò contra virtutem diutius præliatur. Et sicut qui ignem ligat in vestimento, illum quidem non extinguit, vestimentum verò comburit, ita etiam qui in virtute positos persequebantur, comprehendebant, ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem perdebant.

5 Lib. 7. in c. 23. Isaiæ. to. 5. HIERONYMVS exponens verba illa; Dominus Sabaoth præcepit de Chanaam perdere robur eius, & dicent: Nequaquam adijcietis iniuriam facere, & iniquitatem virgini filiæ Sidonis, inquit: Omnis anima, quæ in sæculi fluctibus posita est, & circumfertur omni vento doctrinæ, Chanaam appellanda est, quæ interpretatur, quasi fluctuatio, siue commotio. Prodest igitur tyro, & eius angustijs robur perire chananæû, vt dicatur habitatoribus eius: quòd vltra non valent iniurias facere, & opprimere per iniquitatẽ virginem filiam Sidonis.

6 Lib. 1. in c. 1. Amos. to. 6. IDEM explicans verba illa; Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum, eo quòd triturauerit in plaustris ferreis Galaad, inquit: Si Damascus semel meû esset populum persecutus, aut secundò, darem veniam; nunc verò cum tertiò, & quartò crudelis extiterit, vt captiuam multitudinem plaustris ferreis tereret, nonne debeo eum plagis corripere? Nonne clementiæ meæ vultum auersare ab eo?

7 In c. 3. Sophoniæ. IDEM exponens illa verba; Ecce interficiam omnes, qui afflixerunt te, &c. ait: Septuaginta interpretes sic verterunt: Væ qui accepit super eam opprobrium: Ecce ego faciam in te propter te in tempore illo, & saluabo expressam, & repulsam suscipiam. Hoc dicit Iesus filius Sirach, qui mittit lapidem in excelsum, super caput suum mittit. Quia enim Sion, & Hierusalem in excelso positæ sunt quicunque Sion detrahit, & Hierusalem, & mittit in eam contumeliarum lapides, in suum eos caput iacit, & reuertetur opprobrium eius in caput suum, & dolor eius, & iniquitas super verticem eius descendet. Quanti hodie exprobrãt animæ Dei mysteria consectanti, volentiq. videre pacem eius, & dicũt, insanus est, & ebrius est, & musto plenus hominum cœtus fugit, delitias aspernatur, aurum pro luto computat, solam diligit paupertatem. Multi etiam fidelium huiuscemodi hominibus exprobrant, & vitam ipsorum arbitrantur amentiam, & non præsentem laudant conuersationem. Væ igitur ei, qui tulit opprobrium, atque suscepit, & huiuscemodi officio mãcipauit, vt detraheret Sion, & ciuitati Dei, quia pro hac iniuria vrbis suæ vltor est Dominus, & dicet ad Sion: Ecce ego faciam te propter te, id est, faciam vltionem tuam, & saluabo afflictam, siue expressam, vt in Græco habetur. Vt sit sensus, ego saluabo eam, quæ in præsentiarum quasi vua, & oliua in tentationibus, atque pressuris, vt prælo, & trabe pressa est, & afflicta, vt vinum faceret, & oleum, & de vino biberet Iesus in regno patris sui, de oleo autem vngeretur præ participibus suis. Egò puto propter expressionem talis vini, & olei Iob multa perpessum, postquã autem vinum, & oleum fecerat, audisse a Domino: Putas me aliter tibi respondisse, nisi vt appareres iustus? Quasi ad vuam, & oliuam loqueretur: Existimas me aliter te pressisse, & afflixisse, atque contriuisse, nisi vt vinum de te, & oleum exprimerem? Tribue nobis Iesu Christe expressis, & afflictis, & repulsis in isto sæculo, vt nos recipias, & ponas in gloriam, cessent sibila, venena torpeant, & confusio eius proficiat ad salutẽ. Ideo enim sequitur apud septuaginta interpretes: Et cõfundentur in tempore illo, quando bene vobis benefecerò, & in tempore cum suscepero vos, quia dabo vos nominatos, & in gloriam in cunctis populis terræ, quando conuertero captiuitatem vestram.

8 Lib. 2. in c. 13. Prouer. to. 7. IDEM exponens verba illa; Desiderium sic compleatur, delectat animam, detestantur stulti eos, qui fugiunt mala, vno verbo dicit: Stulti, qui carnalibus solum desiderijs gaudent, detestantur eos, qui pro amore cælestium infima oblectamenta contemnunt.

9 In c. 14. Proverb. IDEM exponens verba illa; Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicitur ab eo, qui infami graditur via, inquit: Abominatio est peccatoribus bonorum religio, stultumq. videtur incredulis, cum fideles propter Dei timorem etiam tormenta rident eorum, qui occidunt corpus. De quibus adhuc aperte subiungitur: In ore stulti virga superbiæ, labia sapientum custodiunt eos. Quia stulti per vaniloquium humiles, quos despiciunt, affligunt; sed ijdem humiles se sapientia, ne decipiantur, muniunt. Præmiserat sapiens: mulier ædificabit domum suam, insipiens extructam quoque destruet manibus. Quia vna quæque anima fidelis mansionem sibi in patria cælesti bonis actibus ædificat. At verò reprobi ea quæ bene sunt a bonis ordinata, male viuendo, aliquando etiam aperte repugnando dissipant.

10 In Psal. 36. tom. 8. IDEM explicans verba illa; Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros libani, & transiui, & ecce non erat, duos adhibet sensus. Primus est communis, secundus est iste; Quod cedrus libani, sancti dicantur propter altitudinem meritorum ipsorum. Impij super ipsos sunt; quia caleant & opprimunt illos. Transiui, & ecce non erat, quæsiui, & non est inuentus locus eius, scilicet impij. Non est inuentus locus eius pro tanta velocitate, qua deficiunt.

10 Li. 2. in c. 4. epist. Pauli ad Gal. to. 9 IDEM exponens illa verba de Isaac, & Ismahele, sed quomodo tunc qui secundũ carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc inquit: Non puto inuenire nos posse vbi Ismahel persecutus fuerit Isaac, sed tantum illud, quod cum filius Aegyptiæ, qui maior natu erat luderet. Cum Isaac indignata sit Sara, & dixerit ad Abraham: Eijce ancillam, & filium eius. Et vtique simplex lusus inter infantes, expulsione, & abdicatione dignus est? Verum Apostolus Paulus, velut ex Hebræis Hebræus, & ad pedes magistri Gamalielis edoctus, intellexit lusum illum simplicem non fuisse. Sed quia forsitan Ismahel quasi maior natu, scriptura iurgiũ paruulorum lusum vocauit. Infra: Is qui secundum carnem natus est, persequitur spiritualem. Nunquam enim spiritualis persequitur carnalem, sed ignoscit ei quasi rusticano fratri, scit eum posse proficere per tempus. Etsi quando Aegyptiæ filium viderit irascentem, recordatur in magna domo nõ solum esse vasa aurea, & argentea, sed & lignea & fictilia.

Gen. 21.

11 Serm. 17. in Psalm. 118. to. 20. AMBROSIVS explicãs verba illa: Redime me a calumnijs hominum, inquit: Non vnum genus nostræ afflictionis est, & tentatio est, & calumnia, sed tentatio leuior, calumnia grauior. Est humana tẽtatio, quam ferre possumus, calumnia autem grauis est. Calumniã autem eo grauior est, quia non solum falsa cõponit, verumetiam, quæ piè gesta sunt, decolorat. Vt Ioseph non solum adulterij obiectione tentatus est, & inuitatus ad crimen herilis illecebræ, verumetiam tentatus calumnijs cõposito elogio, quod ipse adulterium dominæ suæ inferre voluisset, comprehensusq. exuerit vestem, ne fraudis indicium, atque insigne criminis teneretur, cum vtique amictum ideo fugiens dereliquit, vt laqueos vim ferentis, & nexus illecebrosæ artis euaderet. Ipse Dauid

1. Reg. 18 fenserat quod timebat. Quibus enim Saul regis calumnijs laborauit? Proterritis omnibus Allophylum interfecit, & retorquens in hostẽ totius plebis opprobriũ: tamen quia iuuenculæ dixerunt Saul percussit mille, & Dauid decem millia, gloria in inuidiam versa, odio cœpit vrgeri. Susanna bene sibi conscia erat, & tamen falsum ferens testimoniũ damnata est. Sed hominum condemnata iudicio, nutu diuino absoluta est. Ideo ait Propheta: Redime me a calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua. Qui enim opprimitur calumnia, non facile potest custodire mandata diuina; tristitiæ necesse est plerumq; aut timori cedat, & affligatur, vel metu calumniæ, vel dolore.

AVGVSTINVS ait: Iusto iudicio Dei datur plerumque peccatoribus potestas, qua sanctos ipsius persequantur, vt qui spiritu Dei iuuantur, & aguntur, fiant per laborum exercitia clariores. Infra: Custodit nos Dominus ab omni malo, non vt ipsis aduersitatibus anima non lædatur. Omnes, qui in Christo piè volunt viuere, necesse est, vt ab impijs, & dissimilibus patiantur opprobria, & despiciantur tanquam stulti, & insani, qui præsentia bona perdunt, & inuisibilia sibi profutura promittunt. Sed hæc despectio, & irrisio in impios retorquebitur, cum & abundantia eorum in egestatem, & superbia transierit in cõfusionem. Tota fidelium salus, tota patientiæ fortitudo ad eum, qui in sanctis suis mirabilis est, referenda est, quia nisi in illis Dominus esset, furori impiorum, fragilitas succumberet humana.

12 Lib. Sentẽt. to. 3.

Psal. 120.

IDEM explicans verba illa Gen. cap. 46. Abominatio est Aegyptijs omnis pastor ouiũ, vno verbo ait: Merito Aegyptijs, in quibus figura est præsentis sæculi, in quibus abundat iniquitas, abominatio est omnis pastor pecorum. Abominatio est enim iniquo vir iustus. Referens hunc locum infra libro quæstionum in Exodum explicat illum Exodi 8. quando dixit Moyses Pharaoni: Abominationes Aegyptiorum immolabimus Domino Deo nostro, & ait: Hoc intelligendum est mystice significari, quod etiam de pastoribus diximus, qui erant Aegyptijs abominabiles, & ideo separatam terram Israelitæ acceperunt, cum venerunt in Aegyptum, sic & sacrificia Israelitarum abominationes sunt Aegyptijs, sicut iniquis vita iustorum.

13 Li. 1. quæst. in Genesim to. 4.

IDEM explicans verba illa Pauli: Omnes, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur, inquit: Quandiu viuũt hic, qui volunt in Christo pie viuere persecutionẽ patientur, vt aut victi cõprehendantur a diabolo, aut probati diabolum vincant, quos aut comprehensos, captiuosq. iam possidet, non vt obtineat persequitur, sed quia obtinet vtitur.

14 Lib. 2. contra Gaudentium Donatistam. to. 7. 2. Tim. 3.

Infra: Considera qualem persecutionem patiebatur, qui dicebat: Vidi insensatos, & tabescebam: Hunc persecutionem Loth iustus patiebatur in Sodomis, &c.

Psal. 118. Gen. 19.

IDEM explicans verba illa: De reprobis lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit, ait: Lacum aperire est in terrenis rebus, id est tãquam in terra fraudem parare, quo alius cadat, quem vult decipere iniustus. Aperitur autem hic lacus, cum consentitur malæ suggestioni terrenarum cupiditatũ. Effoditur vera, cũ post consensionẽ operationi fraudis instatur. Sed vnde fieri potest, vt iniquitas prius lædat hominẽ iustum, in quẽ procedit, quam cor iniustũ, vnde procedit? Itaq; fraudator pecuniæ, verbi gratia, dũ cupit aliũ damno lacerare, ipse auaritiæ vulnere sauciatur. Quis autem vel demens non videat quãtum inter hos distet, cum ille patiatur damnum pecuniæ, ille innocentiæ. Incidet ergo in

15 In Psal. 7. to. 8.

Pſal.9. foueam quam fecit, ſicut ſcriptum eſt: Cognoſcetur Dominus iudicia faciens, in operibus manuum ſuarum, comprehenſus eſt peccator. Vnde recte ſubditur: Conuertetur labor, ſeu dolor eius, in caput eius, & in verticem ipſius iniquitas eius deſcendet.

16 In Pſal.19. IDEM explicans verba illa; Et torrentes iniquitatis conturbauerunt me, inquit: Turbæ iniquæ ad tempus commotæ, velut flumina pluuialia cito deſitura egerunt, vt conturbarent me.

17 Expoſ.2. in Pſal.29. IDEM exponens verba illa; Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me, ſic habet: Tunc non iucundabuntur inimici ſuper iuſtos, cum iſti ſtabunt in magna cõſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Illi autem dicent intra ſe pœnitentes, & præ anguſtia ſpiritus gemẽtes. *Sap.5.* Quid nobis profuit ſuperbia, & diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt illa omnia, tanquam vmbra, & ſicut nuncius præcurrens. Et quid dicent de iuſtis? Quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt? Tunc erit dedicatio domus, quæ modo in tribulationibus fabricatur. Tunc recte dicet populus ille; Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me. Vera ergo erit vox iſta in populo Dei, qui populus modo anguſtiatur, modo tribulatur tantis inſecutionibus, tanta preſſura. Hæc tormenta animi non ſentit in Eccleſia, qui non proficit, putat enim quia pax eſt. Sed incipiat proficere, & tunc videbit in qua preſſura ſit, quia cum *Matt.13.* creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania. *Eccls.1.* Et qui apponit ſcientiam, apponit & dolorem. Proficiat, & videbit vbi ſit, exiſtat fructus, & apparebunt zizania. Vox *2.Tim.3.* eſt Pauli, omnes, qui piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur. Maligni autem homines, & ſeductores proficient in peius, ipſi errantes, & alios in errorem mittentes. *Pſal.26.* Et vnde ſunt verba illa pſalmi: Suſtine Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Parum erat ſemel ſuſtinere Dominum, niſi repeteret, ne forte ſuſtineret biduo, triduo, quatriduo, & maneret preſſura, & tribulatio, ideo addidit, viriliter age, addidit, & confortetur cor tuum. Et quia ab initio vſque ad finem, ſic erit, quod habet ſententiam in capite hoc, habet & in fine, hoc eſt, ſuſtine Dominum. Tranſient iſta, quæ te premunt, & veniet quem ſuſtines, & exterget ſudorem, ſiccabit lachrymam. Modo autem gemamus in tribulationibus.

18 In Pſal. 30. concione 3. IDEM exponens verba illa; Muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia, & contemptu, inquit: Quicunque voluerit iuſtorum in ea humilitate ambulare, in qua didicit ambulaſſe Chriſtum, contemnitur in Chriſto, quaſi membrum Chriſti. Et ſic neceſſe eſt, vt contemnatur totus ipſe Chriſtus a ſuperbis & impijs, vt fiat illis, quod dicitur: muta fiant labia doloſa, quæ loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem in ſuperbia & contemptu. Quando efficientur muta labia iſta? In hoc ſæculo nunquam. Quotidie clamant contra chriſtianos, quotidie blaſphemant, quotidie latrãt, augent linguis ſuis pœnas. Muta fient labia doloſa, quando ſtabunt iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt. Tunc dicent illi: *Sap.5.* Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Tunc efficiẽtur labia eorum muta, qui loquuntur aduerſus iuſtum iniquitatem. Modo enim dicunt nobis, Vbi eſt Deus veſter? Quid colitis? *Pſal.113.* Quid creditis? Quid videtis? Creditis, & laboratis, certum eſt, quòd laboratis, incertum eſt, quod ſperatis. Quando venerit certum, quod ſperamus, muta efficientur labia doloſa, quæ loquũtur aduerſus iuſtum iniquitatem.

19 In Pſal.43. IDEM explicans verba illa; Quoniam humiliata eſt in puluere anima noſtra, inquit: *Pſal.1.* In puluerem humiliata eſt anima noſtra, puluis nos perſequitur. Illi nos perſequuntur, de quibus dixiſti: Non ſic impij, non ſic, ſed tanquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Adhæſit in terra venter noſter. Pœnam nimiæ humiliationis mihi videtur expreſsiſſe, quia quiſquis quando ſe proſternit, hæret in terra venter eius. Quiſquis enim ita humiliatur, vt genua figat, adhuc habet quo humilietur, quiſquis autem ſic humiliatur, vt hæreat in terra venter eius, vltra quod humilietur non habet. Hoc ergo forſitan dixerint, nimiũ humiliati ſumus in hoc puluere, vltra quo humiliemur non habemus. Iam ſi peruenit vſque ad ſummum humiliatio, veniet & miſeratio.

20 In Pſal.55. IDEM exponẽs verba illa; Miſerere mei Deus, quoniam conculcauit me homo, ait: Noli timere quia conculcauit te homo, vinum habeto vua factus es, vt calceris. Tota die bellans, tribulauit me. Ne deficias in iſta conculcatione, ſciens quo exemplo fortis effectus ſis. Primus botrus in torculari preſſus eſt Chriſtus. Cum ille botrus paſsione expreſſus eſt, manauit illud, vnde calix inebrians quàm præclarus eſt. Dicat ergo & corpus eius intuens caput ſuum, miſerere mei Domine, quoniam *Pſal.22.* conculcauit me homo, tota die bellans tribulauit me. Tota die, toto tempore. Nemo ſibi dicat, fuerunt tribulationes apud patres noſtros, apud nos non ſunt. Si putas te non habere tribulationes, nondum cœpiſti eſſe chriſtianus. Et vbi eſt vox Apoſtoli, omnes, qui *2.Tim.3.* piè volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutionem patientur? Si ergo non pateris pro Chriſto vllam tribulationem, vide ne nondum cœperis in Chriſto pie viuere. Cum autem cœperis in Chriſto pie viuere ingreſſus es torcular, præpara te ad preſſuras, ſed noli eſſe aridus, ne de preſſura nihil exeat.

21 In Pſal.80. IDEM explicans verba illa; Exaudiui te, in abſcondito tempeſtatis, probaui te apud aquam contradictionis, inquit: Re vera fratres qui exauditus eſt in abſcondito tempeſtatis cordis, & cui dimiſſa ſunt peccata, debet probari in aqua contradictionis. Cum enim crediderit, cum viam Dei capere cœperit, habebit multos exagitatores, multos inſultatores, multos detractores, dehortatores, minantes etiam vbi poſſunt, deterrentes, deprimentes. Hæc tota aqua contradictionis eſt.

22 In Pſal.99. IDEM ait: Modo ſunt grana inter paleam, *Matt.3.* eſt lilium inter ſpinas. Quid audit Eccleſia? *Cant.2.* Sicut lilium in medio ſpinarum, ita proxima mea in medio filiarum. Non dictum eſt, in medio alienarum, ſed in medio filiarum. Quas dicit ſpinas? Ipſas filias. *Pſal.45.* Spinæ ſunt propter mores ſuos, filiæ propter ſacramẽta mea. Iſte eſt maior gemitus, quoniam ſi inimicus meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique. Si is, qui oderat me, ſuper me magna locutus fuiſſet, abſconderem me vtique ab eo. Tu vero homo vnanimis dux meus, & notus meus. Inter iſtos neceſſe eſt, vt gemamus.

23 Lib.20. Moral. cap.19. tomo 2. GREGORIVS ſic ait: Omnipotens Deus electorum ſuorum aduerſarios temporaliter permittit excreſcere, vt per malorum ſæuitiam, purgetur vita bonorum. Nunquam quippe Dominus aduerſum bonos eos ſæuire permitteret, niſi etiam quantum prodeſſent videret. Nam dum iniuſti ſæuiunt, iuſti purgantur, & vtilitati innocentium militat vita prauorum, dum hanc & premendo humiliat, & humiliando ſemper ad melius format. *Prou.11.* Vnde recte per Salomonem dicitur: Qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. Sed ſciendum eſt, quia cõtra ſapientis vitam, dum ſtultus præeminens terrorem poteſtatis exercet, dum hunc laboribus fatigat, contumelijs lacerat, profecto *Ibidem.* hunc ab omni vitiorum rubigine vrendo purgat. Stultus ergo ſapienti etiam dominando ſeruit, quem ad meliorem ſtatum premendo prouehit. Sic nonnunquam pupillis dominis ad diſciplinæ magiſterium ſerui præſunt, terrent, premunt, feriunt, & tamen eſſe ſerui nullo modo deſiſtunt, quia ad hoc ipſum ordinati ſunt, vt proficientibus dominis etiam feriendo famulentur. Quia igitur mala reproborũ, bonos dum cruciant purgant, vtilitati iuſtorum militat etiam poteſtas impiorum. Dicit autem Iob cap. 30. Diſsipauerunt itinera mea inſidiati ſunt mihi, & præualuerunt, & non fuit qui ferret auxilium. Hoc ait, quia plerunque iuſti tribulatione deprehenſi, tardam manum ſubuenientis æſtimant, cum ſe perſequentium immanitas paulo longius anguſtat. Et concita quidẽ ſunt ereptoris remedia, ſed hoc quod ab ereptore citius agitur, dolori tardum videtur: cumque adeſſe poſtulationi auxilium quæritur, ſi vocem non ſtatim ſequitur, quia deſit, æſtimatur. Quia ſupernũ auxilium, etſi adeſt quantũ ad ordinatam prouidentiam protectoris, deeſſe tamen creditur quantum ad concita vota patientis.

Iuſtorum varij ſunt gradus, quibus ſimiles modo ſunt mali, qui perſeuerare non debent, in omni autem ſtatu boni ſunt. Cap. XXI.

DE re hac diximus ſupra libro 5. cap. 3. Præter ea, quæ 1 ibi adnotauimus. Origenes Homil.5. in Num. to.1. inquit: Intelligamus tabernaculum teſtimonij, omnes ſanctos, qui ſub teſtamento Dei cenſentur, & in hoc tabernaculo eſſe quoſdam celſiores meritis, & gratia ſuperiores, & ex ijs, aliquos quidem cãdelabrum dici. Ipſos forte Apoſtolos, qui illuminant accedentes ad Deum. Sed etſi qui alij ſunt, qui in hoc tabernaculo Dei, omnibus ingredientibus, ſcientiæ & doctrinæ lumen oſtendunt, omnes iſti candelabrum myſticũ nominentur. Alij ſint menſa ſacra, ſcilicet quicunque habent panes Dei & reficiunt, ac paſcunt animas eſurientes iuſtitiam. Alij ſunt altare incenſi, quicunque orationibus ac ieiunijs die ac nocte vacant in templo Dei, orantes nõ ſolum pro ſemetipſo, ſed & pro vniuerſo populo. Ij vero, quibus arcana myſteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ ſuæ iudiciorum ſecreta commiſit, arca teſtamenti Dei appellentur. Porro, qui cum omni fiducia per hoſtias precũ, ſupplicationumq. victimas Deum hominibus repropitiant, & pro delictis populi interueniunt, propitiatoriũ nominentur. At qui meruerint multitudinem ſcientiæ, 2
& abundantes diuitias in agnitione Dei, Cherubin intelligi poſſunt. Sed hos omnes, qui per hæc ſingula, quæ numerata ſunt, deſignantur, portari neceſſe eſt, & portari in humeris. Vnde fortaſsis (vt ego opinor) angeli, qui ordinati ſunt propter eos, qui hereditatẽ capiunt ſalutis ipſi ſint, qui ſingulos eorum, quos ſupra diximus, portant. Cum enim ſolutum fuerit tabernaculum hoc, & cœperimus ingredi ad illa ſancta, & pergere ad locum repromiſsionis, hi qui vere ſancti ſunt, & in ſanctis ſanctorum habentur, angelis ſine dubio ſubuectantibus incedunt, & vſquequo requieſcat tabernaculum Dei, portantur in humeris, & extolluntur in manibus, ſicut ſcriptum eſt: Angelis *Pſal.90.* ſuis mandauit de te, vt in manibus tollant te. Per ipſos angelos ſub eodem myſterio Paulus portandos eſſe, quoſdam cõfirmat in nubibus obuiam Chriſto in aera. Portantur columnæ, & atria, & cetera, quæ a ſcriptura referuntur.

CHRYSOSTOMVS docens, quòd cuique homini 3 cuiuſuis ſtatus mille poſitæ ſunt ſolidæ & genuinæ vitæ imagines, inquit: Serm.12. in epiſt. Pauli ad Philipp. tomo 4. Hic quidem inops claruit, ille vero cum pecunijs quoque. Helias inops, Abraham cum pecunijs. Rurſus hic quidem coniugatus, ille vero virginitatem tenens. Abraham coniugatus, Helias virginitatem ſeruans. Alius per ieiunia, vt Ioannes, alius vero ſine ieiunijs, vt Iob. Rurſus hic ipſe, & vxoris, & filiorum, & filiarum,

rum, & domus curam gerens, multasq. diuitias possidens. Alter vero nihil possidebat nisi pilosum indumentum. Dauid splenduit in regia dignitate, & nihil eum relaxauit, vel purpura, vel diadema. Alius integro populo præfectus, Moysen dico, quod quidem difficilius est. Vides & in diuitijs celebres, & probatos? Vides & in paupertate? Vides in coniugio? Vides in virginitate, & in diuitijs, & in paupertate perditos? In virginitate quinque illæ virgines perierunt. In diuitijs diues ille Lazari contemptor. In paupertate multi perierũt, & nunc quoque pauperes pereunt, in regia dignitate, in rerum publicarum administratione. Vis & in ordine militari saluatos videre? Habes Cornelium. Et in gubernatione domestica? Habes eunuchum Aethiopissæ.

4 In serm. de Eucharistia qui inter viginti varios huius tomi est primus. to. 5.

IDEM docens, contra eos, qui aiunt quomodo sit possibile in mundo, & in medio hominum quenquam saluari, non esse locum qui saluet, sed mores, inquit: Adam in paradiso, vt in portu naufragium fecit. Loth in Sodomis sicut in pelago seruatus est. Iob in stercore iustificatus est, Saul ille inter raros, regno præsenti, & futuro excedit. Non est defensio, quod dicis te non posse etiam in medio negotiorum saluari.

5 Epist. 137. quæ est ad clerum, & populum Hypponensem. to. 2.

AVGVSTINVS quibus innotuerat crimen Bonifacij presbyteri Augustini, in qua declarans nullam fuisse tam fœlicem sodalitatem, in qua non aliquod flagitium extiterit, inquit: Quantũlibet vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines viuo, nec mihi arrogare audeo, vt domus mea melior sit, quàm arca Noe, vbi tamen inter octo homines reprobus vnus inuentus est, aut melior sit, quàm domus Abrahæ, vbi dictum est: Eijce ancillam, & filium eius. Aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, vbi lectum patris filius incestauit. Aut melior sit, quàm domus ipsius Dauid, cuius filius cum sorore concubuit, cuius alter filius contra patris tam sanctam mansuetudinem rebellauit. Aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamen si inter omnes bonos habitaret, non diceret: Foris pugnæ, intus timores, nec diceret, cum de sanctitate Timothei loqueretur: neminem habeo, qui germane de vobis solicitus sit. Omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi. Aut melior, quàm cohabitatio ipsius Domini Iesu Christi, in qua vndecim boni perfidum & furem Iudam tolerauerunt. Aut melior sit postremo, quàm cœlum, vnde angeli ceciderunt. Simpliciter autem fatere charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasterijs profecerunt; ita non sum expertus priores, quàm qui in monasterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apoc. 22. Apocalypsi scriptum: Qui iustus est, iustificatur adhuc, & sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de plurimis ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur torcularia detestari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur.

Gen. 9. Gen. 21. Mala. 1. Gen. 49. 2. Reg. 11. 2. Cor. 7. Phil. 2.

6 Lib. de fide & operibus to. 4.

IDEM sic ait: Dominus in duodecim Apostolis, vsque ad passionem diabolum pertulit, & qui ait: Sinite vtraque crescere vsque ad messem, ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis forte & triticum. Retiaq. illa in similitudine Ecclesiæ vsque ad littus, hoc est, vsque ad sæculi finem, bonos, & malos pisces habitura prædixit, &c. Si qua de permixtione bonorum, & malorum, siue aperte, siue per similitudinem locutus est Dominus, non ideo tamen omittendam censuit Ecclesiæ disciplinam, immo adhibendam docuit, cum dixit: Si peccauerit in te frater tuus, corripe eum. Est ergo ratio dissimulandi, & tolerandi malos in Ecclesia, & est rursus ratio castigandi & corripiendi. Infra: Insinuat quòd animalia munda, & immunda in arca Noe significabant mundos & immundos, bonos & malos futuros in Ecclesia.

Matt. 13. Matt. 18. Gen. 7.

7 Lib. de sancta virginitate. to. 6.

IDEM inquit: An vero propter aliud credendum est permittere Deum, vt misceantur numero professionis vestrę multi & multæ casuri & casuræ, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur? Infra: Perseuerantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes autem augeant timorem vestrum.

8 Libro cuius titulus est, Breuiculus collationis cum Donatistis. to. 7.

IDEM postquàm narrauit, quòd Imperatoris iussu, apud Carthaginẽ conuenerunt Donatistæ, cum catholicis ad disputandum de fide, congregati sunt, & reperta sunt nomina Donatistarum Episcoporum esse ducenta septuaginta nouem annumeratis illis, pro quibus absentibus alij subscripserant, inter quos disputationis summa hæc erat: quòd Donatistæ asseuerabant non esse malos in Ecclesia tolerandos, occasione huius, inquit Augustinus referens, quæ Episcopi Catholici contra hæreticos statuerunt: Illa testimonia, in quibus commendatur Ecclesia, cum malorum commixtione hoc tempus eius significat qualis est in præsenti sæculo, & illa testimonia, quibus commendatur non habere commixtos malos, illud eius tempus significat, qualis venturo sæculo in æternum futura est. Hæc duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, & qualis tunc erit, significata esse etiam duobus piscationibus vnam ante resurrectionem Christi, quando mitti iussit retia, nec sinistram, nec dextram nominans partem, vt nec solos malos, nec solos bonos, sed commixtos bonis malos intra retia suorum sacramentorum futuros doceret, post resurrectionem autem quãdo iussit retia mitti in dexteram partem, vt post resurrectionẽ nostram bonos solos in Ecclesia futuros intelligeremus, vbi mala non erunt, quibus modo retia dirumpũtur. De tali Ecclesia dictum est, ꝙ per illam non erat transiturus, incircũcisus & im-

Luc. 5. Ioan. 21. Isa. 52.

& immundus. Hoc etiam significasse, quod coruus auis immunda exierit de arca, & non redierit. Quæ tamen arca, exeunte coruo, non vtique omnibus immundis animalibus caruit, sed in ea fuerunt munda, & immunda, vsq; ad diluuium, sicut in Ecclesia, boni & mali, vsque ad sæculi finem: Sed sicut non de immundis, sed de mundis animalibus, Noe obtulit sacrificium; ita non ij, qui mali sunt in Ecclesia, sed qui boni sunt, perueniunt ad eum: Et vbi commemoratum est, qualis separatio bonis hoc tempore, ab impijs, & malis fieri debeat, ne cõmunicetur peccatis alienis, corde videlicet, & vitæ, morumq. dissimilitudine debemus accipere, nec aliter intelligi debere, quod scriptum est: Exite de medio eorum, recedite inde, & immundum non tetigeritis, ideſt, discernamini aliter viuendo, & immunditiæ nõ consenseritis. Et Dauid: Non sedi in concilio impiorum, & cum iniqua gerentibus non introibo: Cum enim illi intrassent cum eis, quos impios putarent, quare non etiam sederunt cum eis, vt in vtroque non corporalem, sed spiritalem consessum, & ingressum deuitasse videretur.

Gen. 9. Isa. 52. Psal. 25.

9 In libro cuius titulus est, contra Donatistas, post collationem.

IDEM sic habet; Causa & persona zizaniorum, non præiudicat causæ, & personæ tritici, quanuis in eodem agro eadem pluuia simul vsq; ad messem crescerent, quando separari oporteret: Causa & persona paleæ, non præiudicat frumento, quamuis in eadem palea simul triturentur, donec nouissima ventilatione separẽtur, vt hædi non præiudicant ouibus, quamuis communibus pascuis vtraque pecora permixta seruentur, donec a pastore summo in iudicio segregentur, vt causa, & persona, piscium malorum, non præiudicet causæ piscium bonorum, quamuis intra eadem retia tenerentur in extremo littore separanda, hoc est in finem sæculi: Quibus parabolis Ecclesia prænunciata est, vsq; in finem sæculi, bonos, & malos, simul habitura. Infra: Probat, quòd non de toto mundo, vt heretici arbitrãtur, sed de Ecclesia scriptum sit, quòd vsq; ad messem zizania simul sit cum tritico, & quod de futuro sęculo intelligendum est illud Isaiæ: & non adijciet, vt pertranseat in te incircumcisus, & immundus. In hoc enim, quod ait, Propheta: non adijciet vltra per te transire incircuncisum significat, quod nunc transeunt immundi, sed in die iudicij vltra non transibunt: Et si propterea retibus bonos, & malos congregantibus Ecclesiam comparauit, quia malos in Ecclesia non manifestos, sed latentes intelligi voluit, quos ita nesciunt sacerdotes, quemadmodum sub fluctibus quid acceperũt retia, nesciunt piscatores: propterea etiam, & paleæ comparata est, vt etiam manifesti mali, cum bonis in ea prænunciarentur futuri: Neq; enim palea, quæ in area est permixta frumentis etiam ipsa sub fluctibus latet, quæ sic omnium oculis est conspicua, vt potius occulta sint in ea frumenta, cum sit ipsa palea manifesta. Dixit autem Hieremias: Quid paleis ad

Matt. 13. Isa. 52. Hiere. 23.

triticum? Quod ideo dixit, quia similia non sunt: Non quia permixta esse nõ possunt, quia in horreo non simul erunt, nõ quia in area pariter non triturantur, tunc enim veniet Dominus ferens ventilabrum, & purgabit areã suã, frumenta recondet in horreo, paleas autẽ comburet igni, & sicut pisces non possunt ante littoris exitum separari, sic nec area potest ante finem debitum ventilari. Matt. 3.

10 Libro 2. de peccatorũ meritis, & remissione contra Pelagianos.

IDEM explicans locum Ezechielis 14. Si fuerint in medio populi, Noe, Daniel, & Iob, ipsi animas suas liberabunt, &c. inquit. In tribus illis viris, tria quædam hominum genera liberanda præfiguraui. In Noe iustos plebium præpositos, propter arcæ tanquam Ecclesiæ gubernationem, in Daniele iustos continentes, in Iob iustos coniugatos.

11 Cõcione 1. in Psal. 36. tom. 8.

IDEM sic habet. Iam verò, quia in vno quoque genere vitę, quod habet aliquam professionem, non omnes inueniuntur probi, non omnes inueniuntur reprobi, ex hoc apparet, quia de quibusdam hominum generibus, quæ per similitudines in Euangelio proponuntur, sic concluditur: Vnus assumetur, & vnus relinquetur: Assumetur bonus, relinquetur malus: Videntur duo in agro, eadem professio est, sed non idem cor. Quodlibet ergo ager significet vnus assumetur, & vnus relinquetur, non quasi dimidia pars assumetur, & dimidia relinquetur, sed genera hominum duo dicit. Et si aliud eorum sit in paucis, aliud in multis, vnus assumetur, & vnus relinquetur: hoc est, vnum genus assumetur, & alterũ relinquetur: Sic in lecto, sic in molendino. Videntur mihi in agro laborare, qui præsunt Ecclesijs, sicut Paulus dicit: Dei agricultura estis. Et molendinum puto dictum mundum istum, quia rota quadam temporum voluitur, & amatores suos conterit: Sunt qui de actionibus mundi non recedunt, sed tamen & ibi, alij bene operantur, alij male; lectum autem positum arbitror pro quiete, quia sunt, qui neque actiones mundi pati volunt, sicut sunt coniugati homines, neque aliquid in Ecclesia agunt, sicut præpositi, velut in agricultura laborãtes, sed velut ad hæc infirmi secedunt ad otium, & quieti esse diligunt, memores infirmitatis suæ, non se committentes magnis actionibus. Et hęc professio habet bonos fictos: proinde etiam ex his vnus assumetur, & vnus relinquetur: Ad quãcumque professionem te conuerteris, parate pati fictos, alioquin si te non praueneris, inuenies quod non sperabas, & deficies, aut perturbaberis. 1. Cor. 3.

12 In Psal. 42.

IDEM exponens verba; Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, ait: Nostis quia hoc genus hominum, hoc semen bonum, hoc frumentum Christi inter zizania gemit, & hoc donec veniat tempus messis & finis sæculi. Gemens ergo inter zizania, ideſt, inter malos homines, inter dolosos, & seductores, circunspiciens simul cum illis esse se tanquam in vno agro, per totum mundum vnam pluuiam excipere, pariter perflari, habere

bere simul ista cõmunia dona Dei, bonis malisq. concessa communiter, ab illo, qui facit solẽ suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos: Videns ergo semen Abrahæ, semen sanctum, quanta cum malis a quibus quandoq; separandum est, nunc habeat communia, æqualiter naſci pariter mortalia ferre corpora, simul vti luce, fontibus, fructibus, prosperitatibus, atque aduersitatibus sæculi, siue fame, siue abundantia, siue fame, siue bello, siue salute, siue peste, videns quanta habeat communia, cum malis, cum quibus tamẽ non habet causam communem, erupit in hanc vocem: Iudica me Deus, & discerne causam meã de gente non sancta: Nunc interim in hac peregrinatione, non discernis locum meum, quia simul cum zizanijs viuo vsque ad tempus messis. Nondum discernis pluuiam meam, nondum discernis lucem meam, discerne causam meam. Distet inter eum, qui in te credit, & eum, qui in te non credit, par infirmitas est, sed dispar conscientia, par labor, sed dispar desiderium. Ab homine iniquo, & doloso erue me: quia vnus assumetur, & vnus relinquetur.

13 In Psal. 54. IDEM ait: In omni congregatione multitudinis necesse est, vt inueniantur mali. Deus enim, qui nouit exercendos, nos miscet nobis, & non perseueraturos, aut certe ita simulatos, vt nec inchoauerint in quo perseuerare debeant: Nouit enim necessarium esse nobis, vt feramus malos, & proficiat, quòd boni sumus: Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine: Vbicumque fugeris congregabũt se cæteri, desertum tecum petent, affectabunt vitam tuam, tu repellere non potes societatem fratrum, miscentur tibi etiam mali, adhuc tibi exercitatio debetur. Attende, quia Dominus duodecim suis miscuit vnum, quem pateretur.

14 In Ps. 132. IDEM in fine exponens verba illa; Ecce quàm bonum, & quàm iucũdum habitare fratres in vnum, sic habet: Sunt & qui monachi falsi sunt, & nos nouimus tales, & clerici falsi, & fideles falsi. Omnia ista tua genera, fratres mei, habent bonos suos, habent malos suos. Matt. 24. De tribus enim ipsis generibus dictũ est: Duo in agro vnus assumetur, & vnus relinquetur, & duo in lecto, vnus assumetur, & vnus relinquetur, & duæ in molendino, vna assumetur, & vna relinquetur: In agro sunt, qui gubernant Ecclesiam: In lecto sunt, qui amauerunt quietem, non se miscẽtes tumultui generis humani, in otio seruientes Deo, & inde tamen vnus assumetur, & vnus relinquetur. Sunt ibi probi, & sunt ibi reprobi, Duæ in molendino, hoc est, in isto sæculo versantur, vbi molendinũ intelligitur, quia sic vertitur mũdus iste, quomodo mola: væ enim quos conterit: sic ibi 1. Cor. 7. versantur fideles boni, vt vnus consumatur, alter assumatur. Qui assumuntur de molendino, sunt qui vtuntur hoc mundo, tanquam nõ vtantur, quia præterit figura huius mundi, qui non sperant in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui diuites sunt in operibus bonis, & facile tribuũt, diues autem pauperem Lazarum contemnens, relinquetur: Sic dicit, & Ezechiel de tribus personis, in quibus non absurde hæc tria genera intelligimus. Cum miserit Dominus gladium in terra, & si fuerint in medio eorum Noe, Daniel, & Iob non liberabunt filios neque filias, sed ipsi soli salui erunt. Iam illi olim liberati sunt, sed in istis tribus nominibus tria genera, quædam significauit. Noe significat rectores Ecclesiæ, quia ipse arcam in diluuio gubernauit: Daniel autem vitam quietam elegit in cælibatu seruire Deo. In Iob vero, qui vxorem, & filios habuit, intelligitur vna illa de molendino, quæ assumetur.

15 In Ps. 148. IDEM explicans verba illa; Et exaltauit cornu populi sui, inquit: Quando exaltabitur cornu populi sui? Quando timentibus nomen Domini orietur sol iustitiæ, & sanctitas in pennis eius. Ipse sol, de quo scriptum est: Et sol iustitiæ, non est ortus nobis, ipse erit æ- Mala. 4 stas nostra. Modo fructus, per hyemem in ra- Sap. 5. dice non apparent. Attendis quasi aridas arbores, per hyemem. Qui non nouit videre, aridam putat vitem, & forte iuxta est, quæ vere aruit: Similes sunt ambæ per hyemem, illa viuit, illa mortua est, sed illius vita, illius mors in abscondito est. Aestas procedit, vita illius clarificatur, mors illa manifestatur. Procedit honor foliorum, fœcũditas fructuum, vestitur vitis in facie, ex eo quod habet in radice: ergo modo, fratres, tales sumus, quales sunt, & alij homines: quomodo nascuntur, manducant, bibunt, viuunt, & vestiuntur, transigunt vitam istam, sic & sancti: Aliquando res ipsæ decipiunt homines, & dicunt quia Christianus est hic, quid habet plus a me? O vitis arida attendis iuxta te vitem nudam in hyberno, sed non aridam per æstatis vim: & veniet Dominus honor noster, quia latebat in radice, & tunc exaltabit cornu populi sui, post captiuitatem in qua mortaliter viuimus. Vnde dicit 1. Cor. 4. Apostolus: Nolite ante tempus iudicare, donec veniat Dominus, & illuminabit abscondita tenebrarum, & tunc laus erit vnicuique a Deo. Sed dicis mihi: Vbi est radix mea? vbi est fructus meus? Si credis, ibi est, vbi est fides tua, vbi est charitas tua. Audi Apostolum di- Colo. 3. centem: Mortui estis: Quasi per hyemẽ mortui apparebant. Audi quia viuunt, & vita vestra, inquit, abscondita est cũ Christo in Deo. Ecce vbi habes radicem. Quando ergo fœcundaberis fructu? Audi illum dicentem: Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria, & exaltabit cornu populi sui.

16 Lib. 26. Moral. cap. 18. tom. 2. GREGORIVS sic habet. Quia in Ecclesia iustiores paucos videt homines, iniquos autẽ numerosiores, sicut & in tritura frugum maior est multitudo palearum, etiam iustorum vitam ex iniquorum æstimatione contemnunt. Infra: Non debet plurimorum malum tendere in æstimatione electorum, quia etsi iniqui sunt, quos cognoscentes dijudicãt, nonnulli tamen sancti sunt, quos ignorant.

Trituræ

Trituræ quippe tempus est, & adhuc grana sub paleis latent: Nullus ergo ex area fructus expectabitur, si hoc solum in ea esse creditur, quod superficie tenus videtur.

17 Lib. 31. Moral. cap. 9. IDEM sic inquit; Multos hypocritas sancta Ecclesia, nunc tolerat, quos cum tempus eruperit, tentatio aperta manifestat. Quia enim a bonis malisq. hæc vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex vtrorumque numero visibiliter congregatur, sed Deo inuisibiliter iudicante discernitur, atque in exitu suo a reproborum societate separatur: modo vero esse in ea, nec boni, sine malis, nec mali, sine bonis possunt. Hoc enim tempore coniuncta vtraq; pars sibi necessario cõgruit, vt & mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum.

Iusti retro respicere non debent, sed semper in bono proficere, ad id autem meliores se respiciant. Cap. XXII.

1 Homil. 5. in ca. 19. Gen. tom. 1. ORIGENES referens, quia ratione Loth, & vxor eius accepto ab angelo mandato ne retrorsum respicerent, tendebant in segor, at vxor eius immemor præcepti retrorsum, respicit impositam legem rũpit, efficitur in statuam salis, inquit: Putamus ne tantum sceleris in hoc esse commisso, vt quia post se respexit mulier, interitum, quem diuino beneficio effugere videbatur, incurreret? Quid enim tantum criminis habuit, si sollicita mulieris mens, retrorsum, vnde nimio flammarum crepitu terrebatur, aspexit? Sed quia quæ contingebant antiquis, in figura illis contingebant, videamus ne forte Loth, qui non respexit post se, animus sit virilis, vxor autem carnis imaginem teneat: caro est enim, Lucæ 9. quæ respicit semper ad vitia, quæ cum animus tendit ad salutem, illa retrorsum respicit, & voluptates requirit. Inde denique, & Dominus dicebat: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro aptus Lucæ 17. est, regno Dei. Et addit: Mementote vxoris Loth: Quod autem fit statua salis, insipientiæ eius indicium videtur expositum, sal enim prudentiæ loco ponitur, quæ ei defuit. Pertendit ergo Loth in Segor, ibique paulis per collectis viribus, quas in Sodomis habere non potuit, ascendit in montem, & ibi habitauit.

2 Homi. 7. in caput 21. Genesis. IDEM docens, quòd quando Isaac a lacte depulsus est, cõuiuium magnum fecerit Abraham, inquit: De filijs spiritualibus, qui per Euangelium geniti sunt, cum fuerint a lacte Heb. 5. auulsi, fit conuiuium, & lætitia magna. De his qui iam non lacte indigent, sed cibo forti, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habent sensus ad discretionem boni, & mali: Super his talibus, cum depellũtur a lacte fit conuiuium magnum: Super illis autem nõ potest exhiberi conuiuium, nec haberi lætitia, de quibus dicit Apostolus: Lac vobis potum dedi, nõ escam. Nondum enim poteratis, sed nec nũc 1. Cor. 3. quidem potestis: Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus, quasi paruulis in Christo, lac vobis potum dedi.

3 Homil. 5. in Exodum. IDEM postquã in sensu morali explicuit; Stationes Iudæorum in eremo, vt ex illis in virtute quomodo proficiscendum sit doceret, ait: Angelus Domini antecedebat castra Israel, & columna nubis stetit post illos, & intrauit inter castra Aegyptiorum, & Israelitarum. Hæc columna nubis populo quidem Dei efficitur murus: Aegyptijs verò obscuritatem imponit, & tenebras: Et tu ergo si ab Aegyptijs recedas, & de potestate dęmonum fugias, vide quanta diuinitus tibi præparantur auxilia, vide quantis adiutoribus vteris. Tantum est, vt permaneas fortis in fide, nec te Aegyptiorum equitatus, & quadrigarum formido perterreat, nec reclames contra legem Dei, vt illi: tanquam non essent sepulchra in Aegypto, ita adduxisti nos, vt in deserto hoc moriamur: Melius fuerat nos seruire Aegyptijs, quàm mori in deserto hoc. Hæc fatiscentis in tentatione animi verba sunt. Verum tamen, quia dicunt melius fuerat, nos seruire Aegyptijs, quã mori in eremo, tentationis, & fragilitatis, hæc verba sunt. Longe enim melius est in eremo mori, quam seruire Aegyptijs, qui enim in eremo moritur, hoc ipso, quòd separatus est ab Aegyptijs, & discessit a rectoribus tenebrarum, & de potestate satanę, habuit aliquẽ profectum etiam si ad integrum peruenire nõ potuit. Melius enim perfectam viam quærenti est, in itinere mori, quam ne proficisci quidem ad perfectionem quærendam. Vnde & eorum falsa videtur opinio, qui dum nimis arduum iter virtutis exponunt, dumq; multas eius difficultates, multaq. pericula, & lapsus enumerant, ne ineundum quidem id, aut incipiendum iudicant. Sed multo melius est, me hoc in itinere, vel mori, si ita necesse est, quàm inter Aegyptios permanentem necari, atque amarissimis fluctibus obrui.

4 Homil. 11. in cap. 20. Leuitici. IDEM sic ait. Quicumq; se consecrauerit Deo, merito extra terram, extra mundum videbitur. Potest enim & ipse dicere: Super terram ambulantes conuersationẽ in cęlis habemus. Salomon quoque in prouerbijs dicit: Laqueus est viro forti, cito aliquid de suis sanctificare. Postea enim quam vouerit, euenit pœnitere. Et hoc est, vtiq; quod dicit: Ne quis forte cum fructus ex area, aut vinum ex torcularibus colligit, & dixerit volo tantum offerre Ecclesiæ, vel in vsum pauperum, & peregrinorum tantũ præbere, si postea ex his, quæ vouit aliquid ad vsus proprios præsumat iam non de suis fructibus præsumpsit, sed sancta Dei violauit. Et ideo laques fortis est, sanctificare aliquid, hoc est vouere Deo, & post modũ pœnitẽtia ductũ ad vsus proprios, ea quę consecrauerat reuocare. Sed etsi nos ipsos consecramus, & offerimus Deo, obseruemus hunc laqueum, ne forte postea quam nos Deo vouerimus, iterum

rum humanis vsibus, vel actibus subiugemur. Infra: Ex quibus omnibus clarum est quomodo vnusquisque nostrum, qui vult esse sanctus, consecrari debeat Deo, & nullis præterea negotijs, vel actibus, qui ad Deum minime pertinent, occupari.

5 Homilia 4. in Psal. 36. tom. 2. *Exo. 3.*

IDEM explicans verba illa; Apud Dominum gressus hominis dirigentur, ait. Gressus a gradiendo nominamus, secundū illud, quod in Exodo scriptum est; quod Moyses vidit flāmam ignis, & angelum cum rubus arderet, sed non combureretur, & dixit digrediens, siue pertransiens: videbo visionem hanc magnam. Audiui quendam de sapientibus ante nos dicentem, cum explanaret hunc locum: Quia non est posibile prius videre visum magnum, atque prospicere magna mysteria stanti in conuersatione, & actibus mundi huius, sed transire oportet prius ab his, & transcendere omnia sæcularia, & sensum nostrum, ac mentem liberam fieri, & tunc ad magnarum, & spiritualium rerum intuitum peruenire, & ita demum visum magnum videre. Nos vero, his quæ sapienter dicta sunt, hæc addimus. Vnusquisque qui iter agit, ad virtutem proficit ambulando, vt paulatim per multos profectus itineris perueniat ad eam. Iter ergo agens, & velut quibusdam passibus gradiens digreditur semper, & transit ea, quæ explicuit, ac posteriora omittens ad ea, quæ priora sunt, se extendit. Digrediens ergo, transit primum locum malitiæ, & inde proficiens passibus, & ingressibus, transit alias peccatorum sudes. Cum vero hæc etiam euaserit, semper ad ea, quæ in antea sunt se extendens, minus restat malitiæ. Infra: Qui iter agit ad virtutem, multa sunt, quæ transire habet; Ergo & tu qui ad Christum tendis, digredere luxuriam, scorta, adulteria, digredere furta, falsa testimonia, auaritiam, & omnem malam concupiscentiam, &c. Nisi hæc omnia digressus fueris, visionem illam magnam Domini videre non poteris. Sunt gressus interioris hominis, quibus ambulare possumus hanc viam. Hoc ergo iter agentibus, multis gressibus vtendum est nobis, vt omnia illa, quæ supra diximus, transeamus, quia gressus hominis a Domino diriguntur. A Domino ergo gressus hominis dirigentur, & viam eius cupiet Christum scilicet, & desiderabit manere semper in Christo.

6 Homil. 10. in cap. 13. Hier.

IDEM explicans verba illa; Quis parcet super Hierusalem, & quis contristabitur super te? inquit. Post hæc tu auersata es me, dicit Dominus, retro ambulabis. Iudea, quia auersata sit Christum, retro ambulauit corde, reuersa est in Aegyptum. Iustus eorum, quæ retro sunt obliuiscens, in priora extenditur. Peccator posteriorum meminit, priora non appetens. Qui autem posteriorum meminit, præuaricatur in legem Iesu dicentis: Ne conuertatur retrorsum tollere tunicam suam, inobediens est dicto eius. Mementote vxoris Lothi, cum contemnit imperium Saluatoris dicentis: Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei. *Matt. 24.* *Luc. 17.* *Luc. 9.*

In lege quoque scriptum reperimus, angelos ad Lothi egredientem de Sodomis dixisse: ne respexeris retro, & ne steteris in tota regione, in monte saluum te fac, ne forte reprehendaris. Habes & hunc intellectum dignum spiritu Dei: Ne, inquit, respexeris retro, id est in puiora extende. Dimisisti Sodomam, ne reuertaris in Sodomam. Dimisisti peccata, ne regrediaris ad ea. Ne steteris in tota regione. Etiamsi præcedens imperium custodieris, de quo dicitur: Ne respexeris retro, non tibi sufficit ad salutem, nisi & consequens obseruaueris, ne steteris in tota regione. Non enim expedit incipienti proficere, vt stet in regionibus Sodomorum. Et si Sodomam transcendisti a regione Satanæ discedens, incipis liber esse supplicijs, expedit, vt saluetis in monte, ne respexeris retro, nec steteris in tota regione, in montē saluum te fac, ne forte comprehendaris. Si vis a Sodomorum ruina non comprehendi, ne conuertaris retro, ne steteris in regione eorum, sed cum inde discesseris, ascende in montem, in quo solo salus est. *Gen. 19.*

7 Lib. 10. in epist. Pauli ad Rom. c. 3.

IDEM explicans verba illa capitis 14. Beatus qui nō iudicat semetipsum in eo quod probat, inquit: Multi sunt, qui probant aliquid boni facere. Verbi gratia: seruare castitatem, &c. Sed processu temporis, vel subrepente negligentia, vel superante libidine, id quod obseruandum probauerant, maculantur, & corrumpitur, & est infœlix ille, qui in eo quod obseruare decreuerat, victus, semetipsum iudicat, & condemnat. Beatus verò ille est, qui in eo quod probat, & statuit, ita permanet fixus, & stabilis, vt in nullo semetipsum iudicet, in nullo reprehendat.

8 Homil. 1. in Hexaemeron 10.

BASILIVS exponens verba illa Genesis; Crescite, & multiplicamini, sic habet: Anima crescit, dum quotidiana progressione se ad perfectionem promouet. Nobis dictum est: crescite, ratione inita interioris hominis, quo se promouente, rectà ad Deum contendimus. Istiusmodi erat Paulus, qui dum adniteretur, proq. virili se extenderet in anteriora eorum, quæ erant a tergo, obliuiscebatur. Ipsa hæc extensio in hoc sita est, vt ad ampliora iam quæsitis quotidiana progressione nos extendamus, nimirum, vt eo quidem quod assecutus iā es, e memoria sublato, id demum persequare pro virili, quod ex perfectæ pietatis cumulo agnoscis tibi deesse. Talis & Isaac erat, de quo celebre illud elogium proditum memoriæ est, quia promouens gradum in sublime attollebatur, donec magnus effectus est. Non enim desijt aliquando succrescere. Neque quod in stadio virtutis aliquo vsque promouisset, desedit cunctatior, quin id potius iugi, & intenta progressione procedebat. Ad obeunda virtutis opera se contulit gradu impigro. Ad apicem denique summum totius boni, his actibus iustis continenter progrediens, sublimatus est. Crescite igitur incremento

crementō perfectionis ad Deum, incremento quod interiore hominem moderetur, & ornet. Replete terram bonis operibus. *Gene. 1.*

9 Homil. in Psal. 1.

IDEM exponens illa verba; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, &c. sed in lege Domini voluntas eius, ait: Principium ad bonorum aprehensionem, seu emendationem vitæ est, a malis abscessio. Sapienter itaq; & solerti consilio, nos ad virtutem introducere cupiens, fugam vitiorum initium fecit bonorum. Si enim statim ea, quæ sunt perfecta tibi proposuisset, ad ea forte obeunda fuisses cunctatior. Nunc verò ad faciliora captu tē assuefacit, vt ad ea quæ sequuntur, animo sis præsentiore. Ego quippe pietatis exercitationem scalæ a Iacob visæ recte comparauerim, cuius pars terram attingebat, pars altera ipsi supereminens in cælum vsque porrigebatur. Ex quo eos admonere opus est, qui ad virtutem instruuntur, primum, vt primis admoueant gradibus vestigium, & inde paulatim ascendendo, progrediendoq. ad comprehensibilem humanæ naturæ altitudinem sensim, ac paulatim promouentes perueniant. Quemadmodum igitur in gradu scalari prima est ascensio, ab humo recessus; sic in exercitatione diuinæ conuersationis, principium profectus est, discessus a malo.

10 Epist. 14. ad Celan. matronā de ratione pie vivendi. to. 1.

HIERONYMVS ait: Beati qui nō de præterita iustitia blandientes, secundum Apostolum, per dies singulos in virtute renouantur. Iustitia enim non proderit ei, a quo die iustus esse desierit. Totum spatium vitæ tuæ, sit vt peragere possis iustitiam, ne de præterita iustitia confidens remissior efficiaris: sed ficut dicit Apostolus: Posteriora obliuiscens ad ea autem, quæ sunt anteriora me extendens ad destinatum persequar brauium supernæ vocationis. Idcirco age, vt ordines reliquum tempus vitæ tuæ sic, vt possis canere cū propheta: perambulabam in innocentia cordis mei. Quia inchoasse non sufficit, sed perficisse iustitia est. *Phil. 3.* *Psal. 100.*

11 In epist. 22. quæ est ad Eustoc. virginē de custodia virginitatis. *Psal. 44.* *Gene. 12.*

IDEM Audi filia, & vide, & inclina aurē tuam, & obliuiscere populum tuum, & domū patris tui, & concupiscet rex speciem tuam. Deus ad animam loquitur humanam, vt secundum exemplum Abrahæ, exiens de terra sua, & de cognatione sua relinquat Chaldęos, dæmones, & habitet in regione viuentium. Verum non sufficit tibi exire de terra tua, nisi obliuiscaris populi tui, & domus patris tui, vt carne contempta, sponsi iungaris amplexibus. Ne respexeris, inquit, retro, nec steteris in omni circa regione, sed in monte saluum te fac, ne forte comprehendaris. Non expedit aprehenso aratro, respicere post tergum, nec de agro reuerti domum, nec post Christi tunicam ad tollendum aliud vestimentum, tecto descendere. Hæc tibi dixi, vt intelligeres exeunti de Sodoma timendum esse, Loth vxoris exemplum. *Gene. 19.*

12 In epist. 32.

IDEM sic habet epistolam finiens: Sanctam filiam meam Theodoram, meo sermone commendo, vt in cepto itinere non lassetur, vt ad terram sanctam multo per eremum labore perueniat, vt non putet perfectam esse virtutem exisse de Aegypto, sed per innumerabiles insidias ad montem Naboth, & ad Iordanem fluuium peruenire, vt accipiat secundam in Galgala circuncisionem, vt illi muri Hiericō corruant. ad Abigaū presbyterū Hispanum.

13 Lib. 2. aduersus Iouinianū. to. 2. *Matt. cap. 25. & Luc. 19.*

IDEM explicans parabolam decem talentorum, ait; Ille, qui vnum talentum acceperat, & in sudario colligauit, siue in terra abscōdit, & Domini reseruauit Aduentum. Primò considerandum, quod si iusti non spe fructus laborant, vt vult noster Zeno, sed ne perdant, quod acceperant, istæ qui talentum infodit, ne perderet quod acceperat, non peccauit, magisq. laudanda est cautio reseruantis. Quòd autem Dominus, non his contentus sit; quæ habemus, sed semper maiora desideret ipse monstrat, dicens: Quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cū vsuris exegissem illam? Quod quidem, & Paulus Apostolus sciens, præteritorum obliuiscitur, & ad ea quæ in ante sunt se extendit. Idest, quotidie proficit, nec seruat in sudario delicate gratiam, quam accepit, sed auarus negociator renouatur de die in diem, & decrescere se putat, nisi semper creuerit. *Philip. 3.*

14 In epist. 1. quæ est ad Demet. de virg. tom. 1.

IDEM sic habet: An sola studiosa vita est, quę certamen non habet de profectu, & in qua vnusquisque hoc tantum debeat permanere, quod cœpit, nec vllo augmenti desiderio ad maiora contendat? Et cum in omnibus mundi studijs, profectu non satientur homines, hic tantum cœpisse sufficiet? Feruētissimi in terrenis, frigidissimi in cælestibus sumus, & summam in rebus paruis exhibentes alacritatem, ad maiora torpescimus. Considerare pudet quantus sit feruor in sæculo, qua cura singula quæq. studia hominum quotidie ad perfectiora nitantur. Diuitiarum amor insatiabilis est, expleri nescit honorum cupido, celerem habituræ res finem, sine fine quæruntur. Nos cælestes diuitias pigra quadam dissimulatione negligimus, & spirituales diuitias, aut ne attingimus quidem, aut si leuiter degustauerimus, continuo nos putamus esse satiatos. Aliter nos diuina sapientia, ad suas inuitat epulas, dicens: Qui edunt me adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Nullus vnquam talibus expletur epulis, nec aliquando patitur de societate fastidium. Tantò vnusquisque capacior, tantò auidior erit, quantò inde plus hauserit. Vult esurire nos hic semper, & sitire iustitiam, vt in futuro iustitiæ retributione satiemur. Considerāda vis ipsa verborum est, & ita nobis desideranda est iustitia, vt in fame, vel siti, cibus desideratur, ac potus. Infra: Nihil in hoc proposito, ocio deterius est, quod non solummodo nō acquirit noua, sed etiam parata consumit. Sanctę vitę ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit. Quotidianis ac recentibus virtutum incrementis, *Eccli. 24.* *Matt. 5.*

mens instauranda est, & viuendi nobis hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum. Quandin sumus in hoc corpore nunquam nos ad perfectum venisse credamus. Sic enim in melius peruenitur. Tandiu non relabimur retro, quandiu ad priora contendimus. At vbi cęperimus stare descendimus, nostrumq. non progredi iam reuerti est. Cesset omnis ignauia, & inutilis de præterito labore securitas. Si volumus non redire, currendum est. Apostolus de die in diem viuens Deo, non quid ante fecisset, sed quid facere deberet semper attendens, dicebat: Fratres ego me non arbitror comprehendisse aliquid, vnum autem, quæ quidē sunt retro obliuiscens ad ea vero, quæ sunt priora me extendens, ad destinatum persequor brauium supernæ vocationis Dei. Si Beatus Paulus, vas electionis, qui ita Christum indutus erat, vt diceret, viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus, adhuc tamen se extendit adhuc crescit, & proficit, quid nos facere debemus quibus optandum est, vt in fine nostro Pauli principio comparemur? Ergo tu obliuiscere omne præteritum, & quotidie inchoare te puta, ne pro præsenti die, quo debes seruire Deo, præteritum imputes. Optime quæsita custodies, si semper inquiras. Damnum parata sentient, si parare cessaueris.

Phil. 3.

16 IDEM exponens verba illa, & non dixerunt, vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de terra Aegypti, qui transduxit nos per desertum, per terram inhabitabilem, & inuiam, per terram sitis, & imaginem mortis, per terram in qua non ambulauit vir, neque habitauit homo, inquit: In his verbis illud considerandum est, quòd quandiu in isto sæculo sumus, & de Aegypto educimur paulatim ascendimus, & primum deserta transimus, & terram inhabitabilem, quam sanctus inhabitare non debet, & inuiam, vt difficultatem monstret itineris, per terram sitis, vbi semper maiora cupimus, vel præsentibus contenti sumus, & imaginem, siue vmbram mortis. Semper enim in periculo consistimus, & vbique diabolus tendit laqueos suos, per terram, in qua non ambulauit vir, qui perfectæ ætatis in Christo est. Neque enim vnquam in ea habitat, qui homo Dei est, vel filius hominis, sed semper ad maiora festinat. Ex quo perspicuum est, non esse perfectionem in via, sed in fine viæ, & in mansione, quæ sanctis in cælestibus præparatur, & quibus dicitur, qui statis in domo Domini in atrijs domus Dei nostri.

Lib. 1. in ca. 2. Hiere. tom. 4.

Psal. 133.

17 IDEM explicans illa verba; De animalibus sanctis, & facies, & pennas, per quatuor partes habebant, iunctæq. erant pennæ eius alterius ad alteram, sic habet: In toto orbe volitantia, huc illucq. discurrunt, sed semper ad vlteriora procedunt. Vnde & Paulus dicit: Præteritorum obliuiscens, & in futurum me extendens. Sancti enim præterita relinquentes, semper ad priora festinant. Infra: Et vnumquodque coram facie sua gradiebatur. Qui aratri stiuam tenet, non debet respicere post tergum, nec imitari vxorem Loth, ne pereat cadens retro, sicut Heli. Vbi erat impetus spiritus illuc gradiebantur, nec reuertebantur, cum ambularent.

Lib. 1. in ca. 2. Ezech.

Phi. 3.

Lucæ 9.

Gen. 19.

1. Reg. 4.

AVGVSTINVS ostendens varias ætates hominis interioris, sicut & exterior habet infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentutem, virilitatem, senectutem, & decrepitam, inquit: Hæ septem ætates reperiuntur in homine interiori. Prima est infantia in vberibus, quæ nutritur exemplis. Secunda iam obliuiscens humana, & ad diuina tendens. Tertia iam fidentior, & carnalem appetitum rationis robore maritans gaudensq. intrinsecus, in quadam dulcedine coniugali, vt iam recte viuere non cogatur: Sed etiam si omnes concedant peccare, non libeat. Quarta id multo firmius ordinatiusq. facit, & emicat in virum perfectum, estq. apta, & idonea omnibus persecutionibus, & mundi huius tempestatibus, ac fluctibus sustinendis, atque frangendis. Quinta pacata, atque ex omni parte tranquilla viuens in opibus, & abundantia incommutabilis regni. Sexta omnimodæ mutationis in æternam vitam, & vsque ad totam obliuionem vitæ temporalis peruenies, & transiens in perfectam formam, quæ facta est ad imaginem, & similitudinem Dei. Septima enim iam, quies æterna est, & nullis ætatibus distinguenda. Vt enim finis veteris hominis mors est, sic finis noui hominis vita æterna.

18 Lib. de vera relig. tom. 1.

IDEM sic habet; Quod Abraham iam egresso de terra Chaldæorum, & in Mesopotamia constituto, dixit Deus, exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, non vt corpus inde eijceret, quod iam fecerat iubebat, sed vt animam euelleret. Non enim exierat inde animo, si spe redeundi, & desiderio tenebatur, quæ spes, & desiderium Deo iubente, & addiuuante, & illo obediente fuerat amputandum.

19 Lib. 16. de ciuit. Dei cap. 15. tom. 1.

Gene. 12.

IDEM loquens de Loth, & his qui de Sodomis egressi sunt, ait: Prohibiti sunt, qui liberantur ab angelis retro respicere, quia non est animo redeundum ad veterem vitam, qua per gratiam regenerati exuimur, si vltimum iudicium euadere cogitamus. Denique vxor Loth, vbi respexit, remansit, & in salem conuersa, hominibus fidelibus quoddam præstitit condimentum, quo sapiant aliquid, vnde illud caueatur exemplum. Vnde Iosephus testatur se eam vidisse, post tot annos in salem versam in exemplum futuris, vt Viues refert in commentario huius capitis.

20 Cap. 30.

Gene. 19.

IDEM explicans locum Osee 9. Da illis ventrem vacuum, & vbera arida, mortifica semen ventris ipsorum, ne pariant, inquit: Cum homines vltra nō proficiūt, tunc habēt ventrē vacuum, & vbera arida, & mortificatū semen.

21 Lib. contra Adimantum Manichæū tom. 6.

In qua sententia homines tanquam in speculo dignentur inspicere.

22 Lib. de bono coniug.

IDEM explicans verba illa Genesis; Crescite, & multiplicamini, & replete terram, ait: Hoc incrementum, & multiplicatio qua dictum est, crescite, & multiplicamini in proiectu mentis, & copia virtutis intelligi potest.

Psal. 137.

Sicut in psalmo scriptum est: Multiplicabis in anima mea virtutem.

23 Lib. 6. cōtra Iulia. Pela.

IDEM explicans locum Lucę 13. vbi Christus Dominus dixit. Ecce eijcio dæmonia, & sanctitates perficio, hodie, & cras, & tertia die consummor, ait. Expulsio dæmoniorum remissio peccatorum est. Perfectio sanitatum, dum de die in diem proficit Ecclesia, & corruptionis cuius reatus ablatus est, passio quotidiana renouatione minuitur. Tertia consummatur, quando in resurrectione ad summam perueniet Ecclesia sanitatem. Se ergo incipere, & consummari, dixit Christus in membris suis.

24 In Ps. 113. tom. 8.

IDEM explicans verba illa; Iordanis conuersus est retrorsum, inquit: Quisquis principium suum deserit, & a suo creatore auertitur, tanquam fluuius in mare, labitur in huius sæculi amaricantem malitiam. Bonum ergo illi, vt retrorsum conuertatur fiatq. illi Deus ante faciem reuertenti, quem sibi a tergo posuerat, & fiat illi retro mare huius sæculi, quod sibi ante faciem, cum illuc laberetur effecerat, & sic obliuiscatur ea, quæ retro sunt, vt in ea quæ ante sunt extendatur, quod iam conuerso vtile est. Namq. antea quam conuertatur, si ea quæ retro sunt obliuiscatur, Deum obliuiscitur, quia ipsum retro fecerat ad quem dorsum posuerat, & si in ea, quæ ante sunt extenditur, in sęculum extenditur, quia ipsum sibi ante faciem posuerat, quo auidius irruebat. Iordanis ergo conuertitur retrorsum, cum baptizati conuertuntur ad Deum, vt eum iam retro non habeant.

Phil. 3.

25 In Ps. 119.

IDEM inquit; Psalmus iste: Ad Dominum cum tribularer clamaui, primus est cantici graduum, quibus passibus mentes ascendimus, sicut scriptum est: Ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum. Dixit ascensiones in corde. Infra: Vidit scalas Iacob, & in ipsis scalis demōstrati sunt ei ascēdentes, & descendentes. Possumus putare ascendentes, viros proficientes, descendentes, deficientes, quia in populo Dei alij proficiunt, & alij deficiūt. Iste qui vult proficere, & ascendere, statim experitur linguas detrahentium, & ideo ait: Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa.

Psal. 83.

Gen. 28.

26 Lib. de cantico nouo. tom. 9.

IDEM sic habet; Via ista nostra ambulantes quærit, tria sunt genera hominum, quæ odit, remanentem, retro redeuntem, & aberrantem. Qui non proficit remansit in via, qui forte a meliore proposito declinat, ad id quod deterius reliquerat reuersus est retro, qui fidē deserit a via errauit. Quis est, qui non profitetur? Qui se putauerit esse sapientē, qui dixerit sufficit mihi, quod sum. Qui non attenderit eum, qui dicit: Quæ retro oblitus in ea quæ ante sunt extendo me ipsum, sequor ad palmā supernæ vocationis. Currentem se dixit, sequentem se dixit, non remansit non retrospexit. Qui sunt retro redeuntes? Qui excontinentia reuertuntur in immunditiā, qui ex sancto, & singulari bono proposito in malū corrūpuntur. Hos increpat Apostolus dicēs: Melius illis erat non cognoscere viam iustitię, quā cognoscentes retrorsum conuerti. O malum retro respicere. Vxor enim Loth, quæ liberata est a Sodomis contra præceptum retro respexit, & in statuam salis conuersa est.

Philip. 4.

2. Pe. 2.

Gen. 19.

27 Lib. 22. Moral. cap. 14. tom. 2.

IDEM explicans verba illa Iob cap. 21. per singulos gradus meos pronunciabo illum, inquit: Nemo infima deserens repente fit summus, quia ad obtinēdum perfectionis meritū, dum quotidie mens in altū ducitur, velut ascēsionis gradibus peruenitur. De quibus per psalmistā dicitur: Ibunt de virtute in virtutem. Infra: Bene autem Daniel propheta loquente ad se Domino, dum positionē nobis sui corporis insinuare studuit, hæc meritorū incrementa signauit. Ait enim: Audiui vocem verborum eius, & audiens iacebam cōsternatus super faciem meam, vultusq. meus hęrebat terrę, & ecce manus tetigit me, & erexit me super genua mea, & super articulos manuum mearum, & dixit ad me: Daniel vir desideriorum intellige verba, quę ego loquor ad te, & sta in gradu tuo, nunc enim missus sum ad te. Cumq. dixisset mihi sermonē istum steti tremens, & ait ad me: noli metuere. In quibus omnibus propheta ordinem nostri profectus explicauit. Verba enim Dei in terra iacentes audimus, cū in peccatis positi, sanctorū voce spiritalia præcepta cognoscimus. Ad quæ prę cepta quasi super genua, & super manuum nostrarū articulos erigimur, quia a terrenis cōtagijs recedētes, quasi iam ab infimis vētrem leuamus. Sicut enim totus terræ inhæret, qui consternatus iacet, ita qui in genibus, & manuum suarum articulis incuruatur, inchoante profectu ex magna iam parte a terra suspenditur. Ad extremum verò voce dominica erecti quidem, sed tremētes assistimus, cum a terrenis desiderijs perfecte subleuati, verba Dei, quò plenius cognoscimus, plus timemus. Adhuc enim quasi in terra iacet, qui ad cælestia erigi terrenorum desiderijs negligit. Quasi subleuatus autem adhuc manibus, & genibus incumbit, qui quædam iam contagia deserit, sed quibusdam adhuc terrenis operibus non contradicit. Iam verò ad verba Dei erectus assistit, qui perfecte mentem ad sublimia erigit, & per immunda desideria incuruari contemnit. Bene autem tremētem se steriſse indicat, quia examen subtilitatis internæ, quo plus ad illud proficitur, amplius formidatur. Vbi apte diuina voce subiungitur, noli metuere, quia cū plus ipsi quod timeamus agnoscimus, plus nobis de Deo per internam gratiam infunditur, quod amemus. Appositis igitur quasi quibusdam gradibus profectus nostri, mentis pedem prius per ti-

Psal. 83.

28

morem in imo ponimus, & post modum per charitatem ad alta amore leuamus. Infra:
Ezec. 47. In eodem sensu explicat locum Ezechielis, quando in torrentem traductus est per aquam vsque ad talos, genua, & renes, & per torrentem, quem non poterat transuadare, in quibus exordium, & profectus, & consummatio virtutis significantur.

29 IDEM exponens verba illa capitis primi, & non reuertebantur (animalia scilicet) cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur, inquit: Sancti, cum incedunt minime reuertuntur, quia sic a terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, vt ad ea, quæ reliquerunt vlterius nullatenus reflectantur. Quasi enim per quandam viam eis incedere est, mente ire semper ad meliora. Quod contra de reprobis dicitur, quia reuersi sunt corde in Aegyptum. Per semetipsam veritas dicit: Nemo mittens manum suã
Luc. 9. ad aratrum, & aspiciens retro aptus est regno Dei. Manum quippe in aratrum mittere est, quasi per quendam compunctionis vomerem, ad proferendos fructus, terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum respicit, qui post exordia boni operis ad mala reuertitur, quæ reliquit. Quod quia electis Dei minime contingit, recte nunc per prophetam dicitur: Non reuertebantur, cum incederent. Qui cur non reuertantur indicat, cum subiungit. Vnumquodque ante faciem suam gradiebatur. Ante nos enim æterna sunt, post nos temporalia, quia, & illa pergentes inuenimus, & ista recedentes quasi post dorsum relinquimus. Vnde & magnum illud pennatum animal dicebat; quòd vsque ad cæli tertij secreta volauerat, vnum verò, quæ retro sunt obliuiscens
Phil. 3. in ea, quæ sunt ante, extendens me, sequor ad palmam supernæ vocationis. In anteriora enim extentus, eorum, quæ retro sunt, oblitus fuerat, quia temporalia despiciens, sola æterna quærebat. Ante faciem ergo suam gradiũtur sancta animalia, quia & ea, quæ reliquerunt, nullo iam appetitu respiciunt, & in æternis, quæ appetunt boni operis pedem ponunt.

30 Quisquis itaque iam ante faciem suam ambulare decreuerit, magna ei consideratione pensandum est, quòd aliter retro respicitur ex opere, atque aliter ex cogitatione. Sunt etenim quidam, qui magna deliberant, & peccatorum suorum conscij, multa ex his quæ possident egenis distribuere pertractant, iamq. hæc operari inchoant, & plerumque cum operantur, paupertatis timor eorum animum concutit, atque timentes, ne egeant, erga egentes tenaces fiunt, seq. ab ea, quam cœperant bona operatione suspendunt. Hi nimirum incedentes reuersi sunt, quia ante faciem suam ambulare noluerunt, contra quos recte
Prou. 20. per Salomonem dicitur: Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei. Qui enim nunc propter pauorem mentis, atque torporem bene operari negligit, cum sol iustitiæ in iudicio velut in æstate claruerit, mendicat vitam, sed non accipit, quia propter illam bona operari contempsit. Alius despectis carnis desiderijs cuncta relinquere, & seipsum restringere castitatis fræno deliberat, sed cum cecidisse alios etiam post castitatem conspicit, hoc ipsum facere, quod deliberat pertimescit. Fitq. vt retro per cogitationem redeat, qui ad anteriora respiciens, iam mentis gressibus ad alta ibat.

31 IDEM loquẽs de arca, quæ ibat in Bethsames, inquit: Quia non ire, sed ascendere dimissa arca dicitur, altior via indicatur; quia per viam Bethsamis non recte gradiuntur, si non quotidie de bonis ad meliora proficiunt. Ascendere enim meritis virtutum, quotidie ad meliora proficere est.

32 BERNARDVS ait: Hæc est vtique magna virtus, & summa securitas, quando & pie viuis, & tamen plus attendis, quæ desunt tibi, quam, quæ obtinuisse videris, oblitus, quæ retro sunt, & extendens te in anteriora.

33 IDEM inquit: Ambulemus dum lucem habemus, ne tenebræ nos comprehendant. Ambulare proficere est. Ambulabat Apostolus, qui dicebat, non arbitror me comprehendisse. Et addit: Vnum autem, quæ retro sunt *Phil. 3.* obliuiscens, ad ea, quæ ante sunt, me extendo. Vnum autem, inquit, quasi remansit mihi ad remedium, ad spem, ad consolationem. Quid illud? Quæ retro sunt videlicet obliuiscens, ad ea, quæ ante sunt me extendo. Magna fiducia, quod magnum electionis vas perfectũ abnuens profectum fatetur. Ergo non ambulantem, sed sedentem a mortis tenebris comprehendi periculum est. Et quis sedens, nisi qui
Sap. 4. nõ curat proficere? Id caueto etsi morte præ-
Psal. 138. occupatus fuerisin refrigerio eris. Dices Deo: imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo nihilominus (inquit) omnes scribentur. Qui omnes? Profecto qui in desiderio proficiendi inueniũtur. Sequitur enim: Dies formabuntur, & nemo in eis, subaudis peribit. Dies proficientes intellige, qui si morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deest, perficiendi sunt.

34 IDEM inquit: Nemo esse bonus plus quã oportet potest. Bonus erat iam Paulus, & tamen nequaquam contentus, libenter se ad ea, quæ ante se sunt extendebat, posteriora obliuiscens, & seipso semper melior effici studens. Recedant a me, & a vobis, qui dicunt; nolumus esse meliores quam patres nostri. Quanquam sanctus Helias non sum, inquit, melior quam patres mei, non dixit se nolle patribus esse meliorem. Vidit Iacob in scala angelos ascendentes, & descendentes. Nunquid stantem quempiam, siue sedentem? Non est stare omnino in pendulo fragilis scalæ, neque in incerto huius mortalis vitę quicquam in eodẽ
Heb. 13. statu permanet. Non habemus hic manentem ciuitatem, aut futurã possidemus, sed inquirimus. Aut ascendas necesse est, aut descendas, si attẽtas stare, ruas necesse est. Minime pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus.

35 IDEM sic habet: Per vaccas Philistæorum, quæ ducebant arcam Domini ad terram Israel intelligimus figuram eorum, qui propter Deum dereliquerunt sæculum, accipientes iugum Domini super ceruices. Et sicut vaccæ amore filiorum suorum mugiebant, & tamen non declinabant ad dexteram, neque ad sinistram, sed recto tramite incedebant vsque Bethsames, quæ erat in introitu terræ Israel, ita serui Dei recto tramite incedere debent, & pro amore parentum suorum non debent ad dexteram, neque ad sinistram declinare a bono opere, vel proposito, sed recto itinere vsque Bethsames, idest, vsque ad introitum
Gen. 12. cęlestis regni peruenire. Tu charissima egressa es de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, cum Abraham, & venisti in terram quam Deus monstrauit tibi. Obsecro
Gene. 19. ergo vt perseueres bene viuẽdo. Tu cum Loth egressa es de Sodoma, idest, de sęculari vita; ideo moneo te ne cum vxore illius retro respicias, ne quod absit in exemplum peruersitatis omnibus hominibus fias. Cum Loth in monte saluam te fac.

Iustorum conditiones, proprietates, & laudes, quos Deus veneratur.
Cap. XXIII.

1 ORIGENES explicans iustis ea, quę iussu Domini Moyses posuit in tabernaculo, ait: Potest vnusquisque in semetipso formam tabernaculi explere. Debet columnas sibi aptare virtutum columnas argenteas. Quas habet, qui propter verbum Dei patitur, & fert. Potest in se, & atria distendere cum dilatauerit cor suum secundum vocem Apostoli dicentis ad Corinthios:
1. Cor. 6. Dilatamini, & vos. Potest se, & seris munire, cum se vnanimitate dilectionis adstrinxerit. Decem vero atria potest in seipso distendere, cum non in vno tantum verbo legis, aut duobus, aut tribus dilatatur, sed in toto decalogo. Habeat in se defixum, & altare, in quo orationum hostias, & misericordiæ victimas
Luc. 22. offerat Deo. Sciat sibi in sanctis etiam candelabrum luminis collocandum, vt sint ei lucernæ semper ardentes, & succincti lumbi, & ipse tanquam seruus expectans dominum, quando reuertatur a nuptijs. Sed istud candelabrum lucernarum in austro collocet, vt ad aquilonem respiciat. Accenso etenim lumine, idest vigilanti corde respicere semper debet ad aquilonem, & obseruare eum, qui ab
Hiere. 1. aquilone est, sicut & propheta videre se dicit succensam ollam, & faciem eius a facie aquilonis. Ab aquilone enim accenduntur mala vniuersæ terræ. Vigilans ergo, & sollicitus, & ardens intueatur semper astutias diaboli, & vnde sit ventura tentatio. Habeat in penetralibus pectoris sui etiam altare incensi, vt ipse dicat: Quia Christi bonus odor sumus. *1. Cor. 2.* Habeat & arcam testamenti, in qua tabulæ sint legis, vt in lege Dei meditetur die ac nocte. Quia & propheta, beatos dicit eos, qui 2 memoria tenent mandata eius, vt faciant ea. Sit intra ipsum vrna mannæ reposita, intellectus verbi Dei dulcis. Sit & virga Aaron intra eum florida, seueritas disciplinæ. Sit indutus podere byssino. Indumenti hoc genus est, quod vsque ad pedes deducitur totum contegens corpus. In quo designatur, vt primo omnium totus sit castitate vestitus. Accipiat post modum, & humerale gemmatum, in quo fulgor operum collocatur, vt videntes homines opera vestra bona, glorificent patrem vestrũ, qui in cælis est. Sed & aurea lamina in fronte *Matt. 5.* resplendeat, vt nomen Dei semper habeatur in capite, & ad vnum Deum cuncta referantur. Habeat etiam in interioribus Pontifex operimenta sua, habeat pudenda contecta, vt corpore, & spiritu sanctus sit, & cogitationibus, & operibus purus sit. Habeat etiam per indumenti circuitum tintinnabula, vt ingrediens sancta det sonitum, & non intret cum silentio. Et hæc tintinnabula, quæ semper sonare debent in extremo vestimenti sunt posita, vt de extremis temporibus nunquam fileas memor nouissimorum tuorum, & non peccabis. Ad hunc modum homo noster interior Deo Pontifex adornetur, vt introire possit, non solum in sancta, sed & in sancta sanctorũ, vt possit adire propitiatorium vbi sunt cherubin, & inde appareat ei Deus. Sancta possunt esse ea, quæ in præsenti sæculo habere sancta conuersatio potest. Sancta vero sanctorum ad cęlum esse transitum, puta vbi est propitiatorium, & mundis corde apparere poterit Deus.

3 IDEM vbi narrantur benedictiones, quæ obseruãtibus diuina præcepta dãtur, & inquit; docens qua ratione spirituales accipiat benedictiones, iustus legem Dei seruans, sic aiebat Paulus Ephesijs, scribens. Benedictus Deus, & pater Domini nostri Iesu Christi, *ad Eph. 1.* qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, in cælestibus in Christo. Hoc quod addit in omni benedictione spirituali Apostolicæ vehementiæ plenum est. Nam quia sciebat multa esse implenda, quæ mandantur in lege, & in vno quoque mandato proprios existere agones, in quibus per singula benedictionem, qui vinceret tueretur, ideo dixit, qui benedixit nos in omni benedictione spiritali, vt & plures eas ostenderet esse, & spiritales. Potest autem in hoc sermone, quo ait. In omni benedictione spiritali, illud intelligi, quod iustus quisque, & perfectus capiat benedictiones Leuitici, quæ in hoc capite habẽtur, & eas, quæ in libro Numerorum scriptæ sunt, sed & illas quæ in libro Geneſis cõtinentur benedictiones Noe, ad Sem, & Iapheth, & bene-

dictiones Isaac ad Iacob, & item Iacob benedictiones ad Ioseph, & Ephraim, & Manassen, & post hæc ad duodecim patriarchas. Hæ omnes benedictiones, ad vnumquemque sanctorum diriguntur. Idcirco eas spiritales vocat Apostolus, vt quicunque effici potuerit in virtute, & spiritu, verbi gratia. Sem, Iaphet, Isaac, Iacob, Ioseph, sicut & Ioannes fuit in spiritu, & virtute Heliæ, posit etiam ipse benedictionis illius particeps fieri, cuius virtutem, & spiritum gesserit.

4 Homil. vnica super caput 1. & 2. primi lib. Reg.

IDEM explicans illa verba; fuit vir vnus de Ramathaim, &c. inquit. Hoc pertinet ad laudem iusti, quòd dicitur vir vnus. Nos qui adhuc peccatores sumus, non possumus istum titulum laudis acquirere, quia vnusquisque nostrum non est vnus, sed multi, intuere namque alicuius vultum, nunc irati, nunc iterum tristis, paulo post iterum gaudentis, & iterum turbati, & rursum lenis, in alio tempore de rebus diuinis consulentis, paulo post, vel quæ ad auaritiam, vel quæ ad gloriam sæculi pertinent molientis. Vides quomodo ille, qui putatur vnus esse, non est vnus, sed tot in eo personæ videntur esse, quot mores, quia & secundum scripturas insipiens sicut luna mutatur. Vnde & luna, cum videatur vna esse, per substantiæ immutationem, tamen semper a semetipsa alia est, semperq. diuersa. Sic ergo, & nos qui adhuc insipientes sumus, & imperfecti, quia semper mutamus sententias, & semper diuersa cupimus, & sentimus, vnus non possumus dici. De iustis autem non solum per singulos vnus dicitur, verum, & omnes competenter vnus dicuntur, quorum cor, & anima vna esse describitur. Vnam semper omnes sapientiam meditantur, vnum sapiunt, vnum sentiunt, vnum Deum venerantur, vno spiritu Dei replentur. Vnde merito, & ipsi omnes non solum vnum, sed & vnus dicuntur, sicut & Apostolus designauit, dicens: Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium. Vides manifeste, quia omnes iusti vnus est, qui accipit palmam. Vere enim imitatur iustus, qui talis est vnum Dominum, de quo dicitur Dominus Deus tuus vnus est. Vnus dicitur etiam, quia nunquam mutatur, nũquam in aliud vertitur, ego Deus, & non mutor. Immutabilis ergo est Deus, & per hoc vnus dicitur, quod non mutatur. Sic ergo, & imitatur Dei iustus, qui ad imaginem Dei factus est, vnus & cum ipse ad perfectum venerit, appellatur, quia non mutatur, sed vnus permanet semper. Si autem & subtilius aliquid considerare velimus, inuenire possumus, & aliam vnitatem. Verbi gratia. Si ita mortificauero membra mea, vt iam non concupiscat caro aduersus spiritum neque spiritus aduersus carnem, si iam nõ sit alia lex in membris meis, quę repugnet legi mentis meę, si omnia quæ intra me sunt, in vno, atque in eodem sensu perfecta sint, & vna atque eadem sententia moneantur, tunc ero, & ego vir vnus.

1. Cor. 9.

5 Tractatu 1. in Iob to. 2.

IDEM vbi lectio nostra habet, de Iob, neque stultum, quid contra Deum locutus est, Origenes, vertens non dedit insipiẽtiam Deo, ait. Non fuit sicut domus illa, quæ super arenam fuerat fabricata, quæ non habuit fidei, ac pietatis fundamentum, quæ facile cecidit. Non talis Iob fuit, sed firmus, & immobilis, idcirco omnes impetus nequissimi, & omnis inundatio diaboli subuertere, immobilem illum non potuerunt. Hoc demonstrans dicit. Non dedit insipientiam Deo. Sicut diximus, non extitit infidelis Deo. Aut non dedit insipientiam Deo. Ac si diceret: Non fecit sermones Dei, neque testimonia eius infidelia, neque mendacia. Quæ verba Dei, vel quæ testimonia? Ea quę ad diabolum locutus est, testimonium perhibendo, Iob non fecit infirma succumbendo, sed fidelia illa, atque firma fecit, cum gratiarum actione sufferendo cuncta sibi accidentia. Merito ergo dicit. Non dedit insipientiã Deo, non extiterunt testimonia Dei de illo infirma, neque mendacia per illum, sed fidelia, firma, & vera. Non necesse habuit Deus confundi de illis, per quæ velut fideli testimonium perhibuit illi. Ostendit enim, sicut Deus dixerat, quòd non propter pecuniam illum colebat.

Homil. 2. in cap. 7. Iſa.

IDEM explicans de Christo domino verba illa; Butyrum, & mel comedet, inquit. Qui natus est ex virgine Emanuel, butyrum, & mel manducat, & quærit ab vno quoque nostrum butyrum manducare, & mel. Opera nostra dulcia, sermones nostri suauissimi, & vtiles, mella sunt, quæ manducat Emanuel. Si vero sermones nostri amaritudine pleni sint, de his, ait Dominus, & dederunt in os meum fel, & non comedit ab his sermonibus Saluator, comedet autem saluator de sermonibus, qui sunt apud homines si fuerint sermones eorum mel.

Psal. 68.

7 Homil. 23. in Gen. to. 1.

CHRYSOSTOMVS virtutem ponderans Noe, ait. Vidistis hominum, qui tempore diluuij erant portentosam malitiam, didicistis quanta fuerit in media ista multitudine iusti virtus, & quam nihil eum nocuerit, vel illorum in malum conspiratio, vel quod solus in medio istorum relictus, longe diuersa incesserit via. Sed quasi gubernator aliquis mentis clauum magna vigilantia arripiens, nauim suam ab irruentibus procellis malitiæ submergi non est passus, sed factus tempestate potentior, quasi in portu sederet, quatiebat mare, virtutis gubernaculum dirigebat, & a diluuio totum orbem deuastaturo se eripiebat. Tanta res est virtus, tam immortalis, tam inuicta, tam nihil cedens huius vitæ varietatibus, sed super malitiæ retia volitans, quasi a sublimi specula quadam sic omnia humana despicit, nihil quod alijs molestum est sentit. Sed sicut is, qui super excelsam petram stat, ridet fluctus, quos videt ad petram magno impetu rumpere, & protinus in spumam solui, ita & virtuti vacans in securo constitutus loco, nihil insuaue fert a rebus turbulen-

bulentis, sed tranquillus animo, & quietus sedet, intelligitque, res huius vitæ nihil differre a fluminum fluentis tam rapido cursu transeuntibus.

8 Homil. 63. in Genes.

IDEM laudans Ioseph in carcere positum ait; Quia prædixerat seruo regis bona euentura, memor esto mei (inquit) quando fœlicitatem tuam obtinueris. Hoc audiens, ne condemnes pusillanimitatem iusti, sed hac ratione potissimum obstupesce, quod tam fortiter, & tam grato animo tulit grauem illam inhabitationem. Nam licet magnam a custode carceris potestatem acceperit, attamen grauabatur in tanto pedore cũ sordidis, & luridis agendo. Nam vide quam bene morata mente fuerit præditus, & quomodo fortiter tulerit omnia. Et facies, inquit, in me misericordiam, & recordaberis mei apud Pharaonem, & educes me ex carcere isto. Attende obsecro hic quomodo nihil dicat contra sceleſtam illam adulteram, neque arguat Dominum, neque narret fratrum in se inhumanitatem, sed tectis omnibus dicit, recordare mei. Hic sole clarior existens, & potens omnia cum veritate dicere, nihil dicit. Non enim humanam venabatur gloriam, sed sufficiebat ei gloria superna, & oculum illum, qui non dormitat habere volebat laudatorem factorum suorum.

9 Sermone 1. de Elia.

IDEM inquit; Elias zelo Dei insignis, vt vidit Iudæorum gentem contempta Dei misericordia, perpetuo in delitijs viuere, & idolorum cultui deditam, & a Deo quidem impietatem tolerari, abutiq. Dei longanimitate, volens eos punitum iri, cogitabat quidnam aduersus eos diuinæ bonitati opponeret, quę pariuis lachrymis statim mouetur, vt iram deponat. Dicebat itaque, bonus erga illos Deus est, pauciſq. eorum flectitur lachrymis, verum bonitas illa populo male cædit, longanimitate enim abutentes, perdite viuũt, & Deus ipse contemnitur. Vidit Dominus, inquit, & non erunt per annos illos ros, & pluuia. Deinde cum Deus ei responderet, quid ergo si pœnitentes illi mihi blandientur, si lachrymas afferentes spectem, si a delictis resipiscentes videam, statim ne dare debeo pluuiam? Minime, inquit, viuit Dominus, nisi per os meum, non erunt tribus annis ros, & pluuia, nisi per sermones oris mei. Non quando tibi videbitur pœnę finem facias. Tibi enim pro clementia tua semper videbitur misericorditer agendum. Sed tunc quando ego pro eis orauero, & iudicauero, quod dignã animæ suæ curam gerant, probeq. resipiscant. Igitur propheticam sententiam reueritus est Deus, & honorem iuramento illi dedit. Rem tamen moderatus Dominus, sic est, vt Prophetam simul reuereri videretur, & populi quem fame puniebat, miseretur. Et quid facit? Prophetam vna cum populo punit, vt dum etiam ipse in famis supplicio comprehenditur, aliquid misericordiæ, in relaxando sententiæ suæ iuramento addiscat. Infra: Ostendit, qua ratione ministerio corui, mulieris viduæ gentilis Deus pauerit Prophetam, vt sic ipse commoueretur ad postulandã pluuiam, & misereretur populo, & reuereretur Prophetam nolens mittere pluuiam contra voluntatem Prophetæ, & quia vrgentibus his necessitatibus adhuc ille non est motus, occidit filium mulieris, apud quam hospitabatur. Et ait: Heu mihi Domine, filium viduæ apud quam ego sustentabar, occidisti, non est mors illa naturæ euentus tuum opus est, tuæ technæ, quibus me in misericordiæ necessitatem adigis, vt si tibi dicere voluero Domine, miserere filio viduæ mortuo, tu mihi ex aduerso respondeas, miserere filio meo Israel. Ad misericordiam me compellis, sentio artes tuas. Hoc agis Domine, vt si dixero tibi, salua filiũ viduæ mortuũ, tu mihi ex aduerso respondeas, filium meum Israel in fame occisum misericordia dignare. Solue famis sententiam, & soluam mortis calculum. Postquam igitur vidit Deus Eliam bene domitum, & aliquanto misericordiorem redditum, tandem & ipse misericordiores cum eo confert sermones. Proficisce re, inquit. Verba legationis Dei sunt hęc: Deus ipse per semetipsum de misericordia apud seruum legationis munus obit, & intercedit. Proficiscere, inquit, quia factus es misericordior, declara quàm misericordes sint sermones tui. Omnes peccatores, ò Propheta, misericordiæ meæ chirographũ habent. Ne mendacij apud illos me argui feceris, audi autem & ipse chirographi vocem, nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur, & viuat. Proficiscere, inquit, & compare coram Achab. Reconciliari eis volo, sed absque te non reconciliabor, tu gratiam illis præbe, qui nunc castigantur. Ego clam apud te pro illis intercedo, tu autem manifestus amicitiæ resarctę sis auctor. Vade, & compare apud Achab, & dabo pluuiam super terram. Tu concilia, tu significa, tu pluuiam conceſſam pronuncia, ego autem tuis sententijs subscribam. Currit igitur volens, & nolens, & imbres futuros prædicat. Verum impietatem eorum adhuc videns, iterum tristem quandam in eos meditabatur sententiam. Et quid tunc ad ea Deus? Videns pertinacem Eliæ animum adhuc a misericordia abhorrentem, a peccatoribus ipsum segregat. Ego, dicit, scio zelum tuum, grata est mihi anima tua. Verum interim & peccatoribus misericors sum, cum supra modum puniuntur, tu verò valde seuerus es pietatis exquisitor. Vnde quia peccatores ob zeli nimietatem ferre non vales, ascende quasi in cælum, ego autem in terra peregrinus ero. Nam si diu tibi manendum in terris prope diem humanum genus, quod a te continuò plectitur, aboletur. Transi in cælũ, ò Elia. Non potest cohabitare ignis calamo. Impeccabiles contuberniones post hac habiturus es, inter angelorũ choros habitare te faciam, ego autem cum peccatoribus peregrinabor, qui in humeris ouem erraticam baiulare possum. Ex his omnibus, & Dei misericordiam erga peccatores perpende, & quantum veneretur iustos.

3. Reg. 17

10

11

3. Reg. 17.

Ezech. 18

3. Reg. 18

IDEM

12 IDEM inquit; Quemadmodum ferrum
Homil. 13. in epist. ad Rom. to. 4. ab ignis assiduo vsu, & ipsum quoq; in ignem euadit propria in natura remanens, sic fidelium, spiritumq. habentium caro in illam demum efficientiam transmutatur tota spiritualis vndique cruci suffixa, atque vna cum anima, & ipsa volatilis reddita. Quale quidem erat corpus Pauli, qui dicebat: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Vnde omnes ille delitias, voluptatesq. ridebat, flagellis autem fame, & ergastulis delectabatur, nec dolebat illam, dum toleraret. Vsque adeo ille carnem edocuerat cum spiritu consentire, atque conspirare.

13 IDEM ait; Si nos appropinquamus Deo,
Homil. 16 in epist. ad Hebræos. in cælo sumus. Faciamus animam nostram cælum. Clarum quidem, & festiuum est cælum propria natura. Neque enim in hyeme nigrũ efficitur, non enim ipsum est quod conuertit faciem, sed nubes concurrentes, cum obtelant. Cælum autem solem habet, habemus & nos solem iustitiæ. Cælum vbique mundum est, & sine macula, non in hyeme, non in nocte mutatur. Proinde & nisti neque in tribulationibus, neque in versutijs diaboli hoc patiuntur, sed manent immaculati, & immundi. Cælum quippe altum est, & multum distans a terra, hoc etiam nos faciamus, separemus nos a terra, & in excelsum illud leuemur, & multum nos a terra extollamus. Cælum superius est, & ab imbribus, & a pluuijs, & a nullo consumitur, hoc & nos poterimus, si voluerimus. Cælum quidem putatur pati, verumtamen nihil patitur ipsum. Sic igitur & nos ac si putamur pati, non patimur. Sicut enim in hyeme multi quidem pulchritudinem eius non agnoscunt, sed putant illud mutatum, philosophi vero sciunt, quia nihil passum est, sic & de nobis in tribulationibus multi quidem putant nos mutatos, & quia tribulatio ad ipsum nostrum attingit cor, philosophi autem sciunt, quia non nos tetigit. Efficiamur itaque cælum, ascendamus in altitudinem illam, & ita videbimus homines, vt putemus a formicis nihil differre. Non pauperes dico tantum, & plebeios, sed magistratus. Si Imperator sit, non videbimus
2. Cor. 4. Imperatorem. Quid aurum, quid argentum, quid vestis serica? Cuncta tanquam muscas videbimus, si in illa altitudine sederimus. Illic sedebat Paulus, cum dicebat, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Intueris quia neque videbat, quæ videntur, sed quæ non videntur? Intueris, quia neque videbat, quæ in præsenti sunt? Vt autem tibi ostendam, quia & cælis superior erat, audi illum dicentem: Certus sum enim quoniã
Rom. 8. neque mors, neque vita, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque alia creatura poterit nos separare a charitate Christi. Vides altitudinem mentis? Vides tabernaculorum opificem quid factus est?

14 HIERONYMVS explicans verba illa;
Libr. 2. in c. 6. Zachariæ to. 5. Sumes argentum, & aurum, & facies coronas, & pones in capite Iesu filij Iosedech sacerdotis magni, inquit. Imponuntur coronæ Iesu filio Iosedech sacerdoti magno, quia nobis proficientibus, & reuersis ad meliora per singulas virtutes nostras Dominus coronatur, immo nobis virtute pœnitentiæ coronatis Saluator in singulis coronam accipit, iuxta illud quod Paulus loquitur: De cetero reposita est mihi 2. Tim. 4. corona iustitiæ, quã reddet mihi iustus iudex.

15 GREGORIVS exponens verba illa;
Lib. 1. moral. c. 15. to. 2. Quod erat Iob familia multa nimis, ait: Multam familiam nimis possidemus, cum cogitationes innumeras sub mentis dominatione restringimus, ne ipsa sui multitudine animum superent. Cum enim ratio ad mentem redierit, mox se confusio tumultuosa compescit, & quasi ancillæ se ad iniunctum opus tacite reprimunt. Possidemus ergo multam familiam cum innumeris cogitationibus dominamur. Diciturque, qui huiusmodi est, magnus inter omnes Orientales, quia angelis tunc in quantum possibilitas suppetit, sociamur. Vnde & Phil. 3. per Paulum dicitur: nostra conuersatio in cælis est.

16 IDEM inquit; Per Moysem dicitur, vt
Lib. 5. mor. cap. 8. Leuit. 11. pisces, qui pennulas non habent, non edantur. Pisces namque qui habent pennulas saltus dare super aquas solent. Soli ergo in electorum corpore quasi pisces transeunt, qui in eo quod imis deseruiunt, aliquando ad superna cõscendere mentis saltibus sciunt, ne semper in profundis curarum lateant, & nulla eos amoris summi quasi liberi aeris aura contingat. Qui ergo rebus temporalibus occupantur, tunc bene exteriora disponunt, cum sollicite ad interiora confugiunt, cum apud semetipsos intus in tranquillitatis sinu requiescunt. Prauæ etenim mentes temporalium rerum tumultus intra semetipsas versare non cessant, etiam cũ vacant. Piæ autem mentes hæc, & cum desunt, non quærunt, & grauiter etiam cum adsunt, ferunt. Quod bene illa duorum fratrum vita signatur, de quibus scriptum est: Esau vir gnarus venandi, & homo agricola. Iacob autem Gen. 25. vir simplex habitabat in tabernaculis. Vel sicut in alia translatione dicitur, habitat domi. Quid enim per venationẽ Esau, nisi eorũ vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fusi, carnem sequuntur? Qui etiam agricola esse scribitur, quia amatores huius sæculi tãto magis exteriora colũt, quãto interiora sua inculta derelinquũt. Iacob vero vir simplex in tabernaculo, vel in domo habitare perhibetur, quia nimirum omnes, qui in curis exterioribus spargi, refugiunt, simplices in cogitatione, atque in conscientiæ suæ habitatione consistunt. In tabernaculis enim, aut in domo habitare, est se intra mentis secreta restringere, & nequaquã exterius per desideria disipare. Quiescunt etiam iusti, cum non solum nullo cupiditatum temporalium turbulento appetitu rapiuntur, verum etiam curis præsentis vitæ necessarijs immoderatius occupari refugiunt.

17 IDEM explicans verba illa Iob cap. 29.
Lib. 29. mor. c. 16. Et sicut palma multiplicabo dies, ait. Non immerito

merito iustorum vita palmę comparatur, quia scilicet palma inferius tactu aspera est, quasi aridis corticibus obuoluta, superius verò & visu, & fructibus pulchra, inferius corticum suarum inuolutionibus angustatur, sed superius amplitudine pulchræ viriditatis expanditur. Sic quippe est electorum vita, despectu inferius, superius pulchra, immo ista quasi multis corticibus obuoluitur, dum innumeris tribulationibus angustatur, in summo verò illa, quasi pulchræ viriditatis folijs, amplitudine retributionis expanditur. Habet aliud palma, quo ab alijs arboribus differt. Omnis namque arbor in suo robore iuxta terram vasta subsistit, sed crescendo superius angustatur, & quantò paulisper sublimior, tantò in altum subtilior redditur. Palma verò minor ab imis inchoat, & iuxta ramos, ac fructus ampliori robore exurgit, & quę tenuis ab imis proficit, vastior ad summa succrescit. Quibus itaque alia arbusta, nisi terrenis mentibus inueniuntur esse similia, inferius vasta, superius angusta? Quia nimirum omnes huius sæculi
18 dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe derpetua, ne parum quidem in labore subRom. 6. sistunt. Pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cælesti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. At contra ex qualitate palmarum designatur proficiens vita iustorum, qui nequaquam sunt in terrenis studijs fortes, & in cælestibus debiles. Sed longius, atque distantius studiosos se Deo exhibent, quàm sæculo fuisse meminerunt. Nam cum quibusdam dicitur: Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut
Rom. 6. enim exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, eorum proculdubio infirmitati condescenditur, ac si eis apertius diceretur: si nequaquam amplius potestis, saltem tales estote in fructu bonorum operum, quales fuistis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat sancta libertas charitatis, quàm in carne validos habuit vsus terrenæ voluptatis. Sunt verò nonnulli, qui cum cælestia appetunt, atque huius mundi noxia facta derelinquunt, ab inchoatione sua quotidie inconstantiæ pusillanimitate deficiunt. Quibus hos nisi arbustis reliquis comparauerim, qui nequaquam tales superius surgunt, quales inferius oriuntur? Hi quippe ad conuersationem venientes non tales quales cœperunt, perseuerant, & quasi more arborum inchoatione vasti sunt, sed tenues crescunt, quia paulisper per argumenta temporum patiuntur detrimenta virtutum. Palma verò, sicut dictum est, vastior in summitate est, quàm esse cœperit ex radice: quia sæpe electorum conuersio plus finiendo peragit, quam proponit inchoando, & si tepidius prima inchoat, feruentius extrema consummat, videlicet semper inchoare se æstimat, & idcirco infatigabilis in nouitate perdurat. Hanc iustorum constantiam Propheta intuens, ait: qui Isa. 40. confidunt in Domino, mutabunt fortitudinem suam, assument pennas vt aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Mutant quippe fortitudinem, quia fortes studeant esse in spiritali opere, qui dudum fuerant fortes in carne. Dicat itaque beatus Iob ex persona sua, dicat ex voce sanctæ Ecclesiæ his, quos pacis tempore ad se conuersos habuerat, atque in bonis moribus perseueraturos credebat, sicut palma multiplicabo dies. Quasi enim palmam multiplicare se dies credidit, quæ mentes fidelium ad extremum vsq; robustiores exigere putabat.

19 IDEM exponens illa verba Iob 36. cap.
Lib. 26. moral. c. 26. Nec multitudo locorum inclinet te, ait: In plerisque codicibus donorum, in paucis vero, sed antiquioribus, locorum inuenimus. Sancti viri, aliena opera etiam parua mirantur, sua verò etiam magna despiciunt. At contra arrogantes, aliena etiam magna despiciunt, sua, vel quæ parua sunt, admirantur, & plerunque de suis malis bona æstimant, de alienis autem bonis, mala sentire non cessant.

20 IDEM quæ in anterioribus, de equo Iob
Lib. 11. moral. c. 26. Iob 39. docet, & applicuerat Gregorius prædicatoribus, singula in hoc capite accommodat viris sanctis, dicens; Sub huius equi specie vnumquemque Christi militem describamus. Dicatur ergo: Nunquid præbebis equo fortitudinẽ, aut circundabis collo eius hinnitum? Vnicuique animę, cui Dominus misericorditer præsidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet, de
1. Pet. 5. qua Petrus insidias diaboli referens, ait: Cui resistite fortes in fide. Huic autem fortitudini hinnitus iungatur, dum fit, quod scriptum est: corde creditur ad iustitiam, ore antem confessio fit ad salutem. Nunquid suscitabis eum Roma. 10. quasi locustas? Vnusquisque qui Deum sequitur, in ipso suo exordio, vt locusta suscitatur, quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus tetræ inhæret, in quibusdam tamen expansis alis se se in aera suspẽdit. Conuersionum quippe initia bonis moribus, malisque permixta sunt, & dum noua iam per intentionem agitur, vetus adhuc vita ex vsu retinetur. Proinde quoniam in ipso nostræ conuersationis initio, infirma quædam pie de nobis Dominus tolerat, vt nos quandoque ad cælestia ex perfectione perducat, quasi locustas nos in exordio suscitat; quia etsi in volatu virtutis subleuat, non tamen de terreni operis casu desperat. Gloria narium eius terror, quia inter spem, & metum positus, dum futurum iudicium mente conspicit, hoc ipsum timet, vnde gloriatur. Ipsa ei sua gloria tẽror est, quia inchoatis iam bonis spe de iudicio lætus est, & necdum finitis omnibus malis, perfecte securus non est. Terram vngula fodit. Vngula terram fodere est, districta abstinentia carnem edomare. Quo autem plus carq pre-

ro premitur, eo de cælesti spe animus securius lætatur, vnde effossa terra addit, exultat audacter. Quia enim valenter reprimit, quod impugnat, audacter exultat de his, quæ in æterna pace desiderat, tantòq. mens melius ad superna appetenda componitur, quantò ab illicitis arctius corpus edomatur. Vnde recte per
Prou. 24. Salomonem dicitur: Diligenter exerce agrum tuum, vt postea ædifices domum tuam. Ille quippe mentis domũ bene ædificat, qui prius agrum corporis a spinis vitiorum purgat, ne si desideriorũ sentes in agro carnis proficiant, intus tota virtutum fabrica fame boni operis crescente destruatur. In occursum pergit armatis. Hostes armati sunt immundi spiritus, qui cũ suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub virtutum specie nostris obtutibus opponunt, & quasi sub quædam arma se contegunt, ne in sua malitia a nobis nudi videantur. Quibus armatis hostibus in occursum pergimus, quãdo eorum insidias longe præuidemus. Effossa terra armatis hostibus in occursum pergere est, edomita carnis superbia contra spiritalia vitia certamen subire. Infra: Feruens, & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem. Feruens, & fremens sorbet terram, quia nimio ardore semetipsum discutit, & quicquid in se terrenum reperit, quotidie proficiendo consumit. Vbi audierit buccinam
22 dicit: Vah. Multos enim peius sua fœlicitas strauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eòq. illos inopinatus hostis grauius perculit, quò longo quietis vsu negligentes inuenit. Vnde sancti viri, cum multa se proficere virtutum prosperitate considerãt, quodam dispensationis supernæ moderamine exerceri se etiã tentationibus exultant, quia tantò robustius acceptam virtutum gloriam custodiũt, quantò tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humilius agnoscunt. Procul odoratur bellum. Bellum namque procul odorari est, ex causis præcedentibus, quæ vitiorũ pugnæ subsequantur agnoscere. Odore res non visa cognoscitur, bellum procul odorari est sicut flatu narium, sic prouisione cogitationum nequitias latentes indagare. De quo odoratu in Ec-
Cant. 7. clesiæ suæ laudibus Dominus dicit: Nasus tuus sicut turris, quæ est in libano. Quid per nasum nisi sanctorum prouida discretio designatur? Turris vero speculationis in altum ponitur, vt hostis veniens longe videatur. Recte ergo nasus Ecclesiæ turri in libano similis dicitur, quia sanctorum prouida discretio, dum sollicite circumquaque conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa deprehendit, eamq. quò vigilanter prænotat, eò fortiter declinat.
Abac. 1. Hinc Abacuc ait: Super custodiam meam stabo. Hinc vniuscuiusque electi animam, Hiere-
Hier. 31. mias admonet, dicens: Statue tibi speculam. Speculam quippe sibi statuere est, ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Vigilanti studio contemplatur quomodo ex doctrina arrogantia, ex iustitia crudelitas, ex pietate remissio, ex zelo ira, ex mansuetudine torpor oriatur.

IDEM explicans verba illa; Similitudo 23
vultus eorum, facies hominis, & facies leonis, Homil. 4. in
a dextris ipsorum quattuor, facies autem bo- Ezec. to. 2.
uis, a sinistris ipsorum quattuor, & facies aquilæ desuper ipsorum quattuor, inquit: Omnis qui in ratione perfectus est, homo est. Et quoniam semetipsum ab huius mundi voluptate mortificat, vitulus est. Quia verò ipsa sua spontanea mortificatione contra aduersa fortitudinem securitatis habet, vnde scriptũ est: Prou. 28.
Iustus autem quasi leo confidens absq; terrore erit, leo est. Quia vero sublimiter contemplatur ea, quæ cælestia, & ea, quæ terrena sunt, aquila est. Igitur quoniam iustus quisque per rationem homo, per sacrificium mortificationis suæ vitulus, per fortitudinem securitatis leo, per contemplationem verò efficitur aquila; recte per hæc sancta animalia signari vnusquisque perfectus potest. Infra: Et facies eorum, & pennæ eorum extẽtæ desuper describuntur, quia omnis intentio, omnisq. cõtemplatio sanctorum super se tendit, vt illud possit adipisci, quod in cælestibus appetit. Qui enim per bona, quæ facit terrenam gloriam concupiscit, pennas suas, & faciem suam deorsum deprimit. Hinc enim per prophetam de Osee 5.
quibusdam dicitur: Victimas in profundum deferebant. Quia sunt nonnulli, qui ideirco se in prece lamentis afficiunt, vt aut terrena cõmoda acquirant, aut hominibus sancti esse videantur. Quid isti nisi victimas in profundum deferunt? Electi autem, quia & in bono opere omnipotenti Deo placere appetunt, & per contemplationis gratiam æternam iam beatitudinem degustare concupiscunt, facies & pennas desuper extendunt. Duæ pennæ singulorum iungebantan, & duæ tegebant corpora 24
eorum. Quærendum est, quæ sint quattuor alæ sanctorum, ex quibus duæ superius extensæ iunguntur, duæ verò eorum corpora contegunt. Si enim vigilanter aspicimus quattuor esse virtutes inuenimus, quę a terrenis actibus omne pennatum animal leuant, in futuris videlicet amor, & spes, de præteritis autem timor, & pœnitẽtia. Pennæ ergo sibi met vinctæ superius extenduntur, quia sanctorum mentem amor, & spes ad æterna subleuant. Quæ apte quoque coniunctæ nominantur, quia electi proculdubio amant cælestia, quæ sperant, & sperant quæ amant. Duę verò corpora contegunt, quia timor, & pœnitentia ab omnipotentis Dei oculis, eorum mala præterita abscondunt. Duæ itaque pennæ iunguntur sursum, quando amor, & spes electorum corda ad superiora eleuant, ad cælestia suspendunt. Duæ autem tegunt corpora, quando eorũ mala præterita a conspectu æterni iudicis timor, & pœnitentia abscondunt. In eo enim quod se peccasse meminerunt, quia pertimescunt, & deflent, quid aliud quã corpus cooperiunt? Psal. 31.
Sicut scriptum est: Beati quorum remissę sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Videamus has quattuor alas in Paulo. Videa-
mus

mus quantus hunc amor ad cælestia eleuet,
Phil. 3. mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Cognoscamus quanta spe ad superiora tollitur, nostra conuersatio in cælis est. Vnde etiam Saluatorem expectamus Dominum nostrum.
1. Cor. 6. Videamus si & in tantis virtutibus positus adhuc timet: castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne dum alijs prædicauero ipse rebrobus efficiar. Cognoscamus si hunc mala
1. Cor. 15. feciſſe pœnitet: ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Quattuor itaque pennis sancta animalia vtuntur, quia per amorem, & spem ad cælestia euolant, & per timorem, & pœnitentiam facta in se illicita deplorant.

Iusti in virtutis initijs, sibi, & non alijs studeant prodesse, virtutemq. operentur secreto. Cap. XXIIII.

1 Homil. 6. in Gen. to. 1. Cap. 12.

ORIGENES docens qua ratione Abraham vocauerit Saram sororem, & vxorem, inquit: Puto Saram, quæ interpretatur princeps formã tenere virtutis: hæc virtus coniuncta est sapienti, & fideli viro. Sicut & ille sapiens, qui dicebat de sapientia: Hanc quæsiui adducere sponsam mihi. Vide dicit, Dominus ad Abraham: Omnia quæcumque dixerit tibi Sara, audi vocem eius. Quod vtique in corporali coniugio non conuenit, cum potius vir vxori dominetur. Si quis ergo asciuit sibi in coniugio virtutem, audiat vocem eius in omnibus, in quibus consilium dederit ei. Igitur Abraham non vult iam virtutem vxorem suam dici. Donec enim vxor appellatur, virtus propria est, & cum nullo participari potest. Et est conueniens, vt donec ad perfectum veniamus, intra nos sit animi virtus, & propria sit. Cum vero ad perfectum venerimus, ita vt idonei simus, & alios docere, tunc iam virtutem, non vt vxorem intra gremium concludamus, sed vt sororem etiam alijs volentibus copulemus. Ad hos denique, qui perfecti sunt dicit sermo diuinus: Dic sapientiæ soror mea es. Secundum hoc igitur Abraham dicebat, Saram sororem suam esse.

2 Homil. 2. in Exodum.

IDEM exponens verba illa; Mulier quædam de tribu Leui genuit puerum, videns autem infantem esse elegantem, occultauit illum mensibus tribus, sic habet: Vide si non propterea nobis præcipitur, ne bonos actus in publico geramus, ne iustitiam nostram coram hominibus faciamus, sed vt clauso ostio oremus patrem in abscondito, & quod facit dextera nostra, nesciat sinistra. Nisi enim in occulto fuerit, diripietur ab Aegyptijs, inuadetur, in flumen iactabitur, vndis & fluctibus submergetur. Ergo si facio eleemosynam, quia opus Dei est, masculum genero. Sed si ita faciam, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, & non eam occultauero, rapta est ab Aegyptijs eleemosyna mea, & in flumen demersa est, & tanto labore, tantoq. studio Aegyptijs masculum genui.

HIERONYMVS loquens de spiritali 3
circuncisione ait: Tu filia dilectissima cir- Epist. de ve
cuncisione viuis, mihi tamen propositum est ra circunci
illud tecum loqui, quare non in digito, non in sione. to. 9.
aure aliave corporis parte fiat circuncisio iudæorum, quæ causa est, vt eam partem corporis, quæ secretior, & occultior est ad circuncidendum Dominus elegerit, qui vtique ob signum, quo volebat famulos suos in Abrahæ semine censeri, id potuisset eligere, quod in propatulo positum ab omnibus cerneretur, nec in signo esset obscuritas. Sed quid in secretiori corporis parte Dominus figurauerit aduerte. Illud proculdubio, quod post modum Dominus mõstrauit, ne iustitiam nostram coram hominibus faceremus, sed in occulto coram eo solo, cui soli nihil est occultũ, & quem solum remuneratorem bonorum nouimus esse factorum. Vnde non in carne palam, sed in occulto cordis Iudæi esse debemus, non litte- Rom. 2.
ra, sed spiritu. Nam littera oculis subiacet nostris, spiritus nobis carnalem refugit aspectum, vt laus iuxta Apostolum, ex Deo, non ex hominibus acquiratur. Vereamur autem audire a Domino: Populus hic labijs me hono- Isa. 29.
rat, cor autem eorum longe est a me. Interius Mar. 7.
ergo illud est signaculum præfiguratum, quod in inuisibili mente nostra, ab illo inuisibili nostro Deo videtur. Oculi enim Domini super Psal. 33.
iustos, si ad iustitiam corde credatur. Verum autem nos credere toto corde mentimur, si ab hominibus accipimus honorem. Accipimus enim ab hominibus honorem, si eleemosynas nostras tuba populo prædicatura præcedat.

IDEM explicans verba illa; Vade popu- 4
lus meus, intra in cubicula tua, claude ostia su- Lib. 8. in c.
per te, abscondere modicum ad momentum, 26. Isa. to. 4.
donec pertranseat indignatio, inquit: Præcipitur populo Dei, vt ingrediatur cubicula sua Matth. 6.
siue cellaria, vt claudat iuxta Euangelicum præceptum ostium cubiculi sui, & dicat cum propheta: Pone Domine custodiam ori meo, Psal. 140.
& ostium munitum labijs meis. Et abscondatur paululum quantuluncumque, donec pertranseat ira Domini, vt nihil gloriæ causa faciat, sed fruatur bono conscientiæ, & solum iudicem expectet Deum. Sunt autem cellaria, quæ claudenda sunt, & abscondenda ab his, qui diuites facti sunt in operibus bonis, & virtutibus, vt nesciat sinistra quid faciat dextera. Postquam autem ira Dei transierit, & mortuus fuerit homo, nequaquam cellaria vltra claudentur, sed implebitur, quod scriptum est: Nihil occultum, quod nõ reueletur, Lucæ 3.
& absconditum, quod non manifestetur.

GREGORIVS sic habet: Citius bona 5
depereunt, quæ hominibus ante tempus inno- Lib. 8. Mo-
tescunt, quia & arbusta plantata, priusquam ral. cap. 29.
to. 2.

fixa

fixa radice coalescant, si manus cõcutiens tangit, arefacit. At si in altum radix figitur, & terræ humoribus conspersa solidatur, hæc & manus impellit, sed non lædit, hæc & ventorum flatus in flectendo concutiunt, sed non euertunt. Quid in rebus excrescentibus pariete surgente robustius? Qui tamen si dum construitur impellatur, statim sine labore destruitur, si autem per spatium temporis ab humore suo exiccari permittitur, sæpe, & arietum ictibus minime quassatur. Sic sic videlicet bona nostra, & intempestiue manifestata depereunt, & diutius occultata solidantur, quia humanæ occupationis manus, cum incipientem conuersationis nostræ vitam contigerit, quasi recentem parietem impellit, eamq. facile destruit, quia adhuc humorem infirmitatis propriæ non amisit. Hinc est,
Deut. 15. quod vitam inchoãtium Moyses humanis occupationibus exerceri prohibuit, dicens: Nõ operaueris in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouium. In primogenito quippe bouis operari est, bonæ conuersationis primordia in exercitio publicæ actionis ostendere. Ouium quippe primogenita tondere est, ab occultationis suæ tegmine humanis oculis inchoantia bona opera nostra denudare. In primogenito ergo bouis operari prohibemur, atque a primogenitis ouium detondendis compescimur, quia etsi quid robustum incipimus exercere, hoc in aperto citius non debemus. Et cum vita nostra simplex, quid atque innocuum inchoat, dignum est, vt secreti sui velamina non relinquat, ne nudũ hoc humanis oculis, quasi subducto vellere ostendat. Ad sola ergo diuina sacrificia boum primogenita, ouiumq. proficiant, vt quicquid forte, simplex, innocuumq. incipimus, hoc ad honorem intimi iudicis in ara cordis immolemus. Quod ab illo proculdubio tantò libentius accipitur, quantò & ab hominibus occultatum, nulla laudis appetitione maculatur. Sæpe autem nouæ conuersationis primordia adhuc ex carnali vita sunt commixta, & idcirco innotescere citius non debent, ne cum laudantur bona, quæ placent, laudatus, & deceptus laude sua animus deprehendere in eis
6 nequeat mala, quæ latẽt. Vnde recte per Moy-
Leuit. 19. sen rursum dicitur: Quando ingressi fueritis terram, quam ego daturus sum vobis, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum. Poma, quæ germinant immunda erunt vobis, nec edetis ex eis. Ligna quippe pomifera sunt opera virtutibus fœcunda. Præputia itaque lignorum auferimus, cum de ipsa inchoationis infirmitate suspecti, primordia nostrorum operum non approbamus. Poma autem, quæ germinant, immunda dicimus nostrisq. esibus non aptamus, quia cum primordia boni laudantur operis, dignum est, vt hoc animum non pascat operantis, ne dum accepta laus suauiter carpitur, fructus operis intempestiue comedatur. Qui ergo inchoatæ virtutis ab humano ore laudẽ receperit, quasi plantati ligni, ante tempus fructus comedit. Hinc per psalmistam veritas dicit: Vanum est Psal. 126.
vobis ante lucem surgere, surgite postquam sederitis. Ante lucẽ quippe surgere est priusquam claritas æternæ retributionis appareat in præsentis vitæ nocte gaudere. Quod illic est ante lucem surgere, hoc hic hypocritæ est in ortu germen proferre, quia humanas laudes desiderans, vbi ad opus bonum nascitur, ibi mox expetit, vt gloriam retributionis assequatur. An non in ortu suo hi germen protulerant, de quibus veritas aiebat: amãt primos Matt. 23.
recubitus in mensis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi? Pro eo ergo, qd bene agere incipiunt, quia honorem consequi ab hominibus conantur, quasi scirpi more ab ortu suo cum germine exurgunt. Hi nimirum cum recta operari appetunt, prius mente sollicita eiusdem operis sui testes quærunt, & tacita cogitatione pertractant, si sunt, qui gerenda videant, si digne hæc eloqui, qui viderint, possit. Interni enim arbitri oculos quasi absentes deputant, quia ab eo vicem sui operis recipere in posterum recusant. Vnde dicit de talibus Iob: Humectus videtur scirpus ante- Iob 8.
quam veniat sol, & in ortu suo germen eius egredietur. Quia hic sancti reputari volũt hypocritæ, & diuina gratia humectati; aduenientе autem diuino iudicio arescunt, quia tunc quàm sint iniqui apparebunt. Humectus videtur antequam veniat sol, quia virentem se nunc humanis oculis exhibet, sed in calore tunc diuini iudicij arescet. Germen itaque in ortu est, remuneratio in inchoatione.

7 IDEM ait: Hostes ad rapinam prouocat, Capite 36. eiusdem libri.
qui suas eorum notitiæ diuitias denudat. Qui ergo in itinere deprædari formidat, abscõdat necesse est bona, quæ portat. Intus ergo sunt seruanda, quæ agimus, si ab interno arbitro vicem recipere nostri operis expectamus. Hinc est, quod de electorum Ecclesia per psalmistam dicitur: Omnis gloria eius filiæ regis Psal. 44.
ab intus. Hinc Paulus ait: Gloria nostra hæc est, testimoniũ conscientiæ nostræ. Filia quippe regum Ecclesia, quæ in bono est opere, spiritalium principũ prædicatione generata, gloriam intus habet. Gloriam suam Paulus testi- 2. Cor. 1.
monium conscientiæ memorat, quia fauores oris alieni non appetens, vitæ suæ gaudia extra semetipsum ponere ignorat. Occultanda sunt ergo, quæ agimus, ne hæc in huius vitæ itinere incaute portantes, latrocinantium spirituum incursione perdamus. Et tamen veritas dicit: Videant opera vestra bona, & glo- Matt. 5.
rificent patrem vestrum, qui in cælis est. Sed aliud est profectò, cũ in ostensione operis gloria quæritur largitoris, aliud cum laus priuata concupiscitur de dono largientis. Vnde & rursus in Euangelio hæc eadem veritas dicit: Ibidem.
Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Opus ergo nostrum cum hominibus ostenditur, in cordis prius examinatione pensandum est, per eiusdẽ ostensionis studium, quid quæratur. Si enim

dantis gloriam quærimus, etiam publica nostra opera in cõspectu illius occulta seruamus. Si verò per hæc nostram laudem concupiscimus, foras ab eius conspectu iam fusa sunt etiã si a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est sic ostenso opere, auctoris gloriam quę rere, vt de illata laude, priuata nesciant exultatione gaudere. Tunc solum namque innoxie hominibus laudabile opus ostẽditur, cum per despectum mentis veraciter laus impensa calcatur. Quam quia infirmi quique perfecte contemnendo non superant, restare necesse est, vt bonum hoc, quod operantur, abscondant.

8 BERNARDVS inquit; Christus nocte
Sermone 3. in die natalis Domini. voluit nasci. Vbi sunt qui tam impudenter ostentare gestunt semetipsos? Christus eligit, quod salubrius iudicat, vos eligitis, quod reprobat ille. Quis prudentior e duobus? Cuius iudicium iustius, cuius sententia sanior? Denique tacet Christus, non se extollit, non prædicat, & ecce annunciat eum angelus, laudat multitudo cælestis exercitus. Et tu ergo qui Christum sequeris, inuentum absconde thesaurum. Ama nesciri, laudet te os alienum non tuum, sed fileat.

9 IDEM exponens verba illa, quæ de viro
In sermone S. Benedicti Psal. 1. iusto scripta sunt; Et fructum suum dabit in tẽpore suo, ait: In eo quod dicitur in tempore suo, arguuntur quidam ante tempus fructificare volentes. Nonne & arboribus nostris citius quàm oporteat pullulantibus, timemus omnino floribus intempestiuis? Sic sunt aliqui, quorum fructus, quia nimis propere, minus prospere oriuntur. Hi sunt, qui in initio conuersionis suæ alijs fructificare continuo vel le præsumunt, contraq. legis decreta arare in primogenito bouis, & ouis primogenita tondere festinantes. Vultis nosse quàm sollicitè id vitauit sanctus iste magister noster? Et hũc ramum vobis appono, quoniam tribus annis soli Deo notus, hominibus mansit incognitus. Fructum quidem multum tulit, ipsi cernitis, sed in tempore suo.

10 IDEM dicit; Duplex est operatio Spiri-
Serm. 53. ex Paruis in fine. tus sancti. Operatur enim in nobis aliud propter nos, aliud propter proximos. Propter vtilitatem nostrã operatur in nobis compunctionem deuotionem, amorem, &c. Cetera charismata, sapientiam, consilia, & huiusmodi dãtur nobis ad vtilitatem aliorum, vt alij ædificentur. In quibus operibus cauendum est duplex periculum, ne vel illa, quæ dantur propter nos, diuidamus proximis, ne vel illa quæ propter proximos reseruemus nobis. Si enim quę pro vtilitate aliorum accepimus retinemus, tantum nobis charitatem non habemus, & di-
Eccl. 20. citur nobis; sapientia abscondita, & thesaurus inuisus, quæ vtilitas in vtrisque? Rursus si de donis Dei velimus innotescere hominibus, nõ Deo in occultis cordis placere, humilitatẽ per
1. Cor. 4. dimus, & meritò illa voce increpamur: Quid habes, quod non accepisti? Sic vtroque modo periclitamur, hinc humilitatẽ, illinc amittẽdo charitatem. Rectus ergo profectus nostri ordo est, vt illis donis scilicet cõpunctione & ceteris studeamus impleri primum, deinde si per gratiam Spiritus sancti cetera superauerint, ideſt, sapientia, & scientia curemus illa proximis partiri. Ita sane obtinebimus illud Spiritus sancti donum, quod vocatur discretio spirituum, si & ea, quæ nobis congruũt, nobis reseruemus, & ea, quæ ad aliorum vtilitatem conferuntur, nobis largiamur & proximis.

11 IDEM explicans illa verba; Oleum effu-
Serm. 18. in Cantica. sum nomen tuum, inquit: Quicunque munere gratiæ exterioris perfusum se sentit, quo & ipse alijs refundere possit, etiam huic dicere est, oleum effusum nomen tuum. Sed sanè cauendum in his, aut dare quod nobis accepimus, aut quod erogandum accepimus retinere. Rem proximi retines tibi, si plenus virtutibus cum sis, foris q. nihilominus donis scientiæ, & eloquentię adornatus, metu forte, aut segnitie, aut minus discreta humilitate verbum bonum, quod posset prodesse, multis inutili immò & damnabili ligas silentio, certè male-
Prou. 11. dictus qui frumenta abscondit in populis. Rursus quod tuum est spargis, & perdis, si priusquã infundaris tu, totus semiplenus festines effundere, contra legem arans in primogenito bouis, & ouis primogenitum tondens. Nimirum Deut. 15.
vita, atque salute, quam alteri das te fraudas. Quamobrem si sapis, concham te exhibebis non canalem. Hic si quidem penè simul & recipit, & refundit: illa verò donec impleatur, expectat, & sic quod superabundat sine suo damno communicat, sciens maledictum, qui partem suam facit deteriorem. Et ne meum consilium contemptibile ducas, audi Salomonem dicentem: Stultus profert totum spiritum suũ Prou. 29.
simul, sapiens reseruat in posterum. Verum canales multos hodie habemus in Ecclesia, conchas verò perpaucas. Tantæ charitatis sunt per quos nobis fluenta cælestia emanant, vt ante effundere, quàm infundi velint, loqui, quà audire paratiores, & prompti docere, quod non didicerunt. Ego nullum ad salutem pietatis gradum illi gradui anteponendum existimo, quem sapiens posuit, dicens: miserere animæ tuæ placens Deo. Quod si non habeo nisi Eccli. 30.
parumper olei, quo vngar, putas tibi debeo dare, & remanere inanis? Seruo illud mihi, & om 12
nino nisi ad Prophetæ iussionem non profero. Si institerint cogitãtes aliqui ex his, qui forte Matt. 25.
existimant de me supra id, quod vident in me, aut audiunt aliquid ex me, respondebitur eis: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Sed charitas inquis, non quærit quę sua sunt. Et tu scis quãob rẽ? Non quærit quæ sua sunt profectò, quia 1. Cor. 13.
non desunt. Quisnam quærat quod habet? Charitas quæ sua sunt, id est, propriæ saluti necessaria nunquam non habet. Nec modo habet, sed etiam abundat. Vult abundare sibi, vt possit nibus seruat sibi quantum sufficiat, vt nulli deficiat. Alioqui si plena non est, perfecta non est: Cęterum tu frater, cui firma satis propria

salus nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut adeo tenera, atque arundinea quatenus omni flatui cedat, omni credat spiritui, omni circunferatur vento doctrinæ, immo cui charitas tanta est, vt vltra mandatum quidem diligas proximum tuum plusquam teipsum, & rursum tantilla, vt contra mandatū fauore liquescat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, curis euisceretur, honoribus tumeat, liuore tabescat, tu inquā ita in proprijs te ipsum sentiens, quanam dementia quæso, aliena curare, aut
Eccli. 3. ambis, aut acquiescis? Noli nimium esse iustus. Sufficit vt diligas proximum tuum tanquam te ipsum. Nam hoc est, quod ait Paulus:
2. Cor. 8. Non quod alijs, inquit, sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex æqualitate, diligens proximum sicut te. Dicit enim Dauid: Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum, infundi
Psal. 62. nimirum prius volens, deinde effundere. Nec solum infundi prius, sed & impleri quatenus de plenitudine eructaret non de inanitate oscitaret. Caute quidem, ne quod alijs remissio, sibi esset tribulatio. Et nihilominus castè imitaris illum, de cuius plenitudine omnes accepimus. Disce & tu nonnisi de pleno effundere,
13 nec Deo largior esse velis, de cuius plenitudine accepimus, inquit: Concha imitetur fontem. Non manat ille in riuum, nec in lacum extenditur, donec suis satietnr aquis. Non pudeat concham non esse suo fonte profusiorem. Denique ipse fons vitæ plenus se ipso nonne primum quidem ebulliens, & saliens in proxima secreta cęlorum omnia impleuit bonitate, & tunc demum impletis secretioribus, superioribusq. partibus, erupit ad terras, ac de superfluo homines, & iumenta saluauit, quemadmodum multiplicauit misericordiā suam Deus? Prius interna repleuit, & sic exundans in multis miserationibus suis, visitauit terram, & inebriauit eam, multiplicauit locupletare eā. Ergo & tu fac similiter. Implere prius, & sic curato effundere. Benigna, prudensq. charitas affluere consueuit non effluere. Si enim tu tibi nequam, cui bonus eris? De cumulo si vales, adiuua me, sin autem parcito tibi. Qui plenus est, prædicet, fructificet, innouet signa, immutet mirabilia, non est quo se immisceat vanitas, vbi totum occupat charitas. Effundere audeamus de plenitudine, non de penuria largientes.

14 In tractatu de vita solitaria ad fratres de monte Dei in vltimis illius verbis. Rom. 13. Isa. 24.

IDEM sic habet; Præ omnibus studeat seruus Dei non plus sapere, quàm oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem, & secundum datam a Deo mensuram fidei bona sua non ponere in ore hominum, sed celare in cella sua, & recondere in conscientiam, vt hunc quasi titulum, & in fronte conscientiæ, & in fronte cellæ semper habeat, secretum meum mihi, secretum meum mihi.

FINIS LIBRI NONI.



LIBER

LIBER DECIMVS LOCORVM COMMVNIVM

AD SACRAS CONCIONES

MO AVCTORE R. D. F. IOANNE LOPEZ Episcopo Cotronensi Ord. Prædic.

Ad labores, non ad otium, & delitias vocati sumus, malorum autem etiam si non sentiantur, magni sunt. Cap. I.

1 Serm. 1. de Prouidentia tom. 5.

CHRYSOSTOMVS sic exorditur; Refert a est hæc vita turbelis, plena est tumultibus, at qui nō tam graue, neque dolendū hoc, quàm quod cū possumus, quicquid, id est, tumultuum, turbationumque, vel in tranquilliorem statum commutare, vel certe posita tristitia patienter ferre, neutrum illorum nobis curæ est, sed omnem vitam in luctu, & mœrore desides transigimus. Deplorat enim alius egestatem, alius aduersam valetudinem, alius administrandæ rei domesticæ molestias, alius in educandis pueris difficultatem, alius contra orbitatem. Et videre licet quàm dissipatur mirum in modum. Nam non solum tristes sumus, cum res ita se habent, sed & cum mutantur, contrarioq. modo eueniunt non minus plerique tristes sumus. Profectò si rerum natura lugendi causa esset, non oportebat mutatis rebus idipsum fieri. Etenim si tam mala tamque intolerabilis est inopia, cur a luctu non vacat, qui in diuitijs est? Item si tantum malum est orbitas, cur non semper læto animo sunt, quibus numerosa soboles contingit? Præterea si tam optabile est fungi muneribus publicis, frui honoribus, multis præesse, fugienda plane, & odio habenda vita priuata, & otiosa. Iam vero, cum videmus conqueri tam diuites, quàm pauperes, & nonnunquam diuites plus quam pauperes; videmus inquam, ægre affectis animis esse tam dominos, quàm subditos, tam habentes, quàm non habentes filios: ne dicamus huius deordinationis causas rerum euentus, sed potius nos metipsos reprehendamus, qui nescimus illis sicut oportet vti. Inquietudo enim illa, & perturbationum molestia, non tam a rerum euentu est, 2
quàm a nobis ipsis, & in mente nostra, quæ si se bene haberet, & composita foret, semper nobis liceret tranquille agere, dormiremusque, ceu in portu, etiam si vndequaquis innumeræ tempestates insurgerent: sicut e diuerso, cum illa male se gerit, nihilo melius habemus naufragis, etiam si venti secundi nos comitentur. Potes tale quid, & in corporibus videre. Nam is cui corpus natura firmum est, & bene exercitatum, non solum ex intemperie cæli nullo incommodo afficitur, sed propter exercitationem etiam ex intemperie, cui assuescit, firmitatis incrementum assequitur. Cum interim alius, cui tenerum, & imbecille corpus, licet temperato cælo fruatur, nihil melius habet: quandoquidem ob internā infirmitatem etiam in optimis temporibus offenditur. Contingere idem videmus, & in alimentis. Stomachus bene valens, nullum reijcit alimentum, sed prævalente, ac cibi vitia vincente naturali vi, cruda etiam, & incocta in puros tranformat succos: contra stomachus æger, cuius deprauata, & corrupta est complexio, etiam saluberrimi succi cibos, in-

firmitate virtutem illorum tollente, in pessimos vertit ac corrumpit. Et nos quoque, cum videmus rerum indignitatem ac deordinationem, non Deum arguamus dilecte, non enim sic paramus remedium, sed potius vulneri vulnus addimus. Vera enim turbationis, & deordinationis causa, non est illa rerum contingentia, sed animus male se gerens, qui nisi in semetipso perturbationem ac deordinationē emendet, perinde male habebit, cum multæ bonæ conditiones ei contingunt, & cum grauis rerum est deordinatio. Et quod hæc ita se habeant exemplis videamus. Quot hodie ferunt moderatis animis inopiam, Deoque gratias agentes non deficiunt? Quot item in diuitijs, & delitijs, non solum non agunt Deo gratias, sed & Dominum blasphemant? Quot sunt, qui nullo graui incommodo affecti, diuinam prouidentiam arguunt? Quot item, qui omni tempore habitant in carceribus, longeq. gratiores sunt, quàm hi, qui nulla re indigent, & prorsus secure viuunt? Vides, quòd turbatio animæ tam horum, quàm illorū causa est, & non illorum natura? Atque adeo si diligentem mentis nostræ curam gesserimus, nulla suborietur vel turbatio, vel deordinatio, vel vlla molestia, vt concedamus euentus vitæ nostræ Euripo instabiliores sursum, deorsumq. ferri. Et tu cum vides hominem malum hilari animo exaltari, dominari, vltionem sumere de his, qui ipsum læserunt, nihil detrimenti in quopiam pati, in magna veneratione ab omnibus haberi, & diuitijs abundare, tecum vero agi modo contrario, & inuadi te ab inimicis, pati insidias, & calumnias, caue ne propterea abiectum, vel derelictum te putes: sed respice ad Paulum, qui tuarum partium est, ascende ad mentem tuam, posside cogitationes tuas, ne te deijciat tristitia, ne ex præsenti vel prosperitate, vel aduersitate, amicum, inimicumve Dei iudices. Similiter cum videris recte viuentem, beatum illum dic, etiam si morbo omnia membra eius corrodantur, modo illi sit pietatis cura. Illum imitatione dignum existima, etiam si innumeris teneatur catenis, etiam si perpetuum carcerē inhabitet, etiam si indignis seruiat, paupertate prematur, & metalla effodiat, etiam si supplicijs cōficiatur, & in particulas minimas eius caro conscindatur. Contra si videris quēpiam in malitia, in postremis flagitijs viuere, & interim honore multo frui, in thronum regium cōscendere, diademate circundari, purpura vestiri, vniuersoque orbi imperare, tunc funde lachrymas, miserumque illum esse proclama.

4 IDEM differens de tolerantia in aduersis inquit: Qui molliorem hanc, solutamque vitam duxerit, etsi omnibus appareat esse beatior, cunctis tamen est profecto miserior, quādoquidē graues animæ suæ heros, tyrannosq. inuexit. Eo nanque Deus vitam laboriosam effecit, vt eius nos seruitute liberaret, absolutamque in libertatem induceret, propterea- Ser. 3. inter 25. varios tomi 5.

que, & supplicia comminatus est, & labore molliciem comprimendo, vitæ huius cohæredes effecit. Nam & Iudæi cum luto essent, & lateribus operandis adstricti, & humiles erāt, & Deum frequentius inuocabant. Postquam verò libertate sunt vsi, Dominum queruli ad iram concitauerunt, & malis sunt innumeris circunuenti. Qui fuerit aduersis animo consternatus, eandem vel maiorem in prosperis iacturam patietur. Exo. 5.

5 IDEM ait: Propterea & ab initio Deus homini laborem alligauit, non puniens neque ipsum castigans, sed corrigens, & docens. Quando illaboriosam vitam degebat Adam, paradiso excidit. Quando laboriosam, & ærumnosam Paulus agebat vitam in labore, & ærumna noctem, & diem operans, tunc in paradisum raptus est. Ne igitur laborem respuamus, nec operationem vituperemus. Homil. 1. ad populū Antiochenum. Gen. 3. 2. Cor. 12.

6 IDEM in fine dicit: Magna res est remissio, & propterea ab initio Adæ dictum est. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Et vt ex afflictione multa ad requiem peruenientes, Deo gratias agant. Magnum enim bonum est tribulatio, audi nanq; prophetam dicentem: Bonum mihi Domine quòd humiliasti me. Si vero magnis, & mirabilibus viris magnum quid est tribulatio, multo magis nobis. Sit aliquis valde gaudens, & lętus effususque, quid turpius? Sit aliquis dolens, & mœstus, quid hoc est sapientius? Melius est enim ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Non enim stat firma sede anima, sed tāquam a quodam flumine tollitur, & eleuatur a voluptate nihil habens stabile, multa cogitationum fluctuatio, intempestiuus risus, hilaritas ratione carens. Et quid alios commemorem sanctos? Vnum proferamus & intueamur, quis in voluptate quidem, quis autem esset in tristitia. Vultis ipsum Dauid videamus, cum in voluptate foret & lætitiam, propter multa trophæa, propter victoriam & coronas, propter delitias & fiducia, vidit qualia, & dixit, & fecit, Ego autem dixi, in abundantia mea non mouebor in æternum. Postquam autem in tribulatione constitutus est, audi quid dicat: Si autem dixerit mihi non places, Præsto sum, faciat quod bonum est coram se. Quid hisce verbis modestius? ait enim, quomodocunque Deo gratum est, ita sit. Et iterum ad Saulem ait: Si Dominus incitat te aduersum me, odoretur sacrificium tuum. Et tunc quidem, cum in tribulatione foret, & inimicis parcebat, posthæc verò nec amicis, nec his, qui nullam intulerant iniuriam. Rursum Iacob, cum in tribulatione fuit dicebat: Si dederit mihi Dominus panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum. Et Ezechias quidem, cum esset in tribulatione, vide qualia pro salute facie tem incurrit, de cordis sui cecidit altitudine, ait enim: Cum comederis, & biberis, & fueris impletus attēde tibimetipsi; præceps enim est locus deliciarum. Cum tribularentur Israelitæ, Eccl. 7. Hom. 54. ad populum. Gen. 3. Psal. 118. Gen. 28. 4. Reg. 20. 2. Reg. 15 1. Reg. 18

tæ, tanto plures fiebant, postquam autem eos dimiserunt, tunc omnes perierunt.

7 HIERONYMVS explicans verba illa; Vade, & solue succum de lumbis tuis, &c. ait. Achab rex Israel vineam Naboth vertere in hortum cupiebat, quod ille iuxta leges tropologiæ intelligens, mori maluit, quàm facere, vt herditas paterna, & antiqua possessio in impij regis delitias verteretur. Præcipitur autem Prophetæ, vt sacco, calciamentisq. depositis, nudus, & discalciatus incedat, & in signum sit, atque portentum Aegyptijs, & Aethiopibus, qui Dei populum persecuti sunt. Lib. 7. in c. 20. Isaiæ. to. 4. 3. Reg. 21

8 IDEM explicans verba illa; Repleuit me amaritudinibus, & inebriauit me absinthio sic habet: Ebrius quisque quod patitur nescit. Qui verò absinthio inebriatur, & hoc quod sumpsit amarum est, & tamen non intelligit amaritudinem, qua repletur. Humanum quoque genus recto Dei iudicio, in calamitatibus suis dimissum, atq; per easdem voluptates spō taneis tribulationibus traditum, absinthio est ebrium, quia & amara sunt, quæ pro huius vitæ amore tolerat, & tamen eandem amaritudinem cæcitate cupiditatis quasi insensibilitate ebrius ignorat. Mundi enim gloriam sitiens, dum multas pro ea tribulationes reperit, amarum est, quod bibit. Sed quia hoc nimis inaniter sumpsit, eiusdem amaritudinis malum discernere iam præ ipsa ebrietate non sufficit. Amant enim peruersi homines pro huius mundi gloria, & tribulationes, cunctisq. pro ea sudoribus libenter seruiunt, & grauium laborum iugo deuotissime colla submittunt. Lib. 2. in c. 3. Lamentationū Hier.

9 IDEM in vltimis verbis exponens verba illa; Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo æstate, & non dabitur ei, inquit: Qui nunc propter desidiam in Dei seruitio laborare neglexit, vēturo die regni mendicabit, & non dabitur ei, quia quęcunque seminauerit homo, hæc & metet. Bene ergo regnum Dei æstati comparatur, quia tunc męroris nostri nubila transeunt, & vitę dies ęterni solis claritate fulgescunt. Lib. 2. in c. 20. Prouerb. 10. 8.

10 IDEM explicans verba illa; Per agrum hominis pigri transiui, & per vineā viri stulti, & ecce totum repleuerant vrticę operuerunt superficiem eius spinæ, & maceria lapidū destructa erat, ait: Per agrū, vineamq. pigri, ac stulti transire est, cuiuslibet vitam negligentis inspicere, quam vrticæ, vel spinæ replent, quia in corde negligentium prurientia terrena desideria, & punctiones pullulant vitiorum, iuxta quod scriptum est: In desiderijs est omnis otiosus. In Ecclesiast. 5

11 IDEM explicans verba illa; Quodcunque facere potest manus tua instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, inquit: Fac quodcunque nunc potes, & labora, quia cum ad infernum descenderis, locus non erit. Huic quid simile a Saluatore præcipitur: Operamini dum dies est, veniet nox quando nemo poterit operari. In c. 9. Ecclesiast. to. 5

AVGVSTINVS ait; Vocatur homo ad conuiuium, id est, vt ista non diligat, quæ diligi sine labore non possunt. Non otium desidiæ quærit Dominus, sed otium cogitationis. Miseri amici huius mundi, tam timent ab eius amplexibus separari, vt nihil eis sit laboriosius, quàm non laborare. 12 Lib. de vera relig. to. 1.

IDEM exponens verba illa; Non in finem irascetur, inquit: Quia & quod viuimus, in flagellis, & corruptione mortalitatis de indignatione ipsius est, de pœna hoc habemus primi peccati. Ergo ex ira ipsius est, quod hic homo peregrinatur, & laborat. Non est ex ira ipsius, fratres mei, in sudore vultus tui, & in labore tuo edes panem tuum, & terra spinas, & tribulos pariet tibi? Ab auctore nostro dictum est. Aut si est aliud vita nostra, si poteris conuertere ad aliquam voluptatē, vbi spinas non sentias. Elige quod volueris, esto auarus, luxuriosus, ambitiosus. In honorum cupiditate quantæ spinæ? In luxuria libidinum quantę spinæ? In ardore auaritiæ quantæ spinę? Amores turpes, quantas molestias habent? Quantas sollicitudines in ista vita? Omitto gehennam. Vide ne iam ipse tibi gehenna sis. Hoc enim totū fratres mei de ira ipsius est, & cum te conuerteris, vt iuste agas, non poteris nisi laborare in terra, & non finitur labor, nisi cum finita fuerit via. Oportet in via laborare, vt in patria gaudeamus. Ergo consolatur promissione sua laborem tuum, sudorem tuum, molestias tuas, & dicit tibi: Non in finem irascetur, neque in æternum indignabitur. 13 In Psal. 102 to. 8. Gen. 3.

IDEM explicās verba illa; Caput circuitus eorum labor labiorū ipsorum operiet eos, dicit: Me, inquit, vmbra alarum tuarum teget, obumbrasti enim mihi in die belli. Ipsos quid teget? Caput circuitus ipsorum ipsa est superbia. Quid est circuitus ipsorum, vt circumeāt, & non stent, in gyrum eant erroris, vbi iter est sine fine. Qui enim in longum it, aliunde incipit, alicubi finit. Qui in gyrū it, nunquam finit. Ipse labor impiorum, qui hic incipit, & finem nusquam habebit. Ipse est labor impiorum, qui demonstratur in alio psalmo euidentius: in circuitu impij ambulant. In omni opere malo labor est, vt inique agant, homines laborant. Et quia omnes laborant in mendatio veritas clamat: venite ad me omnes, qui laboratis. Ipsa est vox clamans ad laborantes in alio psalmo: Fili hominum vsquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Aperte autem, & in alio loco: labor est in mendacio. Docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt inique agerent, laborauerunt. 14 In Psal. 139 Psal. 11. Psal. 4. Hier. 9.

GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 5. Homo ad laborem nascitur, & auis ad volatum ait: Ad laborem nascitur homo, quia nimirum qui præditus est ratione considerat, quòd sibi sit impossibile, vt hæc peregrinationis suæ tēpora sine gemitu euadat. Vnde bene Paulus, cū tribulationes suas discipulis enumeraret, adiūxit: Ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus. Sed in eo, quòd caro flagellis afficitur 15 Lib. 6. Mor. c. 7. to. 7. 1. Thess. 2.

meus ad appetenda altiora subleuatur, Paulo
2.Cor.4. rursus attestãte, qui ait: Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est renouatur de die in diem. Homo ergo ad laborem nascitur, & auis ad volatum, quia inde mens ad summa euolat, vnde caro in infimis
2.Cor.3. durius laborat. Potest quoque appellatione hominis carnalium vita signari. Vnde Paulus ait: Cum sint inter vos zelus, & contentio, nõne homines estis? In hac itaque vita homo ad laborem nascitur, quia carnalis quisque, cum transeuntia appetit, desideriorum suorum se pondere affligit. Grauis quippe labor est, hanc ipsam præsentis vitæ gloriam quærere, quæsitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circumspectione custodire. Grauis labor est hoc cum magna fatigatione apprehendere, quod is, qui apprehendit, nouerit diu stare non posse. Sancti autem iura quia transeuntia non amant, non solum nulla temporalium desideriorum pondera tolerant, sed etsi qua aduersa cõsurgunt, in ipsis suis pressuris, & langoribus nõ laborant. Quid enim flagellis durius?
Act.5. Et tamen de flagellatis Apostolis scriptum est: quia ibant gaudentes a conspectu concilij, &c. Quid ergo eorum mentibus labor est, quibus & pœna verberum labor non est? Homo ergo ad laborem nascitur, quia ille huius mundi veraciter mala sentit, qui eius bona inhianter appetit. Nam cuius mens ad alta suspenditur, sub ipsa est quicquid exterius cõtra ipsam mouetur. Bene itaque subditur, & auis ad volatũ. Quia tantò animus a laboris afflictione se subtrahit quanto per spem ad summa sustollit. An
2.Cor.5. non quasi auis ad volatum Paulus natus fuerat, qui tot aduersa sustinens dicebat: Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis?

16 IDEM exponens verba illa Iob 7. Et ego
Lib. 8. Moral. cap. 5. habui menses vacuos, & noctes laboriosas enumeraui mihi, sic habet. Amore conditoris præsentis vitæ tribulationibus exerceri laboriosum quidem est, sed vacuum non est. Amore ante sæculi aduersa pati vacuum simul est, & laboriosum, quia ex aduersitate mens afficitur, & remunerationis præmio non repletur. Infra: Quò magis æternum refrigerium quæritur, eò magis conspicitur, quàm vacuè pro vita ista laboratur. Vnde & ipsa pœnitentiæ cura vigilanter exprimitur, vt laboriosas noctes enumerasse diceretur, quia quantò verius ad Deum reuertimur, tanto subtilius labores, quos per ignorantiam in hoc mundo pertulimus, dolendo, pensamus. Nam quò vnicuipue plus dulce fit, quod de æternis desiderat, eò magis ei graue oste[n]ditur, quod pro præsentium amore tolerat. De re hac plura retulimus in anterioribus lib. 5. c. 9. lib. 6. c. 9. 10. & 11. lib. 9. c. 15.

Lachrymæ commendantur, & quales futuræ sunt, vt Deo probentur. Cap. II.

1 In lib. cuius titulus est plãctus Origenis 10.

RIGENES ait; Heu mihi dolor cordis mei. Heu mihi afflictio animæ meæ. Heu mi hi mater, quæ peperisti me, quasi virum religiosum in impietate delapsum, virum filium regni Dei, & nunc filius regni nequam, virum decoratum honore, iuhonestatem consecutum. Heu mihi mater, quæ quasi peperisti turrim altam, & subitò vsque ad pauimentum prostratam, sicut arborem fructiferam, & subitò marcidam, sicut lampadem luciferam, & subito extinctam, sicut fontem abundantem aquis, & nunc subitò exsiccatam. Heu mihi, qui omnibus bonis ornatus eram, & nunc ab omnibus desertus apparui. Sed quis dabit capiti meo aquam, aut oculis meis fontem lachrymarum, vt plangam me ipsum in contritione mea? Heu mihi sacerdotium quomodo te plangam? Heu mihi presbyterium quomodo te lugebo? Plangite me amici, quem planxerunt angeli. Plangite me vniuersi, quia lapsus sum a gloria mea. Sicut enim vineam fructiferã plantauit me Dominus, & pro botrionibus florui spinas. Plangite vtique me, quia ex vineis attuli tribulos. Sed moueantur fontes lachrymarum, & irrigentur maxillæ meæ, fluant super terram, & humectent eam, quia humectatus sum in iniquitatibus. Heu mihi quid passus sum? Quomodo cecidi? Non est dolor, sicut dolor meus, & non est afflictio super afflictionem meam. Non est amaritudo supra amaritudinẽ meam, nec gemitus supra gemitum meum, vtique neque peccatum supra peccatum meum. Vbi est ille, qui ab Hierusalem in Hierico, atque a latronibus vulneratum curauit? Heu mihi doctor nec discipuli locum teneo. Infra: Flebam aliquando super Sansonem, sed peiora perpessus sum. Sansoni coma capitis deest, meo verò de capite corona gloriæ cecidit. Plangite me desolatum ab omnibus bonis. Plangite me populi sancti repulsum a Domino. Plangite desolatum a Spiritu sancto. Plangite me expulsum a thalamo Christi. Plangite me odibilem factum sanctis, & angelis. Plangite me, quia in terra sum, & a conscientia iam torqueor. Si quis potest orationibus, & lachrymis, adiuuet me. Quis scit, si miserebitur mihi Deus, & respiciet ruinam meam, & miserebitur mei, & respiciet desolationem, & viscera sua super me mouebit? Sed cadam ante limina portarum, vt deprecer omnem populum pusillum, & magnum, dicamq. eis: Conculcate me sal stultũ, sal insipidum. Porrige mihi manum sancti spiritus, aperiantur mihi fontes lachrymarum, vt deleam accusationem, quæ contra me est. Infra: Doleant super me coronæ sanctorum, quia separatus sum a bona congregatione eorum. O diabole quid fecisti mihi? Quomodo vulnerasti me? Putas ne profuit tibi ruina mea? An putas quod tu requiescas, dum ego
Psal.72. punior tormentis? Domine procido tibi, miserere mihi nimium vlulanti, qui multas lachrymas super terram effudi, super quem luxit omnis creatura, vt quid destruxisti maceriam meam, & exterminauit me aper de silua, & singularis ferus depascitur me? Libera me a leone rugiente. Fac vt demoretur ad vesperum planctus meus, & vesperam in matutinum recipiam. Conscindatur saccus meus, vt veniat mihi lætitia, & recipiar rursus in gaudium Dei mei.

3 BASILIVS explicans verba illa; Ad vesperũ
Homilia 7. in Psal. 29. tom. 1. demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia, inquit: Vespera sæculum hoc dicitur, in quo qui ad suam beatitudinem plorauerint, aduenientе postea matutino, consolabuntur. Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, beati qui flent, quoniam ipsi ridebunt. Quicunque igitur dies sæculi huius in consummatione iam existentis, & ad occasum tendentis in plorandis peccatis exegerint, hi demum vere illo matutino aduenientе gaudebunt.
Psal.125. Qui enim seminant in lachrymis, in exultatione metent, nimirum in sæculo illo futuro.
Homilia de gratiarum actione. IDEM ait; Sanctorum lachrymæ prosiliunt a feruore charitatis, qua toti erga Deum flagrant. Ocũlis enim cordis in eum indiuulse coniectis, quem diligunt, lætitiam sibi illinc accumulant. Dumq. moderantur, & regunt, quæ ad conseruos suos attinent, in peccatis deprehensos lugent, & eosdem fusis lachrymis reuocant ad meliorem vitæ frugem. Vt enim qui consistunt in litore eorum indolescunt vicem, qui marinis fluctibus immerguntur, neque interim vllam adeunt iacturam propriæ securitatis ob anxiam, qua periclitantibus cõdolent, cogitationem; itidem & qui vltroneo mœrore se afficiunt, ob peccata proximorum haud quaquam per id lętitiam exinaniunt suã. Verius auctiorem eam, & cumulatiorem reddunt, vt qui perfrui merentur Domini sui gaudio ob lachrymas in gratiam fratris effusas. Apostolus igitur, vt cum flentibus ipsi fleamus dicit, quòd eiusmodi lachrymæ sint seminum quoddam & fœnus, quibus æternum illud gaudium increscit. Infra: Quemadmodum nubilus aer, & adensatus in guttarum aspergines, sic & vaporum crassamentum in lachrymas resoluitur, hinc quoque mœrentibus, & in luctu constitutis clam crepens, nonnihil lætitiæ, & iucunditatis oboritur, per fletum exinanito eo, quod degrauabat caput. Huius meæ rationis veritatem constabilit rerum, quæ fiunt, doctrix experientia. Ipsi enim nouimus nõ paucos calamitatibus deploratis, vtiq; nec curabilibus obuallatos vi, ne destillarent lachrymis, sibi temperasse. Hi quidem in varios, & immedicabiles affectus inciderunt, ceu sunt apoplexia, & paralysis. Alij verò in mortem prorsus collapsi sunt, ac si fulcimento quo piam debili niterentur subtractis eorum viribus, & diffractis immodico pondere tristitiæ. Namque quod cernere posis in flamma, quæ introclusione suffocatur proprij fumi, qui cum liberè egredi non queat, implexam flammam suo opprimit ambitu, haud secus his contingit vitalem actionem intabescere, & extingui vehementiore acrimonia doloris, nulla illi ad exteriora respiratione concessa. Non tamen permittit honestatis ratio, vt immodicis se conficiant lachrymis, tantum sinuntur rebus minus lætis, & tristibus esse quadantenus tristes, ac mæsti, lenes item, & nonnullas fundere lachrymas, idque silentio citra vllum frendorem, eiulatum, vestium cæsuram, non puluere aspergant capita, neque alio quouis pacto indecore se gerant.

5 IDEM sic ait; Salomonis sententia est, me
In Homilia ad martyrẽ Iulittam. lius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij. Flendum igitur nobis cum flentibus. Tu enim simul atque videris fratrem, ob eorum quæ admisit, lachrymantem, huic collugeto, & condole. Ita enim tecum fiet, vt ex alienis malis castiges proprium. Qui enim pro peccato proximi lachrymas stillat, hoc ipso quod lapsum deflet fratris, suummet a se profligauit morbum. Peccatum luctu est, & implacabilibus lamentis dignum. Ob peccatum profluant effusissimæ lachrymæ, nec desinat ex imo pectoris recessu iugiter prosilire suspiriosus gemitus. Flebat Paulus inimicos Crucis Christi. Flebat & Hieremias internecionem
Hier. 9. pereuntis populi, qui sane quòd lachrymæ suapte natura profluentes, non satis illi essent ad planctus magnitudinem, cupide expetebat sibi infundi lachrymarum fontem, & extremum solitudinis diuersorium, dicens: & sedebo, & plorabo interfectos populi mei die, ac nocte. Sane istiusmodi luctum, ac lachrymas deprædicat Apostoli sententia, & fœlices astruit: at non etiam eos, quæ ad semel conceptam animi tristitiam ex oculis facile erumpunt, at neque eum statim confirmat beatum, qui suapte natura per omnem occasionem propendet ad lamentum. Vnde de his scriptum est: dare vinum merentibus, vbi hoc obseruandum dicit Dominus, ne qui iusto grauius indulgent luctui, proinde nullam admittunt consolationem, vehementiore absorpta acrimonia luctus, sumere negligant alimoniam corporis.

6 CHRYSOSTOMVS vno verbo ait;
Homilia de Anna, & Samuelis edũcatione to. 1. Rosaria sunt virtutum, quæ nunquam marcescunt, longe vernis floribus redolentiora, vt quæ non aquarum fontibus, sed lachrymarum imbre rigantur. Neque enim proinde amnium fontes floridos reddunt hortos, vt plantam deprecationis fontes lachrymarum irrigantes, faciunt in summam altitudinem excurrere.

7 IDEM sic habet; Nihil tam inglutinat
Homil. 6. in Matthæum to. 2. Deo, vt illæ lachrymæ, quas & peccati dolor, & amor virtutum effundit. Qui enim talis vitæ conseruat tenorem, etiam si in medio vrbis videatur habitare, quasi in eremi tamen vastitate requiescit, & inter solitudines montium, & secreta conuallium. Nullo enim tumultu

rerum, ſtrepituq. concutitur, nihil de præſentium auocatione conſpiciens, neque vllam ſatietatẽ de huiuſmodi luctu lachrymiſq. percipiens, ſiue propria peccata, ſiue etiam lamentetur aliena. Et idcirco Chriſtus hos præ
Phil. 4. cæteris pronunciauit beatos, beati, inquiens, qui lugent. Et quemadmodum, dices Paulus, ait: Gaudete in Domino ſemper? Dixit hoc eam proculdubio, quæ ex his naſcitur, lachrymis exprimens voluptatem. Sicut enim mundi gaudium triſtitię conſortio copulatur, ita etiã ſecundum Dominum lachrymæ iugem pariũt certamq. lætitiam. Sic etiam illa in Euangelio meretrix, virgines quoque ipſas honeſtate ſuperauit, & incredibili in Chriſtum amoris igne ſuccenſa, & a maximis ſordibus peccatorum largiſsimo lachrymarum fonte purLucæ 7. gata. Siquidem continuò, & crines reſoluit, & ſanctos pedes vberibus diluens lachrymis, ac proprijs extergẽs capillis, precioſo rigauit vnguento. Sicut poſt vehementes imbres mũdus aer, ac purus efficitur, ita etiam lachrymarum pluuias ſerenitas mentis ſequitur, atque tranquillitas, omniſq. illa de peccatorum tenebris effuſa caligo diſſoluitur. Et ſicut ex aqua, & ſpiritu, ſic rurſus ex lachrymis, & confeſsione purgamur. Sed illas ego requiro lachrymas, quę nõ oſtentationi proficiunt, ſed compunctioni, quæ funduntur occulte, quæq. ex illo dolore profluunt, quæ intra conſcientiæ theſaurum, & pectoris arcana celantur, quæ per afflictas genas nullo hominum teſte voluuntur, quæ ſummo in ſilentio, & quiete deſiliunt, quæ ex intimo cordis ebulliunt, quę ex tribulatione, & dolore naſcuntur, quæq.
2. Reg. 1. ſolius Dei oculis offeruntur. Quales certe illę erant Annæ aliquando lachrymę, de qua dicitur: labia eius mouebãtur, vox autem eius non audiebatur. Solæ quidem lachrymę emittebãt ad Dominum vocem omni buccina clariorem, & idcirco ſterilitatem eius in fœcunditatem mutarunt, & quaſi e duro quodam
Ioan. 11. ſaxo agrum fertilem reddiderunt. Si ergo tu quoque eiuſmodi lachrymas fundas, etiam Do
Lucæ 9. mini tui efficieris imitator. Nam & ipſe fleuit, & cum Lazarũ reſuſcitauit, & cum ad expugnandam reſpiceret ciuitatem: Sed etiam tunc profecto, cum de Iudæ proditione ſimul ac perditione turbatus eſt. Itaq. flentem quidem illum frequenter inuenias, nunquam verò ridentem, ſed nec leuiter ſaltem ſubridenAct. 20. do gaudentem. Nam quod & Paulus fleuerit quidem, & per triennium noctibus id fecerit, ac diebus; & alij de illo, & ipſe de ſe ipſo teſtatur. Quod verò riſerit, neque ipſe vſquã, neque alius quiſpiam de eo oſtendit. Sed nec vllus ſanctorum, vel de ſe ipſo, vel de alio quopiam, tale quid aliquando ſignificaſſe narra-
Gen. 17. & 18. tur. De ſola Sara legimus hoc dictum, ſed illico Dei voce correpta eſt. Et de filio Noe, ſed propter illum riſum ſeruus factus eſt ex libe-
Gen. 9. ro. Et hæc dico, non vt riſum prorſus abſcindam, ſed vt diſſolutionem penitus extinguam. Cuius etenim rei gratia in cachinnum ſolueris, & deſluis, qui tantorum tibi ſponte factus es cauſa mœrorum? Ante tribunal Chriſti, illud ſtaturus terribile, & ſumma cum examinatione rationem pro cunctis actibus redditurus? Pro tantis peccatis pœnas daturus, ſecurus tui ſedes, miſerabili riſu, lugendiſq. facetijs, te ſimul alioſq. diſperdens, & de ſola delitiarum voluptate ſolicitus, bona æterna cõtemnis. Si ergo, inquis, iſta non fecero, ſed ad luctum fuero lachrymaſq. cõuerſus, quem tandem fructum capeſſem? Profecto maximũ, & omnino tantum, quantum ſermo explicare nõ ſufficit. In ſecularibus enim iudicijs quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris, & lugeas, nõ tamen effugies flendo ſuppliciũ: hic verò ſi toto corde ingemueris ad Deũ ſoluiſti repente ſententiam, veniamq. meruiſti. Idcirco multa nobis de luctu loquitur Chriſtus, & beatificando lugentes, & miſerando
Matt. 5. ridentes. Qui Noe tempore, cum per tot annos fabricari arcam viderent, fugiebant omnem compunctionis dolorem, & malè blandę tantum lætitiæ ſeruiebant, nihil omnino erant prouidi futurorum, & propterea ſubita omnes illos merſit pœna diluuij, factumq. eſt, totius orbis commune naufragium. Non eſt noſtrum aſsidue ridere, reſolui cachinnis, molliri delitijs, ſed eorum potius, & earum, quæ ſpectantur in theatris, quæ in lupanaribus inquinantur, paraſitorum, & adulatorum.

9 IDEM ſic habet; Mortem lugere omittes, luge peccata, vt ipſa diſſoluas, propter hoc enim triſtitia facta eſt, non vt in morte, nec in vna alia re tali doleamus, ſed vt ipſa ad delẽda vtamur peccata, & quod hoc verum ſit exẽplo facio manifeſtum. Remedia medicinalia propter illos tantum morbos facta ſunt, quos tollere poſſunt, nõ propter illos, quos nihil adiuuare poſſunt. Puta adhuc enim manifeſtiorem volo rationem facere, medicamentũ oculos lippientes tantum iuuare valens, nullum verò aliũ morbum, propter oculorum ægritudinem tantum factum eſſe dicere quis poſſet, non propter ſtomachum, neque propter manus, neque propter vllum aliud membrum. Transferamus igitur rationem ad triſtitiam, & inueniemus, quòd accidentium nobis nihil adiuuat, peccatum verò ſolum corrigit, certũ quòd propter huius ſublationem tantum conceſſa eſt. Percurramus igitur ingruentium nobis grauium quodq., & triſtitiam ſuper adducamus, & videamus, quid ex hoc fiat vtilitatis. Mulctatus eſt quiſpiam pecunijs, triſtatus eſt, mulctam non emendauit, filium amiſit, doluit, mortuum non reſuſcitauit, nec defuncto profuit: flagellatus eſt quis, alapis cæſus, contumelijs affectus, doluit, non reuocauit contumeliam: valetudinem quis incidit, & ægritudinem grauiſsimam, doluit, ægritudinẽ non ſuſtulit, ſed & difficiliorem reddidit. Videsne horum nulli prodeſſe triſtitiam? Peccauit quis triſtatus eſt, peccatum deleuit. Vnde hoc manifeſtum? Ex Domini ſententia. De quodam enim præuaricato loquens aiebat:

3. Reg. 21 Propter peccatum pauliſper ipſum conſtriſtaui, & vidi quod triſtatus eſt, & inceſsit męſtus, & ipſius vias correxi. Propterea & Paulus di2. Cor. 7. cit: Quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Igitur poſtquam manifeſte oratio demonſtrauit, quòd neque pecuniarum mulctam, neque contumeliam, neque calumniam, neque flagella, neque valetudinem, neque mortem, neque aliud quid talium inducta triſtitia inſtaurare poſſet, ſed ſolum delere peccatum, & huius eſt deſtructiua, certum quòd propter hanc ſolam cauſam facta eſt. Ne amplius igitur pecuniarum iacturam doleamus, ſed cum peccamus, multa enim hic ex triſtitia vtilitas. Mulctatus es? ne doleas, neque enim proderit. Peccaſti? dole, vtile namque eſt. Peccatum nobis triſtitiam peperit, & hæc illum cõſumit. Sicut enim vermis ex ligno naſcitur, & illud rodit, & co10 medit, ſuam ab ipſo originem habẽs: ſic & triIn Pſal. 93. tom. 7. ſtitia de peccato nata eſt, & ipſum abſumit.

HIERONYMVS explicans verba illa; Secundum multitudinem dolorũ in corde meo
1. Cor. 3. conſolationes tuæ lætificauerũt animam meã, ſic ait: Hoc ipſum & Apoſtolus loquitur, quoniam ſecundum labores, & miſerias, quas in iſto ſæculo patimur, habemus mercedem apud Deum in cælis. Magnitudo tribulationum magnitudo eſt præmiorum. Quot patimur vulnera, tot meremur & coronas. Hoc eſt, quod dicit, quoties egi pœnitentiam, toties me conſolatus es. Vnam fudi lachrymam, vnam merui conſolationem. Decem fudi lachrymas, decem conſolationes merui. Quantumcunque fuit pondus lachrymarum, & pœnitentiæ, tantus fuit & conſolationum numerus.

Lib. Quæſt. Hebraicarũ in libros Paral. to. 3. IDEM explicans verba illa; Venit contra illos ex aduerſo ſtientium ait: Tradunt Philiſtheos idolum habuiſſe, cui in lachrymis hominum ſacrificium parabatur. Huic illi more ſuo lachrymas ſacrificabant. Et eis ex aduerſo Dauid venit, in quorum capitibus iam furor Domini ſæuiebat, quando ad eos ventum eſt. Ideo timuerunt gentes Dauid, propter idolum deſtructum, cui humanis lachrymis ſacrificabatur. Tales ſunt lachrymæ, quæ reprobantur a Deo.

11 AMBROSIVS ſic inquit: Reſpexit Do
Ser. 46. de Pœnitentia Petri. to. 3. minus Petrum, & prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio enim quod fleuerit, non inuenio quid dixerit. Recte plane Petrus fleuit, & tacuit, quia quod defleri ſolet, nõ
Matt. 26. Lucæ 22. ſolet excuſari, & quod defendi non poteſt, ablui poteſt. Lauat enim lachryma delictum, quod voce pudor eſt confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ conſulunt, & ſaluti, nec erubeſcunt in petendo & impetunt in rogando. Lachrymæ, inquam tacitæ quodammodo preces ſunt, veniam non poſtulant, & merentur, cauſam non dicunt, & miſericordiam conſequuntur, niſi quod vtiliores lachrymarum preces ſunt, quàm ſermonum, quia ſermo in precando forte fallit, lachryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, lachryma ſemper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur ſermone quo fefellerat, quo peccauerat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vſus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult cauſam ſuam flere, quàm dicere, & quod voce negauerat lachrymis confiteri. Inuenio autem, & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ poſtulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret. In omni igitur culpa ante flendum eſt, & ſic precandum. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro, antequam fleret lapſus eſt, poſtea quam fleuit electus eſt, & qui ante lachrymas præuaricator extitit, poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt.

AVGVSTINVS inquit: Æneæ neſcio 12 cuius errores legebam, oblitus errorum meo- Lib. 1. confeſsionum cap. 13. to. 1. rum, & cogebar plorare Didonem mortuam, quia ſe occidit ob amorẽ, cum interea me ipſum in his ad te moriẽtẽ, Deus meus, vita mea ſiccis oculis ferrem miſerrimus. Quid enim miſerius miſero nõ miſerante ſeipſum, & flente Didonis mortẽ, quæ fiebat amãdo Æneam, non flente autem mortem ſuam, quæ fiebat nõ amando te? Deus lumen cordis mei, & panis animæ meæ, & vir maritans mentem meam, & ſinum cogitationis mentis meę, non te amabã, & fornicabar abs te, & fornicanti ſonabat vndique euge, euge. Amicitia enim mundi huius fornicatio eſt abs te. Et hæc non flebam, ſed flebam Didonem extinctam.

IDEM ſic habet: Et miſiſti manum tuam 13 ex alto, & de hac profunda caligine eruiſti ani- Lib. 3. confeſsionum cap. 11. mam meã, cum me ploraret ad te mater mea fidelis tua, amplius quam flent matres corporea funera. Exaudiſti eam, nec deſpexiſti lachrymas eius, cum profluentes rigarẽt terram ſub oculis eius in omni loco orationis eius, & exaudiſti eam. Nam vnde illud ſomnium, quo conſolatus es eam, vt viuere me ſecum crederet, & habere ſecum eandem menſam in domo, quod nolle cœperat auerſans, & deteſtans blaſphemias erroris mei? Vidit enim aduenientem ad ſe iuuenem ſplendidum hilarem, atque arridentem ſibi, cum illa eſſet mœrens, & mœrore confecta. Qui cũ cauſas ab ea quæriſſet mœſtitiæ ſuæ, quotidianarumq. lachrymarum, atque illa reſpondiſſet perditionem meam ſe plangere, iuſsiſſe illum quo ſecura eſſet, atque admonuiſſe, vt attenderet, & videret vbi eſſet illa, ibi eſſe & me. Facta eſt ſpe quidẽ alacrior, ſed fletu & gemitu non ſegnior, non deſinens horis omnibus orationum ſuarum de me plangere ad te. Et cap. 12. narrat adijſſe matrem ſuam Epiſcopum quendam catholicum, quem inſtanter precabatur, vt ipſum alloqueretur vt abduceret ab errore Manichęorum quo detinebatur, & ille facere recuſaret, illaq. inſtaret magis deprecando, & vbertim flendo, vt me videret, mecum diſſereret, ille iam ſubſtomachans tædio, vade, inquit a me, fac quod agis, hoc eſt, lachrymis inſta, fieri enim nõ poteſt, vt filius iſtarum lachrymarum pereat. Quod illa ita ſe accepiſſe inter collo-

quia sua mecum sępe recordabatur ac si de cęlo sonuisset.

14 Lib. 20. de ciuit. Dei ca. 17. to. 5. Apoc. 21. IDEM inquit: Absterget Deus omnem lachrymã, ab oculis sanctorũ, & iam nõ erit amplius, neq; luctus, neq; clamor, quoniã priora transierunt. Quis enim tam sit absurdus, & obstinatissima contentione vesanus, qui audeat affirmare in huius mortalitatis ærumnis vnumquemque sanctorum, nullas habentem lachrymas, & dolores, cũ potius quanto quisque est sanctior, & desiderij sancti plenior, tanto sit eius in orando fletus vberior. An nõ est vox ciuitatis sanctæ Hierusalem, quæ dicit: Factæ sunt mihi lachrymæ meæ panes die, ac Psal. 41. nocte? Et lauabo per singulas noctes lectum Psal. 6. meum, in lachrymis meis, stratum meum rigabo: Et gemitus meus a te non est absconPsal. 37. ditus: Et dolor meus renouatus est. Aut verò, Psal. 138. non eius filij sunt, qui ingemiscunt grauati, in quo nolunt expoliari, sed superuestiri, vt 2. Cor. 5. absorbeatur, quod mortale est a vita? Nonne ipsi sunt, qui primitias spiritus habentes in semetipsis ingemiscunt, expectantes redemptionem corporis sui? An ipse Apostolus Paulus Rom. 8. non erat supernus Hierosolymitanus, vel non multo magis hoc erat, quando pro Israelitis fratribus carnalibus suis tristitia illi erat magRom. 9. na, & continuus dolor cordi eius? In sæculo autem futuro absterget Deus omnem lachrymam, ab oculis sanctorum.

15 In Psal. 6. tom. 8. IDEM exponens verba illa; Lauabo per singulas noctes lectum meum lachrymis meis stratum meum rigabo, dicit: Lectus est hoc loco appellatus, vbi requiescit animus æger, & infirmus, idest, in voluptate corporis, & omni delectatione sæculari. Quam delectationem lachrymis lauat, qui se ab illa conatur extrahere. Videt enim iam se damnare carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libenter iacet, vnde resurgere, nisi sanatus animus, non potest. Lectum lauabit, per singulas noctes, vt tantis lachrymis impetret efficacissimam, de Dei misericordia medicinã. Lachrymis meis stratum meum rigabo. Rigabo, amplius est aliquid, quam lauabo, quoniam potest aliquid in superficie lauari, rigatio verò ad interiora permanat, quod significat fletum vsque ad cordis intima.

16 In Psal. 37. IDEM exponens verba illa; Rugiebam a gemitu cordis mei dicit: Attenditis plerumq; interpellare gemitibus seruos Dei, & quæritur causa, & non apparet, nisi gemitus alicuius serui Dei, si tamen ad aures hominis circa illum positi peruenerit. Est enim gemitus occultus, qui ab homine non auditur, tamen si tanta occupauerit cor cogitatio desiderij cuiusdam, vt voce clariore exprimatur vulnus interioris hominis, quæritur causa, & dicit homo apud semetipsum: forte illud est, vnde gemit, & forte illud illi factum est. Quis potest intelligere, nisi ille in cuius oculis, & auribus gemit? Propterea rugiebam, inquit, a gemitu cordis mei, quia homines si quando audiũt gemitum hominis, plerumque gemitum carnis audiunt, gementem a gemitu cordis, non audiunt. Abstulit nescio quis res huius, rugiebat, sed non a gemitu cordis, alius quia abstulit filium, alius quia vxorẽ, alius quia grandinata est vinea, quia cuppa acuit, quia diripuit iumentum ipsius nescio quis, alius quia timet inimicum suum. Omnes isti a gemitu carnis rugiunt. At vero seruus Dei, quia ex recordatione sabbati rugit, vbi est regnũ Dei, quod caro, & sanguis non possidebit, rugit a gemitu cordis sui. Et gemitus meus a te non est absconditus: A te non est absconditus, a multis autem hominibus absconditus est. Videtur aliquando humilis seruus Dei dicere, & gemitus meus a te non est absconditus. Videtur aliquando, & ridere seruus Dei, sed desiderium eius & gemitus eius licet non semper perueniat ad aures hominum, sed nunquam recedit ab auribus Dei.

17 In Psal. 89. IDEM explicans illa verba; Quoniam tu Domine adiuuisti me, & consolatus es me, sic habet: Consolatus es me in tristitia. Populus meus, qui vos fœlices dicũt in errorem vos mittunt. Sicut Apostolus Iacobus, ait: Iac. 4. Miseri estote, & lugete, risus vester in luctum conuertetur. Vtique regio ista scandalorum est, & tentationum, & omnium malorum, vt gemamus hic, & mereamur gaudere ibi, hic tribulari, & consolari ibi, & dicere: quoniam Psal. 114. ecce eripuisti animam meam a laqueo, oculos meos a lachrymis, pedes meos a lapsu: quoniã placebo Domino in regione viuorum. Ista regio mortuorum est. In regione mortuorum, labor, dolor, timor, gemitus, suspirium. Nunc quia miser es Dominum audi dicẽtem; beati lugentes? O beati lugentes. Nihil tam cõiunctum miseriæ, quàm luctus nihil tam remotum, & contrarium miseriæ, quàm beatitudo. Tu dicis lugentes, & tu dicis beatos? Lugentes in re, beati autem in spe. Etenim lugent in morte ista, in tribulationibus istis, in peregrinatione ista. Et qui agnoscunt se esse in ista miseria, & gemunt, beati sunt.

18 In Ps. 118. IDEM explicans verba illa; Conuerte Domine captiuitatem nostram, sicut torrens in austro dicit: Vita humana, quam ingressi sumus, misera est, laboribus plena, doloribus, ærumnis, tentationibus. Nolite seduci gaudio rerum humanarum, flenda in rebus humanis aduertite. Poterat ridere prius puer, qui nascitur? Quare a fletu incipit viuere? Ridere nondum nouit, quare plorare iam nouit? Quia cœpit ire in istam vitam. Sed si de illis captiuis est, hic & gemit, sed veniet gaudium. Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. In ista vita, quæ plena est lachrymis seminemus. In lachrymis seminatis, in gaudio metetis, euntes ibant, & flebant mittentes semina sua. Venientes autem venient portantes manipulos suos, coronam, scilicet gaudiorum, & exultationis in resurrectione mortuorum.

19 IDEM sic habet; Scitote fratres, quòd post

Ser. 11. ad fratres in eremo, qui est de lachrymis. tom. 10. post mundi gaudia sequentur æterna lamenta, quia nemo potest hic, & in futuro gaudere. Exul es patriæ cęlestis, sed si hic ploraueris, iã patriæ cęlestis ciuis constitueris. Beati, inquit, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sed dicet quis: Quid flere oportet, & quare flere debemus? Flere debemus peccata, quæ commisimus. Iste enim fletus sit panis noster, quem quotidie comedere debemus die, ac nocte. Flere etiam debemus populorum peccata, quasi nostra vulnera. Sic enim Paulus faciebat, dum clamabat. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Flere etiam debemus de dilatatione regni æterni, quod bene attendebat ille propheta Dauid, qui dicebat: Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Iste sunt tres miseriæ, quibus texitur liber Hieremiæ, quibus plangit peccata animæ, insultum miseriæ, & dilationem patris. Hõrum fletuum imbribus debemus irrigare terram mentis nostræ, vt pariat fructus bonorum operum, diuersosq. flores virtutum. Isti quoque fletus sunt tres fluuij, per quos filij Israel transierunt ad terram promissionis. Vere peccatores ex Aegypto vitiorum exeunt, mare rubrum trãseuntes, dum submerguntur hostes, & vitia suffocantur. Vere cantant Domino gloriose, dum intrantes cælestem Hierusalem, deposita corruptibili veste sanctis Angelis sunt sociati. O monache, fac vt mens tua sit liber, quem vidit Ezechiel, in quo scriptæ erant lamentationes, & væ. O monache ad has lamentationes te conuertas, hos dolores amplectere cunctis diebus vitæ tuæ, flendo tua peccata, & proximi. Caueto tamen ne fleueris mortem corporalem alicuius, nec substantiarum amissionẽ, nec corporis infirmitatem. Ponas te in Dei voluntate, quicquid tibi acciderit libẽter suscipe. Quotidie fleas peccata tua, & aliena. Sic enim peccatrix illa Maria, non solũ in domo Simonis, sed etiam post aduentus Sancti spiritus, hoc idem ardenter perfecit. Semper enim dolebat semper in vita sua flebat, quę commiserat. Sic fecit & Maria mater Domini, quæ dum iuxta crucẽ staret non sua peccata flebat, quæ nulla habebat, sed flebat non tantum filij passionem, sed & Iudæorum damnationem. Sed dices mortuum fratrem, vel amicum video, naturalis infirmitas me inuitat ad planctum. Ego autem dico tibi monache, tempera luctum tuum. Non enim tuum est, mortuos flere, sed sęculi. Non tamen prohibeo lachrymas naturales, quas naturalis necessitas exprimit. Depone quantum potes, si vis in æternum viuere, fletum pro terrenis, & assume lamentum pro cęlestibus: Beati inquit, qui fletis, quia ridebitis. Diligamus igitur lachrymas, quia suaues sunt diligẽtibus Deũ. Delectemur igitur semper in hac infirma vita in fletu, & lamento, simus tantum proni ad lamentum, & fletum, quantum suimus ad culpam audaces. Holocaustum medullatum est cor peccatoris humiliatum, & quotidianis lachrymis rigatũ. Grauia peccata grauissimis lamentis indigent. O monache punge oculũ

Exo. 14.

Ezec. 2.

Luc. 7.

Ioan. 19.

20

mentis, vt lachryma prodeat compunctionis. O cõpunctio, quàm sancta, & mirabilis prædicaris, tu spiritale lauacrum es, tu stimulus per quem Deus ad hominem inclinatur, tu ligamẽ per quod Deus fortiter astringitur. O cõpunctio lachrymosa, o lachryma mentem purgãs, intentionẽ fœcundans, confessionẽ irrigãs, animã sanctificans. Hæc est lachryma sanctæ compunctionis soror, quæ motus illicitos extinguit, paradisum aperit, infernum claudit, mundumq. despicere in cunctis facit. O felix lachryma, tu carnalem cogitationem extinguis, peccatorum morbum expellis, virus culpæ euomis. O fœlix tabula? O vitalis nauicula, per quàm naufragus redire potest ad portũ salutis. O aqua salutaris, per quàm omne peccatum destruitur. O via per quam ad paradisum gradimur. O fœlix lauacrum lachrymarum, quod toties vales ad purgandum, quoties purgatione indiget cor humanũ. Hęc est fratres mei herba cęlestis illius fullonis, qua vestes seruorum suorum deturpatas, a sorde quotidie purgat. Hoc est cęleste nitrum, quod de rore diuinæ gratię confectum abstergit maculas peccatorum. Hoc est lixiuium quo interioris hominis caput optime abluitur. O lachryma tu contra ruinas hominum suaue solatium, quæ passionis Christi es vicaria. O monache ergo ad lachrymas, quis cõtinere se poterit? Intremus obsecro conscientias nostras, etsi risimus in iuuentute, saltem in senectute fleamus, cogitantes quid Christo, & quid diabolo tẽpore nostræ iuuẽtutis persoluimus.

21 Lib. 9. Moral. cap. 19. tom. 2. GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 9. si lotus fuero, quasi aquis niuis, & fulserint velut mundissimæ manus meæ, tamen sordibus intinges me, sic habet: Aquæ niuis sunt lamenta humilitatis. Quæ profecto humilitas, quia ante districti iudicis oculos cæteris virtutibus præminet, quasi per magni meriti colorem candet: sunt nanque nonnulli, qui lamenta habent, sed humilitatem non habẽt, quia afflicti plãgunt, sed tamen in ipsis fletibus, vel contra proximorum vitam superbiunt, vel contra ordinationem conditoris eriguntur. Hi nimirum aquas habent, sed niuis aquas non habent, & mũdi esse nequeunt, quia humilitatis flectibus minime lauantur. Aquis autem niuis a culpa se lauerat, qui confidenter dicebat: Cor contritum, & humiliatũ Deus non spernit. Qui enim lamentis affligũtur, sed murmurando rebelles sunt, mentẽ quidem conterunt, sed humiliari contemnunt. Quamuis & aquę niuis intelligi aliter possunt. Aqua enim fontis, & fluminis ex terra oritur, aqua verò niuis ex aëre prorumpit, & sunt pleriq. qui per lamenta se cruciant, sed tamen totis lamentorum laboribus ad sola terrena desideria exudant, compunguntur in precibus, sed fœlicitatis transitorię gaudia requirunt. Hos itaq; niuis aqua nõ abluit, quia eorum fletus abimis venit. Quasi enim ex terræ aqua perfusi sunt, qui pro terrenis bonis in precibus cõpungũtur. Qui verò idcirco plorãt, quia æterna præmia desiderãt, aqua niuis hos diluit, quia cælestis

Psal. 50.

stis cõpunctio infundit. Nã cũ perennẽ patriã, per lamenta appetunt, eiusq. accensi desiderijs plangunt, a summis accipiũt, vnde mũdentur.

22 Homil. 20. in Ezech. tom. 2. Cap. 40. IDEM exponens verba illa, in quibus loquitur de porta, quę respiciebat ad aquilonẽ, & dicit: Ibi lauabant holocaustum, sic habetur: Qui se per fidẽ in conuersatione sancta, Domino deuouerunt, holocaustũ Domino facti sunt. Sed quia adhuc multa in se de corruptibili sua carne patiuntur, quia adhuc in eis cordis munditia sordidis cogitationibus inquinatur, quotidie ad lachrymas redeũt, assiduis fletibus affliguntur. Sanctorum enim patrum dicta, & facta considerant, & cum se indignos pensant, in portarũ ostio holocaustum lauant. Infra: Sciendum nobis est, quia sunt quidã, qui etiam sęculum relinquẽtes totũ quidem, quod habẽt offerunt, sed tamẽ in bonis, quæ agunt minime cõpunguntur, & bonũ, quod agunt holocaustũ est. Sed quia flere, ac semetipsos dijudicare nesciũt, seq. ex amore ad lachrymas nõ accẽdũt, perfectum eorum holocaustum non est. Hinc
Psal. 19. per psalmistam dicitur: Memor sit omnis sacrificij tui, & holocaustum tuum pingue fiat. Holocaustum quippe siccum est bonum opus, quod orationis lachrymæ nõ infundunt. Holocaustum verò pingue est, quãdo hoc, quod bene agitur, corde humili etiam per lachrymas irrigatur. Vnde rursum dicitur: Holocausta
Psal. 65. medullata offeram tibi. Quisquis enim bonum opus agit, sed omnipotẽtis Dei amore, atq; desiderio flere nescit, holocaustum habet, sed medullã in holocausto non habet. Qui verò bona operatur, & visioni iã sui creatoris inhiat, seq. ipsum ex amore, quo accẽditur, in fletibus mactat, holocausta Domino medullata dedit. Cõsideremus opus nostrũ, quale sit, quæ cogitatio in opere, quæ intentio in cogitatione: & cũ nostro bono operi admixtum aliquid malitiæ, vel pravæ cogitationis videmus, redeamus ad lachrymas, lauemus holocaustũ. Infra: Iusti per vitã, quam tenent holocaustũ sunt, sed per vitam malã, quam ante tenuerũt, inquinatum. Lauãt ergo holocaustum in ostio portarũ, quia lamẽtis se quotidianis afficiũt, & mundãt vitã lachrymis, quã pravis aliquãdo actibus inquinauerunt. Ecce patientiã nos seruare decreuimus. Sed adhuc ira perturbat, si mentẽ tacitus dolor excruciat, redeamus ad lachrymas, lauemus holocaustum. Magnus est etenim creatori nostro ad recipiendos fletus humilium misericordiæ sinus. Vbi enim innumerabilium hominum fletus suscepti sunt, ibi locum suum inuenturæ sunt & lachrymæ nostræ.

23 In Serm. 1. omniũ sanctorum. Matt. 3. BERNARDVS exponẽs verba illa; Beati qui lugent, quoniã ipsi consolabũtur, inquit: Equũ indomitũ flagella domant, animã immitẽ contritio spiritus, & assiduitas lachrymarũ. Ergo in omnibus operibus tuis memorare novissima tua, mortis horrorẽ, iudicij timẽdũ discrimen, ardẽtis gehẽnæ metũ ab oculis cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miseriã, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ, cogita vitæ humanæ pericula, cogita fragilitatẽ propriã, & in hu

iusmodi cogitatione, si perseueraueris, dico tibi parum senties, quidquid foris videtur esse molestũ, dum toto corde, circa interiorẽ molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine cõsolatione te esse, quoniã pater misericordiarũ est, & Deus totius consolationis, & cõplẽbitur omnino quod veritas pollicetur. Beati qui lugent, quoniã ipsi cõsolabuntur. Concordat etiã huic sententiæ etiã illud, quod in Salomone legisti, melius est ire ad domum luctus, Eccli. 7. quam ad domũ conuiuij. Propterea beata esses Eua si post culpã consolationẽ quęreres lachrymarũ, & veniam citius obtineres. Nunc autem miserrimã quæsisti consolationẽ de simili casu viri tui, & veneno pessimo totam infecisti posteritatem tuam, vt vsque hodie perditionem alterius alter suam reputet consolationem. Misera hæc consolatio, sed beati qui lugent: quoniam ipsi consolabuntur.

Lex naturalis indita cordi, noua autem & vetus valde inter se differunt. Cap. III.

1 Homil. 7. in Exo. to. 1. ORIGENES sic habet; Ex diuinis scripturis apparet, Q in die dominica primo in terris datum est mãna, & sabbato non pluit manna de cælo, vt intelligant Iudæi, iam tunc prælatam esse dominicã Iudaico sabbato, iam tunc indicatum, quod in sabbato ipsorum gratia Dei ad eos de cælo nulla descenderit. Dicit enim, & alibi prophe-
Osee 3. ta: Diebus multis sedebunt filij Israel, sine rege, sine principe, sine propheta, sine hostia, sine sacrificio, sine sacerdote. In nostra enim dominica die semper Dominus pluit manna de cælo. Ideo nos fœlices, qui tale manna suscepimus. Illi non manducant, quod est minutum in similitudinem coriandri. Nihil enim in verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil tenuiunt spiritale, sed totum pingue, totum crassum, incrassatum enim est cor populi illius.

2 Lib. 7. in epist. ad Romanos. to. 3. IDEM exponens verba illa cap. 9. Quia verbum breuiatum faciet Dominus super terram, inquit: Verbum breuiatum, vbi multi sunt vocati, pauci vero electi. Possumus autem & totius doctrinæ verbum dicere breuiatum, vt quod prius lex, & prophetæ continebant in latitudine præceptorum, veniens Dominus pronuntiaret, & diceret: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum, sicut teipsum. In his duobus mandatis pendet omnis lex, & prophetæ. In quo euidenter prophetas, & legem duobus his sermonibus breuiauit. Infra: Quid ergo dicemus, quòd gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Gentes Rom. 9. non sectari iustitiam dicuntur. Sectari dicitur ille, qui per doctrinam, & lectionem multam assequi aliquid potest. Vnde & a sectando sectæ appellatæ sunt huiusmodi doctrinæ, quæ hominum traditione discuntur. Gentes verò, quia

quia legem tabulis, vel libris, sic scriptam non habuerunt, non dicuntur sectatę esse iustitiam. Habuerunt tamen insita, quæ lex eos naturalis edocuit. Israel verò sectando legem iustitię, in legem iustitiæ non peruenit. Quia sectando legem iustitiæ secundum litteram, in legem non peruenit spiritus.

3 Homil. 7. in 1. epist. Pauli ad Cor. to. 3. CHRYSOSTOMVS ait: Quod magna librorum sacrorum copia perijt tepore captiuitatis Babylonicæ, & pauca ex priori captiuitate volumina extiterunt. Paulus autẽ vtpote legis peritus, & a spiritu locutis credibile est omnia proculdubio cognouisse. Et quid ego captiuitatem memoro? Nam etiã ante captiuitatem multa abolita sunt librorũ volumina, cum Iudæi in vltimã prolapsi sunt impietatẽ. Liber enim Deuteronomij vix maiorũ nostrorum temporibus inuentus est in luto obrutus. Ideo Paulus in suis epistolis multa adducit loca voluminũ, quæ non reperiuntur. Infra:
Exec. 20. De Iudaicis præceptis, dicit Propheta: Dedit eis præcepta non bona. Non bona, hoc est, nihil magnum ad virtutem proficiẽtia. Ideo ait, iustificationes, in quibus non viuent. Leges multas instituit, quibus eorum compesceretur licentia, & pro quodam frẽno eis datas ad nullam autem perfectam virtutem ducentes.

4 Homil. 12. ad pop. to. 5 IDEM ait: Ab initio Deus hominem formans, legem ipsi naturalẽ indidit. Et quid tandem est lex naturalis? Conscientiam nobis expressit, & per se discibilem constituit bonorũ, & contrariorũ scientiam. Non enim opus habemus discere, quod malũ est fornicatio, & bonum continentia, sed ab initio hoc scimus. Et vt discas quod ab initio hoc scimus, legislator
Exo. 20. et Deut. 5. postea leges sciens, & dicens: Non occides, nõ intulit, malum enim cædes, sed simplicem non occides, inquit: Prohibuit enim peccatum nõ docuit. Quare igitur qui dixit, non occides, non addidit, quod malum cædes? Quoniã prẽueniens conscientia nos hoc docuit, & tanquã scientibus, & intelligẽtibus ita loquitur. Nec inde tantũ, sed aliunde vobis demonstrare conabor, quomodo per se docilis erat homo ad virtutis cognitionẽ. Primum Adam patrauit peccatum, & post peccatum statim se occultauit. Neq; enim erant litteræ, nõ lex, non Moyses, vnde igitur nouit peccatum, vt se absconderet? Nec tantum se celat, sed accusatus in
Gen. 3. alium conatur transferre causam, dicens: Mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi, & illa crimen transfert in serpentem. Rursum in Cain & Abel, idem videre licet, qui primitias Deo ferebant laborum suorũ. Quod homo peccatum esse malũ iam sciret, demonstrauit Adam, quod autem virtutem etiam esse bonũ iam sciret, demõstrauit Abel. Non enim ab vllo discens, neq; legem de primitijs differentem audiens, sed a cõscientia doctus, sacri-
Rom. 2. ficiũ illud obtulit. Infra: Quæ dixerat ostendit testimonio Pauli dicentis: Cũ enim gentes quæ legẽ non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem nõ habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis. Quomodo sine litteris? Testimonium reddente illis conscientia ipsorũ, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus. Et iterum: Quicunque sine lege peccauerunt, sine lege peribunt. Quid est sine lege peribunt. Non lege accusante, sed conscientia & cogitationibus: si verò legem non habuissent cõscientiæ, nec ipsos perire peccantes oportebat. Sine lege autem dicit, quia legem non habebant scriptam, bene tamen habebant naturæ legem.

5 Lib. 9. in c. 30. Isa. to. 4. HIERONYMVS exponens verba illa; Et dabit vobis Dominus panẽ arctum & aquã breuem, sic habet: Si hæc verba ad Saluatoris referantur aduentũ; panis arctus, & aqua breuis, iuxta Apostolum Paulum, & hunc eundem Isaiam Euangelicus sermo prędicitur; qui pro laciniosis legis obseruationibus, atq; mandatis in vno verbo recapitulauit omnia, Diliges Gal. 5. proximum tuum sicut teipsum. Consummatũ enim & abbreuiatum sermonẽ fecit Dominus super terrã. Et subdit: Et non faciet vltra auo lare a te doctorem tuum. Cum Dominus credentibus dederit panem arctũ, & aquam breuem credẽtibus, nequaquam vltra faciet auolare ab eis illum, qui docet hominem scientiam, sed semper videbunt oculi eius præceptorem suum.

6 Li. 2. in c. 7. Micheæ. to mo 5. IDEM exponens verba illa; Pasce populum tuum in virga tua, inquit: Quia populus Israel duræ ceruicis erat, & semper carnes Ægyptias suspirabat, vsus est Moyses non solum aduersus Ægyptios quos percussit decem plagis, sed aduersus populum in solitudine virga legali, virga percutiẽte; & omnia vasa testea, & fragilia confrigente, Apostolis autẽ Domini Saluatoris, qui sapientiam loquebantur inter perfectos, virgã excussam esse de manibus, quia perfecta dilectio foras mittit timorem. Quia Dominus loquebatur carnali Israel: idcirco dictum est de eo, vt pascat in virga populum & gregem suum, Apostolis autem virgam excussam esse de manibus, & seueritatem legis Euangelij clementia temperatam.

7 Li. 2. in c. 3. Abacuc. IDEM explicãs verba illa; Denudasti fundamenta vsq; ad collum, inquit: Septuaginta sic verterunt, suscitasti vincula vsq; ad collum in finem. Suscitauit Dominus vincula charitatis, vt priori onere depositio, & grauissimo iugo, quo premebantur Iudæi in lege abiecto, leue Christi susciperemus iugum.

Epistol. 72. quæ est ad Irenæum. to. 5. AMBROSIVS ostendit quapropter pleraq; in lege præcepta sint, quæ per Euangeliũ vacuata videntur, & ait: Quid ergo causæ sit, consideremus nõ enim otiosè dixit Apostolus. Gal. 3. Quia lex pædagogus noster fuit in Christo. Pædagogus, cuius est maturioris an adolescentis & pueri, hoc est ætatis infirmæ? Pædagogus sicut etiam latina interpretatio habet, doctor est pueri, qui vtique imperfectæ ætati non potest, non potest perfecta adhibere præcepta, quæ sustinere non queat. Denique per prophetam Deus legis ait: Dedi eis præcepta nõ Ezec. 20. bona, hoc est, non perfecta. Idem autem Deus

Euangelio perfectiora seruauit. Quæ igitur istius causa distantiæ nisi humana varietas? Sciebat duræ ceruicis populum Iudæorum, lapsum humilẽ, perfidiæ promptiorem, qui aure audiret, & non audiret, oculis videret, & non videret, lubrico quodã infantiæ leuem, & immemorem præceptorũ, & ideo legem tãquam pædagogũ mobili plebis ingenio, & menti adhibuit infirmç, ipsaq. legis præcepta moderatus aliud legi voluit, aliud intelligi, vt insipiẽs saltem quod legeret custodiret, & a præscripto literæ non recederet, sapiens intelligeret diuinæ mentis sententiam, quàm littera nõ resonaret, insipiens seruaret legis imperium, prudẽs mysterium. Ideo lex seueritatem gladij habet tanquam pædagogus bàculum, vt imperfectæ plebis infirmitatem pœnæ saltem denuciatione deterreat. Euangelium autem indulgentiã habet quo peccata donãtur. Iure ergo ait Paulus, quia littera occidit: spiritus autem viuificat. Littera occidit exiguam corporis portionem, spiritus intelligẽs circuncisionem totius animæ corporisq. custodiat; vt superfluis amputatis vitia resecentur, & virtutes diligãtur. Signum igitur circuncisio corporalis, veritas autem circuncisio spiritualis est. Illa mẽbrum amputat, ista peccatum. Ergo sicut pueris ita Iudæis mandata sua non plena præcepta, sed ex parte, & velut vnam membri sui partem mundam seruare præcepti sunt, qui totum corpus suum mundum seruare non poterant. Sabbati quoque ferias vno die in hebdomada celebrare iussi sunt, vt nulli oneri subderentur, quia mundanis operibus absoluti vtinam sic abissent, vt in illud perpetuum futurorum sabbatum sęculorum, nulla secum grauium veherent onera delictorum. Sed quia lubricum populum Deus nouerat, partẽ infirmioribus diei vnius obseruatione præscripsit, plenitudinem fortioribus reseruauit, synagoga diem obseruat, ecclesia immortalitatẽ. In lege igitur portio, in Euangelio autem perfecto est. Populus Iudæorum ligna portare prohibetur. Hic præcipit Deus diuitibus, vt relinquãt ligna sua, vt onus suum futuro incendio incrementum non addat. Tanquã perfectus eruditus in lege, confirmatus in Euangelio vtriusque fidem suscipe testamẽti. Beatus enim qui seminat super omnem aquam, vbi bos & asinus calcat. Hoc est, qui sequuntur testamẽti vtriusque doctrinam. Bos est ille aratorius, iugum legis portans, bos habet cornua plena terroris, Taurus ferociam habet, Asinus mansuetudinem in vtroque autem hoc vtriusq; legis intelligitur differentia.

2. Cor. 3.

Isa. 32.

9 Serm. 21. in psalm. 118. to. 2.

IDEM explicans verba illa; Pax multa diligentibus legem tuam, inquit: Lex vetus non potuit introducere populum in terrã promissionis in cælum. Lex pacem non potuit dare, ideo Moyses, qui illius fuit figura quoad vixit semper præliatus est. Sẽper legis populus versatus in ancipiti bellorum est. Iesus autem naue plebis animos prõfunda pace composuit: quoniam qui sub lege est agitatur incertis, qui sub Euangelio audit, dicentem: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

10 In ca. 7. ep. ad Roman. to. 3.

IDEM explicans verba illa; Scimus quod lex spiritalis est, inquit: Legem Moysi spiritualem vocat, quæ quia peccare prohibet spiritalis est, quippe cum visibilia atque carnalia coli prohibeat. Hæc ad cõmendationem legis pertinent, ne culpa digna putaretur, quia seueritatem exercuit in peccatores. Lex spiritualis est, hoc est firma & iusta, & caret culpa. Infra: Lex spiritus vitæ, in Christo liberauit me a lege peccati. Lex spiritus vitæ ipsa est lex Euangelica. Nam & Moysi lex spiritalis est, quia prohibet peccare, non tamen vitæ, quia reis mortis peccata remittere non potest, vt viuificet mortuos. Hæc verò quia, & peccare non vult, & a morte reuocat, lex spiritus vitæ appellatur, quæ liberat a lege peccati, & mortis.

11 Lib. 1. quæst. ad Simplicianũ. to. 4.

AVGVSTINVS explicans verba illa Isaiæ 10. Verbum consumans, & breuians faciet Dominus super terram, inquit: Hoc dixit propheta, vt compendio fidei per gratiam saluos faciat credentes, non per innumerabiles obseruationes, quibus illa multitudo seruiliter onerata premebatur. Per gratiam quippe nobis verbum consummans, & breuians fecit super terram, dicens: Iugum meum suaue est, & onus meum leue.

12 Lib. 22. contra Faustũ Manichæum to. 6.

IDEM docens illud vulgatum, quod peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam ait: Lex æterna est ratio diuina, vel voluntas Dei ordinem naturalem cõseruari iubens, perturbari vetans. Quisnam igitur sit in homine naturalis ordo quærendum est. Constat enim homo ex anima & corpore. Nulli autem dubium est animã corpori naturali ordine præponendam. Verum animæ hominis ineſt ratio. Proinde sicut anima corpori, ita ipsius animæ ratio ceteris eius partibus, quas habent & bestiæ, naturæ lege præponitur, in qua ipsa ratione contemplatio præcellit. Nos pro modulo infirmitatis nostrę secundum æternam legem viuimus, qua naturalis ordo seruatur, si viuamus ex fide non ficta, quæ per dilectionem operatur. Homo ergo subdat sibi, quod habet commune cum bestijs, subdat Deo, quod habet commune cum angelis.

13 Lib. 2. cõtra aduersarium legis & prophetarum.

IDEM explicans verba illa 2. Corinth. 3. Quòd si ministratio mortis litteris formata in lapidibus fuit, in gloria, &c. quare non magis ministratio spiritus erit in gloria? inquit: Ministrationẽ mortis vocat Apostolus legẽ Moysi, quia littera occidit, spiritus autẽ viuificat. Lex enim quamuis iusta, & sancta, & bona, prẽuaricatoribus intulit mortem, quos Dei gratia non adiuuit ad iustitiam legis implendam. Oportebat enim, vt in testamento veteri lex imponeretur superbis, & de suæ volũtatis virtute fidentibus, quæ non daret iustitiam, sed iuberet, ac sic morti prævaricationis implicati ad gratiam confugerent, non iubentem tantummodo, sed iuuantem, quæ nouo testamento est reuelata. Legẽ distinguimus a gratia,

tia, eo quòd sub illa elidantur elati, sub ista erigantur elisi, & quod illa in tantum bona sit, vt bona iubeat, hæc intantum, vt bona conferat, illa iustitiæ facit auditorem, ista factorem. Et ideo sub illa peccator, insuper etiam prævaricator amissa excusatione ignorantię conuictus iacet, sub ista verò, & parcente, & opitulante, nec quia mala est operatus extinguitur, & vt bona operetur accenditur. Quid ergo mirum si illa dicta est ministratio mortis, vbi litera occidit malum prohibendo, quod fit, & bonum imperando, quod non fit; ista verò dicta est ministratio spiritus vtiq; viuificantis, vt a prævaricationis morte surgamus, & iustitiam non rei legamus in tabulis, sed liberi in cordibus, & in moribus habeamus. Hoc est testamentum nouũ distans a vetere, quia ibi vetus homo formidinis coarctatur angustijs, hic nouus homo spatiatur latitudine charitatis. Infra: Gloria autem vultus Moysi, & claritas dicitur euacuari, quia quæ in vmbris tradita erant Iudæis in veteri testamento, necesse fuit euacuari reuelatione testamenti noui.

Libertas vera, & dominium, & seruitus in quo consistant, & in quibus reperiantur, & sint. Cap. IIII.

1 Homil. 4. in Exo. vbi loquitur de decem plagis Aegypti. tom. 1.

DIXIMVS de re hac lib. 4. cap. vlt. Quibus addẽda sunt hæc, Origenes in primis, inquit: Quòd autẽ locustarũ, in octauo loco fit mẽtio, puto per hoc genus plagę dissidentis semper a se, discordãtisq. humani generis incõstantiam confutari. Locusta enim cũ regẽ non habeat, sicut scriptura dicit, vna acie ordinatũ ducit exercitũ, homines verò cũ rationabiles a Deo facti sint, neque semetipsos ordinate regere potuerũt, neq; Dei regis patienter moderamina pertulere.

2 Lib. 2. aduersus Iouinianũ. to. 2.

HIERONYMVS sic habet; Hebręus in septimo anno liber efficitur. Hoc non de presenti sęculo dicitur, sed de futuro, quia in sex diebus huius sęculi seruientes, in septimo die verò, & æterno sabbato liberi erimus. Si tamen voluerimus esse liberi, dum adhuc seruimus in sęculo. Si autem noluerimus perforabitur nobis auricula in testimonium inobedientiæ, & cum vxore, & liberis nostris, quos prætulimus libertati, ideſt, cum carne, & operibus eius iugiter seruiemus.

3 Lib. 2. Epistolarũ epistola 7. ad Simpliciannum, in qua disputat de vera libertate. & seruitute elegan ter. tom. 5.

AMBROSIVS sic ait: Hæc epistola de sententijs est Pauli Apostoli, qui nos a seruitute in libertatem vocat, dicens: Precio empti estis nolite fieri serui hominum, ostendens libertatem nostram in Christi esse sapientia. Quæ sententia magno a philosophis fluctuata, atque iactata est disputationis molimine dicentibus; quia omnis sapiens liber, omnis autem insipiens seruiat. Vnde tamen hoc plenius hauserit philosophia consideremus. Nonne primus Noe, cum aduertisset, quia insipienter filius suus Cham riserat nudatum patrem, maledixit ei, dicens: Maledictus Cham. Seruus erit fratribus suis, & præposuit ei fratres eius Dominos, qui sapienter patris senectutem honorandam putarunt? Nonne etiam fons ille disciplinarum omnium Iacob vbertatem disputationis eius omnium pectoribus infudit, qui sapientiæ merito prælatus est fratri semori? Vnde pater pius, qui inter duos alios affectu disceptabat paterno, benedixit Esau, vt seruiret fratri suo, ostendens ita deteriorem esse seruitute insipientiam, vt remedio ei seruitus sit, quia stultus regere se non potest, & nisi moderatorem habeat præcipitatur proprijs voluntatibus. Diligens ergo pater & consulens, seruum eum fratris sui fecit, vt eius regeretur consilio. Imposuit igitur insipienti velut indomito iugum, & cui in gladio suo viuendum dixerat, libertatem negauit, ne temeritate laberetur, præfecit ei fratrem, cuius authoritate, & moderatione subiectus proficeret ad conuersionem. Primo ei iugum imposuit necessitatis, postea benedictionem ei voluntariæ subiectionis impertiuit. Non igitur natura seruum facit, sed insipientia, nec manumissio liberum, sed disciplina. Denique Esau liber natus est, & seruus factus est. Ioseph venditus in seruitutem est, & electus est ad potestatem, vt suis emptoribus imperaret. Vnde pulchre psalmista ait: In seruum venundatus est Ioseph, humiliauerunt in compedibus pedes eius, non animam eius. Quomodo enim humiliata est anima, de qua dicit, ferrum pertransiuit anima eius? Nam cum aliorum animas peccatum transeat (ferrum enim peccatum est, quod est penetrabile) Ioseph sancti anima, ita non patuit peccato, vt magis peccatum ipsa penetraret. Denique nec herilis illecebræ flexus est delinimento, quia eloquium Domini inflammauit eum, quo extinxit ignitas diaboli sagittas. In seruum venundatus est, non seruus factus. Quomodo hic seruus, qui erudiuit principes populi in illa frumentaria dispensatione, vt futuræ inopiæ consulerent, & declinando prouiderent? Aut quomodo seruus, qui totam terram acquisiuit, & vniuersum populum Aegyptiorum in seruitutem redegit? Non fecit ergo eum seruum venditio. Verum si pretium spectes, multos inuenies, qui emeruntsibi puellas formæ elegantioris, quarum amore capti turpi seruitio se dederunt. Deniq; famulo sapienti multi (vt scriptum est) seruiunt liberi, & est seruus intelligens, qui regat Dominos stultos. Sola est sapientia libera, quæ diuitibus pauperes præficit, & quæ seruos proprijs fœnerare Dominis facit, fœnerare non pecuniã, sed intellectum: Fœnerare talentum illius dominici æterniq. thesauri. Liber est ergo, qui sapiens est, pretio emptus oraculorum cælestium, & sanguinis Christi, & gratiæ liber est ille, qui progrediens in bellum, si viderit mulierem bonam aspectu, & depredatus opes inimicorum suorum repertam illic con-

Gen. 9.

4

Psal. 104.

Eccli. 10.

5

Isa. 55.

cupierit eam demptis superfluis, & indumẽto captiuitatis detracto, in vxorem eam sibi copulauerit, iam non seruã, sed liberã; intelligit enim famulatui disciplinam non subiacere. Ideoq. lex dicit: Non venundabitur pecunia. Ille liber, qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est, legem sciens naturæ præscriptam esse moribus non conditionibus. Vnde vere ait Scriptura; Quia pauperes diuitũ prępositi erunt, & priuati vtique administrãtium. An tibi liber videtur, qui popularibus auris mouetur? Ille qui reformidat sibilum vulgi? Sed non ita libertas, sed virtutem libertatem esse arbitror, quæ non suffragijs defertur alienis, sed magnanimitate propria vẽdicatur, ac posidetur. Sapiens ergo liber, quia qui ea facit, quæ vult, liber est, si ea bona sint: sunt autẽ bona quæ sapiens facit. Etenim qui neque cogi potest, neque prohiberi, is nequaquam seruus. Sapientis autem est, neque cogi, neq; prohiberi. Liber igitur est sapiẽs. Apostolus quoque sic definit, dicens: Non sum liber? non sum
1.Cor.9. Apostolus? Sed adeo liber, vt cũ subintrassent quidam tentare libertatem eius, nec ad horam (vt ipse ait) cederet subiectioni, vt veritas Euangelij prædicaretur. Liber itaque secundum
Gal.5. Apostolum sapiens. Vnde & ipse clamat: In libertatem vocati estis, tantum ne libertatẽ in occasionẽ carnis detis. Docuit me tamen Apostolus, quod vltra ipsam libertatẽ sit, vt & seruire libertas sit. Cum liber, inquit, essem, omnium me seruum feci: vt plures lucrifacerem.
1.Cor.9. 6 Quid est vltra libertatem, nisi habere spiritum gratiæ, habere charitatem? Libertas enim liberum facit hominibus, charitas amicũ Deo. Bona charitas, de qua dicitur: Per charitatem spiritus seruite inuicem. Seruiuit & Christus, vt omnes liberos faceret. Formã serui accepit, & omnia omnibus facts est, vt omnibus salutem afferret. Est ergo sapienti & seruire libertas. Vnde colligitur, quia stulto & imperare seruitus est, & quod peius est cum paucioribus prẹsit, pluribus dominis & grauioribus seruit. Seruit enim proprijs passionibus, seruit cupiditatibus suis, quarum dominatũ, nec nocte potest fugere, nec die, quia intra se dominos habet, intra se seruitium patitur intolerabile. Gemina enim seruitus est, altera corporis, animarum altera. Domini autem corporis quidem homines, animarum autem malitiæ & & passiones, a quibus sola animi libertas sapiẽtem vendicat, vt seruitio ei liceat exire. Quæramus igitur illum verè sapientem, verè liberum, qui quamuis sub plurium hominũ dominatu degat, liber dicit: Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die.
1.Cor.4. Qui enim iudicat me, dominus est. Vera libertas hominis spiritualis, quia dijudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur, sed soli Deo se subditum nouit. Quis est qui sophoclea in medium ferat carmina dicentia:

Iuppiter mihi præest, nullus autem hominum.

Sapiens qui liber est, insurgit quasi victor debellatis a se ac triumphatis libidinis, timoris, ignauiæ, tristitiæ, ceterisq. vitijs donec ea de possessione suæ mentis eliminet, & omnibus terminis, finibusq. suis propulset ac arceat. Dicit iustus, quia nec angustijs, nec persecutio 7
nibus, nec fame, neque periculo mortis terretur. Qui verò hæc timet, qui mortem reformidat, quomodo non seruus? Seruit profecto, & miseram quidem seruitutem. Vide quàm seruus? Abscondã me inquit, & ero vagus & pro- Gen.4.
fugus in terra, & quicunq; inuenerit me, occidet me. Itaq; quasi seruus signum accepit, nec sic tamen necem potuit euadere. Seruit igitur peccator formidini, seruit etiã cupiditati, seruit auaritiæ, seruit libidini, seruit iracundiæ, & videtur huiusmodi sibi liber? Sed magis seruit quàm si sub tyrannis positus. Quàm miserum igitur, vt qui nascimur in libertate, moriamur in seruitute. Infra: Non liber ille, cui dominatur ira, subijcitur enim iugo peccati. Qui Ioan.8.
facit peccatũ, seruus est peccati. Sed ille liber 1.Cor.6.
qui potest dicere, omnia mihi licent, sed ego sub nullius redigar potestate. Infra: Insipientis in libertate ruina vehemẽtior est. Recidenda igitur insipienti potestas, nõ adijcienda libertas est. Seruitus enim ei conuenit. Vnde dicitur: spinæ nascũtur in manu ebriosi, seruitus autem in manu imprudentis. Quia sicut ille suis vulneratur poculis, ita insipiẽs suis factis trahitur in seruitutem. Videbat se Paulus Rom.7.
in captiuitatem trahi a lege peccati, & ideo vt liberaretur confugit ad libertatis gratiã. Non sunt igitur liberi insipientes, quibus dicitur: Psal.31.
Nolite fieri sicut equus & mulus, quibus nõ est intellectus. In chamo & fræno maxillas eorum constringe, qui non aproximant ad te. Deponamus igitur tam grauem seruitutis sarcinam renunciemus luxuriæ ac delicijs, quæ nos quibusdam astringunt nexibus cupiditatũ, & vinculis ligãt. Ergo liberati a peccato, quasi pretio empti sanguinis Christi, non subijciamur seruituti hominum, vel passionum. 8

IDEM exponẽs verba illa; Et dixit Deus Libro 2. de Abrahã Patriarcha. capite 7. to. 9.
ad Abraham, postquam recessit ab illo Loth, respice oculis, & vide a loco, in quo nunc tu es Gen.13.
ad Aphricum, & aquilonem, & orientem, & mare, quia omnem terrã, quam tu vides, tibi dabo inquit: Hinc tanquam a fonte hauserũt Stoici philosophi dogmatis sententiã; omnia sapientis esse. His enim quatuor partibus, quas Deus promisit Abrahę, & semini eius, totus mundus includitur. Hæc cum promisit Deus Abrahæ quid aliud declarat, nisi sapienti & fideli præsto omnia, deesse nihil? Vnde & Salomon in Prouerbijs ait: Eius qui fidelis sit totus mundus diuitiarum. Sed forte dicas quomodo sapientis totus mundus? Quoniam ipsa natura dat illi sortem omnium, etiam si ipse nihil possideat. Domina est, & possessor sapientia, quæ sua putat naturæ munera, quoniã in vsum hominũ data sunt, nec vllis indiget, etiã si desint ei ad victũ necessaria. Cum ad imaginem Dei conditus fuit homo, dictum est ei: Crescite, & multiplicamini, & dominamini in ea, &c. 9

AVGVSTINVS exponens parabolam Matthæi

Lib. Quæst. in Matth. to.4. Matthæi 13. de thesauro abscondito in agro, ait: Pretium eius nos sumus, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidentur, venditis enim rebus nostris, nullum earum maius accipimus pretiũ, quàm nos ipsos, quia talibus implicati nostri non eramus, vt rursum nos ipsos pro illa margarita demus. Non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.

10 Exposit. in epist. ad Galatas. IDEM explicans verba illa; In libertatem vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, inquit: Ne audito nomine libertatis impune vobis peccandum esse arbitremini. Sed per charitatem seruite inuicem. Qui enim per charitatem seruit, libere seruit, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur.

11 Lib.4. de ciuit. Dei. c.3. to.5. IDEM inquit: Iustis quicquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis, sed virtutis examen. Proinde bonus etiam si seruiat, liber est, malus autem etiam si regnet, seruus est, nec vnius hominis, sed quod est grauius tot dominorum quot vitiorum. De quibus vitijs, cum ageret Scriptura diuina; A quo enim, quis inquit, deuictus est, huic & seruus addictus est. 2.Pet.2.

12 In Psal. 18. to.8. IDEM loquens de peccato superbiæ, ait: Propter hoc vitium dedignantur colla subdere iugo Christi, obligati arctius iugo peccati. Non enim seruire non eis continget, nam nolunt seruire, sed eis expedit seruire. Nolendo seruire nihil aliud agunt, quàm vt bono domino non seruiant. Non vt omnino non seruiant, quia qui noluerit seruire charitati, necesse est, vt seruiat iniquitati.

13 In Psal. 84. IDEM explicans illa verba; Auertisti captiuitatem Iacob inquit: Quæ est ista captiuitas vnde nos quærimus liberari? Puto enim neminem nostrum modo esse apud Barbaros, neque aliquam gentem irruisse armatam, & captiuos duxisse nos. Sed modo ostendo quãdam seruitutẽ in qua gemimus, & a qua quærimus liberari. Paulus illam dicit, cum ait: Rom.7.
Condelector legi Dei secundum interiorem hominem. Intus me delectat lex Dei. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, agnouimus enim captiuitatem. Quis nostrum est, qui nolit se de ipsa captiuitate liberari? Infœlix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum. De hac gratia hic dicitur Christo Domino: Auertisti captiuitatem Iacob. Attendite captiuitatem Iacob, attendite quia hoc est, auertisti captiuitatem nostram, non liberando a Barbaris, in quos nõ incurrimus, sed liberando nos ab operibus malis a peccatis nostris, per quæ nobis Satanas dominabatur. Si quis enim liberatus fuerit à peccatis nõ habet vnde ei dominetur princeps peccatorum. Ista liberatio captiuitatis spiritualis est, intus agitur. Remisisti, inquit iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum. Ecce vnde auertit captiuitatem, quia remisisti iniquitatem, iniquitas tenebat captiuum, remissa iniquitate liberaris. confitere ergo te esse in captiuitate, vt dignus sis liberari. Nam qui hostem suum non intelligit, quomodo inuocat liberatorem?

IDEM explicans verba illa; Seruite Do- 14
mino in lætitia, sic habet: Omnis seruitus ama In Psal. 99.
ritudine plena est, omnes conditione seruili obligati & seruiunt, & murmurant. Nolite timere illius Domini seruitutem; non erit tibi gemitus, non murmur, non indignatio. Nemo se petit inde venalem, quia dulce est, quod redempti omnes sumus. Magna fœlicitas est fratres, esse in ista domo magna seruum, etsi cum compedibus. Noli timere serue compedite, confitere Domino. Meritis tuis attribue compedes tuos; confitere in compedibus tuis si vis, vt in ornamenta vertantur. Non frustra nec sine exauditione dictum est: Intret in conspe- Psal.78.
ctu tuo gemitus compeditorum. Seruite Domino in iucunditate. Libera seruitus est apud Dominum, libera seruitus vbi non necessitas, sed charitas seruit. Vos, inquit, in libertatem Galat.5.
vocati estis fratres, tantum ne libertatem in occasionem carnis detis, sed per charitatem spiritus seruite inuicem. Seruum te charitas faciat; quia liberum te veritas fecit. Si manseritis in verbis meis: vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit Ioan. 8.
vos. Simul es & seruus, & liber. Seruus, quia factus es, liber, quia amaris a Deo, a quo factus es, immo etiam inde liber, quia amas eũ, a quo factus es. Noli seruire cum murmure: non enim id agũt murmura tua, vt nõ seruias, sed vt malus seruus seruias. Seruus es Domini, libertus es Domini, non te sic queras manumitti, vt recedas de domo manumissoris tui.

IDEM exponens verba illa; Ordinatione 15
tua perseuerat dies, quoniam omnia seruiunt Cõcione 21 In Ps. 118.
tibi, inquit: Omnia, quæ pertinent ad hunc diem seruiunt tibi. Impij quippe, de quibus dicitur: Nocti similaui matrem vestrã: non ser- Osee 4.
uiunt tibi. Deinde respexit vnde liberaretur hæc terra, vt fundata permaneat, atq; subiecit: Nisi quod lex tua meditatio mea est; tunc forte perijssem in humilitate mea.

IDEM exponẽs verba illa; Si filius vos li- 16
berauerit, verè liberi eritis, inquit: Qui facit Tract. 41. in Ioan. to.9.
peccatũ, seruus est peccati. O miserabilis seruitus. Plerunq; homines, cum dominos malos patiuntur, venales se petunt, non quærẽtes Dominũ non habere, sed saltẽ mutare. Seruus peccati quid faciat? Quem interpellet? Apud quẽ se venalẽ petat? Deinde seruus hominis aliqñ sui domini duris imperijs fatigatus, fugiendo requiescit. Seruus peccati quo fugit? secum se trahit; quocunque fugerit. Non fugit seipsam mala conscientia, non est quo eat, sequitur se, immo nõ recedit a se, peccatum enim quod fecit intus est. Ad Christũ omnes fugiamus, contra peccatum, Deũ liberatorẽ interpellemus; venales nos petamus, vt eius sanguine redimamur. Dicit enim Dñs: Gratis venundati estis, Isa. 52.

& absque argento redimemini, sine pretio scilicet vestro, quia meo. Liberat ergo ab hac seruitute solus Dominus, qui illam non habuit ipse de illa liberat; solus enim venit sine peccato, nam paruuli nondum ambulant, & iam sunt cõpediti, traxerunt enim de Adam quod soluatur a Christo. Non habet Deus liberos inimicos, necesse est serui sint, & serui remanebunt, nisi ab illo liberentur, cui peccando inimici esse voluerunt. Infra: Si filius vos liberauerit: tunc vere liberi eritis. Hæc spes nostra est fratres; vt a libero liberemur, & liberãdo seruos nos faciat. Serui enim eramus cupiditatis; liberati serui efficimur charitatis. Non ergo dicat Christianus; liber sum, in libertatem vocatus sum, seruus eram, sed redemptus sum, & ipsa redemptione liber effectus sum, faciam quod volo, nemo me prohibeat a volũtate mea si liber sum, sed si ista voluntate peccatum facit, seruus est paccati.

17 Noli ergo libertate abuti ad libere peccandũ; sed vtere ad non peccandum, erit enim voluntas tua libera si fuerit pia, eris liber si fueris seruus, liber peccati seruus iustitiæ, dicente
Rom. 6. Apostolo: Cum serui essetis peccati, liberi fuistis iustitiæ, nunc autem liberati a peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrũ in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Hoc conemur, vt id agamus. Prima libertas est, carere criminibus. Quemlibet valde iustum discutias in hac vita, non est tamen
1. Ioan. 1. sine peccato dicẽte Ioanne: Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus. Crimen autem est peccatum graue, accusatione & damnatione dignissimum. Prima ergo libertas est carere criminibus, & cum cœperit eam non habere Christianus, incipit caput erigere ad libertatem. Sed ista inchoata
Rom. 7. est, non perfecta libertas. Quare non est perfecta libertas? Quia inuenio aliam legem in membris meis, repugnantẽ legi mentis meæ,
Galat. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum; & spiritus aduersus carnem, vt non ea, quæ vultis illa faciatis, ex parte libertas, ex parte seruitus, nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem, ex qua parte seruimus Deo liberi sumus, ex qua parte seruimus legi peccati, adhuc serui sumus. Vnde
Rom. 7. dicit Apostolus, quod dicere cœperamus, condelector legi Dei secundum interiorem hominem, ecce vnde liberi, vnde condelectamur legi Dei. Libertas enim delectat, nam quandiu timore facis quod iustum est, non Deus te delectat, quandiu adhuc seruus facis, non te delectat, delectet te & liber es. Video autem aliã legem in membris meis. Ex hac parte sentit captiuitatem, vbi nõ est impleta iustitia, nam vbi condelectatur legi Dei non captiuus, sed legis amicus est, & ideo liber, quoniam amicus. Sed tunc vere liberi eritis quando perfecta libertas, quando nouissima inimica destruetur mors.

18 IDEM explicãs verba illa; Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia, sic habet: Ab hu ius pessimæ dominæ dominatu, pretioso sanguine redempti sumus. Ego carnalis sum venundatus sub peccato. Noli ergo mirari, ò venundate sub peccato, si tibi dominatur, cui es venundatus. Contra talem dominam inuocamus Dominum, cum dicimus; Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia. Ipse homo se vendidit per liberum arbitrium, sed dominãte iniquitate; & accepit pretium exiguum, de arbore vetita voluptatem. Vendidi me arbitrio meo, redime me sanguine tuo. Infra: Non dominetur mei omnis iniustitia. Hoc est, quod dixit Apostolus: Non regnet peccatum Rom. 6. in vestro mortali corpore. Quid est non regnet? obediendo desiderijs eius. Non dixit, noli habere desideria mala. Quomodo enim in hac carne mortali vbi caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, non habeo desideria mala? illud ergo fac, non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius. Et si sunt desideria, non eis obediatur, ne iniquitas dominetur. Non fiant membra tua arma iniquitatis peccati, & non dominetur tibi omnis iniquitas.

Sect. 12. de verbis Apostoli. tom. 9. Psal. 118. Rom. 7.

19 GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 36. Quis dimisit onagrum liberum, in solitudinem, & vincula eius quis soluit? sic habet: Onager, qui in solitudine commoratur, non incongrue vitam eorum significat, qui remoti a turbis sæcularibus conuersantur. Qui apte etiam liber dicitur, quia magna est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mẽs vehementer atteritur, quamuis in eis sponte desudet. Cuius seruitutis conditione carere est, in mundo iam nil concupiscere. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera dum appetuntur, premunt aduersa dum formidãtur. At quis semel a dominatione desideriorum temporalium colla mẽtis excusserit, quadam iam etiam in hac vita libertate perfruitur, dum nullo desiderio fœlicitatis afficitur, nullo aduersitatis terrore coarctatur. Hoc graue seruitutis iugum, Dominus vidit sæcularium ceruicibus impressum, cum dicerat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & one Matt. 11. rati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue. Asperum quippe iugum & duræ, sicut diximus, seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quæ prius mentem ex desiderio adeptionis afflixerant, post ex pauore amissionis premunt. Liber ergo dimittitur, qui calcatis terrenis desiderijs ab appetitione rerum temporalium securitate mentis exoneratur. Et vincula eius quis soluit? Subaudis, nisi

Lib. 30. Moral. cap. 18. tom. 2.

nisi ego. Soluuntur vero vniuscuiusque vincula, dum diuino adiutorio interna desideriorum carnalium retinacula dirumpũtur. Cum enim pia intentio ad conuersionem vocat, sed adhuc ab hac intentione, carnis infirmitas reuocat, quasi quibusdam vinculis anima ligata præpeditur. Multos enim sæpe videmus vitã quidem sanctæ conuersationis appetere, sed ne hanc assequi valeant, modo irruentes casus, modo futura aduersa formidare. Qui incerta mala, dum quasi cauti prospiciunt, in peccatorum suorum vinculis incauti retinentur.
Prou. 15. De quibus bene per Salomonem dicitur: Iter pigrorum, quasi sepes spinarum. Nam cum viam Dei appetunt, eos velut spinæ obstantium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Quod quia electos præpedire non solet, bene ibi adiungitur; Via iustorum absque offendiculo. Soluit itaque Deus onagri vincula, quando ab electi vniuscuiusque animo infirmarum cogitationum nodos rumpit, & propitius dissipat omne, quod illectam mentem ligabat.

Libri in sacra Scriptura dicuntur creaturæ, in quibus Deum legimus.
Cap. V.

1 BASILIVS inquit: Vniuersa hæc mundi moles perinde est, ac liber litteris exaratus palam contestans ac deprædicans gloriam Dei, illiusq. augustissimã maiestatem arcanam, alioqui & inuisibilem, abunde enunciãs tibi intellectuali creaturæ, quatenus ad cognitionem attinet veritatis.

Hom. 11. in Hexamerõ to. 1.

2 CHRYSOSTOMVS: Quærendum est ait cur post tot annos æditæ sint scripturæ. Non enim Noe tẽpore, & Abraham, sed Moysi liber hic traditus est. Et multos audio dicentes, quòd si vtilis erat, ab initio datũ esse oportebat, si verò inutilis erat, neq; posthæc oportebat dari. Sed vana hæc ratiocinatio nõ enim omnino, si quid postea vtile est futurum ab initio tradi debet. Neque si quid a principio datum est, hoc omnino debet, & postea manere, Quoniam & lac vtile, sed tamen non continue datur, sed pueris tantum nobis datur. Et solidum nutrimentum vtilem, sed nemo nobis ipsum in principio tradit, sed postquam puerilem fuerimus ætatẽ egressi. Rursus æstas vtilis, sed non semper apparet, & hyems commoda, sed & hæc transit. Quid igitur, inquis, scripturæ non sunt vtiles? vtilissimæ nempe, & ad modum necessariæ. Et si vtiles, inquis, qua de causa nõ sunt traditæ nobis ab initio? Quia non per litteras, sed per res, Deus, hominum naturam docere volebat. Quid tandem
Rom. 1. est per res? per ipsam creaturã. In hanc enim sententiam incidens Apostolus; Et in gentiles intendens dicentes, Non ab initio Dei cognitionem ex scripturis didicimus, vide quomodo respõdet. Cum enim dixisset, reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem, & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinẽt, & vidisset obiectionem sibi occurrentem, & multos contradicturos, vnde gentiles Dei veritatem cognouisset, intulit dicens: Quia quod notum est Dei, manifestum est in illis. Et quomodo manifestum est illis? Quomodo Deum videre poterant? Quis 3
ostendit dic? Deus enim illis manifestauit, inquit; Quo pacto? Quem prophetam mittẽs? quem Euangelistam? quem doctorem, si scripturæ nondum erant? inuisibilia enim ipsius, inquit, a creatura mũdi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque virtus eius, & diuinitas. Quod autem dicit tale est; Ante omnium oculos creaturã in medio proposuit, vt ex operibus Creatorẽ conijciant. Quod quidem & alius dicebat; Ex ma- Sap. 13.
gnitudine, & pulchritudine creaturarum proportionabiliter earum auctor consideratur. Vidisti magnitudinem? considera potentiam Conditoris cum admiratione. Vidisti pulchritudinem? sapientiã obstupesce. Quod & propheta demostrans dicebat: Cæli enarrant glo- Psal. 18.
riam Dei. Quomodo igitur narrant dic mihi? Vocem non habent, os non posident, ipsis non est lingua, quomodo igitur narrant? Per ipsum aspectum. Cum enim videris pulchritudinem, magnitudinem, celsitudinem, situm, formam per tantum temporis permanere tanquam vocẽ audiens, adoras eum, qui tam pulchrum, & admirabile corpus creauit. Tacet cælum, sed ipsius aspectus vocem tuba clariorem emittit per oculos, non per aures nos docens. Hic enim sensus a natura est illo certior, & manifestior. Si enim per libros docuisset & literas, literarum quidem peritus scripta didicisset, nesciens verò, nihil inde adiutus abijsset, si quis alius non induxisset. Et diues quidem librum emisset, pauper autem emere non potuisset. Rursum vocem quidem illam per 4
litteras significatam sciens, intus positam nosset. At Scytha & Barbarus, & Indus, & omnes lingua carentes, illa nihil docti abijssent. Hoc autem de cælo discere datur. Sed Scytha, & Barbarus, & Indus, & Ægyptius, & omnis homo super terram vadens hanc vocem audiet, non enim per aures, sed per oculos in mentem incidit nostram. Visibilium autem participatio eadem, neque differens sicut linguarum. In hunc pariter librum, & idiota, & sapiens pariter intueri poterũt, & pauper & diues, & quocumque quis venerit, in cælum respiciens sufficientem capiet doctrinam ex aspectu, quod quidem & ipse propheta innuens, & demonstrans quòd vocẽ creatura Barbaris emittit, & Græcis, & omnibus vniuersaliter hominibus sic intelligi facilem dicebat: Non sunt loque- Ibidem.
læ, neque sermones, quorum non audiãtur voces eorum. Quod autem dicit tale est; non est gens, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non posit. Sed talis est ipsorum vox, vt

ab om-

ab omnibus hominibus audiri posſit, nec cæli tantum,ſed & diei, & noctis.Et quomodo diei, & noctis? Illud enim & per pulchritudinem, & per magnitudinem,& per alia omnia ſpecta tores percellit, & in ipſius creatoris admirationem immittit.Dies verò & nox,quid nobis oſtentare poſſunt? Huiuſmodi quidem nihil. Alia verò docent non inferiora.Cum enim cogitaueris quomodo totum per annum diſtribuuntur,& tanquam in libra, & bilance totius ſpatij longitudinem diuiſerunt, eum qui ordinauit admiraberis. Velut enim ſorores quædam paternam hereditatem partitæ cum charitate multa nullo modo inter ſe ſibi calumniantes,ſic & dies,& nox cum omni diligentia annum æquitate tanta diſtribuunt, & proprios conſeruant fines, nec vnquam alteram altera pellit.Nunquam igitur hyeme dies fuit longa, ſicut nunquam æſtate longa fuit nox tot præteritis generationibus,ſed in eodem interuallo, & longitudine, neque modicum, nec dimidiam horam, nec oculi momentum altera quam altera plus habuit. Propterea & pſalmiſta ipſius æqualitatem admiratus clamabat,dicens: Nox nocti indicat ſcientiam. Si hæc meditari ſcias,ſic admiraberis eum, qui ab initio hos immobiles terminos ſtatuit. Et conſidera mihi legislatoris ſapientiam. In hyeme longã noctem eſſe iuſsit; quando molliora ſemina,& magis frigeſcere indigentia, nec calidiorem radium tolerãt,poſtquam verò aucta fuerint, vnà cum ipſis creſcit rurſus dies,& tunc fit longior,quando iam viget fructus. Hoc verò non ſeminibus tantum,ſed etiam corporibus opportunum. Quoniam enim hyeme nauta, gubernator, & viator, miles, & agricola multum domi ſedent,gelu conſtricti, & otij tempus eſt in hyeme, plus tẽporis in nocte impendi Deus conſtituit,ne dici longitudo ſuperflua ſit nihil hominibus facere valentibus. Quis anni partium ordinem dicere poſsit, quomodo cũ multa ratione ſeſe ſubſequuntur,& paulatim. Non ab hyeme nos excipit æſtas, nec ab ipſa ſtatim hyems,ſed medium ver interpoſitum eſt,ita vt quietè & paulatim ſuccedentibus denſata corpora noſtra æſtati ſine triſtitia adducat, quoniam enim collatæ in contrarium mutationes nocumentum, & morbum pariunt extremum, diſpenſauit Deus ab hyeme quidem vernos excipere,a vere porro æſtatẽ,ab æſtate autumnum, & ſic hyemi tranſmittere. Itaque innocuæ, & procedentes paulatim mutationes ex cõtrarijs horis per media nobis eueniunt.Habeo quid dicam,& his maius,non enim magnitudo tantum, & pulchritudo, ſed & ipſæ creationis modus omnium moderatorem demonſtrat. Condenti,& creanti omnia ab initio non aderamus,neque quomodo fiebant ſcire poteramus, etſi præſentes eſſemus inuiſibili virtute cuncta componente, ipſum creationis modum optimum nobis magiſtrum eſſe fecit, ſupernaturali conſequentia componens omnia quæ fiebant.Forte quod dixi obſcurum eſt, dicam clarius. Omnes vtique annuerent, quod naturæ conſequentia eſt, aquam ſuper terram, & non terram ab aquis ferri. Terra quippe cũ ſit denſa,& aſpera,& reuerberans,& continua, facile poteſt aquarum naturam ſuſtinere;aqua verò cum liquida ſit, & mollis, & diffluens, & omnibus cedens occurrentibus, nullum corpus vnquam ſuſtinere valeret, etiam ſi leuiſsimum ſit. Nam ſæpe lapillo incidenti paruo cedit, & refugit, ipſumq. ad profundum dimittit. Cum videris igitur non lapillum paruum, ſed terram omnem ſuper aquas ferri, neque ſubmergi,admirare potentiam ſupra naturam hæc mirabiliter operantem. Et vnde hoc manifeſtum quod terra ſuper aquas fertur? Ipſe ſuper maria fundauit eum, ait Propheta, & ſuper flumina præparauit eum; & rurſum: Qui fundauit terram ſuper aquas. Quid dicis? Lapillum exiguum aqua in ſuperficie ferre non poteſt, & terram tantam gerit, & montes, & colles,& vrbes,& plantas, & viros, & bruta, & non ſubmergit. Et quid dico, non ſubmergit? Quomodo inferius circunſtante ſibi aqua tanto tempore non eſt diſſoluta, & lutum omnia facta ſunt? Si enim lignorum natura parum temporis aquis immoretur, corrumpitur, & diſſoluitur.Quid dico lignorum natura? Quid ferro validius eſſe poſsit? Sed & hoc ſæpe mol leſcit, cum ſemper in aquis maneat. Igitur & ferrum quidem molleſcit,& ligna marceſcunt, & lapides corrumpuntur aquarum natura, terræ verò magnitudo tanto tempore aquis impoſita,non eſt ſubmerſa,nec diſſoluta,nec perdita. Et quis hæc non obſtupeſcat, & ſuperadmiretur,& cum fiducia ſemper dicat; non eſſe naturæ opera, ſed prouidentiæ naturam excedentis? Propterea quidam dicit: Qui ſuſpendit terram ſuper nihilo.Alius quidam verò: in manu ipſius fines terræ. Item ſuper maria fundauit eam.Et hęc quidem contraria eſſe videntur,multam tamen habẽt conſonantiam.Qui enim dixit,ſuper maria fundauit eam,idem dixit cum eo qui ait: quod ſuper nihilo terram ſuſpendit. Super aquas enim conſiſtere,æquale eſt,& ſuper nihilo ſuſpendi.Vbi igitur ſuſpẽſa, & ſtatuta eſt? audi eundem dicentem: In manu ipſius fines terræ. Non quod manus habeat Deus, ſed vt diſcas,quod ipſius potentia omnibus prouidens ipſa eſt, quæ corpus terræ continet, & portat.

AVGVSTINVS exponẽs verba illa pſalmi 130.Extendens cælum ſicut pellem,inquit: Cælum intelligitur per figuram libri legis, & hoc eſt,extendens cælum ſicut pellem,ſi extenditur ſicut pellis, tanquam liber eſt extenſus, vt legatur. Tranſacto autem tẽpore hoc, cum venerimus ad illam ſapientiam, quæ implet corda,& mentes intuentium,non opus erit,vt aliquid ibi nobis legatur, quia illa lex veritatis fixa permanens,inebriat corda videntium, quia in lumine eius videbimus lumen. Modo ergo lectio neceſſaria eſt,quandiu ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Non enim liber neceſſarius erit,

erit, neque legemus in illa ciuitate Hieruſalem. Cum tranſeunt tempora neceſsitatis librorum, ſit quod ſcriptum eſt, cælum placabitur,vt liber.Modo vis cogitare cælum? librum Dei cogita.

GREGORIVS explicans verba illa Iob 35.cap. Suſpice cælum, & intuere, contemplare a terra,quòd altior te ſit,inquit: Si vigilanter exteriora conſpicimus, per ipſa eadem ad interiora reuocamur. Veſtigia quippe creatoris noſtri ſunt mira opera viſibilis creaturæ. Ipſum namque adhuc videre non poſſumus, ſed iam ad eius viſionem tendimus, ſi eũ in his quæ fecit miramur. Eius ergo veſtigia creaturam dicimus, quia per hæc quæ ab ipſo ſunt,ſequẽdo imus ad ipſum.Vnde Paulus ait: Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt intellecta conſpiciuntur,ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Vnde & in libro ſapientiæ ſcriptũ eſt: Per magnitudinem enim creaturæ;& ſpeciẽ poteſt intelligibiliter creator videri. Menti enim noſtræ peccato ſuo exterius ſparſæ nec dum Deus ſicut eſt inferius innoteſcit,ſed dum facturę ſuę decus foris proponit, quaſi quibuſdam ſe nobis nutibus innuit, & quæ intus ſequamur oſtendit, ac miro modo ipſis formis exterioribus nos ad interiora perducit, innuit immenſa admiratione quod eſt, mira hæc exterius oſtendendo quæ non eſt. Hinc enim de ſapientia ſcriptum eſt: In vijs oſtendit ſe illis hilariter, & omni prouidentia occurrit illis. Viæ quippe ad creatorem ſunt opera conſiderata creatoris. Quæ dum facta cernimus, potentiam factoris miramur. In iſtis vijs a ſapientia omni nobis prouidentia occurritur, quia factoris nobis virtus inquirenda proponitur in omne quod mirabiliter factum videtur, & quocunque ſe verterit anima, ſi vigilanter intendit, in ijſdem ipſis Deum inuenit per quæ reliquit, eiuſq. potentiam ex eorum conſideratione cognoſcit, quorum amore deſeruit, & per quæ peruerſe cecidit, per hæc conuerſa reuocatur. Vbi enim lapſi ſumus, ibi incumbimus, vt ſurgamus, & quaſi ibi ſurgendo manum conſiderationis figimus, vbi pede amoris lubrici corruentes, negligendo iacebamus. Quia enim ab inuiſibilibus per inuiſibilia cecidimus, dignum eſt, vt ad inuiſibilia ipſis rurſum inuiſibilibus innitamur, vt quo caſu anima venit ad intima, eo gradu reuertatur ad ſumma, atque eiſdem, quibus corruit paſsibus, ſurgat, & illa nos ad Deum bene conſiderata reuocent,quæ nos ab eo male electa diuiſerunt. Ipſis rebus creatis, atque corporeis agnoſcimus, quantum a creatoris noſtri ſublimitate diſtamus, quia per omne quod cernimus, eſſe humiles admonemur, vt quaſi quędam ſit lectio mentis noſtrę ſpecies conſiderata creaturæ.

Lingua vtendum in eum finem ad quem data eſt. Cap. VI.

ORIGENES explicans verba, quæ dixit Dominus Moyſi; Ego aperiam os tuum,& inſtruam te quæ oporteat te loqui, inquit: Beati ſunt,quorum Deus os aperit,vt loquantur.Prophetis Deus aperit os, & replet illud eloquio ſuo, ſicut in præſenti dicit: ego aperiam os tuum, & inſtruam te quæ oporteat te loqui.Sed & per Dauid dicit Deus: dilata os tuum, & implebo illud. Similiter & Paulus dicit: vt detur mihi ſermo in adapertionem oris mei. Eorum ergo qui verba Dei loquuntur, os Deus aperit. Vereor tamen ne ſint aliqui, quorum e contrario os diabolus aperiat. Nam qui loquitur mendacium, certum eſt,quia diabolus aperiat os eius, vt mendacium loqueretur. Qui falſum teſtimonium dicit, qui ſcurrilitates,ac turpitudines, ac cetera huiuſmodi de ore ſuo proferunt, diabolus aperuit os eorum. Vereor ne & ſuſurronum, & detractorum os diabolus aperiat, ſed & eorũ qui otioſa verba proferunt. Sed ſicut Deus aperit os ſanctorum, ita puto, quòd & aures ſanctorum Deus aperiat ad audienda verba diuina. Sic enim dicit Iſaias Propheta: Deus aperuit mihi aurem, vt ſciam quando oporteat dici verbum. Sic & oculos aperit Dominus,ſicut aperuit oculos Agar,& vidit puteum aquæ viuę.Sed & Eliſeus Propheta dicit: Aperi Domine oculos pueri huius, vt ſciat quia plures nobiſcum ſunt, quàm cum aduerſarijs. Et aperuit,inquit,Dominus oculos pueri, & ecce totus mons plenus erat equitibus.Aperit ergo (vt diximus) Deus & os, & aures, & oculos, vt vel loquamur,vel cernamus,vel audiamus, quæ Dei ſunt.

IDEM explicans verba illa; Os iuſti meditabitur ſapientiam,& lingua eius loquetur iudicium,ait: Lex volens nos aperire os ad verbum Dei, præcepit dicens: Loqueris hæc ſedens in domo, & pergens in via, & iacens, & ſurgens. Sed & Salomon in Prouerbijs ſimile aliquid breui commonitione diſtinguit, dicẽs: Aperi os tuum verbo Dei. Similiter etiam nũc Propheta nos docet, cum dicit: Os iuſti meditabitur ſapientiam. Reuera enim nec debet aliud procedere de ore iuſti, niſi ſapientia. Si igitur Chriſtum ſemper loquamini, ſi ſemper eius verba meditemini, ſi præcepta eius in ore teneatis,digne os veſtrum meditabitur ſapientiam. Beatus ergo qui os ſuum aperit verbo Dei, & in pſalmis,& hymnis, & canticis ſpiritualibus, vel in oratione, & honore Dei frequenter aperit os ſuum. Eſt enim & hæc non parua ſapientiæ meditatio, vt per hoc inueniatur ſemper os iuſti meditari ſapientiam.Et lingua eius loquetur iudicium. Duplici modo lingua iuſti intelligitur loqui iudiciũ, ſiue pro eo quod omnia recto iudicio, & cum deliberatione, & cum conſilio loquitur quæ loquitur, & nihil

1 Homil.3.in c.3 Exodi tom.1.

2 Homil.5.in pſal.36.to.2

& nihil per iracundiam, nihil vt hominibus placeat, nihil ex tristitia, nihil ex metu, quæ singula solet, vrique non integrum hominibus seruare iudicium, vel certe quòd semper de futuro iudicio loquitur iustus, vt commonens semper, vel semetipsum, vel qui se audiunt, de futuri iudicij metu, & de supplicijs, quæ præparata sunt peccatoribus, de futura examinatione, sed & de repromissionibus sanctorum, quæ præparatæ sunt eis a Deo, & semetipsum saluum faciat, & eos qui se audiunt: & hoc modo complebitur, quia lingua iusti loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipsius. Non solum in ore iustus meditabitur sapientiam, & lingua loquetur iudicium, sed & in corde suo legem Dei gerit, quia lex, velut radix quædam in profundo cordis posita, germinat verba iustitiæ, verba sanctitatis, quæ profert iustus de corde suo, & non solum verbum, verum & actus etiã, & gesta. Ne de nobis dicatur, quod de Iudæis scriptum est: populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Quæ omnia si custodierimus de nobis dicetur, quod subditur: & non supplantabuntur gressus eius.

4 In epist. ad Principiã. in qua explicat Psal. 44. tom. 3.

HIERONYMVS exponens verba illa, Eructauit cor meum verbum bonum, sic habet: Ructus proprie dicitur digestio cibi, & concoctarum escarum in ventum efflatio. Quomodo enim iuxta ciborum qualitatem de stomacho ructus erumpit, & boni, vel mali odoris flatus indicium est, ita interioris hominis cogitationes, verba proferunt, & ex abundantia cordis os loquitur. Iustus comedens replet animam suam. Cumque sacris doctrinis fuerit satiatus, de boni cordis thesauro proferet ea, quæ bona sunt, & cum Apostolo loquitur: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Infra: Eructauit cor meum, in laudes Dei, sermonem meum ipsi potissimum consecraui. Debeo ergo & linguam meam, quasi stylum, & calamũ præparare, vt per illam in corde, & auribus audientium scribat Spiritus sanctus. Meum enim est, quasi organum præbere linguam; illius quasi per organum sonare, quæ sua sunt. Ideo ait: lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Pro quo nos interpretati sumus, lingua mea stylus scribæ velocis.

5 Epi. 77. quę est ad Aurelium. to. 2.

AVGVSTINVS magnificiens salutationem istam, Deo gratias, ait: Quid melius, & animo geramus, & ore promamus, & calamo exprimamus, quàm Deo gratias? Hoc nec dici breuius, nec audiri lætius, nec intelligi grandius, nec agi fructuosius potest.

6 In lib. sententiarum, quę decerptæ sũt ex Aug. tom. 3.

IDEM est hæc sententia, vera confessio est benedicentis, cum idem sonus est, & oris, & cordis. Bene autem loqui, & male viuere, nihil aliud est, quam se sua voce damnare.

7 Conc. 2. in Psl. 34. to. 8.

IDEM exponens verba illa; Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam, inquit: Et cuius lingua durat meditari tota die laudem Dei? Suggero remedium, vnde tota die, laudes Deum, si vis. Quicquid egeris bene age, & laudasti Deum. Quando cantas hymnũ, laudas Deum. Lingua tua quid agit, nisi laudet conscientia tua? Et quoties tu cessasti ab hymno cantando discedis, vt reficiaris, noli inebriari, & laudas Deum. Discedis, vt dormias, noli surgere ad malefaciendũ, & laudasti Deum. Negocia agis, noli fraudem facere, & laudasti Deum. Agrum colis, noli fraudem facere, & laudasti Deum. In innocentia operum tuorum, præpara te ad laudandum Deum tota die.

8 In Psl. 140.

IDEM exponens verba illa; Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis, inquit: Non dixit clausturũ continentiæ, sed ostium, ostium aperitur, & clauditur. Ergo si ostium est, & aperiatur, & claudatur. Aperiatur ad cõfessionem peccati, claudatur ad excusationem peccati. Ita enim erit ostium continentiæ, non ruinæ. Quid enim nobis prodest hoc ostium continentiæ? vt non declines, inquit, cor meum in verba malitiæ.

Lingua frænanda est, ab omnibus, & in omni loco, maxime autem a fœminis, & in mensa. Cap. VII.

1 Lib. 3. in Iob tom. 2.

ORIGENES in vltimis verbis exponens verba illa; Post hæc aperuit Iob os suum, sic habet: Hæc verba dixit, quia omni rei tempus sub sole, tẽpus tacẽdi. Tacuimus (inquit) o viri vsque ad tempus: loquamur nunc in tempore. Hæc itaque dicens, aperuit Iob os suum. Persarum (inquiens) ad Medorum, atq; Caldæorũ regna, & gentes omnes pariter pusilli, & magni, cum manducauerint, non loquuntur; cum biberint, non sermocinantur maximam notam irrationabilitatis, hanc esse æstimantes, si mãducans, quis loquatur: vel bibens concionetur. Idcirco in escis, ac potibus, os non aperiunt ad loquendum, neq; qui ministrant, neq; quibus ministratur, sed nutibus omnibus ministrãtibus præcipiunt. Hanc consuetudinem pro mandato a prioribus accipientes, & velut legem, hãc cum sollicitudine obseruantes: & qui hanc violauerit, tanquam maxima transgrediens iura torquetur.

2 Homil. 1. in Psal. 38.

IDEM explicans verba illa; Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea, sic habet: Quoniam multorum peccatorum initium humanus est sermo, & os nostrum multis malis ministrat, & valde difficile est inueniri hominem, qui vna saltem hora os suum, & linguam suam custodiat a peccato, ait: dixi custodiam vias meas. Mihi ipsi dixi, & infra me locutus sum: & hæc addidi. Si volo seruare vias meas, vt non peccem, hoc modo seruare possum, si custodiam linguam meam. Ex verbis enim (inquit) tuis iustificaberis: & ex verbis tuis condemnaberis. Posui ori meo custodiam. Alibi scriptum est: omni custodia serua cor tuum, hic autem posui

posui ori meo custodiam. Et iterum alibi scriptum est: Vide circunduc sepem spinarum cir ca possessionem tuam. Et iterum: pecuniam tuam, & aurum tuum alliga, & ori tuo facito ostium, & seram: & verbis tuis iugum, & stateram. Ego arbitror, quòd obseruatio horum mandatorum obseruantem, & mansuetum faciat, & beatum: non solum rerum exitus, verum etiam ipsa obseruantia. Dum enim semper obseruat os suum, & linguam custodit, ne prius sermonem proferat, quàm discutiat, & pertractet apud semetipsum, si oporteat dici, si sermo talis est, qui debeat proferri, si persona talis, quæ aut debeat, aut possit audire, si tempus opportunum est proferendi sermonem, dũ singula ista perpendit, sermo proferentibus gratiam præstat, & audientibus medicinam. Verum quoniam in illo maxime tempore peccamus, quando peccator cõsistit aduersum nos instigans, & prouocans, vt aliquid tale emittamus ex ore, in quo rei teneamur in futuro iudicio. Hoc describens sanctus Propheta dicit: Dum consisteret peccator aduersum me obmutui. Si quando peccator loquebatur de me male, Si quando obtrectabat, & irridebat, & irritabat me, vt similia redderem, & paria de meo ore proferrem, ego in illo tempore silentium meditabar.

Eccli. 26.

3 Homil. 4. in c. 6. Isaiæ.

IDEM explicans verba illa; Et missus est ad me vnus de Seraphin, & in manu sua habebat carbonem, ait: Per ignis vstionem purgantur labia Prophetæ. Tangat labia nostra, vt & nos dicamus: & tetigit os meum. Si mundaueris os meum, vt nihil otiosum, nihil fatuum, nihil turpe, nihil scurrile (vt omnia semel nominem) nihil eorum quæ interdicta sunt, loquar. Tunc possumus dicere, tetigit os meum.

4 Homilia 4. inter sexdecim varias tomi 5.

CHRYSOSTOMVS inquit: Vndique nobis diabolus insidias parare consueuit, sed facilius lingua, & ore peccante: nullum enim æque congruum illi organum in ministerium est interitus, atque peccati. Nam inde nobis mos, inde lapsus, inde perditio, inde naufragium præparatur. Nam & mentium lapsus ex linguæ garrulitate venientes, quidam declarans, ait: Multi ceciderunt in gladio: sed non tanti quanti per linguam. Et grauem casum monstrare festinans, ait: Lapsus de pauimento, aut lapsus de lingua. Quod dicit tale est. Cõducibilius est, inquit, ruere, & corporis sentire iacturam, quàm verbum tale proferre, vnde anima poterit deperire. Et suadet multam adhibere cautelam, dicens: Fac ori tuo ostium, & seram. Non vt portas corpori faciamus, sed vt non facile verba proferantur: & ad congrua dicenda, se se lingua cum omni cautela contineat. Et alibi ostendens, quia ad hanc seram retinendam solertiæ nostræ etiam diuinum necessarium sit auxilium, vnde & ad Deum manum protendens, dicebat Propheta: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis. Et qui priora persuasit, ipse iterum ait: Quis dabit ori meo custodiã,

Eccli. 28.

Ibid. 20.

Ibid. 28.

Psal. 140.

& labijs meis sigillum astutiæ? Vides hoc lapsos singulos formidare, vides omnes lamentari, omnes suadere, omnes orare, linguam suam cautela custodire, ac retinere? Et cur, inquis hoc membrum, quod tantum nobis periculum adfert, Deus ab initio dedit? Quia & multum nobis hinc cõmoditatis est, & volentibus nonnunquam prodesse consuescit, nec mortem habet, nec peccatum concedit inuito. Et vide quid ille ait: In manu linguæ vita, & mors. Et Christus significans, ait: De sermonibus tuis iudicaberis. & de sermonibus tuis condemnaberis. Media namque vtriusque partis lingua est; etsi vtriusque est, tu Dominus es. Nam & gladius in medio positus, si quidem fuerit aduersus hostes arreptus, salutaris arripienti reperitur, si verò tenentis viscera inferatur, mortem præparat inferenti, non quia talis, ferri natura, sed quia vtentis tale consilium est, ita lingua æstimetur gladius in medio positus. Armetur aduersus peccata tua, non ad fratris plagam præparetur. Et ideo Deus eam velut muro duplici voluit circundari. Nam dentium tegmine, & labiorum custodia continetur; ne verba improuida garrulitate proferantur. Refrena igitur linguam, & si non patitur reticere, dentium morsu quiescat, & tanquam carnifici tradatur dentibus. Nam hoc est eam conducibilius sustinere; quam postea aquæ stillationem nullatenus promereri. Et alia quidem multa peccata admittere consueuit; vt cum blasphemat, cum turpia verba componit, cum calumniatur, cum iurat, cum peierat.

Prou. 18. Matt. 12.

5 Epist. 14. ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi to. 1.

HIERONYMVS sic habet; Sit sermo tuus in omnibus moderatus, & parcus, & qui necessitatem magis loqui indicet, quam voluntatem. Diu ante considera quid loquendum sit, & adhuc tacens prouide ne quid dixisse pœniteat. Verba tua ponderet cogitatio, & linguę officium animæ libra dispenset. Vnde scriptura dicit: Argentum, & aurum tuum confla, & verbis tuis facito stateram, & frænos ori tuo rectos, & attende ne forte labaris lingua. Nunquam malum verbũ de ore tuo procedat, quę ad cumulum benignitatis iuberis etiam maledicentibus benedicere. Mentiri verò, & iurare lingua tua prorsus ignoret: tantusq. in te sit veri amor, vt quicquid dixeris iuratum putes. In omni igitur verbo quieta mens, & placida seruetur, semperq. cogitationi tuæ Dei præsentia occurrat.

In regula monacharũ ad Paulam, & Eustoch. c. 22. de silentio. to. 9.

IDEM inquit; Muliercularum quarundã solet esse moris vt plurimum, vt semper garrulæ nihil secretum habeant, quod audiunt; immò potius quod nesciunt dicunt; nihilq. scandali seminarium norunt tacitum tenere, hinc inde autem proferentes verba nociua, aut seminates discordiam, aut audientes, alios ad detractionem incitant. In hoc conuentu ancillarum Dei muliebris omnis expellatur infirmitas. Illud Iacobi verbum in corde vestro multoties repetatur in die. Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens

Iacobi 1. seducens cor suum, huius varia est religio. Religio igitur sancta nō potest esse in loquacibus: quæ nullo possunt tempore silere, nec abstinere ab inutilibus verbis. Et hoc enim in eremo sancti patres edocti summa cum diligentia obseruant sancta silentia, tanquam sanctæ contemplationis causam. Plures me reperisse non ambigo, qui per septennium nullum prorsus verbum homini alteri emiserant, scientes, quod non commotione Dominus potest haberi. Propterea volo charissimæ, vt in conuentu vestro ter, aut pluries in hebdomada (exceptis festiuitatibus) loqui omnino, nisi vrgēte causa perutili, & necessaria nullatenus liceat; nec simul, nec cum alijs extra. Diebus verò omnibus, quibus & pro remedio & pro salute loqui conceditur; non singulis horis vacandum est verbis, quæ vix proferri sine peccato possunt, sed hæc inuiolabilis obseruatio vigeat, quod singulis noctibus post peractam horam completorij vsque post missam, & a tertijs vsque ad nonam sacra obseruentur silentia, quatenus & linguæ Deum laudandi concedatur opportunitas, & inutilia verba penitus abscindantur. Et in capite 23. ait: Nequaquam charissimæ Iacobus Apostolus experientiam poneret religionis in refrenatione linguæ, nisi certo sciret indicio, quod mors, & vita est in manibus linguæ. Nam vt innuit in ipsa benedicimus, & maledicimus Deum. Propterea post multa quæ de lingua pronunciauerat, quandam ex omnibus dictis conclusionem infert. Quicunque, inquit, refrenat

Iacobi 3. linguam suam; hic beatus in facto suo erit. Ecce quod in refrenatione linguæ beatitudo ponitur: vt detur intelligi, quod multiloquio Deus qui est beatitudo nostra haberi, & contemplari non potest. Refrenatio linguæ est, cum linguæ, quæ ex sui initio semper prona est ad mendacia, aut silentium imponitur, ne in displicentiam Dei prorumpere audeat, aut ad bonum exercetur, vt diuinas laudes persoluat. Sic ergo filiæ, vt beatæ esse possitis linguas domate. Si quando mulierculæ de viris proprijs, de filijs, de vestibus, de mundi vanitatibus garrulando loquacitentur, vt moris est; eis mox verba frangantur, mox otiosum verbum, & nociuum diuino cedat sermoni. Si diuinum introduci non poterit tali colloquio, in detestationem criminis fenestra claudatur in faciem, & velox fuga testetur sanctitatem intrinsecam; ne hęc quæ per exteriora corporis intrant cogitationem molestēt, cum mens diuinæ contemplationi exponitur.

9 IDEM exponens verba illa; Qui dimittit aquam caput est iurgiorum sic habet: aquam dimittere, est linguam in fluxum eloquij relaxare; quo contra in bonam partem dicitur: Aqua profunda, verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam caput est iurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam disipat.

Lib. 2. in c. 17. Prouer. to. 8.

Prou. 26. Vnde e diuerso scriptum est. Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

10 IDEM explicans verba illa; Sicut vrbs patens, & absque murorum ambitu. Sic vir, qui non potest in loquendo cohibere spiritum suū, inquit: Si enim murum silentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis; & cum se per verba extra semet ipsam iacit apertam se aduersario ostendit, quàm tanto ille sine labore superat, quanto & ipsa, quæ vincitur, contra semet ipsam per multiloquium pugnat.

Lib. 3. in c. 25. Prouer.

11 IDEM explicans mulieris fortis laudes, dicit: Os suum aperuit sapientiæ, inquit: Ad hoc tantum loquens os aperuit, vt sapientiam doceret, iuxta illud Apostoli: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.

Lib. 3. in c. 31. Prouer.

Eph. 5.

12 IDEM exponēs verba illa; Dixi custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea, ait: Non aliter scio vitę meæ custodire vias, nisi vt non loquar fatua, aut otiosa. Ex verbis (inquit Dominus) tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Dixi custodiam vias meas, id est, disposui custodire opera mea, scilicet quinque sensus corporis. Vt non delinquam in lingua mea. Non peccem, quia, qui custodit linguam suam, custodit animam suam; quia mors, & vita in manibus linguæ. Et iterum cultus iustitiæ silentium, & pax. Posui ori meo custodiam, iuxta illud: Pecuniam, & aurum tuum alliga bene, & facito ori tuo ostium, & seram. Beatum enim hominem oris custodia facit, cum non profert inania, sed quæ Deo sunt digna.

In Psal. 38. to. 7.

Matt. 12.

Prou. 18.

Isa. 32.

Eccli. 28.

13 AVGVSTINVS exponens verba illa; vt non loquatur os meum opera hominum, vno verbo dicit: Postulat a Deo, vt aliud non procedat ex ore suo, quàm id quod pertinet ad gloriam, & laudem ipsius; non ad opera hominum, quæ faciunt præter voluntatem Domini.

In Psal. 16. to. 7.

14 IDEM explicans illa verba illa; Vir linguosus non dirigetur in terra, sic habet: Vir linguosus amat mendacia. Quid enim illi est voluptas nisi loqui. Non enim attendit quid loquatur dum loquitur, non potest fieri, vt iste dirigatur. Qualis ergo debet esse seruus Dei, accensis illis carbonibus, de quibus dixerat: cadent super eos carbones, & ipse carbo salutaris effectus? Qualis esse debet, vt magis optet audire, quàm dicere, sicut scriptum est: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum: & si fieri potest, hoc cupiat, non habere necessitatem loquendi. Vnde & Ioannes non tam gaudebat, quia loquebatur, sed gaudebat, quia audiebat. Ait enim, amicus autem sponsi stat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocem sponsi. Itaque vnusquisque probet se, non vt loquatur, sed vt de alio locutionis officium exigat. Gaudium autem taciturnitatis intus habeat in voluntate; vocem doctrinæ in necessitate. Gaudium tibi sit in auditione Dei, necessitas tibi sit in locutione tua, & non eris vir linguosus, ne non dirigaris.

In Psal. 139.

Iacob. 1.

Ioan. 3.

Quare

Quare vis loqui, audire non vis? Semper foras exis; intus redire detrectas?

15 IDEM Vitandum multiloquium, sed tamen nō ille reus tenebitur, qui plura quidem, sed bona loquitur, sed ille qui saltem rara, sed mala dicere probatur. Discreta est taciturnitas, quia dum multa bona proferri videntur, sæpe contingit, vt a bonis locutio inchoata, ad aliquod prauum deriuetur. Hoc ipsum sancta scriptura denunciat, dicens: In multiloquio non deerit peccatum. An forte inter innumera verba, declinantur criminosa? Sed nunquid declinari poterunt inutilia, atque otiosa, de quibus, vtique ratio in futurum erit reddenda? Tenendus est ergo modus in loquendo, & ab ipsis nonnunquam vtilibus verbis parcendū, sicut psalmista legitur fecisse. Dicit enim humiliatus sum, & silui a bonis.

Tract. de cōflictu vitiorum, & virtutū. tom. 9.

Prou. 10.

Psal. 38.

16 IDEM sic habet; Silentium fratres inter cętera vobis in eremo summe necessarium est. Omne enim quod non ædificat: in periculum vertitur dicentium, & audiētium. Lingua nostra sensum nostrum sequatur, & rationem nō voluntatem; debemus enim linguas infra dentes reseruare illæsas, sermo enim vanus vanæ conscientiæ index est. Qualis enim es tales sermones loqueris, talis & mens comprobatus; & qualis fueris in factis, talis comprobaueris in verbis. Stultus enim valde est, qui non prius verbum ducit ad linguam rationis, quam educat ad linguam oris. Qualis est homo in mente, talem verbositas depingit in ore. Inflammat linguæ mobilitas in adolescentia ad iocosa, in virili ætate ad fraudulenta, sed in senili ad detractoria. Restringenda est igitur, hæc parua fauilla, ne in magnam vertatur flammam, surculus ne crescat in syluam, gutta ne tumescat in fontem. Maius est denique fratres linguam refrænare, quàm capere ciuitatem, quia hic sumuntur arma contra eo ipsum; ibi contra alterum. Summa tamen verecundia est, non posse linguam refrænare, & vile non posse ligare membrum. Ecce lingua egredi quærit, motum perquirit. Tu verò per temperantiam ipsam refræna, appone ei pessulum rationis; circuncide eam maturitate discretionis. O lingua tu periculum immitis, tu luctum producis; discordiam ispe spargis, & proditionis venenum, & ad infernum, qui tibi credunt conducis. Infra: Si interrogatus fueris, melius est ad singula respondere breuiter, quàm diutius immorando verba curiosa, & prolixa extendere. O loquax cognosce teipsum, nam loqui nunquam erubescis, nec consideras quid, sed quantum dicere possis. Non mensuras verborum sententias, sed tantum vt satieris. Lege quia vir linguosus non dirigetur super terram, nec dirigetur in terra promissionis. Attende monache, quia qui non refrænat linguam suam, huius vana est religio. Qui non custodit linguā suam, monachus non est, qui autem moderatur linguam suam, prudentissimus est, verusq. monachus. Amate ergo silētium, ponite custo-

Serm. 3. ad fratres in eremo to. 10.

Psal. 139.

Iaco. 1.

Prou. 10.

diam ori vestro, estote muti, vt sitis loquaces.

17 GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 4. Conceptum sermonem tenere quis poterit, inquit: Sunt nonnulli qui & ad loquendum praua concipiunt, & a locutione sua nulla silentij grauitate refrēnantur. Sunt alij qui cum praua concipiunt; magno se silentij iugo re restringunt. Et sunt nonnulli, qui virtutū vsu roborati, vsq; ad eam celsitudinem proue huntur; vt ad loquendum, ne in corde quidem peruersa concipiant, quæ silentio compescāt. Eliphaz itaq; ex quo sit ordine testatur, qui cōceptum sermonem tenere se non posse demonstrat. Qua in re & illud innotuit, q̄ se loqendo offensurum nouit. Neq; enim retinere verba, quæ non potest, vellet, nisi per hæc se vulnera inferre prænosceret. Boni enim viri freno cōsilij retinent præcipitationem verbi, & caute considerant, ne relaxantes linguæ lasciuiā, auditorum conscientiam incauta locutione trāsfigurant. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui dimittit aquam, caput est iurgiorū. Aqua quippe dimittitur: cum linguæ fluxus effrænatur. Sed dimissor aquę caput iurgiorum efficitur, quia per linguæ incontinentiam, discordiæ origo propinatur. Igitur sicut praui in sensu leues sunt, ita in locutione præcipites, & reticere pertractādo negligunt, quæ loquātur, sed quod leuis cōscientia cōcipit, leuior protinus lingua prodit. Vnde Eliphaz ex suo experimēto colligit, quod desperate de omnib' sentit dicēs; Sed cōceptū sermonē tenere quis poterit?

Lib. 5. Moral. cap. 11. tom. 2.

Prou. 17.

18 IDEM explicans illa verba Iob cap. 6. ad increpandum tantum eloquia concinnatis, & in ventum verba profertis, inquit: In ventum verba proferre est otiosa dicere. Nam sæpe dum ab otiosis verbis nequaquam lingua cōpescitur, ad temeritatē quoq; stultæ increpationis effrænatur. Nam dū otiosa verba cauere negligimus, ad noxia peruenimus. Infra: Qui imponit stulto silentium iras mitigat. Quia autem multiloquio quisq; seruiens, rectitudinem iustitiæ tenere non possit; testatur propheta qui ait, vir linguosus non dirigetur in terra. Hinc Salomon iterum dicit: In multiloquio peccatum non deerit. Hinc Isaias ait: Cultus iustitiæ silentium, videlicet indicans; quia mentis iustitia desolatur, quādo ab immoderata locutione non parcitur. Hinc Iacobus dicit. Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum: huius vana est religio. Hinc rursum ait: Sit autem omnis homo velox, ad audiendum; tardus autem ad loquendum. Hinc iterū adiungit; lingua inquietum malum plena veneno mortifero. Hinc per semetipsam nos veritas admonet, dicens: Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddens de eo rationem in die iudicij. Si ergo ratio de otioso sermone exigitur, pensandum valde est, quæ pœna illud multiloquium sequatur, in quo etiam per superbiæ verba peccatur? Sciendum quoque est, quod ab omni rectitudinis statu depereunt, qui per noxia verba dilabuntur.

Lib. 7. Moral. cap. 17.

Prou. 27.

Psal. 139.

Prou. 10.

Isa. 32.

Iaco. 1.

Matt. 12.

O Huma-

Humana etenim mens aquæ more, & circumcluſa ad ſuperiora colligitur, quia illud repetit vnde deſcendit; & relaxata deperit, quia ſe
19 per infima inutiliter ſpargit. Quot enim ſuperuacuis verbis a ſilentij ſui cenſura diſſipatur, quaſi tot riuis extra ſe ducitur. Vnde & redire interius ad ſui cognitionem nõ ſufficit, quia per multiloquiũ exterius ſparſa vim intimæ conſiderationis amittit. Totam igitur ſe ſe inſidiantis hoſtis vulneribus detegit; quia nulla ſe munitione cuſtodię circumcludit. Vnde ſcriptum eſt: Sicut vrbs patens, & abſque
Prou. 25. murorum ambitu; ita vir qui non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuum. Quia enim murum ſilentij non habet, patet inimici iaculis ciuitas mentis; & cum ſe per verba extra ſemetipſam eijcit, apertam ſe aduerſario oſtẽdit, quam tanto illo ſine labore ſuperat, quanto & hæc eadem, quæ vincitur contra ſemetipſam, per multiloquium pugnat. Infra: Lingua ſub magni moderaminis liberatione frenanda eſt, non inſolubiliter liganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut reſtricta etiam ab
Eccli. 20. vtilitate torpeſcat. Hinc per ſapientem dicitur, ſapiens tacebit vſq; ad tempus, vt nimirũ cum opportunum conſiderat, poſtpoſita cenſura ſilentij, loquendo quæ congruunt, in vſum ſe vtilitatis impẽdat. Hinc Salomon ait: Tem-
Eccls. 3. pus tacendi, & tẽpus loquendi. Diſcrete quippe viciſſitudinum penſanda ſunt tempora, ne aut cum reſtringi lingua debet, per verba ſe inutiliter ſoluat, aut cum loqui vtiliter poteſt, ſemetipſam pigre reſtringat. Quod bene pſal-
Pſal. 145. miſta conſiderans, breui poſtulatione complexus eſt dicens: Pone Domine cuſtodiã ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis. Oſtium namque aperitur, & clauditur. Qui ergo ori ſuo nequaquam poni obſtaculum, ſed oſtium petijt, aperte docuit, quòd & per diſciplinam retineri lingua debeat, & ex neceſsitate laxari, quatenus os diſcretum, & congruo tempore vox aperiat, & rurſum congruo taciturnitas claudat.

20 IDEM in fine ſic habet; Per Moyſen recte
Lib. 23. Moral. cap. 4. dicitur, vas quod non habuerit operculum, nec ligaturam deſuper, immundum erit. Quaſi vas ſine operculo, & ligatura polluitur, qui
Num. 19. per ſtudium, oſtentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.

21 IDEM in fine explicãs verba illa; Domine
Expoſ. in 4. Pſal. pœnitentialem. labia mea aperies, & os meum annũciabit laudem tuam, inquit: Hactenus os meum ego ipſe aperui: & ideo ex vaniloquio peccatum cõtraxi. Nunc verò vt tu aperias deſidero, quia
Pſal. 50. nihil niſi quod ſuggeſſeris loqui concupiſco. Illius labia Deus aperit, qui non ſolum quid loquitur, ſed etiam quando, & vbi & cui loquatur attendit. Sapientia namq; Dei dicit, Do-
Iſa. 50. minus dedit mihi linguam eruditam, quando ſcilicet oporteat ſermonem dicere. Merito ergo ſapiẽs eſt, quia accepit a Domino, quo tempore ſibi loquendum ſit. Vnde non inconuenienter, ait ſcriptura, vir ſapiens tacebit vſq;
Eccli. 20. ad tempus. Iugum etiam in verbis noſtris ſe, & ſtatera præcipitur, vt omne quod loquimur, & humilitate condiatur, & menſura ponderetur. Proferamus ergo ſermones examinatos libra iuſtitiæ, vt ſit grauitas in ſenſu, modus in verbis, põdus in ſermone. Nec prius loquendo os aperiamus quàm expediat, ſed examinemus verba noſtra, ſi tacendum hoc, ſi dicendum, ſi tempus ſit ſermonis huius, poſtremo ſi a virtute modeſtiæ nõ diſſentiat. Et quia ad hoc idonei non ſumus, niſi diuina adſit gratia, clamandum eſt cum propheta, Domine labia mea aperies.

22 BERNARDVS inquit; loquens de ſilẽtio virginis in omni textu quatuor Euangeliorum, non niſi quater materia loquens auditur. Primo quidem ad Angelum; ſed cum iam ſemel atq; iterum allocutus eam fuiſſet. Secundo ad Eliſabeth, quãdo vox eius exultare Ioannem fecit. Tertio ad filium cum iam eſſet annorum duodecim. Quartò in nuptijs ad filium & miniſtros. Venientes paſtores primam omnium Mariam inuenerunt, ſic & magi non ſine Maria infantem inuenerunt, & inducens filium in templum multa a Simeone audiuit, tam de Deo, quam de ſe ipſa, ad loquendum tarda, velox ad audiendum. Et quidem Ma-
Lucæ 2. ria conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo, ſed in his omnibus, neque de ipſo dominicæ incarnationis ſacramento quodcumq; verbum feciſſe reperies. Væ nobis, qui ſpiritum habemus in naribus, væ qui totum proferimus ſpiritum, qui iuxta illud comici, pleni rimarum effluimus vndique.

23 IDEM habet hanc ſententiam; Si vocatur religioſus ad colloquiũ, ſecundum regulam le-
In lib. cuius tit. eſt Speculum Monachorum. uiter, & ſine riſu pauca verba, & rationabilia loquatur, & antequam ea proferat, bis ad limam veniant, quam ſemel ad linguam. Si cum ſeculari loquendum eſt, tunc maxime adhibeat cuſtodiam ori ſuo, vt nihil proferat, quod non ædificet audientem. Et nemo dubitet cum eum viderit, & audierit quin vere ſit monachus.

24 IDEM inquit, Grandi ſollicitudine virgo
In tract. de paſſione Domini ca. 31. cuſtodire debet ora ſua, & cum omni munditia conſeruare, non ſolum ab omni actu pollu-
to, ſed ab omni verbo luxurioſo, turpi, ſcurrili, iocoſo, immo & ocioſo. Eruntq. ſicut in cantico ſponſæ dicitur, ſicut vitta coccinea labia virginũ, & eloquium earum dulce. Sicut enim vitta coccinea ſunt labia, quæ ſemper verbis ardentis charitatis abundant, quibus verbis motus, & cogitationes carnales reſtringũtur. Per coccineum quippe colorem charitas, per vittam qua crines reſtringuntur, reſtrictio cogitationum carnalium, quæ per crines figurãtur accipitur. Sponſarum ergo agni labia precipue decet eſſe, ſicut vitta eſt coccinea; vt ſermo earum ſemper charitate ardeat, paſſione agni, & ſponſi rubeat, qui ſemper debet eſſe in corde, ſemper ſit in ore: candidus & rubicundus, dulcis Ieſus: ſcurrilia verò, turpia, iocoſa, & ocioſa verba, verbis paſſionis conuenire non poſſunt.

Lingua

Lingua commune malum, in quo pauci non labuntur, propter eius periculum.

Cap. VIII.

1 ORIGENES explicans verba illa, quæ adducit Paulus, ſepulchrum patẽs eſt guttur eorum, inquit: Diuerſa in his humani generis peccata deſcribit, omne ſepulchrum immunditiam defuncti cadaueris cõtegit, vnde & Dominus in Euãgelio de ſcribis, Phariſæis dicebat, quòd eſſent ſepulchra dealbata, quæ foris quidem ſpecioſa videntur hominibus, intus autem plena ſunt omni immunditia. Videtur autem Paulus in hoc loco maius aliquid in iſtis, de quibus ſermo eſt, oſtẽdere criminis, cum eos ſepulchrum non tectũ, nec coopertum, ſed patens appellat. Clauſa enim ſepulchra dicuntur ij, quos aliquantulũ pudor cohibet palã delinquere, & proferre ad publicum crimina ſua. Patens verò ſepulchrũ dicuntur ij, qui immunditias ſuas, & impuritates in propatulo habent. Quibus aſsiduitas, & vſus ſcelerum, quod eſt in malis vltimũ, etiã commiſſorum verecundiam ſuſtulit; vt iã non aperiant os ſuum, & proferant verbum Dei vitæ, ſed aperiant guttur ſuum, & proferant verbum mortuum: verbum diaboli nõ de corde, ſed de ſepulchro. Si quando videris ergo hominem laſciuo ore impudica verba iactantem; aut tumido & furibundo contumelias, & maledicta proferentem, non dubitas de hoc dicere, quia ſepulchrum patẽs eſt guttur eius.
Matt. 12. De abundantia enim cordis os loquitur. Ad
2 hæc additur, linguis ſuis doloſe agebant. Do-
Pſal. 5. lus eſt cum aliud quis lingua loquitur, & aliud
Pſal. 13. volutat in corde. Quod crimen neſcio, ſi vel iuſtos quoſque & electos relinquat immunes: ſed puto quod alius plus, alius autem minus,
1. Pet. 2. nemo tamẽ ſit ab hoc ad perfectum purus, niſi ille de quo ſcriptum eſt, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Vnde &
1. Pet. 2. Petrus ſciens iſtas eſſe diuerſitates doli, in epiſtola ſua ſcribit, dicens: Deponentes ergo omnem dolum, & ſimulationem, & inuidiam, & detractionem, quaſi modo geniti infantes rationabiles, ſine dolo lac concupiſcite. Vene-
Pſal. 13. num aſpidum ſub labijs eorum. Morſus ſer-
Deut. 32. pentis veneno corpus interimit. Morſus verbi venenati; fraude animam necat. Sicut ſunt hi, qui calumniarum commentis circumueniunt homines. Quorum amaritudine os plenum eſt, & maledictione. De veneno quidem aſpidum non dixit plena eſſe labia. In illo enim vitio plures fortaſsis inueniuntur, non tamen
Pſal. 13. plures qui plene, & ad integrum veneni illius virus exerceant. Maledictione autem & amaritudine repleri os, valde multorum eſt. Quis enim ita emendati oris eſt, quem non maledicendi conſuetudo ſollicitet? Non dicam aduerſus eos, qui maledicto digni ſunt, ſed aduerſus eos, quos dominus non maledixit, ideſt, iuſtos & innocẽtes viros promptũ hoc, & proCliue vitium eſt fragilitatis humanæ. Et ideo plenũ eſt os eorũ, & tãquã de pleno oris vaſculo indefinẽter dicitur fluere maledictio. Huic tamen & amaritudo cõiungitur, quia ex iracũdię felle depromitur. Per iracundiã enim ac furorem: ad maledicendum lingua compellitur.

BASILIVS explicans verba illa; Prohi- 3
Homil. 9. in Pſ. 33. to. 1. be linguã tuam a malo; & labia tua ne loquantur dolum, ſic habet: Si quidem vis in diebus eſſe bonis, ſi diligis vitam: fac obſerues mandata vitæ. Primum autem mandatum eſt prohibere linguã ſuam a malo, & cauere ne labia tua loquantur dolũ. Peccatũ quod per linguã admittitur, omnium fere propenſiſsimum, ſed & idem multiforme. Iratus es? mox lingua occurrit: concupiſcentia teneris? Habes & hic linguam ante omnia, quaſi lenam, & conciliatricem, quæ cooperetur peccato, quæ per ſimulationem proximis imponat. Eſt tibi lingua quoque vice ſcuti ad iniquitatem, cum non ex corde loquitur, ſed ea promit, quæ ad fraudem, & impoſturam faciunt. Deniq; quid opus cõmemorare, quæ per linguã peccentur? vita noſtra referta eſt linguæ delictis, turpiloquio, vrbanitate, ſtultiloquio, & quæ non conueniunt, detractione, otioſo ſermone, periurio, falſis teſtimonijs. Hæc mala omnia, & alia illis plura ſunt linguæ opera. Qui verò aduerſus Dei gloriam os aperiunt, & iniquitatem in excelſo loquuntur, alione aliquo, quàm linguæ organo impietatem ſuam perficiũt? Quoniam igitur extuis verbis iuſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis; prohibe linguam tuam a malo, nec vana mendaciq. lingua irã tibi theſaurizabis. Prohibe item labia tua ne loquantur dolum, hoc eſt quæ tibi inſtrumenta ſunt data adminiſtrando ſermoni, fac vacare a prava operatione. Eſt autem dolus maleficium occultum proximo oblatum ſub prætextu, & ſimulatione rei melioris.

HIERONYMVS explicans verba illa; 4
In caput 19. Iob tom. 7. pelli meæ cõſumptis carnibus adhæſit os meũ, & derelicta ſunt tantummodo labia circa dentes meos, inquit: Ad hoc diabolus cõſumptis carnibus ſancti Iob, labia eius integra dereliquit; vt haberet poſitus in tormentis, quibus poſſet facile blaſphemare, quaſi cordis blaſphemia non ſit, pro qua ipſæ Iob, ſicut pro cæteris peccatis holocauſta Deo pro filijs ſuis offerebat, ſed ideo diabolus linguam reſeruauit, vt intelligere poſſet, ſi Iob ob cordis ſimplicitatem, blaſphemiam proferret in labijs.

IDEM exponẽs verba illa; Cum enim dul- 5
In caput 20 Iob. ce fuerit in ore eius malũ, abſcondet illud ſub lingua ſua ait: Dulcia mala ſunt impio blaſphemia, & cætera oris peccata. Abſcondet ſub lingua ſua dicens: Vbi eſt ei labor, & dolor, & defendet atq; celabit, vt ait ſcriptura? Qui cõtegit iniquitatẽ ſuã nõ proſperabitur? Et celabit in gutture ſuo, illud mihi dicere videtur, quòd ſemper ſit ad blaſphemãdũ paratus, & nõ prius ſaltẽ per aliquam moram cogitat, quid dicturus eſt, quia iam paratam habet blaſphemiam, quam cum maledictione cordis effundat.

6 AMBROSIVS docens, quòd tacendo
Lib. 1. Offi. c. 2. to. 4. fugimus periculum, & discimus recte dicere, inquit: Quid autem præ ceteris debemus discere, quàm facere, vt possimus loqui, ne prius me vox condemnet mea, quàm absoluat aliena? Scriptum est enim: Ex verbis tuis condé-
Matt. 12. naberis. Quid opus igitur vt properes periculum suscipere condemnationis loquendo, cum tacendo possis esse tutior? Complures vidi loquendo peccatum incidisse, vix quemquã tacendo. Ideoq. tacere nosse, quàm loqui difficilius est. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quemquam, cum sibi loqui nihil prosit. Sapiens est ergo, qui no-
Isa. 50. uit tacere. Denique sapientia Dei dixit: Dominus dedit mihi linguã eruditam, vt sciam quando oporteat sermonem dicere. Merito ergo sapiens, qui a Domino accipit, quo tempore sibi loquendum sit. Vnde bene ait Scriptura: Ho-
Prou. 20. mo sapiens, tacebit vsque ad tempus. Ideo sancti Domini, qui sciebant, quia vox hominis plerunque peccato adiuncta est, & initium erroris humani sermo est hominis, amabat tacere.

7 Denique sanctus Domini ait: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Sciebat enim, & legerat diuinæ esse protectionis, vt homo a linguæ suæ flagello absconderetur, & a conscientiæ suæ testimonio. Verberamur enim tacito cogitationis nostræ opprobrio, & iudicio conscientiæ verberamur, vocis nostræ verbere, cum loquimur ea, quorum sono cæditur animus noster, & mens consauciatur. Quis enim est, qui mundum cor habeat a peccatorum colluuione, aut non delinquat in lingua sua? Et ideo quia neminem sciebat castum os seruare posse ab immũditia sermonis, ipse sibi silentio legem imposuit innocentiæ, vt tacendo culpam declinaret, quam vix effugere posset loquendo. Audiamus ergo cautio-
Psal. 38. nis magistrum: Dixi custodiam vias meas, hoc est, tacito cogitationis præcepto indixi mihi, vt custodirem vias meas. Aliæ sunt viæ, quas debemus sequi, aliæ quas custodire. Sequi vias Domini, custodire nostras, ne in culpam dirigantur. Potes autem custodire; si non citò loquaris. Lex dicit: Audi Israel Dominum Deum tuum: Non dicit, loquere, sed audi. Ideo Eua lapsa est, quia locuta est viro, quod non audierat a Domino Deo suo. Prima vox Dei dicit tibi: Au-
Deut. 6. di. Si audias, custodies vias tuas. Tace ergo prius, & audi, & non delinques in lingua tua. Graue ergo malum, vt aliquis ore suo condemnetur. Etenim si pro otioso verbo reddet vnus quisque rationem, quanto magis pro verbo impuritatis, & turpitudinis?

8 IDEM ostendens taciturnitatem modeLib. eodem c. 3. randam esse, & quod ira silendum sit, ait: Quid igitur mutos nos esse oportet? Minime. Est enim tempus tacendi, & tempus loquendi. Deinde si pro otioso verbo reddemus rationem, videamus ne reddamus, & pro otioso silentio. Est enim & negotiosum silentiũ, vt erat Susannę, quæ plus egit tacendo, quàm si esset locuta. Tacendo enim apud homines, locuta est Deo. Nec vllũ maius indiciũ suæ castitatis habuit, quàm silentium: conscientia loquebatur, vbi vox non audiebatur, nec quærebat pro se hominum iudicium, quæ habebat Domini testimoniũ. Ipse Dominus in Euangelio, tacens operabatur salutem hominum. Recte ergo Duid non silentium sibi indixit perpetuum, sed custodiam. Custodiamus ergo cor nostrum, custodiamus os nostrum. Vtrunque enim scriptũ
Prou. 4. est hic, vt custodiamus os. Alibi tibi dicitur: omni custodia serua cor tuum. Si custodiebat Dauid, tu non custodies? Si immunda labia ha-
Isa. 6. bebat Isaias, qui dixit: Væ mihi quia vir pollutus labijs ego sum. Si Propheta Domini immũda habebat labia, quomodo nos munda habemus? Et cui nisi vnicuique nostrum scriptum
Eccli. 28. est. Sepi possessionem tuam spinis, & aurum, & argentum tuum alliga, & ori tuo fac ostium, & vectem, & verbis tuis iugum, & stateram. Possessio tua, mens tua est. Aurum tuum, cor tuũ
9 est. Argentum tuũ, eloquium tuum est. Eloquia Domini, eloquia casta, argentũ igne examinatum. Bona etiã possessio mens bona. Sepi ergo hanc possessionem, & circumuallato cogitationibus, munito spinis sollicitudinum, ne in eam irruant, & captiuã ducant irrationabiles corporis passiones, nec incursent motus graues, ne diripiant vindemiam eius, transeuntes viã. Custodi interiorem hominem tuum, noli eum quasi vilem negligere, ac fastidire, quia pretiosa possessio est, cuius fructus stabilis, & æternæ salutis est. Alliga sermonem tuum, ne luxuriet, ne lasciuiat, & multiloquio peccata sibi colligat. Sit restrictior, & ripis suis coerceatur, citò lutum colligit, amnis exundans. Alliga sensum tuum, nõ sit remissus, ac defluus, ne dicatur de te, non est malagma ponere, neque oleum, neq; alligaturã. Habet suas habenas mentis sobrietas, quibus regitur, & gubernatur. Sit ori tuo ostium, vt claudatur, vbi oportet, & obseretur diligentius, ne quis in iracundiam excitet vocem tuam, & contumeliam rependas contumeliæ. Sed iugum sit verbis tuis, & statera, hoc est, humilitas, atque mensura, vt lingua tua menti subdita sit. Restringatur habenæ vinculis, frænos habeas suos, quibus reuocari possit. Ad mensuram sermones proferat libra examinatos iustitiæ, vt sit grauitas in sensu, in sermone pondus, & in verbis modus.

IDEM docens, quod insidias loquenti ten- 10
Lib. 1. Offi. c. 4. to. 4. dit diabolus, inquit: Custodiendo os suum, retinendo linguam suã, nec prius loquẽdo, quàm interroget, & expendat, atq; examinet verba sua, si dicendum hoc, si dicendũ aduersus hũc, si tempus sermonis sit huius, is profectò exercet modestiam, ac mansuetudinem, & patientiam, vt non ex indignatione, & ira in sermonem erumpat, non alicuius passionis inditiũ det in verbis, non ardorem libidinis flammare in sermone suo indicet, & inesse dictis suis stimulos iracundiæ, postremò ne sermo, qui commendare interiora debet, vitium aliquod esse in moribus aperiat, & prodat.

Vnde

Psal. 90. Vnde nõ immerito propheta dixit: Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Symmachus irritationis verbum dixit, Alij perturbationis. Laqueus aduersarij est sermo noster, sed etiam ipse non minus aduersarius est nobis. Loquimur plerumque quod excipiat inimicus; & quasi nostro gladio nos vulneret. Quanto tolerabilius est alieno gladio, quàm nostro perire? Explorat ergo aduersarius nostra arma, & concutit sua tela. Si emisero verbum indecorum, laqueum suum stringit: Si quis ergo istum aduersarium sentit præsentem esse, tunc magis custodiam adhibere debet ori suo, ne det locum aduersario.

11 IDEM vbi docet quòd primum officium
Lib. 1. offic. cap. 10. sit linguæ moderatio, inquit: Pythagoras Socrate antiquior prophetam secutus Dauid legem silentij dedit suis. Sed ille, vt per quinquennium discipulis vsum inhiberet loquendi, Dauid autem non vt naturæ munus imminueret, sed vt custodiam proferendi sermonis doceret. Et Pythagoras quidem, vt non loquendo loqui doceret; Dauid vt loquẽdo magis disceremus loqui. Ipsa natura nos in paruulis docet, quòd prius sonos meditantur loquendi, vt loqui discant. Ita ergo qui volunt discere cautionem loquendi, quod naturæ est non negent, quod custodiæ est exerceant, vt qui in specula sunt, speculando intendant, non dormiendo. Ergo Dauid tacebat non semper, sed pro tempore. Non iugiter neque omnibus, sed irritanti aduersario, prouocanti pec-
Psal. 37. catori non respondebat. Et sicut alibi ait: Loquentes vanitatem, & cogitantes dolos, non audiebat quasi surdus, & quasi mutus, nõ aperiebat illis os suum. Quia & alibi habes: No-
Prou. 27. li respondere imprudenti ad imprudentiam suam, ne ei similis fias. Primum igitur officium est loquendi modus. Hoc sacrificium laudis Deo dependitur. Scio loqui plerosque, cum tacere nesciant. Rarum est tacere quenquam, cum sibi non prosit loqui. Sapiens, vt loquatur multa prius considerat, quid dicat, aut cui dicat, quo in loco, quo tempore. Est enim tacendi, & loquendi modus.

12 IDEM sic habet: Deesse sermonem virgi-
Libro 3. de virginitate. ni, quàm superesse malo. Nam si mulieres etiam de rebus diuinis in Ecclesia iubentur tacere, domi viros suos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem? Maxima est virtus tacendi, præsertim in Ecclesia. Nullum ex ore verbum, quod reuocare velis, proferas; sed parcior loquendi fiducia sit. Copiosum quippe in multiloquio peccatum. Frequens sermo est, cum plurima ranarum murmura religiosæ auribus plebis obstreperent, sacerdotem Dei præcepisse, vt conticerent, ac reuerentiã sacræ deferrent orationi, tunc subito circũfusos strepitus quieuisse. Silent igitur paludes, homines non silebunt?

13 IDEM exponens verba illa, in quo corrigit adolescẽtior viam suam ait: Iunior dicitur sedere solitarius & tacere: & tacens leuabit se supra se. Sedet solitarius & tacet, ne rudis ætatis facilitate labatur, laudandus eo, quia prius vult loquenda cognoscere, quàm proferre, quæ sentiat, antequam loqui discat, timens ne multiloquio peccatum contrahat. Vnde puto & Pythagoram illum philosophum imitatorem iuuenis huius prophetici, instituisse sectam: vt discipuli sui quinquennio, non loquentes tanto silentio loqui discerent, cum præsertim Dauid superioris ætatis quàm Pythagoras di-
Psal. 38. cat: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiã. Et quia fortasse aliquando aliquid locutus esset incautius; ideo postea a Deo poni ori suo
Psal. 140. custodiam postulauit. Isaiam quoque Pytha-
Isaiæ 40. goricis anteriorem fuisse quis nesciat? qui cũ audisset, clama nõ prius clamauerit, quàm audiret, quid clamare deberet. Respondit enim, Quid clamabo? iuuenis si in consilio seniorum
Eccli. 25. sederit: manum adhibebit ori suo, vt audiens sentẽtias colligat, quas ad maturiorem seruet ætatem. Quemadmodum Maria, cum verba Christi audiret, conferebat ea omnia in corde suo.

AVGVSTINVS sic habet: Quod Apo- 14
Lib. de natura & gratia contra Pelagianos to. 7. stolus Iacobus ait: linguam autem nullus hominum domare potest, nõ mihi videtur ita intelligendum, quasi diceret per exprobrationẽ: tãquam diceretur ergo ne linguam nullus hominum domare potest? tanquam obiurgans,
Iac. 3. & dicens domare feras potestis, linguam non potestis, quasi facilius sit linguã domare quã feras. Si enim hoc sentire vellet de facilitate domandæ linguę, cetera sequerentur in bestiarum comparatione. Nunc verò sequitur, inquietum malũ plena veneno mortifero, vtiq; nocentiore quàm bestiarum est, atque serpentium. Nam illud carnem interficit: hoc verò
Sap. 1. animam. Os enim quod mentitur occidit animam. Non ergo quasi id esset facilius, quàm mãsuefactio bestiarum sanctus Iacobus illam sententiã pronunciauit: sed potius ostendens quantum sit in homine linguæ malum, vt a nullo homine domari possit; cum ab hominibus domentur & bestiæ. Neque hoc ideo dixit, vt huius in nos mali dominationem per negligẽtiam permanere patiamur: sed vt ad domandam linguam diuinæ gratię poscamus auxiliũ. Non enim ait linguam nullus domare potest, sed nullus hominũ, vt cum domatur, Dei adiutorio, Dei misericordia, Dei gratia fieri fateamur. Conetur ergo anima domare linguã, & dum conatur poscat auxiliũ, & oret lingua, vt dometur lingua. Itaq; præcepto facere cõmonemur, quod conantes, & nostris viribus non valentes, adiutorium diuinum precemur.

IDEM explicãs verba illa; Dixi custodiã 15
In Psal. 38. to. 8. vias meas, vt nõ delinquam in lingua mea, inquit: Quia difficile est, vt quisquã lingua non labatur, & peccet, & qui lingua non peccauit, vt scriptum est, hic perfectus est vir, aliqua
Iac. 3. forte pœnitenda dixerat: & lapsa erant ab

ore, quæ vellet reuocare, nec posset. In lingua enim facile labimur. Videns ergo quàm esset difficile, vt necesitatem loquendi haberet homo, & in loquendo non aliquid diceret, quod se dixisse nollet, & tædio affectus ex his peccatis quæsiuit euitare talia. Cum ergo ei hæc contigissent statuerat non loqui, ne aliquid diceret, quod locutum se esse pœniteret, ait: Dixi custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea.

16 In Ps. 143. IDEM exponens verba illa; De gladio maligno eripe me, inquit: Gladium malignum dixit, est enim gladius sine dubio benignus, de Matt. 10. quo Dominus dicit: non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Gladius putredinem abscindens, membra autem Christi sanans. Gladius autem malignus est, quo homines loquuntur vanitatẽ; quia benignus est, quo Deus loquitur veritatem. Ergo de gladio maligno Psal. 56. eripe me. Filij quippe hominum dentes eorũ arma, & sagittæ: & lingua eorum gladius acutus. Ab hoc gladio maligno erue me. Attendite, quia inter istos periclitamini, inter horũ linguas aduersus carnis vestræ desideria dimicatis, inter horum linguas positas in manu diaboli, de quibus pugnant, colluctationem habetis.

17 Serm. 4. de verbis Domini in Euangelium Matt. 10.10. IDEM explicãs verba illa; Qui dixerit fratri suo fatue, reus erit gehennæ ignis, inquit: Linguam nullus hominum domare potest. Et homo domat feram, non domat linguam; domat leonem, & non refrænat sermonem; domat ipse, & non domat seipsum: domat quod timebat, & vt se domet non timet, quod timere debebat. Linguam nullus hominum domare potest. Ibunt ergo omnes in gehennã ignis? Iaco. 3. Absit. Sed intelligamus, quia si linguam nullus hominum potest domare, ad Deum confugiendum est, qui domet linguam nostram. Si enim tu eam domare volueris non potes, quia homo es, & linguam nullus hominum domare potest. Attẽdite similitudinem ab ipsis bestijs, quas domamus. Leo non se domat, elephantus non se domat, equus non se domat; sic & homo non se domat. Sed vt dometur equus, elephantus, leo, camelus, queritur homo: ergo Deus quæratur, vt dometur homo. Domuisti leonem, quem nõ fecisti, non domat te, qui fecit te? imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem suam?

18 Ser. 45. ad fratres in eremo. IDEM sic habet; Maiora vulnera sunt linguæ, quam gladij. Gladius corpus interficit animam autem non interficit. Videte fratres: quanta mala habet lingua, in bono magna est, in malo mors est. Diabolus vnde cecidit? Nunquid furtum fecit, aut homicidium, aut Isa. 14. adulterium? Diabolus non propter hoc cecidit, sed propter linguam, quia dixit: in cælum conscendam, supra sydera exaltabo solium meum, & similis ero altissimo. Quid dicit Salomon? Prou. 18. Mors & vita in manibus linguæ. Propheta quia immunda labia habet, non potest Isa. 6. prophetare.

19 BERNARDVS ait: Quis numeret quãtas modicum linguæ membrum cõtrahat sordes, quàm multiplex in labijs incircuncisis immunditia copuletur, quàm sit grauis pernicies oris incircunspecti? Est enim lingua dissoluta in sermonibus ociosis, est lingua impudica, est & magniloqua, quarum prima lasciuiæ, sequens arrogantiæ famulatur. Est etiam lingua dolosa, & item lingua maledica, quarum altera in falsiloquiam, & adulatoriam subdiuiditur, altera verò nunc in facie contumelias irrogat, nunc detrahit in occulto. Quod si de omni, vel ocioso verbo quodcunq; locuti fuerint homines Deo reddituri sunt rationem in die iudicij; quanto districtius de verbo mendaci, & iniurioso, de elato, vel lasciuo, vel adulatorio, aut detractorio iudicabuntur? Quàm vera sententia fratres, in multiloquio non effugiendum peccatum. Nemo vestrum fratres parui æstimet tempus, quod in verbis consumitur ociosis. Volat verbum irreuocabile, volat tempus irremeabile: nec aduertit insipiens, quid amittat. Libet confabulari, aiunt, donec pertranseat hora. O donec prætereat hora, donec pertranseat tempus. Donec hora prætereat, quam ad agẽdam pœnitentiam, ad acquirendam gratiam, miseratio cõditoris indulget? Infra: Lingua maledica vipera est. Ferocissima plane, quæ tam læthaliter tres inficiat flatu vno, illum qui loquitur, & de quo loquitur, & quem verbis suis scãdalizat. Nunquid non lancea est ista lingua? Profecto, & acutissima, quæ tres penetrat ictu vno. Lingua eorum gladius acutus. Gladius equidẽ anceps, immo triceps est lingua detractoris. Nec verò eiusmodi linguam, ipso etiam mucrone, quo Domini cum latus confossum est, crudeliorem dicere verearis. Fodit enim hæc quoque Christi corpus, nec iam exanime fodit, sed facit exanime fodiendo. Ipsis quoque nocentior est spinis, quas illi tam sublimi capiti furor militaris imposuit, seu etiã clauis ferreis, quos sanctissimis manibus illis, & pedibus cõsummatio iudaicę iniquitatis infixit. Nisi enim huius, quod nunc pungitur, & transfoditur, corporis sui, vitam illius vitę corporis prętulisset, nunquam illud pro isto mortis iniuriæ, Crucis ignominiæ tradidisset. Leuis quidem res sermo, quia leuiter volat, sed grauiter vulnerat; leuiter transit, sed grauiter vrit; leuiter penetrat animum, sed non leuiter exit; profertur leuiter, sed non leuiter reuocatur; facile volat, atque ideo facile violat charitatem. Tenerum membrũ lingua, attamen vix teneri potest; substantia quidem infirmum atque exiguum, sed vsu magnum, & validum inuenitur; Modicum membrum est, sed nisi caueas, magnum malum. Vilis res est musca moriens, sed exterminat Deum suauitatis. Tenuis est, & lata lingua, aptissimum vacuandis cordibus instrumentum, sicut multorum mihi interuos conscientias arbitror attestari. Facile lingua labitur, nec minus facile illabitur cordi, ita vt multis inter loquendum minus profuerit, quod propriam cohibuerint, dum non cauerint alienam. Tu qui crebris experimentis, saltem solerter aduertisti, quantũ noceant verba, non despies si solicitus fueris, quam doquidem interesse necesse est collocutioni. Non modo ori circũspectionem, sed & auri nihilominus adhibere cautelam, sed memento te quoniam lingua est, quæ contra vitia linguæ loquitur, vt in eo vel maxime haberi debeat excusata, quòd nec sibi parcat, & aduersus propria quoq; sui ipsius pericula muniat audientes. Ventus est sermo; sed non semper est ventus vrens. Est quoq; magna nihilominus sermonis vtilitas, & frequenter in lingua fructus Prou. 18. preciosissimus reperitur. Nec sola mors est in manibus linguæ; sed etiam vita. Nunc verò ponẽda nobis ori nostro custodia, & ostium circunstantiæ labijs, vt nec vitalem ædificationem clausura damnet æterna, nec læthalis pernicies liberum fortiatur egressum. Vigilemus super verba nostra, ne in eis, vel offendere Deum, vel proximo nocere contingat. Fœlix siquidem, quem in omni confabulatione duplex timor ille sollicitat, & duorum consideratio stimulat auditorem; primum quidem diuinæ maiestatis, in cuius manus incidere prorsus horrendum; dehinc fraternæ infirmitatis, cui nihilominus perfacile est offendiculũ dare.

Ser. de triplici custodia manus, linguæ, & cordis.

Prou. 10.

20

Psal. 56.

12

Locus communiter multum iuuat ad virtutem, etiam si aliquando hominum culpa non prosit. Cap. IX.

1 Epi. 13. quæ est ad Paulinum de instit. monachi. tom. 3. DE re hac multa diximus lib. 9. cap. 19. dicendaq. sunt lib. 11. cap. 8. de malorum societate vitanda, maxime ab imperfectis, vltra illa Hieronymus, inquit: Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis bene vixisse laudandum est. Illa expetenda est ciuitas, non quæ occidit prophetas, & Christi sanguinem fudit; sed quam fluminis impetus letificat, quæ in monte sita celari non potest, quam matrem sanctorũ Apostolus clamitat, in qua se municipatum cum iustis lætatur habere. Neque verò hoc dicens, memetipsum inconstantiæ redarguo, damnoq. quod facio, vt frustra videar ad exemplum Abraham, & meos, & patriam reliquisse: sed non audeo Dei omnipotentiam angusto fine concludere, & coarctare paruo terræ loco, quẽ non capit cęlum. Singuli quique credentium, non locorum diuersitatibus, sed fidei merito ponderantur. Et veri adoratores, neque Hierosolymis, neque in monte Garizin adorant Ioan. 4. patrem: quia Deus spiritus est, & adoratores eius in spiritu, & veritate adorare oportet. Psal. 23. Spiritus spirat, vbi vult. Domini est terra, & plenitudo eius. Et de Hierosolymis, & de Brioan. 17. tannia æqualiter patet aula cęlestis. Regnum enim Dei intra nos est.

3 Lib. de Paradiso cap. 4. tom. 1. AMBROSIVS explicans verba illa Genesis 2. & apprehendit Deus hominem, quem fecit, & posuit eum in paradiso operari, & custodire, sic habet: Erat Adam in terra plasmationis suæ. Apprehendit ergo eum virtus Dei inspirans processus, & incrementa virtutis. Denique in paradiso eum collocauit; vt scias apprehensum, quasi afflatum diuina esse virtute. Illud autem aduerte, quia extra paradisum vir factus est, & mulier intra paradisum; vt aduertas nõ loci, non generis nobilitate, sed virtute, vnusquisque gratiam sibi comparat. Deniq. extra paradisum factus, hoc est, in inferiore loco; vir melior inuenitur. Et illa quæ in meliore loco, hoc est in paradiso facta est, inferior reperitur. Mulier enim prior decepta est; & ipsa decepit. Vnde Paulus ait: Quia 1. Tim. 2. Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit.

3 Expositione. 2. Ps. 29. tom. 8. AVGVSTINVS docet qua ratione Deus permittat iustos tentari, & ait: Iob in stercore est cautio, quam Adam in paradiso. Nam Adam in paradiso consensit mulieri, vt de paradiso emitteretur, Iob in stercore re- Iob 2. spuit mulierem, vt ad paradisum admitteretur. Quid ergo Iob in stercore, parturiens im- Gen. 3. mortalitatem intrinsecus, vermibus fluescens extrinsecus, quid ait mulieri? Tanquam vna ex insipientibus mulieribus locuta es, si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non sustineamus.

4 Homil. 9. in Ezechielẽ tom. 2. Cap. 2. GREGORIVS explicãs verba illa; Sermones eorũ ne metuas, quia increduli, & subuersores sunt tecum, inquit: Mali cum teneriores quosdam, bona incipere, mala iam deitare cognouerint, modo irridendo, quod in cellis promittitur, modo despiciendo, quod Deus omnipotens de inferni supplicijs minatur, modo laudando bona temporalia, & delectationes præsentis sęculi callida persuasione pollicendo, deflectunt mentes innocentium, eorumq. itinera peruertunt. At si fortasse iustum quempiam tãtæ iam virtutis inuenerint, vt ei loqui contraria, non præsumant; quia subuersores esse non possunt, statim scorpiones fiunt. Scorpio enim palpando incedit; sed cauda ferit. Nec mordet a facie; sed a posterioribus nocet. Scorpiones ergo sunt, qui blãdi, & innoxij in facie videntur; sed post dorsum portant, vnde venenum fundant. Vnde etiam per psalmistam dicitur: Circundederunt me sicut apes, & exarserunt sicut ignis in Psal. 117. spinis. Apes enim in ore mel habent; in aculeo caudæ vulnus. Et omnes qui lingua blandiuntur, sed latentes ex malitia feriunt, apes sunt; quia loquendo dulcedinem mellis proponunt, sed occulte feriendo vulnus inferunt. Dicatur ergo increduli, & subuersores sunt tecum, & cum scorpionibus habitas. Increduli scilicet Deo, subuersores verò infirmantibus proximis, scorpiones vero etiam fortibus, & robustis. Non est perfecte bonus, nisi qui fuerit & cum malis bonus. Hinc Iob de seme- Iob. 30. ipso dicit, frater fui draconum, & socius struthionum. Hinc Paulus discipulus ait: In me- Phi. 2. dio nationis prauæ, & peruersæ, inter quos lucetis,

5 cetis, ſicut luminaria in mundo. Hinc Petrus
2.Pet.2. dominici gregis paſtor dicit: Iuſtum Loth oppreſſum a nephandorum iniuria, conuerſatione eripuit. Aſpectu enim,& auditu iuſtus erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iuſti iniqui operibus cruciabant. Sæpe verò cum de vita proximorum querimur, mutare locum conamur, ſecretum vitæ remotioris eligere, videlicet ignorantes, quia ſi deſit ſpiritus, non addiuuat locus: idem enim Loth de quo loquimur, in Sodomis ſanctus extitit,
Gen.19. in monte peccauit. Quia autem loca mentem non muniunt, ipſe humani generis primus teſtatur parens, qui & in paradiſo cecidit. Sed minus ſunt omnia, quæ loquimur ex terra.
Gen.3. Nam ſi locus ſaluare potuiſſet, ſatan de cælo non caderet. Vnde pſalmiſta vbique in hoc mundo tribulationes eſſe conſpiciens; quęſiuit locum quo fugeret, ſed ſine Deo inuenire non potuit munitũ. Ex qua re & ipſum ſibi locum fieri petijt, propter quem locum quæſiuit, di-
Pſal.30. cens: Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Vnum verò eſt pro quo vitari ſocietas debet malorũ, ne ſi forraſſe corrigi non valent, ad imitationem trahant. Et cum ipſi a ſua malitia non mutantur, eos qui ſibi coniuncti fuerint peruertant, vnde Paulus ait: Corrumpunt bonos 1.Cor.15.
mores colloquia mala. Et ſicut per Salomonem dicitur: Noli eſſe amicus homini iracundo, nec ambules cum viro furioſo; ne forte diſcas ſemitas eius, & ſumas ſcandalum animæ Prou.22.
tuæ: Nam ſicut malus aër aſsiduo flatu tractus inficit corpus; ita peruerſa locutio aſsidue audita, infirmantium inficit animum, vt tabeſcat delectatione praui operis aſsidui iniquitate ſermonis.

6 IDEM ſic ait; Cęleſtis gratia, & nos in vrbibus, & vos in eremo protegat, quia antiquus hoſtis terrarum locis a tentatione non excluditur, quia ſi in paradiſo hominem ſtrauit, quis locus extra Paradiſum eſſe poteſt, in quo mentes hominum penetrare non valeat? In ſola ergo creatoris noſtri protectione fidendum eſt, cui ex intimo corde clamemus; Eſto mihi in Deum protectorem, & in locum munitum, vt ſaluum me facias. Pſal.70.

Lib.8.epiſt. ex regiſtro indict.3.epiſtola 45. ad Pallad.presbyterum.

FINIS LIBRI DECIMI.

LIBER

LIBER VNDECIMVS
LOCORVM COMMVNIVM
AD SACRAS CONCIONES
MO
AVCTORE R. D. F. IOANNE LOPEZ
Epiſcopo Cotronenſi Ord. Prædic.

Mandata implenda primum, deinde inſpirationes, ac diuina conſilia, quæ Dominus noſtro reliquit arbitrio. Cap. I.

1 Lib. 3. in cap. 3. epiſt. Pauli ad Romanos to. 3.

ORIGENES explicans verba illa, quæ ex pſalmo Paulus retulit; Omnes declinauerunt ſimul inutiles facti ſunt, inquit: Propter hoc puto, & Dominum in Euangelijs dare mandatum, vt cum
Lucæ 17. omnia præcepta fecerimus, meminerimus tamen quid ſimus, & dicamus: Serui inutiles ſumus, quod debuimus facere, fecimus. Donec enim quis hoc facit tantum quod debet: id eſt, ea quæ præcepta ſunt, inutilis ſeruus eſt. Si autem addas aliquid præceptis, tunc iam non in-
Matt. 25. utilis ſeruus eris. Sed dicetur ad te: euge ſerue bone, & fidelis. Quid autem eſt quod addatur
1.Cor.7. præceptis, & ſupra debitum fiat, Paulus Apoſtolus dicit: De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus a Deo. Hoc opus ſuper præceptum eſt. Qui ergo cõpletis præceptis addiderit etiam hoc vt virginitatem cuſtodiat; iam non inutilis ſeruus, ſed ſeruus bo-
1.Cor.9. nus, & fidelis vocabitur. Et iterum præceptum eſt: vt qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuant. Paulus tamen dicit: Quia nullo horum vſus ſum; & ideo non inutilis erat ſeruus, ſed fidelis, & prudens.

2 In epiſt. 26. quæ eſt ad Pãmachiũ, HIERONYMVS explicans verba illa; Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia quę habes, & da pauperibus. Si vis perfectus eſſe. Semper grandia in audientium ponuntur arbitrio. Et ideo virginitatem Apoſtolus non imperat. Quia Dominus diſputans de eunuchis, qui ſe caſtraſſent propter regna cælorum, ad extremum intulit: Qui poteſt capere, capiat. Matt.19.
Si vis perfectus eſſe, non tibi imponitur neceſsitas, vt voluntas prẹmium conſequatur.

3 IDEM ſic habet; Scito in Scripturis diuinis, per quas ſolas potes plenam Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, nonnulla ſuaderi. Prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, perfecta ſuadentur. In duobus illis quæ priori loco ſunt, peccatum omne concluditur; in vtroque enim Dei continetur imperium. Et non ſolum præcipere, ſed & prohibere ipſum iubentis eſt. Generaliter namq; omnibus mandatur inſtitia, quam Saluator in Euangelio breuiter quidem, ſed pleniſsime cõprehendens, ait: Quæcunque vultis, vt faciant vobis homines, hæc & vos facite illis, Matt.7. Luc.6.
hoc eſt, vt nihil mali inferamus alijs, ſed præſtemus omne quod bonum eſt, quia volumus hoc ab alijs in nos vtrunque ſeruari. Hæc ſententia ęquo iure prẹcepti vniuerſos tenet. Nec vlli omnino trãſgredi licet, quod omnibus imperatum eſt, apertuſq. contemptus Dei eſt, vel facere prohibita, vel iuſſa non facere. Duo verò reliqua, quæ ſequuntur, quorum vnum conceditur, & ſuadetur alterum, in noſtra poteſtate dimiſſa ſunt, vt aut cum minori gloria conceſsis vtamur, aut ob maius præmium etiam ea, quæ nobis promiſſa ſunt, reſpuamus. Conceduntur

quem conſolatur in obitu Paulinæ vxoris ſuæ. to.1.

In epiſt. 1. quæ eſt ad Demetriadem virginem. to.1.

ceduntur quidem nuptiæ, carnium vsus,& vinum; sed horum omnium abstinentia concilio perfectiore suadetur. Ad virginitatis honorem pertinet licentia nuptiarum,& escarum indulgentia; virtutem abstinentiæ clariorem facit. Contempsisti virgo coniugium licitum tibi, priusquam contemneretur. Maioris præmij amore flagrans vouisti Deo non imperatam, sed laudatam virginitatem, & consilio Apostoli legem tuam feciſti latiorem. Certaminis ingressa campum, non tam laborem cursus, quàm brauium victoriæ cogitasti. Legeras credo, illud Euangelicum de perpetua castitate præconium, & ipsius te Domini sermo ad amorẽ seruandæ virginitatis accenderat, qui Petri super hoc sententiam ipsa rei magnitudine ac difficultate laudauit, & voluntarijs spadonibus regnum cælorum promittens,ait: *Matt. 19.* Qui potest capere capiat. Rem itaque tam magnam non impero, non impono,sed offero: neque quenquam ad hoc cogo, sed prouoco. *1.Cor.7.* Et Apostolus de virginibus, præceptum quidem se dicit non habere Dei, sed dat consilium. Perfectionis igitur secuta consilium,beatitudinem, specialis aggressa propositi, seruat generale mandatum. Dixi idemque nunc repeto: in causa iustitiæ omnes vnum debemus, virgo, vidua, nupta,summus,medius, & imus gradus æqualiter iubetur implere præcepta. Neque a lege soluitur, qui supra legem facere 3 proponit. Quinimmo nullus magis illicita vitare debet,quã qui respuit,quæ licebant. Nec quisquam ita a se mandata pollicetur implenda, vt ille qui amore perfectionis supra mandata conscendit,& dum amplius statuit facere quam præceptum est, ostendit minus sibi præceptum esse quàm potuerit. Deinde qui tantæ se esse obedientiæ profitetur, vt etiam consilium diuinum libenter audiat,quomodo non debet audire præceptũ? illa enim res electionis est; ista necessitatis. De virginitate dicitur,qui potest capere capiat. De iustitia non dicitur, qui potest facere faciat; sed omnis ar- *Matth. 7.* bor,quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Considera quæso: quantum a consilio distet imperium. Ibi aliquos excipit; hic omnes generaliter comprehẽdit. Ibi præmium proponit; hic pœnam. Ibi inuitat vt facias; hic nisi feceris cõminatur. Hæc igitur optima ratione distinguẽs, animaduerte quid offeras; animaduerte quid debeas: immo quia vtrunque iam debes, & virginitatem, quam vltro obtulisti Deo, & iustitiam, quam ipse præcepit, integrum vtrunque persolue. Ille seruus Domino placet, qui ita aliquid vltro operis exercet; vt tamen etiam imperata perficiat, qui non facit aliud pro alio, sed vtrunque,nec mutat, sed addit obsequium. Nec te earum exempla decipiant, quæ sibi in sola castitate plaudentes; vt post suas voluntates eant, Dei voluntatem abijciunt. Quæ perpetuæ castitatis bonum non cum iustitia, sed pro iustitia offerre volunt, & in compensatione peccatorum, præmium virginitatis annumerant. Ornetur morum sanctitate virginitas; & perfectum gradum, vitæ perfectio subsequatur.

IDEM exponens verba illa; Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo,inquit: Notandum quòd ita nos disciplinam patris audire præcipit, vt legem quoq; matris nulla ratione dimittamus. Quia non sufficit, vt præceptis Dei obtemperare se dicat; nisi diuinam gratiam docentem sequatur, vel audiat Ecclesiam. Vt addatur gratia capiti, & torques collo. Mos apud veteres fuit, vt legitime certãtes coronam in capite, torquem in collo acciperent. Et nobis ergo si disciplina conditoris nostri, si gratia matris sit ad custodiam; maior inde spiritualium virtutum claritas augetur. Additur enim gratia capiti, cum charitas, quæ principale mentis ornat: ardentius inflammatur. Additur & collo torques cum fulgore perfectæ operationis, sermo prædicationis confirmatur. *6* *Lib. 1. in c. 1. Prouerb. tom. 7.*

IDEM explicans verba illa; Seruans semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens, sic habet: Vias sanctorum generalia Domini mandata, semitas iustitiæ arctiora vitæ cælestis instituta, quæ perfectis solum accessibilia sunt dicit. Vtrasque autem sapientia seruat, vt in quocumq; virtutum gradu, rectos iuuet, ac simplices. *7* *In c.2. Prouerb.*

Mandata Dei scienda, & festinanter implenda, ad quod timore saltim adducendi sunt homines. Cap. II.

1 *Homil.7.in c.15.Exodi tom.1.*

ORIGENES exponens verba illa; Si auditu audieris vocem Domini Dei tui, & quæ placent coram illo feceris, & audieris præcepta eius,& custodieris, omnem infirmitatem,quam induxeram Ægyptijs, non inducam super te. Ego enim sum Dominus tuus, qui sano te inquit: In his verbis videtur exponere,quo prospectu data sunt Iudæis testimonia, & mandata legis. Dantur enim eis præcepta, in quibus tententur. Inde est,quòd per Ezechielem prophetam dicit Dominus ad eos: Quia dedi vobis præcepta, & *Ezec. 20.* iustificationes non bonas, in quibus non viuetis in eis. Tentati enim in præceptis Domini non inueniunttr fideles. Ideo enim inuentum est eis mandatum,quod erat ad vitam,hoc esse ad mortem: quia vnum atque idem mandatum,si seruetur,vitam,si non seruetur generat mortem. Secundum hoc ergo quòd non seruãtibus generat mortem, dicuntur mandata nõ bona; in quibus non viuãt in eis. Seruantibus autem ea,dicuntur mandata vitæ. Audi Israel mandata vitæ, quia seruantibus ea dant vitã.

2 *Hom.11.in c.20. Leuit.*

IDEM exponens verba illa; Homo si maledixerit patrem, vel matrem suam, moriatur, & post multa inquit, quæ præcepit, quibus

quibus etiam pœnas præuaricationis ascripsit, addit in clausula, & seruate omnia præcepta mea, & iustificationes meas, & iudicia mea. Vnde & consequens mihi videtur, requirere quid in his singulis indicetur; equidem secũdum quod obseruare potui, præceptum est illud,quod in decalogo dicitur, & in Exodo di- *Exo. 22.* citur: Non occides, nõ adulterabis, hoc enim solum præcipitur, & non adscribitur pœna commisi. Nunc autem iterantur quidem eadem, sed addit his pœnas, dicitur enim; Homo quicunque adulterauerit vxorem viri, & vxorem proximi sui, morte moriatur. Et qui dormierit cum vxore patris sui, morte moriantur ambo. De his autem in prioribus iam data fuerant præcepta, sed non obseruantem quæ maneret pœna, non fuerat adscriptum. Nunc ergo eadem repetuntur, & vniuscuiusque pœna peccati decernitur, & ideo hæc rectè iustificationes atque iudicia appellantur, quibus quod iustum est recipere iudicatur ille,qui peccat. Sed intuere ordinem diuinæ sapientiæ, non continuo pœnas cum primis sta- 3 tuit præceptis. Vult enim vt non metu pœnæ, sed amore pietatis patris præcepta custodias; sed si contempseris, non tã homini iam, quàm contemptori mandatur pœna. Primo ergo benignitate prouocaris vt filius; filij enim excelsi omnes. Quod si filius esse obediens non vis,contemptor plecteris vt seruus. Post hæc dicit: Et si quis dormierit cum nuru sua, morte moriantur ambo, & hæc præcepta, absque pœnis superius dederat,dixerat enim: Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quoniam vxor filij tui est, & omnia quæ subsequuntur. Et hunc locum simili modo ibi absque supplicijs: hic verò cum diuersis suppliciorum ge- *Heb. 10.* neribus adscripsit. Vnde Paulus ad Hebræos scribens ait: Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus aut tribus testibus moritur; quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit,& sanguinem testamenti pollutum duxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit, in quo sanctificatus est? vbi vides quod in hoc sæculo,vel in futuro semper maneat pœna peccantibus, diuinaque mandata transgredientibus.

4 *In tract. 2. de baptism. cap. 5. to. 1.*

BASILIVS sic habet: Quòd iram ac mortem cuiusq; verbi Dei inobedientia promereatur Ioannes Baptista docet, cum dicit: *Ioan. 3.* Qui credit in filium, habet vitam æternam: qui vero non credit, (quod autem indefinite loquitur, neminem non includit) non videbit vitam, sed ira Dei manet super ipsum. Infra: Per Moysen absque adiectis contra transgressores aut neglectores legis nimis, generalem aduersus omnes maledictionem,grauissimum sane supplicium euidenter exprimentem *Deut. 27.* iubecit dicens: Maledictus omnis qui non per- *Gal. 3.* manet in omnibus, quæ scripta sunt in libro *Hiere. 48.* legis huius. Et alibi: Maledictus sit, inquit, qui facit opera Domini negligenter. Quòd si maledictus est, qui illa negligenter facit; quo non supplicio dignus est, qui omnino non facit? Et Dominus dixit: Qui audit sermones *Cap. 6.* meos, & non fecit eos: assimilabitur viro fatuo, qui ædificauit domum suam super arenam, & descendit imber,& venerunt flumina, & flauerunt venti, & cum fragore proruperũt in domum illam,& lapsa est, & fuit ruina illius magna. Et iterum: Ficum habebat quis plantatam in vinea sua; & venit quærens ex ea fructum,nec inuenit. Et dixit ad vinitorem suum. Ecce iam tres anni sunt, ex quo venio quę- *Lucæ 13.* rens fructum in ficu hac,nec inuenio. Excide eam. Vt quid vel terram occupat? Et alibi apertius iudicium hoc exponit dicens, Discedite a me maledicti in ignem æternum. Et ad- *Ibidem.* dit non patrationem vetitorum, sed omissionem eorum operum, quæ vt fiant decreta sunt dicens: esuriui,& non dedistis mihi manduca- *Matt. 25.* re, &c. Ex quibus demonstratur quòd non solum ij, qui mala faciunt digni sunt morte,quibus & ignis inextinguibilis paratus est; cum quibus condemnantur etiam illi, qui a bonis operibus vacant. Vnde & Ioannes Baptista dicebat: Genimina viperarum, quis demon- *Luc. 3.* strauit vobis fugere a ventura ira? Iam securis ad radicem arboris posita est. Omnis er- *Matt. 7. et* go arbor,quæ non facit fructum bonum, exci- *Lucæ 3.* detur,& in ignem mittetur.

IDEM docet quod mandata Domini in- 5 explebili cum desiderio fieri debent, & ait: *Regula 18. cap. 5. Moral. sententi. to. 2.* Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Fratres ego me nondum arbitror comprehendisse. Vnum autem, quæ retro sunt obliuiscens, *Matt. 5.* ad ea vero, quæ priora sunt, extendo me ip- *Phil. 3.* sum.

IDEM inquit: Tripartitam ego summam 6 Deo parẽdi animaduerto. Nam aut metu sup- *In lib. cuius titulus est, De regulis fusius disputatis.* plicij a vitijs declinamus,atq; ita animum seruilem induimus,aut mercedis spe ducti, ad vtilitatem nostram præceptorum obseruationem referimus, atq; hoc modo mercenarijs efficimur similes, Aut certe honestate ipsa impulsi charitateq. quam erga ipsum habemus, a quo legem accepimus,gaudentes quòd digni habiti simus, qui adeo glorioso, & benigno seruiremus Deo, ipsi paremus, atq; hoc modo bonorum filiorũ erga parentes suos animum imitamur. Neque igitur, qui aut supplicij metu imperanti aliquid Deo optemperat, assidueq. suspectam negligentiæ pœnam habet, is cum eorum quæ facere iussus fuerit, partem executus fuerit,partem omittet,quin potius vbicũque dicto audiens non fuerit, imminentis sibi supplicij grauitatem pertimescet, quæ quidẽ causa est quare beatus nominetur quicumque ex religione ad omnia paueat, in veritate autem stabilis stat, vereq. illud dicere poterit: Prouidebam Dominum in cõspectu meo sem- *Psal. 15.* per, quoniam a dextris est mihi ne cõmouear. Siquidem volens animum nunquam inducit, vt eorum quicquam prætermittat; quæ offici necessitas fieri oportere præscribat. Simili- terq. & illud etiam, Beatus vir qui timet Do- *Psal. 111.* minum. Quid ita? Quia in mandatis eius volet nimis.

nimis. Ex quo sane colligitur non esse eorum,
7 qui timent Deum aliquid prætermittere, quæ præcepta sint: aut negligenter exequi. Sed neque mercenarius animum vnquam inducet, vt eorum sciens aliquid, negligat quæ præcepta sunt. Qui enim fieri poterit, vt susceptí in cultura vineę, laboris mercedem ferat, nisi quę ex pacto conducta re ipsa præstiterit? quando quidem, si vel vnum modo de his, quæ necessaria sunt neglexerit; is inutilem seipsum Domino reddidit? Tertium erat, opera, quæ ex charitate dabatur. Hic quæro quis est filius, qui
Eph. 3. proposita ipsi parentis gratia, cum in rebus illi maioribus obsequatur, in ijs quæ leuioris momenti sint, prudens ipsum velit offendere? Ac non multo magis verborum Apostoli illorum meminerit: Et nolite contristare Spiritũ sanctum, in quo signati estis? Qui igitur maiorem præceptorum partem obire neglexerint, hi quo tãdem in horum se numero reponi volunt? qui neque Deo, vt parenti obsequantur, neque vt magna pollicenti obediant, neque vt
Malac. 1. Domino seruiant? Si enim pater sum, inquit, vbi est honor meus? Et si Dominus sum ego, vbi est timor meus? Qui enim Dominum ti-
Rom. 2. met: is in mãdatis eius volet nimis. Per trãsgressionem autem legis, inquit, Deo contumeliam facis.

8 IDEM explicans verba illa Isaiæ: Calamum quassatum non conteret: & linum fumi-
In lib. regularum breuium respõsione 291. gans non extinguet, ait: Sane perquassatum calamum illum intelligi arbitror, qui non ea
Isaiæ 42. qua oportet animi sinceritate mandatum Dei exequitur, quem non conterere conuenit, nec abscindere, sed sanare potius. Sicut Apostolus
Phil. 2. præcipit, dicens: Omnia facite sine murmurationibus, & disceptationibus. Linum vero fumigans, quotiescunq; quis mandatum quidem exequitur, sed non ardenti desiderio, aut pleno studio, sed segnius quodammodo ac lentius, qui ideo non est deterrendus, sed excitãdus potius admonitione assidua iudiciorum Dei, & promissorum ipsius.

9 HIERONYMVS sic habet: Præcipua
Epist. 14. ad Celantiam matronã de ratione pie viuẽdi. to. 1. tibi cura sit legem nosse diuinã, per quam possis quasi præsentia cernere exempla sanctorum, quid faciendum sit, quidve vitandum illinc cõsilio disce. Maximum enim auxilium ad iustitiam est, implere diuinis eloquijs animũ, & quod opere exequi cupias semper corde meditari. Rudi adhuc populo, & hominibus ad obedientiam insuetis per Moysen im-
Deut. 6. peratur a Domino, vt in signum memoriæ, qua præcepta Domini recordentur, per singulas vestimentorum fimbrias habeant cum cocco hyacinthini coloris insignia, vt etiam casu huc, illucq. respicientibus oculis, mandatorum cælestium memoria nascatur. De quibus
Matt. 23. fimbrijs Pharisęi redarguũtur a Domino, quòd eas peruerso vsu, non ad commonitionem præceptorum Dei, sed ad ostentationem sui habere cœperint, vt scilicet quasi de maioris obseruationis diligentia, sancti a populo iudicarentur. Tibi vero seruanti non tam litteræ præcepta, sed spiritus, diuinorum mandatorum memoria, spiritualiter excolenda est. Cui non tam frequenter recordanda sunt præcepta Domini: quàm semper cogitanda. Sint ergo diuinę scripturæ semper in manibus tuis: & ingiter mente voluantur. Nec sufficere tibi putes mandata Dei memoria tenere, & operibus obtemperare: sed ideo illa cognosce, vt facias quicquid faciendum didiceris. Non enim
Rom. 2. auditores legis iusti sunt apud Deum: sed factores legis iustificabuntur. Diuinam scripturam semper cognoscere, secumq. reuoluere, ingens ad conseruandam iustitiam beneficium est.

IDEM sic ait: Prima igitur virginis cura, 10
Epist. 1. quæ est ad Demetriadem virg. to. 1. primumq. studium sit, scire voluntatem Domini sui, & quid ei placeat, quidve displiceat diligenter inquirere; vt secundum Apostolum
Rom. 12. rationale Deo reddat obsequiũ, totumq. vitæ suæ cursum ex eius posit ordinare sententia. Impossibile est enim ei quemquam placere, cui quid placeat ignorat, fieriq. potest, vt etiam obsequendi voto offendat, cui quomodo obsequi debeat ante non didicit. Et vt maius est voluntatem Domini facere quam nosse; ita prius est nosse, quàm facere. Illud enim merito
1. Cor. 14. præcedit hoc ordine. Vnde & propheta dicit: Et tu Israel noli ignorare. Et beatus Paulus: qui autem ignorat, ignorabitur. Idemq. alibi; Propterea nolite fieri imprudentes: sed intelligentes, quæ sit voluntas Domini. Initium obedientiæ est, quid præcipiatur velle cognoscere, & pars est obsequij didicisse quid facias.

IDEM explicans verba illa; Me ergo non 11
Li. 2. in c. 5. Hiere. to. 4. timebitis, ait Dominus, & a facie mea non dolebitis, qui posui arenam terminum mari præceptum sempiternum, quod non præteribit, inquit: Non dilectionem desidero perfectorum, sed timorem incipientium, qui posui arenam terminum mari, qui tam potens elementum, & immensas gurgitum moles meo præcepto littoribus refrenaui, iuxta illud quod scriptum
Psal. 148. est: Præceptum posuit, & non præteribit. Audiunt me, & sentiunt, qui sensum non habent audiendi, populus autem meus, suo vitio stultus effectus contemnit, nec dixerunt, metuamus eum, qui dat nobis pluuiam temporaneã, & serotinam, vt hac ratione commoti mandata seruarent.

IDEM exponens verba illa; Et surrexit 12
In c. 3. Ionę to. 6. Ionas, & abijt in Niniuem, iuxta verbum Domini, & Niniue erat ciuitas magna itinere dierum trium, & cæpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius, sic habet: Statim Ionas quod fuerat sibi imperatum opere perfecit. Niniue autem erat ad quam pergebat propheta, ciuitas magna, & tanti ambitus, vt vix trium dierum posit itinere circumiri. At ille præcepti, & superioris naufragij memor, viam trium dierum vnius diei festinatione compleuit.

IDEM exponens verba illa; Contempla- 13
In c. 2. Nahum. re viam, conforta lumbos, robora virtutem valde, ait: Tria præcipiuntur Iudæ, primum, vt contempletur viam, & iter per quod ambulaturus est diligenter aspiciat, iuxta illud,
Hiere. 6 quod in Heremia scriptum est: State in vijs, & interrogate semitas æternas, & videte quæ sit via bona, & ambulate in ea. Deinde dicitur ei, vt teneat lumbum, id est, vt post electionem viæ mortificet corpus suum, &
Eph. 6. seruituti subijciat. Vnde Paulus ait: State ergo accincti lumbos mentis vestræ in veritate. Licet enim plurimum vitæ continentia præstet super mortificatione lumborum, tamen nihil eos ita mortificat, vt cognitio veritatis. Vnde dicitur: accingite lumbos vestros in veritate. Tertio præcipitur, conforta virtutem valde: elegisti, inquit, viam, tenuisti lumbum, assume virtutem, vt possis pugnare cum hostibus.

14 IDEM explicans verba illa; Ecce ego
In c. 3. Nahum. ad te dicit Dominus exercituum, & reuelabo pudenda tua in faciem tuam: & ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, & proijciam super te abominationes, & contumelijs afficiam, & ponam te in exemplum, sic habet: Discooperiam pudenda tua in facie tua, vt quæ prius non videbas, ante tuum ponantur aspectum. Ostendam gentibus nuditatem tuam, & regnis ignominiam tuam, vt qui tecum fornicati sunt, ipsi te irrideant, & contumelijs afficiant, & eris exemplum vniuersis videntibus. Septuagiuta sic verterunt: Reuelabo posteriora tua in facie tua, id est, præcepta mea, atque sermones, quæ proiecisti post tergum tuum, licet non merearis, faciam te videre. Ego enim mandaueram tibi de sermonibus meis, vt semper ante oculos tuos mouerentur, ligati essent, atque penderent. Tu autem contempto iubentis imperio, post tua eos vestigia reliquisti, vt non solum non faceres, sed nec dignareris quidem videre quod iusseram. Et ponam te in exemplum, vt similitudo formidatæ pœnæ, similitudinem prohibeat delinquendi.

15 IDEM explicans verba illa; In fremitu
Lib. 2. in c. 3. Habacuc. conculcabis terram, ait: Septuaginta interpretes transtulerunt. In comminatione imminues terram, imminutam comminatione terram, hoc est, opera terrena intelligere possumus & eos, qui constituti peccatores in Ecclesia non expectant, vt furore Domini corripiantur. Sed audientes in Scripturis, quæ supplicia impendeant peccatoribus agunt pœnitentiam, & paulatim imminuunt terram suam, ad cælumq. proficiunt. Si quis nostrum comminationem Domini reformidat huic terra imminuitur.

16 IDEM exponens verba illa; Ne dicas ami
Lib. 1. in c. 3. Prouerb. to. 7. co tuo: vade, & reuertere, & cras dabo tibi cum statim possis dare, inquit: Non solum de eo qui eleemosynam pecuniæ petit hoc mandatum datur, vt beneuoli, & prompti ad largiendum existamus, sed & per omnia Chri-
Ioan. 15. sti mandata, qui ait: Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis, statim facere, & non in crastinum differre iubemur.

IDEM explicans verba illa; Serua man- 17
In c. 7. Prouerb. data mea, & viues; & legem meam quasi pupillam oculi tui, ait: Iam sollicitè serua, quæ doceo, quasi nil recte sine his aspicere valeas. Liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabulis cordis tui. In digitis in actibus dicit, in tabulis cordis, in latitudine cogitationis.

IDEM exponens verba illa; In labijs sa- 18
Lib. 2. in c. 2. Prouerb. pientis inuenietur sapientia, & virga in dorso eius, qui indiget corde sic habet: Virga in dorso est, vindicta in posterioribus, id est, in sequenti vita, quam bene plagæ illa famosa, qua Philisthæi in natibus feriebantur, ex-
1. Reg. 5. primit. Qui ergo non vult virgam in dorso portare, portet in labijs sapientiam, & præcepta Domini; & laudes loquatur Christi.

AMBROSIVS explicans verba illa; Et ne- 19
Lib. 7. in c. 10. Lucæ. to. 3. minem salutaueritis in via, inquit: Fortasse quibusdam hoc durum, & superbum, nec mansueti, & humilis Domini præcepto conuenire videtur: vt hoc loco mandet discipulis neminem salutaueritis in via, cum iste communis sit vsus gratiæ. Sic inferiores superiorum sibi fauorem conciliare consueuerunt. Gentiles quoque cum Christianis habent huiusmodi officiorum commercia, quomodo Dominus hunc vsum humanitatis auellit? Sed considera non hoc esse solum, neminem salutaueritis, sed non frustra additum, in via. Denique & Helisæus, cum mitteret seruum suum, vt baculum eius poneret supra corpus pueri defuncti, mandauit ei, ne per viam aliquem salutaret. Festinato enim iubebat eum conscendere, vt celebrandę resurrectionis exequeretur officium, ne confabulatione alicuius obuij, mandato flecteretur a munere. Ergo & hic non salutationis officium, ac sedulitas aufertur, sed obstaculum impediendæ deuotionis aboletur, vt quando diuina mandantur, paulisper sequestrentur humana. Pulchra est salutatio, sed pulchrior, quo maturior executio diuinorum, quæ per moram sæpe traxit offensam. Ideo autem & honesta prohibentur, ne impediat ministerium, cuius mora culpa sit.

AVGVSTINVS inquit; Homines, qui 20
Lib. 4. de doctrina Christiana c. 12. to. 3. adhuc nesciunt legem, prius docendi sunt, quàm monendi. Et fortasse rebus ipsis cognitis, ita monebuntur, vt eos non opus sit maioribus eloquentiæ viribus iam moneri. Quod tamen, cum opus est, faciendum est. Tunc autem opus est, quando, cum scierint quid agendum sit, non agunt; ac per hoc docere necessitatis est. Possunt enim homines, & agere, & non agere quod sciunt. Quis autem dixerit eos agere debere quod nesciunt?

IDEM inquit; Decem quidam fratres fue- 21
Lib. 22. de ciuita. Dei c. 8. to. 5. runt, quorum septem sunt mares, tres fœminę, de Cæsarea Cappadociæ, suorum ciuium non

ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissime tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes, quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater, & soror Paulus, & Pauladia, multis alijs locis miseria diffamante, iam cogniti. Venerunt autem ante Paschа ferme dies quindecim, Ecclesiam quotidie ingredientes, & in ea memoriam glorioſissimi martyris Stephani frequentabant orantes, vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Et illic, & quocunque ibant, conuertebant in se ciuitatis aspectum. Hi duo sanati sunt orationibus, & reliquijs beati Stephani mirante Augustino, eiusq. populo Hypponensi.

21 In Psal. 91. tom. 8. IDEM exponens verba illa; In decachordo psalterio cum cantico in cithara, ait: Decachordum psalterium significat decem præcepta legis. Sed cantare in illo opus est, non portare psalterium. Nam & Iudæi habent legem, portant, & non psallunt. Qui sunt qui psallunt? Qui operantur. Parum est: qui operantur cum tristitia, nondum psallunt. Qui sunt qui psallunt? Qui cum hilaritate faciunt bene. In psallendo enim hilaritas est. Dicit 2. Cor. 9. Apostolus: hilarem datorem diligit Deus. Quidquid facis, cum hilaritate fac bonum, & benefacis. Si autem cum tristitia facis, portas magis psalterium, non cantas. In psalterio decachordo cum cantico in cithara, hoc est, in verbo, & opere: cum cantico in verbo, in cithara, in opere. Si verba sola dicis quasi canticum solum habes, citharam non habes. Si operaris & non loqueris, quasi solam citharam habes. Propter hoc, & loquere bene, & fac bene, si vis habere canticum cum cithara.

23 In Psal. 118. concione 3. IDEM explicans verba illa; Non abscondas a me mandata tua, sic habet: Qui tandem sunt a quibus Deus abscondit mandata sua? Nonne illa vbique Deus voluit prædicari? Vtinam quàm multis clara sunt, tam multis chara sint. Nam quid est clarius, quàm diliges Matt. 22. Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuũ sicut te ipsum? In quibus mandatis tota lex pendet, & prophetæ. Et quis est quem lateant ista mandata? Nempe & omnibus fidelibus, & plurimis infidelibus nota sunt. Cur ergo poscit fidelis ne abscondantur sibi, quod nec infideli cernit abscondi? Multi proximum non cognoscunt, inter quos ille erat, Lucæ 10. qui Domino dicebat: Et quis est meus proximus? Multi, nec se ipsos nouerunt; quia & se ipsum nosse quemadmodum homo sibi debet innotescere, non omnium hominum est. Quomodo ergo diligit proximũ tanquam se ipsum, Lucæ 10. qui nescit & se ipsum? Sicut filius ille prodigus in se reuersus est, quia reliquerat se, & omnino nesciebat se. Quocirca & aliquatenus ista sciuntur, & vt magis magisq. sciantur, non immerito scienda poscuntur. Quapropter vt sciamus diligere Deum, sciendus est Deus, & vt sciat homo diligere proximum, tanquam se ipsum, prius debet diligendo Deum diligere se ipsum. Rectè itaque dicitur Deo: incola ego sum in terra, non abscondas a me mandata tua. Meritò namque abscondũntur eis, qui non sunt incolæ in terra. Hæc enim mandata etsi audiunt, non sapiunt, quia terrena sapiunt. Infra concione 10. Doce me iustificationes tuas. Sic, doce me, vt agam, non vt tantummodo sciam, quid agere debeam. Sicut enim dictum est de Domino: quod non nouerat peccatum, & intelligitur non fecerat, sic & iustitiam ille vere dicendus est nosse, qui facit: Viam iustificationum tuarum instrue me, & exercebor in mirabilibus tuis.

24 In Ps. 136. IDEM exponens verba illa; Hymnum cantate nobis de canticis Sion, inquit: Plenus es malis cupiditatibus. Si dicam quæ postulas nõ capis, oportet vt exinaniaris, quo plenus es, vt possis impleri quo inanis es. Ergo noli facile hinc aliquid dicere: lignum est salicis, lignum est sterile. Noli percutere organum, vt sonet, suspende potius. Sed ille dicturus est, dic mihi, canta mihi: Non vis, inquit, vt dicam, non bono animo audis, non sic pulsas vt tibi dignum sit aperiri, non quæris quid discas, sed quid reprehendas. Si dixerit: cantate nobis de canticis Sion, respondebimus: Babylonia te portat, Babylonia te continet, Babylonia te nutrit, Babylonia de te loquitur, non nosti capere, nisi quod fulget ad tempus, æterna meditari ignoras, non capis, quod interrogas. Infra: Inter verba dolosorum, inter verba quærentium, & scire nolentium sumus Babylonius, cuius erat ille, qui Domi- Matt. 19. nũ interrogabat: Magister bone, quid faciendo, vitam æternam possidebo? Nonne de vita æterna quærens, quasi canticum Sion interrogabat? Serua mandata, ait illi Dominus, & ille de fausto cum audiuit, respondit: Hæc omnia seruaui a iuuentute mea. Et Dominus dixit illi aliqua de cãticis Sion, & nouerat, quod non caperet, sed exemplum dedit nobis quomodo quærant multi quasi consilium ad vitam æternã, & tamdiu nos laudant, quamdiu respondeamus quod nolunt. Dedit de illo documentum, tanquam nobis dicturis aliquãdo talibus hominibus: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena? Ecce ait: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo. Vt discat multa cantica de canticis Sion, prius impedimenta reijciat, expeditus ambulet, ne vllo onere prægrauetur, & discet aliquid de canticis Sion. Ille autem contristatus abscessit. Dicamus post illum: quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

25 Serm. 6. ad fratres in eremo cap. 10. IDEM sic ait: Si vultis, vt diuina vobis præcepta proficiãt, subtrahite vos aliquibus horis ab occupationibus mundi, in quibus etiam in domibus vestris diuina eloquia relegentes, ad integrum vos Dei misericordię consecretis in vobis

Psal. 1. Psal. 118. vobis fœliciter impleatur, quod de beato viro scriptum est, quia in lege Domini meditabitur die, ac nocte, & illud: Beati qui scrutantur restimonia eius, in toto corde exquirunt eum. Et illud: in toto corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. Sicut enim, vt ipsi audistis ille, qui abscondit in corde suo eloquia Dei, non peccat; ita & ille, qui non abscondit, peccare non cessat. Si enim agricolæ diuersa genera seminum conantur serere, vnde sufficienter sibi, & suis cibum valeant præparare: quanto magis nobis non debet sufficere, quod in Ecclesia lectiones diuinas audiatis, sed in domibus, & in conuiuijs vestris, & quando dies breues sunt, etiam aliquibus horis in noctibus lectioni diuinę debetis insistere, vt in horreo cordis vestri spiritale posſitis triticum comparare. Et illud fratres charissimi, diligenter attendite, quòd Scripturæ diuinæ, quasi litteræ de patria nostra nobis transmissæ sunt, & cum Scripturas eius rebelli spiritu fragilitas humana contemneret, dignatus est per se ipsum descendere, vt nos doceret. Cum hæc ita sint, fratres charissimi, quid de se cogitant serui, qui ita præsumunt præcepta Domini sui contemnere, vt nec ipsas inuitatorias litteras, quibus ad regni beatitudinem eos inuitat, dignentur relegere? Quomodo enim si aliquis nostrum ad procuratorem suum litteras dirige- 26 ret, & ille non solum non impleret, quod præcipitur, sed etiam ipsa iussoria relegere dignaretur, non indulgentiam, sed pœnam, & carcerem mereretur. Ita ille qui diuinas Scripturas de pattia æterna transmissas dissimulat legere timere debet, ne fortè præmia æterna non accipiat, sed etiam pœnam perpetuam non euadat. Non in tantum periculosum est nobis diuina præcepta non legere, vt Isa. 5. propterea Propheta lugubriter clamet: Propterea captiuus ductus est populus meus, quia 1. Cor. 14. non habuit scientiam. Qui autem ignorat, ignorabitur. Sine dubio qui Deum per diuinam lectionem in hoc sæculo dissimulat inquirere, & Deus illum in æterna beatitudine dedignabitur agnoscere. Et timor nobis debet esse, ne clausis ianuis cum stultis virMatt. 25. ginibus, foris exclusis, mereamur audire: Nescio vos. Eos enim, quos in ignem mittit, nescit quia eum in hoc sæculo, legendo, nolunt intelligere. Et illud, quod in Salomone scriptum est, non negligenter, sed cum Prou. 23. grandi sollicitudine, & timore debemus audire: Qui obturat, inquit, aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Debet primus ipse audire Deum, qui vult exaudiri a Deo. Nam qua fronte vult, vt Deus eum exaudiat, quem in tantum despicit, vt eius præcepta legere dissimulet? Et illud quale est, fratres mei, quod nonnulla Christiani, & quod peius est, aliquoties etiam clerici, quando iter acturi sunt, panem, & vinum, & diuersas sibi impensas ordinant præparari. Et cum tanta vnusquisque in terreno itinere præparat, vnde viuat caro sua, quare tantum libellum legere non curat, vnde hic & in æternum reficiatur anima sua?

Ad mandata Domini implenda, quæ reuera grauia sunt, multa nos debent mouere, friuolis excusationibus omissis. Cap. III.

1 Homil. 16. 26. Leuitici tom. 1. ORIGENES sic habet; Præcepta diuina seruãtibus, ait Dominus: Dabo pluuiam vobis in tempore suo. Quod de temporali pluuia intelligi non valet, quia de hac scriptum est: Quia pluit Dominus super iustos, & iniustos. Quæramus ergo in Scripturis, quæ sit pluuia, quæ sanctis tantummodo datur, & de qua mandatur nubibus, ne pluant pluuiam istam super iustos. Hæc pluuia est, de qua in Deuteronomio di- Deut. 32. citur: Attende cælum, & loquar, & audiat terra verba oris mei, expectetur, vt pluuia eloquium meum, & descendant sicut ros verba mea. Sicut imber super gramen, & sicut nix super fœnum. Ecce quomodo Moyses verbum legis, nunc pluuiam, nunc rorem, nunc imbrem, & etiam niuem, dicit. Vnusquisque Prophetarum cum aperuerit os, imbres deducit super faciem terræ, hoc est, auribus, & cordibus auditorum. Hoc sciens & Apos- Heb. 6. tolus Paulus, dicebat: Terra sæpe venientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam ijs, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo, quæ autem protulerit spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius consummatio est in combustionem. Nostra enim terra, & nostrum cor, si suscipiat frequenter venientem super se pluuiam doctrinæ legis, & attulerit fructum operum, accipit benedictiones a Deo: si verò non opus spiritale, sed spinas, & tribulos, id est, sollicitudines sæculi habeat, aut voluptates, & diuitiarum cupiditates, reproba est, & maledicto proxima, cuius finis erit ad exustionem. Propterea vnusquisque auditorum cum conue 2 nit ad audiendum, suscipit imbrem verbi Dei, & si quidem fructum attulerit operis boni, benedictionem consequetur: Si verò susceptum verbum Dei contempserit, & frequenter audita neglexerit, ac sollicitudini rerum sęculariũ se subiecerit, tanquam qui spinis suffocauerit verbum, maledictionem pro benedictione conquiret. Dabo ergo, inquit, vobis pluuiam in tempore, necessario addit & in tempore. Sicut enim imber iste terrenus, si importune veniat, id est, cum messis colligitur, cum frumenta terũtur in areis, obesse magis, quàm prodesse videbitur: ita & ij, quibus pluuia verbi Dei ministranda committitur, obseruare debent id, quod dicit Scriptura: vt in tempore præbeant, id est, ne ebrio, ne occu-

pato in alijs animo, cum attentus esse non potest, vel cum alicuius vitij languore constrictus est, & non doctori, sed morbo proprio interior præstatur auditus. Prudenter ergo conijciat vbi potest vacare mens, vbi sobrius, vbi intentus auditor est; & ibi pluuiam ministret in tempore, sicut & tritici mensuram ser-
Matt. 24. uus fidelis, & prudens in Euangelio conseruis dare iubetur in tempore. Sed & aliter possumus intelligere, quod mãdatur imber dandus in tempore. Puer est aliquis, & paruulus in fide, indiget pluuia, sed lactis pluuia. Sic enim dicit ille, qui sciebat pluuias in tempore dispensare. Lac vobis potum dedi non escam,
1. Cor. 3. *Heb. 5.* nondum enim poteratis. Profecit post hæc in fide, creuit ætate & sapientia, aptus sine dubio factus est, qui solidiorem percipiat cibum. Oportet ergo metiri doctrinam pro virium
Leuit. 26. qualitate. Et dabit terra fructum suum. Hæc est secunda benedictio, quæ consequitur ad priorem. Inuenimus, quia & Isaac benedicens
Gen. 27. Iacob dixerit: Det tibi Dominus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini. Putasne tale frumentum in benedictione dabat Isaac filio suo Iacob, quale habent & peccatores homines, & quali abundat etiam impius Pharao? Hæccine erat tanti Patriarchæ benedictio? Iniqui cuiusdam diuitis ager multos attulit fructus, qui dixit de-
Luc. 12. struam horrea mea, & maiora reædificabo, & dicam animæ meæ, manduca, & bibe, & lætare. Talia ergo credimus esse bona, quę diuinis benedictionibus sanctis quibusque & fidelibus tradebantur: Alios ergo terrę fructus aspicio, & aliter multitudinem fructuum intueor. Si-
Lucæ 8. cut semen, quod cecidit in terram bonam, & dedit fructum centesimum, & sexagesimum,
Matth. 7. & tricesimum. Sed & ligna, inquit, camporum dabunt fructum suum. Hæc sunt ligna, de quibus scriptum est: Quia non potest arbor bona malos fructus facere, nec arbor mala bonos fructus facere. Non est ficus, neq; malum, nec vitis. Sed vna arbor iustitia vocatur, alia prudentia, alia fortitudo. Et si vis maiorẽ adhuc arborum multitudinem discere, quibus fortassis dignius putabitur consitus etiam paradisus Dei. Est enim ibi arbor pietatis, est & alia arbor sapientiæ, est & alia scientiæ boni & mali. Super omnia verò est arbor vitæ. Non tibi videtur magis quòd pater cælestis agricola, huiusmodi arbores in anima tua excolat, & huiusmodi plantaria in tua mente constituat? Sic ergo dicit Saluator: Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque bona fructus malos facere. Hoc est quod docet, arbor pudicitiæ bona est, non potest afferre fructus impudicitiæ. Arbor iustitiæ bona est, & afferre fructus iniustitiæ non potest. Sic e contrario si habeas malæ arboris radicem in tua mente plantatã: bonos reddere non potest fructus. Si enim sit in te radix malitiæ fructus non dabit bonos. Si sit intra cor tuum stultitiæ planta: nunquam proferet sapientiæ florem. Si iniustitiæ, si iniquitatis arbor sit: numquam huiusmodi ligna gaudere bonis fructibus possunt. Si ergo seruemus mandata Dei, susceptа 4
pluuia verbi Dei, etiam arbores, quæ in campis animæ nostræ, & cordis nostri latitudine plantatæ sunt, lætum, & bonæ suauitatis afferent fructum. Et apprehendet messium tritu- *Leuit. 26.*
ra vindemiam. Si seminatum est in anima semen bonum, & susceptа a Deo pluuia creuit, & venit ad spicam, necessariò consequetur & messis. Et si messis, consequetur etiam trituratio, in qua frumenta purgentur. Quæcunque de continentia, & custodia mandatorum Dei dicuntur, hæc possunt videri, frumentum, ex quo panis efficitur, & auditorum corda cõfortat. Ea verò quæ ad scientiam pertinent, & occultorum explanatione mentes lætificant audientium, vino ac vindemiæ videbuntur aptanda. Cordi enim lætitia tribuitur, cum ea, quæ occulta & obscura sunt, explicantur. Et vindemia, inquit, comprehendet sationem, vt si dicamus, primo seminaui quæ legis sunt, *Ibidem.*
& postea quam seminatum est, orauí vt daret Dominus pluuiam in tempore, & facta est messis. Et manducabitis panem vestrum in saturitate. Nec hoc ego corporalis esse benedictionis accipio, quasi qui custodiat legem Dei panem istum communem in abundantia consequantur. Quid enim? Nonne & impij panem istum, non solum in abundantia, sed in delicijs comedunt? Magis ergo si respiciamus ad eum, qui dixit: Ego sum panis vitæ, qui de *Ioan. 6.*
cælo descendi, & qui manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum, & aduertamus, quia qui hæc dicebat, verbum erat quo animæ pascuntur, intelligimus de quo pane dictum sit in benedictionibus a Deo, & manducabitis panem vestrum in saturitate. Similia his Salomon in Prouerbijs pronuntiat de iusto, dicens: Iustus manducans replet animam suam, animæ autem impiorum in egestate erunt. Hoc secundum litteram accipi non potest. Paulus *1. Cor. 4.*
enim iustus erat, & dicebat: Vsque in hanc horam & esurimus, & sitimus. Et iterum dicit: In fame, & siti, in ieiunijs multis. Et quo- 5
modo dicit Salomon, quia iustus manducans, *Leuit. 26.*
satiat animam suam? Sed si intuearis quomodo iustus semper manducet de pane viuo, & repleat animam suam, ac satiet eam cibo cælesti, qui est verbum Dei, & sapientia eius, inuenies quomodo ex benedictione Dei manducet iustus panem in saturitate, & habitabis tuti super terram vestram. Iniquus numquã tutus est, sed semper monetur & fluctuat & circumfertur omni vento doctrinæ, in fallacia hominum ad deceptionem erroris. Iustus vero, qui legem Dei custodit, tutus habitat super terram suam. Sensus enim eius firmus est dicentis ad Deum: Confirma me in verbis *Prou. 3.*
tuis, & confirmatus, & tutus, & radicatus habitat super terram, quia domus eius supra petram, & non super arenam fundata est. Et dormietis, & non erit qui vos exterreat. Et Salomon in libro Prouerbiorum dixit: Si enim sederis, sine timore eris, & si dormieris,

ris, libenter somnum capies, & non timebis terrorem superuenientem tibi. Si enim iustus efficiar nemo erit, qui me exterreat. Nihil
Prou. 28. timeo aliud, si Deum timeam. Iustus enim, inquit, confidit vt leo: & ideo non timet
Psal. 26. leonem diabolum, nec draconem sathanam. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem 6
timebo? Dominus defensor vitæ meæ, a quo trepidabo? Et iterum: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Vi-
Leuit. 26. des constantiam, & virtutem animæ custodientis mandata Dei. Infra: Post hæc, exterminabo malas bestias de terra vestra. Qui enim diuina præcepta seruauerit, & fecerit ea, pugnam & bella non patitur. Sed Deus auferet ea de terra eius, & non sinit ea transire per animam iusti. Et persequemini inimicos vestros. Diabolum scilicet. Persequemur ea non solum, vt a nobis ipsis effugemus, sed & ab alijs quos incursant, si diuina præcepta seruemus. Persequemini inimicos
Rom. 16. vestros, & cadent in cospectu vestro in morte. Si conterat Sathanam sub pedibus nostris velociter Deus, cadent inimici in cospectu nostro morte. Cuius morte? Ego arbitror quòd
Coloss. 3. nostra. Si enim nos mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, fornicationem immunditiam, si hanc mortem inferamus membris nostris, illi cadent in cospectu nostro. Quomodo cadent in cospectu nostro? Si tu iustus sis, cecidit iniustitia in cõspectu tuo. Si castus sis cecidit libido. Si pius etiam ipsa impietas corruit ante te. Et cadent inimici vestri in cõspectu gladij. Gladius ille est,
Heb. 4. de quo Paulus dixit: Viuus est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Hic est gladius, cuius acie cadunt inimici nostri. Sermo namque Dei est, qui prosternit omnes inimicos, & ponit eos sub pedibus suis,
Leuit. 26 vt subditus fiat omnis mundus Deo. Et re- 7
spiciam super vos, & augebo vos. Plenum beatitudinis est hoc ipsum, si quem respiciat Deus. Respexit Dominus Petrum post peccatum negationis, statimque reuersus in se, prolapsum de præcipitio reuocans pedem, fleuit amarissimè, atque ita respectus a Deo, locum suum flendo recepit, quem negando, perdiderat. Respiciam ergo, inquit, super vos, & augebo vos, tanquam si sol respiciat segetem, & afferat fructus. Quam vtique si non respexisset, infructuosa mansisset. Ita Deus segetem cordis nostri respiciens, & radijs nos verbi sui illuminans, auget nos, &
Leuit. 26. multiplicat, vt vltra iam non simus paruuli, sed magni, sicut magnus fuit Moyses, & Iacob, & Ioannes. Et statuam testamentum meum vobiscum. Vide quantæ benedictiones promittantur, si mandata seruemus, & manducabitis vetera, & ea nouis superue-
Eph. 4. nientibus proijcietis. Eijcimus vetera, deponentes veterem hominem, & induentes nouum, qui secundum interiorem hominem renouatur de die in diem. Et ponam tabernaculum meum in nobis, & non abominabitur vos anima mea. Non nos abominabitur anima Dei, si obseruemus mandata eius.

IDEM explicans verba illa; Qualis est 8
iste, quia venti, & mare obediunt ei, inquit: Hom. 6. in c. 3. Matth. to. 3.
Iste vno verbo mandat illis, qui non habent verba, & obediunt ei, his, qui non habent auditum, & obtemperant ei. Hi qui prudentiæ, & intellectus expertes sunt, inclinantur iubenti, ad confusionem mortalium, ad condemnationem corruptibilium. Iubet mari, & non contemnit. Dicit ventis, & tempestatibus, & mox compescuntur. Iubet & omni creaturę, & non supergreditur iussionem eius. Et vnum hominum genus, & vnum, quod secundum similitudinem Dei honoratum est, cui verbum, & prudentia data est, hi soli homines resistunt, hi tantum inobedientes sunt, hi soli contemnunt. Ideoq. & hi in iudicio damnabuntur, velut deteriores mutis animalibus, vel ijs, quæ sine spiritu, & anima sunt in isto mundo.

IDEM explicans verba illa; Humanum 9
dico, propter infirmitatem carnis vestræ, si- Lib. 6. in c. 6. epist. ad Romanos.
cut exhibuistis membra vestra seruire iustitiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem, sic habet: Pudorem quemdam per hoc incutit Apostolus auditoribus: vt hoc saltem obsequij dependant iustitiæ, & sanctificationi, quod prius immunditiæ, & iniquitati detulerant. Quid ergo tam humanum, hoc est, quid tam leue, quid tam sine onere, & quod nulla ratione prorsus possit infirmitatis excusari? Sicut, inquit, exhibuistis membra vestra seruire iniquitati, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Inglorioſum quidem est, vt ita quis virtutibus, sicut vitijs seruiat. Multo enim amplius, & multo intentius honoranda iustitia est. Sed & ego, inquit, humane, & communiter ago, similia requiro. Dudum currebant pedes vestri ad dęmonum templa, nunc autem concurrant ad Ecclesiã Dei. Currebant prius ad effundendum, nunc autem ad liberandum sanguinem currant. Protendebantur manus prius, vt aliena diriperent, nunc protendantur, vt propria largiantur, circumspiciebant prius oculi alienum ad concupiscendum, nunc circunspiciant pauperes ad miserendum, & vniuscuiusque membri ministerium, quod exhibuit vitijs, aptet virtutibus, & actum, quem exhibuit immunditiæ, ad castitatem nunc, ad sanctitatemq. conuertat. Videtur hanc hic iustitiam pro omnibus simul virtutibus nominasse, sicut e contrario iniquitatem pro omnibus simul vitijs posuisse.

BASILIVS docet; Quòd omnis, qui ius- 10
sis Domini aduersatur, licet is amico, & pio Lib. Moral. sententiarũ to. 2.
animo faciat, is tamen ob eam causam abalienatur a Domino: quòdque quicquid a Domino dicatur, id summa cũ animi expletione debemus suscipere. Ad hoc adducit factum Christi Domini lauantis pedes Petri, cũ dixit Apostolus: Non lauabis mihi pedes in æternum.

Ioan. 13. Respondit q. ei Iesus: si non lauero te, non habebis partem mecum.

11 HIERONYMVS sic habet; Non omnis, qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cælorum: sed qui facit voluntatem patris mei qui in cælis est. Quomodo enim ex animo ac vere dicimus, Domine Domine, si eius quem Dominum confitemur, præcepta cõ temnimus? Vnde ipse in Euangelio dicit: Quid autem vocatis me, Domine Domine, & non facitis quæ dico? Et rursus loquitur per Prophetam: Filius honorificat patrem, & seruus dominum suum timet. Et si pater ego sum, vbi est honor meus? Etsi Dominus ego sum, vbi est timor meus? Ex quo apparet, nec honorari ab eis Dominum, nec timeri qui eius præcepta non faciunt. Quod ad Dauid expressius dicitur, qui peccatum admiserat: Et pro nihilo duxisti Deum. Et ad Heli sit sermo Domini: Qui glorificat me, glorificabo eum, qui autem pro nihilo me habent ad nihilum redigentur. Et nos securo, ac bono animo sumus, qui per singula quæque præcepta inhonorantes Deum clementissimum ad iracundiam prouocamus, eiusq. imperium superbissimè contemnendo, in tantæ maiestatis imus iniuriam? Quid enim vnquam tam superbum, quid verò tam ingratum videri potest, quàm aduersus eius viuere voluntatem, a quo ipsum viuere acceperis? quàm illius præcepta despicere, qui ideo aliquid imperat, vt causas habeat remunerandi? 12 Neque enim obsequij nostri Deus indiget, sed nos illius indigemus imperio. Mandata eius desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum nimis, & dulciora super mel, & fauum; quoniam in custodiendis illis retributio multa. Et ideo nobis irascitur, idcirco magis, immensa illa Dei bonitas offenditur, quia eam per tanti etiam præmij detrimenta contemnimus, nec solum imperata, sed etiam promissa illius pro nihilo ducimus. Vnde sæpe, immò semper illa nobis Domini reuoluenda sententia: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Hoc enim lex, hoc Prophetæ, hoc Apostoli docent, hoc a nobis, & vox Christi, & sanguis effagitat. Qui ideo pro omnibus mortuus est, vt qui viuunt iam non sibi viuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est. Viuere autem illi, non est aliud, quàm eius præcepta seruare, quæ nobis ille quasi certum quoddam dilectionis suæ pignus seruanda, mandauit. Si diligitis me, inquit, mandata mea seruate. Et qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me. Ac rursum: Qui diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos nõ seruat. Nos si verè Christum diligimus, si eius nos redẽptos sanguine recordamur, nihil magis velle, nihil omnino debemus agere, quàm quod illum velle agnoscimus. Infra: Est prudentissimus, qui non tam considerat, quod iussum sit, quàm illum, qui iusserit, nec quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.

Epist. 14. ad Celantiam matronam de ratione pie viuendi tom. 1.

Matt. 7.

Malac. 1.

1. *Reg.* 2.

Ioan. 14.

IDEM ait cum dicat Iob; Quis mundus a sorde? Ne vnus quidem etiam si vnius diei fuerit vita eius super terram. Hoc loco non pro impossibili, sed pro valde difficili accipiendũ est. Vnde ergo illud est Pelagi, quod dixisti, facilia Dei esse mandata, & ea facile posse compleri dicente Scriptura: Vir in dolore laborat sibi, & vim facit perditioni suæ, vt oppressa, & subiugata, & moriente carne, viuat in eo spiritus. Vnde in Prouerbijs dicitur: Quis gloriabitur, castum se habere cor, aut quis confidit se mundum esse a peccato? Rade ergo de libro tuo, facilia Dei esse mandata. Quod si illud Ioannis Apostoli apposueris, & mandata eius grauia non sunt, & de Euangelio: iugum meũ suaue est, & onus meum leue, facile reuinceris. Leuia enim certum est dixisse Euangelij mandata ad comparationem superstitionis Iudaicæ, in qua varia ceremoniarum genera quærebantur, quæ iuxta litteram, & beati Petri sententiã nullus potuit implere. Vnde & in Actis Apostolorum scribitur: Nunc ergo quid tentatis imponere iugum super ceruicem discipulorũ, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Infra: In vltimis verbis: Vis audire facilitatem præceptorum Dei? Ausculta, quod dicitur: Quàm arcta via est, & angusta, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Pauci enim inueniunt, & multo pauciores ingrediuntur per eam. Non dixit, qui gradiuntur per eam, hoc enim difficillimum est, sed qui inueniunt eam.

13 Lib. 2. aduersus Pelagianos to. 2.

Prou. 20.

1. *Ioan.* 5.

Matt. 11.

Act. 15.

Matth. 7.

14 IDEM exponens verba illa; A mandatis tuis intellexi vno verbo dicit: quòd post opera, & adimpletionem mandatorum Dei cœperit habere cognitionem secretorum Dei.

In epist. ad Paulã. to. 1. *Psal.* 118.

15 IDEM sic habet; Omnia, inquit Paulus, facite sine murmuratione, & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles, & simplices, sicut filij Dei immaculati. Omnia, inquit, facite. Non enim quasi ad arbitrium nostrum, quædam ex mandatis Dei debemus eligere, sed generaliter vniuersa complere. Nec aliqua præcepta eius quasi vilia munuscula, ac parua contemnere, sed imperantis in omnibus maiestatem aspicere. Nullum quippe mandatum Dei contemptibile nobis videri potest. Si eius semper cogitemus auctorem sine murmuratione, & hæsitatione. Viles, & ignobiles dominos palam contemni videmus a seruulis, eisq. ad minima quæque præcepta in faciem resisti solere. At hoc in personas nobiles iam non admittitur, quantoq. potentiores domini, tanto serui ad obedientiam proniores sunt. Cumq. difficiliora præcipiunt, libentius audiuntur. Certe ad Regis imperium ita omnes parati sunt, & in procinctu obedientiæ constituti, vt etiam optent iuberi. Et non solum bene merituros esse credunt, si iussa fecerint, sed tanquam iam meruissent, quod iussi sunt, ita pro dignitate præcipientis seruitium beneficij loco ducitur. Nobis verò Deus ipse, æterna illa maiestas, ineffabilis, atque inæstimabilis potestas sacras litteras, & verè adorandos præceptorum apices

Epist. 1. quæ est ad Demetriadem virgine de virgin. to. 1. *Phil.* 2.

16

ces mittit, & non statim cum gaudio, ac veneratione suscipimus, nec pro magno ducimus beneficio tantæ, ac tam illustris potestatis imperium, maxime cum non iubentis quæritur commodum, sed vtilitas obsequentis; verum e contrario fastidioso, ac remisso animo, superborum nequam seruorum more in os Domini reclamamus, & dicimus: Durum est, arduũ est, non possumus, homines sumus, fragili carne circundamur. O cæcam insaniam, ò prophanam temeritatem. Duplici ignorantia accusamus Deum scientiæ, vt videatur nescire quod iusserit, quasi oblitus fragilitatis humanę, cuius auctor ipse est, imposuerit homini mandata, quæ ferre non possit. Simulque (proh nefas) ascribimus iniquitatem iusto, pio crudelitatem, dum eum primo impossibile aliquid præcepisse conquerimur, deinde pro his damnandum putamus hominem ab eo, quæ vita re non potuit, vt (quod etiam suspicari sacrilegium est, videatur Deus non tam salutem nostram quæsisse, quàm pœnam. Itaque Apostolus sciens a Domino iustitiæ, & maiestatis nihil impossibile esse præceptum, aufert a nobis vitium murmurandi, quod tunc vtique nasci solet, cum aut iniqua sunt quę iubentur, aut iubentis minus digna persona est. Quid tergiuersamur in cassum, & præcipienti opponimus naturæ fragilitatem? Nemo magis nouit mensuram virium nostrarum, quàm qui ipsas vires nobis dedit. Nec quisquam melius quantum possimus, intelligit, quàm qui ipsam virtutem nobis donare potuit; nec impossibile aliquid voluit imperare, qui iustus est, nec damnaturus hominem fuit, pro eo quod vitare non potuit, qui pius est; sicut filij Dei immaculati. Non est exhortatio vehementior, quàm qua nos scriptura diuina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat tanto patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius, ipse efficiatur vitij seruus? Vt simus immaculati. Neque enim conuenit filijs Dei, quia ipse est fons iustitiæ, peccati maculam reperiri. In medio nationis prauæ, atque peruersæ, hoc est, dicere: Quamuis infinita vos cingat peccantium multitudo, & innumera sint exempla vitiorum, nos tamen ita cælestis natiuitatis debetis esse memores, vt inter malos viuentes, omne malum vincatis.

17

18 IDEM exponens verba illa; Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis, inquit: Liberum seruat arbitrium, vt in vtramq; partem ex merito singulorum, vel pœna, vel præmium sit. Bona autem terræ illa puto dici, de quibus in psalmo dicitur: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Et beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Vel certè quia Iudæis loquebatur, qui necdum poterant capere spiritualia, pollicetur eis bona præsentis sæculi, vt saltem præsentibus inuitati faciãt, quæ præcepta sunt. Et quia noluerunt audire, sed e contrario prouocauerunt ad iracundiam sanctum Israel, propterea eos gladius deuorauit, id est, Romanus deleuit exercitus. Ideo

Lib. 1. in c. 1. Isa. to. 4.

Psal. 26.

Matth. 5.

Isa. 1.

ait: Si nolueritis, & non audieritis, gladius deuorabit vos.

19 IDEM exponens verba illa; De mane vigilabo ad te, ait: Mane consurgit spiritus iusti ad Dominum, quia lux præcepta tua super terram. Seruans enim mandata tua, & illuminatus eorum lumine, de quibus dicitur, Præceptum Domini lucidum illuminans oculos, dormire nequeo, sed omni tempore te desiderans, meo ad te consurgo spiritu.

Lib. 8. in c. 26. Isa. to. 4. *Psal.* 18.

20 IDEM explicans verba illa; Vtinam attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris sic habet: Si seruasses præcepta mea, fuisset sicut flumen pax tua & iustitia tua sicut gurgites maris. In quibus verbis abundantiam omnium rerum, copiamq. significat. Et fuisset sicut arena semen tuum, & stirps vteri tui, vt lapilli eius non interiissent, & non fuisset attritũ nomen eius a facie mea. Quæ verba de illo accipienda sunt semine, de quo scriptum est. Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus. Qui enim mandata Dei seruant hoc semine multiplicantur, hæc recipiunt bona.

Lib. 13. in c. 48. Isaiæ.

21 IDEM exponens verba illa, Hæc dicit Dominus: Si non audieritis me, vt ambuletis in lege mea, quam dedi vobis, vt audiatis sermones seruorum meorum Prophetarũ, quos ego misi ad vos de nocte consurgens, & dirigens, & non audistis: dabo domum istam sicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictionem cunctis gentibus terræ, inquit: His verbis diuina flagella minatur his, qui mandata Domini non seruant, vt in malum ipsorum & templum Domini destruatur, & consequenter destructo tẽplo, ciuitas sit in maledictionem cunctis gentibus terræ, vt sic terrore mori mandata Domini implerent. Prophetæ autem frequenter aiebant: Hæc dicit Dominus, vt populus quæ iubebantur exequeretur. Non sicut a Prophetis iussa, sed a Domino populo mandata, & præcipientis mouerentur auctoritate.

Lib. 5. in c. 26. Hie. to. 4

22 IDEM explicans verba illa; Inualuerunt super me verba vestra, dicit Dominus, & dixistis, quid locuti sumus contra te? Dixistis: vanus est, qui seruit Deo, & quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coram Domino exercituũ? ait: Et nunc beatos dicimus arrogantes, si quidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt. In præsenti sæculo mercedem pro Dei exigunt seruitute, ideo non recipiunt, & beatos dicunt arrogantes, quia post icelera, & blasphemias proiperis omnibus fruuntur. Tentauerunt Deum, & salui facti sunt. Salutem, & fœlicitatem præsentis sæculi putant, & idcirco decipiuntur erroribus. Tunc locuti sunt timentes Deũ vnusquisque cum proximo suo. Illis Dei iudicio blasphemantibus, qui timent Deum ad inuicem sunt locuti, quod retributio bonorum, vel malorum non sit de præsenti sæculo breui, sed in futuro, & æterno. Hæc loquuntur iusti contra

In c. 3. Malach. to. 5.

eos

eos qui dicunt, quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta Dei? Et attendit Dominus, & audiuit & scriptus est liber monumenti coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen eius. Scriptus est liber monumenti, vt cum dies iudicij venerit reddat, & blasphemantibus pœnas, & timentibus præmia. Tunc, qui dicitis, quod emolumentum, quia custodiuimus præcepta eius? videbitis quid sit inter iustum & impium, inter seruentẽ Deo, & non seruientem ei. Tunc illorum beatitudinem, & vestram cognoscetis, quid sit inter seruientem Deo, & non seruientem ei.

23 Lib. 3. Hexamer. c.1. tom.1. AMBROSIVS exponẽs verba illa; Cõgregetur aquæ, quæ sub cælo sunt in locum vnum, sic habet: Congregetur aqua dictum est, & congregata est, & frequenter dicitur, congregetur populus, & non congregatur. Non mediocris pudor est imperio Dei insensibilia parere elementa, & homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est autore. Nec hoc solum obediẽtis aquæ exemplum habemus; nam & alibi scriptum est: Viderunt te aquæ Deus, viderunt te aquæ, & timuerunt. *Psal.76.* Et alibi mare vidit, & fugit, quando scilicet transiuit Israel mare rubrum. *Ps.113.* Nouit ergo aqua, & congregari, & timere, & fugere, quando Deus præcipit, quam imitari nos debemus.

24 Eodem lib. cap.17. IDEM in fine exponens verba illa; Germinet terra herbam virentem, & statim omni surgente germine, inquit: Terra cõplecta est. *Matt.22.* Et homini dicitur: Dilige Dominum Deum tuum; & non est charitas Dei omnium infusa *Gen.1.* visceribus. Surdiora corda hominum sunt, quàm dura saxorum. Terra indebitus fructus nobis ministrat, dum obsecundat autori; nos debitum munus negamus, dum non veneramur autorem.

25 Lib. 5. Hexame. c.10. IDEM dicit sunt aliqua genera piscum, qui non ingenij facilitate loca mutent, sed fouendi partus necessitate; quæ oportuno, atque legitimo procurantes tempore, e pluribus locis a diuerso sinu maris innumeri, velut comuni consilio conuenientes, coniuncto agmine Aquilonis flatus petunt. Quis piscibus hęc annũciat loca, præcepta tempora? Quis tribuit dispositionem viandi, comitandi ordinem, & tempora reuertendi? Homines suum imperatorem habent; cuius expectatur imperium. Quis imperator piscibus præceptum dedit? Qui duces iter dirigunt, vt nullius desit occursus? Sed agnosco, quis ille sit imperator, qui ordinatione diuina sensibus vniuersorum suũ infundat imperium, qui tacitus mutis animãtibus naturalis disciplinæ ordinem tribuat? Diuinæ legi pisces obsequitur, & homines contradicunt. Pisces solemniter obaudit mandata cęlestia. An contemptibilis tibi videtur, quia mutus est, rationisq. expers? Sed vide ne tu tibi magis incipias esse contemptui, si irrationabilior deprehendaris.

26 Lib. de Paradiso. c.14. IDEM explicans verba, quæ Euæ dixit Deus; Sub viri potestate eris, inquit: In his verbis designatur Ecclesię ad Christum futura cõuersio, & religiosa seruitus subdita Dei verbo, quæ multo sit melior, quàm sæculi huius libertas. *Gen.3.* Denique scriptum est: Dominũ Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. *Matt.4.* Hæc igitur seruitus, Dei donum est. Denique inter benedictiones numeratur huius seruitutis obsequium; nam & Isaac in loco benedictionis eã dedit Esau filio suo, vt seruiret fratri suo, ista seruitute pollet populus christianus; sicut Dominus ad discipulos suos ait: Qui vult inter vos primus esse, sit omnium seruus. *Matt.20.*

27 Lib. 5. de ciuit. Dei c. 18. tom.5. AVGVSTINVS sic habet: Bruto quia filios occidit, infelicitatis perhibet testimonium etiam poeta laudator. Ait enim:

— — — natosq. pater noua bella mouentes,
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infœlix, vtcumq; ferent ea fata minores.

Sed versu sequenti consolatus est infelicem.

Vicit amor patriæ laudumq. immensa Cupido.

Hæc sunt duo illa libertas, & cupiditas laudis humanæ: quæ ad facta compulere mirãda Romanos. Si ergo pro libertate morituros, & cupiditate laudũ, quæ a mortalibus expetũtur occidi filij a patre potuerũt, quid magnũ est, si pro vera libertate, quæ nos ab iniquitatis, & mortis, & diaboli dominatu liberos facit, nec cupiditate humanarũ laudũ, sed charitate liberandorum hominum, nõ a Tarquinio rege, sed a dæmonibus, & dæmonum principe, non filij occiduntur, sed Christi pauperes inter filios computantur? Si alius etiam Romanus princeps, cognomine Torquatus, filium, non quia contra patriam, sed etiam pro patria, tamen quia contra id, quod imperauerat pater imperator, ab hoste prouocatus iuuenili ardore pugnauerat, licet vicisset, occidit; ne plus mali esset in exemplo imperij contempti, quàm boni in gloria hostis occisi: vt quid se iactent, qui pro immortalis patrię legibus omnia, quę multo minus, quàm filij diliguntur, bona terrena contemnunt? Infra: Curtius armatus equo concito in abruptum hiatum terræ præcipitem dedit se, Deorum suorum oraculis seruiens, qui iusserant, vt illuc quod Romani haberent optimum mitteretur, nec aliud intelligere potuerunt, quàm viris armisq. se excellere, vnde videlicet oportebat, vt Deorum iussis in illum interitum vir præcipitaretur armatus: quid se magnum pro æterna patria fecisse dicturus est, qui aliquem fidei suæ passus inimicum, nõ se vltro in talem mortem mittens, sed ab alio missus obierit: quandoquidem a Domino suo eodemq. rege patriæ suæ certius oraculum accepit: Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. *Matt.10.*

28 Lib. 10. de ciuit. Dei cap.5. IDEM inquit; Quis ita desipiat, vt existimet aliquibus vsibus Dei esse necessaria, quę in sacrificijs offeruntur? Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Non solum igitur pecore, vel qualibet alia re terrena, sed ne ipsa quidem iustitia hominis Deum egere credendum est; totumq. quod recte colitur Deus homini prodesse non *Psal.15.*

Deo.

Deo. Neque enim fonti se quisquam dixerit profuisse, si biberit, aut luci, si viderit.

IDEM explicans verba illa; Iudicia Domini vera iustificata in semetipsa; desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multũ, & dulciora super mel, & fauum, sic habet: Aut multum aurum, aut multum pretiosum, aut multum desiderabilia. Et dulciora super mel, & fauum. Sed hoc aduersum est erranti, mel amarum est febricitanti, dulce tamen, & acceptabile sanato. Nam & seruus tuus custodit ea. Quàm dulcia mandata tua sint custodiendo probat seruus tuus, non loquendo, custodit ea seruus tuus, quia & nunc dulcia sunt, & in posterum salubria sunt. Nam in custodiendis illis retributio multa.

Mandata Dei leuia sunt amanti, quibus obediendum est semper.
Cap. IIII.

1 Homil. 14. in Gen. to.1. DIXIMVS de re hac multa lib.1. cap.8. Chrysostomus explicãs verba illa; Et præcepit Dominus Deus Adæ, dicẽs: De omni ligno, quod est in paradiso comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas, ait: Vide statim ab initio quanto honore hominem prosequitur. Neq; enim dixit imperauit, vel iussit, sed præcepit; Sicut amicus amico de rebus necessarijs præcipiens loquitur; ita & Deus humanę naturæ, quasi hoc honore ad obediendum ijs, quæ a se præcipiebantur, attracturus. De omni ligno paradisi comede, &c. Magna huius præcepti facilitas est. Sed dilecte graue malum est desidia, facitq. vt facilia omnia videantur difficilia, sicut studio, & vigilantia etiam omnia ardua, & difficilia, facilia nobis fiunt. Quid enim dic quæso hoc mandato facilius? quid hoc honore maius? concedebat enim versari in paradiso: & visibilium formositate oblectari, & aspiciendo exhilarari, & fruendo magnam voluptatem percipere. Cogita quàm iucundum fuerit videre arbores fructibus oneratas, florum varietatem, herbarum diuersitatem, atque alia, quæ verisimile est in paradiso esse: & in paradiso a Deo plantato. Propter hoc enim superius diuina scriptura dicit: Oriri*q.* fecit adhuc ex terra omne lignũ pulchrũ *Gen.2.* ad videndum, & bonum ad comedendum, vt scire possimus, quomodo fruens tanta vbertate, per magnam intemperantiam, & desidiam, datum sibi mandatum præuaricatus sit. Cogita obsecro honoris eminẽtiam, qua illum prosequutus est: Data illi mensa propria, & segregata in paradiso, vt ne putet eandem, sibi & iumentis instrui, sed haberet, quasi rex in paradiso agens, deliciarum copiam, & quasi Dominus, aliam quàm ministri habitationem sortiretur. Ex omni ligno paradisi comede, &c. Quasi diceret ad illum, non molestum aliquid, & graue petam ex te, frui enim omnibus tibi permitto. Vnum præcipio ne tetigeritis. Et magnam pœnam decerno, vt vel timore coercitus, datum a me mandatum custodias. Hæc faciebat, quasi Dominus aliquis liberalis, domum magnã alicui concredens, vt & dominiũ sibi saluum maneat, paruam tamen pecuniam dandam ab illo præscribat: Sic sane, & misericors noster Dominus cõcesso omnium, quę in paradiso sunt, fructu, ab vno tantũ ligno abstinere iusit, vt scire debeat quòd sit sub Domino, cui obedire debeat, & parere, si quid ille imperarit. Participem omniũ quę sunt in paradiso esse voluit, ab vno solo ligno abstinere præcipit, monstrans re ipsa nullius alterius gratia hoc ipsum se facere, quàm vt tantorum beneficiorum auctorem agnoscere posit, accepto leui illo mandato.

3 Homil. 39. in Matth. tom.2. IDEM exponens verba illa, Matth.11. Iugum meum suaue est, & onus meũ leue, ait: Sic & Paulus persuadet dicens, quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, Sed quo- *2.Cor.4.* modo inquies, leue hoc onus est, cum dicatur, *Luc.14.* nisi quis odio habuerit patrem, & matrem, & nisi quis tollat crucẽ suam, & sequatur me, non est me dignus, & nisi quis omnibus rebus suis renunciauerit, non potest meus esse discipulus, cum iubeat ipsam quoq; animã esse tradendã? Quomodo leue sit docet Paulus, dicens: Quis *Rom. 8.* nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an persecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius? Et Apostoli ibant a conspectu concilij gaudẽtes, quoniã digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. Quòd si adhuc iugum, & onus audiẽdo formi- *Act.5.* das nimiũ, atq; perhorrescis, non naturæ rerũ huiusmodi timorẽ, sed ignauiæ totũ attribuas. Nam si accinctus, & præparatus eris, & nulla desidia effęminatus, cuncta tibi facilia læuissimaq. videbuntur. Quapropter etiã Christus, vt quanta cura vigilandum esset certiores nos redderet, nõ siluit onera, nec suauia tacuit, sed vtrumq; cõplexus, & iugũ dixit, & suaue appellauit, onus apposuit, & leue adiecit, & ne aut tanquam laboriosa nimiũ fugeres, aut tanquã nimiũ facilia cõtẽptu prosequereris. Infra: Non ergo pertimescas onus, nec ab eo iugo resilias, quo te Christus ab omnibus mundi oneribus vendicat; sed omni alacritate animi iugum hoc subeas, & tunc quàm suaue sit facile agnosces. Nec enim teret ceruicem tuam, sed ornatus gratia imponitur.

4 Homil. 28. in imperfecto in Matt. IDEM explicans illa verba Matthæi, tollite iugum meum, de quibus dudum diximus, inquit: Post adorationem vituli, & idololatriã, talia præcepta Dominus imposuit populo iudæorum, vt de ipsis diceret Petrus: Quid *Act. 15.* tentatis imponere iugum super ceruices discipulorum, quod neque nos, neque patres nostri portare potuimus? At apud iudæos erat etiam lex leuis, idest, decalogus, quem ante idololatriam acceperunt; sed sine gratia inueniebatur grauis: sine hac enim, omnis iustitia grauis est hominibus, hac autem sit leuis. Vnde per

Salo-

Eccli. 24. Salomonem dicitur : Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, spiritus enim meus super mel dulcis. Nec ideo solũ gratia leuis est, quia leuia ponit mandata : sed quod fieri præcepit, & ipsa in nobis faciendi operatur virtutem. Infra : Tollite iugum meum super vos. O gratissimum pondus, quod magis confortat portantes. Nam pondus terrestrium dominorum atterit paulatim ministrantium vires, pondus autem Christi magis adiuuat baiulantes ; quia non nos portamus gratiam, sed gratia nos ; gratia enim ad auxilium nostrum data est. Tollite iugum meum, & discite a me, idest, ex ipso iugo meo, quia suaue est, & ex ipso onere meo, quia leue est, experimentum accipite. Consequenter, & Propheta dicit
Psal. 33. de Christo ; Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus. Inexpertis enim grauis est iustitia Christi ; expertis autem suauis est.
Infra : Et inuenietis requiem animabus vestris. Non dixit inuenietis requiem, & tacuit, sed addidit animabus vestris ; quoniam mandata Christi in hoc sæculo animarum requies sunt, non corporum, quoniam etsi laborant, & tristantur in corpore, animæ eorum requiescunt, & gaudent in spiritu, & spe.

5 IDEM ait ; Aspera est virtus si ad imbecillitatem nostram comparetur. Nam quod
Hom. 14. in 1. epist. Pauli ad Cor. to. 4. facilis, & leuis sit, audi Christum testantem, iugum meum suaue est, & onus meum leue.
Matt. 11. Quod si non intelligis, nulla te admiratio teneat. Non enim forti animo es. Vt enim cum animi vis adest, grauia leuia fiunt : sic cũ abest,
Num. 11. leuia grauia. Quid quæso manna suauius ? Quid magis in prõptu ? ægre tamen Iudæi tulerunt cum eo in delicijs vescerentur. Quid fame, & cæteris, quos Paulus perpessus est laboribus grauius ? Gaudebat tamen ille, & exul-
2. Cor. 11. tabat, dicens ; Nunc glorior in infirmitatibus meis. Quæ igitur horum causa ? Animi diuersitas, quem si qualem esse oportet instituere, facilitatem virtutis dignoscere. Quid ergo plerique hanc non eligunt facilitatem ? Quoniam multi etsi credant, animum coinquinatum habent, & satius caducã, quàm æternam ducunt voluptatem. Et quemadmodum febricitantes non quoniam suauis sit breuis voluptas, & diuturnus ardor, idcirco frigidam potionem efflagitant, sed quoniam suam nequeunt cohibere auiditatem ; itidem ij.

6 HIERONYMVS explicans verba illa ;
Lib. 4. in c. 10. Isa. to 5. Consummationem, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ, inquit : Abbreuiatus atque perfectus sermo Euangelicus est, qui pro cunctis lacinioſæ legis ceremonijs, dedit præceptum breuissimum dilectionis & fidei ; vt quod nobis fieri noluerimus ne fecerimus alteri. Vnde & Dominus in Euangelio, in his duobus præce-
Matt. 22. ptis inquit, vniuersa lex pẽdet, & prophetæ.

7 IDEM ait : Imitatores Christi audiunt il-
Libro 13. in c. 43. Ezec. Isa. 11. lud, quod de eo scriptum est : Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius. Hac ipsa zona, qui sanctus est, & ad virtutum culmen ascenderit, nequaquam violenter astringitur, ne inuitus bonum continentiæ seruare videatur, & in sudore vultus sui comedere panem, sed præceptum Domini facere voluntate. Et hoc est, quod hic dicit Ezechiel : Et fœminalia linea erunt in lumbis eorum, & non accingentur in sudore, siue violenter, vt septuaginta interpretum habet lectio.

8 IDEM explicans verba illa ; Odite malum
Li. 2. in c. 5. Amos. to. 5. & diligente bonum inquit : Odit malum, qui nõ solũ voluptate non vincitur, sed odit opera voluptatis, & diligit bonum, qui non inuitus aut necessitate, aut metu legum facit, quod bonum est, sed idcirco quia bonum est, vt mercedem boni operis habeat coscientiam suam, & dilectionem, quam erga bonum possidet.
2. Cor. 8. Vnde & Apostolus ait : Hilarem enim datorem diligit Deus.

9 AVGVSTINVS inquit ; Qui iustitiam
Epist. 144. ad Anastas. to. 2. diligit, facit quod Apostolus admonet : humanum dico propter infirmitatem carnis vestrę. Sicut enim exhibuistis membra vestra seruire
Rom. 6. immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem ; sic nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem. Quid enim est, sicut illud, ita & hoc, nisi quemadmodum ad peccandum nullus vos cogebat timor, sed ipsius libido, voluptasq. peccati, sic ad iuste viuendum, non vos supplicij metus vrgeat, sed ducat delectatio, charitasq. iustitiæ. Et hæc quidem quantum mihi videtur, nondũ est perfecta, sed quodammodo adulta iustitia. Neque enim frustra præmitteret humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ ; nisi quia plus aliquid dicendum fuit, si iam illi ferre potuissent. Plus quippe seruitutis debetur iustitiæ, quàm peccato solẽt homines exhibere. Nam pœna corporis, etsi non a voluntate, tamen reuocat ab opere peccati. Iustitia vero sic amanda est, vt ab eius operibus etiam pœnę corporis nos cohibere non debeant. Hinc est, quod ille fortis-
Rom. 8. simus iustitiæ dilector exclamat : Quis nos separabit a charitate Christi ? Tribulatio, an angustia, an periculum, an nuditas, an gladius ?
Psal. 43. Scriptum est quoniã propter te mortificamur tota die, deputati sumus vt oues occisionis. Sed in his omnibus superamus per eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, nec angelus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu. Vide quemadmodum non vtcumque ait : Quis nos separabit a Christo ; sed ostendens vnde cohæreamus Christo. Quis nos inquit, separabit a charitate Christi ? Cha-
Rom. 5. ritate igitur Christo, non pœnæ timore cohæremus. Et quid est a charitate Christi, nisi a charitate iustitiæ ? Et quia charitas diffunditur in cordibus nostris, gloriamur in tribulationibus, scientes quia tribulatio patientiam operatur, spes vero non confundit, non quia per nos ipsos hoc possumus, sed quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.

IDEM

10 IDEM in vltimis verbis, vno verbo ait ;
Lib. Setent. tom. 3. Omne præceptum Dei leue est amanti : Nec
Matt. 11. ob aliud intelligitur dictum onus meum leue est, nisi quia per Spiritum sanctum diffunditur charitas in cordibus nostris ; vt diligendo
Rom. 5. liberaliter faciamus, quia quod quis timendo facit, seruiliter facit. Plenitudo legis est
Roma. 13. charitas, quia per charitatem lex impletur, intantum enim fiunt mandata iustitię, inquantum adiuuat spiritus gratiæ. Infra : Magna est vtilitas hominis, iubenti Deo, etiam incognita ratione iusionis, seruire ; iubendo enim Deus vtile facit quicquid iubere voluerit ; de quo metuendum non est, ne non profutura præcipiat ; nec fieri potest, vt voluntas propria non grandi ruinæ pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo præponat.

11 IDEM inquit ; Iste adhibet testimonia,
Lib. de perfectione iustitiæ cõtra Celestium. tom. 7. quibus ostendat non esse grauia diuina præcepta. Quis autem nesciat cum præceptum sit
1. Tim. 1. generale charitas, quia finis præcepti est charitas, & plenitudo legis est charitas, quia fi-
Rom. 13. nis præcepti est charitas, & plenitudo legis est charitas, non esse graue, quod diligendo fit non timendo ? Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere, sed perfecta charitas foras mittit timorem, & facit præcepti sarcinam leuem, non solum non
Rom. 5. prementem onere ponderum, verumetiam subleuantem vice pennarum. Diffunditur autem charitas in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Nec aliam ob causam scriptura commemorat, non esse grauia diuina præcepta, nisi vt anima, quæ illa grauia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint prȩcepta Domini, qualia commendantur, leuia scilicet atque suauia, & oret gemitu voluntatis, vt impetret donum facilitatis. Commendantur ergo præcepta non esse grauia, vt cui grauia sunt, intelligat nõdum se accepisse donum, quo gra-
2. Cor. 9. uia non sint, nec arbitretur ea se perficere, quando ita facit, vt grauia sint. Hilarẽ enim datorem diligit Deus. Nec tamen cum ea gra uia sentit desperando frangatur ; sed ad quærendum, petendum, pulsandumq. cogatur.
Deut. 30. 12 Audiamus ergo Deum sua præcepta non gra-
uia commendantem. In Deuteronomio ait : Et cõuertetur Dominus Deus tuus epulari in te super bonis, sicut epulatus est super patres tuos, si audieritis vocẽ Domini Dei vestri, custodire, & facere omnia mandata eius, & iustitias, & iudicia, quæ scripta sunt in libro legis huius. Si conuersus fueris ad Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, quia mandatum hoc, quod ego mando tibi hodie, non est graue, neque longe a te est ; non est in cælo, vt dicas, quis ascendet in cælum, & accipiet illud nobis, & audientes faciemus ? Non est trans mare, vt dicas, quis transfretabit mare, & accipiet illud nobis, & audientes faciemus ? Iuxta te est enim verbum in ore tuo, in corde, & in manibus tuis facere illud, item Dominus in Euangelio : Tollite iugum meum super vos, &c. Iugum
Matt. 11. enim meum suaue est, & onus meum leue. Item in epistola sancti Ioannis, hæc est charitas Dei, vt mandata eius obseruemus, & mandata eius grauia non sunt. Quod testi-
1. Ioan. 5. monium commonet charitati Dei, non esse graue mandatum Dei.

13 IDEM explicans verba illa ; Viam man-
Conc. 10. in Ps. 118. to. datorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum, inquit : Non currerem, nisi dilatasses cor meum. Prorsus isto versu exponitur, quem admodum dictum sit : Viam veritatis eligi iudicia tua, non sum oblitus, adhæsi testimonijs tuis. Cursus quippe istæ viæ sunt mandatorum Dei. Et quia potius eius beneficia, quàm sua merita Domino allegat, tanquam diceretur ei quomodo istam viam cucurristi, diligendo, & Dei iudicia non obliuiscendo, & eius testimonijs adhærendo, an per te ipsum ista potuisti ? Non, ait : Quid ergo ? Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meũ. Non ergo per proprium, & quasi nullius tuæ opis indigum arbitrium meum, sed cum dilatasti cor meum. Cordis dilatatio iustitiæ est delectatio. Hoc munus est Dei, vt in præceptis eius non timore pœnæ angustemur, sed dilectione dilatemur, & delectatione iustitiæ delectemur. Hanc enim nobis promittit latitudinem dicens : Habitabo in eis, & deambulabo. Quàm enim latum est vbi deambulat Deus ? In hanc latitudinem diffunditur cha-
2. Cor. 6. ritas in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Vnde etiam dictum est ; &
Rom. 5. in plateis eius discurrent aquæ tuæ. Platea quippe de verbo græco a latitudine nomẽ ac-
Prou. 5. cepit : Hæ sunt aquæ de quibus Dominus clamat dicens : Si quis sitit veniat ad me, & bibat.
Ioan. 7. Qui credit in me, flumina de vẽtre eius fluent aquę viuæ. Hoc autẽ dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.

14 IDEM exponens verba illa ; Legem pone
Conc. 11. mihi Domine viam iustificationum tuarum, & exquiram eam semper ait. Quid est quod orat, vt sibi a Domino lex ponatur. Cum Paulus dicat iusto non est posita lex, sed iniustis, &
1. Tim. 1. non subditis ? An eo modo non ponitur iusto quomodo posita est populo contumaci in tabulis lapideis, non in tabulis cordis carnalibus, sed secũdum testamentum nouum, de quo
Exo. 30. scriptum est, per Hieremiam : Ecce dies venient, dicit Dominus : & consummabo domui Israel, & domui Iuda testamentum nouum, nõ
2. Cor. 3. secundum testamentum, quod disposui patri-
Hiere. 31. bus eorum in die qua apprehendi manum eorum, cum educerẽ eos de terra Aegypti, quo-
Heb. 3. niã ipsi non permanserunt in testamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus, quoniã hoc est testamentum, quod constituam domui Israel : post dies illos, dicit Dominus, dabo leges meas in mẽtibus eorum, & in cordibus eorum scribam eas ? Ecce quomodo voluit istam legem sibi poni a Domino, non sicut iniustis, & non subditis ad vetus testamentum pertinen-

tibus

tibus posita est in tabulis lapideis; sed sicut sanctis filijs liberæ, filijs promissionis, filijs hæreditatis æternæ Sancto Spiritu, tanquam digito Dei in mente datur, & in cordibus scribitur, non quam memoria teneant, & vita negligant: sed quam sciant intelligendo, faciant diligendo in latitudine amoris, non in timoris angustijs. Cur iste adhuc poscit sibi legem poni, quæ vtique si non ei posita fuisset, non in viam mandatorum Dei cucurrisset? Sed quia proficiens loquitur, & Dei donum, nouit esse quod proficit, quid aliud petit, cum legem sibi poni petit, nisi vt in ea magis, magisq. proficiat? Quemadmodum si poculum plenum teneas, & sitienti dare incipias, & haurit bibendo, & poscit desiderando. Sed qui legis meminit, nec eã diligit, eo modo reus est, quia memoria eius lapis illi est quodãmodo scriptus, non quo adornetur, sed quo prematur pondus oneris non titulus honoris. Legem pone mihi Domine: & exquiram eam semper. Quid enim exquirit, quod habet, nisi quia, & habet agendo, & exquirit perficiendo, & proficiẽdo.

15 Conc. 26. in Psa. 118. IDEM explicans illa verba; Ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion, inquit: Id agit gratia, vt dilectione impleantur mandata Dei, quæ timore non poterant. *Rom. 13.* Plenitudo enim legis est charitas; ideo dilexi mandata tua super aurum, & topazion. In testamento veteri latentem gratiam, tanquam velo interposito non intelligentes, quod significabatur, quando in faciem Moysi intendere *Exo. 34.* non valebant, propter mercedem terrenam, atq; carnalem, Dei mandata facere conabantur, neque faciebant, quia non ipsa, sed aliud diligebant. Vnde illa non erant opera volentium, sed onera potius inuitorum. Cum verò ipsa mandata diliguntur super aurum, & lapidem pretiosum multum, omnis prę ipsis mandatis terrena vilis est merces, nec vlla ex parte comparantur quæcumque alia hominis bona his bonis, quibus ipse fit bonus homo. Propterea, inquit: ad omnia mandata tua dirigebar, vel corrigebar, vt Augustinus legit, vtiq; corrigebar, quia diligebam, atque illis rectis, vt etiam ipse rectus fierem dilectione cohærebam. Omnem viam iniquam odio habui. Quia cum mandata Dei super aurum, & topazion diligeret, super aurum, & lapidem pretiosum multum odisset profecto quicquid ei talium rerum damnum posset inferre, ita quoniam Dei mandata diligebat, iniquitatis viam odio habuit, quemadmodum aliquid immanissimum marini itineris saxum declinabat, vbi tam pretiosarum rerum, necesse est pati naufragium. Quod vt non contingat, longe inde velificat, qui in ligno Crucis cum mandatorum diuinorum mercibus nauigat.

16 In lib. Sententiarum. *Cant. 4.* *Psal. 93.* BERNARDVS inquit; Sub lingua eius mel, & lac, qui iuxta prophetam laborem fingit in præcepto. Pie prouidet Deus, vt haberet pietas promissionem vitæ, quę nunc est, & futuræ, nec laborem verum imponeret, sed magis fingeret in præcepto. Audi quomodo laborem fingere, ipse se probat. Tollite iugum meũ super vos, & inuenietis requiẽ animabus vestris; iugum enim meum suaue est, & onus meũ leue. *Matt. 11.* Quomodo non fictus labor, vbi non labor, sed requies inuenitur? Ita ergo labor in lingua, mel sub lingua. Quid supra linguã? Ineffabilia, quæ non licet homini loqui. Miseri qui solum quod in lingua sonuit attẽdẽtes, nec quod sub lingua reconditum, nec quod supra repositum fuit capere potuerũt. Durus est sermo inquiũt, tollere crucem, odire patrẽ, & matrem adhuc autem, & animam suam. Quid durius poterat dici? Noli errare. Lapis videtur, panis est. Durus in cortice, sed suauissimus in medulla. *Isa. 5.* Infra: Væ his qui panem lapidem, lapidem panem dicunt; ponentes lucem tenebras, & tenebras lucem, iugum Christi asperum, & esse sub sentibus delicias reputantes. Has delicias ego *Psal. 33.* nolim. Opto magis gustare, & videre, quoniã suauis est Dominus. Quã dulcia faucibus meis *Psal. 118.* eloquia tua: super mel ori meo. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, quàm abscondisti timentibus te. Vbi putas absconditur? Sub lingua. Licet enim in promissione vitæ, *Psal. 30.* quę nunc est dulcedo, & multitudo dulcedinis, & magna quoque, & quàm magna sit multitudo; perfectio tamen non nisi in promissione futuræ. Perfeciſti, inquit, his qui sperant in te in conspectu filiorum hominum.

Malorum societas, & consilia vitanda maxime ab imperfectis.
Cap. V.

1 Homil. 18. in Psa. 36. to. 2. PRÆTER ea quę adnotauimus lib. 9. cap. 19. Origenes explicans verba illa; noli æmulari in malignantibus, neq; zelaueris facientes iniquitatem, quoniam tanquã fœnum velociter arescent, inquit: Duo sunt, quæ nos docet in his verbis facere non debere: primo ne æmulemur inter malignantes, secundo, ne æmulemur eos, qui faciunt iniquitatem, quoniam sequitur eum, qui inter malignantes æmulatur, vt arescat, sicut fœnum, & hoc non tarde, sed cito. Eum verò qui æmulatur facientes iniquitatem, sicut olera herbarum cito decidet. Non æmulari in malignantibus, vel inter malignantes, secundũ simplicẽ litteræ intellectũ, hoc videtur indicare, ne inter malos, & pessimos homines, æmulator, quis malitiæ, ideſt, dux & author existat, & velut formã flagitij cęteris tribuens. Æmulari verò eos, qui faciũt iniquitatẽ, illud est; si imitetur quis, & discat agere inique. Et hoc est in vtroq; quod dicitur, vt neq; exemplũ malitiæ cæteris præbeas, neq; ipse aliorũ malorum sequaris exempla. Infra: Quoniam tanquam fœnum velociter arescent. Malignãtes optime fœno cõparauit. Fęnũ enim mutorum, & irrationabilium animaliũ cibus est. Fortasis ergo pro eo quòd omnes stulti & imperiti, & qui

contra rationem, & sapientiam Dei viuit, sequuntur eos, qui in malitia principes sunt, & ex illorum vita vel actibus vesci dicuntur, quibus & obediunt, idcirco eos fœno comparauit. Nemo enim prudens ab illis sumit exemplum.

2 Homil 9. in c. 13. Hier. IDEM explicans verba illa; Ecce ego implebo omnes habitatores Hierusalẽ ebrietate, & dispergam eos, virum a fratre suo, & patres & filios pariter, ait Dominus: Non parcã, neq; miserebor, vt non dispergã eos, sic habet; Mali cum simul fuerint, ea quæ mala sunt cogitant: & in pristina nequitia perseuerantes augent peccata peccatis, quomodo e contrario boni cum simul fuerint de honestis sermocinantur. Dissoluitur ergo, & ad nihilum deducitur nequam cogitatio, cum non habuerit allocutionem alterius nequioris. Idcirco per dispensationem Dei prouidetur pessimos a pessimis separari. Iustum quoque, & commodum est, vt a pristinis sceleribus ipsa solitudine, & penuria consortij aliquãdo desistant. Sicut turrim Babel ædificantes post confusas eorum linguas dispersit eos Deus a facie omnis terræ.

3 Hom. 9. ex varijs primi tomi, in qua cõtendit probare quod Deus non sit author malorum. to. 1. BASILIVS explicãs verba illa, quæ mulieri post peccatum dicta sunt; Inimicitias ponam inter te, & serpentem, inquit: Reuera noxiæ sunt amicitiæ, quæ cum malitia contrahũtur. Nam ea est amicitiæ huius, lex & vis, vt per similitudinem, malitiam coniunctis indat. Quamobrem rectè in Prouerbijs dicit: Corrũpunt bonos mores colloquia praua. Quemadmodum enim in pestilentibus locis sensim attractus aer, latentem corporibus morbum inijcit, sic itidem in praua consuetudine, & conuersatione maxima nobis mala hauriũtur etiam si statim incommodum non sentiatur. Idcirco nobis aduersus serpentem irreconciliabilis indita est inimicitia.

4 Homil. 21. ex varijs to mi primi in aliquot scripturę locos. *Prov. 22.* IDEM explicãs verba illa: Cum homine iracundo noli commorari, ait: Vir iracundus indecens, & cum iracundo noli sub eodẽ tecto agitare. O quàm malum cum tali cõmisceri; qui continuo latrat. Nisi enim eius fugias conuersationem, necessariũ est eius te vias edisce-re. Dixit acerbum aliquid iam animum tuum cõmouit. Veluti enim canis latratus, alterius canis tumultum prouocat, sic & animũ tuum quiescentem ac dormiẽtem, vox illius excitauit, & facti estis inter vos latrantes. Dixit ille aliquid cõtumelioſum; tu vero insipientis imitatus stultitiam maiorem fœnore reddis.

5 Lib. regularum fusius disputatarũ in resp. ſextæ interrogationis. to mo 2. IDEM sic ait: Ad continendam in officio mentis agitationem, ne ad futiles videlicet, ac minime necessarias cogitationes aberret illud adiuuat, si quis seorsum a ceteris communem vitam sectantibus viuat, quandoquidem prosectam illam Domini præceptorum obseruationem cõtemnunt, vt pernicioſum esse etiam Salomon ipse docet. *Prov. 22.* Sic enim est apud ipsum: Noli amicus esse homini iracundo, neq; habitaueris cum viro furioſo: ne forte discas vias eius, & sumas laqueos animæ tuæ. *Isa. 32.* Et itẽ illud: Exite de medio eorum, & separamini, nimirũ eodem pertinet. Quocirca ad illud euitandũ, ne oculis, auribusve instigationes ad peccatũ admittamus eiq. imprudenter assuescamus, neve earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus impressæ pestilentes, capitalesq. in animis nostris formæ ac veluti notæ quædam insideant, contraq. vt animum in officio suo attentum tenere possimus, principio quòd ad habitationem attinet separata ea a ceteris nobis quærenda est.

6 Epist. 1. ad Damasum Papã in exposit. cap. 6. to. 3. HIERONYMVS exponens verba illa; Quia vir pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentes ego habito, inquit: Prouidendum est sub hoc exemplo non solum, vt ipsi simus iusti; sed ne cum peccatoribus moremur, quia hoc in peccati ac miseriæ parte ducit propheta habitans in medio populi polluta labia habentis.

7 Lib. 3. in c. 15. Hiere. to. 4. IDEM explicans illa verba; Non sedi in concilio ludentiũ, & gloriatus sum a facie manus tuæ solus sedebam, quoniam amaritudine repleſti me, sic habet: Hæc verba ex persona prophetæ accipienda sunt, sermonibus sancti viri, qui non sederit in concilio sine secreto ludentium; quod timuerit impendentẽ sibi manum Dei, siue magis gloriatus sit se malorum non habere cõsortium. Solus, inquit, sedebam secũdum illud, quod scriptum est: Non sedi cũ *Psal. 25.* concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odiui Ecclesiam malignantiũ, *Psal. 140.* & cum impijs non sedebo. Et in alio loco solitarius sum ego, donec transeam, vel singulariter vt nostra lectio habet. A facie, inquit, manus tuæ solus sedebam, dum te timeo, dum impendentem mihi manum tuã semper expecto. In concilio ludentium sedere nolui; sed meam amaritudinem deuorabam, vt in futuro mihi gaudium præpararem. Vtinam Dominus præstet & nobis, non sedere in concilio ludentiũ, & eorum, qui futura non cogitant, sed semper Dei sententiam formidare, & dicere cum propheta: Solus sedebam, quia amaritudine repletus sum.

8 In cap. 10. Ecclesiastes to. 5. IDEM explicans verba illa: Muscæ morientes perdũt suauitatem vnguenti, ait: Exẽplum superioris sensus dedit, in quo ait, per vnum stultum multa bona subuerti, quod sic malus mixtus bonis contaminet plurimos; quomodo si muscæ moriãtur in vnguento perdant odorem illius, & saporem.

9 Lib. 2. offic. c. 12. to. 4. AMBROSIVS docẽs quod a probis viris consilium sit requirendum, inquit: Ioseph nec in carcere erat feriatus, quo minus de rebus incertis cõsuleretur. Cuius consiliũ Ægypto vniuersæ profuit, vt non sentiret septem annorum sterilitatem, aliosq. populos miseræ famis leuaret ieiunio. Daniel ex captiuis regalium consultorum arbiter factus, consilijs suis emendauit præsentia, annũciauit futura. Quid de Moyse loquar, cuius omnis Israel quotidie consilia præstolabatur? Quis se non cõmitteret consilio Moysi, cui seniores si qua supra suũ intellectum, & virtutem esse arbitrarentur, diiudicanda seruabant? Moysi consilio bella cõficieban-

Cap. 12. ficiebantur. Infra: Aduertimus igitur, quod in acquirendis cõsilijs plurimum adiungat vitę probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vsus, frugalitatis gratia. Quis enim in cœno fontem requirat? Quis e turbida aqua potum petat? itaq; vbi luxuria est, vbi intemperantia, vbi vitiorũ confusio; quis inde sibi aliquid hauriendum existimet? Quis non despiciat morum colluuionem? Quis vtilem causæ alienæ iudicet, quem videt inutilem vitæ suæ? Quis iterum improbum, maleuolum, contumeliosum non fugiat, & ad nocendum paratũ? Quis non eum omni studio declinet? Pulchrè autem & de illo conuenit, qui habens prudentiam commaculat eam vitiorum sordibus, eo quòd aquæ exitum contaminet? Quomodo enim eum potes iudicare consilio superiorem, quem videas inferiorem moribus? Supra me debet esse, cui me committere paro. An vero idoneum eum putabo, qui mihi det consilium, quod non dat sibi, cuius animum voluptates occupent, libido deuinciat, auaritia subiuget, cupiditas perturbet, quatiat metus? Quomodo hic consilij locus, vbi nullus quieti? Admirandus mihi & suspiciendus consiliarius, quem propitius Dominus patribus dedit; offensus abstulit. Huius imitator debet esse, qui potest consilium dare, & alienam a vitijs custodire prudentiam: quia nihil inquinatum in illam incurrit.

10 Lib. 2. confess. c. 9. to. 1. AVGVSTINVS confitetur Deo de furto pomorum, quòd malis societatibus tractus commisit, & ait: Et illud ego solus non facerẽ; non facerem omnino solus. Ecce est coram te Deus meus viua recordatio animæ meæ. Solus non facerem furtũ illud, in quo me non libebat id, quod furabar: sed quia furabar, quod me solum facere prorsus non liberet, nec facerem. O nimis iniqua amicitia, seductio mẽtis inuestigabilis ex ludo & ioco, nocendi auiditas, & alieni dãni appetitus, nulla lucri mei, nulla vlciscendi libidine; sed cum dicitur, eamus faciamus, & pudet non esse impudentem.

11 Lib. de salutaribus documentis. to. 4. IDEM inquit: Perfectorum virorum consortio fruere, & a verbis eorum ne auertas aurem tuã: & in eorum consilio delectetur anima tua, verba enim vitæ sunt verba hominũ Deũ timentium: & incolumitas animæ ijs, qui ea libenter audiunt, & attendunt. Sicut enim sol oriens effugat caliginem, ita sanctorum doctrina a sensibus nostris pellit tenebras. Deuita quæso viros superbos, inuidos, detractores, mordaces, periuros, seipsos & salutem suã negligentes, qui mortui sunt virtutibus, & lætantur in proprijs voluptatibus: vt gaudijs careant diuinis. Non dico vt vel vnum talem in domo tua habeas, sed etiam vbicunq; tales audieris esse, hos deuita. Cum huiusmodi hominibus nulla sit tibi connexio, vel familiaritas, nec velis cum eis sermocinari, si non valeas Domino miserãte eos ab errore suo reuocare. Nam sæpe per vnam ouem morbidã polluitur totus grex, & modica pars fellis magnum dulcorem vertit in amaritudinem. Nam talis si in habitu videatur clarus ac nobilis, ac dulcia verba proferat; operibus tamen si agat tecum contrarijs, magis nocet illius talis factura, quã placeat ex verbis figura: non enim ex verbis, sed ex virtutibus homo probatur.

12 Lib. contra Fulgẽtium Donatilis. to. 7. IDEM explicans locum Aggæi 2. Hæc dicit Dominus, interroga sacerdotes, dicens: Si tulerit homo carnem sanctificatã in ora vestimenti tui, & tetigerit de summitate eius panẽ, aut pulmentũ, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum: nunquid sanctificabitur? Respondentes autẽ sacerdotes dixerunt, non. Et dixit Aggæus si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his nunquid contaminabitur? Et respõderũt sacerdotes, & dixerunt, cõtaminabitur. Et dixit Dominus, sic & populus hic, & sic gẽs ista, omnis, qui illuc accesserit inquinabitur, sic habet: Si sanctus tetigerit immundum, non sanctificabitur. Si immundus tetigerit sanctũ, inquinabitur, idest facilius sanctus, qui iunctus fuerit genti huic pessimæ pessimabitur, quam gens ista in melius commutetur, quia procliuius ad imitationem malorum curritur quàm ad virtutes bonorum animus excitatur; Sicut melli plurimo parum absinthij iniectum velocem amaritudinem trahit; mellis vero etiã si duplum inijciatur, non poterit eius obtineri dulcedo. Excundum ergo nobis est e medio malorum mente non carne, operibus non corporibus. Nolite, inquit, Apostolus cõmunicare operibus infructuosis, tenebrarũ operibus ait. *Eph. 5.*

13 Enarratione 2. in Ps. 25. to. 8. IDEM explicans verba illa; Iudica me Domine, quoniã ego in innocentia mea ingressus sum, inquit: Iudicari hoc est discerni se optat a malis. Alio loco euidẽter dicit de ipso iudicio discretionis: Iudica me Domine, & discerne causam meã de gente non sancta. Et in Domino sperans non infirmabor. Quid est in Domino sperans? ille titubat inter malos, qui nõ in Domino sperat. Trepidauerunt inter malos cum ipsi peiores essent: & quasi nollẽt esse boni inter malos. O si frumenta essent vsque ad tempus ventilationis, paleã in area tolerarẽt. Sed quia palea erant, flauit ventus ante ipsam ventilationem, & rapuit de area paleã, & proiecit in spinas. Infra: Non sedi cum consilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introibo. Odio habui congregationem malignorum, & cum impijs non sedebo. *Psal. 42.*

14 Ser. 7. inter 17. varios huius tomi. to. 10. IDEM ait: A malis corde semper disiungimini ad tempus cautè corpore copulamini. Quibuscunq; modis potestis agite, ne cum inuenitis in scripturis, & exemplis sanctorum, siue qui ante, siue qui post aduentum Domini fuerunt in hac vita, quòd mali bonos non maculant, efficiamini pigri ad corrigẽdos malos. Duobus modis non te maculat malus, si non consentias, etsi redarguas, hoc est, non communicare, non consentire. Communicatur quippe quando facto eius consortium voluntatis vel approbationis adiungitur. Hoc ergo nos admonens Apostolus ait: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.

GRE-

15 Homil. 9. in Ezech. to. 2. GREGORIVS explicãs verba illa; Sermones eorũ ne metuas, quia increduli, & subuersores sunt tecum, & cũ scorpionibus habitas ait: vnum est pro quo vitari societas debet malorum, ne si fortasse corrigi non valent, ad imitationẽ trahant. Et cũ ipsi a sua malitia nõ mutantur, eos qui sibi cõiuncti fuerint peruertant, vnde Paulus ait: Corrumpunt bonos mores colloquia mala. Et sicut per Salomonẽ dicitur, noli esse amicus homini iracũdo, nec ambules cum viro furioso; ne forte discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ. Sicut ergo perfecti viri peruersos proximos, non debent fugere, quia & eos sæpe ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquã trahuntur, ita infirmi quique societatem declinare debẽt prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non valent, delectentur imitari. Sic enim verba proximorum audiendo quotidie sumimus in mente, sicut flando. atque respirando aerem trahimus corpore. Et sicut malus aer assiduo flatu tractus inficit torpus: ita peruersa locutio assidue audita, infirmantium inficit animum, vt tabescat delectatione praui operis assidui iniquitate sermonis.

1. Cor. 15. Prou. 22.

Mariæ virginitas, excellentia, intercessio, & alia multa, quæ elegãter colligunt sancti. Cap. VI.

1 Homil. 26. in Matth. tom. 3. ORIGENES explicans verba illa Matth. 23. Vt veniat super vos omnis sanguis iustus, &c. vsque ad sanguinem Zachariæ, &c. inquit: Zachariam dicit patrẽ Ioannis Baptistæ, de quo per canonicas scripturas ostendere non possumus, quòd scribæ, & pharisæi interfecerunt eum inter templum, & altare, sed venit ad nos quædam traditio talis, & quasi sit aliquis locus in templo, vbi virginibus quidem consistere licet, & orare Deum. Expertæ autem thorum virilem nõ permittebãtur in eo consistere. Maria autem postquam genuit Saluatorem, ingrediens adorare stetit in illo virginum loco: prohibẽtibus autem eis, qui nouerant eam iam filium genuisse, Zacharias stetit atque dixit prohibentibus eam, quoniam digna est virginum loco cum sit adhuc virgo. Ergo manifestissime Zachariam aduersum legem agentem, & in loco virginum permittentem stare mulierem occiderunt inter templum, & altare Iudæi. Hanc eandem historiam docet Basilius his verbis, hęc historia ex traditione ad nos vsque peruenit, Zacharias Mariam post Domini conceptionem in virginum loco cõstituens a Iudæis inter templum, & altare interfectus est. A populo namque accusatus, quòd rem prodigiosam inauditamq. prædicaret, virginem videlicet pariẽtẽ citra virginitatis corruptionẽ.

Basil. homi. 25. ex variis huius tomi. to. 1.

2 Homi. 1. ex decẽ varijs huius tomi. tom. 3. IDEM exponens verba illa Matth. 1. Cum esset dispõsata mater Iesu Maria Ioseph, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto; ait: Mater eius, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater eius cuius eius? Mater Dei vnigeniti, Domini, & regis omniũ, plasmatoris, & creatoris cunctorum. illius qui in excelsis est sine matre, & in terra est sine patre. O magnum & inenarrabile sacramentum, ipsa eademq. virgo, ipsa & mater Domini, ipsa & genitrix, ipsa eius ancilla, plasmatio eius, ipsa quæ genuit. Et quis cogitare potuit, vt mater virgo esset, & intacta generaret, quæ & virgo permãsit, & genuit? Sicut enim quondam rubus cõburi videbatur, & ignis eum non tãgebat, & sicut tres pueri in camino ignis inclusi habebantur, & tamen eos non lædebat incendium, nec odor fumi erat in eis, vel quemadmodum Danieli intra lacum leonum incluso claustris non apertis allatum est prandium ab Abacuc, ita & hæc virgo sancta genuit Deũ, sed intacta permansit. Mater effecta est, sed virginitatem non amisit. Infra: Huius vnigeniti Dei dicitur hęc mater virgo Maria. Digna digni, immaculata sancti, amica vnico. Nec enim alter vnigenitus super terram venit, aut alia virgo vnigenitum genuit. Et ait, inuenta est in vtero habens. Inuenta est ab angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conseruantibus eam, vel eius beatissimam animam ad honorem illius, qui ab ipsa generãdus erat.

3 Homil. 1. ex imperfecto Chrysost. in Matth. to. 2. CHRYSOSTOMVS docẽs qua ratione Ioseph videns Mariã grauidã nihil mali de illa cogitauerit, ait: O inestimabilis laus Mariæ, magis credebat castitati eius, quàm vtero eius, & plus gratiæ, quam naturæ. Conceptionẽ manifeste videbat, & fornicationem suspicari non poterat. Possibilius credebat mulierem sine viro posse concipere: quam Mariam posse peccare. Hic maritale zelum, & vteri clamantis accusationẽ, sola præteritæ conuersationis documenta vincebant. Infra: Quoniã ergo auditio verborũ Mariæ, & cõsideratio vitæ eius, mala suspicari de ea non sinebat Ioseph, cõsideratio autẽ conceptionis eius, nõ permittebat eum ad plenũ bona æstimare de ea: & sic animus eius inter vtrasque partes fluctuabat, propterea necessaria fuit reuelatio illa diuina.

4 Homi. 2. ex varijs in Ioan. to. 3. IDEM vt probet beatæ Mariæ virginitatem perpetuam, adducit locum Ezechielis, vbi legitur loquens de ædificatione templi, porta hæc, inquit, Orientalis quę respicit ad oriẽtem semper clausa erit, & nemo intrabit per eam, nisi solus pontifex. Et sicut clauso lapide exiuit Dominus de sepulchro: ita clauso vtero virginis in hunc mundum intrauit. *Cap. 44.* *Matt. 27.*

5 Lib. 1. aduersus Iouinianum. to. 2. *Cant. 4.* HIERONYMVS dicit; Hortus conclusus, fons signatus soror mea spõsa. Quod clausum est, atque signatum, similitudinem habet matris Domini, matris & virginis. Et tamen hæc virgo perpetua, multarum est mater virginum, & Infra: In apologia aduersus Iouinianũ, eũdem locũ explicãs hortus conclusus: Maria fons signatus, de quo fonte ille fluuius manat iuxta Ioel, qui irrigat torrentem spinarum, quæ suffocant sementem patris familias. Hęc est porta oriẽtalis, vt ait Ezechiel, semper

clausa & lucida, operiens in se, vel ex se proferens sancta sanctorum, per quam sol iustitiæ, & pontifex noster ingreditur, & egreditur. In libro aduersus Heluidium vocat Mariam Dei templum, & Spiritus sancti sedem.

6 Epist. ad Fabiolam de quadraginta duabus mansionib. to. 3. *Num.* 23.

IDEM inquit: Quadraginta duæ mansiones, per quas Israeliticus populus venit ad Iordanem, sunt quadraginta duę generationes ab Abraham vsque ad Christum, in quo numeri sacramento verus currit Hebræus, qui de terra transire festinat ad cælum, & Ægypto sæculi derelicta terram repromissionis ingreditur. Nec mirum si in huius numeri mysterio perueniamus ad regna cælorum, sub quo Dominus atq; Saluator a primo patriarcha peruenit ad virginem, quasi ad Iordanem, quæ pleno gurgite fluens, Spiritus sancti gratijs redundabat.

7 In epist. ad Paulam, & Eustochiũ de assumpt. B. Virginis. to. 9.

IDEM ait: Monstratur sepulchrum Mariæ cernentibus nobis vsque ad prędens in vallis Iosaphat medio: quæ vallis est inter montem Sion, & montẽ Oliueti posita; vbi in eius honore fabricata est Ecclesia miro lapide tabulata, in qua sepulta fuisse ab omnibus ibidem prædicatur; sed nunc vacuum esse Mausoleum cernentibus ostẽditur. Infra: Quod si quæritur post ascẽsionem Domini quid egerit? vnum certum est, quia virgo sancta corpore ac mente permansit. Et Ioannes Euangelista virgo virginem seruauit, suisq. deseruiuit obsequijs, non quod eximius ille sanctorum chorus Apostolorum deseruerat eam, inter quos post resurrectionem intrãs, & exiens familiarius contulit de Christi incarnatione, tanto siquidem verius, quanto ab initio plenius per Spiritum sanctum cuncta didicerat, & perspexerat oculis vniuersa. Infra: Post ascensionem Christi cum discipulis virgo vacat in schola virtutum, & meditatur in lege mandatorum Dei, vt & ipsa sit forma disciplinæ Christi, & exemplum perfectionis virginibus. Conuersatur cum senatoribus cæli intra curiam paradisi sub Spiritus sancti disciplina, & magisterio totius diuinæ maiestatis. Infra: Hodie gloriosa virgo Maria cælos ascendit; gaudete, quia ineffabiliter sublimata cũ Christo regnat in æternum. Si Deum in sanctis suis laudare iubemur, multo magis in hac solemnitate dignis Deo debemus iubilare preconijs. Nulli enim dubium quin totum ad gloriã laudis eius pertineat, quicquid digne genitrici suæ impẽsum fuerit. Quicquid de Maria humanis dici potest verbis, minus est a laude cæli, quia diuinis est, & angelicis excellẽtius prædicata, & laudata præconijs. Qualis & quanta esset, ab Angelo diuinitus declaratur, cũ dicitur: Aue gratia plena, Dominus tecũ, benedicta tu in mulieribus. Talibus namque decebat
8 virginem oppignerari muneribus, vt esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriã, terris Dominum, pacemq. refudit, fidem gẽtibus, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus disciplinã. Et bene Angelus ad Mariam mittitur; quia semper est Angelis cognata virginitas. Profecto in carne præter carnem viuere non terrena vita est, sed cælestis. Vnde in carne angelicam vitã acquirere maius est meritum, quam habere. Aue inquit, gratia plena; & bene plena quia cæteris per partes præstatur, Mariæ verò simul se tota infudit plenitudo gratiæ. Hoc quippe est quod Dauid canit, Descendet sicut pluuia in vellus. Cælestis plane imber in virginem placido infudit illapsu, & tota diuinitatis vnda se contulit in carnem, quando verbum caro factũ est. Verè plena per quam largo sancti Spiritus imbre superfusa est omnis creatura. Benedicta tu in mulieribus, ideſt plus benedicta, quàm omnes mulieres. Ac per hoc quicquid maledictionis infusum est per Euam, totũ abstulit benedictio Mariæ. Infra: Ex persona supernorum ciuiũ in eius assumptione admirans Spiritus sanctus ait in Canticis: Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus? Et bene quasi virgula fumi; quia gracilis, & delicata, quia diuinis extenuata disciplinis, & concremata intus in holocaustum incendio pij amoris, & desiderio charitatis. Vt virgula, inquit, fumi ex aromatibus. Nimirum, quia multis repleta est virtutum odoribus, manans ex ea fragrabat suauissimus odor etiã spiritibus angelicis. Mirabantur electorum animæ præ gaudio eam, quæ ascendebat de deserto præsentis sæculi, quænam esset, quæ etiam meritorum virtutibus Angelorum vinceret dignitatem. De qua rursus idem Spiritus sanctus in eisdem Canticis: Quæ est ista quæ ascendit, inquit, quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Admiratur autem Spiritus sanctus, quia omnes de ascensu huius virginis admirantes facit, quod quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo resplendeat, multis freta, & vallata sanctorum agminibus. Vnde dicitur terribilis, vt castrorum acies orndinata. Siquidem terribilis suis facta virtutibus, vt castrorum acies admodum ordinata, hinc inde Angelorum sanctorum fulta præsidijs pulchra, vt luna, immo pulchrior quam luna, quia iam sine defectu sui coruscat cælestibus illustrata fulgoribus. Electa vt sol, fulgore virtutum, quia ipse elegit eam sol iustitiæ, vt nasceretur ex ea. Ad cuius profecto exequias quantum fas est credere Angeli famulabantur, & vniuersæ cælorum congratulabantur curiæ. Nec mirum, quia honor maternus, eius est qui natus est ex ea, quem omnis cælorum ordo veneratur. Credendum est hodierna die militiam cælorum cum suis agminibus festiue obuiam venisse genitrici Dei, eamq. ingenti lumine circũfulsisse, & vsque ad thronum, sibi etiam ante mundi constitutionem paratum, cum laudibus, & canticis spiritualibus perduxisse. Nulli dubiũ omnẽ illam cælestẽ Hierusalem tunc exultasse ineffabili lætitia, tuncq. cũ omni gratulatione iubilasse, quoniã festiuitas hæc, quæ nobis hodie reuoluitur annua, illis omnibus facta est continua. Nec immerito: creditur enim, q̃ Saluator omnium ipse per se totus festiuus occurrit, & cũ gaudio eã secũ in throno collocauit. Infra: Veni columba mea, immaculata mea, veni

Cant. 4. veni de libano, veni coronaberis. Venire de libano iubetur, quia libanus candidatio interpretatur. Erat enim candidata multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior Spiritus sancti muneribus, simplicitatẽ columbæ in omnibus repræsentans, quoniã quicquid in ea gestum est, totum puritas, & simplicitas, totum veritas, & gratia fuit, totum misericordia, & iustitia, quæ de cælo prospexit: & ideo immaculata, quia in nullo corrupta. Circundedit enim virum in vtero, sicut Hieremias sanctus testatur, & non aliunde accepit. *Hier.* 31. Faciet, inquit, Dominus nouum super terram, mulier circundabit virum. Vere nouum, & omnium nouitatum supereminens nouitas virtutum, quando Deus (quem ferre non potest mundus, neque videre aliquis, vt viuere possit) sic ingressus est hospitium ventris, vt corporis claustrum nesciret, sicque gestatus, vt totus Deus in eo esset, & sic exiuit inde, vt esset (sicut Ezechiel fatetur) porta omnino clausa. *Cant.* 4. Vnde canitur in eisdem canticis, hortus conclusus, fons signatus, emissiones tuę paradisus. Vere hortus deliciarum, in quo consita sunt vniuersa florum genera, & odoramenta virtutum; sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Fons itaque signatus sigillo totius trinitatis, ex quo fons vitæ manat, in cuius lumine omnes videbimus lumen. Cuius profecto emissio vteri, supernorum ciuium omnium est paradisus.
11 *Gen.* 27. De isto namque ventris agro patriarcha Isaac longe odorans aiebat: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Deus. Infra: Et bene ab eo plenus ager dicitur, quia plena gratia virtutum virgo Maria pronunciatur, *Ioan.* 1. de cuius vtero credentibus fructus vitæ effulsit. Et nos, inquit Euangelista, de plenitudine eius accepimus gratiam pro gratia. Infra: Cogitate, & perpendite quantis afficiebatur beata virgo doloribus post Christi ad cælos ascensum, considerate quo cruciabatur amore, quoue desiderio æstuabat hæc virgo, dum reuoluret animo cuncta, quæ audierat, quæ viderat, quæ cognouerat. Quanto indesinenter cremabatur ardore pij amoris, quãtus mouebatur repleta Spiritu sancto cælestium secretorum incitamentis, quia etsi diligebat Christum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, nouis tamen quotidie inflammabatur præsentia absens desideriorum affectibus: tanto siquidem validius, quanto diuinis illustrabatur intus visitationibus quam totam repleuerat Spiritus sancti gratia, quam totam incanduerat diuinus amor, ita vt in ea nihil esset, mundanus quod violaret affectus; sed ardor continuus, & ebrietas perfusi amoris eius, qui illius erat, & Dominus, & filius. Fortasis ergo præ nimio amore, in loco quo sepultus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus pijs pasceretur internus amor obtutibus, non quod iam viuentem quæreret cum mortuis, sed vt suis consolaretur aspectibus, & quem genuerat mentis complecteba-

tur amplexibus. Amor Christi desiderium pariebat, desiderium verò gliscens quasi nouis reparabatur ardoribus. Quod si gaudium fit in cælo de quolibet peccatore conuerso; multo magis putandum pro tantæ virginis exaltatione, & gloria quod exultatio fiat in supernis. Vnde credimus quòd non hunc tantum 12 diem solemnem ducunt pro eius honore animum, verumetiam continuum, & æternum iucunditatis ac venerationis obsequio, cum omni colunt tripudio amoris, & gaudij. Ad huius profecto fragrantiam odoris omnis illa cælestis Hierusalem læta decurrit, quam circundabant flores rosarũ, & lilia conualium, eo quod omnes animæ martyrio rubricatæ eam æternæ dilectionibus complectuntur amplexibus. Rectè igitur, quoniam beata Dei genetrix, & martyr, & virgo fuit, quamuis in pace vitam finierit. Hinc quoque, quod vere passa sit, testatur Simeon propheta loquens ad eam; Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Ex quo constat quòd supra martyrem fuit. Alij namque sancti, etsi passi sunt pro Christo in carne, tamen in anima, quia immortalis est, pati non potuerunt. Beata vero Dei genitrix, quia in ea parte passa est, quæ impassibilis habetur, ideo, vt ita fatear, quia & spiritualiter caro eius passa est gladio passionis Christi plus quam martyr fuit. Vnde constat, quia plus omnibus dilexit, propterea, & plus doluit, in tantum, vt animam eius totam pertransiret, & possideret vis doloris ad testimonium eximiæ dilectionis. Quæ quia mente passa est, plus quàm martyr fuit. Nimirum quod eius dilectio fortior morte fuit, quia mortem Christi suam fecit. Nunc autem circundant eam flo- 13 res rosarum indesinenter eius admirantes pulchritudinem inter filias Hierusalem, in qua posuit rex thronum suum, quia concupiuit eius decorem, fuit enim plena charitate, & dilectione; idcirco sequitur post eam purpuratorum, & candidatorum exercitus. Quam si diligentius aspicias, nihil virtutis est, nihil speciositatis, nihil candoris, gloriæq. quod ex ea non resplendeat, ideoq. illi submittitur sanctorum claritas. Nam Angelorum quãuis celsior natura sit, non tamen gratia maior. Vnde Dauid verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris *Psal.* 32. eius omnis virtus eorum. Quod si spiritu oris eius omnis virtus eorum subsistit: constat beatam virginẽ Mariam, in quam superuenit Spiritus sanctus, & Deus totus illapsus portatur nouem mẽsibus in vtero, ampliora promeruisse virtutum priuilegia. Vnde etsi mirabilis est eorum virtus, & firmitas perpetuitatis: mirabilior tamen in Maria, quam obumbrauit virtus Altissimi, vt vltra omnem virtutẽ sit angelicam, quod factũ est in ea, & admirabile cunctis sæculis sacramentum. Ac per hoc etiã angelis exinde maior præstatur gratia. Hinc & Maria cunctis tantò venerabilior, quantò gratiosior, & quando virtute altissimi extollitur ad sublimia, tãtò clarior resultat in gloria. Plena siquidẽ gratia, plena Deo, plena virtutibus

non potest non possidere plenè gloriam claritatis æternæ, quam plenissimè accepit, vt mater fieret Saluatoris. Infra: Quod si in do-
14 mo patris mansiones multæ sunt, credimus splendidiorem matri hodie filium præstitisse, quam sibi olim ædificauit domum, subnixam columnis septem, in qua domo nimirum parantur nuptiæ Ecclesiarum Dei, & fœderantur terrenis cælestia. Et si quælibet virginitas tantum erigitur, in qua non nubent homines, neque nubentur, sed erunt similes angelis Dei, multo magis beata, & gloriosa virgo Maria, quæ singulari commendatur priuilegio. Infra: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Plena erat virtutibus Maria, & tamen solam humilitatem respexisse Dominum fatetur, quæ custos est ceterarum virtutum. Collocauerat enim in tuto stationis portu sublimia meritorum suorũ exercitia, & ideo diuinitus illustratur, vnde & beata iam ab omni sæculo prædicatur. Didicit beata virgo a Christo Domino humiliari, ceteraq. virtutum documenta, intra humilitatis custodiam aggregare. Et ideo si placet vobis charissime talis ac tanta virgo, placeat & opus virtutis, cuius vita omnium est disciplina, cuius mores instituta sunt Ecclesiarum, quæ præcellit cũctos, supereminet vniuersis. Quia sicut in comparatione Dei nemo bonus; ita & in comparatione matris Domini nullus inuenitur perfectus, quamuis virtutibus eximijs comprobetur. Vnus est pater noster, qui in cælis est, vnus & magister, vna est forma virginitatis in Maria, cui vos omnes, vt imaginem reformetis integritatis, faciem imprimere debetis in sculpturam Spiritus sancti. Quoniam hic est hortus conclusus, fons signatus, puteus aquarum viuentiũ: ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec præualuit fraus inimici, sed permansit sancta mente, & corpore, multis donorum priuilegijs sublimata.

15 IDEM ait: Non dubium est, illam, quæ meruit pro liberandis ferre pretium, posse impartiri suffragium liberatis. Infra: Tu es benedicta inter mulieres. Tu prærogata cunctis virginum cateruis. Tu sequeris agnum quocumque perrexerit. Quid dicam cum de te quidquid dixero minus profecto est, quàm dignitas tua meretur? Si matrem vocem gentium præcellis, si formam Dei appellem digna existis.

Epist. 2. de assumptione B. Marię tom. 9.

16 IDEM inquit: Beata virgo Maria de stirpe regia, & familia Dauid oriunda, in ciuitate Nazareth natą Hierosolymis in templo Domini nutrita fuit. Mater eius Anna, & pater eius Ioachin, quorũ vita simplex & recta apud Dominum, & apud homines irreprehensibilis erat, & pia. Nam omnem substantiam suam trifariam diuiserunt, vnam partem templo, & templi seruitoribus impendebant, aliam peregrinis, & pauperibus erogabant, tertiam suæ familiæ vsibus, & sibi reseruabant. Per annos circiter viginti, castum domi coniugium sine liberorum procreatione exercebant. Vouerunt tamen si forte Deus donaret eis sobolem, eam se Domini seruitio mancipaturos, cuius rei gratia, & templa Domini singulis per annum festis frequentare solebant, ea verò tempestate Isachar ibi pontifex erat. Cumq. Ioachin cum oblatione sua videret, despexit eum, & munera eius, dicens: Munera nequaquam Deo digna posse videri, quem ipse prole indignum iudicasset, scriptura dicente: Maledictum omne esse, qui non genuisset filium in Israel. Cuius opprobrij obiectu pudore magno suffusus Ioachin in pascua secessit. Neque enim domum repetere voluit, ne forte a contribulibus suis, qui simul aderant, & hoc a sacerdote audierant, eodem opprobij elogio notaretur. Verum cum ibi aliquandiu esset, quadam die, cum esset solus Angelus Domini, ei cum immenso lumine astitit. Qui cum ad eius visionem turbaretur, Angelus timorem eius compescuit, dicens: Noli timere, ego sum Angelus Domini missus ab ipso ad te, vt annunciem tibi preces tuas esse exauditas, eique narrauit sanctarum mulierum sterilitatem. Proinde Anna vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam, hæc erit, vt vouistis, ab infantia Domino consecrata, & Spiritu sancto replebitur, adhuc ex vtero matris, neque inter populares forinsecus turbas, sed in templo Domini conuersatio eius erit, ne quid de ea siniſtrum vel suspicari saltem possit, vel dici. Itaque ætate procedente, sicut ipsa mirabiliter ex sterili nascetur; ita incomparabiliter virgo generabit altissimi filium, qui Iesus vocabitur. Et hoc tibi eorum, quæ annuncio signum erit, cum perueneris ad auream in Hierosolymis portam, habebis ibi obuiam Annam vxorem tuam, quæ de tuæ regressionis tardatione modo sollicita, tunc in aspectu tuo gaudebit. Hæc eadem postea idẽ Angelus reuelauit Annæ, & addidit: filia tua Maria vocabitur, & super omnes mulieres erit benedicta. Tribus ablactationis suæ annis in domo paterna permanebit, postea seruitio Domini mancipata, a templo vsque ad intelligibiles annos non discedet; ibi denique ieiunijs, & orationibus nocte, & die Deo seruiens, ab omni immundo se abstinebit, virum nunquam cognoscet, sola sine exemplo, sine macula, sine corruptione virgo filium Saluatorem mundi generabit. Concepit ergo Anna, & perperit filiam, quam iuxta Angeli mandatum Mariam vocauerunt parentes. Cumq. trium annorum circulus volueretur, & ablactationis tempus completum esset; ad templum Domini virginem cum oblationibus adduxerunt. Cumq. quindecim essent ascensionis gradus, ante altare holocausti forinsecus, in horum vno beatam virginem paruulam parentes constituerunt, virgo autem Domini cunctos sigillatim gradus sine ducentis, & leuantis manu ita ascendit, vt perfectæ ætati in hac dumtaxat causa nihil deesse putares. Iam quippe Dominus

In epist. de natiu. B. Marię ad Cromatium, & Heliodorũ, Episcopos. tom. 9.

minus in virginis suæ infantia magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio præmonstrabat. Igitur sacrificio secundum consuetudinem legis celebrato, virginem intra septa templi cum alijs virginibus ibidem educandam dimiserunt. Virgo autem Domini cũ ætatis processu, & virtutibus proficiebat, & iuxta psalmistam: Pater, & mater dereliquerant eam, Dominus autem assumpsit eam. Quotidie namque ab angelis frequentabatur, quotidie diuina visione fruebatur, quæ eam a malis omnibus custodiebat, & bonis omnibus redundare faciebat. Itaque ad quartumdecimum annum vsque peruenit, vt non solum nihil de ea mali reprehensione dignum confingere possent; sed & boni omnes, qui eam nouerant, vitam & conuersationem eius admiratione dignam iudicarent. Tunc pontifex publice denunciabat, vt virgines, quę in templo erant, & hoc ætatis tempus implessent, domum reuerterentur, & nuptijs secundum morem gentis, & ætatis maturitatem operam darent. Cui mandato cum ceteræ pronæ paruissent, sola virgo Domini Maria hoc se facere non posse, respondit dicens: se quidẽ & parentes suos Domini seruitio mancipasse, & insuper se ipsam Domino virginitatem vouisse. Pontifex verò in angustia constitutus animi, ex altera parte votum Domino reddẽdum sciens, ex altera verò morem gentis, præcipit, vt ad festiuitatem, quæ imminebat, omnes ex Hierosolymis & vicinis locis primores venirent, quorum consilio scire posset, quid de tam dubia re faciendum esset. Quod cum fieret, omnibus in commune placuit Dominum super hac re esse cõsulendum. Et cunctis quidem orationi incumbentibus, Pontifex ad consulendum Dominum ex more accessit. Nec mora, cunctis audientibus de oraculo, & de propitiatorij loco vox facta est, requirendum esse cui virgo illa commendari, & desponsari
19 deberet. Liquet enim Isaiam dicere egredie-
Isa. 11. tur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eum spiritus Domini. Secundum hanc ergo prophetiam, cunctos de domo & familia Dauid nuptui habiles non coniugatos virgas suas allaturos ad altare prædixit, & cuiuscumque post allationem virga florem germinasset, & in eius cacumine spiritus Domini in specie columbæ consedisset, ipsum esse, cui virgo commendari, & desponsari deberet. Erat autem inter ceteros Ioseph, homo de domo, & familia Dauid grandæuus, cunctis ver virgas suas iuxta ordinem deferentibus, solus ipse suam subtraxit. Vnde cum nihil diuinæ voci consonum apparuisset pontifex iterato Deum consulendum putauit. Qui respondit solum illum ex his, qui designati erant virgam suam non attulisse, cui virginem desponsare deberet. Proditus est itaque Ioseph. Cum enim virgam suam attulisset, & in cacumine eius columba de cęlo veniens cõsedisset, liquido omnibus patuit ei virginẽ desponsandam fore. Igitur nuptiarum iure de more celebrato, ipse quidem in Bethlehem recedit ciuitatem domum suam dispositurus. Virgo autem Domini Maria cum alijs septem virginibus coęuis, & collectaneis, quas a sacerdote acceperat, ad domum parentum suorum in Galilæam reuersa est. His vero diebus, primo scilicet aduẽtus sui tempore in Galilæam, missus est ad eam Angelus Gabriel, qui ei Dominicum conceptum nunciaret. Angelus autem cubiculum vbi manebat virgo, ingenti lumine perfudit, & gratissimè salutauit. Virgo autem, quæ iam Angelicos bene nouerat vultus, & lumen cæleste insuetum nõ habebat, neque Angelica visione territa, neque luminis magnitudine stupefacta, sed in solo eius sermone turbata est. Ioseph igitur a Iudæa in Galilæam veniens; desponsatą sibi virginem vxorem ducere intendebat; iam namque tres fluxerant menses, & quartus instabat ex eo tempore, quo sibi desponsata fuerat, interea paulatim vtero puerperæ intumescente, hoc latere non potuit Ioseph grauidam eam deprehẽdens.

20 IDEM explicans verba illa: Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & mouebuntur simulachra Ægypti a facie eius, inquit: Ascendit Dominus super nubem leuem, corpus scilicet beatæ Mariæ, quod nullo humani seminis pondere prægrauatum est. Et ingressus est in Ægyptum huius mundi, statimq. omnia simulacra Ægypti commota sunt.

Lib. 7. in c. 19. Isa. to. 4.

21 IDEM explicans verba illa; Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est, vel ingredietur per eam; eritq. clausa principi, ait: Pulchrè quidam portam clausam per quam solus Dominus Deus Israel ingreditur, & dux cui porta clausa est, Mariam virginem intelligunt, quæ & ante partum, & post partum virgo permansit.

Lib. 13. in c. 44. Ezec. tom. 4.

22 IDEM vno verbo dicit; Loquens in commẽdationem mulierum enumeratis aliquibus ex veteri testamento, taceo de Anna, & Elisabeth, & ceteris sanctis mulieribus, quarum velut siderum igniculos, clarum Mariæ lumen abscondit.

Prologo' in Soph. prophetam ad Paulam, & Eustochiũ. to. 5.

23 IDEM ait: Vocat Paulus Christum patrẽ gloriæ, quia quomodo Dominus ipse est sapientia, veritas, pax, iustitia, fortitudo ipse sit etiam gloria, sicut scriptũ est: Super tabernaculum testimonij visam esse gloriam Dei. Quæ gloria illuminans suo fulgore mundum, templũ sibi de virginali vtero fabricata est, cuius templa pater gloriæ efficitur Deus.

Li. 1. in c. 1. epist. ad Ephes. to. 8.

24 AMBROSIVS ait: Sit igitur nobis tanquam in imagine descripta virginitas, vitaq. beatæ Mariæ, de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? quid splẽdidius ea, quam splendor elegit? quid castius ea, quæ corpus

Libro 2. de virginibus. to. 4.

sine

sine corporis contagione generauit? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret effectum, corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto diuitiarum spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere, non lædere reos, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, amare virtutem. Quando ista fadiuit humilem? quando derisit debilem? quando vitauit inopem? Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inuerecundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, vt ipsa corporis species figura fuerit probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu, nihil intus latere tenebrarum, vt mens nostra, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ego exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum, vltra naturam superfuisse, alterum penè
25 ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora, hic congeminatos ieiunio dies. Et si quãdo reficiendi succesisset voluntas, cibus plerunque obuius, qui mortem arceret non delicias ministraret. Dormire, non prius cupiditas, quàm necessitas suit. Et tamen cum quiesceret corpus, vigilaret animus, qui frequenter in somnis, aut lecta repetit, aut somno interrupta còntinuat. Prodire domo nescia, nisi cum ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cũ parentibus, aut propinquis. Talem hanc Euãgelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Hęc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites feminas desiderabat, quę bonas comites cogitationes habebat. Quin etiam tunc sibi minus sola videbatur, cum sola esset. Nam quomodo sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit, & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepida, quasi non incognitum audito nomine recognouit, ita peregrinata est in viro, quæ non est peregrinata in Angelo, vt agnoscas aures religiosas, oculos verecundos: Talis enim fuit maria, vt eius vnius vita, omnium disciplina sit. Quantæ in vna virgine species virtutum emicant, secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium, virgo intra domum. O quantis illa virginibus occurret, quantas complexa ad Dominum trahet. In cælo Maria tympanum sumens, choros virginales excitabit cantantes Domino, quod per mare sæculi, sine sæcularibns fluctibus transierunt.

26 IDEM sic habet; Beatæ Mariæ tanta fuit gratia, vt non solum in se virginitatem reseruaret, sed etiam his, quos vileret integritatis insigne conferret. Visitauit Ioannem Baptistam, & in vtero matris priusquam nasceretur, exultauit. Ad vocem Mariæ exultauit infantulus, obsecutus antequam natus. Nec immerito mansit integer corpore, quem in tribus mensibus oleo quodam suæ præsentiæ, & integritatis vnguento Domini mater exercuit. Eademq. postea Ioanni Euangelistæ est tradita coniugium nescienti. Vnde non miror præ ceteris locutum diuina mysteria, cui præsto erat aula cælestium sacramentorum. Vnde dicit Ezech. 44
Propheta vidisse se in monte alto nimis ædificationem ciuitatis, cuius portæ plurimæ significantur, vna tamen clausa describitur, de qua sic ait: Et conuerti me secundum viam portæ sanctorum exterioris, quæ respicit ad Orientem, & hæc erat clausa. Et ait ad me Dominus: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & nemo transibit per eam, quoniã Dominus Deus Israel trãsibit per eam. Eritq. clausa, quoniam 27
dux hic sedebit in ea, vt manducet panem in conspectu Domini. Secundum viam portæ intrabit, & secundum viam eius exibit. Quæ est hæc porta, nisi Maria? Ideo clausa, quia virgo. Porta igitur Maria, per quam Christus intrauit in hunc mundum, quando virginali susus est partu, virginitatis claustra non soluit, sed inuiolata integritatis durauere signacula, cũ exiret ex virgine, cuius altitudinem mundus sustinere non posset. Infra: Hęc porta clau Cap. 8.
sa erit, & non aperietur. Bona porta Maria, quæ clausa erat, & non aperiebatur. Transiuit per eam Christus, sed non aperuit, in qua sedit Christus, & exiuit. Eritq. post transitum Domini clausa. Hæc porta ad Orientem aspiciebat, quoniam verum lumen effudit, quæ genera- Psal. 147.
uit Orientem, peperitq. solem iustitiæ. De eo dictum est ad Ecclesiam, quoniam confortauit seras portarum tuarum, & suam portam confortare non potuit? Sed confortauit profectò, & seruauit intactam, qua semel clausit Apo. 3.
sanctus, & verus, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit.

28 IDEM refert de vulturibus; Quod sine vllo masculorum concipiant semine, & sine coniunctione generent. Quid aiunt, qui solent nostra ridere mysteria, cum audiunt, quod virgo generauit, & impossibilem innuptæ, cuius pudorem nulla viri consuetudo temerasset, existimant partum? Impossibile putatur in Dei matre, quod in vulturibus possibile non negatur? Auis sine masculo parit, & nullus refellit, & quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt quæstionem.

29 IDEM explicans verba illa; Legem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum, sic habet: Præibat Deus filios Israel in itinere terræ promissionis per diem in columna nubis, specie quidem præcedebat filios Israel, at mysterio significabat Dominum Iesum in nube venturum leui, sicut dixit Isaias, hoc est in virgine Maria, quæ nubes erat secundum hereditatem Euæ, leuis erat secundum virginis integritatem. Leuis erat, quæ non homini quærebat placere, sed Domino. Leuis erat, quæ non iniquitate conceperat, sed spiritu superueperueniente generabat, nec in delicto, sed cum gratia parturiebat.

30 AVGVSTINVS dicit; Materna propinquinas nihil Mariæ profuisset, nisi fælicius Christum corde, quam corpore gestasset. Ipsa quoque virginitas eius gratior, & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret ipse præripuit, sed priusquam conciperetur iam Deo dicatam, de qua nasceretur, elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fętum annuncianti Angelo Maria reddidit, quomodo fiet istud, inquiens, quoniam virum non cognosco. Quod profectò non diceret, nisi Deo virginem se ante vouisset. Virginitatem Deo dicauit, cũ adhuc quid esset conceptura nesciret, vt in terreno, mortaliq. corpore cælestis vitæ immitatio voto fieret, non præcepto. Illę vnius sanctæ virginis partus, omnium sanctarum virginum est decus. Et ipsæ
Matt. 12. cum Maria matres Christi sunt, si patris eius faciunt voluntatem. Quicunq; enim fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater, soror, & mater est.

31 IDEM explicans locum Apocalypsis 12. Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, ait: Natus fuit Christus in virgine, tãquam in solitudine, quia solus ita natus est. Mulier illa sole cooperiebatur iustitiæ, quem non cognoscunt impij. Eius luce protegebatur, cuius carne grauidabatur. Meritò & lunam sub pedibus habebat, quia mortalitatem crescentis, & decrescentis carnis, virtute calcabat.

32 IDEM inquit; Statim adueniente Spiritu sancto in virginẽ, quando concepit Christum, omni gratia virtutum sacrosanctum habitaculum implente in aduentu Dei; dubium non est cælestium gaudiorum, & æternæ dulcedinis, quàm miram, atque inenarrabilem suauitatem virgo ipsa concepit, quando illud æternũ lumen cum toto maiestatis suæ fulgore in eam descendit. Et quem non capit mundus totum se intra viscera virginis collocauit, audaciter pronuncio, quod nec ipsa plane explicare potuit, quod capere potuit. Sed Spiritu sancto do
Luc. 1. cente didicerat, sic sua per humilitatem tegere. Infra: Magnificat anima mea Dominum: & exultauit spiritus meus in Deo saluta ri meo. Cum se in suo salutari exultare asseruit, gustum se internæ dulcedinis percepisse ostendit. Et quia beata virgo singulariter se ele ctam videbat, quia singulariter gratiam acceperat, quasi priuilegio quodam electionis diuinæ confirmata; fiduciaIiter ipsum quem pro salute mundi filium conceperat, suum etiam cũ lętitia, & exultatione Saluatorem vocat. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Ergo Maria quę apud Dominum humilis erat, & apud homines propter Deũ abiecta. In vtroque se esse respectam testatur, quia & eius humilitas apud Deum acceptabilis fuit, & eius humiliatio apud homines in gloriam commutata. Vnde dicit, ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Vsque ad illud apud homines opprobrium sterilitatis portauerat: quia integritatẽ virginitatis thoro maritali præponebat. Sed vnde in priori generatione carnali, quasi maledictionis sententiam sustinuit: inde nunc ab omni generatione mortali, benedictionem collaudabiliter recepit, quia ab omni generatione pro fructu fœcunditatis meę beata vocor. Quia fecit mihi magna, qui potens Luc. 1.
est, & sanctum nomen eius. Magnũ fuit, vt virgo sine virili semine filium conciperet. Magnum fuit, vt Dei patris verbum carne sua indutum vtero gestaret. Magnum fuit, dum se ancillam confessa esset, vt mater fieret sui plasmatoris. Qui potens est: quia credi potest eius potentia potentẽ confessa est, sed quanta, & qualis comprehendi non potest. Non autem ait: In se, aut in me, aut per me fecit magna, sed mihi: quod enim in ea ad omnium salutem factũ est, hoc priuilegio dilectionis ad eius gloriam singulariter est ordinatum. Et ideo dixit, magna: quia mysterium incarnationis verbi super omnia constat esse ineffabile.

33 IDEM inquit; Dominus Moysi sancto præcepit de singulis tribubus virgas afferri, quæ Sermone 3. Aduentus. to. 10.
positæ sunt in tabernaculo testimonij. Virga autem Aaron post alterum diem inuenitur subito produxisse flores, frondes, & peperisse nuces. Virga ecce protulit, quod ante nõ habuit, Num. 17.
non radicata plantatione, non defossa sarculo, non animata succo, nec fœcundata seminario, & tamen cum illic deessent vniuersa iura naturæ, protulit virga, quod nec semine suggeri potuit, nec radice. Virga ergo potuit contra naturam nuces producere, virgo non potuit contra naturæ iura Dei filium generare? Infra: Solis radius specula penetrat, & soliditatem eius insensibili subtilitate pertransit, & talis videtur intrinsecus, qualis extra. Itaque fratres, nec cum ingreditur, violat, nec cum egreditur disipat; quia ad ingressum, & regressum eius, speculum integrum perseuerat. Speculum ergo non rumpit radius solis, integritatem virginis ingressus, aut egressus nunquid vitiare potuit Deitatis?

34 IDEM ait; Facta est Maria fenestra cæli, Serm. 15. de tẽpore, qui est vndecimus natiuitatis.
quia per ipsam Deus verum fundit sæculis lumen. Facta est Maria scala cælestis, quia per ipsam Deus descendit ad terram, vt per ipsam Deus descendit ad terram, vt per ipsam homines ascendere mereantur ad cælum. Facta est Maria restauratio feminarum; quia per ipsam a ruina primæ maledictionis probantur esse subtractæ. Maledicta Eua fuerat, quam nunc credimus per Mariam ad benedictionem gloriæ remeasse. Proijcite virgines dolores, quos Eua per serpentem accepit, & quos per Angelum Maria susceptt honores, assumite. Venite vigines ad virginem, venite concipientes ad concipientem, venite, venite parientes ad parientem, venite matres ad matrem, venite lactantes ad lactantem, venite iuuenculæ ad iuuenculam. Ideo omnes istos cursus naturæ virgo Maria in Domino nostro Iesu Christo susscepit,

Lib. cuius titulus est institutio virginis c. 7.

Lib. de sancta viginitate to. 6.

In expositione Cantici Magnificat. to. 9.

Lib. 5. Exameron c. 20 to. 1.

Serm. 5. in Psal. 118. to. 2.

Exo. 13.

Isa. 19.

scepit, vt omnibus ad se confugientibus fœminis subueniret, & sic restauraret omne genus fœminarum ad se venientium noua Eua seruando virginitatem, sicut omne genus virorum Adam nouus recuperat Dominus Iesus Christus.

35 Serm. 14. na tiuitatis. Exe. 44. IDEM sic habet; Dicat Maria: Porta facta sum cæli, facta sum filio Dei. Illa porta facta clausa, quam in visione diuina Ezechiel vidit propheta, de qua in me dicit prophetizãs, vidi portam in domo Domini clausam, & dixit ad me Angelus, porta hæc quã vides non aperitur, & clausa erit in æternum. Maria enim semper erit intacta, virgo in partu, & virgo post partum. Qui natus de ventre meo, me matrem dimisit intactam; adimpleuit ventrẽ meum diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate. Infra: Dixit Angelus Mariæ Dominus tecum; plus quam mecum. Ita est Dominus tecum, vt sit in corde tuo, sit in vtero tuo, adimpleat mentem tuam, adimpleat carnem tuam, procedat formosus de vtero tuo, tanquam sponsus de thalamo tuo procedat princeps ex aula regali, ita vt virginitatem tuam non faciat violari.

36 Serm. 17. in natiuit. Domini. IDEM dicit; Expectat Angelus respõsum virginis. Respõde iam virgo sacra: Assensum tuum Angelus præstolatur. Iam audisti Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, vt prolem gignas, & virginitatem non perdas. Ianua cæli quondam per Adam clausa iam sonuit, per ipsam nũcius iste processit. Deus in porta est, Angelum quem moraris expectat. O Maria sęculũ omne captiuum tuum deprecatur assensum, te Deo mundus suæ fidei obsidem facit, per te parẽtum suorum iniurias abstergi deprecatur. Est nobis ad cælum aditus, si assensus tuus fuerit commodatus. Et nobis succurris, & tibi, quia nobis pœna succussit, & tibi nuptias filio suo in tuo thalamo pater præparabit. Deus in ipsis sponsalibus gaudijs relaxat, quicquid eũ offenderat mundus. Et tu Angele tanti regis nuntie, faue partibus seculi consscius secretorum cæli, lætabuntur socij tui, si negocium iueris mundi inspice squalẽtem nostri carceris miseriam, & loquere festinus ad Mariam. Vsq; quo moraris, ò virgo nuncium festinantem? Intuere Deum in cæli me vestibulo sustinentẽ, respõde verbum, & suscipe filium. Pande sinus roseos virgo perpetua, fides tua modo, aut
Lucæ 1. aperit cælum, aut claudit. Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Nec mora reuertitur nuncius, & nuptialem thronum ingreditur Christus. Diuinitati sponsatur homo, præmium accipit caro. Procedit Christus quasi sponsus de thalamo suo, cum præsagio nuptiarum exijt ad campum sęculi:
Psal. 18. Cucurrit sicut gygas exultãdo per viam, peruenit vsque ad crucis trophæum; & ibi firmauit ascendendo coniugium, vbi commertio pietatis, se pro coniuge dedit ad pœnam.

37 Serm. 100. de tẽpore. IDEM explicans historiam numerorũ 13. de duobus exploratoribus, qui botrum de terra promissionis attulerunt ait: Sicut vua illa Christum Deum figurauit, ita & terra repromissionis in qua natus est, sanctæ Mariæ videtur imaginem præstuliſſe. In ipsa enim impletum est, veritas de terra orta est. Quomodo *Psal. 74.* autem beata Maria non fuit terra repromissionis, quæ per prophetam multo ante promissa est? Nam per Isaiam prophetam, multo ante dictum est: Ecce virgo concipiet, & pariet *Isa. 7.* filium.

38 Ser. 2. in annũciatione beatæ Mariæ, qui est serm. 18. de sanctis. IDEM inquit; Adest nobis optatus dies semper virginis Mariæ; ideo cum summa exultatione gaudeat terra nostra, tantę virginis illustrata die solemni. Hæc est enim flos campi, de qua ortum est pretiosum lilium cõuallium, per cuius partum mutatur natura protoplasto rum, deletur & culpa. Infra: Quod mirum si sine corruptione nascitur, qui de sanctificatione concipitur. Non enim decebat, vt ille qui nobis afferebat salutem, matri præriperet integritatis dignitatem. Nam qui terra mari, colloq. non capitur: intra vnius corpusculi membra suscipitur. Hæc est illa nouitas *Cap. 31.* Hieremiæ prophetæ vaticinio prænunciata. Faciet, inquit, nouum Dominus super terrã; fœmina circundabit virum. O fœmina super fœminas benedicta, quæ virum omnino non nouit, & virũ suo vtero circundedit. Infra: Ecce ancilla Domini. O fœlix obedientia, de qua dictum est, melior est obedientia, quam sacrificium. Hæc est omni sacrificio gratior, *Osee 6.* hæc voluntas cunctis hostijs acceptior: propter hanc beatam eam dicent omnes generationes.

39 Ser. 2. assumptionis B. Mariæ. *Psal. 72. Cant. 2.* IDEM sic habet; In hac die sponso illi cælesti proclamat beata virgo Maria, & dicit: Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me: & cum gloria suscepisti me. Ipsa hodie a filio, & sponso audiuit. Iam hyems transijt, imber abijt, & recessit. Surge propera amica mea, columba mea, & veni. Infra: Quid nos tantilli in eius laudibus referemus, cum & si omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus? Altior cælo est, de qua loquimur, abyssо profundior, cui laudes dicere conamur. *Cant. 4.* Hæc est enim quæ sola meruit mater, & sponsa vocari. Hæc est Dei templum fons ille signatus, & porta in domo Dei clausa. O fœlix *Exe. 44.* purpureum, lætabile Angelis, optabile sanctis, necessarium perditis, congruum profligatis. Infra: Quia fecit mihi magna qui potens est: *Lucæ 1.* & sanctum nomen eius. Quæ tibi magna fecit, ò domina, vt dici beata mereris? Fecit vt creatura æderes creatorem, famula Dominum generares; vt per te Deus mundum redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam reduceret: Sed hæc quę de te ipsa narrasti, neq; tu, vt dignitas tua meretur, dicere potuisti. Infra: Sit tibi compassio super afflictis, sit pius affectus super cælorum peregrinis. Et cum te lætantem semper aspicis, fletus nostros quæsumus ipsa ad Deum admittas. Nos enim adhuc in hac terra affligimur, persequimur, iniurijs

laceſsi-

laceſsimur, esurimus, sitimus, in carcere retinemur. Tu verò in cælestibus regnis prælata es cunctis virginum choris, tu agnum quocun-
Apoc. 14. que perrexerit, sequeris. Tu in illa beatorum fęliciſsima regia primi ordinis dignitatẽ adepta, inter paradisi amænitatem flores immarcesibiles carpis. Te, ipse rex regum, vt matrem veram, & decoram sponsam præ omnibus diligens amoris amplexu sibi associat. Nec mirum, si dignetur id facere Deus regnans, quem tu paruulum ex te hominem natum toties osculata es in terris.

40 In virginis laudibus, cuius sacro la ste potatus, miram redolet dulce dinem, mul ta docet ele gantissime, & in primis Sermone 2. Aduentus. BERNARDVS sic habet; ad ciuitatem Nazareth venit Dominus, quod interpretatur flos, aduolauit, & ad suaueolentem perpetuæ virginitatis florem aduenit, illi insedit, & illi inhæsit. Infra: Christus Dominus flos est candidus, & rubicundus, electus ex milibus, flos in quem prospicere desiderant Angeli, flos ad cuius odorem reuiuiscunt mortui, & sicut ipse testatur, flos campi est, & non horti. Cãpus enim sine omni humano floret adminiculo, nõ seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. Sic omnino, sic virginis aluus floruit, sic inuiolata, integra, & casta Mariæ viscera florem protulit. O vere cælestis plancta pretiosior cunctis, sanctior vniuersis. O verè lignum vitæ, quod solum fuit dignum portare fructum salutis. Virgo regia ipsa est via, per quã Saluator aduenit, procedens ex ipsius vtero, tanquam sponsus de thalamo suo. Tenentes ergo viam, studeamus ad ipsum per eam ascendere, qui per ipsam ad nos descendit, per eam venire in gratiam ipsius, qui per eam in nostrã miseriam venit. Per te accessum habemus ad filium, ò benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ mater salutis, vt per te nos suscipiat qui per te datus est nobis. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorũ, & fœcunditas glorioſa tua fœcunditatem tribuat meritorum.

41 Homil. 1. super Euangelium Missus est. IDEM ait; Pulchra permixtio virginitatis, & humilitatis. Nec mediocriter placet Deo illa anima in qua & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem. Sed quãta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fęcunditas, & partus consecrat virginitatem? Infra: Quod Deus fęminæ obtemperet, humilitas absque exemplo, & quod Deo fœmina principetur, sublimitas sine socio. In laudibus virginum singulariter canitur, quod sequuntur agnum quocunq; ierit. Quibus ergo laudibus iudicas dignã, quę etiã præit? Disce homo obedire, disce terra subdi, disce puluis obtemperare. Sequitur agnũ coinquinatus, humilis, sequitur & virgo superbus. Sed neuter quocunq; ierit, quia nec ille ascendere potest ad munditiam agni, qui sine macula est, nec is ad eiusdem mansuetudinẽ descendere dignetur, qua non solum coram tõdente, Sed etiam coram Occidente se obmutuit. Attamen salubriorem elegit sequendi partem in humilitate peccator, quàm in virginitate superbus, cum & illius immunditiam suã sua humilis satisfactio purget, & huius pudicitiã superbia inquinet. Sed fęlix Maria, cui nec humilitas defuit, nec virginitas. Et quidem singularis virginitas, quam honorauit fœcunditas nõ temerauit, & nihilominus specialis humilitas, quam non abstulit, sed extulit fœcunda virginitas, & incomparabilis prorsus fęcunditas, quã virginitas simul comitatur, & humilitas. Quid horum non mirabile, quid non incomparabile, quid non singulare? Mirum si non hæsitas, quid tua iudices dignius admiratione, vtrum videlicet potius stupenda sit fœcunditas in virgine, an in matre integritas? sublimitas in prole, an cũ tanta sublimitate humilitas? nisi quod indubitanter horum singulis præferenda sunt simul cuncta, & incomparabiliter excellentius est, atque fęlicius, omnia simul accepisse quam aliqua. Et quid mirum si Deus qui mirabilis legitur, & cernitur in sanctis suis, mirabilem se exhibuit in matre sua?

42 Homil. 2. super Missus est. IDEM inquit; Factor hominum, vt homo fieret, nasciturus de homine talem sibi ex omnibus debuit eligere, immo condere matrem, qualem & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram. Dedit virgini partum. qui ei iam ante virginitatis inspirauerat votum, & humilitatis prærogauerat meritum. Vt igitur quæ sanctum sanctorum conceptura erat, & paritura, sancta esset corpore, accepit donũ virginitatis, vt sancta esset, & mente accepit, & humilitatis. His nimirum virgo regia gemmis ornata virtutum, geminoq. mentis pariter, & corporis decore præfulgida, specie sua, & pulchritudine sua in cælestibus cognita, cæli ciuiũ in se prouocauit aspectus, ita vt regis animum in sui cõcupiscentiam inclinaret, & cælestem nuncium ad se de supernis educeret. Missus est Angelus, &c. Lætare tu pater Adam, sed magis tu ò Eua mater exulta, qui sicut omnium parentes ita omnium fuistis peremptores, immò prius peremptores, quàm parentes. Ambo inquam, consolamini super filia, & tali filia, sed illa amplius de qua malum ortum est prius, cuius opprobrium in omnes pertransijt mulieres. Si vir cecidit per fœminam, iam non erigitur, nisi per fœminam. Mulier quam dedisti mihi, dedit mi- *Gen. 3.*
hi de ligno, & comedi. Muta excusationis verbum in vocem gratiarum actionis, & dic: Domine, mulier quam dedisti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum est super mel ori meo, quia in ipso viuificasti me. De
Maria dictum est ad serpentem: Inimicitias po *Gen. 3.*
nam inter te, & mulierem, & ipsa conteret caput tuum. Cui seruata hæc victoria est, nisi Mariæ? Ipsa proculdubio caput contriuit venenatum. Quam aliam Salomon requirebat, *Prou. 41.*
cum dicebat; mulierem fortem quis inueniet? Nouerat quippe vir sapiens huius sexus infirmitatem, fragile corpus, lubricam mentem, quia tamen & Deum legerat promisisse, & ita videbat congruere, vt qui vicerat per fœminam, vinceretur per ipsam, vehementer admirans aiebat: Mulierem fortem quis inueniet? Quod est dicere. Si ita de manu fœminæ pendet,

det, & noſtra omnium ſalus, & innocentiæ reſtauratio, & de hoſte victoria, fortis omnino neceſſe eſt, vt prouideatur, quæ ad tantum opus poſsit eſſe idonea. Procul & de vltimis finibus pretium eius. Hoc eſt, non vile, non paruum, nō mediocre, non deniq; de terra, ſed de cælo, nec de cælo proximo terris pretiū fortis huius mu-
Exo. 3. lieris, ſed a ſummo cælo egreſsio eius. Quid rubus ille Moſaicus portendebat, flammas quidem emittens, ſed non ardens, niſi Mariam pa-
Num. 17. rientem, & dolorem non ſentientem? Quid rogo virga Aaron florida, nec humectata, niſi ipſam concipientem, quamuis virum non cognoſcentem? Infra: Sicut Thomas dubitando, palpando cōſtantiſsimus factus eſt Dominicæ reſurrectionis prædicator, ita & Ioſeph Mariam ſibi deſponſando, eiuſq. conuerſationem in tempore cuſtodiæ ſtudioſius comprobando, factus eſt pudicitiæ fideliſsimus te-
44 ſtis. Infra: Et nomen virginis Maria. Maria maris ſtella dicitur, & hoc nomē matri virgini valde conuenienter aptatur. Ipſa namque aptiſsime ſyderi comparatur, quia ſicut ſine ſui corruptione ſydus emittit radium, ſic abſque ſui læſione virgo parturit filium. Nec ſyderi radius ſuam minuit charitatem, nec virgini filius ſuam integritatē. Ipſa eſt igitur nobilis illa ſtella ex Iacob orta, cuius radius vniuerſum orbem illuminat, cuius ſplendor, & prę fulget in ſupernis, & inferos penetrat, terras etiam perluſtrans, & calefaciens etiam mentes, fouet virtutes, excoquit vitia. Ipſa inquam eſt præclara, & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum, & ſpatioſum micans meritis, illuſtrans exemplis. O quiſquis tē intelligis in huius ſæculi profluuio magis inter procellas, & tempeſtates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos a fulgore huius ſyderis, ſi non vis obrui procellis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iactaris ſuperbiæ vndis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis, reſpice ſtellam, voca Mariam. Si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concuſſerit mentis, reſpice ad Mariam. Si criminum immanitate turbatus, conſcientiæ fœditate confuſus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias abſorberi triſtitiæ, deſperationis abyſſo, cogita Mariam. In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs Mariam cogita, Mariam inuoca. Non recedat ab ore, non recedat a corde, & vt impetres eius orationis ſuffragium, non deſeras cōuerſationis exemplum. Ipſam ſequens non deuias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa tenente corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia peruenis, & ſic in temetipſo experiris, quam meritò dictum ſit, & nomen virginis Maria.

45 IDEM ait; Væ mihi, quia vir pollutus labijs ego ſum. Vtinam mihi de ſuperno altaHomil. 3. ſuper Euang. Miſſus eſt. Iſa. 6. ri, non quidem carbo vnus, ſed ingens globus igneus afferatur, qui videlicet multam, & inueteratam oris mei rubiginem ad plenum excoquere ſufficiat quatenus Angeli ad virginem, & virginis ad ipſum grata, & caſta colloquia dignus habeat meo qualicunque explicare ſermone. Ingreſſus Angelus ad eam dixit: Aue gratia plena, ſolent Angeli aſtare orantibus, & delectari in his, quos vident leuare puras manus in oratione, holocauſtum ſanctæ deuotionis gaudent ſe offerre Deo in odorē ſuauitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerunt in conſpectu altiſsimi Angelus indicauit, qui ingreſſus ad eam tam reuerenter ſalutauit. Suſpicandum non eſt, quod apertum inuenerit Angelus oſtiolum virginis, cui nimirum in propoſito erat, hominum fugere frequentias, vitare colloquia. Clauſerat illa hora ſuper ſe habitaculum virgo prudentiſsima, ſed hominibus non Angelis. Ingreſſus Angelus dixit: Aue gratia plena Dominus tecum. Legimus in Actis Apoſtolorum, & Stephanum plenum gratia, & Apoſtolos fuiſſe repletos Spiritu ſancto, ſed longe diſsimiliter a Maria. Alioquin nec in illo habitauit plenitudo Diuinitatis corporaliter quemadmodum in Maria, nec illi conceperunt de Spiritu ſancto, quomodo Maria. Aue, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Quid mirum, ſi gratia plena erat, cum qua Dominus erat? Sed hoc potius mirandum quomodo qui Angelum miſerat ad virginem ab Angelo inuentus eſt eſſe cum virgine. Ita ne velocior Angelo fuit Deus, vt feſtinantem nuncium celerior ipſe peruenire ad terras? Nec mirum. Nam cū eſſet rex in accubitu ſuo nardus virginis dedit odorē ſuum, & aſcendit in conſpectu glorię eius fumus aromatis, & inuenit gratiam coram oculis Domini. Statimq. rex egrediens de loco ſancto ſuo, exultauit ad 46 currendā viam, & licet a ſummo cælo egreſsio eius, nimio tamen peruolans deſiderio præuenit ſuum nuncium ad virginē, quam amauerat, quam ſibi elegerat, cuius decorē concupierat. Cant. 5. Quem proſpiciens a longe venientem Eccleſia cōgratulans, ait: Ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles. Meritò autem concupiuit rex decorem virginis. Fecerat enim quicquid longè ante præmonita fuerat a patre ſuo Pſal. 44. Dauid dicente ſibi: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui, & cōcupiſcet rex decorē tuū, ſi hoc feceris. Audiuit quippe, & vidit, non vt quidam, qui audientes, nō audiunt, & videntes, nō intelligūt: ſed audiuit, & credidit, vidit, & intellexit. Et inclinauit aurem ſuam ad obediētiam, & cor ſuū ad diſciplinam, & oblita eſt populum ſuum, & domū patris ſui, quia nec populum ſuum augere prolis ſucceſsione, nec domui patris ſui relinquere curauit heredē, ſed quicquid honoris in populo quicquid de patria domo, rerū terrenarū habere potuiſſet, omnia arbitrata eſt, vt ſtercora, vt Chriſtum lucri faceret. Nec fefellit eā intentio, quādo & Chriſtum ſibi filium vendicauit, nec propoſitum pudicitiæ violauit. Bene igitur gratia plena, quæ & virginitatis gratiā tenuit, & inſuper fœcunditatis

ditatis gloriam acquiſiuit. Dominus tecum. Cum Dominus ſit cum omnibus ſanctis, ſpecialiter tamen cum Maria, cum qua vtiq; tanta ei conſenſio fuit, vt illius non ſolum voluntatem, ſed etiam carnem ſibi coniungeret, vt
47 vnus eſſet & Dei, & virginis filius. Dominus tecum. Nec tamen Dominus filius tecum, quē carne indutus tua, ſed & Dominus Spiritus ſā ctus de quo concipis, & Dominus pater, qui genuit quē concipis. Pater, inquā tecum qui filiū ſuum facit, & tuū. Benedicta tu in mulieribus, quia benedictus fructus ventris tui, in quo benedictæ ſunt omnes gentes de cuius plenitudine, tu quoq; accepiſti cum cæteris, etſi differētius præ cæteris. Benedicta tu in mulieribus, quæ illam generalem maledictionem euaſiſti, Gene. 3. qua dictum eſt: In dolore paries filios, & nihilominus illam, qua ſecutum eſt, maledicta ſteris in Iſrael, ac ſingularem conſecuta es benedictionem, vt nec ſterilis maneas, nec cum dolore parturias. Dura neceſsitas, & graue iugū ſuper omnes filias Euæ, ſi pariunt cruciantur, ſi nō pariunt maledicūtur. Quid eligis virgo prudens? Anguſtiæ, inquit, mihi ſunt vndique, melius eſt tamen mihi maledictum incurrere, & caſtā manere, quam prius quidē concipere per concupiſcentiam, quod merito poſt cū dolore parturiam. Hinc etenim etſi video maledictum, ſed non peccatum, illinc verò & peccatum ſimul, & cruciatū. Deniq; hæc maledictio non eſt aliud quàm hominū exprobatio, & hoc in Iſrael tantum. Mihi autem pro minimo eſt, quòd hominibus diſpliceo, dum me poſsim virginem caſtam exhibere Chriſto. Eligis in Iſrael eſſe contemptibilis, & vt illi placeas cui te probaſti maledictum incurrere ſterilitatis, & ecce maledictio benedictione commutatur, ſterilitas fœcunditate recompenſatur. Aperi virgo ſinum, expande gremium præpara vterum, quia ecce facturus eſt tibi magna, qui potens eſt, in tantum vt pro maledictione Iſrael, beatam te dicant omnes generationes. Confortare ergo virgo fœcūda, mater intacta, quia
48 non eris in Iſrael vltra maledicta, neque inter ſteriles deputata. Quæ cum audiſſet turbata eſt in ſermone eius, &c. Solent virgines, quæ vere virgines ſunt ſemper pauidæ, & nunquam eſſe ſecuræ, & vt caueant timenda etiam tuta pertimeſcere, ſcientes ſe inuaſis fictilibus theſaurum portare precioſum, & nimis arduum eſſe viuere angelice inter homines, & in terris more cęleſtium conuerſari. Idcirco & Maria turbata eſt in ſermone Angeli. Ne timeas Maria. Non ſum homo, ſed Spiritus, & Dei angelus non ſatanæ. Ne timeas, inueniſti gratiam apud Deum. O ſi ſcires quantum tua humilitas altiſsimo placeat, quanta te apud ipſum ſublimitas maneat, angelico te indignam, nec alloquio iudicares, nec obſequio. Vt quid enim indebitam tibi dixeris gratiam angelorum, quæ inueniſti gratiam apud Deum? Inueniſti quod quærebas, quod nemo ante te potuit inuenire, inueniſti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem.

IDEM in fine ſic habet; Non eſt dubium quicquid in laudibus matris proferimus ad fi- 49 Homil. 4. ſuper Euangelium miſſus eſt. lium pertinere, & rurſum cum filium honoramus, a gloria matris non recedimus. Nam ſi iuxta Salomonem, filius ſapiens gloria eſt patris, quanto magis glorioſum eſt matrem ipſius effici ſapientiæ? Infra: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum nō cognoſco. Cum ſciat Prou. 1. Dominus meus, teſtis conſcientiæ meæ, votū eſſe ancillæ ſuæ non cognoſcere virum, qua lege, quo ordine placebit ei, vt fiat iſtud? Si oportuerit me frangere votum, vt pariam talem filium, & gaudeo de filio, & doleo de propoſito. Fiat tamen voluntas eius? Sin verò virgo cōcipiam, virgo & pariam, quod vtique ſi placuerit ei impoſsibile non erit, tunc ſcio vere, Lucæ 1. quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Nunquid potuit repleri gratia, & necdum habere Spiritum ſanctum, cum ipſe ſit dator gratiarum? Si autem iam Spiritus ſanctus in ea erat, quomodo adhuc Lucæ 1. tanquam nouiter ſuperuenturus repromittitur? An forte ideo nō dixit ſimpliciter veniet in te, ſed addidit, ſuper, quia & prius quidem in ea fuit per multam gratiam, ſed nunc ſuperuenire nunciatur propter abundantioris gratiæ plenitudinem, quām effuſurus eſt ſuper illam? At verò cum plena iam ſit illud amplius quomodo capere potuit? Si autē plus aliquid capere poteſt, quomodo & ante plena fuiſſe intelligenda eſt? An prior quidem gratia tantū repleuerat mentem, ſequens verò etiam ventrem perfundere debeat, quatenus ſcilicet plenitudo diuinitatis quæ ante in illa, ſicut & in multis ſanctorum ſpiritualiter habitabat, etiā 50 ſicut in nullo ſanctorum etiam corporaliter in ipſa habitare incipiat? Ait itaque Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Qui poteſt capere capiat: Quis enim Lucæ. 1. excepta fortaſsis illa, quæ hoc ſola in ſe fœliciſsime meruit experiri, intellectu capere, ratione diſcernere poſsit, qualiter ſplendor ille inacceſsibilis virgineis ſe ſe viſceribus infuderit, & vt illa inacceſsibilem accedere ad ſe ferre potuiſſet, de portiuncula eiuſdem corporis, cui ſe animate contemperauit, reliquæ maſſæ vmbraculum fecerit? Et propter hoc maxime dictum eſt, obumbrabit tibi. Quia res nimirum in ſacramento erat, & quod ſola per ſe Trinitas in ſola, & cum ſola virgine voluit operari, ſoli datum eſt noſſe, cui ſoli datum eſt experiri. Dicatur ergo Spiritus ſanctus ſuperueniet in te: qui vtique ſua potentia fœcundabit te. Et virtus altiſsimi obumbrabit tibi, hoc eſt, illum modum, quo de Spiritu ſancto concipies, Dei virtus, & Dei ſapientia Chriſtus in ſuo ſecretiſsimo conſilio obumbrando conteget, & occultabit, quatenus ſibi tantum notūs habeatur, & tibi. Ac ſi Angelus reſpondeat ad virginem. Quid a me requiris, quod in te mox experieris? Infra: Quia

non erit impoſsibile apud Deũ omne verbũ. Verbum pro facto poſuit, idcirco quia quàm facile poſſunt homines loqui quod volunt, etiam quod facere nullatenus poſſunt, tam facile, immo incomparabiliter facilius valet Deus opere implere quicquid illi verbo valẽt explicare. Vulgaris & verus ſermo eſt, multum intereſſe inter loqui & facere, ſed apud homines, non apud Deum: Soli Deo quia idem eſt facere quod loqui, idem loqui quod velle, merito non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Audiſti factum, audiſti & modum
51 vtrumq. mirum, vtrumq. iucundum. Et quoniam auditui tuo datum eſt gaudium & lætitia, audiamus & nos a te reſponſum lætitiæ, quod deſideramus, vt iam exultent oſſa humiliata. Expectat & Angelus reſponſum, tempus eſt enim vt reuertatur ad Deum, qui miſit illum. Expectamus & nos, ò domina verbum miſerationis, quos miſerabiliter premit ſententia damnationis. Et ecce offertur tibi pretium ſalutis noſtræ, ſtatim liberabimur ſi conſentis. In ſempiterno Dei verbo facti ſumus omnes, & ecce morimur, in tuo breui reſponſo ſumus reficiendi, vt ad vitam reuocemur. Hoc ſupplicat a te, ò pia virgo flebilis Adam cum miſera ſobole ſua exul de paradiſo, hoc Abraham, hoc Dauid, hoc cæteri flagitant ſancti patres, qui habitant in regione vmbræ mortis, hoc totus mundus tuis genibus prouolutus expectat. Nec immerito quando ex ore tuo pendet conſolatio miſerorum, redemptio captiuorum, liberatio damnatorum, & ſalus vniuerſorum filiorum Adam. Da virgo reſponſum feſtinanter. O domina reſponde verbum, quod terra, quod inferi, quod expectant & ſuperi. Ipſe quoque omnium rex, & Dominus quãtum concupiuit decorem tuum, tantum deſiderat, & reſponſionis aſſenſum, in qua nimirum propoſuit ſaluare mundum. Et cui placuiſti in ſilentio, iam magis placebis ex verbo, cum ipſe tibi clamet e cælo. O pulchra inter mulieres, fac me audire vocem tuam. Si ergo tu eum facias audire vocem tuam, ipſe te faciet videre ſalutem noſtram. Nunquid non hoc eſt, quod quærebas, quod gemebas, quod diebus & noctibus orando ſuſpirabas?
52 Quid igitur? Tu es cui hoc promiſſum eſt, an aliã expectamus? Immo tu ipſa nõ alia. Tu inquam illa promiſſa, illa deſiderata, ex qua ſanctus pater tuus Iacob, iã morti appropinquãs vitam ſperabat æternam cum dicebat: Expectabo ſalutare tuum Domine. In qua denique
Gen. 49. & per quam Deus ipſe rex noſter ante ſæcula diſpoſuit operari ſalutem in medio terræ. Reſponde verbũ, & ſuſcipe verbum: Emitte tranſitorium, & amplectere ſempiternum. Quid tardas? Quid trepidas? ſumat humilitas audaciam, verecundia fiduciam. In hac ſola re ne timeat prudẽs virgo præſumptionem, quia etſi grata in ſilentio verecundia, magis tamen nunc in verbo pietas neceſſaria. Aperi ergo virgo beata cor fidei, labia confeſsioni, viſcera creatori. Ecce deſideratus cunctis gentibus foris pulſat ad oſtium, ò ſi te morante pertranſierit, & rurſus incipias dolens quærere, quem diligit anima tua. Surge, curre, aperi. Surge per fidem, curre per deuotionem, aperi per confeſsionem. Ecce, inquit, ancilla Domini fiat mihi ſecundum verbum tuum. Semper ſolet eſſe gratiæ diuinæ familiaris virtus humilitas. Humiliter ergo reſpondet, vt ſedes gratiæ præparetur. Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non nouit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. Non mediocris 55
reuera humilitatis inſigne, nec oblata tanta gloria obliuiſci humilitatem. Non magnum eſt eſſe humilem in abiectione, magna prorſus, & rara virtus humilitas honorata. Infra: Fiat mihi ſecundum verbum tuum. Fiat deſiderij eſt ſignum, non dubitationis indicium. Per hoc quod dicit, fiat magis intelligenda eſt affectum exprimere deſiderantis, quàm effectum requirere more dubitantis, quanquam nihil obſtet intelligi, fiat, verbum eſſe orantis. Vult autem a ſe requiri Deus etiam, quod pollicetur, vt ex promiſsione deuotio excitetur, ſicq; quod gratis daturus erat, deuota oratio promeretur. Et ideo forte multa, quæ dare diſpoſuit Deus ante pollicetur. Sic pius Dominus qui omnes homines vult ſaluos fieri, merita nobis extorquet a nobis. Hoc vtiq; prudens virgo intellexit, quando præuenienti ſe muneri gratuitæ promiſsionis, iunxit meritum ſuæ orationis, fiat mihi, inquiens, ſecundum verbum tuum. Eo modo fiat mihi quo nemini ante me factum eſt, nemini poſt me faciendum. Porro multifariam multiſq. modis olim Deus locutus eſt patribus in prophetis, & alijs quidem in aure, alijs in ore, alijs etiam in manu factum eſt verbum Domini, mihi autem oro, vt in vtero fiat iuxta verbum tuum. Fiat quidem generaliter omni mundo, ſed ſpecialiter fiat mihi ſecundum verbum tuum.

54 IDEM vno verbo ait; Quia indignus eras cui donaretur Deus, datum eſt Mariæ, vt per illam acciperes, quicquid haberes. Quæ per hoc quòd mater eſt genuit tibi Deum, per hoc quòd virgo eſt, exaudita eſt, pro reuerentia ſua in cauſa tua, & totius generis humani. Si ſola mater eſſet, ſufficeret ei, vt ſaluaretur per filiorum generationem, ſi ſola virgo, ſufficeret ſibi, nec benedictus fructus ventris eius mundi pretium eſſet. Cum ergo in prima ſit remedium, in ſecunda adiutorium eſt, quia nihil nos Deus habere voluit, quod per Mariæ manus non tranſiret.

Serm. 3. in vig. Natalis Dom. in fi.

35 IDEM explicans verba, quæ Maria dixit Chriſto Domino; Vinum non habent, dicit. Compaſſa eſt eorum verecundiæ, ſicut miſericors, ſicut benigniſsima. Quid de fonte pietatis procederet, niſi pietas? Quid inquam mirum, ſi pietatem exhibent viſcera pietatis? Nonne qui pomũ in manu ſua tenuerit dimidia die, reliqua diei parte pomi ſeruabit odorem?

Ser. 1. domi nicæ 1. poſt oct. Epiph.

rem? Quantum igitur viſcera illa virtus pietatis affecit, in quibus nouem menſibus requieuit? Nam & ante mentem repleuit, quam ventrem, & cum proceſsit ex vtero ab animo non receſsit.

56 IDEM in fine inquit: In lege ſcriptum
Serm. 3. in Purificat. B. Mariæ. erat, vt mulier quæ ſuſcepto ſemine peperiſſet filium immunda eſſet ſeptem diebus, & octauo die circumcideretur puer, deinde ablutioni, & purificationi intenta abſtineret ab ingreſſu templi triginta tribus diebus, quibus expletis offerret filium domino cum muneribus: ſed
Leuit. 12. quis non aduertat in ipſo ſententiæ huius initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Dixit enim Moyſes. Mulier ſi ſuſcepto ſemine, ne ſuper matre Domini blaſphemiæ crimen incurreret. Patet itaque, quòd lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine filium peperit, ſicut prædictum erat per Hieremiam, quia nouum face-
Cap. 31. ret Dominus ſuper terram. Quæris quod nouum? Mulier, inquit: Circundabit virum. Non ab altero viro virum ſuſcipiet, non humana lege concipiet hominem, ſed intra viſcera intacta & integra virum claudet, ita ſane, vt in-
Ezech. 44 trante & exeũte Domino iuxta alium prophetã, porta orientalis clauſa iugiter perſeueret. Putas ergo non poterat moueri animus, eius & dicere, quid mihi opus purificatione? cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus neſciens virum, templum factus eſt Spiritus ſancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominum templi? Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum, nimirum cum proles iſta fons
57 puritatis ſit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſsima facta ſum ipſo partu immaculata? vere, ò beata virgo vere non habes cauſam, nec tibi opus eſt purificatione. Sed nunquid filio tuo opus erat circunciſione? Eſto inter mulieres tãquam vna illarum, nam & filius tuus ſic eſt in numero puerorum. Circuncidi voluit, & non multo magis velit offerri? Offer filium tuum virgo ſacrata, & benedictum fructum ventris tui Domino repræſenta. Offer ad noſtram omnium reconciliationem hoſtiam ſanctam Deo placẽtem. Omnino acceptabit Deus pater oblationem no-
Matt. 3. uam, & pretioſiſsimam hoſtiam, de qua ipſe ait: Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Sed oblatio iſta fratres ſatis delicata videtur, vbi tantum ſiſtitur Domino: Redimitur auibus, & illico reportatur. Veniet quando non in templo offeretur, nec intra brachia Simeonis, ſed extra ciuitatem inter brachia crucis. Veniet quando non redimetur alieno, ſed alios redimet ſanguine pro-
Ps. 53. prio. Illud erit ſacrificium veſpertinum, iſtud eſt matutinum. De vtroque tamen potes accipere, quod propheta prædixit: Oblatus eſt quia ipſe voluit. Nam & modo oblatus eſt, non quia opus habuit, non quia ſub legis edicto fuit, ſed quia voluit, & in cruce nihilominus oblatus eſt: non quia meruit, non quia Iudæus prænaluit, ſed quia ipſe voluit. Sed quid fratres nos offerimus, aut quid retribuimus illi pro omnibus, quæ retribuit nobis? Ille pro nobis obtulit hoſtiam precioſiorem, quam habuit, qua precioſior eſſe non potuit. Et nos ergo faciamus, quod poſſumus, optimum quod habemus offerentes illi, quod ſumus vtiq; noſmetipſi. Ille ſe ipſum obtulit, tu quis es qui te ipſum offerre cuncteris? Quis mihi tribuat, vt oblationem meam dignetur maieſtas tanta ſuſcipere? Duo minuta habeo Domine, corpus & animam dico, vtinam hæc tibi perfecte poſſim in ſacrificium laudis offerre. Bonum enim mihi longe quòd glorioſius, atq; vtilius eſt, vt tibi magis offerar, quàm deſerat mihi ipſi? Nã ad me ipſum anima mea conturbatur, in te verò exultabit ſpiritus meus, ſi tibi veraciter offeratur. Fratres morituro Domino, Iudæus *Hier. 18.* mortuas hoſtias offerebat, ſed iam nunc, ait: *& 33.* Nolo mortẽ peccatoris, ſed vt magis conuertatur, & viuat. Non vult Dominus mortem meã, & non libenter offeram illi vitam meam?

58 IDEM ſic habet; Miraris quod Nazareth
Serm. 2. in annunciat. Dominica. parua ciuitas, & tanti regis nuncio illuſtretur & tanto? Sed magnus latet in hac parua ciuitate theſaurus, latet inquam, ſed homines latet non Deum. An non theſaurus de Maria? vbicũque illa eſt, & cor eius, oculi eius ſuper eam vbiq; reſpicit humilitatem ancillæ ſuæ. Nouit cælum vnigenitus Dei patris? Si nouit cælum, nouit & Nazareth. Quid neſciat patriã ſuam? Quid ni nouerit hæreditatem ſuam? Cælum ex patre, Nazareth ex matre vendicat ſibi. Cælũ *Pſal. 113.* cæli Domino, terram autem dedit filijs hominum. Cedat ergo ei vtrumq; neceſſe eſt in poſſeſsionem, qui nõ modo Dominus, ſed & filius hominis eſt. Infra: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Singulariter quidem fructus ventris tui eſt, ſed ad omnium quidem mentes te mediãte peruenit. Sic nimirum, ſic olim ros totus in vellere, totus in area, ſed in nulla parte areæ totus ſicut in vellere fuit. In te ſola rex ille dies & præditus exinanitus, excelſus humiliatus, immenſus abbreuiatus, & ab Angelis minoratus eſt. Verus denique Deus, & filius incarnatus, ſed quo fructu? Nempe vt omnes eius paupertate locupletemur, eius humilitate ſubleuemur, eius minoratione magnificemur, eius incarnatione adhærentes Deo incipiamus vnus eſſe ſpritus cum eo.

59 IDEM ait: Maria eſt cuius ſalutationis
Ser. 1. aſſumptionis B. Mariæ. vox & ipſos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viſcera claudunt. Quod ſi paruuli necdum nati anima liquefacta eſt, vt Maria *Lucæ 1.* locuta eſt, quid putamus, quænam illa fuerit cæleſtium exultatio, cum & vocem audire, & videre facié, & beata eius frui præſentia meruerunt? Nobis verò chariſsimi, quæ in eius aſſumptione ſolemnitatis occaſio, quæ cauſa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præſentia totus illuſtratur orbis, adeo vt & ipſa iã cæleſtis patria clarius rutilet virgineæ lãpadis

irradiata fulgore. Meritò proinde resonat in excelsis gratiarum actio, & vox laudis, sed plãgendum nobis potius quàm plaudendum esse videtur. Quantum enim de eius præsentia cælum exultat, nunquid non consequens est, vt tantum lugeat hic noster inferior mũdus eius absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic est manens ciuitas, sed eam inquirimus ad quã hodie Maria benedicta peruenit. In quam si conscripti ciues sumus, dignum profecto est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis, eius nos recordari, eius cõmunicare gaudijs, eius participare lętitiã, maximeq. eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie ciuitatem Dei, vt sentiamus & ipsi stillicidia stillantia super terram. Præcessit nos regina nostra, & tam gloriose suscepta est, vt fiducialiter sequantur dominam seruuli clamãtes: Trahe nos post te in odorem vnguentorũ tuorum curremus. Aduocatam præmisit peregrinatio nostra, quæ tãquam iudicis mater, & mater misericordiæ suppliciter, & efficaciter, salutis nostræ negotia pertractabit. Pretiosum hodie munus terra nostra direxit ad cęlum, vt dando, & accipiendo fœlici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cælestibus, ima summis. Illo enim ascendit fructus terræ sublimis; vbi data, optima, & dona perfecta descendunt. Ascendens ergo in altum virgo beata; dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? Si quidem nec facultas ei deesse poterit, nec volũtas. Regina cælorum est, misericors est, mater est vnigeniti
60 filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi forte aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Marię viscera, in quibus ipsa, quæ ex Deo est charitas nouem mensibus corporaliter requieuit. Vt tamẽ interim sileam beneficia, quæ pro illius glorificatione consequimur; si eam diligimus, gaudebimus vtique, quia vadit ad filium. Plane congratulabimur ei: nisi forte, quod absit, inuentrici gratiæ omnimodis inueniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi huius intrantẽ prius ipsa susceperat, ab eo susciputur hodie sanctam ingrediens ciuitatem. Sed cum quanto putas honore, cum quanta exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo filium Dei Maria suscepit, nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit. Quis cogitare sufficiat quam glorioſa hodie mundi regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuinis amplexibus suscepta a filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium? Felicia prorsus oscula labijs impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio.

Verum nunquid non fœliciora censebimus, quæ ab ore sedentis in dextera patris hodie in beata salutatione suscepit, cum ascenderet ad thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui. Christi generationem, & Mariæ assumptionem, quis enarrabit? Quantum enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum, & in cælis obtinet gloriæ singularis. Quod si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, quod præparauit gignenti se, & diligentibus pię omnibus, quis loquatur?

IDEM sic ait. Tempus loquendi est omni 61 Serm. 4. Assumptionis
carni, cum assumitur incarnati verbi mater in cælum. Nec cessare debet a laudibus humana mortalitas, cum hominis sola natura supra immortales spiritus exaltatur in virgine. Sed de eius gloria nec silere deuotio patitur, nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio, aut inerudita potest locutio parturire. Hinc est, quod & ipsi cælestis curiæ principes in consideratione tantæ nouitatis clamant, non sine admiratione. Quæ est ista, quæ ascendit de Cant. 8.
deserto delicijs affluens? Ac si manifestius dicant: Quanta est hæc, & vnde ei ascendenti vtique de deserto affluentia tãta deliciarum? Nec enim pares inueniuntur delitię, vel in nobis, quos in ciuitate Domini lætificat fluminis impetus, qui a vultu gloriæ voluptatis gloria potamur. Quæ est ista, quæ de sub sole, vbi nihil est nisi labor, & dolor, & afflictio spiritus, ascendit delicijs spiritualibus affluens? Quid ni delicias dixerim virginitatis decus cum munere fœcunditatis humilitatis insigne, distillantem charitatis fauum, misericordiæ viscera, plenitudinem gratiæ prærogatiuam gloriæ singularis? Ascendens igitur de deserto regina mundi, etiam angelis sanctis, vt canit Ecclesia speciosa facta est, & suauis in delicijs suis. Desinant tamen deserti huius Psal. 84.
mirari delicias, quia Dominus dedit benignitatem, & terra nostra dedit fructum suum. Quid mirantur de terra deserta Mariam ascẽdere delicijs affluentem? Mirentur potius pauperem Christum de cælestis regni plenitudine descendentem. Longe enim ampliori miraculo dignum videtur Dei filium paulominus ab angelis minorari, quam Dei matrẽ super angelos exaltari. 62 Infra: Non est, quod me magis delectet quàm de virgine loqui, sed nec est quod terreat magis, quàm de gloria virginis Mariæ habere sermonem. Vt enim sileam interim ineffabile priuilegium meritorum, & prærogatiuam penitus singularem, tanto eam deuotionis affectu amplectuntur, honorãt, suscipiunt (vt dignum est) vniuersi, vt licet de ea loqui gestiant omnes, tamen quicquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuerit, minus gratum sit, minus acceptetur. Quid ni minus sapiat quicquid de incomprehensibili gloria, comprehendere potuerit mens humana? Optimam partem elegit sibi Maria. Optimam plane, quia bona fœcunditas coniugalis, Luc. 10.
melior

melior autem castitas virginalis, prorsus autem optima est fœcunditas virginea, seu fœcũda virginitas matris Dei. Duplex nouitas, duplex prærogatiua, duplex miraculum, sed digne prorsus aptissimeq. conueniens. Neq; enim filius alius virginem, nec Deum decuit partus alter. Quæ vel Angelica puritas virginitati illi audeat cõparari, quæ digna fuit Spiritus sancti sacrarium fieri, & habitaculum filij Dei? Si rerum pretia de raritate pensamus, quæ prima in terris angelicam proposuit ducere vitam, super omnes est. Quanta verò, & quàm pretiosa humilitatis virtus, cum tanta puritate, cum innocentia tanta, cum tantæ gratiæ plenitudine? Digna plane, quam respiceret Dominus, cuius decorem concupi-
63 sceret rex, cuius odore suauissimo ab æterno
Cant. 1. illo paterni sinus attraheretur accubitu: Audi Mariã in epithalamio dicentem: Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Nardus quippe herba humilis est, & pectus purgat, vt manifestum sit humilitatem Nardi nomine designari, cuius odor, & decor inuenerit gratiam apud Deum. Sileat misericordiam tuam virgo beata, si quis est, qui inuocatam te in necessitatibus suis, sibi meminerit defuisse. Non quidem seruuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius, misericordiam amplectimur charius, recordamur sæpius, crebrius inuocamus. Hæc est enim, quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetrauit. Quis ergo misericordię tuæ, ò benedicta longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat inuestigare? Nam longitudo eius, vsque in diem nouissimum inuocantibus eam subuenit vniuersis. Latitudo eius replet orbem terrarum, vt tua quoque misericordia, plena sit omnis terra. Sic & sublimitas eius ciuitatis supernæ inuenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & vmbra mortis obtinuit redemptionem. Ad hunc igitur fontem sitibunda properet anima nostra. Ad hunc misericordiæ cumulum tota sollicitudine miseria nostra recurrat. Ecce iam quibus potuimus votis ascendentem te ad filium deduximus, & prosecuti sumus saltem a longe virgo benedicta. Sit pietatis tuæ ipsam, quam apud Deum gratiam inueniſti, notam facere mundo, reis veniam, medelam ægris, pusillis corde robur, afflictis consolationem, periclitantibus adiutorium, & liberationem sanctis tuis precibus obtinendo.

64 IDEM dicit in fine; Vehementer no-
Serm. 7. de verbis Apocalypsis 12. bis vir vnus, & mulier vna nocuere, sed gratias Deo, per vnum nihilominus virum, & mulierem vnam, omnia restaurantur, nec sine magno feruore gratiarum. Neque enim Signum magnum apparuit in cęlo. sicut delictum, ita & donum, sed excedit damni æstimationem beneficij magnitudo. Sic nimirum prudentissimus, & clementissimus artifex, quod quassatum fuerat non confregit, sed vtilius omnino refecit, vt videlicet nobis nouum formaret Adam ex veteri, & Euam transfunderet in Mariam. Et quidẽ sufficere poterat Christus, sed nobis bonum non erat esse hominem solum. Congruum magis vt adesset nostræ reparationi sexus vterq; quorum corruptioni neuter defuisset. Fidelis plane, & potens mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, sed diuinam in eo reuerentur homines maiestatem. Non sola illi cantatur misericordia, cantatur pariter & iudicium, quia etsi didicit ex his, quæ passus est compassionem, vt misericors fieret, habet tamen & iudiciariam potestatem. Denique Deus noster Deut. 4.
ignis consumens est. Quidni vereatur peccator accedere, ne quemadmodum fluit cera a facie ignis, sic pereat & ipse a facie Dei? Iam itaque ne ipsa mulier benedicta in mulieribus videbitur otiosa, inuenietur equidem locus eius in hac reconciliatione. Opus est enim me diatore ad mediatorem istum, nec alter nobis vtilior, quam Maria. Crudelis nimirum Eua, per quam serpens antiquus pestiferum etiam ipsi viro virus infudit, sed fidelis Maria, quæ salutis antidotum, & viris, & mulieribus propinauit. Quid ad Mariam accedere trepidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terribile, tota suauis est, omnibus offerens lac & lanam. Reuolue diligentius euangelicæ hi-
65 storiæ seriem vniuersam, & si quid forte increpatorium, si quid durum, si quod deniq; signũ vel tenuis indignationis occurrerit in Maria, Lucæ 1.
de cetero suspectam habeas, & accedere verea ris. Quòd si, vt vere sunt plena magis omnia pietatis, & gratiæ, plena mansuetudinis, & misericordiæ, quæ ad eam pertinent inueneris, age gratias ei, qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione prouidit, in qua nihil possit esse suspectum. Deniq; omnibus omnia facta est, sapientibus, & insipientibus, copiosissima charitate debitricẽ se fecit, omnibus misericordiæ, sinũ aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuersi, captiuus redemptionem, ęger curationem, tristis consolationem, peccator gratiam, Angelus lætitiã, deniq; tota Trinitas gloriam, filij persona, carnis humanæ sub stantiam, vt non sit qui se abscondat a calore eius. Putas ne ipsa est sole amicta mulier? Etsi Apo. 12.
de præsenti Ecclesia id intelligendum sit, sed id plane non inconuenienter Mariæ videtur attribuendum. Nimirũ ea est, quæ velut alterum solem induit sibi. Quemadmodum enim ille super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoque præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilẽ, omnibus clementissimam præbet, omnium deniq; necessitates amplissimo quodã miseratur affectu. Nam & defectus omnis sub ea est, & quicquid fragilitatis, seu corruptionis est excellentissima quadam sublimitate præ cæteris omnibus excedit, & supergreditur creaturis, vt merito sub pedibus eius luna esse dicatur.

Alioquin nihil magnum dixisse videbitur, vt sit luna ista sub pedibus eius, quam super omnes choros Angelorum credimus exaltatam. Solet autem luna non modo defectum corruptionis, sed & stultitiam mentis, & nonnunquã ecclesiam huius temporis designare. Illã quidem propter mutabilitatem, hãc sane propter
66 susceptum aliunde splendorem. Vtraque verò, vt ita dixerim luna sub Mariæ pedibus cõgrue satis ponitur; alio tamen, atque alio modo. Siquidem stultus, vt luna mutatur, sapiẽs autem permanet sicut sol: In sole nimirum, &
Eccli. 27. feruor, & splendor stabilis, in luna solus splendor, atque is omnino mutabilis, & incertus, qui nunquam in eodem statu permaneat. Iure ergo Maria sole perhibetur amicta, quæ profundissimam diuiniæ sapientiæ, vltra quam credi valeat, penetrauit abyssum, vt quantum sine personali vnione creaturę cõditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne prophetæ labia purgantur; illo igne seraphim accenduntur. Longe verò aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis vndique, & circunfundi, & tanquam ipso igne concludi. Candidissimus sane, sed & calidissimus huius mulieris amictus, cuius omnia tam excellẽter irradiata noscuntur, vt nihil in ea non dico tenebrosum, sed obscurum saltem, vel minus lucidum, sed ne tepidum quidem aliquid, aut non feruentissimum, liceat suspicari. Insipientia verò omnis longe sub pedibus eius est, vt penitus absit hęc ab insipientium mulierum numero, & collegio virginum fatuarum. Immo verò & vnicus ille stultus, & totius stultitiæ princeps, qui vere mutatus vt luna sapientiam perdidit in decore suo, sub Mariæ pedibus conculcatus, & contritus miseram patitur seruitutem. Nimirum ipsa est quondam a Deo promissa mulier, serpentis antiqui caput virtutis pede cõtritura; cuius plane calcaneo in multis versutijs insidiatus est, sed sine causa. Amplectamur Mariæ vestigia fratres, & beatissima supplicatione beatissimis illius pedibus prouoluamur. Te
67 neamus eam, nec dimittamus donec benedixerit nobis. Potens est enim. Nempe vellus est medium inter rorem, & aream, mulier inter solem, & lunam, Maria inter Christum, & Ecclesiam constituta, sed forte miraris, non tam vellus opertum rore, quam amictam sole mulierem. Magna siquidem familiaritas, sed mira omnino vicinitas solis, & mulieris. Quomodo enim in tam vehemẽti feruore, tam fragilis natura subsistit? Merito quidem admiraris Moyses sancte, & curiosius desideras in-
Exo. 3. tueri. Verumtamen solue calceamenta de pedibus tuis, & inuolucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis. Vade, inquit, & videbo visionem hanc magnam. Magna plane visio rubus ardens sine combustione, magnum signum mulier illęsa manẽs amicta sole. Non est rubi natura opertum vndiq; flammis manere nihilominus incombustum, non mulieris potentia, vt sustineat solis amictum, non est virtutis humanæ, sed nec Angelicæ quidem, sublimior quædam necessaria est. Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te. Et tanquam respondeat illa, quoniam Spiritus est Deus, & Deus noster ignis consumens est. Virtus, ait, non mea, non tua, sed altissi- *Deut. 4.*
mi obumbrabit tibi. Nihil itaq; mirum si sub tali obumbraculo, talis etiam a muliere sustineatur amictus. Mulier, inquit, amicta sole: Plane amicta lumine sicut vestimento, quæ in- *Roma. 13.*
duerat Dominum Iesum Christum. Quam familiaris ei facta es Domina, quam proxima, immo quam intima fieri meruisti, quãtam inuenisti gratiam apud Deum? Vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria suæ maiestatis. Vestis solem nube, & sole ipsa vestiris. 68
Nouum enim fecit Dominus super terram, vt *Hiere. 31.*
mulier circundaret virum, & non alium quàm *Zach. 6.*
Christum de quo scriptum est, ecce vir, oriens nomen eius. Nouum quoque fecit in cælo, vt mulier sole appareret amicta. Deniq; & coronauit eum, & vicissim ab eo meruit coro- *Cant. 3.*
nari. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua. Verum hoc alias. Interim sane ingredimini magis, & videte reginam in diade- *Apoc. 12.*
mate, quo coronauit eam filius suus. In capite, inquit, eius corona stellarum duodecim. Dignum plane stellis coronari caput, quod & ipsis longe clarius micans, ornet eas potius quam ornetur ab eis. Quod ni coronent sydera, quam sol vestit? sicut dies verni circundabant eam flores rosarum, & lilia conuallium. Nimirum læua sponsi sub capite eius, & iam dextera illius amplexatur eam. Quis illas ęsti- *Cant. 2.*
met gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariæ regium diadema compactum est? Supra hominem est coronæ huius rationem exponere, indicare compositionẽ. Nos autem pro no- *Apoc. 12.*
stra exiguitate duodecim stellas, duodecim intelligimus priuilegia virginis, duodecim prærogatiuas gratiarum, quibus Maria singulariter adornatur. Mihi sane singularis rutilat fulgor, primo quidẽ in Mariæ generatione, secundo in angelica visitatione, tertio in spiritus superuentione, quarto in filij Dei inenarrabili conceptione. Sic & in his quoque sydereum plane irradiat decus, quod virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fęcunda, quòd sine grauamine grauida, quòd sine dolore puerpera. Nihilominus etiam speciali quodã splendore in Maria coruscant mansuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Quid sydereum micat in generatione Mariæ? Plane quòd ex regibus orta, quòd ex semine Abrahæ, quòd generosa ex stirpe Dauid. Si id parum videtur, adde quòd generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis diuinitus est concessum, quòd longe ante eisdem patribus cęlitus repromissa, 69
quòd mysticis prefigurata miraculis, quòd oraculis prænunciata propheticis. Hanc enim sacerdotalis virga dum sine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in medio siccæ areæ maduit.

duit, hanc in Ezechielis visione orietalis porta, quæ nulli vnquam patuit præsignauit. Merito signum hoc magnum in cælo apparuisse scribitur, quod tãto ante de cælo noscitur fuisse promissum. Huius ergo prærogatiuæ fulgor, quorum non vehementer reuerberat aciem oculorum? Iam in eo quòd tam reuerenter, & officiosissime ab Archangelo salutata est, vt iam in regali solio supra omnes cælestium ordinum regiones exaltatam cernere videretur, & paulominus adoraturus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari; excellentissimum nobis virginis nostræ meritum, & singularis gratia commendatur. Mihilominus fulget etiam nouus ille conceptionis modus, vt nõ in iniquitate sicut alię mulieres, sed superueniente Spiritu sancto verum Deum, & Dei filium genuit, vt idem ipse Dei, atque hominis filius vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis, nec facile dixerim, quòd vel angelicus oculus ad huius fulgoris vehemẽtiam non caliget. De cætero sane, & virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas vehementer illustrat, vbi verò in promissione filij manifestũ virginitatis periculum videbatur, non potuit vltra dissimulare, quin diceret: Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco. Merito proinde, & illam meruit benedictionem, & hanc nõ amisit, vt longe glorioſior fiat, & virginitas ex fœcunditate, & ex virginitate fœcunditas, ac mutuis se se radijs illustrare hæc duo sydera videantur. Iure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidę mulieres laborare noscuntur sola non sensit, quæ sola sine
Lucæ 1. voluptate libidinosa concepit. Vnde & in ipso suæ conceptionis initio quãdo potissimum cæteræ mulieres miserabilius affliguntur, Maria tota alacritate in montana conscendit, sed & ascendit Bethlehem imminente iam partu portans preciosissimum illud depositum, portans onus leue a quo portabatur. Sic & in partu quàm lucidum est, quòd noua exultatione nouam edidit prolem sola inter mulieres a dolore aliena. Sola est de qua dictum est,
Matth. 1. Lucæ 1. quod in ea natum est de Spiritu sancto est, sola cui dicitur, quod ex te nascetur sanctum vocabitur filius Dei. Offerentur regi virgines, sed post eam, nam primatum sola vendicat sibi. Multò magis autem sola sine corruptione concepit, sine grauamine tulit, sine dolore filium parturiuit. Itaque nihil horum a nobis exigitur, sed exigitur mansuetudo pudoris, humilitas cordis imagnanimitas fidei, compassio mentis. Gratissima sane gemma in diademate, micans in capite stella, rubor in facie hominis verecundi. An quis putet quod hac caruit gratia, quæ gratia plena fuit? Infra: Mirabili artificio spiritus superueniens in Maria tanti humilitati magnanimitas tanta in secreto virginei cordis accessit, vt, quem admodum de integritate, & fœcunditate prædiximus, hæ quoque nihilominus sunt stellæ ex respectu mutuo clariores, quod videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem. sed cum in sua estimatione tam humilis esset, nihilominus, & in promissionis credulitate magnanimus, vt quæ nihil aliud, quàm exiguam se se reputabat ancillã, ad incomprehensibile hoc mysterium, & admirabile commercium nullatenus se dubitaret electam, & verã Dei, & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit 71
hoc nimirũ in cordibus electorum gratiæ prærogatiua diuiniæ, vt eos nec humilitas pusillanimos faciat, nec magnanimitas arrogantes. Magis autem cooperentur sibi, vt non solum nulla ex magnanimitate intret elatio, sed hinc maxime prouehatur humilitas, vt inueniãtur eo amplius timorati, & largitori munerum nõ ingrati, ac vicissim ex occasione humilitatis, pusillanimitas nulla surrepat, sed quo minus de sua quisque, vel in minimis præsumere consueuit, & amplius etiam in magnis quibusq. de diuina virtute confidat. Infra: Martyrium sane virginis, quod inter stellas coronæ eius duodecimam nominauimus, tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa dominicæ passionis historia commendatur. Ait sanctus senex ad Mariam. Et tuam ipsius animã per- *Lucæ. 2.*
transiuit gladius. Et quidem postea quã Christus emisit spiritum, ipsius plane non attigit animam crudelis lancea, quę ipsius aperuit latus, sed tuam vtique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi nõ erat, sed tua plane inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quam martyrem non immerito prædicemus, in qua nimirum corporeę sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plus quàm gladius fuit sermo ille dicentis Christi, Mulier ecce filius tuus? Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quãdo & nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit? concludens ait: Ciba hodie pauperes tuos domina, ipsi quoq; catelli de micis edant, nec puero Abrahæ tantum, sed & camelis potum tribuas desuper effluenti hydria tua, quia tu vere puella es præelecta, & præparata altissimi filio.

IDEM dicit: Mater genuit Christum non 72
in splendoribus, sed in vmbra; non nisi ea ta- In natiuit. B. Mariæ.
men, qua obumbrauit altissimus. Merito pro- *Cant. 2.*
inde canit Ecclesia, quę peregrinatur in terris. Sub vmbra illius quem desideraueram sedi, & fructus illius dulcis gutturi meo. Lucem quippe meridianam, vbi pascit sponsus, sibi petierat indicari, sed repressa est, & pro plenitudine luminis vmbram, pro satietate interim gustum recepit. Denique non ait: Sub vmbra eius, quam desideraueram, sed sub vmbra eius, quem desideraueram sedi. Neque enim ipsius expetierat vmbram, sed ipsum profecto meridiem, lumen plenum de lumine pleno. Et frudete quoniam suauis est Dominus. Et quidem suauis gustus, & dulcis gutturi, vt merito etiã

super hoc sponsa proruperit in vocem gratiarum actionis,& laudis.Sed quando dicetur,co-
Cant. 3. medite amici,& bibite; & inebriamini charissimi.
Psal.67. Iusti epulentur,ait Propheta,sed in conspectu Dei,vtique non in vmbra. Et de se ipso:
Cant.4. Satiabor,inquit, cum apparuerit gloria tua. Vita æterna fons indeficiens, qui vniuersam irrigat superficiem paradisi. Nec modo irrigat, sed inebriat fons hortorũ, puteus aquarum viuentium; quæ fluunt impetu de Libano,& fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Quis verò fons vitæ,nisi Christus Dominus? Deriuatus est fons vsque ad nos, in plateis deriuatæ sunt aquæ,licet non bibat alienus ex eis.De
Prou. 5. scendit per aquæductum vena illa cœlestis, non tamen fontis exhibens copiam, sed stillicidia gratiæ arentibus cordibus nostris infundens alijs quidẽ plus,alijs verò minus. Plenus equidem aquæductus, vt accipiant ceteri de plenitudine,sed non plenitudinem ipsam. Aduertistis,ni fallor, quem velim dicere aquæductum, qui plenitudinem fontis ipsi capere poteramus. Nostis enim cui dictum sit: Aue gratia
73 plena. An verò inueniri potuisse miramur, vnde talis, ac tantus fieret aquæductus, cuius nimirum summitas instar profectò scalæ illius,
Gen.28. quam vidit Patriarcha Iacob,cælos tangere, immo & transcendere, vt viuidissimum illum aquarum,quæ super cælos sunt,posset attingere fontem? Nimirum propterea tanto tempore humano generi fluenta gratiæ defuerunt, quòd nondum intercederet is, de quo loquimur tam desiderabilis aquæductus.Nec mirabere diutius expectatum,si recordaris quot annis Noe vir iustus in arcæ fabrica laborarit,in qua paucæ, id est,octo animæ faluæ factæ sunt, idq. satis ad modicum tempus. Sed quomodo noster hic aquæductus, fontem illum attigit
Lucæ 1. tam sublimem? Quomodo putas,nisi vehemen
Eccli. 35. tia desiderij,nisi feruore deuotionis, nisi puritate orationis? Sicut scriptum est: Oratio iusti penetrat cælos. Et quis iustus, si non Maria iusta,de qua sol iustitiæ ortus est nobis? Quomodo ergo illa inaccessam attigit maiestatẽ, nisi pulsando,petendo,quærendo? Denique & quod quærebat, inuenit, cui dictum est: inuenisti gratiam apud Deum.Quid? Plena est gratia,& gratiam adhuc inuenit? Digna prorsus inuenire quod quærit, cui propria non sufficit plenitudo, nec suo potest esse contenta bono; sed quemadmodum scriptum est: Qui bibit
Eccli. 24. me, adhuc sitiet, petit superessluentiam ad salutem vniuersitatis. Spiritus sanctus, ait, superueniet in te, & pretiosum illud balsamum tanta tibi copia,tantaq. plenitudine influet,vt copiosissime effluat circumquaque. Ita est, iam sentimus, iam exhilarantur facies nostræ
Cant. 1. in oleo, iam clamamus, oleum effusum nomen tuum, memoriale tuum in generatione, & generationem.Verum id quidem non in vanum,
Ibid. & si oleum effunditur,sed non perit.Propterea
74 siquidem & adolescentulæ,paruulæ scilicet animæ sponsum diligunt, idq. non parum, & vn-
Psal.132. guentum descendens de capite,non modo barba, sed & ipsa vestimenti ora suscepit. Intuere o homo consilium Dei,consilium pietatis.Cæsti rore aream rigaturus, totum vellus prius infudit.Redempturus humanũ genus pretium vniuersum contulit in Mariam. Altius ergo intueamini quãto deuotionis affectu a nobis voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria, vt proinde si quid spei in nobis est,si quid gratiæ,si quid salutis ab ea nouerimus redundare quæ ascendit delicijs affluẽs. Hortus planè deliciarũ, quem non modo affluerit veniens, sed & perflauerit superueniens auster ille diuinus,vt vndique fluant, & effluãt aromata eius,charismata scilicet gratiarum. Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum,vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni, & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens, & densissimæ tenebræ relinquuntur,& vmbra mortis? Totis ergo medullis cordium,totis precordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius,qui totum nos habere voluit per Mariam. In omnibus siquidem & per omnia prouidens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem. Ad patrem verebaris accedere,solo auditu territus ad folia fugiebas,Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem patrem filius talis obtineat? Exaudietur vtique pro reuerentia sua. Pater enim diligit filium. An verò trepidas,& ad ipsum? Frater tuus est,& caro tua, tentatus per omnia absque peccato, vt misericors fieret. Hunc tibi fratrem Maria dedit. Sed forsitan & in ipso maiestatem vereare diuinam,quod licet factus sit homo,manserit tamen Deus. Aduocatam habere vis,& ad ipsum? Ad Mariam recurre. Pura siquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni contaminatione, sed & pura singularitate naturæ. Nec dubius dixerim exaudietur, 75
& ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium pater. Filioli hæc peccatorum scala, hæc mea maxima fiducia est,hæc tota ratio spei meæ. Quid enim? potest ne filius, aut repellere, aut sustinere repulsam, non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè. Inuenisti,ait Angelus, Luc.1.
gratiam apud Deum. Fœliciter semper hæc inueniet gratiam, & sola est gratia, qua egemus. Prudens virgo non sapientiam, sicut Salomon, non diuitias, non honores, non potentiam, sed gratiam requirebat.Quæramus gratiam,& per Mariam quæramus,quia quod quærit,inuenit,& frustrari non potest.Maria vsque adeo fidit gratiæ,& non altum sapit, vt salutationem Angelicam vereatur. Et forsitan talia meditabatur. Vnde hoc mihi, vt veniat Angelus Domini mei ad me? Ne timeas Maria, ne mireris Angelum venientem, & maior Angelo venit. Non mireris Angelum Domini, & Dominus Angeli tecum. Postremò quidni videas Angelum, cum iam angelicè viuas? Quidni visitet Angelus vitæ sociam? Quidni

saluter

saluter ciuem sanctorum, & domesticam Dei?
Videsne quod & hoc nihilominus modo aquæ-
48 ductus noster ascendit ad fontem. Nec sola iam oratione cælos penetrat, sed etiam incorruptione, quæ proximum Deo facit, sancta virgo corpore, & spiritu, ne quid forte super hoc dubites aquæductu. Sublimis equidem valde: sed nihilominus integerrimus manet. Hortus conclusus, fons signatus, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti. Assensiones in corde suo disposuit, conuersatione pariter & oratione ascendens. Infra: Maria montana conscendit, quia iustitia
76 eius sicut montes Dei. Dixit Angelus Mariæ: Spiritus sanctus superueniet in te, non ego. Ne steteris vel inter Angelos virgo sancta, sublimius aliquid tuo sibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur. Paululum cum pertransieris eos, inuenies quem diligit anima tua. Paululum, inquam, non quia non incomparabiliter supereminear, sed quod inter eum & ipsos medium nihil inuenias. In principio erat verbum. Iam scatet fons, sed interim tantum in semetipso. Denique & verbum erat apud Deum. Lucem profectò habitans
Hier. 29. inaccessibilem, & dicebat Dominus: Ab initio ego cogito cogitationes pacis, & non afflictionis. Sed penes te est cogitatio tua, & quid cogites nos nescimus. Quis enim cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius erat? Descendit itaque cogitatio pacis in opus pacis: Verbum caro factum est,& habitauit in nobis. Intuere quomodo vsque ad Angelos plenitudine gratiæ Maria peruenerit. Super Angelos autem superueniente Spiritu sancto. Est in Angelis charitas, est puritas, est humilitas. Quid horum non enituit in Maria? Cui enim Angelorum aliquando dictum est: Spi-
Luc.1. ritus sanctus superueniet in te,& virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque, & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Denique veritas de terra orta est, non de angelica creatura, nec Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit. Magnum est Angelo, vt ministet sit Domini. Sed Maria sublimius quiddam meruit, vt sit mater. Tantoque excellentior Angelis facta munere singulari: quanto differentius præ ministris nomen matris accepit. Hanc inuenit gratiam plena iam gratia, vt virginitate integra fieret, hinc mulie-
77 bri dolore puerpera. Infra; Dilectus pascitur inter lilia. Apud Mariam vtique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia virginitatis,decus humilitatis insigne, supereminentia charitatis? Erunt tamen & nobis lilia, quamuis inferiora valde, sed ne inter hæc dedignabitur pasci sponsus. Quidquid illud est, quod offerre Deo paras Mariæ commendare, memento, vt eodem alueo ad largitorẽ gratiæ gratia redeat, quo influxit. Neq; enim impotens erat Deus, & sine hoc aquæductu infundere gratiam prout vellet. Sed tibi vehiculum voluit prouidere. Forte enim manus tuę,aut sanguine plenę,aut infectæ muneribus,quod non eas ab omni munere excusisti. Ideoq. modicum illud quod offerre desideras, gratissimis filijs, & omni acceptione dignissimis Mariæ manibus offerendum tradere cura, si non vis sustinere repulsam. Nimirum candidissima quædam lilia sunt, nec cauisabitur ille illiorum amator inter lilia non inuentum, quicquid illud sit, quod inter Mariæ manus inuenerit.

IDEM ait, Magnus ille Ignatius discipu- 78
li quem diligebat Iesus auditor,Mariam ipsi plu- Serm. 7. in
ribus, quas ad eam scripsit epistolis, Christife- Ps. Qui habitat.
ram consalutat. Egregius plane titulus dignitatis,& commendatio honoris immensi. Nempe ẽi seruire regnare est, gestare hunc non onerari est, sed ornari.

IDEM sic ait; Aue Maria gratia plena. 79
Non in sola virginitate constare poterat gra- Serm. 7. ex
tiæ plenitudo: neque enim omnibus est de ea paruis.
accipere. Fœlices qui non inquinauerunt vestimenta sua, & cum regina nostra virginitatis priuilegio gloriantur. Sed num vnam tantum benedictionem habes ò domina? Et mihi
obsecro, vt benedicas. Perijt virtus illa a Gen. 27.
me, non est iam vel aspirare ad illam: Computrui in stercore meo, vt iumentum factus sum. Nunquid non erit mihi etiam aliquid apud te, non erit vbi posim esse tecum, qui iam sequi non valeo quocumque ieris? Quærit Angelus puellã, quam præparauit Dominus filio Domini sui, Bibit ipse de hydria tua cogna- Gen. 24.
ta sibi virtute delectatus. Sed nunquid non & iumentis potum tribues? Bibit Angelus,quod virum non cognoscis, bibant iumenta, quod de humilitate singulariter gloriaris, dicens: Quia respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.

IDEM sic ait; Aue gratia plena. Bene 80
plena, quia Deo, & Angelis, & hominibus Sermone 3.
grata. Hominibus per fœcunditatem, Angelis per virginitatem, Deo per humilitatem, ibid.
qui humilia respicit,& alta a longe cognoscit.Sicut enim oculi Satanæ omne sublime vident,ita oculi Domini in omnem humilem intuentur.

IDEM explicans verba illa; Dies diei eru- 81
ctat verbum, inquit: Dies diei, Angelus vir- Sermone 5.
gini. Dies Angelus propter beatitudinem, ibid.
virgo dies propter integritatis virtutem. Et nox nocti indicat scientiam. Serpens nox propter malitiam, mulier nox propter ignorantiam.

IDEM explicans verba illa; Ecce tu pul- 82
chra es amica mea,ecce tu pulchra dicit.Quę- Serm.45.in
ramus geminam animæ pulchritudinem, hoc Cantica.
enim mihi videtur innuere quod Deus eam vocat pulchram. Decor animæ humilitas est.
Propheta hoc dixit: Asperges me Domine Psal.50.
hyssopo, & mundabor, humili herba, & pectoris purgatiua humilitatem significans, hac se post grauem lapsum rex & Propheta lauari confidit, & sic niueum quendam innocentiæ recuperare candorem. Verum in eo, qui grauiter peccauit, etsi amandã, non ta-

men

men admiranda, humilitas est. At si quis innocentiam retinet, & nihilominus humilitatem iungit, nonne is tibi videtur geminum animæ possidere decorem? Sancta Maria sanctimoniam non amisit, & humilitate non caruit: & ideo cõcupiuit rex decorem eius, quia humilitatem innocentiæ sociauit. Denique respexit inquit, humilitatem ancillæ suæ. Ergo beati, qui custodiunt vestimenta sua munda innocentiæ, si tamen, & decorem induere humilitatis adijciant. Profecto audiet quæ huiusmodi inuenitur, ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra. Vtinam vel semel dicas animæ meæ, Domine Iesu, ecce tu pulchra es. Vtinam mihi humilitatem custodias. Nam primam vestem ego male seruaui. Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, ecce admirantis vox est, reliquum laudis. Merito admiranda cui sanctitas amissa humilitatem non attulit, sed seruata admisit. Merito pulchra repetitio, cui neutra defuit pulchritudo. Rara auis in terris aut sanctitatem non perdere, aut humilitatem sanctimonia non excludi, & ideo beata, quæ vtranque retinuit.

83 In sermone B. Mariæ.

IDEM ait: In Mariæ laudibus legitur multæ filiæ congregauerunt diuitias tu supergressa es vniuersas. Licet enim in parabolis loquererur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret, vt amicis; quædam tamen credendum est præ cæteris matrẽ suam quemadmodum dilexisse, ita etiam propensius erudisse, quædam ei secretius intimasse, frequenter eam in cellam vinariam occultasse, prout nouit, & voluit gloriam deificam, & supercælestem reuelasse notitiam. Vnde Ioannes in Apocalypsi ait: De throno, scilicet de Maria procedebant fulgura, & voces, & tonitrua, quia Maria parabolas, ænigmata legalia, & mirifica gesta, dicta, opera auidius ebibit: syncerius luculentiusq. alijs edidit. Infra: In virgine habitauit pater, & filius, vt creator in mundo, imperator in regno, pater familias in domo, pontifex in templo, sponsus in thalamo. Prius enim altissimus sibi eam quasi mundum specialissimum creauit, quàm in iustitia, & sanctitate corã ipso fundaret, & fluenti sapientia irrigaret, & cælestibus desiderijs instar aëris sublimaret, & igne dilectionis accendendo illustraret. Hinc in eius mente tanquam in quodam firmamento solem posuit rationis, & lunam scientiæ, & virtutes tanquam stellas speciei omnimodæ, solem qui lucem diuinæ cognitionis faceret, lunam, quæ cum stellis, noctem actionis splendidam redderet. Et merito Domini est terra; quia sic super maria fundauit eam. Creato igitur mundo volens visitare regnum; imperauit angelo, qui ei cõceptum verbi nunciaret. Hæc virgo est scala, rubus, arca, sydus, virga, vellus, thalamus, porta, ortus, aurora. Hæc est enim scala Iacob, qui quando caput in lapide posuit, Angelos ascendentes, & descendentes videre meruit. Rubus qui visus est ardere sine sui incendio, virginem significauit concepturam de Spiritu sancto absque virginitatis detrimento. Traditio Hebræorum docet visionẽ in humili arbusculo traditam; ne populus occasione aliqua laberetur ad idolatriã, in humili virguncula mirabilis nobis exhibita est visio. Sic fuit Maria humillima. Arcas duas fuisse legimus in veteri tastamento, vnam arcã diluuij, alteram testamenti, & vtraque figurabat Mariam. Sicut enim per illam omnes euaserunt diluuium, qui in ea fuerunt; sic per istam peccati naufragium. Illam Noe, vt diluuium euaderet fabricauit, istam Christus, vt humanum genus redimeret, sibi præparauit. Per illam octo animæ tantum saluantur, per istam omnes ad æternam vitam vocantur. Per illam paucorum est facta liberatio. Per istam humani generis saluatio. Illa facta est de lignis leuigatis; ista de virtutibus ædificata est cõsummatis. Illa superferebatur aquis diluuij; ista non sensit naufragia alicuius vitij. Infra: Arca quoque testamenti typum tenet sanctæ Dei genitricis. Beseleel cum Oliab socio suo arcam fabricauit, sancta quoque trinitas virginem sibi sanctificauit, ac templum sanctissimum consecrauit. Pater in consecratione virginis exhibuit claritatem, Filius humilitatem, Spiritus sanctus charitatem. Pater lumen exhibuit rationis, Filius cinerem humiliationis, Spiritus sanctus oleum dilectionis. Pater exhibuit potentiam, Filius sapiẽtiam, Spiritus sanctus omnium virtutum gratiam. Pater auctoritatem contra peccatum, Filius humilitatem contra mundum, Spiritus sanctus charitatem erga Deum, & proximum. Filius carnis mortificationem, Spiritus sanctus compunctionẽ, Pater cælestium contemplationem. Filius docuit eam diuina operari, Spiritus sanctus amare, & amari, Pater cælestia contemplari. Arca testamenti de lignis setim facta est, & Maria de spinoso, & hyspido Iudæorum populo procreata est. Eua spina fuit, Maria rosa extitit. Eua spina vulnerando, Maria rosa omnium affectus mulcendo. Eua spina infigens omnibus mortem, Maria rosa reddens salutem. Maria rosa fuit candida per virginitatem, rubicunda per charitatem, candida virtutem sectando, rubicunda vitia calcando, candida affectum purificando, rubicunda actum carnalem mortificando, candida Deum diligendo, rubicunda proximo compatiendo.

84

85 In serm. in quo explicat Antiph. Salue regina.

IDEM ait: Agnoscit virgo, & diligit diligentes se, & prope est in veritate inuocantibus se: præsertim his, quos videt sibi cõformes factos in castitate, & humilitate, & totã spem suam (post filium suum) in ea posuerint, & toto corde quæsierint. Data est ei potestas in cælo, & in terra, & in manibus eius vita, & spiritus nostri, & oculi omnium Christianorum in eam sperant; & ipsa dat eis escam gratiæ, quæ plena est in tempore opportuno. Origo fontium, & fluminum mare, virtutum sanctarum auctrix Maria. Ad eam non incõgrue dicitur: Quàm bona Domina Israel, his qui recto sunt corde.

corde. Salue regina misericordiæ, iustè regina mundi, & regina cæli dicitur, per quam vtriusque creator, & rector generatur. Regina gloriæ, nomen & honoris, magnificentiæ & decoris, dulcedinis ac pietatis, amoris & honorificentiæ, sublimitatis & potentiæ, gubernationis & iustitiæ, defensionis & gratiæ. Possumus etiam sic intelligere, quod regina misericordiæ dicitur, vt soli tribuamus diuinæ misericordiæ, & non meritis quòd super omnem creaturam, ipsa sanctitate ac dignitate præcellens reginæ vocabulo, & honore sublimatur amplius, & iam in hoc conuenienter vocatur regina misericordiæ, quòd diuinæ pietatis abyssum cui vult, & quando vult, ac quomodo vult, creditur aperire, vt quiuis enormis peccator non pereat, cui sancta sanctorum patrocinij sui suffragia præstat. Vita dulcedo, spes nostra salue. Ordo pulcherrimus dulcedinem vita præcedit, spes sequitur. Non enim sapis nisi viuas, nec sperabis nisi viuas, & sapias. Ipsam reginam misericordiæ, vitam, & dulcedinem nostram dicimus, quia per ipsam speramus nos posse consequi, quicquid totius bonitatis factor dignatus fuerit gratiæ nobis impertiri. Primo ponit vitam, quæ est in integritate virtutum, secundo dulcedinem spiritualium gaudiorum, deinde spem infert æternorum. Omnia hæc, regina misericordiæ contulit mundo. Infra: Si linguæ centum resonarent, oraq. centum ferrea vox mihi Maria, nil dignum tibi dicere possem stella maris. Eleuata est magnificentia tua super cælos, & super omnem terram gloria tua, ita vt nec in cælo inueniatur creatura pura, quæ tuam digne laudare queat magnificentiam, nec in terra sit, quæ gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim nec in cælo, nec in terra inuentus est dignus aperire librum prærogatiuarum tuarum: & digne soluere septem signacula eius. Plenitudinem gratiæ, aduentum Spiritus sancti in te virtutis altissimi obumbrationem, verbi conceptionem, quod sine grauamine grauida, sine dolore puerpera, virgo pariter, & fœcunda, quis enarrabit? viri diuitiarum multi de ciuitate Domini virtutum miserunt manus suas ad hæc fortia, & tamen altitudinem diuitiarum harum ad liquidum comprehendere non potuerunt: quia inuestigabiles viæ istæ. Conati sunt, & non datum est vltra, dum adhuc ordirentur, succisi sunt, licet currerent omnes in odorem vnguentorum tuorum. Curremus & nos in odore isto, trahe nos post te. Sub vmbra alarum tuarum nos protege, ad te enim clamamus exules filij Euæ. Infra: De hoc exilio, ò sancta sanctorum ad te clamamus exules, vt interuentu tuo, ducatu tuo, adiutorio tuo, possimus ad cubiculum veritatis repatriare. Scimus proculdubio, quia nihil amplius habet homo de vniuerso labore suo, quo laborat sub sole, nisi vanitatem; & tamen prauæ consuetudinis nexibus irretiti per nos redire non possumus in veritatis libertatem, & amorem virtutis. Et nos adhuc filij Euæ transgressores, filij inobedientiæ, filij matris antiquæ: ad te clamamus regina misericordiæ. Reuertere visitans in nobis naturam tuam, reuertere ostendendo charitatem tuam, reuertere per datam potestatem tuam, per gratiæ prærogatiuam: vt intueamur te largientem beneficia, conferentem remedia, medentem contritis corde, ponentem fortitudinem lugentibus Sion, dantem coronam pro cinere, oleum pro luctu, pallium laudis pro spiritu mœroris, sonet hæc vox tua in auribus nostris. Vox hæc tua dulcis, & facies tua decora. Nam in illo decore te videre, quo induit te Dominus fortitudinem, non est huius temporis vitæ nostræ vitiorum fœtore sordentis. Stola immortalitatis te indutã videre indigni sumus, ostende nobis faciem miserationũ tuarum, & salui erimus. Infra: Sic exorditur, In freta dum fluuij current, dũ montibus vmbræ lustrabunt, conuexa polus dum sydera pascet, semper honor, nomenq. tuum, laudesq. manebunt. Spes mea virgo pia, virgo sacra, virgo Maria. Et non amplius? Amplius multum, & per omnem modum. Nam in æternum, & vltra non deficiet, laus tua de ore hominum etiam, & Angelorum. Fiat firmamentum, & diuidat aquas ab aquis. Omnibus firmamentis firmius firmamentum tu Domina, quæ Dominum cæli concepisti, portasti, & non defecisti. Tu in medio aquarum diuisisti aquas ab aquis, affectus videlicet æternorum ab affectibus temporalium. Posuit Deus in hoc firmamento solem, & lunam, Christum, & Ecclesiam, & stellas prerogatiuas gratiarum multas. Non solum cælum dicitur, sed tabernaculum Dei, vrna aurea, ipsa sol, ipsa luna, & stella matutina, aurora, lucerna, tuba, & mons, fons quoque hortorum, & lilium conuallium. Desertum, ipsa, & terra promissionis lacte, & melle manans: nauis quoque, via in mari, vinea, ager, apotheca, turris, castra, acies, regnum, sacerdotium, ouis est, pascua est, paradisus, palma, rosa, fluuius est, potus est, columba est, vestis est, margarita est, candelabrum, mensa, corona, sceptrum, panis, vinum, oleum, arbor, virga, cinnamomum, balsamum, &c. Soror & mater est. Propter hanc totus mundus factus est, Deus homo factus est, Deus humilis, & homo sublimis. Ad te ergo talem, & tantam suspiramus gementes, & flentes in hac lachrymarum valle. Infra: Si vultum tuum deprecabũtur virgo sacra, omnes diuites plebis: quanto magis pauperes plebis? Etsi pauperes plebis, multo magis egenus, & pauper, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ante pererratis amborum finibus exul, aut Ararim parthus bibet, aut Germania tigrim: quã tuus e nostro labatur pectore vultus, virgo Dei genitrix. Tibi dixit cor meum, quæsiui vultum tuum, vultum tuum Domine, Domine requiram. Infra: Spiritus sanctus facere in te duo opera magnificauit. Vnum erat dum dignam te fecit, quæ Dei filium concipere

86

87

88 Ser. 3. in eadem expos.

89 Ser. 4. in eadem expos.

Cant. 4.

Gen. 1.

Psal. 26.

posses,

posses, & parere: alterum quando ex tua carne sancta, carnē filij Dei formauit. Infra:

Cant.7. De te dictum est: Nasus tuus sicut turris libani, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Nasus duo habet foramina per quæ spiritum a capite emittit. Ita tu Domina virginitate, & humilitate tua de cælo eduxisti filiū Dei, spiritu oris nostri, dicente propheta,

Thren. 4. Christus Dominus. Tu similis es turri, celsa videlicet dignitate, firma grauitate. Turris es libani. Libanus mons, qui dicitur dealbatus, altam præ omnibus signat innocentiam

Gen.27. tuam. Tu es ager plenus, plena virtutum, plena gratiarum. Te benedixit Dominus, vt per te benedicta vita veniret, sicut mors per Euam processerat maledicta. Turris es ædificata cum propugnaculis: ab ineunte enim ætate dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem. Quare delectatio iustitiæ, odiumq. iniquitatis, cū quibus creuisti, tua fuere propugnacula. His visis hostibus certe suspecta fuisti. Non enim parum formidabant, ne forte tu esses, quæ & eras, per quam expugnandi erant, & damnan-

Cant. 6. di. Propter quod & terribilis fuisti eis, vt castrorum acies ordinata. Nihil verò omnino proficit inimicus in te, eo quod mille clypei pendent ex te, omnis armatura fortiū. Nihil est enim virtutis, quod ex te resplendeat, & quicquid singuli habuere sancti, tu sola possedisti. Lectulus es Salomonis, quod sexaginta

Cant.3. fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi.

90 IDEM sic ait: Quis dabit capiti meo a-
In tract. de lamentatione virginis Mariæ. quam, & oculis meis fontem lachrymarum: vt possim flere per diē & noctem. Infra: Credo firmiter, quòd ipsa etiā mater Iesu erat inter illas fœminas, quæ ipsum sequebantur ministrantes ei. Nullus debet mirari si sequebatur

Hiere.9. eum, cum ipse esset totus eius dulcor, solatium & desiderium. Hanc etiam arbitror fuisse inter illas dolentes atque gementes, quæ lamentabantur flentes Dominum. Poterat etiam

Lucæ 23. & hæc esse inter illas fœminas filias Hierusalem, ad quas Iesus spinis coronatus, flagellis afflictus, sibi in angariam mortis crucem baiulans conuersus dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Vtinam dolor ille, quem tūc passa es: sic inhæreat visceribus meis sicut inhæsit tunc tuis. Vtinam die, qua assumpta fuisti in cælum, vt in æternum gauderes cum filio tuo: mihi indicares lachrymas tuas, vt per illas cognoscerem quantum tibi amaritudinis fuit, cum Iesum dilectum tibi, heu heu, & parum dilectum mihi, clauis in ligno confixum, capite inclinato suum sanctissimum exhalare spiritum videres. Mihi tamen obsecro lachrymas illas infunde, quas ipsa habuisti in sua passione. Infra: Dic Domina mea, dic mater Angelorum, si in Hierusalem eras quādo filius tuus captus fuit, & vinctus, & in Annæ atrium ductus? Fui in Hierusalem quando hæc audiui, & gressu qualicunque potui, & vix potui, ad Dominum meum veni plorans. Cumque ipsum fuissem intuita pugnis percuti, alapis cædi, in faciem conspui, spinis coronari, & opprobrium hominum fieri; commota sunt viscera mea, & defecit spiritus meus, & non erat mihi pene sensus, neque vox. 91
Erant etiam mecum mulieres multæ plangentes eum, quasi vnigenitum. Cumq. Christus Deus præcone clamante, Pilato imperante, sibi baiulans crucem ad supplicium traheretur: factus est concursus populorum post eum euntium, alij super eum plangentes, alij illudentes, & proijcientes lutum, & fimum super caput eius. Sequebar ego eum, prout poteram quousque peruentum est ad locum passionis, vbi crucifixerunt eum ante me. Et ipse me videns fuit in cruce leuatus, & ligno durissimis clauis affixus. Stabam & ego videns eum, & ipse me, plus dolebat de me, quàm de se. Ipse vero tanquam agnus coram tondente se vocem non dabat, nec aperiebat os suum. Aspiciebam ego infœlix, & misera Deū meum, & filium meum in cruce pendentem, & morte turpissima morientem. Tantoq. dolore, & tristitia vexabar in mente, quod non posset explicari sermone. Nec mirum. Erat enim aspectu dulcis, colloquio suauis, & in cōuersatione benignissimus. Manabat sanguis eius ex quattuor partibus rigantibus vndis. De vultu illius pulchritudo effluxerat omnis, & qui erat præ filijs hominum speciosus forma, videbatur omnium indecorus, quia in illo implebatur illud: Vidimus eum, & non erat *Isa.53.* ei species neque decor. Iste erat dolor meus maximus, quia videbam me deseri ab eo quem genuerā, nec supererat alius, quia mihi erat vnicus. Vox mea fere perierat omnis, sed dolor verba rumpebat: quia verbum iam mente conceptū, dum ad formationem procederet oris, ad se imperfectum reuocabat dolor infimus cordis. Verba donabat amor, sed raucè sonabat, quia lingua magistra vocis vsum perderat loquendi, videbā morientē, quem diligebat anima mea, & tota liquefiebā præ doloris 92
angustia. Flebam dicendo, fili mi, fili mi, væ mihi, væ mihi. Quis mihi dabit, vt ego moriar pro te fili mi? O misera quid faciam? Moritur filius meus, cur secum non moritur hæc mœstissima mater eius? Mi fili, amor vnice, fili dulcissime noli me derelinquere post te, trahe me ad te ipsum, vt & ego moriar tecum. Moriatur tecum ista tua genitrix. O mors misera noli mihi parcere, tu mihi sola præ cunctis places, exaggera vires, trucida matrem, matrem cum filio perime simul. Fili singulare gaudium, vita animæ meæ, fac vt & ego ipsa nunc tecum moriar, quę te ad mortem genui, sine matre noli mori. O fili recognosce misera, & exaudi vocem meam. Decet enim filium exaudire matrem desolatam. Exaudi me obsecro, in tuo me suscipe patibulo, vt qui vna carne viuunt, & vno amore se diligunt, vna morte pereant. O iudæi impij nolite mihi parcere. Ex quo natum meum crucifi-

crucifixistis, & me crucifigite, aut alia morte sæua me perimite, dummodo cum filio meo simul moriar. Vita mea moritur, & solus perimitur, atque de terra tollitur tota spes mea. Cur ergo viuit mater post filium in dolore? Tollite, suspendite matrem cum pignore, non parcitis proli, non parcitis & mihi. Dulce est mihi miseræ mori, sed mors optata recedit, ò fili charissime, ò benignissime, miserere matri tuæ, & suscipe preces eius. Define mihi nūc esse durus, qui cunctis semper fuisti benignus. Nihil mihi dulcius est, quàm te amplexato in cruce tecū mori, & nihil certè amarius, quàm viuere post tuam mortem. Tu mihi pater, tu mihi mater, tu mihi filius, tu mihi sponsus, tu mihi anima eras. Nunc orbor patre, nunc 93
viduor sponso, desolor filio, omnia perdo. Dicit ei Dominus: ò mater charissima, mollis ad flendum, tu scis, quia ad hoc veni, vt per crucis patibulum saluarem genus humanum. Congratulare mihi, quia nunc inueni ouem errantem, quam tam longo tempore perdideram. Moritur vnus, vt totus inde reuiuiscat mundus. Quod placet Deo patri, quomodo displicet tibi? Mater dulcissima, calicem, quem dedit mihi pater, non vis, vt bibam illum? Noli flere mater spetiosissima, non te desero, tecum sum, & tecum ero omni tempore sæculi. Quare tristaris, si illuc ascendo, vnde & descendi? Et quo ego vado, tu non potes venire modo, venies autem postea. Infra: Vulnera Christi morientis, erant vulnera matris dolentis. Exclamans Iesus magna voce, expirauit. Tunc terra tremuit, petræ scissæ sunt, & luminaria obscurata. Cogitare nunc libet quantus dolor tunc infuit matri, cum sic dolebant, quæ insensibilia erant. Nunc soluis virgo cum vsura dolorem, quem in partu non habuisti. Dolorem pariendo filium non sensisti, quem millies replicatum, filio morienti passa fuisti. Expectans corpus Christi deponi plorabat, dicens: Heu me, heu me, redde, vel saltem nunc mæstissimæ matri extinctum filium. Vel certè, si magis libet me morte illi coniungite, vt cum doloribus suis pereant, & dolores mei. Deponite illum quæso, deponite mihi, vt mecum habeam corpus exanime, sitque meus vnicus mihi in solatium, vel defunctus. Stabat iuxta crucem Maria, intuens vultu benigno Christum pendentem in patibulo, pedumque summitatibus innitens, manus leuabat in altum, amplectens rubricatam crucem, ac in oscula eius ruens ea parte, qua vnda pretiosissimi sanguinis defluebat. Sursum manus nisu, quo poterat, ex- 94
tendebat, vnicum suum amplecti desiderans, nec valebat. Sperat enim amor multa, quæ nunquam, vel raro fieri possunt. Impatiens siquidem amor credit, quòd sibi debeant cedere vniuersa. Volebat amplecti Christum in alto pendentem. Sed manus frustra protensæ, in se complosæ redibant. Tanquam mortis pallor eius vultum perfuderat, genis, & ore tantum cruore Christi rubentibus, candentes guttas sanguinis ore sacro tangebat, terram deosculans sæpissimè, quam cruoris vnda rigabat. Facies pallet rosea, sed pretioso filij sanguine rubet respersa. Cum deponerent Christum e cruce, Ioseph, & Nicodemus vnus diros clauos trahebat e manibus, alius, ne corpus exanime caderet, sustentabat. Stabat & Maria brachia leuans in altum, vulnera contemplans, manus perforatas, sacroque sanguine respersas intuens, vix sustinere se potuit. Iamque manus, & brachia, & caput, supra triste pectus suscepit, vt hoc vltimo, & miserando solatio posset consolari. Quem, vt attingere valuit amore materno ruens in dulcissimos amplexus, & oscula, de suo sic male tractato filio non poterat satiari. Stabat ad caput extincti filij mœstissima mater, & eius regalem faciem, mortis obfuscatam palloribus, magna rigabat affluentia lachrymarum. Aspiciebat illud reuerendissimum caput coronæ spineæ diris aculeis perforatum, manus illas, & pedes sacros clauis ferreis crudelissime perforatos, latusque suffossum lancea cum ceteris membris laceratis, & amarissime suspirans, ac flens, dicebat: O fili mi dulcissime, quid feci- sti? In gremio meo nunc te mortuum teneo. Væ mihi, fili mi, dulcedo mea, consolatio mea. Vbi est illud gaudium indicibile, 95
quod in tua admirabili natiuitate habui? Væ mihi, fili mi, in quantum dolorem, & tristitiam versum est illud magnificum gaudium? Interim autem frontem, & genas, oculos, osque simul frequentius osculabatur, tanta perfluens affluentia lachrymarum, vt carnem cum spiritu resolui putares in lachrymas. Rigabat fœlicibus lachrymis corpus exanime, fili, & monumentum in quo posuerunt, eum modo mirabili madidabat. Cogitabat mirabilia facta vnici sui, & durissima opprobria, & tormenta, quæ viderat, reuoluebat in mente. Quis videlicet, qualis, ac quantus fuerat, quem ipsa virgo concepit, illæso pudore, & peperit sine dolore, quem humana diligentia lactauerat, qui erat ei vita, dulcedo, gaudium, & auxilium vitæ suæ. Non credo plane enarrari, vel meditari posse dolorem virginis, nisi tantum fuisse credamus, quantum vnquam dolore potuit de tali filio talis mater. Erant ibi mulieres, & viri pauci dolentes, & Angeli dolentibus condolentes. Flebant & astantes (vt arbitror) amarissime mente turbati, videntes dominam suam matrem vtique Dei sui tam vehementi dolore repletam, tot riuulis affluentium lachrymarum perfusam. Videbant Christi corpus sic male tractatum ab impijs, sic laceratū a pessimis iacere exanime suo sanguine cruentatum. Et quis poterat tunc a lachrymis se abstinere? Credo, quia dolebant Angeli, si dolere valebant. Fiebat mœror, & luctus ab Angelis ibidem præsentibus, qualis decebat spiritus al-

mos. Immo mirarer si omnes Angeli in illa beatitu dine, vbi flere est impossibile, nõ fleuissent.
96 Sicut enim fuit possibile Deum per assumptã humanitatem mori, ita forte possibile Angelos bonos dolere de morte Domini Dei sui. Sepultus est Dominus, & tunc Angelorum millia millium, qui ad Christi sepulchrum conuenerant, dulces ei ac deuotas exequias, & victoriã decantabant. Dũ igitur Ioseph, & Nicodemus Dominum ponerent in sepulchro, volebat simul cum illo mater mæstissima sepeliri. Erat enim innixa super dilectum suum, quem amplectens, suauiterq. deosculans, sic dicebat: Miserere mini mei, miseremini mei, saltẽ vos amici mei. illum adhuc paululum mihi relinquite, vt faciẽ ipsius sublato velamine valeam contemplari, & præ amore ipsius aliquantulum videndo cõsolari. Nolite quæso eum tã citò tradere sepulturæ, sed ipsum reddite mihi miseræ matri suæ, vt illum mecum habeam saltem vel defunctũ, aut si illum in sepulchro recõditis, ibidem me cum ipso sepelite: quia male post ipsum superero. Ipsi eum tradebant sepulturæ, & virgineo compatientes dolori pio desiderio coacti, sic amarissimè flebant, vt nullus eorum posset ad plenum verba formare. Videbãt etenim piam matrem omni quidem solatio destitutam, & super ipsam potius, quàm super Dominum suum extinctum plangebant. Sepulto itaque Domino, mater eius sepulchrum amplectitur, illisq. tribus diebus vsque ad resurrectionem flens, mansit Hierosolymis in domo Ioannis Euangelistæ, recogitans acerbissimam Christi mortẽ, cunctos quoque dolores, quos passus est pro nobis. Consuetudinem sequentes communem, nunc huic capiti finis imponendus erat. Sed quia beatæ virginis laudes prosequi, & dictantibus, & legentibus gratissimum est, diuiniq. verbi cõcionatoribus admodum necessarium, ea propter, quæ sequuntur, addenda censui.

97 RVPERTVS ABBAS explicãs verba illa; Osculetur me osculo oris sui, sic ait: Quæ est ista exclamatio tam magna, tam repentina? o beata Maria, inundatio gaudij, vis amoris, torrens voluptatis, totam te operuit, totam te obtinuit, penitusq. inebriauit, & sensisti, quod oculus non vidit, nec auris audiuit, & in cor hominis nõ ascendit, & dixisti, osculetur me osculo oris sui. Dixerat tibi Angelus: ecce cõcipies, & paries filium, & vocabis nomen eius Iesum. Et rursum: Spiritus sanctus superueniet in te, quod nascetur ex te sanctum vocabitur, filius Dei. Nonne hoc verbum Angeli sponsio erat iam imminentis osculi oris Domini? Deus pater te osculatus est osculo oris sui. Longè minoris gratię quęlibet anima, dum datum optimũ, & donum perfectũ concipit desursum descendens a patre luminum, taliter afflatur, talemq. intus in semetipsa persentit osculantis attactũ, vt dicere non dubitet, nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum. Quanto magis tu o beata in perceptione doni singularis, dum Spiritus sanctus superuenit in te, reuelationem hu

Lib. 1. in c. 1. Cantic. to. 2.

Lucæ 1.

Iacobi 1.

1. Cor..

iusmodi accepisti? Profectò anima tua liquefacta est, vt dilectus locutus est, scilicet Deus pater locutione admirabili, locutione ineffabili, dum substantiam verbi sui cum illo amore suo Spiritu sancto, tuę mẽti, tuo ventri penitus insereret, in quo nec primam similem visa es, nec habere sequentẽ. Quia meliora sunt vbera tua vino. Infra: Fragrãtia vnguentis optimis. In Isaia loquitur ipse Deus: Audite me domus Iacob, & reliquiæ domus Israel, qui portamini a meo vtero, qui gestamini a mea vulua. Ergo & vbera rectè dicitur habere. Quid ergo per vbera eius, nisi dulcedinem eius intelligimus? Et quid est dulcedo eius, nisi Spiritus sanctus? Talis dulcedo pulchrè in duo vbera discernitur, quia duo sunt data eiusdẽ Spiritus sancti. Alterum datum est in remissionem peccatorum, cuius videlicet dati vbere nullus ante hanc beatã virginẽ lactatus est sanctorũ sicut illa. Alterum datum est in aduersarũ distributiones gratiarum, quo videlicet vbere lactati veteres Sancti & prophetauerunt, & multa miracula operati sunt. Vtrorumq. huiuscemodi vberum lętificata dulcedine ineffabili, dũ cõcipis, o virgo beata, dum Spiritus sanctus superuenit in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, quibus duabus clausulis iam dicta significantur duo data Spiritus sancti. Vnde quid aliud diceres, nisi meliora sunt vbera tua vino fragrãtia vnguẽtis optimis? Nõ fueras experta vinũ huius sæculi, vinũ voluptatis carnalis, sine cuius ebrietate nulla vnquam mulier præter te cõcipere potuit, aut poterit, & tamẽ dijudicare nosti, quàm melior, & vehementior, dulcior, atque fortior esset voluptas, siue amor Dei, in quo concepisti, sine dubio potata illo torrente voluptatis Dei. Ante faciem huius amoris nullum peccatũ stare potuit, ante faciem huius ignis stipula omnis interijt, vt totum sanctum fieret habitaculum, in quo Deus nouẽ mensibus habitaret domũ æternam sibimet ædificaret. Et quia cum tanta dulcedine amoris, pretiosa plenæ gratiæ simul infusa sunt charismata, quæ ceteris ab eodẽ Spiritu dispertiũtur sanctis, recte vbera illa dixeris fragrantia vnguentis optimis. Infra: Trahe me post te, curremus in odore vnguentorum tuorum. Trahebatur post Dominum fœmina desideriorum, trahebatur, & currebat in odore vnguentorum, & ipsum currere, id est, in montana cum festinatione abire, erat dicere: trahe me post te. Nam qui veraciter diligit, & trahitur, & trahi cupit. Cum igitur trahere-tur, siue vt tracta est, & cucurrit quid dixit? Introduxit me rex in cellaria sua. Per aspirationem Spiritus sancti in mente eius redundantis, in ventre eius iam operantis, hoc ~~dixit~~ cognatæ suæ Elisabeth, & infanti, qui erat in ventre illius iam mensibus sex, Et nõ reuelauit secretũ suum Maria cuiquam, vt diceret quid fecisset sibi Deus, nisi ei, cui prior ipse Deus reuelauit. Vnde Euangelista dicebat: Maria cõseruabat omnia verba hæc conferens in corde. Nec prius aliquid cognatæ suæ manifestauit, quam

Cant. 6.

Cant. 1. 98

Cap. 46.

Cant. 1.

Cant. 1.

Luc. 2.

quam illa diceret: Benedicta tu in mulieribus, &c. Introduxit me rex in cellaria sua. Et quæ sunt illa cellaria regis Dei? Nimirum sacra mysteria quæcunque continentur in scripturis sanctis. Rex cæli, & terræ introduxit me in cellaria sua. Nihil enim a me abscondit, sed omni dulcedine sua me inebriauit. Qui enim verbũ suum, quod erat, & est in corde suo, mihi totum infudit, quomodo nõ etiam cum illo mihi omnia donauit? Non enim introductio qualiscunque debet intelligi, sed introductio cum iure posidendi, sicut ius est sponsam legitimam post matrimonium in dotem suam, introduci.
Luca 2. Quid ad hæc Elisabeth, cum istud intus aure cordis percepisset? Exultabimus, & lætabimur in te. Hoc verè dixit, cum dixit, vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Iam enim incipimus ego & infans in vtero meo exultare in gaudio a voce salutationis tuæ. Ex hoc & nos, & qui venturi sunt post nos lætabimur in te, & cantabimus, dicentes, quia Eua nos fecit plorare, Maria nos fecit exultare. Infra: Pulchræ sunt genę tuæ, sicut turturis, collum tuum
Cant. 1. sicut monilia. Pulchritudo tua, pudicitia est, quæ multum apparet, & lucet in genis tuis, quia non foris vagaris oculis, sed soliuaga, & auis castissima turtur, solitudine delectabaris, & solitariam te Angelus inuenit, atque salutauit. Non ita pulchræ sunt genæ mulieris, qualem sapientia denotat, ornatu, inquiens, meretricio præparata ad capiendas animas garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Verum, vt taceam de huiusmodi pudicarum omnium virginum viduarum, atque continentium pudore, siue pudicitia, religiositas, aut verecũdia, tuis genis, tuis oculis comparata, non est verecundia, non est pudor, & vix meretur dici pudicitia. Adde quod collum tuum sic est sicut monilia. Sicut enim monilia muniunt matronarum pectora pudica, vnde & dicuntur monilia eo quòd pectus muniant, ne quis extraneus manum suam injiciat, ita & collum tuum munit verba tua, nõ solum ne quid otiosum aut noxium, siue inordinatum per vocem erumpat, verum etiam ne ipsum bonum tuum, secretum tuum, diuinum mysterium tibi credi
Cant. 1. tum, leuiter viam vel vocem inueniat, vt auris aliena, quæ id non capit, intelligat. Verè igitur pulcherrima mulierum, pulcherrima in genis, pulcherrima in collo, idem tam oculorum quàm verborum tuorum moderamine decentissimo. Infra: Dum esset rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum. Rex in accubitu suo, verbum est in sinu patris. Et dum ita esset, nardus mea dedit odorem suum, & odore delectatus descendit in vterum meũ. Olim in Eua malo superbiæ fœtore offensus, & ob hoc ab humano genere auersus fuerat, nũc autem delectatus bono odore, nardo humilitatis meæ, sic ad genus humanum conuersus est. Propterea nardum meam dico humilitatem meam: quia sicut nardus herba aromatica paruo quidem frutice vel parua spica nequaquam in altum se subrigit, sed comosa atque odoratissima flore optimi odoris multis vsibus probatur vtilis, sic humilitas mea suo quidem arbitrio, vel iudicio parua res est, sed iudicio regis pretiosior est cunctis opibus legis, in quibus homines iusti sibi videntur, atque magnifici, ipsumq. Deum vnicè dilectat, velut suauis odor qualis quantusq. de nullo vnquam spirauit, vel spirare potuit sacrificio. O amica, hoc ego experta sum. Humilitatem meã de illo accubitu suo sensit, & respexit, & valde delectatus est, & placuit sibi quòd in isto sexu a quo initium superbiæ generi humano superueniens, totam massam corrupit, humilem Abraham, & Dauid respexit, & illis promisit *Gen. 18.* iuramento facturum se hoc mysterium. Vidit *1. Reg. 14* rex quod requiescere posset in suauitate animæ quietæ, descenditq. de illo accubitu suo, & requieuit in tabernaculo meo. Infra: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engadi. Dilectus meus fasciculus myrrhæ mihi, quia moriturus est, & botrus cypri erat, quia resurrecturus. Botrus, inquam, cypri, videlicet terræ, vel insulæ botros prædulces, vinumq. optimum afferentis. Talisq. est iustis Christi resurrectio. Infra: Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra decore virgineo, & iterum pulchra vnigenito filio. Taliter geminata nullius vnquam fuit, nullius vnquam erit pulchritudo. Ecce addo istud pulcherrimũ, oculi tui colum- *Cant. 1.* barum. Quinam sunt oculi columbarum, nisi dona septem gratiarum, id est, septem spiritum. Isti sunt oculi sponsi, vt Isaias dixit: Et sunt etiam oculi sponsę, oculi columbarum, oculi omnium gratiarum, quarum beata est particeps, ex quo filium Dei castis visceribus *Coloss. 2.* suscepit, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Infra: Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Fere in omnibus dilectam honore præuenit dilectus, vtpote matrem filius. Ille mihi: ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, & ego illi, ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Ille mihi: sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, & ego illi, sicut malus inter ligna siluarum, sic dilectus meus inter filios. Quid de hoc censetis? Nonne cũ ille Deus, & homo sit, debuerat ab homine modis omnibus honore præueniri? At ille in hac disciplina totum principatum posidebat. Ille namque sicut in ceteris, ait Maria, ita in consideratione mei seipsum humiliauit quodammodo, non considerans, quòd ipse esset Deus, sed considerans, quòd ego essem mater, & ipse filius. Superiorem sibi arbitraba- 102
tur, quemadmodum & Euangelista vult intel- *Lucæ. 2.*
ligi, cum dicit: & descendit cum illis, & erat subditus illis. Dicis mihi: ecce tu pulchra es, & ego dico tibi: ecce tu pulcher es. Ex quo ego pulchra facta sum, ex eo tu, qui semper pulcher fuisti, pulchrior factus es. Nam vere in eo pulchritudinem tuam adauxisti, quod cum Deus

esses: homo dignatus es fieri. Hinc tu pulcher, & decorus: ita pulcher, vt sis ipsa substantia pulchritudinis: ita decorus, vt sis ipsum decus humani generis. Verè ergo dicis mihi, ecce tu pulcha es: & dico tibi, ecce tu pulcher es, quia tu pulchritudo mea es. Quod ergo pulchra sum, totum tibi attribuendum est. Neque enim virga floris, sed flos virgæ pulchritudo est. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Occisus est Christus & sepultus, resurrexit, & ascendit in cælum. *Phil. 1.* Scitis autem quicumque amici estis quicumque illum diligitis, scitis quia quisque vestrũ dicit, cupio dissolui, & esse cum Christo. Quãto magis ego, quæ illum genui cum illo esse cupio? Reuera non quomodocumque cupio, sed & amore langueo. Igitur fulcite me floribus, stipate me malis. Hæc mihi sit consolatio. Amore languens pro absentia dilecti, vnde possum consolari nisi ex eo, vt credatis, & credentes vitam habeatis in nomine eius ò populi vniuersi? Credendo fulcite me floribus, bene operando, & fructum vitæ æternæ percipiendo, stipate me malis. Hæc mihi sit consolatio. Ita enim fiet, vt non lassescam fatigatione dilationis. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. In hoc læua eius sub capite meo, quod interim dum differor floribus vestris fulcior, malis vestris stipata sum: quia vester profectus, vestra salus meum est gaudium, & nihilominus quidem amore langueo, sed in isto consolata sum. Læua eius sub capite meo, dum in hoc exilio viderim reflorescere mundum Ecclesijs, Euangelium vbique prædicari, multiplicari credentes. Hæc est consolatio magna: sed minor desiderio meo. Ideo dextera eius amplexabitur me: cum me de præsenti sæculo eduxerit, & assumpserit me ad se ipsum in beatitudine.

103 IDEM explicans verba illa; Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, ait: Tu Maria es amica mea per humilitatem, columba mea per charitatem, formosa mea per castitatem. Veni ergo Maria, & contere caput serpentis. Surge, propera, & veni. Surge per fidem, propera per spem, veni per charitatem. Infra: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Quomodo dilectus meus mihi, & ego illi, nisi sicut per prophetam dictum est: Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel; butyrum, & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum? ita enim ille mihi, ita & ego illi. Infra: Pascitur inter lilia donec aspiret dies & inclinẽtur vmbræ. Quænam sunt lilia nisi amicus dilecti Ioseph, & ego dilecta, cui dicit: Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. Verè ambo lilia pro virginalibus nuptijs & cohabitatione castissima. Inter huiusmodi lilia pascitur dilectus. Infra: Reuertere similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloq, ceruorum; super montes Bethel. Cito reuertere in tua resurrectione, noli moras facere, quia anima mea desiderat te. Scio quidem, quia cito reuersurus es, iuxta illud propheticum: Viuificabit nos post duos dies; in die tertia suscitabit nos. *Osee 6.* Tridui quidem tempus breue est; sed dilectæ & columbæ tuæ desideranti, & gementi vulnerata mente, nõ satis dilecte mi festinatum est. Abbreuia hoc ipsum triduum, & similis esto in reuertendo capreæ, ideſt velocissimus esto ad peragendum cursum tuum. Infra: In lectulo meo per noctem quæsiui quẽ diligit anima mea. Quanto vicinior iste dilectus habetur tanto vehementius desideratur. Qui habent habere desiderant, qui vident videre desiderant. Nam Angeli vident, & tamen dicente Scriptura: Desiderant in eum prospicere. Ego autem non vtcumque habui, aut vidi eũ: sed in vtero gestaui, & genui eum, & lac prębui diligenter contẽplata sum. Quid putatis quot noctes duxi peruigiles videndo & audiendo eum? Non enim sufficiebat dies ad tantum desiderium, sed totis noctibus in lectulo meo, in cubiculo meo peruigil fouebam, & adorabam paruulum, audiebam & adorabam iam adultum: cum inter dulcia colloquia per oculos suos, oculos corporis transfunderet mihi suæ diuinitatis aspectum. Ita in lectulo meo habui eum: sed deinde contigit mihi, vt ibi non inuenirem eum. Itaque desiderio quærebam eum, & non inueniebam: vt solitaria possiderem solitarium.

IDEM explicans verba illa; Quæ est ista, quæ ascendit, per desertum. Sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, ait: Humilitas tua est, ò ancilla Domini beata Maria quam tali admiratione Spiritus sanctus collaudat, odor tuus, odor humilitatis tuæ præcipuus ascendit ad eum, vt vere sacrificium contribulati spiritus. Quid enim est fumus, & quid puluis, nisi spiritus lachrymosus, & conscientia valde humilis? Et sua quidem æstimatione vera humilitas est fumus innoxius quasi cremij sui torris obusti, & puluis terræ sine aqua & sitientis iuxta illud: Quia defecerunt sicut fumus dies *Psal. 101.* mei: & ossa mea sicut cremium aruerunt. Et sicut Abraham dixit: Loquar ad Dominum *Gen. 18.* meũ cum sim puluis, & cinis: sed non ita æstimatione Dei. Aliter & melius ille te discernit. Tu dicis puluis sum terræ, qualem ventus dispergit, aura tollit: ille dicit, non, sed puluis pigmẽtarius, puluis myrrhę, & thuris, qualem pigmentarius Spiritus sanctus conficit ex optimo thure, quod est suauitas mentis, & ex myrrha probatissima, quod est mortificatio, siue incorruptio carnis. Tu dicis, fumus ego sum teter coram diuinis oculis, qualis de camino, siue de fumario deficiens ascendit, ascendens deficit: & ille dicit, non, sed fumus ex aromatibus myrrhæ & thuris, qualem decet ascendere de aureo thuribulo ante altare aureum vsque ad oculos, & olfactum Domini. *Apoc. 8.* Talis fumus, immò talis fumi virgula. Tu beata Maria suauem odorem spirasti Altissimo cælestibus

lestibus disciplinis erudita, atque extenuata. Talis ascendisti per desertum, id est, animam habens valde solitariam. Quę est ista, quæ talis ascendit per desertũ? Digna est exclamatio, & admiratio vere mirabilis, & illi multum dissimilis quæ descendit per paradisum, cecidit de paradiso. Non gracilis per humilitatem, sed nimis grossa, & rigida per mentis tumorem. Et vt videas quanta sit Domino cura de illa subdit: En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel. Vniuscuiusq; ensis super fæmur suum propter timores nocturnos. Quis enim est lectus vere, & veri pacifici regis Salomonis, qui inter nos, & Dominum pacem composuit, nisi illa, in qua diuina natura humanam sibi naturam coniunxit. Et quis ille est, nisi vterus tuus dilecta dilecti, vterus vir- *Psal. 18.* ginalis, in quo Deus carnem accepit, tanquam sponsus procedens de thalamo tuo? Quomodo talem tanti Salomonis lectulum sexaginta fortes ambiunt, nisi quia viri bellatores ingentes in populo Israel propugnauerunt contra Babylonios, Persas, Medos, & quorum manibus serpẽs antiquus obsistere volebat Dei proposito, ne impleretur promissio, ne collocaretur hic lectus, siue thalamus, ne esset deletis Iudæis, vn de nasceretur hæc beata, & dilecta virgo, de cuius vtero procedere oportebat dilectum tanquam sponsum de thalamo suo? Isti erant timores nocturni, quos dicit hoc modo vniuscuiusque ensis super fæmur suum propter timores, quos habebant, ne ablatis Iudæis Mariæ ortus tolleretur de medio, & sic Deus homo non fieret. Dicunturq. ad bella doctissimi, quia cum *Dant. 4.* bellarent, causam præ oculis habebant huiusmodi. Infra: Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra, oculi tui columbarum, &c. O pulchritudo admirabilis, quàm sic admiratur, & collaudat pulcherrimus auctor, pulchritudinis septem præconijs. Considerauit oculos, capillos, dentes, labia, genas, collum, & vbera, & pro singulis dilectis singula decantauit dignæ collaudationis capitula. Quid in te, o dilectissima dilectarum laudatur a dilecto laudabili, quem laudat omnis chorus Angelorum? Laudatur simplicitas, munditia, innocentia, doctrina, verecundia, humilitas mentis, & carnis integritas, siue incorrupta virginitas. In oculis simplicitas, in capillis cogitationum tuarum munditia, in dentibus innocentia, in labijs doctrina, in genis verecundia, in collo humilitas in vberibus tuis admiranda cum fœcunditate virginitas. Infra: Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Simplicitas columbarum, septem habet insignia virtutum naturalium. Hæc namq; auicula primum sine felle est, deinde nihil vitiũ comedit, pullos alienos nutrit, grana semper candidiora colligit, in petris nidificat, gemitum pro cãtu habet, libenter iuxta fluenta residet, vt venientem accipitrem ex vmbra prænoscitum effugiat perniciter. Tum maximè ò misericordiæ mater sine felle es, nihil enim vnquam habuisti inuidiæ, nihil odij, nihil viuum columba come dit, & tu longe ab illis es de quibus scriptum est, qui deuorat plebem meam, vt escam panis. Pullos alienos columba nutrit, & nos, qui eramus alieni, ecce viuimus tuis meritis. Grana candidiora columba colligit: & tu conferes in corde tuo de scripturis, creditum tibi conseruabas secretum Dei. Columba in petris nidificat, & tu in soliditate fidei permanens euasisti serpentis antiqui venena. Columba gemitum pro cantu habet: & tibi gemere dulce fuit, eo quod præ cunctis mortalibus mente vulnerata esses. Columba iuxta fluenta residet, tibi autem vel tuo pectori omne fluentum scripturarum quàm contiguum est? Nunquam aduentus spiritualis accipitris esse improuisus, aut te consequi, immò nec tibi appropinquare potuit. Igitur oculi tui columbarum, & hæc vera pulchritudo est, absque eo quod intrinsecus latet, quod solus in te Deus videt, nobis autem quia inexpertum, idcirco ineffabile, immo & incogitabile. Si enim quispiam dixit raptum se in paradisũ, siue in corpore, siue extra corpus, *2. Cor. 12.* audieritq. arcana verba, quæ non licet homini loqui, quanto magis tu regina cælorum perspæpe cælestibus interfusti, & inter hæc didicisti, & assecuta es aliquid quod latet, & latere nos debet? Infra: Capilli tui sicut greges capra- 107 rum, quæ ascenderunt de monte Galaad. Gre- *Cant. 4.* ges caprarum rationalium tunc apparuerunt, quando Prophetæ circuierunt in melotis, & in *Heb. 11.* pellibus caprinis egentes angustiati, &c. Capilli tui similes sunt gregibus istis. Nimirum cogitatus tui subtilissimi in eo fuerunt, vt fugeres ad desertum gentium propter sanguinem, quẽ synagoga multum effudit; sicut illi in solitudinẽ, fugerunt propter sanguinem, quem Iezabel *3. Reg. 18.* primum fudit, interficiens Prophetas Domini. In hoc similes illis gregibus capilli tui. Sicut illi, immo plusquam illi omnes cogitatus tui, omnis meditatio tua solitudinem, & requiem in omnibus quęsiuit procul a tempestatibus iudaicis. Hæc similitudo in capillis non solũ propter illa, quæ iam dicta sunt, verum etiam quia tu quoq; longũ in cogitationibus tuis prescia futurę passionis filij tui pertulisti martyrium. Sicut illi diu egentes, angustiati, afflicti. Dentes tui sicut greges tonsarũ, quæ ascenderunt de lauacro. Omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Pulcher ordo, primũ oculi, & post oculos capilli, post capillos dentes laudantur innocui. Dentes tui ò amica mea sicut grex tõ sarũ, quæ ascendunt de lauacro. Greges tonsarũ vellera deponentes facultatũ omnes gemellis fœtibus, præcepta seruantes, & consilia. Horum innocentiam Maria sibi proponit cũ eiusdẽ innocentiæ magistra sit multo excellẽtior illis ouibus. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuũ dulce. In eo sicut vitta coccinea labia tua, quod sermo tuus a veritate non discordat. In labijs tuis confessio, & pulchritudo est, *Psal. 95.* in labijs tuis sanctitas, & magnificẽtia est. Vitta coccinea charitas est ignea, qua bene cum Deo ligata sic Deo adhæsisti, vt vnus cum Deo spiritus sis. Hinc eloquiũ tuum dulce, quia ex

1.Cor.6. abundantia cordis os loquitur,& dulcedinem, quę abundat interius ſapit ſermo qui redũdat exterius. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ abſq; eo quod intrinſecus latet. Malum granatum, malum punicum dicitur, eo quod ex punica regione ſit eius genus translatum. Ita, inquit, genæ tuæ, ſicut fragmen mali punici id eſt, verecunda es, ſicut decet virginem longe
Hier. 3. diſsimilem filiabus illis, de quibus dicitur: frõs mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere. Fragmen mali punici, & rubet, & amplius quàm integrum malum redolet. Sic tu & ſingulariter verecunda es, & multis per bonã opinionem in bono exemplo proficies. Quid autem eſt dicere abſque eo quod intrinſecus latet, niſi & illud quod intus in conſcientia latet, amplius laudabile eſt? O verè laudabilis verecundia, vbi & intus conſcientia munda, & foris facies verecunda eſt. Nam vbi eſt aliquid, quo mens erubeſcat, non adeo laudabile eſt, ſi conſpectam faciem rubor perfundat. Et hæc virtus malo punico debuit aſsimilari, quia gratioſa eſt intuentium oculis, & interdum ſuo ſilentio non minus ædificat, quam ſermo prædi-
Exo. 28. cationis. Vnde in tunica pontificis deorſum ad pedes eiuſdem tunicæ: Facies (inquit Dominus ad Moyſen) per circuitũ quaſi mala punica ex hyacinto purpura, & cocco bis tincto, mixtis in medio tintinnabulis, ita vt tintinnabulum ſit aureum, & malũ punicum, rurſumq. tintinnabulum aureum, & aliud malum punicum, & veſtietur ea Aaron in officio miniſterij, vt audiatur ſonus quando ingreditur, & egreditur ſanctuarium, & non moriatur. Malum punicum in medio tintinnabulorum religioſum, atque operoſum eſt ſilentium maxime ſexus fœminei in ſocietate prædicatorum, qualis tu præcipue fuiſti virgo virginum in adiutorio, vel etiam regimine prædicantium Apoſtolorum, cuius etſi verba non leguntur, vel audiuntur, opera tamen, vel merita non ignorantur, non minora, immo maiora tinnitu prædicantium. Collum tuum ſicut turris Dauid, quę
109 ædificata eſt cum propugnaculis. Turris Dauid humilitas eſt illius, per quam ille coram Deo fortis, & contra homines ſtetit inexpugnabilis. Hæc turris ædificata eſt cum propugnaculis, ex qua mille clypei pendent, id eſt, hanc eius tantam humilitatem ceteræ virtutes conſecutæ ſunt. Ita humilitas Mariæ tam fuit potens, vt nec diabolus, nec hæreticus poſſet contra illam. Duo vbera tua, ſicut duo hynnuli capreę gemelli, qui paſcuntur in lilijs, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. O vbera verè gratiſsima, atque pulcherrima manu altiſsimi formata. Hæc ſunt virginitas, & fœcunditas tua. Nunquam viſum eſt ſimile huic in montibus, & collibus noſtris, ſed neque videbitur in ſæculis ſuperuenturis, vt vni capræ fiant duo tales hynnuli gemelli, vt vni fœminæ contingat, quatenus eiuſdem vberibus, & filium lactet & virgo ſit. Videte, & congratulamini, quia capreа hæc fœmina, hæc per montes exilit, dum cæleſtibus, vel ſupernis animo intendit. Gemel la hæc plena gratiæ dona ſẽliciter apprehendit, vt & mater & virgo ſit. Infra: Veni de Libano, veni coronaberis, vt & in cælis regina ſanctorum, & in terra regina ſis regnorum. Vbicumque enim prędicatum fuerit de dilecto tuo, minuiſti eum paulominus ab Angelis, gloria, & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eũ ſuper opera manuum tuarum, prædicabitur & & de tẽ, quod ſis ò dilecta, & mater huius coronati, ac proinde regina cælorum, totum iure poſsidens filij regnum, atque hoc intuitu reges atque imperatores coronis ſuis te coronabũt, palatia ſua nomini meo ſacrabunt, honori tuo dedicabunt, vt deſinant eſſe, quod fuerunt, mõtes pardorum cubilia leonum. Vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quis talis in hac re vt tu, ò dilecta, quam ſolam præ cunctis amantibus, totam occupauit, totamq. poſsidet amor dilecti? Per fidem ſoror mea, per Spiritum ſanctum amorẽ verum ſponſa mea, in hoc vno oculorum tuorum, hoc eſt, in aſsiduis precibus vulneraſti cor meum, vnde & viſcera mea ſuper te continere ſe non potuerunt. Nec verò ſolummodo in hoc vno oculorum tuorum vulneraſti cor meum, ſed & in vno crine colli tui, id eſt, in nimia humilitate cordis tui, quem videlicet crinẽ ſemper vnum vidi, quam humilitatem ſemper vniformem, & indeficientem eſſe conſpexi. Iſte eſt 110 crinis colli, humilis cogitatus mulieris caput non habentis, caput inquam, id eſt, virum, neque habentis, neque habere volentis. Nam caput mulieris vir. Tu capite iſto te indignam iudicaſti: quia votum egregium prima Deo vouiſti, votum virginitatis. Attamen ſponſi nomen admiſiſti, & inter hæc vnum oculorum tuorum, & illum crinẽ iam dictum colli tui, magis ac magis in me fixiſti, fide fortis, ſpe ſtabilis, charitate immobilis. Vnum illum crinem tuum, ſcilicet ſpiritum humilem, & contribulatum in me ieciſti, veluti ſpiculum præacutum, & vulneraſti cor meum. Infra; Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel, & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum ſicut odor thuris. Parum erat, quod dixi ſupra, & eloquium tuum dulce, quia nimis parum eſt dulcedinem eſſe in eloquio, niſi dulce ſit etiam cor. Tu dulcis in ore, dulcis & in corde. Hoc eſt, quod nunc dico, fauus diſtillans labia tua, ſubiungens mel, & lac ſub lingua tua, id eſt, in anima tua. Fauus tuus ego ſum, mel tuum, & lac tuũ ego ſum, quia Deus tuus, & filius tuus ego ſum. Hoc tua ſentit anima, hoc tua ſonant labia. Aliud loqui non potes, quàm id quod in pectore habes. Ex abundantia cordis labia tua loquuntur. Et odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris. Quid de pannis dicam, quibus me inuoluiſti, & in præſæpio reclinaſti? Nimirum id quod verum eſt, quod odor veſtimentorum tuorum, ſicut odor thuris. Omnium namque veſtimentorum ſcilicet bonorum operum tuorum, quę in me materna, & pluſquam materna charitate operata es, panni illi primitiæ fuerunt. Et quia cuncta quæ tunc in me, vel tũc

propter

propter me operata es, de magno, & inualido charitatis igne cum grauitate humilis venerunt, recte dixerim ego, quia odor veſtimentorum tuorum ſicut odor thuris.

111 IDEM exponens verba illa; Hortus conLib. 4. in Cantica. cluſus ſoror mea ſponſa, comparat beatam virginem paradiſo illi terreno, in quo Adam conditus eſt, de qua produxit omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue. Lignum etiam vitæ in medio paradiſi, iſtam terram benedixit, & ex ea cunctarum germina gratiarũ, & cunctarum exemplaria virtutum produxit. Infra: Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum myrrha, & aloe, id eſt quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quid quid aperationum cæleſtium mundus accepit, emiſsiones tuæ ſunt, vt vbi erant prius ſpinæ, vepres, carduus, vrtica, & paliurus, ibi ſit cyprus cum nardo, &c. Infra: Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Sicut enim in initio fons aſcendebat e terra, irrigans vniuerſam ſuperficiem terræ, & fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandũ paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita, ſic ex te ò amica, ò terra benedicta, fons ille aſcẽdit, qui apud Deum erat, & in te puteum fecit. Aſcendit ad irrigandam ſuperficiem terræ, ad inſtruendam, & excolendam Eccleſiam per vniuerſum orbẽ terCant. 5. ræ. Infra: Veniat dilectus meus in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Ego hortus, ego fons hortorum, ego fons ſignatus, ego puteus aquarum viuẽtium. Veniat ergo ipſe in hortum ſuum, vt comedat fructum pomorum ſuorum. Nõ quomodo Eua inuitauit virũ ſuum, ego inuito dilectum meũ. Illa inuitauit virum ſuum ad comedendum pomum non ſuum, pomum alienum, pomum interdictum, ego inuito dilectum meum ad hortum ſuum, ad comedẽdum fructum pomorum
Ioan. 4. non alienorum, ſed fructum pomorum ſuorũ. Quemadmodum dicit: meus cibus eſt, vt faciam voluntatem patris mei, quæ videlicet voluntas patris, ſalus eſt & vita generis humani, quod ipſe plaſmauit, quod benedixit, & reparauit. Et quid tam propriè ſuum inter omnes fructus pomorum ſuorum, quam ego quæ ſum
112 prima de primitijs pomorum, immò etiam fons hortorum. Veniat igitur in hunc hortum ſuum, & me transferendo in illud tertium cælum, quo abijt, quo me vidente aſcendit, comedat fructum pomorum ſuum, perficiat vſq; in finem gratiam eorũ, quæ in me celebrata ſunt operum ſuorum. Quando ita venies in hunc
Cant. 5. hortum tuum, ad iſtum quem dicis fontem hortorum? Quando ita venies ad me, vt vbi tu es, illic ego tecum ſim? Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa, meſſui myrrham meam cum aromatibus meis. Omnia quæ generi humano ad ſalutem neceſſaria erant, ego te ſilente perfeci ſoror mea ſponſa, nunc me quieſcente tibi debetur aliqua eiuſdem operis portio. Quid tantum ad requiem tuam feſtinas? Ego naſcẽdo, moriendo, reſurgendo, ad cælos aſcenden-

do, ſalutem mundo operatus ſum, nunc cum amicis, & teſtibus meis te ſupereſſe oportet, & omnium, quæ facta ſunt, idoneum perhibere teſtimonium, cum neceſſaria operatione ſignorum, atque virtutum. Diligenter auſcultent amici, & enarrent omnibus nuptiarum noſtrarum filijs quatuor iſta quæ facta ſunt, quia veni in hortum meum, quia meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, & quia comedi fauum cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Deſcendendo quippe in vterum tuũ, & aſſumendo carnẽ, vt verus homo naſcerer, qui verus Deus eram, veni in hortum meum, moriendo, atque in infernum deſcendendo reuerſurus cum ſanctis meis, qui me expectabãt ab origine mundi meſſui myrrham meam cũ aromatibus meis, reſurgendo comedi fauum cum melle meo, aſcendendo in cælum bibi vinum meum cum lacte meo. Tu hortus meus, quem ego plantaui, ſicut olim plantaueram paradiſum Adam, quondam nec paradiſum Gen.1. plantauit, ſed nec in paradiſo ipſe formatus fuerat. Ego & te hortum feci, & in horto natus ſum, & vt alijs verbis vtar: Ego & ciuitatem condidi, & in ciuitate natus ſum, ſicut ſcriptum eſt: Homo natus in ea, & ipſe fun- Pſal.86. dauit eam Altiſsimus. Non ſuus paradiſus erat, atque eo magis operari, & commiſſum cuſtodire illum condecebat. Quod quia non fecit, neceſſarium erat, vt venirem ego in hortum meum, & vltra debitum operando, & ſeruiendo, corrigerem illius peccatum, qui nec operatus eſt. Quomodo correxi? Meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, id eſt, expandi manus meas in cruce hoc fructu, vt ſaluarentur omnes mei, quos ille metendo mortem animæ ſuæ perdidit.

113 IDEM explicans verba illa; Ego dormio, & cor meum vigilat, inquit: Totus ferè huius Lib. 5. in c. Cantic orũ. capituli ſenſus, ad illud pertinet. O Maria beatiſsima, quod in te latet, & ſupra nos eſt, quemadmodum ſupra dicebat dilectus: oculi tui columbarum abſque eo quod intrinſecus latet. Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ abſq; Cant. 4. eo quod intrinſecus latet. Cum ais: ego dormio, & cor meum vigilat, hoc eſt, quod alibi ait habitatrix pectoris tui ſapientia Dei: In Eccli. 44. omnibus requiem quæſiui. Et quid hæc ſunt, ego dormio, &c. In omnibus requiem quæſiui, mihi optimam partem elegi, relictis cunctis ſollicitudinibus, vel curis ſæculi? Et quidem multæ filiæ, ſiue multæ animæ taliter dormierunt, vel dormire cupierunt. Sed tu dormitionis huius totum obtines magiſterium, & vigiliarum cordis totum tenes principatum. Quid aliud nobis in pſalmo loquitur dilectus dicens: Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus. Hoc Pſal.45. namque idem eſt, ac ſi diceret: Vos dormite, & cor veſtrum vigilet. Vita tua, ò virgo eſt qualis in patre tuo Iacob quaſi per vmbram ſignificata eſt, qui & ipſe quando dormiuit, tunc cor eius vigilauit, ſicut ſcriptum eſt: Cumq. veniſ Gen.23. ſet ad quendam locum, & vellet in eo requieſcere, tulit de lapidibus, & ſupponens capiti

ſuo,

suo, dormiuit in eodē loco. Viditq. in somnis scalā stantem super terrā, & cacumen eius tangens cælum: Angelos quoq; Dei ascendentes, & descendentes per eam, & dominum innixum scalæ, &c. Multarum, sicut iam dictum est, animarum fuit, & est non solum secundum illam similitudinem otio sancto dormire, ideſt, a terrenis curis vacare, & in cęlestibus per contemplationem corde vigilare: verum etiam eodē modo quo & Iacob tunc dormiuit, secundum corpus dormire, & secundum animam, per somnium cælestia videre, iuxta illud: Senes vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt, sed ò tu cælum Dei, vnica sedes Domini, in vtroque vigilantiæ modo cunctis mortalibus longe eminentior extitisti, lōge studiosior ad contemplandum eum in quē desiderant Angeli prospicere, atq; aptior fuisti. Quid ergo tu cum hominibus, quamuis sanctis? Quid tu loqui, vel conuersari cum hominibus quamuis Apostolis? Cur non potius tāquam turtur castissima, turtur soliuaga, solitudinem expetisti remotior quam Ioannes Baptista, secretior quā Helias; vt soli te scirēt, tibiq. famularentur Angeli sancti, non ad horam sicut Angelus Heliā semel, & iterum pauit, neq; ad tempus, sicut eundem corui pauerunt ministri, sed iugiter donec tuis completis diebus ad transferendam te in cælū æthereum non vnus tantum currus igneus, sed totus cū rege suo filio tuo veniret, atq; occurreret Angelorum exercitus? Hæc nobis quasi percontantibus, tu respondens dicis: Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, &c. Hoc est dicere. Dilectus meus foris est, quasi sub dio est, tectum non habet, domū nō habet, vulpes, inquit, foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Quid enim? Nunquid domum, vel suā habet? Immo reliqui, ait, domū meam, dimisi hæreditatē meam, facta est mihi habitatio mea, quasi spelunca hyenæ. Domum ergo iam non habens suam, & nondū adeptus aliā, ideſt, a Iudæis iam repulsus, & gentibus nondum cognitus, quodammodo stans foris, & pulsans rogat intus suscipi, & hęc vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea amica mea, aperi mihi os tuū, loquere prout ad cōfirmandum pertinet Euangelium, & in hoc optatæ tibi quietis patere suspendium, & gratum propter me rumpe silentium. Quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. Extraneus factus sum, quibus? fratribus meis, & peregrinus filijs matris meæ. Et sicut eius qui foris est, & tectum non habet caput plenum est rore, & cincinni, siue supremi capilli pleni sunt guttis noctium, ita opprobria exprobratium ceciderunt super me. Aperi igitur cum alijs testibus meis os tuum, & facito, vt locum habeam, vbi reclinem caput meum. Infra: Manus meæ distillauerunt myrrham primam, & digiti mei pleni suot myrrha probatissima. Oportebat nāque dare exemplū omnis mortificationis. Et quia hęc carnis mortificatio propter Deum erat, myrrha dicitur probatissima; quæ non esset, si propter gloriam propriā caro mortificaretur. Pessulum ostij mei aperui dilecto meo, ideſt clausurā oris mei, vt audientes ædificentur. Quàm pulcher & rationabilis ordo loquendi. Prius myrrha stillat de manibus, & digiti myrrha probatissima pleni monstrantur, ac deinde pessulus ostij dilecto aperitur, ideſt, prius vita laudabilis in exemplum præparatur, & deinde doctrina fidem quærens audientium palam profertur. Anima mea liquefacta, vt dilectus locutus est. Quando ego loquebar pro vtilitate audientiū, ea quæ erant dilecti, tunc ipse dilectus loquebatur. Vt ergo dilectus locutus est, anima mea liquefacta est. Flebam quippe & præ singultibus vehementer erumpentibus non poteram verba, nisi intercisa euoluere. Nunquid enim poteram absq; fletu de illo verba facere? verum fletus ipse cōsolatio mihi erat, sicut & cuiq. vestrum lachrymæ suæ dulces sunt, fluentes in eiusdem recordatione dilecti, iuxta illud, fuerunt mihi lachrymæ meæ panes, die ac nocte. Quanto magis mihi dū diceretur mihi quotidie, vbi est Deus tuus, filius tuus, siue dum dicerem ego, me dimisit in hoc exilio Deus meus, filius meus, & dum recolo dura, quæ pro hominibus pertulit, & dico toties vulnerata mente ego sum. Infra: Adiuro vos filiæ Hierusalem si inueneritis dilectum meum, vt annuncietis ei quia amore langueo. Adiuro vos animæ sanctæ, si inueneritis dilectum meum, si ante me, vt sæpe fit discipulæ ante magistram, exeuntes de corpore veneritis ante dilecti mei conspectum, vt annuntietis ei quia amore langueo, quia præ amore eius, prę magno videndæ faciei eius desiderio, nimirum vitæ huius tædium patior, & animo gemituoso lachrymosisq. oculis suspirioſas præsentis exilij moras sustineo. Quid erat, vel quid efficiebat hæc talis adiuratio? Nunquid ille dilectus nesciret amorē languentis, siue languorem amantis, nisi annunciaretur ei? Domine, inquit Petrus, tu omnia nosti, tu scis quia amo te. Quanto magis ò tu dilecta, tam prudens tamque fidelis, per temetipsam absque internuncijs dicere poteras dilecto, & frequenter dixisti sine dubio, dilecte mi, nullum tibi est absconditum cor, nullius occultus amor, tu scis, quia amore langueo? Quorsum ergo tendit, vel quid efficit hæc adiuratio? Eo nimirum, vt percussa percutiat, vulnerata vulneret. Mater filias salubriumq. vulnerum suorum aliquod, etsi non statim omnibus, at saltem iam aliquibus earum experimentum efficiat, vt audientes filiæ, vel sentientes in matre tantum vitæ futuræ, quæ non videtur, desiderium in mente persentiant, & ipse talem esse dilectum illum, vt iure propter eum fastidiat quiuis, vel quæuis hoc præsens sæculum, iamq. inter moras præsentis vitę magis, ac magis cupiat eum agnoscere. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Opportuna

tuna valde percontatio, si respiciamus ad illa tempora de quibus nunc agimus, quādo tu dilecta propter Euangelium dilecti presens aderas, & in corpore detinebaris magistra necessaria, & testis valde idonea. Tunc enim & Iudæi aperta fronte blasphemātes audiebantur, & hæretici sub nomine christiano, christianam veritatem corrumpere laborantes. Pulsandum igitur erat ad ostium veritatis, & consulendum oraculum Spiritus sancti, scilicet, sacrarium pectoris tui, vt viua voce omnem necessario tenendam demōstrares regulam fidei cum testimonio scripturarum, quas memorię tenebas prophetissa magna, & capax omnium prophetiarum. Qualis est dilectus ex dilecto, Deus de Deo ostende nobis, non propter nos, qui eum credimus filium Dei, sed propter filias Hierusalem, quæ futuræ sunt post nos.

IDEM explicans verba illa; Pulchra es amica mea suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata, ait: In hoc est perfectio pulchritudinis, quòd nō solū suauis, nec solum terribilis, sed vtrunq; es & suauis, & terribilis, suauis sicut Hierusalē, terribilis vt acies castrorū, quę bene ordinata est. In quo suauis & decora tanquam Hierusalem? In eo videlicet, quòd & anima tua semper supernam videt pacem, & ex visitatione tui discunt animæ plurimę cælestem ducere conuersationem, vacantes & videntes, quoniam suauis est Deus. Quid verò est, vt castrorū acies ordinata? Scimus quia castrorum acies, tunc hostibus terribilis ostenditur, quando ita fuerit constipata, vt in nullo loco interrupta videatur. Nam si ita disponitur, vt locus vacuus per quem hostis posit ingredi dimittatur, pro fecto iam suis hostibus terribilis non est. Et nos ergo quādo contra malignos spiritus certamen ponimus summopere necesse est, vt per charitatem simus semper vniti. Si charitas desit, per malum discordiæ locus aperitur in acie. Vnde ad feriendos nos, valeat hostis intrare. In hac parte beata virgo principatum tenet, cuius est, & in suauitate videre iam, vel contemplari supernam pacem, & contra malignos spiritus in procinctu esse, secundum castrorum similitudinem. Auerte oculos tuos a me, quia ipsi me auolare fecerunt. Et tunc quando me præsentem habuisti præsentia corporali, oculos tuos, oculos tam corporis, quā mentis in me fixos habuisti, & nunc quando secundum corpus absens tibi sum, me spiritua libus oculis iugiter cōtemplaris. Auerte oculos tuos, videlicet, ita vt scias me esse incomprehensibilem. Ergo ne bonum est, hoc placitumq. dilecto propter causam hanc auertere oculos? Est plane bonum aliquomodo, scilicet dum sic a me auertis, vt in temetipsam cōuertas oculos tuos, ideſt, dum sic altissimam diuinitatem contueris, vt reuoces ad memoriā infirmitatem tuam infirmæ conditionis, & optime scias, quia hoc ipsum quod Deum vides non tuæ potentiæ, sed diuinę gratiæ est. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Vt quid ista dilectus laudationis modulamina repetit, cum inter cætera superius eadem, & eodem modo cecinerit, nisi quia duplici honori ficentia dignum est, eandem munditiam cogitationum, eandē vitæ innocentiam, eandemq. pudicitiæ verecundiam, quam prius habuisti in solitudine silentij, custodisse ad integrum in illa frequentia, cui te interesse poscebat vtilitas Euangelij, secundum voluntatē dilecti pulsantis, & dicentis, aperi mihi soror mea sponsa? Infra: Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Quid est hoc dicere, nisi quod, etsi multæ sunt fideles laudabiles, nulla tamen earum tibi similis est: Sicut veraciter prædicamus, quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem? Nam reginæ recte dicūtur illæ animę, quę perfectæ charitatis sunt, in eo videlicet, quod eundem dilectum tuum sequentes nihil terrenum, sed ipsum solum quærunt, nec propter metum gehennæ, sed propter amorem vitæ tuæ, æternæ peccatum fugiunt, virtutemq. amando iniquitatem oderunt. Concubinæ sunt illæ, quæ sub timore seruiunt, nec eius perfectionis, vt super præceptum velint addere consilium, habentes quidem in fundamento Christum, sed nihilominus amantes aliqua, quæ huius mundi sunt. Infra: Adolescentularum non est numerus, ideſt, abundant in Euangelio plures quàm ad cælestes pertineant thalamos, iuxta illud: Annunciaui, & locutus sum & multiplicati sunt super numerum. Adolescentulæ nāq; recte dicuntur, quæ nondum saltem ad timorem Dei profecerunt, & propter hoc custodia indigent, vel magisterio hominum, qui necdū intus diuini timoris, seu amoris magisterium tenent. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ. Vna inquam est & similem non habet omnino, nec inter reginas vlla similis huic est. Cui matri suæ vna cui genetrici suæ est electa? Nimirum matri suæ Hierusalem vna est, illi Hierusalem quæ sursum est, quæ est mater omnium, & genitrici suæ, scilicet antiquæ Ecclesiæ electa est, Ecclesiæ patriarcharum, ac prophetarum, & regum iustorum. Et illi matri, & huic genitrici vna est & electa, quia nec inter Angelos, nec inter homines similem, vel primam habet, vel sequentem habitura est. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerūt eam. Hoc ipsamet prę uidens, ac prænoscens cū dixisset, quia respexit humilitatem ancillæ suæ, subiūxit: Ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes generationes. Nonne vt secundum præsentem litteram hoc dictum sit, & generatio reginarum, & generatio concubinarum, & generatio adolescentularum, nōne istæ omnes generationes beatam dicent

Ioel 2. 114 Cant. 5. Matth. 8. Hiere. 12. Cant. 5. Psal. 68. Cant. 5. 115 Cant. 5. Cant. 5. 116 Ioan. 21. 117 Lib. 6. Cant. 5. Psal. 44. 118 Cant. 6. Psal. 39. Cant. 6. Cant. 6. Lucæ 1. 119

dicent illam? Reuera & si impares meritis attamen fide consimiles. Ecce vident illam, ecce contemplantur illam vnam, illam electam, & cum admiratione ineffabili voces extollunt iugiter, ex omnibus locis suis talem laudãtes, talem beatissimam prædicantes, nõ solum hic in isto exilio mortalitatis: verumetiam & multo amplius in illa patria vitæ, & immortalitatis, vbi vident eam dominantem, & dominando possidentem regnum dilecti, eo iure quo decet matrem possidere regnum filij sui. Et quid dixerunt laudantes, & beatissimam prædicantes? *Cant. 6.* Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata. Quàm pulcher ordo in ista laudatione pulchritudinis. Primum consurgens vt aurora, deinde pulchra vt luna, deinde electa vt sol. Quando nata es o virgo beata, tunc vera nobis aurora surrexit, aurora prænuncia diei sempiterni, quia sicut aurora quotidiana finis præteritæ noctis, & initium diei sequentis, sic natiuitas tua ex semine Abrahæ, clara ex stirpe Dauid finis dolorum, & consolationis fuit initiũ, finis tristitiæ & lætitiæ nobis extitit principiũ. Quando autem Spiritus sanctus in te superuenit, & filium virgo concepisti, virgo peperisti, tunc tu, & extunc pulchra pulchritudine diuina, pulchra, inquit, non quomodocunque, sed vt luna. Sicut enim luna lucet, & illuminat luce non sua, sed ex sole concepta, sic tu beatissima hoc ipsum quod tam lucida es, non ex te habes, sed ex gratia diuina, gratia plena. Quando autem de hoc mundo assumpta, atq; ad æthereum thalamum translata es; tunc tu & extunc electa vt sol, electa inquam nobis, quia sicut ex te natum Dei filium solem verũ, solem æternum adoramus, & colimus vt Deũ verum, sic & te honoramus vt veri Dei genitricem, scientes quia totus honor impensus matri, sine dubio redundat in gloriam filij.

Ibidem.

120

Infra: Vmbilicus tuus sicut crater tornatilis non indigens poculis. Parum fuisse ad laudem veræ virtutis, quæ est in Maria, dixisse, iuncturæ femorum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis nisi diceret: Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis, quia videlicet illo præcedenti versiculo solum denegatur opus carnalis commercij, isto autem sequenti appetitus quoque cogitationis, qui si inesset nunquam veraciter diceretur vmbilicus sic præcisus, immo & circunciſus, vt crater tornatilis, neque adderetur adhuc, nunquam indigens poculis. Quidnam est vmbilico non indigere poculis, nisi non vri vel sitire per appetitum libidinis? Hinc enim dicitur in mulierem malam, Sicut viator sitiens ad fontem os suum aperiet, & ab omni aqua proxima bibet. Ergo tu, ò Sunamitis, ò filia principis, corde & corpore es casta, mente & carne integra, cogitatione & opere munda. Collum tuum sicut turris eburnea. Collum tuum vtique non extentum, immo amabiliter demissum: & hæc est humilitas tua, fortitudo pulcherrima, vere sicut turris eburnea, quæ & aspectu amabilis, & statura sit fortis. Cui fortis? cui amabilis? Deo fortis, Deo amabilis, diabolo autem terribilis, inaccessibilis. Quomodo ipsi Deo fortis? Nimirum sicut ex istis comprobatur exemplis: quia si contra Deum fortis fuisti, ait ipse ad patrem tuum fidelem Iacob, quanto magis contra homines *Exo. 32.* prævalebis? Igitur ò dilecta collum tuum, quod est humilitas tua, turris eburnea: Id est fortissima est, atque pulcherrima; quam respiciens altissimus dedit tibi gemellos istos dulces hinnulos, duo vbera hæc, virginitatem atque fœcunditatem.

Cant. 7.

Eccli. 26.

121

IDEM: Vocat Mariam templum Domini, sacrarium Spiritus sancti: in qua verbum Dei nouem mensibus requieuit. De cuius aduentu Isaias dicit: Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, aperiatur terra, & germinet Saluatorem. Dicendo rorate cæli desuper, ministerium angelicę expressit allocutionis, qua verbum Deus in interiorem aurem credulæ virginis sicut pluuia in vellus descendit, & per hoc quod ait, & nubes pluant iustum: se atque ceteros prophetas, qui vt nubes iustum scilicet Christum, & fideles eius in terra cordis nostri cælesti doctrina depluunt. Aperiatur inquit terra suscipiendo verbum, & dicẽdo: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secũdum verbum tuum: & germinet Saluatorem benedicta in æternum, Deum nobis proferens & hominem. Infra explicans officium vigiliæ Natalis Domini; Hodie scietis, quia veniet Dominus (quæ verba dixit Deus quando promisit manna iudæis) ait: Maxima portarum cæli, quas *Exo. 16.* Dominus, vt nobis hoc manna plueret, nobis aperuit, Maria extitit, per quam ad nos verbũ Dei caro factum de cælo descendit. Siquidem aliæ portæ, idest, omnes sanctorum animæ, quæ ab initio verbum illud in gremio fidei meruerunt suscipere, ore suo verbum salutis peperunt, dicentes: A timore tuo Domine con- *Isa. 26.* cepimus & peperimus, spiritũ salutis fecimus super terram. Hæc autem verbum illud ita plena gratia concepit, vt visibilem hominem factum pareret in veritate carnis, eodem Spiritu sancto conceptionem eius in vtero virginis operante. Quod & ipsum cælitus significatum est in eo, quod de supradicto manna scriptum est: Cumq. descẽderet mane ros supra castra, *Exo. 15.* descendebat pariter & manna. Ros enim Spiritum sanctum, mãna vero verbum Dei significabat, quod per operationem Spiritus sancti humanæ naturæ vnitum est.

Lib. 3. de diuinis offic. cap. 6. to. 5.

Isa. 45.

Iudic. 6.

Luca 1.

122

IDEM inquit: Loquens de resurrectione Domini: Rectè a maioribus nostri ordinis traditum est, & quasi pro lege fixum conseruatur, vt in processionibus, cunctis per annum Dominicis, beatæ Dei genitricis memoriam prima statione visitemus, decantando quodlibet quod eius proprium sit, eaq. salutata, & oratione dicta, tunc demum processionem peragamus. Sicq. feruente sacræ religionis studio prouisum est, vt infra claustrũ habeatur eiusdem

Lib. 7. de diuinis offic. cap. 25.

dem beatæ virginis diuersorum scilicet sacratum in ipsius honore proprium nominis eius oratoriũ. Quid conuenientius, quid pulchrius, quid venerabilius quàm congratulari matri virgini, super resurrectione vnigeniti. Perpendere gestit Christiana deuotio quãtus torrens gaudij repente inundans, locumq. vulneris replens animam eius ferro doloris confossam inebriauit, cum rediuiuus filius illi ante omnes fortasse mortales, materno virginẽ non defraudans honore, victoriam suam annunciauit, & dulcia carnis suæ vulnera deosculanda præbuit. Quid ergo? repugnare videbitur Euangelio referenti, quod resurgens Iesus primo Mariæ Magdalenæ apparuit? Absit. Sed omnibus beatam virginem matrẽ excipimus. *Luca 24.* Hoc autem Euangelistæ tacuerunt ne verba illius tanquã delyramenta haberentur. Si enim extranearum verba fœminarũ visa sunt Apostolis tanquam delyramenta, quomodo non magis matrem amore filij delirare crederent? 123 Quod si idcirco verum non videtur, quia nullus Euangelistarum scriptis hoc attestatur, cõsequens est, quod nunquam post resurrectionẽ suam visus sit matri, quia quando, vel vbi apparuerit illi nullus eorum nominatim edixit. Sed absit hoc ab illo, qui patrem, & matrem in lege honorare præcepit. Non sic Apostolica sanctæ Romanæ Ecclesiæ sensit veritas; quæ hanc beatam Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit. Nam cum in hac prima die Pa- *Psal. 136.* schæ stationem ad hanc, de qua loquimur, sanctam Mariam Missæ officio præscripsit, quid aliud, quam Hierusalem in principio lætitiæ suæ proposuit? Ipsa præ omnibus, ipsa ante *Cant. 6.* omnes vidit hanc nostram pacem, ipsa est Hierusalem, pulchra, electa, suauis, quam viderũt filiæ Sion, & beatam dixerunt, & reginæ lau- *Matt. 28.* dauerunt eã. Quando vndecim discipuli abie- *Mar. 16.* runt in Galilæam, in montem, quem constituerat illis Iesus, hanc beatam, de qua loquimur Mariam, præterierunt, & absque illa videntes eum adorauerunt? Immo non alias quam in domum illius, non alium in montem abierunt, vt viderent eum, quam in illum super quem ciuitas eius Nazareth sita erat. Igitur pulchrè maiores nostri tradiderunt (vt dictum est) vt cunctis Dominicis diebus Mariam prima statione salutemus: eãdem ob causam qua in die Paschæ statio ad sanctam Mariam fit, vt eam in principio lætitiæ nostræ proponamus, illud de *Cant. 4.* Canticis recolentes nouũ nouæ Ecclesiæ sponsum mox vt resurrexit dixisse, non vanè arbitrantes: Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Qua enim sui corporis parte altius, post ipsum caput suum Christum Ecclesiæ sublimitas eminuit, quam singularibus hu- *Dom. 2.* ius Reginæ Angelorum meritis, cuius ex carne sine viro Christus, vt lapis de mõte sine manibus est editus? Et quo in vertice montium tantum myrrhæ, idest mortificationis, cũ thuris, idest piæ orationis odoribus inueniri potuit quantum in huius beatæ virginis anima, quam singulariter Dominicæ pass[illegible] gladius pertransierat? Ad hunc ergo montem myrrhæ vadimus: & nos ad sæpe dictã stationem diuertentes.

IDEM explicans verba illa Prouerb. 31. 124 Cõfidit in ea cor viri sui, inquit: Vbinam hoc inuenis? in anima sanctæ Mariæ virginis. Ibi fides experta est, quod de semetipsa hic audiuit, Confidit in ea cor viri sui, etenim ibi vir suus, ei cor suũ aperuit? Apertione planè magna, & ineffabili: vt faceret in ea cor viri huius, illud quod prædixerat per os Dauid: Eructauit cor meum verbũ bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis, ita cor suum illi aperuit, vt ipsam substantiam verbi æterni in corde suo concepti, de corde suo ante sæcula geniti, mitteret in mentem, & in vterum virginis valde fidelis, quæ tanta diuina mysteria Angelo narrante concepit, Deum enim castis visceribus susceptt, & benedicta in æternum Deum nobis genuit & hominem. Non solum confidit in ea vir suus, verum quod profundius sonat, & penetrat intima mentis, cõfidit in ea cor viri sui. Et spolijs non indigebit. Quibus vel qualibus spolijs, nisi eloquijs Domini, eloquijs viri sui, sic enim per os Dauid ipsa dicebat: Lætabor *Psal. 118.* ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.

Li. 7. de glorificatione Trinitatis, cap. 6.

Psal. 44.

CYRILLVS sic habet: Salue per nos sancta Deipara pretiosus totius orbis thesaurus, 125 lampas inextinguibilis, corona virginitatis, sceptrum rectæ doctrinæ, templum insolubile; locus eius, qui loco capi nequit. Salue quæ incomprehensibilem in sancto virginali vtero comprehẽdisti: per quam sancta Trinitas per vniuersum orbẽ glorificatur, & adoratur, per quam cælum exultat, per quam Angeli & Archangeli lætantur, per quam dæmones fugantur, per quam diabolus tentator cælo decidit, per quam prolapsum plasma in cælum recipitur, per quam vniuersa creatura idolorum vęsania detenta ad cognitionem veritatis venit, per quã oleum est exultationis, per quam per totum orbem fundatæ sunt Ecclesiæ, per quam gentes ducuntur ad pœnitentiã. Et quid multa cõnumero? Per quam vnigenitus Dei filius his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedebãt, lux resplenduit; per quam Prophetæ prænunciarunt; per quam Apostoli salutem gentibus prædicarunt; per quam mortui excitantur; per quam reges regnant. Et quis adeo valet eloquio, vt plurimum laudatam Mariam satis celebret? Ipsa & mater est, & virgo.

Hom. 6. cõtra Nestorium. to. 4.

GREGORIVS NYSSENVS ait: 126 Ecce virgo concipiet, & pariet filium. O miraculum ingens, virgo mater fit, & virgo permanet, & nec virginitas partum prohibuit, neque partus virginitatem soluit. Decebat enim eum, qui propter integritatem initium facere ab ea, quæ natiuitati eius inseruiret integritate atque incorruptibilitate. Hoc mihi longè ante per eam, quæ ei per lumen facta est, Dei apparitionẽ magnus ille Moyses animad- *Exo. 3.* uertisse videtur, cum ignis accenderetur ex rubo,

Ser. de sancta Christi natiuitate. Isa. 11.

rubo, & rubus non conſlagraret, nec conſu-
meretur. Tranſiens, inquit, videbo viſionem
hanc magnam. Non de loco ad locum opi-
nor: ſed ad aliud tempus tranſgreſsionem re-
ferens. Cum enim quod intercesſit medium
tempus tranſiſſet; id, quod nunc in flamma,
ac rubo per figuram ſignificabatur, apertè in
eo quod in virgine contigit myſterio, reuela-
Matt. 23. tum eſt. Vt enim illic frutex, & incendit ignẽ,
& non crematur; itidem etiam hic virgo, &
lumen parit, & pariendo non corrumpitur.
Infra: Narrat geſtum Zachariæ patris Ioan-
nis Baptiſtæ, occiſum inter templum, & alta-
re propter tuendam Mariæ virginitatem, ſi-
cut ſupra retulimus ex Baſilio, & Origene.
Infra: Quænam ſit, & vnde Maria videamus
ex his qui rem geſtam de ea memoriæ prodide
runt. Audiui arcanam, & occultam quandam
hiſtoriam. Inſignis quidam in illa exacta ſe-
cundum legem viuẽdi ratione, & nobilis pro-
pter ſummam virtutem pater virginis erat;
ſed expers ſobolis conſeneſcebat, propterea
quod coniux eius ad liberorum procreationẽ
apta non eſſet. Habebatur autem matribus a
lege honor quidam, cuius ſteriles participes
non erant. Imitatur igitur hæc quoque ea,
quæ de matre Samuelis narrantur, & ſanctum
ſanctorum ingreſſa ſupplicat Deo, ne legum
beneficio priuetur, ſed vt mater fieret ac Deo
quod gigneretur conſecraret. Confirmata au-
tem nutu diuino donum, quod petijt, accepit.
Cum autem nata eſſet puella nomen ei impo-
ſuit Mariam, vt etiam per nomen impoſitum
diuinitus datũ munus ſignificaretur, cum au-
127 tem puella iam ita grandis euaſiſset, vt mam-
mæ admoueri eã amplius opus non eſſet, haud
cunctata eſt eam ad templum adducere, ac
Deo reddere, atq; promiſsum præſtare, ſacer-
dotes autem exemplo Samuelis in ſacris puel-
lam interim educare. Sed cum creuiſſet, &
adulta eſſet conſilium agitare, ne quid de ſa-
cro illo corpore ſtatuentes in Deum pecca-
rent. Nam eam in matrimonio alteri ſubde-
re res longe abſurdiſsima minimeq. decora
videbatur, ſacrilegium enim prorſus exiſti-
mabatur, quod Deo conſecratum, atque dedi-
catum eſſet, ſi homo poteſtatem in Dei dona-
rium haberet. Vt autem intra templum vnà
cum ſacerdotibus mulier verſaretur, & in
ſanctis conſpiceretur, neque conſuetum, &
vſitatum erat, & ſimul grauitas & honeſtas
rei non aderat. Deliberantibus igitur eis ſu-
per hac re diuinitus incidit conſilium, vt da-
Lucæ 1. rent eam quidem viro nomine deſponſatio-
nis, is autem ad cuſtodiendam virginitatem
eius idoneus eſſet: & ſic ſacerdotes eam de-
ſponſauerunt Ioſeph. Tunc Gabriel miſſus eſt
ad Mariam virginem. Ne timeas Maria, in-
quit, quoniam omni mulieri partus expecta-
tio metum inijcit, iucundi partus promiſsio
metum eijcit, & expellit. Et Maria, quomodo
fiet iſtud. Angelus partũ denunciat, & illa vir-
ginitatem amplectitur, caſtitatẽ Angelicę prę-
ferens apparitioni. Quoniam Deo dicatam, &
conſecratam carnem veluti ſanctum quoddã
donarium intactam ſeruari oportebat, propte-
rea etiam ſi Angelus ſis, inquit, ac de cælo ve-
neris etiam ſi ſupra hominem ſit id quod ap-
paret, attamen vt virum cognoſcam fieri non
poteſt. Qui mater ero abſque viro?

Martyrum præconia, virtutes, ac merita, & de ipſorum imitatione.

Cap. VII.

ORIGENES explicans ver- 1 Libro 2. in Iob. to. 2. Cap. 2.
ba illa, quæ diabolus dixit in
cõtemptum Iob: Pellem pro
pelle, & cuncta, quæ poſsidet
dabit homo pro anima ſua,
ait: Verum eſt hoc, quia cum
ad periculum vel diſcrimen
peruenerit homo omnem rem familiarem con
temnit; tantum vt animam eruat, vt animam
ſuam incolumem liberet. Et nunc cum ſperas
quod aduerſum Iob loqueris, pro illo loqueris
o inimice omnium bonorum diabole, & non
intelligis. Euidenter enim Iob omnia quæcũ-
que habuit deſpexit, diuitias, & filios, & rem fa
miliarem: ob hoc tantum vt animam ſuam il-
læſam atq; illibatam cuſtodiret. Omnia quæ-
cunque habuerit homo dat, vt eruat animam
ſuam. Ob quam rem? Quia redẽptio viri pro-
pria eſt ſubſtantia. Omnia quæcunq; habuerit
homo, dabit vt eruat animam ſuam. Hoc egit
Iob, propterea animam ſuam inuiolatam con-
ſeruauit. Hoc egerunt beati martyres: idcir-
co poſtquam omnia corruptibilia, atq; terre-
na contempſerunt, poſt hoc nihilominus pro-
prium corpus in pœnam, atque in incendium
tradiderunt, ignem, atque gladium ſuſtinen-
tes, vt animas ſuas mundas, atque caſtas Deo
exhiberent. Sed interim videamus, quomo-
do poſt hæc quæ bene digeſta ſunt. Nam ſæpe 2
etiam a malo aliquid boni proficiſcitur, non
quod malignus ita voluerit, ſed quia bonus,
ac benedictus Deus, maligni malitiam in bo-
num conuertit timentibus, atque diligentibus
ſe, ſicut martyribus, qui omni tolerantia ſu-
perantes nequitiam eius æternæ vitæ heredi-
tatem capient apud Deum. Infra: Poſtu- Iob 2.
lanti diabolo facultatem, vt Iob plaga percu-
teret crudeli; dixit Dominus: Ecce in manu
tua eſt: verumtamen animam illius ſerua.
Ecce trado tibi illum, non propter tuam ma-
lignitatem; ſed propter Iob innocentiam, vt
iuſtus appareat, vt ſine querela eſſe compro-
betur, vt glorioſus coronetur. Solum illum
tibi trado. Animam ne quæſiſti; animam ne
tetigeris. Terram tibi trado: cælo ne appro-
pinquaueris. Terrenum vas confringe, vt
volueris, interiori verò theſauro non appro-
pinquaueris. Luteæ teſtæ facito quod volue-
ris, pretioſiſsimam verò margaritam ne teti-
geris. Infra: Noli Iob animam tangere,
& glo-

& glorioſus in conſpectu meo cõſummabitur.
Non tetigiſti, inquit, martyrũ meorũ animas;
nõ tetigiſti mirabiliũ veridicorũ meorum te-
ſtium animas. Idcirco ij ſuccũbentes vniuerſi
propter fidem contempſerunt mortẽ; ideo in-
contaminati omnem ignis pœnam irriſerunt,
atque gladij, merito immarceſsibilibus coro-
nis coronabuntur in conſpectu meo.
3 CHRYSOSTOMVS inquit: Sunt quæ-
Hom. 11. in epiſt. Pauli ad Hebr. tomo 4. dam oblationes quæ verè ſunt holocauſtoma-
ta, corpora martyrum. Ibi & anima & corpus:
illa ſacrificia odorẽ ſuauitatis habẽt maximũ.
Potes & tu ſi volueris tale ſacrificium offerre.
Quid enim ſi nõ igni comburatur corpus? Sed
alio igne poteſt, vtpotè paupertatis volũtariæ
tribulationis. Cũ enim liceat delicioſè, & opti
mè degere, & eligatur laborioſa vita, & ama-
ra, mortificãſq. corpus: nonne holocauſtoma
eſt? Mortifica ergo corpus tuũ, & crucifige, &
accipies tu huius martyrij coronã. Quod enim
illic gladius operatur, hoc hic alacritas faciat.
4 IDEM explicans verba illa; Obſecro vos
Serm. 20. in c. 12. epiſt. ad Rom. fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis
corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctã, Deo
placentem, rationabile obſequium veſtrũ, ait:
Cum hoſtiam dixiſſet, ne quis putet quòd præ-
cipiat mactari corpora, ſtatim ſubiunxit, viuẽ-
tem. Deinde hoſtiam hanc a Iudaica diſcer-
nens, ſanctam dicit, acceptam Deo, rationabi-
le obſequium veſtrum. Et quomodo corpus,
inquies, hoſtia fiet? Nihil mali reſpiciat ocu-
lus, & factus eſt hoſtia. Nihil malè loquatur
lingua, & facta eſt oblatio. Nihil iniqui cõmit-
tat manus, & facta eſt holocauſtoma. Talis ho-
ſtia Deo placet. Quando membra noſtra mor-
tificauerimus, tunc demum viuere poterimus.
Noua ſiquidẽ iſta huius ſacrificij noſtri lex eſt,
atq; ideo mirabile etiam eſt hoc ignis genus.
Neq; enim lignis opus habet, aut alia huiuſmo
di materia, ſed in ſe ipſo noſter ignis viuit, nec
victimam comburit, ſed magis viuificat. Hanc
Pſal. 50. victimã iam olim Deus quærebat, & dicebat:
Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus. Hanc
ipſam tres etiã pueri illi offerebant, dicentes:
Dan. 3. Nõ eſt princeps, neq; propheta, neq; locus quo
miſericordiã liceat acquirere, & inuenire: ſed
in animo contrito, & ſpiritu humilitatis ſuſci-
piamur. Dicit autẽ, exhibete corpora veſtra,
quaſi dicat, Membra veſtra ad bellũ quod con-
tra diabolũ eſt, præliumq. illud terribile exhi-
buiſtis, non erit vt ad proprias operas illa vo-
bis retrahatis. Non poteſt offerri Deo oculus
ſcortationi ſeruiens, neq; manus rapiẽs ac de-
fraudans, nec pedes claudicantes, nec venter
delicijs deditus, nec cor iram, aut amorem for
nicarium fouens, neq; lingua turpia loquens.
Oportet ergo nos omni ex parte mundos eſſe,
2. Tim. 4. vt cum Paulo dicamus: Ego enim iam immo-
lor, & tempus meæ reſolutionis imminet. Erat
enim quauis hoſtia purior, vnde & libamen ſe
ipſum vocauit. Erit autem hoc ſi veterẽ homi
nem ſuſtulerimus, ſi membra noſtra, quæ ſunt
ſuper terram mortificauerimus, ſi mundũ no-
bis ipſis crucifixerimus. Ita neq; machæra de-
inceps, neq; altari, neq; igne opus habebimus.
IDEM exponens verba illa; Ego vinctus 5
in Domino, ſic habet: Et mihi tractanda quæ- Serm. 9. in
ſtio. Nam quod in defenſione ad Agrippam di c. 4. ad Eph.
xit Paulus, Optarim omnes tales fieri qualis Act. 26.
ego ſum, exceptis vinculis his, non ideo dixit,
quia vinctũ eſſe pro Chriſto rem putarit exe-
crandam, abſit. Nam ſi hoc ſenſiſſet, non alibi
ſcribens, dixiſſet: Libenter gloriabor in infir- 2. Cor. 12.
mitatibus meis. Quid ergo? Hoc ipſum indi-
cium erat, quòd vincula magnifaciebat, quem
admodũ Corinthijs ſcribens, dixit: Lac vobis 1. Cor. 3.
potum dedi, non eſcã, nondum enim poteratis.
Ita & hic vinculorũ pulchritudinẽ & vtilitatẽ
nondũ audire poterant. Propterea dicit exce-
ptis vinculis his. Propterea & ipſe in vinculis
lætatus, & vinctus, & cũ alijs vinctis pariter in
cuſtodia abductus eſt. Magna eſt Paulinæ cate-
næ fortitudo. Quam non excelleret voluptatẽ?
& vinctũ videre Paulum, & intus in carcere ſe-
dentem? Non videtis Reges, & cõſules in rhe-
dis circumuectos, auroq. conſpicuos, milites
quoq; illorũ quibus ſtipati ſunt, omnia deaura
ta, habẽtes deauratas lanceas, deaurata ſcuta,
equos etiã auro inſignes? Quanto autẽ illo ſpe
ctaculo iucũdius eſt iſtud? Optarim vel ſemel
videre Paulũ ex carcere cum vinctis egredien
tem, magis quã millies illos cũ iſta ſtipatione
militari & inſigni prætereuntes. Quot putatis
Angelos illũ cum ita educeretur præceſsiſſe.
Infra: Cum ſeruus Eliſæi videret militum co-
pias, quas rex Syriæ miſerat contra dominum
ſuum obſtupuit, & trepidus ac tremebũdus ad
magiſtrũ properans calamitatẽ, ineuitabileq.
periculũ annunciauit, ſubridens propheta, qđ 4. Reg. 6.
quæ timenda non erant timebat, hortatus eſt
animo eſſe bono, & confidenti. Is vero, vt im-
perfectus erat non perſuadebatur, ſed cõcepto
timore eius rei, quã viderat, detinebatur. Quid
igitur propheta? Domine, inquit, aperi oculos
pueri iſtius, & videat quomodo plures ſunt no
biſcũ, quàm cũ illis. Et repente totũ montem,
in quo tunc propheta habitabat, videt equis,
& curribus ignitis refertũ. Hoc verò nihil erat
aliud, quàm Angelorum acies. Si verò Eliſæo
vnius diſcipuli gratia tanta obſecũdata eſt an-
gelorũ acies, quid Paulo putas defuiſſe? iſtud
& propheta Dauid dixit: Angelus Domini ca- Pſ. 33.
ſtrametatur in circuitu timentiũ eum. Et quid
de Angelis dico? ipſe Dominus cum e carcere
egrediebatur cum illo erat. Semper quidẽ ad-
mirandi ſunt ſancti, multaq. gratia pleni, ma-
ximè verò quando propter Chriſtum pericli-
tantur, quando in vinculis ſunt. Dicã cogita-
tionem meam. Babylas beatus martyr, & ipſe
eadẽ cauſa, qua Ioannes vinctus erat, ꝙ Regẽ
iniquè agentem arguerat. Hic cũ moreretur
præcepit vincula iuxta corpus ſuum collocari,
corpuſq. vinctũ ſepeliri, & nunc pedicæ ſimul
cum cinere illius ſepultæ iacent, tanto videli-
cet ille deſiderio pro Chriſto vinctus eſſe cu-
piebat. Verum nos non ligamur, quippe huius
nulla iam exiſtente occaſione. Nihil opus eſt,
vt manus ligatas, ſed mentẽ vinctã habeas. Sũt
& alia vincula, illa ferent qui iſtis nõ ligantur,
dicente Chriſto: Ligate illi manus & pedes, &

proijcite in tenebras exteriores. Sed abſit vin culorum illorũ experientia, iſtis potius abundẽ vineiri contingat.

7 Lib.7.quæſtionũ in li. Iudic. to.4. *Cap.7.* AVGVSTINVS ait: Quod trecenti viri hydrias fictiles acceperunt, eisq. ardentes faculas incluſerunt, quibus hydrijs factis repente lumina numeroſe micantia tantam hoſtium multitudinem terruerũt, quod Gedeon fecit inſtigante Domino, qui præfigurauit ſanctos ſuos theſaurum Euangelici luminis in vaſis fictilibus habituros, ſicut Apoſtolus ait: Habemus theſaurum iſtũ in vaſis fictilibus. Quibus in paſsione martyrij tanquam vaſculis fractis maior eorum gloriæ fulgor emicuit; quæ impios Euãgelicæ prædicationis inimicos inopinata illis Chriſti claritate ſuperauit. *2.Cor.4.*

8 Lib.5.de ciuitate Dei c.18. to.5. IDEM inquit; Si Mutius, vt cũ Porſenna rege pax fieret, qui grauiſsimè Romanos premebat, quia Porſennã ipſum occidere non potuit,& pro eo alterũ deceptus occidit, in ardẽtem arã ante eius oculos dexteram extendit, dicens: Multos tales qualẽ illũ videret in eius exitium coniuraſſe: cuius ille fortitudinem, & cõiurationem taliũ perhorreſcens ſine vlla dilatione ſe ab illo bello facta pace compeſcuit. Quis regno cælorum imputaturus eſt merita ſua, ſi pro illo non vnã manum, neq; hoc ſibi vltro faciens, ſed perſequente aliquo patiẽs totum flãmis corpus impenderit? Si Curtius armatus equo concito in abruptũ hiatum terræ ſe præcipitẽ dedit deorum ſuorũ oraculis ſeruiens, qui iuſſerãt, vt illuc id, quod Romani haberent optimũ mitteretur. Quid ſe magnũ pro æterna patria feciſſe dicturus eſt, qui aliquẽ fidei ſuæ paſſus inimicũ, non ſe vltro in talẽ mortem mittens, ſed ab alio miſſus obierit, quãdoquidẽ a domino ſuo, eodemq. rege patriæ ſuæ certius oraculum accepit: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere. Vnde nullo modo ſuperbiãt ſancti martyres tanquam dignum aliquid pro illius patriæ participatione fecerunt, vbi æterna eſt, & vera fœlicitas, ſi vſq; ad ſui ſanguinis effuſionem, non ſolum ſuos fratres, pro quibus fundebatur, verum & ipſos inimicos, a quibus fundebatur, ſicut eis præceptum eſt, diligentes charitatis fide certarunt. *Matt. 10.*

9 Lib.20.contra Fauſtũ Manicheũ. to.6. IDEM dicit: Populus Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat,& ad excitandã imitationẽ, & vt meritis eorum cõſocietur atq; orationibus adiuuetur.

10 Lib.de correptione, & gratia ad Valentinũ. to.7. IDEM ait: Adam & terrente nullo, & inſuper contra Dei terrentis imperium, libero vſus arbitrio, non ſtetit in tanta fœlicitate, in tanta non peccandi facilitate. Martyres autẽ non dico terrente mundo, ſed ſæuiente ne ſtarent, ſteterunt in fide, cũ videret ille bona præſentia, quę fuerat relicturus, iſti futura, quę accepturi fuerant, non viderunt. Vnde hoc, niſi donante illo, a quo miſericordiam conſecuti ſunt, vt fideles fierent, a quo acceperunt ſpiritum nõ timoris, quo perſequentibus cederent, ſed ſpiritum virtutis & charitatis, quo cuncta minantia, cuncta inuitantia, cuncta cruciantia ſuperarent. *2. Tim. 1.*

IDEM explicãs verba illa de martyribus, quoniam ſanguinem eorũ recordatus eſt, inquit: In his verbis docet non ſine magno fructu æternitatis morituros in pſecutione Chriſtianos. Sed cur ſanguinem eorum maluit dicere? An quaſi alius imperitior,& minoris fidei quæreret, dicens: Quomodo annunciabũt, cũ in eos infidelitas gẽtium ſæuitura ſit? Huic reſpondetur: Quoniam requirens ſanguinem eorum recordatus eſt, ideſt, veniet vltimũ iudicium, vbi & interfectorum gloria, & interficiẽtium pœna manifeſta erit. Recordatus eſt autem. Nemo ita poſitum putet quaſi obliuio cadat in Deum, ſed quia poſt longum tempus futurum eſt iudicium. Secundum affectum infirmorum hominum poſitum eſt, qui quaſi oblitum Deum putant, quia non tam cito facit, quàm ipſi volunt. 11 Enarrat. in pſal.9. to.9.

IDEM dicit: Paſsionis ſanctorum martyrum diem hodie feſtum habentes, in eorũ recordatione gaudeamus, recolentes quod patiebantur, & intelligentes quid intuebantur. Nunquã enim tantas tribulationes carne tolerarent, niſi magnã quietem mente cõciperent. Infra: Exaudi Deus orationem meã cũ deprecor, a timore inimici eripe animã meã, ſæuierũt inimici in martyres. Quid orabat iſta vox corporis Chriſti? Hoc orabat vt eruerẽtur ab inimicis, & eos non poſſent occidere inimici. Ergo exauditi non ſunt, quia occiſi ſunt, & deſeruit Deus cõtritos corde ſeruos ſuos, & ſperantes in ſe deſpexit? Abſit. Quis enim inuocauit Dominum, & derelictus eſt ab eo? Quis ſperauit in eum, & deſertus eſt ab eo? Exaudiebantur ergo, & occidebantur, & tamen ab inimicis eruebantur. Alij timentes conſentiebãt, vt viuebant, & tamen ipſi ab inimicis abſorbebantur, occiſi eruebantur, viuentes abſorbebãtur. Inde eſt, & illa vox gratulationis, forſitan viuos abſorbuiſſent nos. Multi abſorpti, & viui abſorpti, multi mortui abſorpti. Qui putauerũt inanem eſſe fidem Chriſtianam, mortui abſorpti ſunt. Qui autem ſcientes veritatẽ eſſe prædicationem Euangelij, Chriſtũ eſſe filiũ Dei ſcientes, & hoc credentes, & hoc intus tenentes, ceſſerunt tamen doloribus, & idolis ſacrificauerunt, viui abſorpti ſunt. Illi abſorpti, quia mortui, illi autem quia abſorpti mortui. Ergo hoc orat vox martyrũ. A timore inimici eripe animã meam. Non vt me nõ occidat inimicus, ſed vt nõ timeam occidentem inimicũ. Hoc orat in pſalmo impleri ſeruus, quod Dominus iubebat in Euãgelio: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animã autem nõ poſſunt occidere, ſed eum potius timete, qui habet poteſtatem, & animã, & corpus mittere in gehenam. Et repetiuit ita, ergo dico vobis, hunc timete. Qui ſunt qui corpus occidunt? inimici. Quid iubebat Dominus? ne timerẽtur. Oretur ergo, vt præſtet quod iubet. A timore inimici eripe animam meam. Erue me a timore inimici, & ſubde timori tuo. Non timeam eum, qui corpus occidit, ſed eum qui corpus, & animam poteſt occidere. Non enim a timore volo eſſe immunis, ſed a timore inimici liber, ſub timore 12 Enarrat. in pſal.63. *Pſal.123.* *Matt. 10.*

more Domini ſeruus.

13 Concione 31. in Pſal. 118. IDEM explicans verba illa: Et a verbis tuis formidauit cor meum, ait: Nonne Eccleſia præcepit, vt pro regibus, & principibus orarent fideles, vt eis obedirẽt, ipſiſq. tributa præſtarent? Quare ergo principes perſequebantur illos? Sine cauſa vtique, & ideo regius vates, ait: Principes perſecuti ſunt me gratis, ſed a verbis tuis formidauit cor meum. Habuerũt quidem & illi verba minacia, expello, occido, vngulis torqueo, ignibus torreo, beſtijs ſubigo, membra dilanio, ſed tua me potius verba terruerunt. Nolite timere eos qui occidunt corpus, ſed eum timete, qui poteſt corpus, & animam perdere. Ab his verbis formidauit cor meum, & contempſi hominem perſecutorem meum, & vici diabolum perſecutorem meum.

14 Sermone 8. de ſanctis, qui eſt pritatus in feſto B. Vincatij. to.1. IDEM ſic habet; Magnum ſpectaculũ ſpectauimus oculis fidei martyrem ſanctum Vincentium vbique vincentem. Vicit in verbis, vicit in pœnis, vicit in confeſsione, vicit in tribulatione, vicit exuſtus in ignibus, vicit ſubmerſus in fluctibus. Quando caro eius in qua erat trophæum Chriſti victoris de nauicula mittebatur in mare tacitè dicebat: Deijcimur, ſed non perimus. Magnum certamen, magnam cõparat gloriam diuinam, & ſempiternam, fides pugnat, & quando fides pugnat, carnem nullus expugnat. Quia etſi laniatur, etſi laceratur, quando perit, qui ſanguine Chriſti redemptus eſt? Potens homo non poteſt perdere, quod emit ſanguine ſuo. Infra: Erat videre inuictam martyris animam contra inſidias antiqui hoſtis, contra ſæuitiam impij iudicis, contra dolores mortalis carnis acerrima conflictatione certamen, & in adiutorio Domini cuncta ſuperantem. Tanta pœna erat in membris, tanta ſecuritas in verbis, tanquam alius torqueretur, alius loqueretur. Et verè alius, prædixit enim Dominus martyribus: Non vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Nam quæ vires puleris, niſi illo adiuuante, qui nos fecit ex puluere, vt qui gloriatur in Domino glorietur? Magis diabolus, non victo Vincentio, quàm Vincentius perſequente diabolo, torquebatur. Quanto enim erant illa truculentiora, & exquiſitiora tormenta, tanto magis tortus de torquente triumphabat, & ex illa carne tanquam ex terra ſuo ſanguine irrigata, de qua plus dolebat inimicus, palma creſcebat. Voces tyranni, oculi, vultus, & turculentus totius corporis motus indicabant, quàm grauiora tormenta ſentiret interius, quàm erant, quę martyri infligebantur exterius. Si conſideremus perturbationem torquentis, & tranquillitatem tormenta patientis, videre facillimum eſt, quis erat ſub pœnis, quis ſupra pœnas. Quę gaudia erunt in virtute regnantium, quando tanta ſunt pro veritate morientium? Quid erit cum corporis incorruptione fons vitæ, quãdo ros eius inter tormenta tam dulcis eſt? Et quid faciet impijs æterna flãma, quos ita vaſtat irati cordis inſania? Quid paſsuri ſunt, cũ iudicabuntur, qui iam cũ iudicant cruciãtur? *Matt. 10.*

Ad matrimonium contrahendum virtus quæratur vxoris, cuius onera, etſi grauia, ferenda ſunt, & pax inter coniuges ſeruanda. Cap. VIII.

1 Lib.de vera virginitate ad Letoum Meliteſem Epiſcopum to.2. BASILIVS ſic ait; Virgo a corporis voluptatibus animam ſegregans, animumq. totum ad amorem cæleſtiũ intentiſsime dirigẽs, omnia, quæ in mundo ſunt iucunda, calcabit, nec modo feret his quæ dulcia putantur, & ſuauia non perfrui, verum & nuptarũ perpetuas ærumnas miſerabitur, quæ tẽporibus his, meleſtiſq. voluptatibus addictæ ſunt. Nẽpe enim eius quæ nupſit multiplices (vt ſic dixerim) mortes, quas illa in dies patitur e regione cõſiderans ſibi ipſi profecto, propoſitoq. ſuo gratulabitur. Nã quæ mortali connubio coniuncta eſt, ad ſuam ipſius curam viri quoq; adiecta, gemmam in vna anima ex coniuncto ſibi corpore, ſollicitudinem neceſſario ſuſtinet. Nec iã vnius tantũ corporis laborat gratia, ſed in vna (vt dixi) anima, & ad ſuũ, & ad viri corpus curandum iugiter intenta diuiditur. Vbi verò filios poſt cubiculi ſolemnia, & ſecreta cõmercia parturire, atq; in lucẽ edere cęperit, per vnumquemq; naſcentem animo ſcinditur, & præſentibus triſtibus naſcituri cura ſemper adijcitur. Ac ſi quidem virum bonũ, blandumq. nacta fuerit, perpetuo ne moriatur metu viduitatis, incõmoda, cruciatuſq. iam ſuſtinet, diram quandam, & imminentem curã, & præſente illo, & abſente propter inſperatos caſus, animo indeſinenter excipiens. Si verò cõtra duro, & immiti fuerit coniuncta, tota quidẽ vita illi cruciatus eſt, & cum pudicitiæ ratione neutrum queat eligere, id eſt, nec viri mortem propter viduitatis anguſtias, nec vitam ob moleſtiam, incommodumq. conuictus, ancipiti, atque ineuitabili malo, acerrimiſq. doloribus ſemper atteritur. Inde vbi filios edidit, aut ad bonam illi frugẽ euaſerunt, & maiores ex illorum abſentia dolores iugiter tolerat, quã parturiens tulerat, aut malos euaſiſſe cõſiderat, & maius ex ea procreatione liberorum, quam ſi permanſiſſet ſterilis opprobrium ſuſtinet. Sępe antequam prædicta experiatur incommoda ſi mul & ſponſa, & vidua efficitur, ac ſine liberis in viduitatẽ delapſa, nec vxor iam, nec virgo, nec mater eſt, ſic profecto omnibus, quę putantur læta coniugij, ſimul amiſsis breuiſsimo voluptatis ſenſu, irrecuperabilẽ virginitatis perdidit florẽ, coniugijq. tantum ſolummodo experta eſt, quantum illi ſatis eſſet ad dignoſcenda viduitatis incõmoda. Quod ſi relicta vidua pupillos enutriat filios, eius, quẽ ex viri morte perceperat, mæroris iuge illos monumentum cernit, & ſemper in lachrymis, ſemper in gemitu, ſemper in ſollicitudine educandorũ degẽs, nullum pręterito malo ſolatiũ inuenit. Et quid plura perſequi neceſſe eſt? Dominum ſibi cum dote infœlix mulier coemens virũ, ancilla pro libera efficitur, breuiſsimæq. voluptatis gra- 2

tia, naturali libertate se priuans, ianuam sibi ineffabilem dolorũ, perpetuiq. mœroris per huiusmodi connubiũ aperit. Manet enim immota maledictionis aduersus illã prolata sententia, quæ per omnes nuptias velut epithalamiũ ita canit. In dolore paries filios, & ad virũ cõuersio tua, & ipse dominabitur tui. At verò prudens virgo iugũ huiusmodi seruitutis abijciens, & tota intentione ad Dominum currẽs, vnà dolorẽ quoq; qui ex maledictione intentabatur abrupit. Effugit qppe partus angustias, effugit mortalis viri miserũ iugũ. Simulq. incõmoda omnia, quæ ex nuptijs prouenire mõstrauimus. Effugit item peccatorũ omnigenũ inextricabiles nexus, & retia vitę prẽsentis eua sit. Insuper integra tota, atque illibata anima æterno regi se læta despondit, nec iam ad mortalem virum cõuersionem suam fieri patitur, sed frugi perseuerans, se in vitæ constantia, & honestate corã Domino semper exercet. Quippe coniugij finem corruptionẽ, & iniurias esse considerans, ex ipso fine totam nuptiarum tragœdiam prudenti ratione collegit, declinansq. primam tristium causam, manantem quoq; ex ea pressuram simul effugit.

Gen. 3.

3 Hom. 38. in Gen. to. 1.

CHRYSOSTOMVS explicans verba, quæ dixit Abraham Saræ: Ecce ancilla in manibus tuis est, vtere ea, vt tibi libitum fuerit, inquit: Scio Sara quem tibi honorem debeam. Vnum tantum est cui studeo, vt tu mœrore careas, & turbatione ac in omni sis honore. Hoc est verũ contuberniũ. Ita vir qñ non magna diligentia ad mulieris spectat verba, sed imbecillitati sexus veniæ nõ nihil cõcedit, hoc vnũ satagat, vt e medio tollatur tristitia, & pax, atq; cõcordia cõstringatur arctius. Audiant viri, & imitẽtur iusti lenitatẽ, & tantũ honorem ac reuerentiã mulieribus tribuãt, vt & imbecilli vasculo parcant, & concordiæ vinculũ crescat. Illæ enim veræ sunt diuitiæ, illæ maximę sunt facultates; si vir cũ muliere nõ discordet, sed cõiuncti sint vt corpus vnũ. Erunt enim, inquit, duo in carne vna. Tales etsi in paupertate sint, etsi in vilitate, omniũ sunt beatissimi, verã percipiunt voluptatẽ, & in continua consistunt tranquillitate. Sicut contra, qui hac non fruuntur, sed zelotypia laborant, & bonum pacis amittunt; etiã si magnis affluant diuitijs, etiã si sumptuosas habeant mensas, etiã si clari fuerint ac nobiles, miserrimi omniũ sunt, turbelas & fluctus sibi quotidie excogitãt, nullamq. voluptatem habere possunt, interno bello omnia cõfundentes, multamq. eis amaritudinẽ inuehente. Verum hic nihil tale, sed patriarcha indignationẽ vxoris sua placauit lenitate, & domum pace repleuit. Infra: Vnius rei cura sit viris, vt tristitię causa e medio tollatur, crescatq. ac roboretur pax domestica; vt & illa erga virũ suũ habeat conuersionẽ, & vir ab externis & forẽsibus negotijs, & turbationibus, ad eã quasi ad portũ confugiat, & omnigenã inueniat consolationẽ. In adiutoriũ enim data est, vt contentus eius consolatione, quæ occurrunt aggredi queat alacriter. Nã si fuerit ornata virtutibus, & mansueta, omnia viro suauia, & facilia reddit, & percipere non finit illas externas malitias, neq; difficultates, quæ quotidie domi nascuntur, sed quasi gubernator optimus omnẽ eius tempestatẽ in serenitatẽ sua sapientia conuertit, intelligentiaq. sua magnã confert cõsolationem. Quando concordia, & pax, & vinculũ dilectionis cũ muliere, & viro fuerit, omnia simul affluunt bona, & nullis insidijs expositi sunt, magno & inexpugnabili quodam muro circundati sua iuxta Dei præceptũ concordia. Hoc ferro fortiores eos reddet, hoc omnibus diuitijs magis locupletabit, hoc supernã gloriam eis conferet, hoc & Dei beneuolentiam eis vbertim cõciliabit. Tunc & filij, qui nascũtur virtutem sequentur, quos imitabuntur & serui, & vndequaque domus virtute florebit, eritq. multiplex rerum prosperitas.

Gen. 2.

4

5 Hom. 48. in Genesim.

IDEM explicans verba illa, quæ Gen. 24. dixit orans ad Dominum seruus Abrahæ, quærens vxorem Isaac: Ecce ego steti prope fontẽ aquę, filiæ autem habitantium ciuitatem egrediuntur vt hauriant aquã, & erit virgo, cui ego dico, inclina hydriam tuam, & bibã, & dixerit mihi, bibe, & camelos tuos potabo. Illam pręparasti puero tuo Isaac, & in hoc cognoscam quòd fecisti misericordiam domino meo Abraham, inquit: Vide serui prudentiã. Nam quia sciuit patriarchæ hospitalitatem, & quia virginem inde ducendã cõgruebat, ijsdem esse præditam moribus, quibus iustus, nullam aliã coniecturam inquirit: sed characterem virginalis animi hospitalitate colligere vult. Infra: Vidisti quomodo solebant olim filijs suis vxores ducere? Quomodo magis animi generositatem, quam opum abundantiam inquirebãt? Nusquam instrumenta, nusquã pacta, & alia ridicula, quæ nunc apud nos fiunt, & verba illa, quæ in litteris continentur, si absq; liberis, inquit, moritur, si hoc & hoc contingat. Verum apud illos nihil tale; sed maximæ, & securissimæ litteræ erant virginis mores non choreæ. Infra: Intrauit Isaac in domum matris suæ, & accepit Rebeccam, & fuit ei vxor & dilexit eã. Hanc imitentur mulieres, hunc æmulentur viri. Sic sponsas ducere curent. Quare enim, dic oro statim ab initio sordibus impleri sinis aures puellæ, tam turpibus cantilenis, tam intẽpestiua illa pompa. Oportebat omnia hæc depellere, & verecundiam principio dolere, puellam & sacerdotes vocare, & precibus & benedictionibus concordiã coniugij constringere, vt amor sponsi augeatur, & puellę continentia crescat, & omnia quæ fiunt eo spectent, vt virtutis opera ingrediantur in domum illam, tollanturq. e medio omnes diaboli insidiæ, & ipsi gratia Dei vniti iucundè vitam perficiant.

Gen. 24.

6 Hom. 56. in c. 29. Gen.

IDEM explicãs verba illa; Accepit Laban Liam filiã suã, introduxitq. eam ad Iacob, ait: Vidisti cũ quanta olim honestate nuptias egerint? Num tunc tibiæ, nunc choreę diabolicæ? Quare enim, dic mihi, tantum statim ab initio damnũ inducis in domũ tuam, & eos qui in scęnis operã locant vocas: vt cum intempestiuo sumptu virginis lædas continentiã, & iuuenẽ impudentiorẽ facias? Satis enim arduum erat illam

illam ætatẽ absq; illis sufflationibus posse ferre æquiter tempestatem affectionum, cum autẽ & hæc accedũt, tam quæ videntur, quam quæ audiuntur, maius accendunt incendiũ, & fornax concupiscentiarum magis inflammatur, quomodo non pessum it adolescentis anima? Hinc enim omnia pereunt, & corrumpuntur, quia ab initio castitas oppugnatur eorum, qui inter se conuenturi sunt: & sæpe primo die iuuenis oculis videns incontinentibus telo diabolico in anima vulneratur, & puella per ea, quæ audit, & videt captiua fit, & ab eo die postea crescunt vulnera, maiusq. fit malum. Etenim illinc statim discunt, vt & mutuã concordiam dilacerent, & amorem corrumpant.

7 Quando enim ille mentem ad aliam verterit, huc & illuc diuidens cogitationem, & a diabolo suo instigatur; multa amaritudine domum implet. Quod si & illa comperitur ita affecta esse: ex ipsis fundamentis omnia, vt ita dicam, euertit. Postea mutuum se fugiunt, & latere volunt; & ille quidem suspiciosè obseruat vxorem, & illa virum. Et vbi oportebat concordiam esse, & copulam, & qui debebant esse caro vna; hi in tanta viuunt diuisione quasi dissecti sint. Diabolus enim subingressus tantum in eis damnum facit, vt quotidianæ pugnæ inter eos nascantur; & a malis nunquam habeant quietem. Quid enim quis dixerit, quomodo postea a famulis contemnantur, a vicinis rideantur, quam fœda operentur? Nam sicut quando gubernatores inter se dissident, etiam qui in naui feruntur periclitantur, ac timent ne submergatur nauis; ita & hic si discordes sint vir & mulier: verisimile est omnes, qui apud illos sunt, participes esse malorum. Vnde hic non solum Iacob, sed & Laban idolorum cultui adhuc deditus introduxit filiã Liam ad Iacob sine præuijs saltationibus, &c. Infra: Tunc quando plurimam oportebat esse reuerẽtiam; cum hi ac sanctum Ecclesiæ accedant sacramentũ, in quo Christi, & Ecclesiæ coniunctio significatur, quando maior castitas, & honestas ostẽdenda, obscœnitate implentur omnia illa, vt probabile fit, a diabolo hæc omnia inuẽta esse.

8 Hom. 29. in Matt. to. 2.

IDEM dicit: Non vxores, opes; sed virtus diuitias præparat. Nam quæ vtilitas maximæ dotis est; cum inepta, prodiga vxor sit: cum vt ventus omnia dissipet? Quid porro si lasciua, petulansq. sit; quam mille consequantur amantes? Quod si etiam ebriosa, nonne citius in summã maritum depellet paupertatem? Hæc omnia vobiscũ, oro, sæpius versatæ.

9 Hom. 60. in Iuuen. to. 3.

IDEM ait: Nihil potentius muliere bona ad instituendum, & informandum virum quodcumque voluerit, neq; tam leniter amicos, neque magistros, neque principes patietur, vt coniugem admonentẽ: habet enim voluptatem quandam admonitio vxoria, cum plurimum amet cui consulit. Multos possum afferre viros asperos & immites, per vxorem mites redditos & mansuetos: ipsa enim mensa, lecto, filiorum educatione, & alijs plurimis cum marito communicans, & vt corpus capiti coniuncta, si prudens erit, & diligens, omnes vincet. Nec verbis tantum: sed re informandus est coniux. Quomodo autem re ipsa eum erudiemus? cum te non malam viderit, non pretiosis indutam, non superflua expetentem, sed necessarijs contentam viderit, tunc enim consulentem patietur.

10 Hom. 26. in 1. epist. Pauli ad Corinthios. to. 4.

IDEM sic habet; Cum virum tuum admoneo, vt te amet, & colat, nõ permitto vt legem mulieri positam ipse in medium adducat; sed quæ ipsi viro scripta est, exigo. Tu igitur, quæ decent operare dumtaxat, & exhibe te viro facilem. Vel potius si propter Deum viro parueris, noli mihi proponere, quæ ab eo fieri deceant, sed ea quibus te legislator fecit obnoxiã diligẽter exequere. Hoc enim est maxime Deo parere, si aduersa etiam patiens, legem nõ prẽuariceris. Propterea qui amicum amat, nihil sibi magnum facere videtur. Qui verò exosum colit, hic maximè coronatur. Eodem & tu modo considera, quod si modestum virum pertuleris & mansuetum, quod nam tibi prẽmiũ Deus dabit? si autem immodestum, clarissimã coronam accipies. Hæc autem dico, nõ vt viros in mulieres exasperari admoneã, sed suadeo mulieribus, vt viros etiam asperiores perferant. Quando enim vterq; suum nititur implere officium, etiam proximi vtilitas sequitur, vt exẽpli gratia, quando mulier asperiorem virum perferre parata est, & vir molestiorem etiam mulierem, contumelia non afficit, tunc omnia quieta sunt, & portus ibi tranquillissimus patet. Ita priscis fiebat temporibus suum vnusquisq; officium implebat, nõ quod proximum deceret, requirebat. Considera quæso, accepit fratris filium Abraham, scilicet Loth in domũ suam, non accusauit vxor: iussit vt longũ iter faceret, non contradixit, sed mandatum secuta est. Item post multas illas miserias, sudores, & labores omniũ dominus factus, cessit ipsi Loth Abraham prælatione illa, & non solũ non ægre tulit Sara, neq; quidquã tale locuta est, quemadmodum multæ hoc tempore mulieres assolent, cum in huiusmodi partibus viros suos inferiores videant, & maximè minoribus cõparatos eos stultos, dormientes, effœminatos, proditores, stupidos, exprobrando appellant. At Sara non modo tale quidquã non dixit, sed nec cogitauit quidem. Cumq. vir eius multa vellet aggredi difficilia propter ea, vt Loth cõsobrinum suum ab hostibus liberaret, illa tacuit, nec viri contradixit voluntati. Sed animaduerte quomodo vterque decorem seruat. Neq; Abraham Saram tanquam sterilem contempsit, neq; quidquam tale exprobrauit. Infra: Si alienis, qui dextram nobis maxillam percutiant, etiam sinistram præbere oportet; longè magis asperior vir ferendus est. Neque verberandã vxorem dico, absit. Vltima namq; ignominia est, nõ eius quæ verberatur, sed eius qui verberat. Sed si casu aliquo talem nacta fueris maritum, noli ægre ferre, sed repositum tibi ex his præmium intellige, & in præsenti

Gen. 12.

Gen. 13. 11

vita laudem. Et vos viros illud admoneo, nullum sit tam graue peccatum, quod ad verberandam vxorem vos compellat, & quid vxorem dico? Ne seruam quidem verberare, & manus in eam injcere, viro libero esset tolerandum. Quod si seruam verberare viro maximæ ignominiæ est, multo magis contra liberam dextram extendere. Et hoc a gentium legislatoribus cognoscere licet, qui quæ vapulauerit non amplius cum marito habitare cogunt, vt pote qui indignus sit, vt cum ea amplius consuetudinem habeat. Etenim summa iniuria est vitæ sociam, & in rebus necessarijs antea tibi coniunctam, tanquam mancipium ignominia afficere. Ideo huiusmodi virum, si quidem vir appellandus est potius quã fera, & patricidæ, & matricidæ, similem esse dixeris. Nam si patrem, & matrem, vxoris gratia relinquere præcipimus, non vt iniuriã
Gen. 2. eis faciamus, sed diuinam legem impleamus;
12 & ipsis parentibus tam gratum hoc est, vt relicti gratiã habeant, & id multo studio exequantur. Quonam pacto non vltimæ dementiæ est eam contumelia afficere propter quam parentes dimittendos præcepit? Nonne hoc tantũ insania? infamiam autem quis feret quæso, Quando vlulatus & gemitus per angiportus tolluntur, & tam turpis viri domum à vicinis & prætereuntibus concurritur, tanquam ad feram quandam omnia domi vastantem; cur sane esset melius vt terra dehiscceret, quã amplius in foro conspiceretur. Sed incitat mulier inquis. Verum considera mulierem debile vas esse. Tu autem vir propterea princeps factus es, & capitis loco datus, vt subditæ feras imbecillitatem. Velis igitur tuum illustrare principatum, quod facies si subditæ non insultaueris; & quemadmodum rex tanto clarior apparet, quanto præfectũ suum clariorẽ ostendit, quem si inhonoraret, & contumelia illius dignitatis magnitudinem afficeret, non paruam gloriæ suæ partem auferret: itidem & tu si illam, quæ post te secundum obtinet locum contumelia afficis, non parum tui principatus honori derogas. Hæc igitur omnia tecum reputa & modestus sis, & cum his illius noctis recordare, qua aduocato te ad se pater tanquam depositum quoddam filiam dedit tibi & omnibus relictis matre, domo, & se ipso, omnem eius curam tuæ dextræ commisit. Portus est mulier: & maximum securitatis remedium. Quod si vẽtis & fluctibus portum liberaueris, ex foro reuersus trãquille viues. Quod si perturbatione & tumultu impleueris, tibi ipsi longe grauius strues naufragium. Quotiescũque ergo aliquid molesti domi contigerit, si quid vxor peccauit, consolare, & noli merorem augere. Licet enim omnia proijcias, nihil molestius continget quam non habere domi beneuolam vxorem; licet quodcũque dixeris peccatum, nullum magis dolendum inueneris,
13 quam cum vxore seditionem habere. Quod si inuicem onera ferenda sunt, multo magis vxoris, Et si pauper sit, noli exprobrare, etsi stulta noli ei insultare sed esto modestior: etenim caro vna facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda. Igitur dolendum est, non irascendum; & Deo supplicandum est, & ipsa admonenda, & adiuuanda consilio, & omni conatu anniten dum vt illis liberetur affectibus. Quod si verberaueris exasperabis morbũ; asperitas enim mansuetudine, non alia asperitate dissoluitur. Fertur quendam externorum philosophorum cum vxorem haberet prauam, temulentam, & interrogaretur qua gratia eius mores toleraret, respondisse: vt gymnasium & palestram philosophiæ domi habeam, ero enim, inquit, cum alijs mansuetior, cum in ea quotidie toleranda erudiar. Multum ego doleo quod gentiles nobis sint sapientiores; nobis inquam, qui angelos imitari iubemur, vel potius ipsum Deum per mansuetudinem. Admoneo ergo vt primum omnia faciant homines, & conentur, vt bonam accipiant vxorem, & omnis plenam virtutis. Quod si falli contingeret, vt neque bonam neque tolerabilem vxorem domum duceret: tunc philosophum hunc imitari, & eam omni ex parte informare, & nihil eiusmodi proponere oportet. Nam & mercator nisi cum socio pacta faciat, quibus pacifice inter se viuant, non prius deducit nauem, neque alias tangit merces. Itidem & nos omnia faciamus, vt vitæ sociam, & huius negotiationis, & nauis summa cum tranquillitate domi contineamus. Hoc pacto cætera omnia tranquilla succedent, & securæ præsentis vitæ pelagus transmittemus. Hæc nobis domo, seruis, pecunijs, agris, & omnibus denique rebus honorabilior sit ne ve ipsa nobis cum domi in seditione, & discordia viuat: Ita & alia nobis ad voluptatem cedent, & in rebus spiritalibus multã habebimus commoditatem: si vnanimes hoc iugum traxerimus, & omnia recte transigerimus, & quæ nobis reposita sunt bona consequemur.

14 HIERONYMVS refert mirabile dictu Epist. 11. ad Geruntiam to. 9. & ante annos plurimos, cũ in chartis Ecclesiasticis inuuaret Damasum Papã, vidit duo inter se paria vilissimorum e plebe hominum comparata, vnum qui viginti sepelisset vxores, altera quæ vigesimum secundum habuisset maritum, extremo sibi, vt ipsi putabant, matrimonio copulatos. Infra: Vidua quæ iudicio Dei virum habere desijt illud lætabunda congeminet, Dominus dedit, Dominus abstulit, & oblatam occasionem arripiat libertatis, vt sui corporis habeat potestatem. Hæc rursum ancilla fiat hominis. Infra: Quod si post diluuium, & ante diluuium viguit ista sententia crescite, & multiplicamini, & replete terram. Quid ad nos in quos fines sæculorum decurrerunt, quibus dicitur: Tempus breue est: Tempus amplexandi: & tempus longe fieri ab amplexibus. Hieremias captiuitate propinqua, vxorẽ prohibetur accipere. Ezechiel in Babylone Mortua, inquit, est vxor mea, & apertum est os meum. Nec ducturus vxorem nec ille, qui duxerat, possunt in opere

Iob 2. Gen. 1. 1. Cor. 10. 1. Cor. 7.

opere coniugali libere prophetare.

15 IDEM inquit: Nihil in Marcella laudabo, Ep. 16. quæ est ad Principiã virg. Marcellę viduæ epitaphium to. 3 nisi quod orba patris morte, viro quoque post nuptias septimo mense priuata est: Cumque eam cerealis (cuius clarum inter consules nomen est) propter ætatem, & antiquitatem familiæ, & insignem (quod maxime viris placere consueuit) decorem corporis, & morum temperantiam, ambitiosius peteret, suasq. longeuus polliceretur diuitias, & non quasi in vxorem, sed quasi in filiam vellet donationem trãsfundere, Albinaq. mater tam clarum præsidiũ viduatæ domus ultro appeteret, illa respondit, si vellem nubere, & non æterne me cuperem pudicitiæ dedicare, vtique maritum quærerem non hæreditatem.

16 IDEM refellẽs primam eius hæresim qua Libro 1. adversus Iouinianũ. to. 2. asserebat in matrimonio & virginitate viuere eiusdẽ esse meriti, sic habet: Opponã in prima frõte Apostolũ Paulũ, inter cetera per litteras Corinthij quæsierant, vtrum post fidem Christi cælibes esse deberent, & continentiæ causa quas habebãt vxores dimittere: an si virgines credidissent inirent matrimonia. Videamus quid ad hæc Paulus rescripserit. De his autem 1. Cor. 7. quæ scripsistis mihi, bonum est homini mulierem non tangere &c. Vxor proprij corporis non habet potestatem, sed vir, similiter, & vir proprij corporis sui non habet potestatem sed vxor &c. Dico autem innuptis, & viduis, bonum est eis si sic permanserint, vt ego.
Infra: Nolite fraudare inuicem, nisi forte ad tempus, vt vacetis orationi. Oro te quale illud bonum est, quod orare prohibet? Quod corpus Christi accipi non permittit? Quamdiu impleo mariti officium, non impleo Christiani? Petrus Apostolus experimentum habẽs coniugalium vinculorum, vide quid doceat Christianos; similiter viri quasi infirmiori vasculo muliebri tribuentes honorem, vt non impediantur orationes vestræ. Ecce eodem sensu quo Paulus impediri dicit orationes officio coniugali. Infra: Indi, vt omnes pene barbari, vxores plurimas habent. Apud eos lex est, vt vxor charissima cum defuncto marito cremetur. Hæ igitur contendunt inter se de amore viri, & ambitio summa certantium est, ac testimonium castitatis, dignam morte decerni. Itaque victrix in habitu ornatuq. pristino iuxta cadauer accubat: amplexans illud, & deosculans, & suppositos ignes pudicitiæ laude contemnens. Puto quæ sic moritur, secundas nuptias non requirit. Xenophon in
17 Cyri maioris scribit infantia, occiso Abradatæ viro, quem Panthea vxor miro amore dilexerat, collocasse se iuxta corpus lacerum: & confosso pectore sanguinem suum mariti infudisse vulneribus. Iustam causam regis occidendi putauit vxor, quam amicus nudam amico suo, & ignorantem monstrauerat. Iudicauit enim se non amari, quæ & alteri posset ostendi. Rhodogune filia Darij post mortem viri, nutricem, quæ illi secundas nuptias suadebat occidit: Laodamia poetarum ore cantatur, occiso apud Troiam Protesilao, noluisse superuiuere. Martia Catonis filia minor, cum quæreretur ab ea, cur post amissum maritum denuo non nuberet: respondit. Nõ se inuenire virum, qui se magis vellet quam sua. Quo dicto ostendit diuitias magis in vxoribus eligi solere quam pudicitiam, & multos non oculis, sed digitis vxores ducere. Optima sane res quam auaritia conciliat. Eadem cum lugeret virum, & matronæ ab ea quærerent, quem diem haberet luctus vltimum, ait. Quem & vitæ. Anniam cum propinquus moneret, vt alteri viro nuberet esse enim ei, & ætatem iutegram, & faciem bonam: nequaquam inquit, hoc faciam. Si enim virum bonum inuenero, nolo timere ne perdam, si malum quid necesse est post bonum, pessimum sustinere? Valeria Messalarum soror amisso seruio viro nulli volebat nubere. Quæ interrogata cur hoc faceret, ait, sibi semper maritum Seruium viuere. Fertur Aureus Theophrasti liber de nuptijs, in quo quærit an vir sapiens ducat vxorem? Et cum definisset si pulchra esset, si bene morata, si honestis parentibus, si ipsæ sanus ac diues, sic sapientem aliquando inire matrimonium, statim intulit, hæc autem in nuptijs raro vniuersa concordant. Non est ergo vxor ducenda sapienti. Primum enim impediri studia philosophiæ, nec posse quenquam libris, & vxori pariter inseruire. Multa esse, quæ matronarum vsibus necessaria sunt, pretiosæ vestes aurum, gemme, sumptus ancillæ, suppellex varia, lecticæ. Deinde per noctes totas garrulæ conquæstiones, illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratur ab omnibus, ego in conuentus fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? Alterius amorem suum odium suspicatur. Si doctissimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem reliquere, nec cum sarcina ire possumus. Pauperem alere difficile est: diuitem ferre tormentum. Adde quoniam nulla est vxoris electio, sed qualiscumque obuenerit habenda. Si iracunda, si fatua, si deformis, si superba, si fœtida, quodcunque vitij est, post nuptias discimus. Equus, asinus, bos, canis, & vilissima mancipia, vestes quoque, & lebetes, & vrceolus fictilis, probantur prius, & sic emuntur. Sola vxor non ostenditur, ne ante displiceat quam ducatur. Attendenda semper eius est facies, & pulchritudo laudanda: ne si alteram aspexeris, se existimet displicere. Quoscunque illa dilexerit, ingratis amandi. Si totam domum regendam ei commiseris: seruiendum est. Si aliquid tuo arbitrio reseruaueris, fidem sibi haberi non putabit, sed in odium vertetur ac iurgia? Si intromiseris ad eam viros, periculum pudicitię est: si prohibueris suspicionis iniuria. Verum quid prodest etiam diligens custodia, cum vxor impudica seruari non possit, pudica non debeat? Infida enim custos est castitatis necessitas, &
18 illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si vo-

si voluit. Pulchra cito adamatur, fœda facile concupiscit. Difficile custoditur, quod plures amant. Molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quam formosa seruatur. Nihil tutum est in quod totius populi vota suspirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetijs, alius liberalitate sollicitat. Aliquo modo vel aliquando expugnatur, quod vndique incessitur. Vxor in eo se existimat dominam, si
19 aduersus viri faciat voluntatē, id est, quod placet, non quod iubetur. Quod si bona fuerit, & suauis vxor (quæ tamen rara auis est) cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Porro liberorum causa vxorem ducere, vt vel nomen nostrum non intereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certis vtamur heredibus stolidissimum est. Quid enim ad nos pertinet recedentes e mundo, si nomine nostro alius nominetur? Aut quæ senectutis auxilia sunt enutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut peruersissimis sit moribus? Aut certe cum ad maturam ætatem venerit, tarde ei videaris mori? Heredes autem melio res, & certiores amici sunt, & propinqui, quos iudicio deligas, quam quos velis nolis habere cogaris. Licet certior hereditas sit quoad viuis bene vti substantia tua, quàm tuo labore quæsita, in incertos vsus relinquere, hactenus Theophrastus. Cicero rogatus ab Hircio, vt post repudium Terentiæ, sororem eius duceret, omninò facere supersedit dicens: non posse se vxori, & philosophiæ pariter operam dare. Quodam tempore, cum infinita conuitia ex superiori loco ingerenti Xantipæ restitisset Socrates vir eius, aqua perfusus immunda, nihil amplius respondit, quam capite detersо, sciebam, inquit, futurum, vt ista tonitrua imber sequeretur. Philippum regem Macedonum introeuntē ex more cubiculum vxor exclusit irata, qui exclusus, tacuit. Gorgias Rhetor librum pulcherrimum de concordia Græcis tunc inter se dissidentibus recitauit Olympiæ. Cui Melantius inimicus eius: hic nobis, inquit, de concordia præcipit, qui se & vxorem, & ancillam eius in vna domo concordare non potuit. Aemulabatur quippe vxor ancillulæ pulchritudini, & castissimum virum quotidianis iurgijs exagitabat. Legimus quem dam apud Romanos nobilem, cum eum amici arguerēt, quare vxorem formosam, & castam, & diuitem repudiasset, protendisse pedem, & dixisse eis: & hic soccus, quem cernitis, videtur vobis nouus, & elegans, sed nemo scit præter me, vbi me premat. Epicurus, voluptatis assertor, rarò dicit, sapienti ineunda coniugia, quia multa incommoda admixta sunt nuptijs. Graue autem aiebat esse viros sapienti venire in dubium: vtrum bonam an malam ducturus sit.

20 In epist. Valerij ad Rufinū, in qua ei suadet, ne vxorem ducat. to. 9.

IDEM sic ait; Phoroneus rex, qui legum thesauros populis prædicare non inuidit, sed is primus Græcorum studia deaurauit, die qua viam vniuersitatis ingressus est, ait Leontio fratri suo, ad summam fœlicitatem nihil mihi deesset, si vxor mihi semper defuisset. Cui Leontius: & quomodo vxor obstat? At ille mariti omnes sciunt. Amice vtinam tu semel maritus fueris, & non sis vt scias quid fœlicitatem impediat. Infra: Paccuuius flens, ait Arrio vicino suo: Amice arborem habeo in horto meo infœlicē, de qua prima vxor mea se suspendit, postmodum secunda, iam nunc tertia. Cui Arrius: miror te in tot successibus lachrymas inuenisse. Et iterum: Dij boni, quot tibi dispēdia arbor illa suspendit. Amice da & mihi de arbore illa surculos, quos seram. Amice timeo, ne te oporteat arboris illius surculos mendicare, cum iam inueniri non poterunt. Sensit Sulpitius vbi ipsum calceus suus premebat, qui ab vxore nobili, & casta diuertit. Amice caue tibi, ne te premat calceus tuus, qui auelli non possit. Ait Cato Vticensis: Si absque fœmina posset esse mundus, conuersatio nostra nō esset absq; Dijs. Amice, Cato nonnisi vera, & cognita loquebatur, nec quisquam fœminarū execratur ludibria, nisi lusus, & expertus, & conscius pœnæ. Si vxorari oportet, sit amor in causa, nō census, & faciem vxoris eligas, non vestem, & animum, non aurum, & tibi nubat vxor, non dos.

21 Lib. 2. in c. 7. Matthæi. to. 5. 1. Thess. 4. Eph. 5.

IDEM explicans verba illa; Ab ea quę dormit in sinu tuo, custodi claustra oris tui. sic habet: Apostolus mulieres vas infirmum vocat, & eis a maritis suis exhiberi honorem iubet; non enim creatus est vir propter mulierem, sed mulier propter virum, & vxor, inquit, vt timeat virum. Vxorem timere est, vt cum timore virum diligere, viri tantum diligere, quia dilectio perfectorum est. Viri, ait, diligite vxores vestras, Eph. 5. & nolite amari esse ad illas, licet illæ ad iracundiam prouocent, & talia faciant per quæ mereantur amaritudinem sustinere.

22 Lib. 1. de virginibus to. 4.

AMBROSIVS sic ait; Conferamus, si placet, bona mulierum nuptarum cum vltimis virginum. Iactet licet fœcundo se mulier nobilis partu, quo plures generauit, plus laborat. Numerat solatia filiorum, sed numeret pariter & molestias. Nubit & plorat. Qualia sunt vota, quæ flentur? Concipit & graue scit. Prius vtiq; impedimentum fęcunditas incipit afferre, quā fructum. Parturit, & ægrotat. Quam dulce pignus, quod a periculo incipit, & in periculis desinit, prius dolori futurum quàm voluptati. Periculis emitur, nec pro arbitrio possidetur. Quid recenseam nutriendi molestias, instituendi, & copulandi? Fœlicium sunt istæ miseriæ. Habet mater heredes, sed auget dolores. Nam de aduersis non oportet dicere, ne sanctissimorum parentum animi contremiscant. Vide, mi soror, quàm graue sit pati, quod non oportet audiri. Et hæc in præsenti sæculo. Venient autem dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt. Quid ergo famulatus graues, & addicta viris seruitia replicem fœminarum, quas ante iussit Deus seruire, quam seruos? Quibus hoc si probæ sunt merces, est charitatis, si improbæ, pœna delicti.

23 IDEM docens; In coniuge nō pulchritudinem

nem corporis, sed morū requirendā dicit. Cur tu vultus decorem in coniuge, magis quā morum requiras? Placeat vxor honestate, magis quā pulchritudine, illa eligatur, quę Saram moribus referat. Nō est vitium mulieris esse, quod nascitur, sed vitiū viri est quærere in vxore quo sæpe tentetur, in quo si infirmior fuerit mulier ipsa labatur, si fortior vir periclitetur. Non possumus reprehendere diuini artificis opus, sed quem delectat corporis pulchritudo, multo magis illa delectet venustas, quæ ad imaginem Dei est intus.

24 Lib. 5. Hexameron. c. 7. to. 1.

IDEM inquit: Seruanda sunt coniugia, diligenda data nobis consortia. Et si hi qui longinquis fuerant ortus sui tempore regionibus separati, inter se conuenerint, & si vir ad peregrina contenderit, nulla longinquitas, nulla absentia complacitam minuat charitatem. Eadem lex præsentes absentesq. connectit, idē naturæ vinculum inter distantes, & consistentes, coniugalis charitas iura constringit: Eodem iugo benedictionis vtriusq; colla sociantur, etiam si alter obeat separatarum regionum longa diuortia: quia non corporis cernice sed mentis, iugum gratiæ receperunt. Vipera nequissimum genus bestiæ, & super omne, quod serpentini est generis astutior, vbi coeundi cupiditatem assumpserit, murænę marinæ notum sibi requirit, copulam vel nouam præparat, progressaq. ad littus sibilo testificata præsentiam sui, ad coniugalem amplexum illam euocat. Muræna autem inuitata non deest: & venenatæ serpenti expetitos usus suæ impertit coniunctionis. Quid sibi vult sermo huiusmodi, nisi ferēdos esse mores coniugum, etsi absens est eius operiendam præsentiam, sit licet asper, fallax, inconditus, lubricus, temulentus? Quid peius veneno, quod in coniuge muræna non refugit? Vocata non deest, & serpentis lubricum; cum sedula charitate complectitur. Ille tua mala portat, & leuitatis fœmineæ facilitatem, tu virum tuum non potes ò mulier sustinere? sed dices horridus, & incultus est. Semel placuit. Nunquid vir frequenter est eligendus? Comparem suum, & bos requirit, & equus diligit: etsi mutetur trahere iugum nescit compar alterius. Tu iugalem repudias tuum: & putas sæpe mutandum, etsi vno defuerit die suspicaris riualem, & statim incognitam pudoris exequeris iniuriam. Vipera absentem requirit, ablentem vocat, & blando proclamat sibilo, atque vbi aduentare comparem senserit, venenum euomit: reuerentiam marito exhibens verecundata nuptialem gratiam. Tu mulier aduenientem de longinquo maritum contumelijs repellis. Tu litium moues venenum, non reijcis, tu coniugalis amplexus tempore dirum virus exęstuas, nec erubescis nuptias, nec reuereris maritum. Sed etiam tu vir, depone tu morem cordis, asperitatem morum. Cum tibi sedula vxor occurrit, propelle indignationem, cum blanda coniux ad charitatem prouocat, non es Dominus, sed maritus, non ancillam sortitus es, sed vxorem. Gubernatorem te Deus voluit esse sexus inferioris, non præpotentem. Redde studio vicem, redde amori gratiam. Vipera venenum suum fundit, tu non potes duritiam mentis deponere sed habes, naturalem rigorem debes temperare cum contemplatione coniugij, reuerentia coniūctionis. Duos primum Deus fecit Adam, & Euam, hoc est virum & vxorem, de viro hoc est de costa Adam: & iussit ambos esse in vno corpore, & in vno spiritu, vt mutuo se diligant.

26 Libro 1. de Abrahā patriar. cap. 2. tom. 1. Gen. 12.

IDEM explicans qua ratione Abraham in Ægyptum descendens cum Sara vxore sua ei præceperit, vt diceret eam, non esse coniugem, sed sororem: timens ne propter illius pulchritudinem ipse occideretur, docet, qualis sit quærenda vxor, & dicit: His docemur non magnopere decorem quærendum coniugis, qui viro necem plerumque gignere soleat. Non enim tam pulchritudo mulieris, quam virtus eius, & grauitas delectat virum. Qui suauitatem quærit coniugij, non tam superiorem censu ambiat, quam necessitates non terreant maritales, non monilibus ornatam, sed moribus offendit plerumque virum, si se vxor nobiliorem nouerit. Hæc proxima superbiæ sunt. Sara non facultatibus ditior, non genere splendidior erat. Ideo virum imparem non putabat, ideo non censu est retenta, non parentibus, non propinquis, sed virum propriū quocūque pergeret sequebatur, externa adijt, sororem se eius asseruit, contenta si ita esset necesse, se periclitari pudore, quam virum salute. Vt tueretur maritum mentita est germanitatem, ne insidiatores pudoris eius tanquā æmulum, & vindicem vxoris necarent.

27 Lib. eod. de Abrahā patriar. cap. 9. Gen. 24.

IDEM docens quòd Rebecæ post desponsationem, cum Isaac dixerunt parentes, vis ire cum viro isto, non consulta de matrimonio, sed de itinere inquit: Consulitur puella non de sponsalibus, (ille enim iudicium spectant parentum: non est enim virginalis pudoris eligere maritos) sed iam desponsata viro de profectionis consulitur die. Vnde illud Euripideon, quod mirantur plerique vnde translatum sit, manifestum est. Ait enim in persona mulieris, quæ tamen maritum volebat relinquere, & ad alias petebatur nuptias, sponsalium quidem meorum pater meus curam subibit, hoc enim non est meum. Ergo quod ipsi philosophi mirati sunt, seruate virgines. Mulier expetita magis debet videri à viro, quam ipsa virum expetisse. Verecundiam præmittat antequam nubat, quo ipsum coniugium plus commendet verecundia. Nec illud otiosum, quod cum veniret Rebecca vidit Isaac *Ibidem.* ambulantem, & cum interrogasset, quis esset, cognito quòd ipse esset, cui duceretur vxor, descendit, & caput suum obnubere cœpit, docens verecundiam nuptijs præire debere, inde enim & nuptiæ dictæ, quòd pudoris gratia puellæ se obnuberent.

28 Lib. de bono coniug. contra Iouinianum. to. 6.

AVGVSTINVS sic habet: Habēt id bonū cōiugia, vt in mutua sint vir, & vxor amicitia,

tia, & societate. Habent etiam, quod carnalis vel iuuenilis incontinentia reprimitur, & temperatur. Est etiam mutua fides quam Apostolus docet cum dicit, mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir &c.

1.Cor.7.

29 IDEM explicans illa verba; Si acceperis vxorem non peccasti, & si nupserit virgo non peccat: tribulationem tamen carnis habebũt huiusmodi inquit: Hoc modo exhortatur ad virginitatem continentiamq. perpetuam, vt aliquantulum etiam a nuptijs deterreret modeste sane non tanquam a re mala, & illicita, sed tanquam ab onerosa, & molesta. Tribulatio autem est in suspitionibus zeli coniugalis, in procreandis filijs atque nutriendis, in timoribus, & mæroribus orbitatis. Quoties enim quisque cum se connubij vinculis alligauerit, non istis trahatur atque agitetur affectibus? Quos neque nos exaggerare debemus, ne ipsis non parcamus, quibus parcendum existimauit, Apostolus. Hoc enim significauit, Apostolus postquam dixit, tribulationem carnis habebit huiusmodi addens, ego autem vobis parco, hoc est, nolo recensere labores, qui hunc commitantur statum.

Lib.de sancta virginitate. cap.16.

1.Cor.7.

Mors propria taliter contemnebatur, & optabatur a sanctis, quòd etiã timebatur, aliena autem flẽda, maxime aut impiorũ. Cap. IX.

1 DE morte diximus multa libro 4.cap.1. in exequijs defunctorum, vnde pauca restant adnotanda in hoc capite. Et Origenes in primis inquit: Socrates cum venenũ ebiberet in carcere moriturum se præsciebat, vt poterat quidem si Critoni credidisset carcerem exeundo, eorum nil pati, sed, vt æquius illi est visum, potius duxit vt philosophus mori, quam nõ philosophice in posterũ viuere. Et Leonidas Lacedæmoniorum præfectus, vbi se vidit, cũ his simul, qui secum essent, iam moriturũ, non illud curauit, vt turpiter viueret, sed socijs hæc ille præfatus est: Eia comites prandeamus, vt paulo post apud inferos cœnaturi. Quibus itaq, curæ fuerit historias hasce colligere, comperturi haud dubie sũt istius modi pleraq;. Et Christus, etsi præsciret venturam mortem, non illã declinabat. Immo & Paulus huius discipulis vbi audisset qualia essent ascẽdẽti sibi Hierosolyma occursura, simul & discrimina inuadebat intrepidus, hos increpãs, qui se deplorarent, prohiberentq. ne Hierosolymã adiret vbi à Iudæis interfici potuisset. Mortemq. paruipendens non solum alligari, sed & mori se paratũ dicebat.

1 Lib.2.cõtra Celsũ.to.4.

2 CHRYSOSTOMVS agẽs de morte Iacob, qui mortuus est in Ægypto ait: Non dicas miserũ eum, qui in alieno solo vitã finit neque eum, qui in solitudine ex hac vita discedit. Neque enim ille dignus vt miser dicatur, sed qui in peccatis mortuus est, etiã super lectũ, etiam si prẽsentibus amicis omnibus spiritũ exhalet. Et ne mihi frigida illa verba ridiculaq. & insipiẽtię plena dicat aliquis: quòd ille cane vilius est mortuus nullo familiarium præsente: neq; sepulturę, & funus ei contigerunt: Non est hoc ò homo cane ignominiosius mortuũ esse. Quid enim ille damni sensit? Sed si caret virtutis amictu se tegente. Nam quod hoc nõ offendat iustum virtute præditum, disce, quia plerique iustorum, Prophetas dico, & Apostolus, vbi siti sint, paucis exceptis, ignoramus. Et alij quidem capite truncati, alij lapidati, mortui sunt: & nullus de illis dicere ausus fuerit, quòd ignominiosa sit eorum mors, sed sequetur diuinam scripturam dicentem, Pretiosa in conspectu Domini, mors sanctorum eius. Et sicut mortem sanctorum preciosam vocauit; audi quomodo, & mortem peccatorum malam vocet. Mors enim iuquit, peccatorum mala. Atque etiam si domi suæ moriatur, & muliere, & filijs præsentibus, & familiaribus, & notis adstantibus, virtute autem careant: mala horum mors est. Sic etiã in aliena terra super pauimentum quis iacens, & quid dico si in aliena? etiam si in latrones incidat, etiam si a bestijs deuoretur, virtute autem præditus sit: pretiosa eius mors erit. Beati ergo sunt, qui clari virtutibus hinc migrant: sicut & miseri, qui in peccatis moriuntur.

101

Psal.115.

Psal.33.

3 IDEM agens de morte Iacob ait; Et subleuauit pedes suos super lectum, & defecit: & appositus est ad populum suum. Vide mortem iusti magno miraculo plenam. Subleuauit pedes in lectum suum, quasi cum voluptate rem aggrederetur. Infra: Planxerunt Ægyptij Iacob planctu magno. Et planxit, Ioseph, septem dies. Tempus cogita, quo facta sunt hæc: & ab omni culpa libera Ioseph. Nondum enim fuerant portæ inferi confictæ, neque inferni vincula dissoluta, neque mors dicebatur dormitio. Et idcirco quia timuerunt mortem hæc faciebant. Tunc autem propter gratiam Christi, quia mors facta est somnus, & consummatio quies, quasi de vita in vitam transferendi: Sic exultemus. Et quid dico de vita in vitam? De deteriori ad meliorem, de temporali ad æternam, de terrena ad cælestem.

3 Hom.67.in c.49. Gen.

4 IDEM explicans verba illa: Recedite non est mortua puella, sed dormit inquit: His verbis docet non esse timendam mortem, cum ad conditionem somni iam redacta sit. Infra: Nemo ergo defunctos ploret: nemo lugeat. Quid frustra fles, si mortem in somnum redactam esse credis? Quid te cædis, & luges? Gẽtes id faciunt, quia non credunt. Cunque gentiles, qui nihil de resurrectione acceperunt, consolandi rationes inueniant, magno animo dicentes, nec enim facere poteris, vt quod factum sit non esse factum videatur, nec lugendo charissima pignora excitabis, tu qui sublimioris philosophiæ præcepta quotidie audis, non

4 Hom.32.in Matt. to.2.

non erubescis grauius illis in tuo casu exagitari? Non enim dicitur tibi fortiter feras non potes facta infecta facere, sed æquo animo feras, dormit enim puella tua, non est mortua, quiescit, non est perdita, resurget, & æterna in posterum atque immortali vita viuet. Non

Psal.114. audis prophetam dicentem: Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi? Beneficium Deus hanc rem vocat, & tu ploras. Et quidnam faceres, si hostis, si inuidus, si inimicus esses defuncti? Nam si quempiam flere oportet, Diabolum certe oportet. Ille igitur pectus pugnis cedat, ille grauiter ferat, quoniam ad immortalitatem mortui tendunt, illum hi clamores & fletus decent, non te, qui ad requiem proficisceris, & certe harum turbationum omnium tranquillus quidam portus in morte est. Examina quot quantaq. mala sunt in hac vita, tecum ipse recense quoties præsentibus rebus maledixisti, cum semper in peius, & videris, &

Gen.3. videas omnia ruere: quamuis, & ab initio non parua pœna huic vitæ sit attributa. In dolo-

Ioan.16. ribus, inquit, paries filios, & in sudore vultus tui comedes panem tuum, & in mundo tribulationem habebis. Nihil tamen huiusmodi

Isa.33. de futuris rebus scribitur, sed totum oppositũ effugit, inquit, dolor, & gemitus, & tristitia.

Matth.8. Et rursum ab oriente atque occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & 5 Iacob. Cur ergo defunctum exagitas? Cur committis, vt timeant mortem alij atque formident, sed quid faciam inquies? Talis quædam res natura parentum est. Non est naturę ista culpa, non est rei ipsius, sed nos qui omnia huc atque illuc impellimus, molles nimium atque deiectos nostros animos efficimus, & diuinam nostram perdimus nobilitatẽ, & simul infideles facimus duriores. Quomodo enim de immortalitate animæ secum disputabimus? Qua ratione resurrecturos nos illis persuadebimus, cum longe magis quam illi mortem formidemus? Multi enim apud eos cum nihil de immortalitate animæ crederent, nihilominus mortuis filijs, vt inanem quãdam gloriam consequerentur corona ornati, & cãdidam induti vestem in publicum prodierunt: sed hæredem non habeo inquies: nec quem rerum mearũ successorẽ constituã. Ego vero te libenter interrogarem, tuarum ne rerũ an cælorum malis filios tuos esse hæredes? & vtrum magis desideres caduca hæc, & corruptibilia possidere ab illis, quæ tamen post omnino essent relicturi, an stabilia illa, & æterna? Non habes hęredes filios, sed habet illos pro te Deus: non hęredes facti sunt fratrum suorum, sed facti sunt Christi cohæredes. Sed cui pretiosas, inquies, vestres nostras, cui magnificas ædes, cui agros

6 relinquemus? illis ipsis profecto, & multo tutius quam si viuerent. Nam si multæ barbaræ gentes vna cum defunctis res eorum cremare solent, quanto æquius defuncto tu filio tua tradere potes, non vt in cinerem religantur, sed vt glorioſum magis illum reddant. Putas cum maculis, inquinatum abisse, da illa sua, vt illis se a maculis detergat. Sed videre, inquies, ipsũ cupio, certe ne dubita cito te ad ipsum profecturum, illud etiam tecum versa, quoniam si hac oratione nequaquam tibi persuadebimus, natura ipsa temporis tibi persuadebit. Nam multitudine dierũ absq; aliqua mercede cõsolaberis. Quod si statim in tuorũ morte philosophari volueris, duas res maximas cõsequeris. Nam & interea tranquilliori animo viues: & diuina retributione fulgentissimam habebis coronam. Sed intolerabilis tibi casus tuus uidetur. Propterea ergo defuncti gratia plorandum non est: quoniam a multis huiusmodi casibus liberatus est. Noli ergo cogitare quod non redibit vnquam domum tuam filius, sed quia, & tu paulo post ad ipsum gradieris. Si in peccato mortui sunt, finem tamen peccandi habuerunt. Nam si pœnitentiam essent acturi: Deus cui omnia patent, non antequam eam egissent, ipsos rapuisset. Sin vero iusti decesserunt, euaserunt a periculis, & tuti supremam beatitudinem possident. His rebus omnibus planum factum est, non esse amoris has lachrymas, sed turbationis, & animi parum sapientis. Nam si defunctum diligeres, gauderes vtique: quia fluctus præsentis vitæ pernauigauit. Si ad imperandum, regnandumq. hoc caduco mortaliq. regno filius tuus abijsset, nolles eum inde redire, vt ipsum videres: nunc vero cum ad maiora melioraq. regna processerit, parui temporis absentiam ferre non poteris? Reddidisti depositum, quod tibi creditũ erat: non sis ergo solicitus si vides in inuiolabili ærario thesaurum tuum esse depositum.

IDEM explicans verba illa: Quod signum aduentus tui, & consumationis sæculi ait: Omnibus laborantibus dulcis est finis. Viator libenter interrogat vbi est mansio, mercenarius frequenter computat quando annus completur, agricola semper tempus messis expectat, negotiator die ac nocte thecæ suæ discutit rationem, mulier prægnans semper de decimo mense cogitat, sic & serui Dei libenter de consummatione sæculi requirunt, scriptum est enim vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuũ. *Matth. 6.* Peccatores autem homines nunquam putant sæculi finem esse futurum. Et quid mirum si quod audiunt non credunt, cum nec illud credunt, quod quotidie vident? Nam quotidie manibus suis efferunt mortuos, & mortales se esse non putant.

7 Homil. 48. ex imperfecto in c.24. Matth.

IDEM ait: Vno verbo mors regi terribilis est: eadem philisopho minime molesta. Eum enim qui diuitias, voluptatem, delicias (quorũ gratia vitam agitare multi concupiscunt) despicit; necesse est migrationẽ ab hoc orbe haud ægre ferre. Quod si & hunc, & illum iugulari cõtigerit, hic quidem pro pietate pericula sibi accerset, immortalẽ ac cælestem vitam morte sua comparans. At rex tyrannum aliquem, & eum, qui imperium affectat, iugulatorem suum habiturus est, miserabile idemq. horrendum post cædem spectaculum.

8 Lib.de comparatione regis & monachi. to.5.

HIERO-

9 HIERONYMVS ait: Quis posit siccis oculis Paulam narrare morientem? Incidit in grauissimam valetudinem, imo quod optabat inuenit, vt nos desereret, & plenius Domino iungeretur, sentiebat prudentissima fœminarum adesse mortem, & frigente alia parte corporis atque membrorum: solum animæ teporem in sacro pectore palpitare, & nihilominus quasi ad suos pergeret, alienosq. deseret illos versiculos susurrabat, Domine dilexi decorem domus tuæ: & locum habitationis gloriæ tuæ. Et quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini. Et elegi abiecta esse in domo Dei mei: magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. Cũque à me interrogaretur cur taceret, cur nollet respondere, an doleret aliquid, græco sermone respondit, nihil se habere molestiæ, sed omnia quieta, & tranquilla perspicere. Post hæc obmutuit, & clausis oculis quasi iam mortalia despiceret, vsque ad expirationẽ animæ, eosdẽ repetebat versiculos, vt quod dicebat vix audire possemus. Digitumq. ad os tenens, crucis signum pingebat in labijs. Defecerat spiritus, & anhelabat in mortem. Animaq. erumpere gestiens: ipsum stridorem, quo mortalium vita finitur in laudes conuertebat. Aderant Hierosolymarum, & aliarum vrbium episcopi, & sacerdotum inferiores gradus, ac leuitarum innumerabilis multitudo. Omne monasterium, virginum, & monachorum chori repleuerant. Statimq. vt audiuit sponsum vocantem, surge veni proxima mea, speciosa mea, columba mea: quoniam hyems transijt, imber abijt, & recessit, læta respõdit: Flores visi sunt in terra, tempus sectionis aduenit: credo videre bona Domini in terra viuentium. Ex hinc nõ vlulatus, non planctus, vt inter sæculi homines fieri solet: sed psalmorum linguis diuersis examina concrepabant. Quodq. mirum sit nihil pallor mutauerat faciem: sed ita dignitas quædam, & grauitas ora compleuerat, vt eam putares non mortuam, sed dormientem. Translata est episcoporum manibus, & ceruicem feretro subijcientibus, cum alij pontifices lampades cereosq. præferrent, alij choros psallentium ducerent, in media Ecclesia speluncæ Saluatoris est posita. Tota ad funus eius Palæstinarum vrbium turba conuenit. Quem monachorum latentium in eremo cellula sua tenuit? Quam virginum cubiculorum secreta texerunt? sacrilegium putabat, qui non tali fœminæ vltimum reddidisset officium. Hebræo, græco, latino, syroq. sermone psalmi in ordine personabant: non solum triduo donec subter Ecclesiam, & iuxta specum Domini conderetur, sed per omnem hebdomadam, cunctis, qui venerant, suum funus, & proprias credentibus lachrymas. Hoc elogium illius sepulchro posuit Hieronymus. Scipio quam genuit, Paulæ fudere parentes. Græcorum soboles, Agamennonis inclita proles, hoc iacet in tumulo, Paulam dixere priores Eustochij genitrix, Romani prima senatus, Pauperiem Christi, & Bethlemitica rura sequuta. In fronte autem speluncæ hi erant versus. Aspicis angustũ, prę cisa rupe sepulchrum? Hospitiũ Paulæ est, cælestia regna tenentis, Fratres, cognatos, Romam, patriamq. relinquẽs, Diuitias, sobolem; Bethlemiti conditur antro. Hic præsepe tuũ Christe, atq; hinc mystica magi Munera portantes, hominiq. Deoq; dederunt.

Epist. 27. ad Eustachiũ Epitaphiũ Paulę matris suę. tom. 1.

Psal. 25.

Psal. 83.

Ibidem.

10

11 IDEM inquit: Igitur octogesimo ætatis suæ anno, quasi testamenti vice, breuem manu propria scripsit epistolã. Omnes diuitias suas Hesychio derelinquens, Euangelium scilicet, & tunicam sacceã, cucullam, & palliolum. Venerunt ad ægrotantẽ multi religiosi viri, & maxime quòd eum dixisse audierãt iam se ad Dominum migraturum, & de corporis vinculis liberandum, quos omnes adiurauit, vt ne pũcto quidem horæ post mortem reseruaretur, sed statim eum in eodem hortulo terra operirent, sicut vestitus erat in tunica cilicina, & cuculla, & sagorustico. Iamq. modicus calor tepebat in corpore, nec præter sensum quicquam viui hominis supererat, & tamen apertis oculis loquebatur. Egredere, quid times? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta prope annis seruisti Christo, & mortem times? In hęc verba exhalauit spiritum. Statimq. humo obrutum, ante vrbi sepultum, quàm mortuũ nunciauerunt. Post decem autem menses inuentus est illesa tunica, cuculla, & palliolo, & toto corpore quasi adhuc viueret, tantisq. fragrante odoribus, vt delibutum vnguentis putares.

Epist. 51. quę est de vita Hilarionis eremitæ.

12 IDEM explicans verba illa: Ezechias ægrotauit vsque ad mortem &c. & conuertit faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominũ, & dixit, Obsecro Domine, memẽto quomodo ambulauerim coram te in veritate &c. fleuitq. Ezechias fletu magno, inquit: Audiens se esse moriturum non precatur vitam, & annos plurimos, sed in Dei iudicio quid velit præstare dimittit. Nouerat enim idcirco Deo placuisse Salomonem, quòd annos vitæ non petierit ampliores, sed iturus ad Dominum narrat opera sua, quomodo ambulauerit coram eo in veritate. Fœlix cõsciẽtia, quæ tempore afflictionis bonorum operũ recordatur. Fleuit autem fletu magno, propter promissionẽ Domini ad Dauid, quam videbat in sua morte perituram. Eo enim tẽpore Ezechias filios nõ habebat, nã post mortẽ eius Manasses cum duodecim esset annorũ regnare cæpit in iudæa. Ex quo perspicuũ est post tertiũ annũ cõcessę vitę, Manassem esse generatũ. Ergo iste omnis est fletus, quòd desperabat Christũ de suo semine nasciturum. Alij asserunt quanuis sanctos viros morte terreri, propter incertũ iudicij, & ignorationem sententiæ Dei, quam sedem habituri sint. Infra: Ego dixi in dimidio dierum meorũ: vadam ad portas inferi &c. Verba hæc gratiarũ actio sunt post redditã sanitatẽ. Narratq. quid tempore prementis angustiæ, imminẽtisq. lãguoris tacitus cogitarit. Ego dixi, in dimidio dierũ meorũ. Sancti implent dies suos, qualis fuit

Lib. 11. in cap. 38. Isa.

Gen. 25. fuit Abrahã, qui mortuus est plenus dierũ in senectute bona. Peccatores verò & impij in dimidio suorum dierum moriuntur, de quibus & Psal. 54. psalmista loquitur: viri sanguinum, & dolosi nõ dimidiabunt dies suos. Non enim implent opera virtutum, nec student pœnitentia emendare delicta. Vnde in medio vitæ cursu, & in errorũ tenebris ducentur ad tartarum. Non aspiciam hominem vltra, & habitatorem quietis. Timet ne cum sanctis, & hominibus Dei non habitet in quiete, ne non videat Dominum in terra viuentium, ne salutare Dei ductus ad inferos nõ mereatur aspicere.

13 Lib. 1. in c. 3. Proverb. tom. 7. IDEM explicans verba illa; Si dormieris, non timebis, quiesces, & suauis erit somnus tuus, ait: Patet iuxta litteram, quia securus & dormit, & vigilat, & quiescit, & ambulat, qui se innocenter ante Deum, & iustè viuere memi nit. Sed & iustus cum in morte dormierit, non solum potentias malignorum spirituum non metuit, sed in pace quiescit, ac securus diem resurrectionis expectat, quia Deum vbique protectorem habet, & custodem. Quale est in Psal. 22. psalmo: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.

14 Lib. de bono mortis c. 2. AMBROSIVS disputans, an mors bona dicenda sit, an mala, inquit: Mortis tria sunt genera. Vna mors peccati est, de qua scripũ est: Ezec. 17. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Alia Rom. 6. mors mystica quãdo quis peccato moritur, & Deo viuit, de qua ait Apostolus: Consepulti sumus cũ illo per baptismum in mortem. Tertia mors, qua cursum vitæ huius, & munus implemus, id est, animę, corporisq. secessio. Aduertimus igitur q; vna mors sit mala, si propter peccatum moriamur, alia bona, qua is qui fuerit mortuus iustificatus est a peccato. Tertia mors media sit, nã & bona iustis videtur, & plerisque metuẽda. Quæ cũ absoluat omnes, paucos delectat. Sed nõ hoc mortis est vitiũ, sed nostrę infirmitatis, qui voluptate corporis, & delectatione vitę istius capimur, & cursum hunc consummare trepidamus, in quo plus amaritudinis, quàm voluptatis est. An nõ sancti, ac sapientes viri, qui longæuitatẽ peregrinationis huius ingemiscebant, dissolui, & cum Christo esse pulchrius æstimantes. Denique generationis suæ execrabantur, sicut ille ait: Pereat dies in qua Iob. 3. natus sum? Quid enim est, quo hęc vita delectatur, plena ærumnarum, & sollicitudinũ, in qua innumeræ calumniæ, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorũ, qui afflictantur molestijs, & Eccli. 4. non est, inquit, qui eos consoletur? Et ideo laudat Ecclesiastes defunctos magis quàm viuentes. Itaq; si plena oneris vita, vtiq; finis eius alleuamẽtum est. Alleuamentum autem bonum mors, mors autem finis. Mors igitur bonũ est. Neq; enim aliter gauisus est, & Symeon, qui re 15 sponsum acceperat, non visurũ se mortẽ priusquam videret Christum Domini. Cumq. eũ in Luc. 2. manibus susciperet, dixit: Nunc dimittis seruũ tuum in pace, quasi necessitate quadam tenere tur in hac vita non voluntate. Ita dimitti petit quasi a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædã corporis huius, & quod est grauius vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis adstringũt quadam lege peccati. Denique in exitu ipso videmus, quemadmodũ anima decedentis paulatim soluat se vinculis carnis, & ore emissa euolet tanquam carcere o corporis huius exuta gurgustio. Denique festinabat etiam sanctus Dauid de hoc loco peregri- Psal. 38. nationis exire dicẽs: Aduena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei. Et ideo tanquam peregrinus ad illam sanctorum communem omnium patriã festinabat, petens pro huius peregrinationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet a vita. Remitte mihi vt refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccato rum? Vnde egregie Apostolus ait: Mihi viue- Phil. 1. re Christus est, & mori lucrum, aliud ad necessitatem vitę referens, aliud ad mortis vtilitatẽ. Christus enim rex noster est, & ideo quod rex iubet deserere, non possumus & contemnere. Quantos Imperator terræ huius in peregrinis locis, aut honoris specie, aut muneris alicuius causa iubet degere, nũquid hinc inconsulto imperatore discedunt? Et quanto amplius est diuinis parere, quàm humanis? Viuere ergo sancto Christus est, & mori lucrum. Quasi seruus enim non refugit vitæ obsequium, & quasi sapiens lucrum mortis amplectitur. Lucrum est euasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse. Et addidit dissolui, & cum Christo esse, multo magis melius, permanere autem in carne necessarium propter vos. Aliud melius, aliud necessarium. Necessarium propter fructum operis, melius propter copulam Christi.

16 In c. 3. eiusdem lib. IDEM ait; Scriptura docente, cognouimus, quia mors absolutio est animæ, & corporis, & quædam hominis separatio. Soluimur enim hoc nexu animæ, & corporis, cum recedimus. Vnde & Dauid, ait: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula autem vitæ huius, id est, coniunctionis nostræ, quæ ex anima constat, & corpore, significari docet superior versiculus psalmi huius: Prætiosa in conspectu Domini mors sanctorum Psal. 115. eius. Sciebat enim gloriosius esse pro Christo mori, quàm regnare in hoc sæculo. Quid enim præstantius, quàm fieri Christi hostiam? Itaq; cum frequenter ab eo legamus, Domino oblata esse sacrificia, hoc loco addidit: Tibi sacrificabo hostiã laudis. Nõ sacrifico, inquit, sed sacrificabo, significans illud perfectũ esse sacrificium, quando vnusquisque Domino corporis huius vinculis absolutus assisteret, & offerret se hostiã laudis, quia ante mortẽ nulla est perfecta laudatio, cum posteriora hominis incerta sint. Mors igitur absolutio est animæ, & corporis. Solutio autẽ ista quid aliud agit, nisi vt corpus resoluatur, & quiescat, anima autem conuertatur in requiem suam, & sit libera, quę si pia est cum Christo futura sit? Quid igitur

in hac vita aliud iusti agunt, nisi vt exuant se huius corporis cogitationibus, quæ velut vincula nos ligant, & se ab his molestijs separare contendant, renuncient voluptatibus, & fugiãt flammas libidinis. Nonne igitur vnusquisq; in hac vita positus speciem mortis imitatur, qui potest ita se gerere, vt ei moriãtur omnes corporis delectationes, & cupiditatibus omnibus, mundiq. illecebris etiam ipse moriatur, sicut
Gala. 6. mortuus erat Paulus, dicẽs: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Et quia est mors in hac vita, & bona mors, hortatur nos, vt mortẽ Iesu in corpore nostro circumferamus. Itaq; docet Paulus & istam mortem in hac vita positis expetendam, vt mors Christi in corpore nostro eluceat, & illam beatam, qua corrumpitur exterior, vt reuocetur interior homo noster, & terrestris domus nostra dissoluatur, vt habitaculum nobis cæleste reseretur. In vltimis verbis capitis: Plerique cupiunt mortem, & non impetrant. Si autem impetrauerunt, gratulantur, quia sola est mors requies viro.

17 In c. 4. eiusdem lib. IDEM Sed dicet aliquis, quia Deus mortem non fecit. Vita erat in paradiso, vbi lignũ vitæ, & vita erat lux hominum; mors igitur mala, quæ accessit, & subintrauit. Infra: Quid accusamus mortem, quę aut vitæ pretium luit, aut abolet eius dolorem, atq; cruciatum? Itaq; mors, aut suæ quietis bono vtitur, aut malo alieno laborat. Nunc illud specta, si vita oneri, mors absolutioni, si vita supplicio, mors remedio, aut si iudicium post mortem, etiã vita post mortem. Mors igitur ea non est bona? Aut si hic vita bona, quomodo mors illic non est bona, cũ ibi nullus sit terribilis iudicij metus? Sed ipsa hæc vita bona si est, virtute, & bonis moribus bona est, quia per virtutem, quod malũ est suum repellit. Quod autem bonum est mortis adipiscitur, vt quod animæ est magis, quam id quod contubernij, & coniunctionis operetur. Quod si vita bona, quæ animæ se a corpore separantis est speculum? Etsi anima bona, quę se eleuat, & abducit a corporis contubernio, & mors vtique est bonum, quæ animam a societate corporis huius absoluit, & liberat. Omnifariam igitur mors est bonũ, & quia compugnantia diuidit, ne se inuicẽ impugnent, & quia portus quidam est eorum, qui magno vitæ istius iactati salo, fide, quietis stationem requirunt. Et
18 quia deteriorem statum nõ efficit, sed qualem in singulis inuenerit talem iudicio futuro reseruat, & quiete ipsa fouet, & futurorum expectatione componit. Accedit eo, quòd frustra homines timent mortem quasi finem naturæ. Nam si recolamus quod Deus mortem non fecerit, sed postquam homo lapsus in flagitium est, prę uaricationis, & fraudis, sententia comprehenderit, vt in terram suam, terra remearet, inueniemus mortem finem esse peccati, ne quo esset vita diuturnior, eo fieret culpa numerosior. Passus est igitur Dominus subintrare mortem, vt culpa cessaret. Sed ne iterum naturæ finis esset, in morte data est resurrectio mortuorum, vt per mortẽ culpa deficeret, per resurrectionem autem perpetuaretur natura. Itaq; mors hæc, transitus vniuersorum est. Transitur autẽ a corruptione, ad incorruptionem, a mortalitate ad immortalitatẽ, a perturbatione ad trãquillitatem. Non igitur te nomen mortis offendat, sed boni transitus beneficia delectẽt. Quid est enim mors, nisi sepultura vitiorum, virtutũ suscitatio? Vnde & ille ait: Moriatur anima *Num. 23.* mea in animis iustorum, id est, consepeliatur, vt sua vitia deponat, iustorum assumat gratiã, qui mortificationem Christi in corpore suo, atque anima circumferunt. Quid de bono mortis plenius possumus dicere, quàm quod mors est, quæ mundum redemit?

19 In c. 8. eiusdem lib. IDEM ait; Quod si terribilis mors apud viuentes æstimatur, nõ mors ipsa terribilis est, sed opinio de morte, qua vnusquisque pro suo interpretatur affectu, aut pro sua conscientia perhorrescit. Suæ igitur vnusquisq; conscientiæ vulnus accusat, nõ mortis acerbitatem. Deniq; iustis mors quietis est portus, nocentibus naufragium putatur. Certè his, quibus grauis est timor mortis, non est graue mori, sed graue est viuere sub metu mortis. Metus autẽ opinionis est, opinio verò nostræ infirmitatis contraria veritati. Liquet igitur, quia mortis metus non ad mortem referendus est, sed ad vitam. Non enim habemus quod in morte metuamus, si nihil quod timendum sit, vita nostra commisit. Etenim prudentibus delictorum supplicia terrori sunt, delicta autem non mortuorum actus sunt, sed viuentium. Est mors separatio animæ, & corporis. Anima absoluitur, corpus resoluitur. Quæ absoluitur gaudet, quod resoluitur in terram suam, nihil sentit. His quoq; qui mortẽ malum putant, aptũ responsum arbitror, quia per vitam ad mortem est transitus, per mortẽ autem ad vitam reditus. Neque enim nisi qui mortui fuerint, possunt resurgere. Insipientes autem mortem quasi summum malorũ reformidant, sapientes quasi requiem post labores, & finem malorum expetunt. Duabus autem ex causis insipiẽtes mortem verentur. Vna quòd eam interitum appellant, interitus autẽ hominis esse non potest, cũ anima superstes corpori sit, saluo eo quod ipsum corpus maneat resurrectio. Altera autẽ causa, quod pœnas reformident, poetarũ videlicet fabulis territi: Lattratus canis infernalis cerberi, & cocistri fluminis tristem voraginem, furiarum agmina, &c. Hæc plena sunt fabularũ, nec tamẽ negauerim pœnas esse post mortem. Sed quid ad mortẽ id quod post mortẽ est? Si autem quæ post mortẽ sunt referuntur ad mortã, etiam quæ post vitã sunt, referantur ad vitã. Nulla ergo erunt supplicia, quæ referantur ad mortẽ. Mors enim, vt supra diximus, absolutio est, & separatio animę *Philip. 1.* & corporis; non est autem mala solutio, quia dissolui, & esse cũ Christo multo magis melius. Non igitur mala mors. Denique mors peccatorum pessima. Non generaliter pessima mors, *Psal. 33.* sed peccatorum, pretiosa autem iustorum. Vnde liquet acerbitatem non mortis esse, sed culpę. Dicitur etiam mors somnus. Somnus autem *Psal. 3.* bonus quia quies est, sicut scriptũ est: Ego dormiui, & requieui, & resurrexi, quoniam Dominus

nus suscepit me. Dulcis igitur quies mortis.

20 Eod. lib. c. 9. IDEM inquit; Quis dubitet de bono mortis, cum id quod quietum, id quod erubescendũ, id quod inimicum nobis est, id quod violentum, id quod procellosum, & ad omnia vitia illecebrosum est conquiescat, & iaceat, & quasi feruida cauea claudatur sepulchri, relinquatur rabies eius exanimis, & emortua compago viscerũ in terram resoluatur. Id autem quod familiare virtutibus, amicum disciplinis, studiosum gloriæ, sequax boni, Deo subditum est, ad illud sublime euolet, & cum illo puro, & perpetuo bono, atque immortali maneat, ipsi adhæ-
Act. 17. reat, & cum ipso sit, de quo cognationem ducit, vt quidam ait ipsius & genus sumus.

21 Lib. de paradiso cap. 5. o. 4. IDEM dubitat quare præcipiẽs Deus primis parentibus ne de ligno vetito ederent, id fecerit cõminando mortem, quam timere non poterant, cum eius damna non essent experti, & ait: Et natura insitum omnibus, vt etiã, quæ
Gen. 3. nondum sibi nocere experta sunt, quasi noxia reformident. Vnde enim columbæ in ipso ortus sui visu terror accipitris? Vnde lupi ouibus formidabiles? pullis milui? Quod si in his, quę irrationabilia sunt animantia, quidã de aduerso genere animantium naturalis est terror, vt etiam irrationabilia sensum fugiendæ mortis accipiant, quanto magis in primo homine rationis vtique plenissimo, naturalis quædam opinio debuit esse mortis vitandæ?

22 Lib. quæstionũ in Matt. qu. 4. AVGVSTINVS inquit; Qui iam habet sanam fidem, & videt, quo sibi perueniendũ sit, ad hoc iam proficit, vt libenter de hac vita discedat. Non enim hoc est videre, quo ipsi perueniendum sit, quod est etiam amare illud, & ibi iam esse desiderare, quod in cuius animo effectum fuerit, necesse est, vt libenter moriatur. Frustra itaq; dicunt quidam, qui sanam fidẽ tenent, ideo se nolle mori, vt proficiant, cum ipse profectus eorum in eo profectu sit, vt mori velint. Si ergo verum loqui volunt, non dicant: ideo mori nolo, vt proficiã, sed ideo mori nolo, quia parum profeci. Itaque mori nolle fidelibus non consilium est, vt proficiant, sed indicium quòd parum profecerint. Proinde quod nolunt, vt perfecti sint, velint, & perfecti sunt.

23 Lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorum. o. 7. IDEM ait; Cum auaritia nobis cum impudicitia (vt refert ex Cypriano in epistola de mortalitate) cum ira, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitijs, cum illecebris sęcularibus assidua, & molesta luctatio est, obsessa mens hominis, & vndique diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si auaritia prostrata est, exurgit libido, si libido compressa est, succedit ambitio, si ambitio contempta est, exasperat ira, inflat superbia, vinocitiã zelus abscindit, cogeris maledicere, quod diuina lex prohibet, compelleris iurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus vrgetur, & deletat hic inter diaboli laqueos diu stare, cum magis concupiscendum, & optandum ad Christum subueniente velocius morte properare?

Vnde Paulus mihi viuere Christus est, & mori lucrum, lucrum putans maximum iam sæcularibus laqueis non teneri, iam nullis vitijs carnis obnoxium fieri. *Phil. 1.*

IDEM explicãs verba illa; Saluasti de necessitatibus animam meã dicit: Quæ sunt necessitates vnde saluam fieri volumus animam nostram? Dura necessitas est ipsius mortalitatis. Mori necesse est, & nemo vult. Nemo vult quod erit, velis, nolis. Dura necessitas est, nolle quod non potest euitari. Nam si fieri posset, nollemus vtiq; mori, & effici quidẽ Angeli vellemus. Sed cõmutatione quadam non morte, sicut dicit Apostolus ædificationẽ ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis. Etenim in hoc ingemiscimus grauati habitationem nostrã, quæ de cælo est, superindui cupientes, si tamen vestiti, & non nudi inueniamur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo ingemiscimus grauati, eo quod nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur, quod mortale est a vita. Volumus peruenire ad regnum Dei. Sed per mortem nolumus. Et tamen dicit tibi necessitas, hac venies, hac venire dubitas homo, cum hãc ad te venerit Deus? 24 Cõcione 1. in Psal. 30. to. 8. *2. Cor. 5.*

IDEM explicans verba illa; Educ de carcere animam meam, vt cõfiteatur nomini tuo Domine, inquit. Merita carcerem faciunt. Nã in vno quodam habitaculo alteri domus est (vt pote custodi carceris) alteri carcer est. Illi qui custodiunt homines inclusos, etsi in domo sua custodiant, illi qui arctius custodiuntur, in carcere sunt, nunquid & illi in carcere dicendi esse sunt? Vnum habitaculum & illi est & illi. Alteri fecit domum libertas, alteri carcerẽ seruitus. Quibusdã visũ est, quod mũdus iste, carcer sit. Et hoc orat Ecclesia, vt de carcere educatur id est, de hoc mũdo, de sub sole, vbi omnia vanitas. Ergo extra istum mundũ nescio quam re- *Eccle. 6.* quiẽ pollicetur nobis Deus, quo futuri sumus, forte ideo de loco isto clamamus: educ de carcere animã meam. Anima nostra per fidẽ & spẽ in Christo est, vita vestra abscõdita est cũ Chri- *Colos. 3.* sto in Deo. Corpus autem nostrum est in isto carcere, in isto mundo, si diceret: Educ de carcere corpus meũ securi acciperemus carcerẽ mundũ. Fortasse tamẽ propter aliqua, quæ nos tenent desideria terrena contra quę luctamur, & dimicamus, quia video aliã legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meę, & recte dicimus: Educ de carcere animam meam de hoc mũdo, id est, de laboribus, & pressuris huius sęculi. Non enim caro quã tu fecisti, sed corrupte- *Rom. 7.* la carnis, & pressurę, & tetationes carcer mihi sunt. Aliqui autẽ dixerunt carcerẽ istũ corpus hoc esse, vt hoc sit: Educ de carcere animam meã, educ de corpore animã meã. Forte iustus dicit, iã moriar, educ de carcere isto corporis animam meam. Desiderare quidẽ hoc debet & concupiscere, sicut dicit Apostolus, concupiscẽ- *Phil. 1.* tiam habens dissolui, & esse cum Christo, multo enim magis optimum. Sed vbi est charitas? Permanere autem in carne necessariũ propter vos. Si de corpore ergo educat Deus quando 25 In Psal. 141

voluerit, posset dici, & corpus nostrum carcer, non quia carcer est quod fecit Deus, sed quia pœnale & mortale. Duo enim considerandasunt in corpore nostro figmentũ Dei, & pœna meriti quòd corruptibilis caro, quòd fragilis, quòd mortalis, quòd indigens. Ergo si caro tibi carcer est; non corpus est carcer tuus, sed corruptio corporis tui. Educ de carcere animã meam, educ de corruptione animã meam. Corpus tuũ fecit Deus bonum, quia bonus est: corruptionem intulit iustus, quia iudex est.

26 GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 8. Ecce nunc in puluere dormiã, & si mane me quæsieris non subsistã, inquit: Peccanti primo homini dictũ est. Puluis es, & in puluerem reuerteris. Mane autẽ dicitur illa tunc manifestatio mentiũ, quæ in aduẽtu iudicis apertis cogitationibus quasi post noctis tenebras demonstratur. Quærere autẽ Dei est hominẽ subtili interrogatione discutere, & iudicare. Beatus igitur Iob humanæ deiectionis damna cõsiderãs; videat quia, & præsenti iam pœna premitur, & adhuc de futuris grauius vrgetur, & dicat, ecce nunc in puluere dormiã, & si mane me quæsieris non subsistã. Ac si apertius deploret, dicens: In præsenti quidẽ mortem iam carnis patior, & tamen adhuc de futuro iudicio grauiorẽ morte districtionis tuæ sentẽtiã pertimesco. Interitũ pro culpa sustineo, sed adhuc ad iudicium veniẽs culpas restitui, & post interitum formido. Exteriorem ergo mortem considerans dicat: Ecce nunc in puluere dormiam. Interiorẽ metuens adiungat, Et si mane me quæsieris non subsistam. Quantalibet enim iustitia polleant, nequaquam sibi ad innocentiam vel electi sufficiunt, si in iudicio districtè requirantur.

Lib. 8. Moral. cap. 21. tom. 2. Gen. 3.

27 IDEM explicãs locum Iob cap. 14. Homo cum dormierit non resurget, ait: Notandũ est, cur postquã superius hominẽ mortuum dixit, inferius non mortuũ, sed dormientẽ nominat, eumq. de somno suo minime resurgere, donec cælum atteratur: quia in comparatione ligni reuirentis, hominem mortuũ peccatorem nominat a vita iustitiæ extinctum. Vbi autem de morte carnis loquitur, non hanc mortem, sed somnũ maluit vocare; spem procul dubio resurrectionis insinuans, quia sicut citius homo a somno euigilat, ita concitè ad conditoris nutum a morte corporis resurget. Vehementer enim ab infirmis mẽtibus nomen mortis pertimescitur: somni autẽ vocabulum non timetur. Vnde Paulus discipulos admonet, dicens: Nolumus vos ignorare de dormientibus, vt nõ contristemini sicut & ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit: ita & Deus eos, qui dormierunt per Iesum adducet cum eo. Mortem Domini, quia resurrexit mortem vocamus, mortem verò seruorum eius somnum dicimus, vt infirma audientium corda consolemur.

Lib. 12. Moral. cap. 5. 1. Thess. 4.

28 IDEM explicãs verba illa Iob c. 18. Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eũ quasi rex interitus, inquit: De tabernaculo suo fiducia eius euellitur, quando peruersus quisque qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat, repentina morte dissipatur. Et calcat super eũ quasi rex interitus: quia mortis suæ tempore per hoc, quod ad supplicia rapitur, potestati dæmonis subiugatur.

Lib. 12. Moral. cap. 8.

Mortis consideratio & quod breuiter secutura sit, multas habet vtilitates, quæ appropinquante Dei misericordia considerandaest. Cap. X.

1 In lib. cuius titulus est, Admonitio ad filiũ spiritualẽ. tom. 3.

BASILIVS inquit: Ne misericordia Dei fretus peccatis peccata adijcias. Ne velis dicere donec viget ætas mea, carnis concupiscentiã exercebo; & postremo in senectute malorum meorum pœnitentiã agam. Noli sic cogitare cum nescias qua die moriturus sis; quis enim nouit hominũ diem exitus sui? Non enim omnes in senectute priuabuntur hac luce; sed in diuersis ætatibus de hoc mundo migrabunt; & in quibus actibus vocabitur homo, in ijsdem necesse est reddere rationem. Nemo enim in inferno cõfitebitur Dño. Semper ante oculos tuos versetur vltimus dies. Cum. n. dilu culo surrexeris, ad vesperũ te ambigas peruenire, & cũ in lectulo ad quiescendũ mẽbra tua posueris, noli confidere de lucis aduentu, vt facilius te possis refrænare ab omnibus vitijs.

2 Homil. 51. ex imperfecto in Matthæũ. to. 2. Matt. 24.

CHRYSOSTOMVS explicãs verba illa; Vigilate, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit, ait: Qua ratione homini absconditus est dies mortis ipsius? videlicet vt semper benefaciat, semper mortem suã sperans. Eadem ratione & ab omnibus hominibus absconditus est dies aduentus Christi, videlicet vt non vna generatio saluetur sciẽs aduentum ipsius, sed omnes dum in singulis quibusque generationibus Christi aduentus speratur. Ideo & interrogãtibus se discipulis suis, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel respondit. Non est vestrũ nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Act. 1. Infra: Omnis homo si sciret quando dies Domini venturus esset super eum sicut fur, scilicet insperate veniẽs sicut fur, præueniret, & nõ sineret perfodi domum suã, hoc est, faceret iustitiã, vt veniente sententia Dei nõ perfoderetur quasi ignorans, sed vocaretur quasi iam præparatus ad exitum. Matt. 24. Quando animæ peccatrices delectantur in corpore, & tanquã in suo proprio domicilio gaudent, veniens cũ sentẽtia Dei Angelus mortis perfodit corpus, & animam violenter diuellit ab eo: animæ autẽ iustæ, quæ non delectantur in corpore, sed quasi in exilio sunt, in eas veniente sententia nõ perfodiuntur, sed vocantur gaudentes.

3 Homil. 9. in cap. 5. epist. 1. ad Thess. to. 4.

IDEM explicãs verba illa; Ipsi enim scitis quod dies Dñi sicut fur ita veniet, inquit: Si scire vultis quamobrẽ absconditus sit dies mortis, & quare sicut in nocte ita & ipse veniet:

ideo

ideo hoc est, quia nemo virtutis vnquam curã, quod ad omnem vitam attinet, habuisset, sed cognito quisq; consummationis suæ die, postquam innumera mala perpetrasset, tum demũ baptismi lauacrum accepisset, atq; ita hinc migrasset. Si enim nunc timore incertitudinis cũctorum animos turbante, omnes vniuersam anteactam vitã in malitia consumentes, ad extrema demũ suspiria baptismati se tradunt, si etiã essent admodum de isto persuasi, quisnam vllã virtutis curã haberet? Complures sine illuminatione discesserũt, & ne sic quidem timor iste erudiuit, vt dum viuerent, quę Deo probantur curassent. Quod si etiã hic metus sublatus esset, quis vnquam respuisset? quis obtemperasset? Ne vnus quidem. Rursus verò accedit & alterum. Multus mortis metus, & vitæ amor nunc cohibet. Si verò cognouisset quisquam omnino se crastino die moriturum, nihil vtiq; audere ante diem illũ meritus fuisset, sed quos voluisset, occidisset, se ipsum vindicasset, milleq. mala egisset. Homo namq; sceleſtus hac vita desperata, ne eius quidem rationem habet, qui purpura decoratus est. Infra: Ingens malum est non credere ista in breui euentura, sicut & iudæi irridentes oracula Prophetarum, aiebant: Isa. 5. Væ dicentibus velociter appropient, quæ factu rus est Deus, vt videamus, & veniat consilium Amos. 5. sancti Israel, vt cognoscamus. Et iterum: Væ desiderantibus diem Domini. Non simpliciter desiderantes, intelligit, sed eos, qui ex incredulita te desiderabant. Veniet, vt partus mulieris in vtero habentis. Norunt mulieres, quòd post nouem menses futurus sit partus, sed incertò: quæ dã enim septimo mense, quædam nono peperunt, & dies, & hora incerta est. Vnde multę in vijs, & extra domum suam re nõ prospecta pepererunt. Sic solã diei huius incertitudinẽ ista similitudine significauit. Sicut enim illa interea dum ludit, ridet, nihil omnino prospicit, subito ineffabilibus laboribus occupatur, doloribusq. parturitionis agitata plangit, ita & animæ malorum habebunt subintrante die illo.

4 In epist. 1. quæ est ad Paulinum tom. 1.

HIERONYMVS habet communem illam sententiam; Facile contemnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum.

5 In epist. ad Cyprianum in qua expo nitur Psal. 89.

IDEM explicans verba illa; Mille anni ante oculos tuos tanquã dies hesterna, quæ præterijt, & custodia in nocte, quę pro nihilo habentur, inquit. Æternitati cõparata breuis est omniũ temporũ longitudo. In conspectu enim tuo mille anni, quasi vna dies reputantur. Statimq. se ipse reprehendit. Male dixi vnam diem, & vnius diei spatio mille annorũ apud te longitudinem computari, cũ magis debuerim dicere vnius vigiliæ spatiũ, instar habere mille annorum. Nox in quatuor vigilias diuiditur, quæ singulæ trium horarum spatio supputantur. Sicut igitur vna noctis vigilia cito pertransit, maximè vigiliarum labore defessis, sic & mille annorum spatia apud te pro breuissimo tempore computantur. Vnde Petrus ait: Vnum hoc vos nõ prętereat dilectissimi, quia mille anni apud Deum quasi dies vnus. Mane sicut herba transeat, mane floreat, & transeat, vespere decidat, induret, & arescat. Hieronymus sic vertit, percutiente te eos, somnium erũt mane, quasi herba transiens, mane floruit, & abijt, ad vesperã conteretur, & siccabitur. Iuxta Hebraicum hic sensus est. Multum conuersationi contulit, & saluti, quòd omnis vita mortalium, quasi somnium, ita veloci morte contracta est, quæ in similitudine florũ, atque fœni, eodem penè tempore siccatur, atque deperit. Percutiente te, inquit, eos, id est, homines, & illo sermone completo: Stulte hac nocte repetent animam tuã a te. Quæ autem parasti, cuius erunt? Omnis 6 humana conditio somnio comparabitur. Sicut enim mane virens herba, & suis floribus vernans delectat oculos contemplantium, paulatimq. marcescens amittit pulchritudinem, & in fœnum, quod conterendum est vertitur, ita omnis species hominum vernat in paruulis, floret in iuuenibus, viget in perfectę ætatis viris, & repente dum nescit, incanescit caput, rugatur facies, cutis prius extenta contrahitur, & extremo fine quod hic dicitur vespere, id est, senectute. Vix moueri potest, ita vt non cognoscatur quis prior fuerit, sed penè in alium commutetur. Immo & languor, & inædia facit ante senectutem, vt nullus prius pulcherimus fœminarum, ad tantam transeat fęditatem, vt amor in odium conuertatur. Iuxta septuaginta quoque similiter explicandum est. Omne quod in sæculo lõgum videtur, apud te Deus breue est. Dies enim & anni, quibus humana vita contracta est, reputabuntur pro nihilo tibi comparata. Sicut enim herba mane creuit, floruit, & siccatur, ad vesperamq. indurescit, & deperit, ita erit omnis hominum pulchritudo. Consumpti enim sumus in furore tuo, & in indignatione tua conturbati Sumus. Septuaginta. Quia defecimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus. Pro eo quod nos legimus, turbati sumus. Symmachus, & Aquila transtulerunt, accelerauimus. Breuitatem autem vitæ significat humanæ, vt quamuis ætas longa videatur, tamen comparatione æternitatis breuis sit. Quod & illustris poeta testatur, dicens: Sed fugit interea fugit irreparabile tempus. Anni nostri sicut aranea meditati sunt. Breuitatem humanæ vitæ, quæ sententiæ Dei hucusque subiecta est, & quam in priori versiculo somnio comparauit, dicens: Percutiente te eos, somnium erunt, nunc sermoni loquentium comparat, vt quomodo sermo, qui in ore versatur, dum profertur, intercipitur, & esse desistit. Sic & omnis vita nostra pertranseat, atque desistat. Hæc adnotat quoniam vbi nos legimus, quoniam omnes dies nostri defecerunt, & in ira tua defecimus, anni nostri sicut aranea meditabuntur, ipse transfert, omnes dies nostri transierunt, & in furore tuo consumpsimus annos nostros, quasi in sermone loquens. Infra: Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore iram tuam dinumerare. Septuaginta. Dinumerationem timori, & furori Domini copulant. Porro Hebrai- 7

Psal. 89. Psal. 89.

cum sequenti aptat versiculo, vt sequatur, vt numerentur dies nostri, sic ostende, & veniemus corde sapienti. Quasi dicat: Quis potest nosse quamdiu ira tua, ex qua timor nascitur, humano generi perseueret, nisi te docente, qui Deus es? Itaque obsecro, vt tempus vitæ nostræ indices nobis, quo possimus corde sapienti tuo nos iudicio præparare. Vt numerentur dies nostri. Sic ostende, & veniemus corde sapienti. Septuaginta. Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia. Numerum annorum, dierumq. nostrorum, quibus nos in hoc sæculo viuere decreuisti, ostende nobis, vt præparemus nos aduentui tuo, & contempto errore mortaliũ ad te pergere festinemus corde sapienti. Nihil enim ita decipit humanum genus, quàm quod dum ignorant spacia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi huius possessionem repromittũt. Vnde & illud egregie dictum est: Nullum tam senem esse, & sic decrepitæ ætatis, vt non se adhuc vno plus anno viuere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet, & illud, quod dicitur: Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia, & ad futura festinat. Hoc est, quod Dauid in alio precatur loco dicens: Ne auferas me in dimidio dierum meorum, priusquam abeam, & non subsistam, quod ita exponitur: Ne eo tempore facias me mori, quando adhuc putabam me victurum, vt possim peccata corrigere.

8 IDEM exponens verba illa; Proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, inquit. Cum meã mortem præsentem crederem, proiecisti post tergum tuum omnia peccata mea, ne illam tristis aspicerem, sed tuam misericordiam contemplarer.

Lib. 11. in cap. 38. Isa. to. 5.

9 IDEM explicans verba illa; Sordes eius in pedibus eius, nec recordata est finis sui, ait: Sordes gestat in pedibus, qui gressum conuersationis suę malis polluit operibus, nec recordatur finis sui, & temporis iusti iudicij Dei. Vnde deposita vehementer, & hostium manibus tradita nullum consolatorem habet, quia tempore opportuno, cultu pietatis honorare noluit suum auctorem. Solus in ea dominatur inimicus, quoniam Deus verus eam deseruit amicus. Vnde maximo dolore contrita, miserabiliter ad Dominum clamat: Vide Domine afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Nullo enim sibi resistente, hostis de victoria gaudet, & de potentia sua contra Dominum erigitur proprijs hoc deputans viribus, non iusto iudicio Dei, quoniam iuxta psalmistam: Nõ est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ eius in omni tempore, quia conferuntur iudicia Dei a facie eius.

Lib. 1. in c. 1. Lament. Hier.

10 IDEM exponens verba illa; Indicabo tibi quid sit bonum, &c. Sollicitum ambulare cum Deo tuo dicit: Sicut præcipit nobis, vt faciamus iudicium, & misericordiã diligamus, ita præcipitur, vt præparati simus ambulare cum Domino Deo nostro, nulla hora dormire, nullo tempore securi esse debemus, sed semper expectare patremfamilias venientem, & diem formidare iudicij, & in nocte huius sæculi dicere: Ego dormio, & cor meum vigilat.

Libro 2. in c. 6. Micheę to. 6.

11 IDEM explicans verba illa; Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo comprehenduntur, sic capiuntur homines in tempore malo, inquit: Hoc dixit, quia dum nesciunt homines, & instar piscium nihil cogitant de fine, repentinus eis superuenit interitus.

In c. 9. Ecclesiastes, to. 7.

12 AVGVSTINVS sic habet: Dicunt impij comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Quid ais? Repete, manducemus, inquit, & bibamus. Age, quid postea dixisti? Cras enim moriemur. Terruisti, non seduxisti. Plane hoc ipso, quod postea dixisti, & præcesserit comedamus, & bibamus. Cum enim dixisses, manducemus, & bibamus, adiunxisti, cras enim moriemur. Audi contra a me: immo ieiunemus, & oremus, cras enim moriemur.

Expositione in Psal. 70. to. 8.

1. Cor. 15.

13 IDEM explicans verba illa; Redemisti virgam hereditatis tuæ. Explicat historiam Exodi 4. De virga Moysi, quæ versa est in colubrũ, cuius caudam iussus est Moyses apprehendere, & ait: In cauda serpentis finis est sæculi, quia sic modo mortalitas Ecclesiæ modo ambulat. Alij eunt, alij veniunt per mortem tanquam per serpentem, quia a serpente mors seminata est, sed in fine sæculi tãquam cauda redimus ad manum Dei, & efficimur stabilitum regnũ Dei, vt impleatur in nobis: Redemisti virgam hereditatis tuæ.

In Psal. 73.

14 IDEM explicans verba illa Deut. 32. Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent, inquit. Vult Deus, vt scias vitam prẹsentem fugitiuam, periculosam, breuem, mi serijs tabescentem, vniuersæ vanitati subiectam, peccatorum sordibus pollutam, in breui perituram, intelligas, quòd cum luctu, & labore hinc exiturus es, quia nudus egressus es de vtero matris tuæ, & nudus reuerteris illuc. Quod terra es, & in terram ibis. In huius vitæ miseriam nudus intrasti, lugens dies tuos in ærumna, & labore transisti. Intelligas ergo quantum sit exitus, & ingressus tuus flebilis, progressus tuus debilis, & egressus horribilis. O quàm beatus vir, cuius anima circa huiusmodi studium euigilat, quàm prudenter sapit, & intelligit, ac nouissima prouidet. Ora, & dic cum Propheta: Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorũ quis est, vt sciam quid desit mihi. Non plane tempora, & momenta, quæ pater posuit in sua potestate, prẹscire deposcas, sed quòd sis aduena, & peregrinus in hoc peregrinationis exilio. Vtinam nouissima homines prouiderent. Prouiderent contra sterilitatem futuram, sicut Ioseph. Vnde Salomon: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis. Si mortem ante oculos prospiceres, proculdubio mox sine mora, spretis pompis, postpositis mundi curis, despectis carni illecebris, proiectis voluptatibus, contemptis delitijs, in tui custodia vigilares, ac nouissima sapienter prouideres. Sapientis

In lib. cuius titulus est speculũ peccatoris.

Psal. 38.

Gen. 41.

Eccli. 7.

tis enim est, nõ tam cuiuslibet rei principium prospicere, quàm finem, exitumq. prouidere. Denique fœlix esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, vt postea supplicij effugiat periculum. Memorans homo no uissima sua non peccabit. Non enim melius poterit caro luxuriosa domari, quam qualis erit post mortem meditando. Meditatio hæc, mentis est ditatio. Peroptime ergo mens tua ditatur quando contra cuncta aduetsantia prouidentiæ scientia illustratur. Legitur in poetis, quòd centum oculos Argos habebat, quod ita potest intelligi, quòd mentis suæ circumspectionem, & prudentiam possidebat. Esto ergo alter Argus, immò illo cautior, vt nouissima prouideas prudẽter, summa totius prouidẽtiæ est, vtiq; illa terribilis hora, in qua misera anima tua ex hoc corpusculo corruptibili timens est egressura. Vtinã ergo saperes, & intelligeres quæ mũdi sunt, & prouideres, quæ inferni sunt, profectò Deũ timeres, superna appeteres, mundum contemneres, & infernum horreres. In illa nimis metuẽda extrema hora tua, quis amicorum, quis parentum tuorum veniet cum gladijs, & armis auxilium ferre? Non enim erit tunc qui consoletur te ex omnibus charis tuis.

Abren. 2. Respiciens eram ad auxilium hominum, & nõ erat, refugium tantum est apud Deum. Reduc ergo fili mi sedulus in memoriam illum extremum exitus tui diem, & antequam misera anima tua de carcere exeat carnis, prouideas quo vadat. Hic attende quid est in omni scientia, quod hominem prouocet facilius ad sui custodiam, & omnem iniustitiam expellendam, ad sanctitatem in timore Dei perficiendã, quàm suæ corruptionis consideratio, suæ mortalitatis certa cognitio, postremo tremendæ mortis suæ recordatio? In morte horrible spectaculum, quo sic extinguitur superbia, libido, vanitas, vt nulla alia re id conuenientius fiat.

17 Serm. 120. de tempore to. 8.

IDEM sic habet; Caue ne te respiciat prophetia illa terribilis: non est Deus in conspectu eius, auferuntur iudicia tua a facie eius, omnium inimicorum dominabitur. Irremediabile periculũ est, sic aliquem vitijs, & cupiditatibus frœna laxare, vt se rationem Deo non meminerit redditurum. Puto quia magna sit iam peccati pœna, metum, ac memoriam futuri perdidisse iudicij.

17 Lib. 13. moral. c. 10. to. 2.

GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 16. Spiritus meus attenuabitur, dies mei breuiabuntur, inquit. Attenuatur spiritus timore iudicij, quia electorum mentes, quo amplius extremo iudicio propinquare se sentiũt, eo ad discutiendas semetipsas terribilius contremiscunt. Et si quas in se cogitationes carnales inueniunt, pœnitentiæ ardore consumunt, nec cogitationes suas dilatari carnali voluptate permittunt, quia eo semetipsas dijudicantes subtilius feriunt, quo districtum iudicem prælantur vicinum. Vnde fit, vt propinquum sibi semper exitum suspicentur. Nam reproborum mentes idcirco multa nequiter agũt, quia hic se viuere diutius arbitrantur. Iustorum ergo attenuatur spiritus, quia dum iusti breuitatem suæ vitæ considerant elationis, & immunditiæ culpas declinant. Vnde & subditur: Dies mei breuiabũtur, & solum mihi supereſt sepulchrum. Qui enim considerant qualis erit in morte, semper fit timidus in operatione, atque vnde in oculis suis iam quasi non viuit, inde veraciter in oculis sui conditoris viuit. Nil quod transeat, appetit, cunctis præsentis vitæ desiderijs contradicit, & pene mortuum se considerat, quia moriturum minime ignorat. Perfecta enim vita est mortis imitatio, quam dum iusti sollicite peragunt, culparum laqueos euadunt. Vnde scriptum est: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Vnde & beatus Iob, quia dies suos considerat breuiari, & solum sibi superesse sepulchrũ pensat, apte subiungit: Non peccaui, & in amaritudinibus moratur oculus meus. Ac si apertè dicat: culpam non feci, & flagella suscepi.

Eccli. 7.

Mulieres diligere vituperabile non est, cum mulltæ fuerint viris sanctiores, est tamen earum societas & virorum cauenda. Cap. XI.

1 Homil. 24. quæ est quo modo legere debeant adolescẽtes gentilium libros. to. 1.

BASILIVS refert de Alexãdro magno, quòd parta victoria contra Darium regẽ, huius filias captiuas, quæ ad mirabili erant forma, & decore conspicuo, de quarum pulchritudine audierat multa, videre noluit, turpe esse existimãs victores his, quas ipsi superassent gentibus succumbere. Hoc enim illud referre videtur, quòd ad cõcupiscentiam mulierem aspiciens, etsi adulterium opere non compleuerit, ob id tamen, quòd concupiscentiæ consensit a culpa vacuus non erit.

2 Lib. de vera virginitate ad Leroium Melitẽsem Episcopum to. 2.

IDEM sic ait; Sicut cum ignem tãgimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus, impossibileq. est eum, qui ignem tetigerit manu, illæsam illam ab eius incentiua operatione seruare; Ceterum aut bullæ repente tactum consecutæ turgescunt, ac dolorosa per feruorem, & inflammationem vlcera mox rumpenda minantur, aut iam quoque facta in manu acria visuntur vlcera: ita possibile nõ est eum, quem ignis amor attigerit, eiusmodi tactum innocuum inuiolatumq. prẹferre, sed aut simili ratione bullæ per tactum manus cordi clam subrepunt, atque intumescunt, diraſque amoris perturbationes feruentibus, & æstuantibus, incontinentisimisq. agitationibus pariunt, ac peccati vlcera continuo rumpendo minantur, aut animũ totum in intimis iam grauiter exulceratum indicant. Ignis enim ardens est in omnibus membris. In quem vero superuenit, eum a radicibus perdidit. Itaque quoniam in mẽbris omnibus hic ignis ardet,

his

his qui corpus aduſtione liberum ſeruare inſtituunt, membrorum omnium contactus cauté vitandus eſt, ne ardentem ignis operationem in toto corpore atque in anima ipſa ſuſciant. Sicut lapis in aquam ciſternæ cõiectus, non ſolum adiacentem aquæ partem in quam cecidit agitat, verũ orbes alios poſt alios perpetuis vicibus excitans, eos interdum ad vltimos lacunæ margines agitando perducit: ita & laſciuus obtutus, vel ſermo, voluptatis delinitus illecebris in virginis animam, velut in vndam puriſsimam vehementer iniectus, alias poſt alias quaſi in profundo cogitationes amatorias excitat, ipſamq. totam eius, qui fecit imaginem ſauciam fluctibus agitat. Quo circa ſummo ſtudio oportet virginem, aſpectus, vociſq. blanditias, vt peſtiferæ ac perditæ voluptatis illecebras a ſenſibus ſuis quam longiſsimè arcere, & aurem quidem intus caſtiſsima cogitatione, oculos verò cautiſsima auerſione munire. Obſtruendus eſt igitur primus per ſenſus ſatelliti carnis ingreſſus, ſenſuſq. ipſi, vt ianuæ ac feneſtræ cordis, ſeris ac vectibus vndique firmandi, atque muniendi, ne per aliquem illorum verſutus aſcendens, mortem, quę contubernalis eius eſt, ſecum vna introducat. Non itaque conuenit ei, qui peccata concubitus ſuperare proponit, huiuſmodi periculorum implicari lapſibus. Infra: Quia blandimentum cupidineæ voluptatis eſt fœmina, & maſculo laſciuioribus oculis ad ſe inſpiciendam illecebram naturaliter ſuggerit, ac liquidiore voce ad oblectamentum auris, organi inſtar efficta eſt, membrorumq. inſinuata mollitie, ac toto prorſus corporis habitu, & motu ad ſeductionem formata voluptatis (non modo enim loquens mulier, & intuens, verum ſedens quoque, & incedens, ob inſitam ſibi naturaliter aduerſus maſculum vim: hunc ad ſe eminus attrahit non ſecus ac magnes lapis ferrum) idcirco ſumma ope contendat virgo neceſſe eſt, ne vllis voluptatis laqueis irretiatur. Vnde non paſsim licenterq. procedet, niſi neceſsitate aliqua cogatur, non aliorum ſe domibus ingeret: ſed domi clauſa manebit, & intra annos adoleſcentiæ poſita, ad Eccleſiam tantum, ne tunc quidem ſola, & incomitata proceedet. Quod ſi ex mandato Domini alio fortaſsis ire cogeretur: id quoque ſignificabit comitibus propoſiti ſui, atque cuſtodibus grauibus fœminis. Neque enim temere gregalem eſſe virginem decet, quæ nuptiarum vincula fugit, neque paſsim, quo velit, incedere, quaſi ideo renuerit virum, non vt immortali ſponſo ſemper aſsideat, ſed vt in poteſtate habeat quocunque velit male libera, & vaga diſcurrere. Eas quippe, quæ per vicos ac domos liberè volitant, indiſciplinatas eſſe non virgines, veritatis ſermo denuntiat. Otioſæ enim addiſcunt circumeuntes domos. Non ſolum autem otioſæ, ſed & nugaces, & curioſæ loquentes ea, quæ non decet. Quod ſi viduam, quæ viri iam experimentum cœpit, indecens eſt linguam, ac pedes paſsim mouere, ne prædictis criminibus teneatur obnoxia; ſanè indecentius, eſt virginem pudicam non ſeruare linguam, greſſumq. ſuum ea diligentia non moderari, vt nũquam illum niſi ad vſum neceſſarium atque vtilem proferat. Solum illa loquatur, quæ ad ædificationem ſint conuenientia, & velut viuum Dei ſimulachrum in publico appareat.

5 Homil. 32. ex imperfecto in Matthæũ. to. 2.

CHRYSOSTOMVS explicans verba illa cap. 19. Si ita eſt cauſa viri cum vxore non expedit nubere, inquit: Audientes cogitabant apud ſe, mulier bona difficile inuenitur, proteſtante Salomone, in mille virum bonum inuenies, in omnibus autem his mulierem non inuenies. Quid autem eſt aliud mulier niſi amicitiæ inimica, ineffugabilis pœna, neceſſarium malum, naturalis tentatio, deſiderabilis calamitas, domeſticum periculum, delectabile detrimentum, boni colore delicta. Ob hoc dixerunt Apoſtoli, ſi ita eſt cauſa viri cum vxore non expedit nubere. *Eccli 7.*

6 Homil. 15. ex variis in Mattheum in decollat. S. Ioã. Bapt.

IDEM: Occaſione ſumpta ex Herodiade propter quam Ioãnes miſſus eſt in carcerem, ait: Ego exiſtimo nullam eſſe in hoc mundo beſtiam cõparabilem mulieri malæ. Sed nunc mihi de muliere mala ſermo eſt, non de bona, & honeſta. Noui enim multas in omne opus bonum promptas. Sed mulier mala peior eſt quauis beſtia. Quid inter quadrupedia animalia leone ſæuius? Sed nihil ad hanc. Aut in ſerpentibus, quid dracone atrocius? Sed ne hoc quidem iuxta mulierem malam. Nam & leo, & draco in malo inferiores ſunt. Vnde Salomon ait: Cohabitare leoni & draconi melius eſt, quàm cum muliere mala, & linguoſa. Et hoc ex ipſis rebus diſce manifeſtè. Danielem leones in lacu reueriti ſunt, iuſtum verò illum Nabuthem Iezabel interfecit. Cœtus Ionam in ventre cuſtodiuit, Dalida autem Samſon circumuentum illecebris raſo etiam capite deformatum alienigenis tradidit. Dracones & aſpides cornutæ Ioannem Baptiſtam in deſerto viuentem ſubdita feritate tremuerunt, Herodias verò eidem caput abſcidit, & tanti viri mortem in pretium ſaltationis accepit. Heliam corui in monte pauerunt, & Iezabel eum poſt redditam terræ pluuiam perſequebatur, vt pœnam mortis ei redderet, cuius orationibus depulſa generis humani fame, & ipſa, licet indigna, viuebat. Dixitq. ei: Ego ſum Iezabel hæc mihi faciant dij, & hæc apponant niſi craſtina hac hora, ponam animam tuam ſicut vnius eorum, qui interfecti ſunt. Et timuit Helias, & abijt in deſertum viam quadraginta dierum, & petiuit animæ ſuæ conſternatus in vmbra iuniperi, vt moreretur. Timuit mulierem, qui totius mundi ſtatum, & cæli pluuiam, agri ſpeciem in linguæ poteſtate portauerat, qui ignem è cælo eduxerat, & per virtutem orationis mortuos ſuſcitauerat. Hic timuit mulierem. Quia non eſt caput, ſuper caput ſerpentis, & non eſt malitia ſuper malitiam mulieris. O malum ſummum, & acutiſsimum diaboli telum mulier. Per mulierem Adam in paradiſo proſtrauit, & de paradiſo exterminauit. Per mulierem mitiſsimum illum Dauid, vt necem militis ſui innocentis Vriæ in epiſtola dolo mandaret, armauit. Per mulierem ſapientiſsimum Salomonem in præuaricationis ſacrilegium præcipitauit. Per mulierem fortiſsimum Sanſon cæcauit. Per mulierem caſtiſsimum Ioſeph vinculis alligatum detruſit in carcerem. Deniq. iuſtum Iob mulier ſua ad mortem tradebat. Infra: A coniuge tua cuſtodi te, ne manifeſtes ei cor tuum. Dic mihi quæ beſtia contra maſculum ſuũ mortem machinata eſt, ſicut Dalida contra Samſonem? Et ideo quiſquis habet mulierem malam, cogitet quoniam iniquitatum ſua rum portat mercedem. Hactenus mihi de muliere mala ſermo habitus hic habeat finem, oportet enim commemorare, & bonas. Mulier bona, & hoſpitalis beata Sunamitis, quæ virũ ſuum deprecata manſionem ædificauit, Hæliſeo. Quid autem? Digne dicamus, & beatam illam viduam, quæ ſuſcepit, Prophetam Heliã, quam in nullo impediuit rerum inopia, diutitè bona voluntate, quæ Heliam pauit in tempore famis.

Gen. 3. *2. Reg. 11.* *Gen. 29.* *Iob 2.* *4. Reg. 4.* *Ecclꝰ. 25.* *Dan. 14.* *3. Reg. 21* *Ionæ 2.* *Iudic. 16.* *Matth. 3.* *3. Reg. 17* *Ibid. 19.* *Eccli. 25.*

8 Homil. 38. in 1. Epiſt. Pauli ad Corinthios. tom. 4.

IDEM docens qua ratione diabolus cum cunctis expoliarit Iob, eius tamen vxorem ad ipſius maius nocumentum cõſeruauerit dicit. Idcirco ipſam vna cum filijs non perdidit diabolus neque eius mortem expetiuit, cum putaret, multum eam ſibi conferre ad ſanctum hũc expugnandum. Quamobrem tanquam maxima quædam arma ſibi eam reliquit. Nam ſi e paradiſo per eam hominẽ eieci, inquit, multo magis in ſtercore ſupplantare potero.

9 Epi. 9. quæ eſt ad Saluinã viduã nobilẽ, & iuuencula de viduitate ſeruanda. tomo. 1.

HIERONYMVS inquit: Tenera res in fœminis fama pudicitiæ eſt: & quaſi flos pulcherrimus, cito ad leuẽ marceſcit aurã, leuiq. flatu corrumpitur, maxime, & vbi ætas conſentit ad vicium, & maritalis deeſt autoritas cuius vmbra tu tamen vxoris eſt. Quid faciet vidua inter familiæ multitudinem? inter miniſtrorum greges? Quos nolo contemnat, vt famulos, ſed vt viros erubeſcat. Certe ſi ambitioſa domus hæc officia flagitat: præficiat his ſenem honeſtis moribus, cuius honor Domine dignitas ſit. Scio multas clauſis ad publicum foribus, nõ caruiſſe infamia ſeruulorum, quos ſuſpectos faciebat, aut cultus immoderatus, aut ætas apta libidini, aut ex cõſcientia animoris occulti, ſecurus animi tumor, qui etiam bene diſsimulatus frequenter erumpit in publicum, & conſeruos quaſi ſeruos deſpicit. Hoc dictum ſit, vt omni diligentia cuſtodias cor tuum, & caueas quicquid de te fingi poteſt. Nõ ambulet iuxta te iuuenis cultus, & nitidus, nihil tibi in obſequijs molle iungatur. Habeto tecum viduarum, & virginum choros, habeto tui ſexus ſolatia. Non debet periculoſe externorum conſortia quærere, de tuorum ſocietate ſecura.

10 In Epi. 12. quæ eſt ad

IDEM hunc inſtruens ne domi in ipſius famulatu habeat virgines, & adoleſcentulas propter periculũ quod inde ſolet exoriri ait: Quid fragilem, & ſutilem ratem magnis committis fluctibus, & grande periculum nauigationis in certæ ſecurus aſcendis. Sed ad miniſterium iſte ſexus eſt aptior. Elige ergo anum deformem, elige probatæ in Domino continentiæ. Quid te adoleſcentula, quid pulchra, quid luxurioſa delectat? Vteris balneis, cute nitida, rubicundis genis incedis, carnibus veſceris, affluis diuitijs, precioſa veſte circundaris, & iuxta ſerpentem mortiferum ſecure dormire te credis? At non habitas in eodem hoſpitio? in nocte dumtaxat. Cæterum totos dies in huius confabulatione conſumis. Quare ſolus cũ ſola, & non cum arbitris ſedes, vt cum ipſe non pecces, alijs peccare videaris, vt exemplo ſis miſeris, qui nominis tui autoritate delinquãt? Tu quoque virgo vel vidua, cur tam largo ſermone viri retineris. Cur cum ſolo relicta non metuis. Tum cum quo licentius quam cũ germano, multo inuerecũdius quam cum marito egiſti? Sed de ſcripturis ſanctis aliquid interrogas. Interroga publice, audiant, pediſſequæ, audiant comites tui, omne quod manifeſtatur lumen eſt. Bonus ſermo ſecreta non quærit, quin potuis delectatur teſtimonio plurimorũ. Magiſter egregius contemnit viros, deſpicit fratres, & in vnius mulierculæ ſecreta eruditione deſudat. Sexus fœmineus ſuo iungatur ſexui, & neſciat infantula imo timeat cum pueris ludere.

Gaudentiũ de educatio ne infãtulę. to. 1.

11 In Epi. 22. quæ eſt ad Euſtochiũ de cuſtodia virginitatis tomo. 1.

IDEM ſic habet: Semper te cubiculi tui ſecreta cuſtodiant, ſemper tecum ſponſus ludat intrinſecus, audieſq. ab eo: Hortus concluſus ſoror mea ſpõſa, hortus concluſus fons ſignatus. Caue ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ, quamuis fratres habeas patriarchas, & Iſrael parente Leteris. Dina egreſſa corrumpitur. Nolo te ſponſum, quæ rere per plateas. Nolo te circuire angulos ciuitatis, dicas licet, circuibo ciuitatem per vicos, & plateas, quærã quem diligit anima mea. & interroges, num quem diligit anima mea vidiſtis? Nemo tibi reſpondere dignabitur ſpõſus in plateis non poteſt inueniri. Quæſiui eũ, & non inueni. Atque vtinam non inueniſſe ſufficiat, vulneraberis, nudaberis, & gemebunda narrabis: inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerũt pallium meum. Si autem hoc, exiens patitur illa, quæ dixerat ego dormio, & cor meum vigilat, faſciculus myrrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur: quid de nobis fiet, quæ adhuc adoleſcentulæ ſumus? Zelotypus eſt Ieſus, non vult ab alijs videri faciem tuam. Sis licet pulchra, & inter omnes mulieres ſpecies tua diligatur à ſponſo, niſi omnia cuſtodia ſeruaueris cor tuum, niſi oculos iuuenum fugeris, egredieris de thalamo tuo, & paſces hædos, qui ſtaturi ſunt à ſiniſtris. Itaque in Euſtochium filia, domina, conſerua, germana, aliud enim ætatis, aliud meriti, aliud religionis, hoc charitatis eſt nomen. Audi Iſaiam loquentem: populus meus intra cubiculum tuum, claude oſtium tuum abſcon-

Gen. 34.

abscondere pusillum aliquantulũ donec transeat ira Domini. Foris vagentur virgines stultæ, tu intrinsecus esto cum sponso: quia si ostium clauseris, & secundum Euangelij præceptum in occulto oraueris patrem tuum, veniet, & pulsabit, & dicet. Ecce ego sto ante ianuam, & pulso, si quis mihi aperuerit introibo, & cænabo cum eo, & ipse mecum.

12 In Epi. 27. quę est ad Eustochiũ Epitaphiũ matris suæ Paulæ. to. 1.

IDEM post enumerata multa, quæ sancti tatem Paulę commendant, incredibilem ipsius pœnitentiam ait, quòd post mortem viri sui vsque ad diem dormitionis suæ cum nullo comedit viro quamuis eum sanctum, & in pontificali sciret culmine constitutum. Infra: Loquens de congregatione fœminarum quibus ipsa præerat ait: A viris tanta separatio erat, vt à spadonibus quoque eas seiungeret, ne vllam daret occasionem linguæ maledicæ.

13 In Epi. 51. quæ est de vita beati Hilarionis. tom. 1.

IDEM de Hilarione viginti & duos inquit, iam in solitudine habebat annos, fama tãtũ notus omnibus, & per totas Palestinę vulgatus vrbes, cum interim mulier, quædam cernens despectui se haberi à viro ob sterilitatem (iam enim per annos quindecim nullos coniugij fructus dederat) prima irrumpere ausa est ad beatum Hilarionem, & nihil tale suspicanti repente genibus eius aduoluta, ignosce, inquit audatiæ, ignosce necessitati meæ. Quid auertis oculos? quid rogantem fugis? Noli mulierem aspicere, sed miseram. Hic sexus genuit Saluatorem. Non habent sani opus medico: Sed qui male habent. Tandem substitit, & post tantum temporis visa muliere consolatus est eam.

14 In epist. ad Asellam.

IDEM Hiero. venit in suspitionẽ Romanis q̃ Paulam adamaret, & huiusmodi obtrectatoribus respondens inquit: Multa me virginum crebro turba circundedit. Diuinos libros, vt potui, non nullis sæpe differui. Lectio assiduitatem, assiduitas familiaritatem, familiaritas fiduciam fecerat. Dicant quid vnquam in me aliter senserint, quam Christianum decebat? Pecuniam cuiusq. accepi? Munera vel parua, vel magna non spreui? Obliquus sermo oculus petulans fuit. Nihil mihi aliud obijciunt, nisi sexum meum. Infra: Ante quam domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me vrbis studia consonabant. Omnium pene iudicio, dignus summo sacerdotio decernebar. Dicebar sanctus, humilis & disertus. Nunquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum? Nunquid me vestes fericæ, nitentes gemmę, picta facies, auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quę meam posset edomare mentem, nisi lugens atque ieiunans, squalens sordibus, fletibus pene cæcata, quam continuis noctibus misericordiam Domini deprecantem sol sæpe deprehendit. Nulla nie potuit delectare nisi illa quam manducantem nunquam vidi. Sed postquam eam pro suæ merito castitatis venerari, colere, suspicere cæpi, omnes me illico deseruere virtutes. Infra: Concludit salutem Paulam, & Eustochium, velit nolit mundus, in Christo meas saluta matrem Albinam, Marcellam, & Marcellinam: & dic eis. Ante tribunal Christi simul stabimus, ibi apparebit qua mente quis vixerit.

15 In Epist. ad Principiã virgi. to. 1.

IDEM Principiam virginem sic exorditur. Scio me Principia in Christo filia à pleriſq. reprehendi, quod interdum scribam ad mulieres, & fragiliorem sexum maribus præferam. Si viri de scripturis quęrerent: mulieribus non loquerer. Si Barach ire ad prælium voluisset, Debbora deuictis hostibus non triumphasset. Hieremias carcere clauditur, & quia perituras Israel virum non receperat prophetãtem, Olda eis mulier suscitatur. Sacerdotes & Pharisæi crucifigunt filium Dei: & Maria Magdalenæ plorat ad crucem, vnguenta parat, quærit in tumulo, hortulanum interrogat, Dominum recognoscit, pergit ad Apostolos, repertum nunciat. Illi dubitant, ista confidit. Rebecca pergit ad interrogandum Deum, & sua respõsione condigna audit oracula. Duæ gentes in vtero tuo, & duo populi de ventre tuo diuidentur. Maria soror Moysi victorias, domini canit, & Rachel Bethlehem nostram stirpe nominis sui signat in posteros. Ruth & Hester, & Iudith tantæ gloriæ sunt, vt sacris voluminibus nomina indiderint. Quid dicam de regina Saba, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, quæ testimonio Domini omnes viros condemnatura est Hierusalẽ, Quid memorem Annam matrem Moysi, mulierem Tecuitem, Annam filiam Phanuel, Elisabeth? Sequebantur mulieres Saluatorem, & ministrabant ei de facultatibus suis. Cum Samaritana loquitur ad puteum. Apollo virum Apostolicum, & in lege doctissimum, Aquilla & Priscilla eruditum, & instruunt eum de via Domini. Si doceri à fœmina non fuit turpe Apostolo, mihi quare turpe sit post viros docere & fœminas? Hæc breuiter perstrinxi, vt nec te pœniteret sexus tui, nec viros nomen suum erigeret, in quorum condemnationem, fœminarum in scripturis sanctis vita laudatur.

16 Lib. 3. In cap. 8. Ezechielis. tomo. 5.

IDEM explicans verba illa: Inter abominationes, & peccata populi, quæ ostensa sunt, Ezechieli adhuc conuersus videbis abominationes maiores, quas illi faciunt. Et introduxit me per ostium portæ domus Domini: & ecce mulieres sedentes, plangentes Adonidem, inquit: Quia iuxta gentilem fabulam in mense iunio amasius veneris, & pulcherrimus iuuenis occisus, & deinde reuixisse narratur: eundem iunium mensem, eodem appellant nomine, & anniuersariam ei celebrant solẽnitatem, in qua plangitur à mulieribus quasi mortuus, & postea reuiuiscens canitur atque laudatur. In quo vitia mulierum describuntur, quæ plangunt amatorum societate priuatæ, & exultant si eos potuerint obtinere.

17 In prologo in sophoniã prophetã. tomo. 5.

IDEM ait: Respondendum est his, qui me irridendum existimant: quòd omissis viris ad vos scribam potissimum ò Paula, & Eustochium. Et postquam multas narrauit fœminas, quas sacræ literę commemorant inquit: Ad gentiles fœminas veniam, vt & apud sæculi philoso-

philosophos videant animorum differentias quæri solere non corporum. Plato inducit Aspasiam disputantem Themisto inter sapientissimos Græciæ philosophatur. Corneliam, tota Romanæ vrbis turba miratur. Carneades eloquentissimus philosophorum, qui apud consulares viros & in academia plausus excitare consueuerat, non erubuit in priuata domo audiente matrona de philosophia disputare. Quid referam Catonis filiam, Bruti coniugem, cuius virtus facit ne patris maritiq. Cõstantiam tantopere miremur? Plena est historia tam græca quam latina virtutibus fœminarũ, & quæ integros libros flagitet. Mihi tamen dixisse sufficiat, Dominum resurgentem primũ apparuisse mulieribus. Et Apostolorũ illas fuisse Apostolas: vt erubescerẽt viri non quærere, quem iam fragilior sexus inuenerat.

18 Lib. primo offic. ca. 18. de bono verecundiæ. tomo. 4.

AMBROSIVS ait: Est & in oculis verecundia, vt nec videre viros fœmina, nec videri velit. Est verecundia pudicitiæ comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Bonus enim regendæ castitatis pudor est comes, qui si se prætendat ad ea, quæ prima pericula sunt, pudicitiam temerare non sinat. Hic primus in ipso cognitionis ingressu Domini matrem cõmendat legentibus, & tanquam testis locuples dignam, quæ ad tale munus eligeretur, astruit, quòd in cubiculo, quòd sola, quòd salutata ab Angelo tacet, & mota est in introitu eius, quòd ad virilis sexus speciem peregrinam turbatur aspectus virginis. Itaque quamuis esset humilis præ verecundia, non resalutauit, nec vllum responsum retulit, nisi vbi de suscipienda Domini generatione cognouit, vt qualitatem effectus disceret.

19 In cap. 20.

IDEM in quo docet mulierum commercia vitanda inquit: Viduarum ac virginum domos nisi visitandi gratia, iuniores adire non est, opus, & hoc cum senioribus, hoc est, vel cũ Episcopo, vel si grauior est causa, cum presbyteris. Quid necesse est (Ecclesiasticos alloquitur) vt demus obtrectandi locum sæcularibus? Quid opus est, vt illę quoque visitationes crebræ accipiant autoritatem? Quid si aliqua illarum forte labatur? Cur alieni lapsus subeas inuidiam? Quam multos etiam fortes illecebra decipit? Quanti non dederunt errori locum, & dederunt suspitioni? Cur non illa tempora, quibus ab Ecclesia vacas, lectioni impendas? Cur non Christum reuisas, Christum alloquaris, Christum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus, cum diuina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? Vna est domus, quæ omnes capit. Illi potius ad nos veniant, qui nos requirunt. Quid nobis cum fabulis? Ministerium altaribus Christi, non obsequium hominibus deferendum suscepimus.

20 In lib. cuius titulus est exhortatio ad virg. to. 4.

IDEM docens qua ratione virgines debẽt abscondere pulchritudinem suam inquit: Soror virgo nobilis cum esset decora facie valde vultum aperuit, soli inuelata, & intecta martyrio, & volens iniuriæ occurrit, vultum offerens, vt ibi martyrij fieret sacrificium, vbi solet esse tentamentum pudoris. Gaudebat enim dispendio pulchritudinis, periculum integritatis auferri. Hetruscum iuuenem veteres fabulę ferũt, cũ propter admirandã oris proprij pulchritudinẽ, in amorẽ accẽderet fœminas, stigmatibus inarasse vultũ suũ, ne qua eũ adamare posset. Ille sola excepit vulnera ne noceret, vt imaginẽ Dei, quã acceperat reseruaret.

21 In lib. ad virginẽ deuotã cap. 1. tom. 4.

IDEM docet virginem nullum tractatum habere debere cum sæcularibus hominibus dicens. Quid tibi cum hominibus sæcularibus: aut quem tractatum habes cum illis? Quid vis scire cum ipsis, perditionem quam ipsi sequũtur? Si castitatem quæris, hanc illi non habent. Si fidem quæris, quis est fidelis in illis quem tu comitaberis? Si autem Christum quæris, non manet in illis. Nescio quid quæras, quales amicitias, vel quales fabulas habeas cum illis. Deuouisti animam tuam ad destruenda omnia, quæ sunt huius sæculi, quomodo autem, quæris sæculum cui renunciasti? Reuerteris ad vomitum tuum sicut carnis, aut velut sus lota iterum inuolutationem, sicut scriptum est dicente Apostolo, si quæ destruxi, iterum reædifico præuaricatorem me constituo. Quid dicis deuota deo? Quid vis hominibus placere? Quid desideras, vel quid quæris? Si Deum quæris, tecum est. Si hominem quæris, non hoc deuouisti. Quid quæris homines sæculi, quorum Deus venter est, & gloria in pudendis ipsorum, qui terrena sapiunt? Nõ audisti: vitate canes, vitate malos operarios. Rogo te, homines sęculi quid tibi demostrant? Dic mihi, castitatem, quàm non habent? Quid, fidem quam non inueniunt? Doctrinam quam non sequuntur, nisi diabolicam sapientiam huius mundi? Ieiunium quod adiunt? Abstinentiam quam iudicant? Humilitatem, quam opprimunt? Sobrietatem quam negligunt? Verecundiam quam proijciunt à se? Sinceram mentem quam non habẽt? Nescio, quid vis studere cum ipsis.

1. Pet. 2. *Galat. 2.* *Phil. 3.* *Phil. 3.*

22 In cap. 2.

IDEM inquit: Sed quid dicis? Ego conuerto eos ad me. Si autem ad te conuersi fuerint, non tibi expedit. Quid quærit lupus cum agno? Vel quid quærit canis nisi panem? Quare autem rugit leo nisi pro præda? Tu te ipsam castam custodi si potes. Quid vis docere quòd tu ipsa non facis? sicut dicit, Apostolus, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt: si autem ab ipsis doctrinam accipias, docebunt te, quod faciunt, concupiscentiam, quam sequuntur, fornicationem, libidinem, auaritiam, impudicitiã, luxuriam, ebrietatem, turpiloquium, iram, & omnem malitiã. Quid quæris cũ illis? Quæ pars fideli cũ infidele? Vel quæ pars sancti hominis ad carnẽ? Virgo esse potes corpore, sed nõ mente. Cum perverso subuerteris, quia non potes duobus Dominis seruire, non potest cõmitti pannũ vetus cum nouo. Tollit enim fortitudinẽ eius, & peior scisura fit. Quicunq; qualis fuerit cum tali seiungit. Columba dimissa de manu hominis, statim reuersa est in arcam. Nam coruus dimissus

Ionæ. 4. *Matt. 9.*

missus carnem secutus est, quem tu quoq; vis sequi, vt non reuertaris ad ianuam Christi. Recede misera ab illis hominibus, ne carnes tuas electas comedant, & talos tuos euertant, & relinquaris nuda, & spoliata sicut in cucumerario. Tunc reuerteris in domum tuam cum fletu a qua exieras gaudens.

23 Cap. 3. IDEM inquit: Vide & caue ab istis hominibus. Intra in cubiculum, clauso ostio ora patrem tuum, vt det tibi mentem bonam, & intellectū, vt scias quos debeas sequi, & quos vitare, quia multi sunt, qui fingunt se esse quod non sunt, sed mentiuntur, & nescis quod de anima tua agitur ne ducant te captiuam sicut bouem, quæ ad occisionem ducitur. Ne festines sicut auis in laqueum. Audi me, remoue pedem tuum de illis, sede sedula in domo tua, operare manibus tuis quod bonū est. Ora sine intermissione, ne facilis videaris in plateis. *Matth. 6.*

24 Lib. primo de Abrahā patri. ca. 5. tomo. 4. IDEM explicans verba illa: In quibus Angelus dixit Abrahæ, vbi est Sara vxor tua? Qui respōdit, & dixit. Ecce in tabernaculo ait: Nō ignorabat Dominus vbi Sara esset. Sed docere nos voluit quantus pudor debeat esse fœminarum, ne procaci occursu hospitum in se oculos inflectant, salua verecundia ministeriū suū exerceant. Abraham quoq; auribus tuis ingerit, in tabernaculo Sarā degere, vt discas, quid ab vxore exigas. Pronectior ætate iam Sara iuuenilem custodit verecundiā: ideo Dominus spopondit ei filium. Foris maritus inuitat, intus mulier conuiuium parat. *Gen. 18.*

25 Lib. 6. de sacramentis, cap. 4. 1. *Tim.* 2. IDEM explicans locum Pauli: Volo viros in omni loco orare dicit: Vtiq; communis est oratio fœminis, & viris. Sed Apostolus ideo forte dixit viros orare in omni loco, ne mulieres male vsurparent & intelligerent in omni loco, & inciperent vbique discurrere, & clamare, quas in Ecclesia sustinere non possumus.

26 Lib. 11. de Genesi ad literā to. 3. AVGVSTINVS explicans verba illa Pauli 1. Timoth. 2. Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit inquit: Salomon vir tantæ sapientiæ nunquid nam credendum est, quod in simulachrorum 8. *Tim.* 2. cultu credidit esse aliquid vtilitatis? Sed mulierum amori ad hoc malum trahenti resistere non valuit, faciens quod sciebat non esse faciendum: ne suas, quibus deperibat, mortiferas delitias contristaret. Ita & Adam postea quā de ligno prohibito seducta mulier manducauit, eique dedit, vt simul ederent, noluit eam contristari, quam credebat posse sine suo solatio contabescere, si ab eius alienaretur animo & omnino illa interire discordia. Non quidē carnis victus concupiscentia, quam nondum senserat, sed amicali quadam beneuolentia, qua plerūque fit, vt offendatur Deus, ne homo ex amico fiat inimicus.

27 Tra. de passione Dom. cap. 2. BERNARDVS explicans verba illa; Torcular calcaui solus, & de gentibus non est vir mecum ait: Videtur signanter dictum esse, non est vir mecum, tanquam intelligendum sit solas mulieres cum illo remansisse. Viris enim fortioris naturæ fugiētibus præ timore, non fugit muliebris infirmitas. Sicut in persona Christi conquerentis beatus Iob loquitur, & derelicta sunt tātummodo labia circa dentes meos. Per labia quippe, quæ ceteris sunt membris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus intelligitur, qui solus Christo discipulis fugientibus adhæsit, figuratur. Elegit enim Dominus infirma mundi, vt confunderet fortia. *Iob. 19.*

Mundus malus dicitur, & periculosum mare. quod enauigant sancti, qui & relinquendus, & odiendus est. Cap. XII.

1 Hom. 3. in cap. 17. Gen. to. 2. IXIMVS de re hac multa libro 4. cap. 2. Quibus addenda sunt, quæ sequuntur. Origenes in primis inquit: Primum quidem à Deo ad Abram ante immutationem nominis illud defertur oracullum, quo dixit, exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Sed nihil in hoc de testamento Dei, nihil de circuncisione præcipitur. Non enim poterat cum adhuc esset Abram, & carnalis natiuitatis vocabulum ferret, suscipere testamentum Dei, & circuncisionis insigne. Cū vero exijt de terra sua, & de cognatione sua, tunc ad eum sacratiora iam responsa deferuntur. Tunc vocatur Abraham, & testamentum Dei suscipit, & signaculū fidei accipit per circūcisionē, quam non potuit accipere donec in domo patris esset, & in consanguinitate carnali, carni cohabitans, & sanguini: sed postquam inde profectus est; Abraham meruit vocari. *Gen. 12.*

2 Hom. 3. in ca. 4. Exodi. Cap. 5. IDEM explicans verba, quæ dixit Moyses Pharaoni, dimitte populū meū vt sacrificet mihi in deserto ait: Nō vult Moyses vt populus in Ægypto positus seruiat Dño, sed vt exeat in desertū, & ibi seruiat Dño. Hoc est sine dubio qđ ostendit, quia donec quis in tenebris sæcularibus manet, & in negotiorum obscuritate versatur, non potest seruire Domino. Non enim potest duobus Dominis seruire. Non potest Deo seruire, & mammonæ. Exeundum igitur, nobis est de Ægypto, relinquendus est mūdus, si volumus Domino seruire. Relinquendus autem dico non loco, sed animo, non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo. Audi hæc eadem Ioannē dicentem: Filioli nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod in mundo est desiderium carnis est, & desiderium oculorum. Et quid tamen dicit? Quomodo vel quatenus proficisci iubet ex Ægypto videamus. Viam inquit, trium dierum ibimus in eremo, & ibi immolabimus Domino Deo nostro. Quæ est via trium dierum, quæ nobis incedenda est, vt exeuntes de Ægypto peruenire possimus ad locum in quo immolare debemus? inter triduī de Ægypto proficiscimur, si ita nos ab omni inquinamento animæ, & corporis ac spiritus conseruemus, vt quemadmodum dixit Apostolus integer spiritus vester, & anima, & corpus in die Iesu Christi seruetur. Triduī iter de Ægypto proficiscimur, si purificantes in nobis dicta facta, & cogitata, per quæ solent homines peccare, efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre. Infra: Et nunc Moyses quem habemus nobiscū, id est, lex Dei vult te educere de Ægypto, si audiamus eam vult te longe facere à Pharaone, eruere te cupit de opere luti, & palearum. Non vult te in carnis, & tenebrarum actibus permanere, sed exire ad eremum venire ad locum perturbationibus, & fluctibus sæculi vacuum. Ad hūc ergo locum quietis cum veneris ipse poteris immolare Domino, ibi legem Dei, & virtutem diuinæ vocis agnoscere. Propterea cupit te Moyses eijcere de medio fluctuantium negotiorum, & de medio perstrepentium populorum, Propterea cupit te exire de Ægypto, vt legem Dei audias. *Gen. 12.*

3 Homil. 7. in ea. 6. Iosue. IDEM explicans qua ratione sonantibus tubis sacerdotum, & conclamante populo muri corruerint Hierico sic habet. Duce Domino Iesu, qui discipulis suis dixit, confidite ego vici mundum, iam nobis victus est mundus, & muri eius colapsi sunt, quibus homines sæculi nitebantur. Sed unusquisque nostrum debet in semetipso ista complere. Habes in te Iesum ducem per fidem, fac tibi tubas ductiles ex scripturis sanctis. Et si in talibus cecineris tubis. Si iam in te caro, & spiritus consonant: tibi destructus, & deiectus est mundus. Talis erat ille, qui confidenter dicebat. Mihi absit gloriari nisi in cruce Domini mei Iesu Christi: per quē mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Dicitq. illis Deus custodite vos ab anathemate, ne forte concupiscatis, & tollatis ab anathemate: & conteratis nos, & omnem synagogam Domini. Tale est quod indicatur in his verbis. Videte ne quid in vobis sæculare habeatis, ne sæculares mores, ne vitia ne tergiuersationē de sæculo vobiscum ad Ecclesiam deferatis. Sed anathema sit vobis omnis conuersatio sæcularis. Nolite diuinis mundana miscere. Nolite negocia sæculi Ecclesiæ secretis inserere. Hoc est quod & Ioannes, Epistolæ suæ personat tuba dicens, nolite diligere mundum neque ea quæ in mundo sunt. Et Paulus, nolite conformari huic sæculo. Qui enim hæc faciunt accipiunt de anathemate. *Ioan. 16.* *Galat. 6.* *1. Ioan. 2.* *Rom. 12.*

4 Lib. de Spi. sanct. ca. 22. tomo 1. Ionæ. 17. Ioan. 16. Ioan. 14. BASILIVS inquit, explicans verba illa; Pater sancte mundus te non cognouit: Mundum hic appellat non eum, qui constat e cælo, & terra, sed insinceriſsimam innumerisq. mutationibus obnoxiam vitam. Ac de se ipso loquens, adhuc modicum, inquit, & mundus me non videbit. Rursus eos, qui carnali materia liq. vita deuincti sunt, & oculis tantum expandunt veritatem, mundum appellans. Eadem dixit de Spiritu sancto. Spiritum, inquit, veritatis mundus non potest accipere, neque videt illum, neque nouit eum. Mundus hoc est carnis cupiditatibus dedita vita, velut oculus imbecillis non ferens solis radios, spiritus gratiam non recipit. Mundus ergo non potest Spiritum sanctum capere: Sed qui mundum odiunt. Vnde Esaias ait: Qui stabiliuit terram, & quæ in ea sunt, deditq. spiritum populo, qui est super illam, & spiritū calcantibus eā. Nam qui conculcant terrena ijsq. superiores euaserūt, digni prædicati sunt dono Spiritus sancti. Cap. 42.

IDEM ait: Ad continendam in officio, mē tis agitationē, ne ad futiles cogitationes aberret, illud adiuuat si quis seorsum a cęteris communem vitam sectantibus viuat: quādo quidē promiscuam vitam agere cū ijs, qui securi perfectam illā Domini preceptorum obseruationem contemnūt, pernicioſum esse Salomon docet. Sic enim est apud ipsum: Noli amicus esse homini iracundo, neque habitaueris cū viro furioso, ne forte discas vias eius, & sumas laqueos animæ tuę. Et item illud: exite de medio eorum, & separamini, nimirum eodem tēdit. Quocirca ad illud euitandum ne oculis auribusve instigationes ad peccatū admittamus, ne ve earum rerum, quas vel viderimus, vel audierimus impreſſę, peſtilentes, capitalesq. in animis nostris formæ, ac veluti notæ quædam insideant: cōtraq. vt animum in officio suo attentum tenere possimus, principio, quod ad habitationem attinet, separata ea a cæteris, nobis quærenda est. Ita enim, & superioris tēporis consuetudinem poterimus euincere. Illud autem, si quis vult post me venire abneget semetipsum, quomodo vnquam consequi poterit is, qui rebus sit istiusmodi distentus? Si quidem oportet, vt nosipsos primum abnegemus, & crucē sustollamus: ac tum demum ipsum sequamur. Nihil est autem aliud sui ipsius abnegatio, nisi summa rerum omnium vitæ superioris obliuio, atque a sui ipsius voluntatibus receſsio, quam in vita communi assequi longe est difficilimum, ne dicam ab omni prorsus, vt fieri possit, facultate remotiſsimum. Atque etiam ad tollendam crucem suā, & sequendum Christum, officit commercium, quod cū istiusmodi vita habetur. Siquidē, & animi ad mortem pro Christo subeundam alacritas, & mēbrorum, quę sunt super terram, mortificatio, & illud, quod quis libenter se cuius impendenti periculo offerri pro Christi nomine paratus sit, & nulla de rebus vitæ huius affectione tangatur, hoc nimirum est tollere crucem suam, Porro ad hanc rem magno nobis obijci impedimenta videmus a vita communi. Et præter cætera, quæ multa sunt, illud etiam quod magnum in ea diuinas leges violantiū numerū intuens animus peccata sua agnoscendi, & se per pœnitentiam affictandi spaciū non habet. Qui potius facta sui cū deterioribus de se comparatione, de virtute sibi neſcio quomodo blanditur. Tum deinde varijs tumultibus occupatio nibusq. quæ vita solet cōmunis afferre, a Dei memoria, cuius haberi ratio maior debet, abſtractus, non in eo solum detrimentum facit, quòd non exultat in Deo delectaturue neque verborum Dñi dulcedine vlla perfunditur: ita vt vere dicere queat, memor fui Dei, & delectatus sum, sed in eo etiā assuefit, vt iudicia ipsius penitus cōtēnat obliuiſcaturq. quo neq; maius ei, neq; capitalius malū vllū potest accidere. *In respon. inter. sextæ. tomo 2.* *Prou. 22.* *Isa. 52.* *Matt. 16.* *6*

7 IDEM inquit: Propter incõmoda, quæ in
In epist. ad Chilonem anachoretã.
mundo sunt persuasus in hos mõtes, quasi vo-
litans passerculus emigraui. Passerculi etenim
exemplo exemi me, atq; submoui longius a la-
queo venantiũ. Siquidem in hac solitudine vi-
tam hanc destinaui mihi transigendam, in qua
Dñs meus pro me versatus est. Hic illa est quer
cus Mambre. Hic inuenire liceat scalã ad cæ-
lum vsq; animas rectam subuehentem. Hic &
castra angelorũ, quæ se patriarchæ Iacob spe-
ctãda præbuere. Hæc ea est solitudo, in qua pe-
culiaris Dei populus præuia expiatione collu-
stratus, legẽ accipere promeruit, deniq; ad ter
ram prouectus promissionis, Deũ contẽplatus
est. Hic mons celeber Carmelus, in quo Elias
demoratus placuit Deo. Hic sita est cãpestris
planicies, in quã seorsim a ceteris, cũ se Esdras
submouisset libros scripturæ diuinitus inspi-
ratę omnes ex Dei mandato ad cõmunem om-
niũ vsum eructauit. Hic sita eremus est, in qua
beatus Ioannes ædens locustas, formulã pęni-
tentiæ hominibus perficiendæ sua prædicatio-
ne præscripsit, & euulgauit. Hic item mõs ille
oliuarũ, ad quem Christus ex more secedebat
oraturus. Hic angusta & arcta est via, quæ du-
cit ad vitam. Hic doctores & prophetæ in so-
litudinibus errantes; in montibus, & in spelũ-
cis, & in cauernis terræ. Non sum nescius A-
braham Deo per quam gratiosum & vnicè di-
lectũ, diuinę vocis oraculo, se vt per omnia ex-
hiberet morigerum atque obsecundantem, in
solitudinem commigrasse, Isaac itidem cum vi
opprimeretur se potentiorum. Infra: Est
hæc sententia, non ego mundi istius causa con-
ditus sum, magis vero in mei gratiam totã hãc
mundi fabricam condidit Deus.

8 IDEM sic habet: Solitaria vita cælestis do
In li. de laude vitæ solitariæ.
ctrinæ schola est, ac diuinarũ artiũ disciplina.
Eremus est paradisus deliciarum, vbi tamquã
redolentiũ species pigmentorũ, vel rutilantes
flores aromatum; sic flagrantia spirant odora-
menta virtutum. Ibi siquidem rosæ charitatis
igneo rubore flammescunt. Ibi lilia castitatis
niueo candore candescunt. Ibi myrrha perfe-
ctæ mortificationis non solũ carnis, sed quod
gloriosius est propriæ voluntatis exundat, &
thus assiduæ orationis indesinenter emanat, &
igne diuini amoris suauiter ardet. O eremus,
sanctarum mentiũ delectatio, & intimi gustus
inexhausta dulcedo. Tu caminus ille Chaldai-
cus, vbi sancti pueri feruentis incendij vires,
orationibus reprimunt, & ardore fidei crepi-
tãtium circa se flammarũ globos extinguunt,
vbi scilicet & nexus vruntur, & ardorẽ mẽbra
non sentiunt, quia & peccata soluuntur, & ad
hymnum diuinæ laudis anima prouocatur, di-
cens: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo
hostiã laudis. Tu fornax, vbi superni regis va-
sa formantur. O cella negotiatorum cælestiũ
apotheca, in qua videlicet illarũ merciũ sum-
ma reconditur, quibus terræ viuentium posses-
sio comparatur. Fœlix cõmercium vbi terre-
nis cælestia, transitorijs mutantur æterna. O
cella spiritualis exercitij mirabilis officina, in
qua certè humana anima creatoris sui imagi-
nem in se restaurat, & ad suæ redit originis pu-
ritatem. Tu das vt ieiunijs videantur ora pal-
lentia, & mens diuinę gratię sit pinguedine sa-
ginata. Tu facis vt homo in mentis arce cõsti-
tutus, cuncta sub se videat terrena defluere. O
cella sacræ militiæ tabernaculum, castrũ Dei,
turris Dauid, quæ ædificata est cũ propugnacu 9
lis, mille clypei pendent ex ea omnis armatu-
ra fortium. Tu campus diuini prælij, vbi spiri-
tus cum carne cõgreditur, & fortis ab infirmo
superatur. Qui in te sunt lorica fidei præmu-
niti, sub imperatoris sui inuicta protectione
tripudiant, & de hostiũ suorum certè iam deie
ctione triumphant. Quibus nimirum dicitur:
Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebi- *Exo. 14.*
tis. Et, noli timere, etsi vnus es, quia plures no
biscũ sunt, quam cum illis. O eremus mors vi-
tiornm, ac proculdubio fomes & vita virtutũ,
quicumq; ad perfectionem peruenerũt, tuum
cognouerunt pręconiũ. Porro Moyses tibi de-
dit bis acceptæ legis decalogum. Per te Helias
nouit Domini pertranseuntis excursum. Per
te Elisæus duplicẽ magistri sui sortitus est spi-
tum. Et quid amplius dicã? Quandoquidem
Saluator mundi in ipso redemptionis humanę
primordio præconem suum, tui accolam fecit.
Tu scala illa Iacob, quæ homines vehis ad cęlũ,
& angelos ad humanum deponis auxilium. Tu
via aurea certa, & compendiosa qua homines
ducis ad patriam. O vita eremitica, balneum
animarum, mors criminum, purgatorium sor-
didorum. Tu mentium secreta purificas, squa-
lores diluis scelerum, atq; ad angelicæ nitorẽ
munditiæ peruenire animas facis. Cella nem-
pe est conciliatio Dei & hominum. Ibi super-
ni ciues ad colloquia humana cõueniunt, estq.
cella conscia secreti consilij, quod habet cum
hominibus Deus. Infra: Cella est instru-
mentum quo pretiosi lapides poliuntur, & est
ergasterium vbi pretiosi lapides reponuntur.
Cella Dominicæ sepulturæ prope modũ æmu-
la, quæ peccato mortuos suscipis, & per affla-
tum sancti Spiritus Deo reuiuiscere facis. Tu 10
es ab huius vitæ turbida vexatione sepulchrũ,
sed cælestis vitæ pandis introitum. Te portum
tranquillitatis inueniunt, qui naufragiũ mun-
dani fluctus euadũt. Te Hieremias aspexerat,
cum dicebat: Bonum est cum silentio præsto- *Thren. 3.*
lare salutare Dei. Bonum est viro cum porta-
uerit iugum ab adolescentia sua: sedebit soli-
tarius, & tacebit, & eleuabit se supra se.
Habitator etenim tuus se eleuat supra se, quia
Deum esuriens anima a terrenarum se rerum
obtutibus erigit, & in diuinæ contemplatio-
nis arce suspendit. A mundi se actionibus se-
gregat. Cumque illum, qui est super omnia
conspicere satagit, semetipsum quoque ho-
mo cum reliqua mundanæ vallis deiectione
transcendit. O cella, quæ de superbis facis
humiles, de gulosis sobrios, de crudelibus
pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in
diuina charitate feruentes. Tu ieiuniorum,
ac vigiliarum nutrix, tu patientiæ & pacis
perfe-

perfectissimę custos, tu purissimę simplicitatis
magistra, ac omnino fraudulentæ duplicitatis
ignara. Tu facis vt vagos quosq; Christi cate-
na coërceat, vt indisciplinati moribus a sua se
prauitate compescant. Tu nosti homines ad
perfectionis culmen euehere, atq; ad consum-
matæ sanctitatis fastigium sublimare. Tu ho-
mines a semetipsis extraneos reddis, & prius
vasa vitiorum reflorere virtutibus facis. Tu
Cant. 1. nigra, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, si-
cut pelles Salomonis. Tu lauacrum tonsarum,
11 & sicut piscina in Hesebon. Oculi tui sicut co-
lumbæ super riuos aquarum, qui lacte sunt lo-
tæ, & resident iuxta fluenta plenissima. Tu
namque es speculum animarum, cuius cõtem-
platione se mens humana perspicaciter in-
tuens, quod minus est impleat, quod super-
fluum reprimat, quod obliquum est dirigat,
quod deformem componat. Tu nuptialis es
thalamus, in quo sancti Spiritus anulus tri-
buitur, & cælesti sponso felix anima fœdera-
tur. Recti diligunt te, & qui te fugiunt ve-
ritatis luce priuati quò gressus ponere debeãt
Psal. 136. non agnoscunt. Adhæreat lingua mea fauci-
bus meis, si non meminero tui, si non propo-
suero te in principio lætitiæ meæ. Illud enim
cum propheta Dauid te alacri voce libet can-
Psal. 131. tare. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic
habitabo, quoniam elegi eam. Quàm pulchra
es amica mea, & quàm decora in delicijs tuis.
Tu areola aromatum, tu fons hortorũ, tu ma-
lum punicum es odoris. Licet enim vescenti-
bus amara videaris in cortice, sed magnum
est, quod intrinsecus latet cum peruentum
fuerit ad suauitatem medullæ. O eremus mun
di persequentis felix effugium, laborantium
quies, mœrentium cõsolatio, ab æstu sæculi re-
frigerium, reclusio corporum, libertas anima-
rum. Te Dauid petijt cum mundi mala perfer-
ret, cum timidi & tenebrosi cordis tædium su-
stineret. Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mãsi
in solitudine. Et quid amplius memorem?
quandoquidem ipse Saluator omnium in exor
dio suæ manifestationis inuisere, ac propria te
dignatus est habitatione consecrare. Postquã
enim baptizatus est, ductus est in desertum, &
erat ibi quadraginta diebus, & quadraginta
noctibus, & erat cum bestijs. Debitorem se ti-
bi mundus agnoscat. Vnde prædicaturum ac
12 mirabilia facturum suscepisse te Deũ nõ igno-
rat. O eremus terribile malignis spiritibus
habitaculum, vbi cellæ monachorum velut tẽ-
toria ordinata castrorum, quasi turres Sion, &
quasi propugnacula Hierusalem eriguntur ad-
uersus Assyrios, & contra faciẽ Damasci, quod
tunc fit cum vno, eodemq. spiritu diuersa ge-
runtur officia, dum videlicet hic psallitur, illic
oratur, in alia scribitur, in alijs verò varijs ma
nuum operibus insudatur. Quis non verba di-
uina huic congruere videat, quibus dicitur:
Num. 24. Quàm speciosa tabernacula tua Iacob tẽtoria
tua Israel, velut valles nemorosę, & horti iuxta
fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Deus,
quasi cedri prope aquas. Et quid dicã amplius?
O vita eremitica, vita sancta, vita angelica, vi-
ta benedicta, viuarium animarum, curia cæle-
stium senatorum, odor tuus cunctorũ aroma-
tum fragrantia superat, sapor tuus super distil
lantes fauos guttur obdulcat, atq; adeo quid-
quid est quod de te dicitur, dignitatis tuæ me-
ritis non adæquatur. Quia quod tu sapis inte-
riori gustu, nunquam lingua exprimere suffi-
cit. Illi te nouerunt, qui te diligunt, illi præ-
conia tuæ laudis agnoscunt, qui in tui amoris
amplexibus fideliter requiescunt. Ceterũ, qui
se ignorant quomodo præualent nosse te? Me
etiam tuæ laudis imparem fateor, sed vnũ pro
certo scio, o vita benedicta, quod indubitãter
affirmo, quia quisquis in amoris tui desiderio
perseuerare studuerit, ipse quidem habitator
est tui, sed eius inhabitator est Deus. Exul
mundi heres est paradisi. Abnegator sui, se-
ctator est Christi. Hoc ausim dicere. Qui sin-
gularem vitam vsq; ad finem vitæ pro diuino
amore tenuerit, de habitaculo carnis egres-
sus, perueniet ad domum nõ manufactam, sed
æternam in cælis.

IDEM inquit: Scribere ad te non sustineo 13
pre pudore, qui in hoc extremorum finium re- In epist. 1.
cessu interdiu noctuq. agito. Tametsi enim vr- quæ est ad Greg. Naz.
bicas occupationes pro derelicto habui, vt sex quam in ere
centorum malorum causas, me tamen nõdum mo dictauit
ipsum etiam habere pro derelicto quiui. Simi-
literq. illis affectus sum, qui nauigandi insolẽ-
tes, nausea perdite afflictantur. Namque illi
magnitudine nauigij offensi tanquã vehemen-
tius succutientis, in nauiculam cum transilie-
rint, sic quoque etiam nausea laborant, nimi-
rum molestia ipsos ac bile quo trãsierint vbi-
que comitantibus. Huiusmodi igitur quiddã
nobis contigit, qui domesticas perturbationes
quoquò circumferentes gentium, vbique lo-
corum perinde versamur in tumultu: quare
non magnopere adiuti sumus ab hac solitudi-
ne. Infra: Vt oculus continuo circumactu
versatus, & nunc horsum, illorsumq. deflexus,
nũc sursum, deorsumq. erectus, vicissim ac de-
pressus exactè cernere nequit, sed obtutu in-
cumbere in rem visam eum oportet, siquidem
conspectum rei perspicuum facturus est; hunc
in modum mentem humanam sexcentis mun-
di curis distractam euidenter cernere verita-
tem vix est, vt euenire possit.

CHRYSOSTOMVS explicans verba 14
illa; Et mundus eum non cognouit, ait: Hoc Homil. 7. in
loco mundum peccantium multitudinem, & cap. 1. Ioan.
terrenis rebus deditam, stultumq. & abiectũ, to. 3.
& omnibus obnoxium perturbationibus vul-
gus appellat. Infra: Et mundus eum non
cognouit, sed hi, quibus dignus non erat mun-
dus, eum cognouerunt. Deum non cognoscũt,
qui tantum mundo inhærent, qui mundo inni-
tuntur, qui terrena dumtaxat sapiunt. Sic etiã
Christus eos appellare consueuit: Pater san-
cte, inquit, mundus te non cognouit. Nihil *Ioan. 17.*
enim adeo mentem perturbat, quàm sæcula-
ribus his rebus inhærere. Cum igitur hæc no-
bis luce clarius pateant, huius mundi ille-
X 2 cebras

cebras carnaliaq. & terrena totis viribus abijciamus, necesse enim est, vt qui terrenis
Luc.16. rebus inhiat a cælestibus decidat. Non potestis, inquit, Deo seruire & mammonæ. Vnum teneamus, alterum odio habeamus oportet.

15 IDEM vt doceat quòd sæculares in mun-
Serm.21.in ep.ad Ephes.to.4. do maiori indigẽt studio, vt rectè viuãt, quàm illi, qui in solitudine degunt, ait: Ne putes solitario dũtaxat eruditionibus, quæ ex scripturis sunt, opus esse. Nam eis potissimum necessariæ sunt qui in mundo isto victuri sunt. Quẽadmodum enim apparatu nauium, gubernatore, ac supplemento nautarum non ita opus habet, qui semper in portu consistit, atq; qui semper in mari versatur, ita habent & mundanus & solitarius. Ille quidem in portu tranquillo est, quietam vitam, atque ab omni tempestate liberam viuens: iste verò perpetuus in maritimis est, fluctuatq. in medio mari, cum multis & magnis procellis pugnam habens. Habet qui in hac mundana vita degit; maiorem delinquendi necessitatem, quam solitarius.

16 HIERONYMVS ait: Si cunctæ scri-
Epistol.27. quę est Paulæ, & Eustochij ad Marcella.to.1. pturarum voces nostræ sententiæ congruunt, non facimus audacter ad ea te prouocãtes, ad quæ tu nos sæpissimè cohortata es. Prima Dei
Gen.12. vox ad Abraham, exi inquit, de terra tua, & de cognatione tua, & vade in terram quam monstrauero tibi. Præcipitur patriarchæ, vt relinquat Chaldæos, relinquat confusionis vrbem, relinquat campum Senaar, in quo superbiæ vsque ad cælum erecta turris est, & post fluctus huius sæculi post flumina super quæ sederunt sancti, & fleuerunt cũ recordarentur Sion, post gurgitem grauem Cobar, de quo Ezechiel capillo verticis subleuatus, Hierusalẽ vsq; transfertur, habitet terram repromissionis, quæ nõ rigatur vt Ægyptus de deorsum, sed de sursum temporaneum & serotinum de cælo expectat imbrem. Hæc terra montuosa & in sublimi sita quantum a delicijs sæculi vacat, tãto maiores habet delicias spiritus. Denique & Maria mater Domini postquam ad eam Angeli facta est promissio, & vterum suum intellexit esse domum filij Dei, derelictis campestribus ad
Apoc.18. montana perrexit. Infra: Exite de Babylonia populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis.
Hiere.51. Isa.21. Fugite de medio Babylonis, & saluate vnusquisque animam suam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, & facta est habitatio dæmonum, & custodia spiritus immundi.

17 IDEM explicans verba illa; Ingredere in
Li.1.in c.2. Isaiæ. to.5. petram, abscõdere in fossa humo a facie timoris Domini, inquit: Pronuncio quæ vobis futura sunt mala: & hortor, vt ingrediamini petras, & abscondamini in speluncis. A facie Dominicæ maiestatis præcipitur nobis, vt assumamus petræ fortitudinem, de qua dictũ est: petra refugium leporibus, vel herinacijs, vt no-
Psal. 60. stra habet lectio, Moyses quoque in foramine petræ ponitur, vt videat posteriora Dei. Abscõditurq. in petra, qui ingreditur cubiculum suum, & clauso ostio adorat Patrem, vt in tereno corpore constitutus transeuntem mundi non sentiant tempestatem.

18 IDEM explicans illa verba; Onus Baby-
Lib.6. in c. 24. Isa. lonis, quod vidit Isaias filius Amos, ait: Quia Babylon interpretatur cõfusio, eo quod ibi ẽdificantium turrim sermo confusus sit. Spiritualiter mundus iste intelligitur, qui in maligno positus est, & non solum linguas, sed opera singulorum, mentesq. confundit. Huius Babylonis rex est verus Nabuchodonosor contra Dominum superbiens. Qui dicit in corde suo in *Isa.14.*
cælum ascendam, sedebo in monte testamenti, ero similis altissimo. Iste est, qui ostendit Domino vniuersa regna mundi, & dixit ei: Hæc *Matth.4*
omnia mihi tradita sunt, & ea tibi dabo, si cadens adoraueris me.

19 IDEM explicans verba illa; Propagines
In cap.16. Isaiæ. eius relictæ sunt, trãsierunt mare, dicit: Transeunt mare, qui transeunt tentationes sæculi huius, veni in profundum maris, & tempestas *Psal.68.*
absorbuit me. Et in alio loco, qui descendunt *Psal.106.*
mare in nauibus, facientes operationes in aquis multis. Ipsi viderũt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. Isti ergo transierunt mare, vt opera Domini, & mirabilia eius in profundo tentationum conspicerent dum liberantur ex eis.

20 IDEM explicans verba illa; Et transibit
Lib.2. in c. 10. Zachar. to.6. in maris freto, & percutiet in mari fluctus, & confundentur omnia profunda fluminis, & humiliabitur superbia Assur, dicit: Dei clemẽtia præeunte, & nobis aperiente viã transimus maris fretum, siue angustũ mare, quod septuaginta verterunt, quod peccatoribus latissimũ est, lata enim & spatiosa via, quæ ducit ad mortẽ, arcta & angusta, quæ ducit ad vitã. De hoc ma-
Psal.106. ri in psalmis legimus: Qui descẽdunt mare in nauibus, facientes operationẽ in aquis multis. Ipsi viderunt opera Domini, & mirabilia eius in profundo. In hoc mare sæculi, in quo sanctorum numerus coarctatur, & in tribulatione positus est, descenderunt Apostoli, & primus Dominus, vt nos de amaris fluctibus liberaret. In hoc mare sagena Euangelij mittitur, vt pisces multos & obrutos mundi huius gurgitibus in aurã extrahat liberam, vt possint Deo laudes canere. Hi sunt qui descenderũt in mare, & in ecclesiarũ nauibus faciunt opera multa, & Dei cernunt mirabilia in profundo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, & in Spiritu sancto, qui scrutatur etiã alta Dei, quibus Do-
Matth.4. minus loquitur: Venite post me, faciã vos piscatores hominũ. De his piscatoribus, qui descendũt in mare, & sunt in nauibus, Isaias quo-
Isa.60. que vaticinatur. Volabunt in nauibus; alienigenarũ, & mare pariter deprædabuntur. In Ecclesijs enim de numero gentium congregatis, toto Apostoli orbe volitarunt, vt deprædarentur mare, & draconis spolia tollerẽt, qui regna-
Psal.103. bat in mari, de quo scriptũ est: Hoc mare magnum & spatiosum manibus illic reptilia quorum non est numerus: animalia pusilla cũ magnis illic naues pertransibunt. Draco iste, quem formasti ad illudẽdum ei. Latum & spatiosum

tiosum mare est paruis, & magnis animãtibus: quę cum dracone versantur, & quorum non est numerus. Qui autẽ super mare sunt, & in ipso
Psal. 88. mari volitant in nauibus: audient cum Saluatore, tu dominaris potestati maris, motum fluctuum eius tu mitigas. Cumque transierint in maris freto, & fluctus eius suo conculcauerint
Psal.65. pede: confundentur omnia profunda fluminis, de quo scriptum est, qui conuertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.

21 IDEM explicans verba illa Capitis pri-
In exposit. ep. Pauli ad Gal. to.9. mi, qui eripuit nos de presenti sæculo nequam, vel malo ait: Quæritur quomodo præsens sæculum malum dictum sit? Dicimus non tam ęculum ipsum, quod die ac nocte annis currit & mẽsibus, appellari malum, quàm ea, quæ in sę-
Hier. 47. culo fiant. Quomodo sufficere dicitur diei malitia sua, & dies Iacob dicuntur pauci, & mali. Non quo spacium temporis in quo vixit Iacob malum fuerit, sed quo ea quę sustinuit, per varia eum exercuerint tentamenta. Vnde Io-
1. Ioan.5. annes, mundus totus in maligno positus est. Non quod mundus ipsę sit malus, sed quod mala in mundo fiant ab hominibus dicẽtibus, mãducemus, & bibamus, cras enim moriemur. Infamantur & saltus cum latrocinijs pleni sunt, non quo terra peccet, & siluæ: sed quo infamiã homicidij loca quoque contraxerint. Detesta mur & gladiũ quo humanus effusus est cruor, & calicem in quo venenum temperatum est, non gladij calicisq. peccato, sed quòd odiũ mereantur illi, qui his male vsi sunt. Ita & sæculũ quod est spacium temporum non per semetipsum, aut bonum, aut malum est, sed per eos, qui in illo sunt bonum dicitur aut malum.

22 AMBROSIVS ait: Frequẽs nobis sermo
Lib. de fuga sęculi cap.1.to.1. est de fugiendo sæculo: atque vtinam quàm facilis sermo tam cautus, & sollicitus affectus. Sed quod peius est frequenter irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum offu-
sio mentem occupat, vt quod studeas vitare, hoc cogites, animoq. voluas. Quod cauere difficile est homini, exuere autẽ impossibile. Ad
Eccl.4. sæcularia nos reuocant cogitationes nostræ, mundana inserunt, illecebrosa intexunt, ipsoque in tempore, quo eleuare paramus mẽtem ad terrena, plerunque deijcimur? Nam quis inter tot passiones huius sæculi, inter tantas illius illecebras tutum ac intemeratum seruare
Ioan.14. potest vestigium? Omnia vanitas quæ in hoc sæculo sunt. Qui saluus esse vult supra mundũ ascendat: fugiat hunc mundum, terras relinquat, vnde nisi prius homo hunc fugerit, non potest percipere illud quod semper est. Et ideo Christus Dominus volens Deo patri appropin
23 Cap.4. quare Apostolis dixit, surgite eamus hinc.

IDEM docet quid sit fugere sæculũ, & ait: Fugiamus hoc sæculum, & eius contagionem. Hoc est autem fugere abstinere a peccatis, ad similitudinem, & imaginem Dei formam virtutum assumere, extendere vires nostras ad
24 Cap.5. Dei imitationem secundum mensuram nostræ posibilitatis.

IDEM ait: Fugiamus hunc vbi nihil est, vbi inane est, quòd magnificum putatur esse: vbi & qui se putat aliquid esse nihil est. Transi sicut Moyses, vt videas Deum Abraham, Deũ Isaac, & Deum Iacob, & videas visum magnũ. Sed si videre, vis solue calciamentum pedum tuorum, solue omne vinculum iniquitatis, solue vincula sæculi, relinque calciamentum; quod terrenum est. Transi igitur hoc est, fuge te terris: vbi malitia est, vbi auaritia. Ergo quia fugienda, & declinanda sunt mala, mala autem, & iniquitates in terris, fugiamus terrena ne nos comprehendant iniquitates.

Infra: Volebat fugere Dauid sicut passer, sed *Psal. 54.*
adhuc laqueus contritus non erat. Perijt inquit, fuga a me. Grauatas habebat pennas, & *Psal. 67.*
fortasse euolare non poterat: & ideo vt uolaret, & requiescere arebat. Quis dabit mihi *Psal. 38.*
pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Vbi enim volatus, ibi requies. Qui fugit sæculum, volat. Ecce, inquit, elongaui fugiens, & mansi in solitudine. Qui non potest, vt aquila volare, volitet vt passer. Qui nõ potest ad cælũ, volet ad mõtes. Transiuit ad montes Segor Loth, & saluus factus est: quæ autem non potuit ascendere affectu fœmineo reclinata salutem amisit. Appropinquantibus montibus æternis, Dominus dicit per Micheam prophetam, Surgite hinc quia non est vobis *Mich. 2.*
hic refrigeratio. Et Dominus dicit, tunc qui *Lucæ 21.*
in iudæa sunt fugiant ad montes. 25

IDEM inquit: Qui fugit velociter fugiat, *Cap. 6.*
ne comprehendatur, velociter deprædetur hunc mundum: vt Hebræus Ægyptum. Qui parturit pariat, ne onusto, & degrauato iniquitatibus mentis vtero fugere non possit, & fugiat non quasi lactantem ferens, sed quasi *Matt. 24.*
expeditum, non paruulum gestans, sed perfectum in Christo exhibens. Fugiat non quasi feriatus in sabbato, sed tanquam operarius in negotio, nec tanquam sterilis in frigore, sed tanquam opimus in messe. Ideo enim dictum est, orate ne fiat fuga vestra hyeme vel sabbato. Fuga hæc nescit frigus timoris, contractionem sollicitudinis, dissolutionis otium, lasciuiæ ferias: sed vita cælestis requirit impigrum viatorem. Desertum fuga est bona, ad quod fugit Helias, Helisæus, Ioannes Baptista. Fugit Elias mulierem Iezebel: & fugit ad montem oreb, vt cognosceret Deum plenius. Ita fugit sæculum, vt nec cibum corporis eius *3.Reg.19*
exquireret, nisi quem aues detulissent ministræ. Quadraginta diebus ambulauit. Vtique non mulierem fugiebat Propheta, tantus, sed sæculum. Fugiebat sæcularem illecebram, & conuersationis maculosæ contagionem, & impiæ ac præuaricatricis nationis sacrilegia: Salomon quoque in mulieris illius specie corruptelam sæculi huius exponit, & meretricias artes declinandas edocet. Hæc est mulier aliena, & fornicaria, a qua te vt custodias adhortatur. Ne declines in vias sæculi cor tuum, sed colloces illud in manu Domini, in qua est cor regis. Qui enim seipsum regit, cor habet in manu Dei.

26 Epist.39.ad Licentium, quē hortatur ad mundi contemptum. to.2.

AVGVSTINVS ait: Vincula huius mũdi asperitatem habent veram, iucunditatem falsam; certum dolorẽ, incertam voluptatem; durum laborem, timidam quietem, rem plenã miseriæ, spem beatitudinis inanem. His ne tu inferas & manus, & pedes, & collum: cum & honoribus huiusce modi subiugari affectas, & ambis inhærere, quò non modo inuitatus, sed nec compulsus quidem ire debuisti.

27 In epist.45.

IDEM exhortans ad perfectũ mundi contemptum, ait: Quantum illi laudandi sunt, & prædicandi, qui dignati non sunt etiã cum mũdo florente florere; tantũ increpandi & accusandi sunt, quos perire cũ pereunte delectat.

28 Lib. de agone Christiano. to. 3. Ioan. 12.

IDEM dicit: Princeps huius mundi missus est foras, non quia extra mundum missus est; sed foras ab animis eorum, qui cohærent verbo Dei, & non diligunt mundum, cuius ille princeps est, quia dominatur eis, qui diligunt temporalia bona, quæ hoc visibili mundo continentur. Non quia ipse Dominus est huius mundi, sed princeps cupiditatum earum; quibus cõcupiscitur omne, quod transit, vt ei subiaceant qui negligunt æternum Deum, & diligunt instabilia & mutabilia. Radix enim omnium malorum est cupiditas. Per hanc cupiditatẽ regnat in homine diabolus, & cor eius tenet. Tales sunt omnes qui diligunt istũ mũdum. Mittitur autem diabolus foras, quando ex toto corde huic mundo renunciatur.

Infra: Castigemus corpus nostrum si mũdum volumus vincere; quia per illicitas delectationes suas, & pompas, & pernicioſam curiositatem, nobis dominari potest hic mundus, id est, ea, quæ in hoc mundo pernicioſa delectatione colligant amatores rerum temporaliũ, & diabolo atque angelis eius seruire cogunt.

Infra: Nequitia est mundum istum diligere, & ea, quæ nascuntur, & transeunt, pro magno habere, & ea concupiscere, & pro his laborare, vt acquirantur, & lætari cum abundauerint & timere ne pereant, & contristari cum pereunt. Talis vita nõ potest puram illam, & synceram, & incommutabilem videre veritatem, & inhærere illi.

29 Lib.5.cõtra Iulianũ Pelagianum. to.7. 1.Ioan.2.

IDEM inquit: Non dixit Ioannes nolite vti mundo, sed nolite diligere mundum. Qui enim non diligens vtitur, quasi non vtens vtitur: quia nõ eius rei causa vtitur, sed alterius, quam diligens intuetur, vt etiam non diligens hac vtatur. Propter quod Paulus Apostolus

1.Cor.7. ait: Et qui vtuntur hoc mundo, inquit, tanquã non vtantur. Quid est quasi non vtantur, nisi non diligant, quo vtuntur; quoniã tale est, vt bene aliter nõ vtantur? Et quidem hoc etiam in his rebus obseruandũ est, quæ in hoc mundo sic bonæ sunt, vt tamen eas diligi nõ oporteat.

30 Exposit. in psal.13. to.8 Rom.1.

IDEM explicans verba illa; Quoniã Dominus in generatione iusta est, ait: Non est in eis qui diligunt sæculum. Iniustum est enim relinquere sæculorum cõditorem, & diligere sæculũ, & seruire creaturę potius quam creatori.

31 In Psal. 26.

IDEM exponens verba illa; Quoniam pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me, inquit: Quoniam regnum sæculi huius, & ciuitas sæculi huius, ex quibus temporaliter & mortaliter natus sum, dereliquerunt me quærentem te, & despicientem quæ promittebãt, cum id, quod quæro dare non possent. Dominus autem assumpsit me. Dominus autem qui potest ipse dare mihi se, assumpsit me.

32 In Psal.39.

IDEM dicit: Hoc sæculum mare est. Habet amaritudinem noxium, habet fluctus tribulationum, tempestates tentationum, habet homines velut pisces de suo malo gaudentes, & tanquam se inuicem deuorantes. Hic ambula, hoc calca. Calca mare ne mergaris in mari. Non ibis, non calcabis nisi ille iusserit, qui prior in mari ambulauit. Sic enim ait Petrus: Si tu es, iube me venire ad te super aquas. Si Matt.14. venti turbauerint, & si fluctus infremuerint, & te humana fragilitas ad aliquam dubitationẽ tuæ salutis adduxerit, habes clamare, Domine pereo. Non sinit ille perire, qui iussit te ambulare. Quia enim iam in petra ambulas, nec in mari times, si sine petra fueris, & in mari mergeris, quia in tali petra ambulandum est, quæ in mari mersa non est.

33 In Psal.65.

IDEM explicans verba illa; Qui conuertit mare in aridam in flumine pertransibunt pede, sic habet: Mare erat mundus amarus salsitate, turbulentus tempestate, sæuiens fluctibus persecutionum mare erat. Certe in aridam conuersum est mare, modo sitit aquam dulcem mundus, quia salsa plenus erat. Quis hoc fecit? Qui conuertit mare in aridam. Iam anima gentium omnium quid dicit? sicut terra sine aqua anima mea tibi. In flumine pertransibunt pede illi ipsi qui cõuersi sunt in aridam cum essent antea amari, in flumine pede pertransibunt. Quid est flumen? Flumen est omnis mortalitas sæculi vbi alia veniunt, alia transeunt. In istum fluuium non se mittat cupida anima, non se mittat, stet, transeat delectationes rerum periturarum.

34 In Psal.79.

IDEM explicans verba illa; Incensa igni, & suffossa ab increpatione vultus tui peribunt ait: Ad omne peccatum, & ad omne bonum amor, & timor ducit. Vt facias bene, amas Deũ & times Deum: vt autem facias male, amas mundum, & times mundum. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, nunquid potest dare quantum dabit iusto Deus? Quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, nunquid potest facere, quod facit iniquo Deus? Bene quidem tu nihil aliud vis quàm vt bene tibi sit. Nam in eo quod amas, vis vt bene tibi sit; & in eo quod times, non vis vt male tibi sit; sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Festinas, nã & sine indigentia vis esse, & sine molestia. Bonum est quod vis, sed tolera quod nõ vis, vt assequaris quod vis. Quid fecerat amor malus? Tanquam ignem succenderat. Quid fecerat timor malus? Tanquam effoderat. Amor quippe inflammat, timor humiliat; ideo peccata mali amoris igne succensa sunt, peccata mali effossa sunt. Humiliat & bonus timor,

mor, accendit & bonus amor. Fossa significat piam humilitatem timentis. Ergo succensa igni & suffossa, omnia scilicet peccata, ab increpatione vultus tui peribunt.

35 In Psal.85.

IDEM explicans verba illa; Eripuisti animam meam ex inferno inferiori, ait: Intelligimus tãquam duo inferna esse vnum superius, & aliud inferius. Nam vnde infernũ inferius, nisi quia est infernum superius? Infernum superius est vbi caro & sanguis, vbi corruptibilitas, vbi natiuitas & mortalitas, vbi mutabilitas & inconstantia, vbi timores, cupiditates, errores, lætitiæ incertæ, spes fragilis, caduca substantia. Et post mortem quò ibit nisi sit infernum inferius hoc inferno, in quo sumus in

Rom.8. carne, & in ista mortalitate? Corpus enim mortuum est, ait Apostolus propter peccatũ. Ergo & hic sunt mortui, vt non mireris, quia infernũ dicitur si mortuis abundat. Non enim corpus moriturum, sed corpus mortuum est. Sed rursus ab hoc inferno est aliud inferius quo eunt mortui: vnde voluit Deus eruere animas nostras etiam illuc mittendo filium suum. Ad hoc infernum missus est nascendo, ad illud moriendo.

36 In Ps.113.

IDEM explicãs verba illa; In exitu Israel de Ægypto, inquit: Ægyptus quoniam interpretatur afflictio vel affligens, vel cõprimens, sæpe in imagine ponitur huius sæculi, a quo spiritualiter recedendum est, ne simus iugum ducentes cum infidelibus. Sic enim quisque Hierusalem cælestis fit ciuis idoneus, cum primũ huic sæculo renunciauerit, quemadmodum ille populus in terram promissionis duci nõ potuit, nisi prius ab Ægypto recederet. Sed sicut ille non inde recessit, nisi diuino liberatus auxilio: sic nemo corde ab hoc sæculo auertitur, nisi diuinæ misericordiæ munere adiutus. Vn-

Cap.7. de Michæas ait: Secundum dies profectionis eorum de Ægypto ostendam mirabilia illis, videbunt nationes, & confundentur ab omni vigore eorum, manibus ora sua obstruent, cõturbabuntur de conclusionibus eorum, in Domino Deo nostro excident mente, & terrebuntur a te. Quis Deo tuo similis auferẽs iniquitatem, & transgrediens impietatem, residuus hæreditatis tuæ? Et non continuit in testimonium iram suam, quoniam voluntarius & misericors est. Ipse conuertet & miserebitur nostri, demerget delicta nostra, demerget in maris profundum omnes culpas nostras.

37 In Ps.125.

IDEM explicans verba illa; In conuertẽdo Dominus captiuitatem Sion, ait: Homo cuius est Hierusalem; sed venditus sub peccato factus est peregrinus, & de propagine ipsius natum est genus humanum, & impleuit terras captiuitas Sion. Captiuitas Iudeorũ in Babylonia figura fuit captiuitatis quam homines patiuntur in hoc mundo. Babylonia est mundus iste. Babylonia enim interpretatur confusio. Videte si non est confusio tota vita humana. Quidquid agunt homines in spe vana, quando cognouerint, quod agunt erubescent. Quare laborant? Cui laborant? Filijs meis, inquit. Et ipsi cui? filijs suis. Et sibi nullus. Ab ista ergo confusione iam conuersi erant, quibus dicit: Quam gloriam habuistis tunc Rom. 6. in illis, in quibus nunc erubescitis. Confusio est ergo ista tota vita rerum humanarum non pertinens ad Deum. In ista cõfusione, id est in ista Babylonia, captiua tenetur Sion, sed conuertit Dominus captiuitatem Sion, & facti sumus sicut consolati, id est gauisi sumus tanquã consolationem accipientes.

38 In Ps.141.

IDEM sic habet: Dæmones dicuntur mũdi rectores. Si rectores mundi istius, nunquid extra mundum iturus es, vt illos non patiaris? Præter mundum iturus es, vbi ab eis eruaris? Sic ergo accipe mundi rectores non terræ; nã ipsa fabrica est Dei. Sed homines mali mũdus dicuntur, quia mundum diligunt diaboli; ergo rectores mundi dicuntur, hoc est rectores eorum, qui diligunt mundum; rectores peccatorum quod est tenebrarum harum. Audi in Euangelio mundum & mundum. Mundus per Ioan. 1. ipsum factus est, & mundus eum nõ cognouit. Mundum quem fecit Deus, mundum quem regit diabolus, id est dilectores mundi. Non mũdus qui factus est per Iesum, ab illis principibus & potestatibus tenebrarum harum regitur, sed mundus qui non cognouit Iesum, id est dilectores mundi & peccatores. Vnde mundus peccatores? Quia diligunt mundum, & diligẽdo inhabitant mundum; quomodo domus dicitur & fabrica, & inhabitantes. Bona domus, quia bona fabrica; & bona domus, quia boni conuersantur in ea. Quomodo ergo domus, & domus, sic mundus & mundus. Quare & iusti cum sint & ipsi in mundo, non dicuntur mundus? Quia sicut dicit Apostolus: In carne am- 2.Cor.10. bulantes non secundum carnem militamus; conuersatio enim nostra in cælis est.

39 Ser.34. ad fratres in eremo. tomo 10. Gen.19.

IDEM inquit: Audistis fratres, quòd Loth inter pessimos sodomitas iustè & sanctè conuersatus sit; & quod Dominus volens ciuitates illas subuertere, eduxit illũ, & vxorem suã: ista autem respiciens retro, in statuã salis versa est. In Loth, & in vxore sua duo genera hominum designantur mundum derelinquentiũ, quorum vnum perfectè deserit, aliud verò tepide, & respiciendo retro venit ad mortem. Sodoma quoque, quæ cæcitas, vel muta, vel asperitas interpretatur, mundus est, in quo sunt homines muti, & cæci, ad quos mittantur sancti angeli, & prædicatores, vt dicant: Salua animam tuam, & in monte saluum te fac. Fugere enim Sodomam, quid aliud est, quàm incendium libidinis, superbiæ, & auaritiæ fugere? Quibus & præcipimur nõ retro respicere, quia victor mundi, & montem sanctæ religionis ingressus non debet retro respicere. Quia melius est viam iustitiæ nõ cognoscere, quam 2. Pet. 2. post cognitionem retrorsum conuerti. Quid est dicere, nisi quod melius esset, quòd in vita sæculari mansisset, quàm postmodum solitariam vitam desereret? Tales vxori Loth comparantur, quæ respiciens retro in statuam salis versa est. Loth præcipitur vt in monte se saluum

Psal.10. uum faciat. In monte pœnitentiæ diuinæ contemplationis saluum te fac, in hunc montem volando transmigra, sicut passer, & ibidem salua animam tuam curis, & sæculi dignitate denudatus. Infra: Sic fecit Elias, sic Ioannes, qui eremum intrauerunt. Sic Paulus cum Antonio, quando annis multis eremum coluerunt.

40 GREGORIVS explicans verba illa Iob
Lib. 5. Moral. cap. 30. to. 2. c.8. Qui autē reliqui fuerint, auferentur ex eis, ait. Quos alios reliquos; nisi huius mundi despectores accipimus? quos dum presens sęculū ad nullius gloriæ vsum eligit, quasi minimos, indignosq. derelinquit. Sed mundi reliquos auferre Dominus dicitur, quia despectos huius sæculi eligere dignatur, Paulo attestante,
1.Cor.1. qui ait: Non multi sapientes secundum carnē, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt cōfundat fortia. Quod bene in libris regum, Aegyptio puero in via lassescente signatur, quem Amalechita ægrotum in itinere deserit: Dauid verò inuenit, cibo reficit, ducem sui itineris facit, Amalechitam persequitur, epulanté reperit, & funditus extinguit. Quid est, quod Ægyptius Amalechitæ puer in itinere lassatur, nisi quòd amator præsentis sæculi, sæpe ab eodem sæculo infirmus, despectusq. relinquitur, vt cum eo currere nequaquam valeat, sed fractus aduersitate aduersitate torpescat? Sed hunc Dauid inuenit, quia Redemptor noster veraciter manu fortis, nonnunquam quos despectos a mundi gloria reperit, in suum amorem conuertit. Et qui Amalechitam sequi non valuit, dux Dauid efficitur, quia is quem indignum mundus deseruit, nō solum conuersus in suam mentem Dominum recipit, sed prædicando hunc etiam vsque ad aliena corda perducit. Quo duce Dauid conuiuantem Amalechitam inuenit, & extinxit, quia ipsis prædicantibus Christus mundi lætitiam destruit, quos mundus habere comites despexit. Quia ergo plerunque, quos mundus relinquit, Dominus eligit, recte nunc dicitur: Qui reliqui fuerint, auferentur ex eis.

41 IDEM explicās verba illa Pauli; Qui vtun
In 3. parte curę pastoralis admonitione 28. to.4. tur hoc mundo, tanquam non vtantur, prēterit enim figura huius mundi, ait: Præterit figura huius mundi dicit Apostolus, ac si patenter dicat: nolite constanter mundum diligere, quando & ipse non potest, quem diligis stare, incassum cor quasi manētes figitis, dum fugit ipse,
1.Cor.7. quem amatis.

42 BERNARDVS ait: Periculosum est in-
Sermone 3. Circuncisionis. ter sæculi turbas agere pœnitentiam, vbi nimirum alij venenatis persuasionibus, alij vndique exemplis peioribus ad peccatum alliciant, alij adulationibus in vanam gloriā, alij detractionibus in impatientiam animum eius deijciāt. Ostendat prudentia quantas, & quàm importunas, præsertim in hac generatione nequam opportunitates, & occasiones peccati offerat mundus, & ingerat, quàm debilis sit ad illas humanus animus, maxime qui in peccati consuetudine sit nutritus. Eligat ergo de præsenti sæculo nequam fugere dicens cū Propheta: Odiui Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo. *Psal.25.*

43 IDEM dicit; Est mūdus iste positus in ma
Serm. 16. in Psal. Qui habitat. ligno. Quàm nequam in omnibus sęculum presens, quàm nequiter aduersus animam sæcularia desideria militare noscuntur. Sunt & principes mundi huius tenebrarum harum spiritales nequitiæ, aëreæ potestates, & inter eos callidior cunctis animantibus serpens. Transi per uigiles illas nequitias, quæ tam indefesse custodiunt, & obseruant, ne quis mundum possit euadere. Si te percusserint, si vulnerauerint, dimitte eis pallium, quod in Aegypto olim Ioseph adulteræ dereliquit, dimitte sindonem, vt cum Euangelico illo iuuene, profugas nudus ab eis. Ita ergo sursum cor, sursum clamor, sursum desiderium, sursum conuersatio, sursum intentio, & omnis tua expectatio desursum sit. *Gen.37.*

44 IDEM inquit; Vsitatum est satis, & tritū
In lib. Sententiarum. sæculum istud, merito cæcitatis, & ignorantię suæ, Aegypti vocabulo nuncupari. Quod nimirum quoties mutatione volūtatis egredimur, tria nobis occurrunt: Stimulus cupiditatum, qui velut mare rubrum sensum rationis nostræ tumidus, & procellosis vndis cogitationū inuoluit, & nisi virga discreti iudicij aquæ superiores ab inferioribus secernantur, subruit funditus, & demergit. Sequitur cumulus tentationum, quasi alter Iordanis aluei sui metas excedens, & terrā corporis nostri solito plenius occupans, nisi arca testamenti impetus illius refrenet. & ipsum penitus arefaciat, & exsiccet. Sequitur aculeus molestiarum, qui cum ingruerit quasi iterum Iordanis Elisæo occurrens, sumendum Eliæ pallium, & medijs fluctibus opponendum, vt quicquid nos temporaliter cruciat, Dominicæ passionis sapore mutato, noua nobis suauitate dulcescat.

Mundo mori expedientissimum est. Cap. XIII.

1 AVGVSTINVS dicit; Quid est ambulare, sicut Christus ambulauit, nisi contemnere vanitatem, & fœlicitatem huius sæculi. Non nos vllo modo ab amore Christi separet huius sæculi miserabilis dulcedo, nec excusatio vxoris, aut filiorum gratia. Sed nec multa auri, argenti q. congestio, & possessionum delectatio, dum terribiliter contestatur nobis sanctus Ioannes dicens: Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt; quia omne quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. Hæc sunt quæ a paradiso delitiarum, in hoc miserabile exilium Adam, & Euam proiecerunt. Et concupiscentia carnis ab eis impleta est, quod de ligno ve-
Lib. de salutaribus documentis to.4. *1.Ioan.2.*

tito, hustauerunt. Et cōcupiscentia oculorum, quod sibi aperiri oculos cupierunt. Et ambitio sæculi, quòd se fieri posse quòd Deus est crediderunt. Nos Adam sequi non debemus, sed Christum Dominum, in quo renati sumus, & viuimus. Quid est sequi Adam, nisi carnalibus concupiscentijs, & desiderijs morte nos perpetua occidi? Et quid est sequi Christum, nisi carnales concupiscentias, ac desideria in nobis mortificare? Quid est peccato mori, nisi opera maligna in nobis damnare, & hoc miserabile sæculum fugere? Vt sicut homo mortuus in sepulchro, nulli detrahit, nemini violentus existit, neminem calumniatur, neminē opprimit,
2 non inuidet bonis, non insultat malis, non luxuriæ carnis seruit, non odiorū. Flamma inardescit, non potentibus, aut diuitibus huius sæculi, vt multi nostris temporibus faciunt, adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non turbæ maximæ sibi astantis curam gerit, non auro, argentoq. siue pallio circundatus distenditur, nō salutationibus potentum delectatur, nō se iniurijs fatigat, non eum superbia inflat, non ambitio huius sæculi necat, non vana gloria turpiter iactat, non huius sæculi falsæ diuitiæ inflant, non rabies insani furoris exagitat, non pulcherrima species fœminarum auidum reddit, non contentiones huius sæculi perturbant, non audacia extollit, non gaudia huius sæculi delectant. Hæc & alia huiusmodi enumerando protelaui, vt intelligas quatenus homo carne mortuus, nec facere potest ista, quæ dixi, *Galat.5.* nec pati. Et vt his talibus non torqueamur, sed studeamus quantum possumus cum Dei adiu- *Eph.4.* torio corpora nostra cum vitijs, & concupiscē tijs mortificare, & induamus nouum hominē, qui secundum Deum creatus est, in iustitia, & sanctitatis veritate. Nec simus carnales, id est, in hoc sæculo carnaliter viuentes, ne moriamur. Igitur ille secundum carnem viuit, id est, pergit quo vult, dormit quando vult, & quandiu vult, loquitur quod vult, & cui vult, & vbi vult, manducat, & bibit quando vult, & quantum vult, ridet, & iucundatur turpiter, inter quos vult, & quando vult. Postremo quicquid naribus suaue est quærit, quicquid tactu blandum, quicquid oculis delectabile, quicquid cor pori suo iucundum exercet, & sequitur. Delectatur in vestimentis pulcherrimis, & equitibus, & armis, sicut vult, & quando vult, & sic non secundum Deum, sed carnaliter viuit, & delectatur, & omnia desideria carnis suæ perficit, sicut vult, & quando vult.

3 IDEM explicās verba illa; Mihi absit glo
In expositione epist. ad Galat. riari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo dicit: Mundus mihi crucifixus est ait, vt me non teneat, & ego mundo, vt eum non teneam, id est, vt neque mundus mihi nocere possit, neque ego de mundo aliquid cupiam.

4 IDEM inquit; Mortalis dici potest ani-
Tract.23. in Ioan.to.9. ma secundum mutabilitatem vitæ huius, quia si viuebat sapienter, & desipit, mortua est in deterius, si viuebat insipienter, & sapit, inuitata est in melius, nam esse mortem in deterius, & esse mortem in melius Scriptura nos docet: Vtique in deterius mortui erant, de quibus dicitur: Sine mortuos sepelire mortuos suos, & *Matt.8.* exurge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Et de hac lectione quādo mortui audient, & qui audierint, viuent in deterius mortui erant, ideo reuiuiscunt. Reuiuiscendo moriuntur in melius, quia & reuiuiscendo non erunt, quod erant, non esse autem quod erant, mors est. Sed fortè si in melius est, non appellatur mors, appellauit autem illam mortem Apostolus. Si autem mortui estis cū *Coloss.2.* Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc velut viuētes de hoc mundo decernitis? Et iterum: mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo, mori nos vult, vt viua- *Coloss.3.* mus, quia viximus, vt moreremur.

5 GREGORIVS explicās verba illa Iob
Lib. 5. Moral.ca. 3.to. 1. cap.3. Quasi effodientes thesaurum, qui expectant mortem, & non venit, gaudentq. vehemēter, cum inuenerint sepulchrum, ait: Quia perfectè mori mundo non possumus, nisi intra mētis nostræ inuisibilia a visibilibus abscōdamur. Recte hi qui mortificationem suam appetunt, thesaurum effodientibus comparantur. Mundo enim per inuisibilem sapientiam morimur, de qua per Salomonem dicitur: Si quæsieris illam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis eam. Sapientia quippe in rerum superficie *Prou.2.* non iacet, quia in inuisibilibus latet. Et tunc mortificationem nostram contingentes sapietiam apprehendimus, si relictis visibilibus, inuisibilibus abscondamur. Si hic hanc cor effodientes quærimus, vt omne quod terrenum mens cogitat, a semetipsa manu sanctæ discretionis eijciat, & thesaurum virtutis, qui se latebat cognoscat. Quia autem quæsitam mortem sicut thesaurū dicit, recte subiungit: Gaudentq. vehementer cum inuenerint sepulchrū. Sicut enim sepulchrum locus est, quo absconditur corpus, ita diuina contemplatio quoddam sepulchrum est mentis, quo absconditur anima. Quasi enim huic adhuc mundo viuimus cum mente in eo foris vagamur, sed mortui in sepulchro abscondimur, cum mortificati exterius, in secreto internæ contemplationis celamur. Sancti igitur viri ab importunitate desideriorum temporalium, a tumultu inutilium curarum, a clamore perstrepentium perturbationum, semetipsos sacri verbi gladio mortificare non desinunt, atque intus ante Dei faciem in sinu mentis abscondunt. Vnde bene per psalmistam dicitur: Abscondes *Psal.30.* eos in abscondito faciei tuæ a conturbatione hominum. Quod quamuis perfectè postmodum fiat, etiam nunc ex magna parte agitur, cum a temporalium desideriorum tumultibus, delectatione in interiora rapiuntur, vt mens eorum, dum in amorem Dei tota tenditur, nulla inutili perturbatione laceretur. Hinc est quòd Paulus per contemplationem mortuos, & quasi in sepulchro absconditos discipulos viderat, quibus dicebat: Mortui enim

6 estis,

Coloss. 3. estis, & vita vestra abscondila est cum Christo in Deo. Qui ergo mortem quærit, gaudet dū sepulchrum inuenit, quia qui mortificare se appetit, valde adinuenta requie contemplationis hilarescit: vt extinctus mundo lateat, & a cunctis exteriorum rerum perturbationibus intra sinum se intimi amoris abscondat. Si verò ad hoc quòd thesaurus effodi dicitur etiam sepulchri inuentio subinfertur, hoc necesse est, vt intentio nostra conspiciat quòd antiqui suos mortuos cum diuitijs sepeliebāt. Qui igitur thesaurum quærit, gaudet cum sepulchrum inuenerit: quia sapientiam perquirentes, cum exempla præcedentium patrum perscrutamur, quasi ex sepulchro gaudium sumimus, & mentis diuitias apud mortuos inuenimus, quia qui huic mundo perfecte extincti sunt, in occulto cum diuitijs requiescunt.

7 Exposi. in septimū Psal. pœn. to. 2. Psal. 142. IDEM explicans verba illa; Propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua dicit: Non viuit iustitiæ nisi, qui moritur iniquitati. Sicut autem quod seminauimus non viuificatur, nisi moriatur prius, sic qui mundo, & concupiscentijs eius non moritur, in fructu bonorum operum nō multiplicatur. Superest ergo, vt mortificemus membra nostra, quæ sunt super terram, quatenus viuificet nos author vitæ. Ad hoc enim ipse mortuus est, & resurrexit, vt nos peccatis mortui iustitiæ viuamus. Qui autem Christo commoritur, cum eo conuiuificatur.

8 Lib. 2. in li. 1. Reg. c. 2. IDEM explicans verba illa: Dominus mortificat, & viuificat inquit: In his verbis etiam ordo notandus est. Prius quippe mortificare dicitur, deinde viuificare: quia nisi sæculo moriamur, Deo per amorem viuere non valemus. Vnde is, qui se mortificatum, & viuificatum meminerat, loquebatur dicens: Gala. 6. Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Viuebat sed non mundi vita, quia dicebat: viuo ego iam non ego, viuit vero in me Christus. Mortificatum ergo, & viuificatum esse, est præsentia nulla concupiscere, & æterna desiderare.

9 Serm. 52. in Cantica. BERNARDVS explicans verba illa: adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit ait: Re vera dormitio est, quæ tamen sensum nō sopiat, sed abducat. Est & mors, quod non dubium dixerim, quoniam Apostolus quosdam in carnem adhuc viuentes commendando sic loquitur. Coloss. 3. Mortui estis, & vita vestra absconditа est cum Christo in Deo. Proinde & ego non absurde sponsæ extasim vocauerim mortem, quæ tamen non vitā, sed vitæ eripiat laqueos, vt possit dicere, anima nostra Psal. 123. sicut passer erepta est de laqueo venantium. Inter medios namq; laqueos in hac vita incedit, qui vtique toties non timentur, quoties sancta aliqua, & vehementi cogitatione anima a semetipsa abripitur; si tamen eò vsq; mente secedat, & auolet, vt & hunc communem transcendat vsum, & consuetudinem cogitandi. Prou. 1. Etenim frustra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quid enim formidetur luxuria, vbi nec vita sentitur. Excedente quippe anima, etsi non vita, certe vitæ sensu, necesse est etiam, vt nec vitæ tentatio sentiatur. Vtinam hac morte ego frequenter cadam, vt euadam laqueos mortis, vt non sentiā vitæ luxuriantis mortifera blandimenta, vt non obstupescam ad sensum libidinis, ad æstum auaritię, & iræ, ad angores sollicitudinum, & molestias curarum. Moriatur anima mea morte iustorum, vt nulla illam illaqueet fraus, nulla oblectet iniquitas. Bona mors, quæ vitam non aufert, sed transfert in melius. Bona, qua non corpus cadit, sed anima subleuatur. De re hac multa diximus libro 2. cap. 15. 16. & 20.

Mundi ac mundanorū iudicium stultum, & paruipendendum, quibus nusquā placuit veritas. Cap. XIV.

1 Homil. 15. ex varijs in Psa. 61. to. 1 BASILIVS explicans de mundanis verba illa; Ore suo benedicebant, & corde suo maledicebant, inquit: Multi sunt qui pro bonis prauas compro bāt actiones, & vitia virtutibus vicinis honestare contendunt. Nam scurrilia loquentem vt bonum ac lepidum, turpiloquum vero politicum, amarulentum & iracundum neutiquam contemnendum prædicant, parcum vero ac minime liberalem vt sobrium dispensatorem commendant, prodigum quoque vt liberalem, libidinosum vero & lasciuum vt voluptuarium, & animi solutioris virum; vtique semel dicam omnia: vitium omne palliant adumbrata nomenclatura e vicino subiectæ virtuti. Tales sane ore quidem benedicunt, corde autem maledicunt. In verborum namque benedictione, omnem execrationem vitæ suæ inducunt, ac reos æternæ damnationi, ob ea, quæ approbant, se se constituunt.

2 Hom. 12. in epist. 1. ad Cor. to. 4. CHRYSOSTOMVS inquit: Hoc vniuersum orbem terrarum perturbauit, quoniā hominum respectu omnia facimus, & in bonis operibus nulla nobis cura est, vt laudatorem Deum habeamus, sed laudem nobis a conseruis nostris inquirimus. In sceleribus rursum Deo contempto homines formidamus. Propterea quæ vere bona sunt, sed multitudini bona non videntur, ea fugimus, non inuestigata rerum natura multitudinis opinionem respicientes. Itidem rursum in malis afficimur. Quæ mala sunt, videntur autem multis bona, ipsa consuetudine sectamur. Multa autem huiusmodi Dominis videntur esse mala, quæ non sunt, & ea nos similiter fugimus, vt exempli gratia, in paupertate viuere multi turpe esse arbitrantur: & nos fugimus paupertatem, non quòd turpis sit, neque quòd turpem esse nobis persuadeamus, sed quòd Domini nostri ita de ea sentiunt, & illos formidamus. Item & contemptum, & spretum, & extra omnem dignitatem esse, videtur multis simpliciter res pudenda, & vilis. Hoc rursum fugimus non nostra, sed dominorum nostrorum sententia. Contra autem eodem morbo laboramus. Siquidem ditescere bonum videtur, & elatio, & gloria, item bona. Hæc nos itidem prosequamur, neq; hac in parte rerum considerамus naturā, quæ bona est, sed ex dominorum nostrorum opinione nobis persuademus. Dominus enim noster populus est, & nimia turba. Dominus crudelis, & tyrannus grauis. Nam neq; nobis præcepto opus est, vt audiatur a nobis, sed tantū satis est, vt intelligamus quid velit, & quam primum sine præcepto paremus tanta in eum benеuolentia afficimur, & Deus quidem cum singulis diebus nobis minetur, vt nos moneat, nō auditur. Turba autem seditiosa, & vilis neque præcepto opus habet, sed sufficit tantum ostendere, quibus delectatur, & ei mox paremus. Et qua nam ratione hos quispiam effugeret dominos? Si maiorem quam hi animi elationem acciperet, si rerum naturam intueretur, si damnaret multitudinis sententiam, si præ ceteris omnibus in his, quæ vere turpia sunt sibi ipsi persuaderet, non homines, sed insomnem oculum esse formidandum, & in bonis contra ab illo præmium quærendum. Sic enim neque in alijs ipsos patiemur. Qui enim in bonis operibus indignos homines iudicat, qui ea sciant? Sed Dei sententia cōtentus est, is neque in malis vllam ipsorum rationem faciet. Et quo pacto hoc erit inquis? Contemplare quid homo sit, quid Deus, & quo omisso, cui inhæres, & quamprimum omnia correxeris. Homo eidem tecū peccato subiectus est, item iudicio, & supplicio. Homo vanitari asimilatur, & non habet rectum iudicium, & superna indiget correctione. Homo terra, & cinis, & si sæpe laudauerit omnino laus illa erit, vel ad gratiam, vel ad odium, etsi quem calumniatus fuerit, & accusauerit, eadem rursus sententia hoc fiet. Verum non ita Deus, sed irreprehensibilis eius sententia, & purum iudicium. Et idcirco opus est semper ad eum confugere, non propter hoc solum, sed quod & ipse nos fecit, & parcit tibi maximè, & quàm tu te, maiore te amore prosequitur. Quid igirur tam mirabilem habere laudatorem contemnimus? Quid ad hominem confugimus, qui frustra, & temere malum te, & scelestum appellat, cum non sis? Hac causa ei potius miserere, & lachryma e, quod corruptus est, & contemne eius gloriam, quod eius mentis oculi cæci facti sunt. Nam & Apostoli hæc audierunt, & contempserunt calumniantes. Verum & bonum te, & benignum dicit. Quòd si talis es, noli omnino gloria diffundi, sin autem non es huiusmodi, magis illum contemnas, & illusionem id arbitrare. Vis multitudinis iudicia cognoscere, quàm sint inutilia, corrupta, & ridicula, & partim furiosorum, & insanorum, partim puerorum lactentium? Audi, altius, iudicia tibi repetam non vulgi tantum, sed eorum, qui a principio legumlatorum sapientissimi habiti sunt. Hi neque scortationem, neque alearum ludum, neque ebrietatem damnauerūt, & punierunt. Eorum igitur laudē, qui hac sententia sunt, hominum desideras? Quòd si huiusmodi homines omnes te admirarentur, nonne pudore te abscondi oporteret, vt a tam corruptis hominibus iudicareris? Et post multa enarrata vulgi, immo & sapientum deliramenta in vltimis verbis ait: Quomodo non vltimæ est stultitiæ in tam corrupta hominum sententia, & omnia temere facientiū gloriam quærere, cum oportet ad insomnem semper oculum confugere, & ad sententiam eius aspicientes omnia, & facere, & dicere.

4 Eccli. 17. IDEM ait; Iniustitiæ pestis conctorū animas tyranni in morem occupauit, quodq. grauius est non id necessitate, aut vi, sed suadendo, & blandiendo effecit, vt illi gratas habeant huiusmodi seruitutes. Nam siquidem vi, non amore tenerentur quamprimum ab illa seruitute resilirent, quo circa eis iucunda esse videtur ea res, quæ amarissima est, & amara iustitia, quæ dulcissima est, si intimo sensu hauriatur. Ea quippe ratione, & mel amarum quidam esse putarunt, & aliud quodlibet noxium cum voluptate perceperunt. Causa verò non ex rerum natura, verum ex peruersitate sententiæ ducitur. Laborat enim morbo nostræ rationis iudicium. Sicuti etiam statera si lancem loco motam habeat pondera iustè non iudicat, ita & anima nisi habeat rationis lancem stabilem, ac firmiter vi diuini timoris affixam, res synce rè dijudicare non valet, sed circumfertur iugiter, atque deprimitur. Nam si quis diligenter inquirat, aspiciet ingentem iniquitati amaritudinem inesse etiam in hac vita. Nonne huius germina sunt lites, rixæ, iudicia, reprehensiones, accusationes, inuidiæ? Quid verò his omnibus dici amarius potest? Nonne hæc inimicitias, odia, bella gignit? Nonne conscientiam, quæ nos iugiter flagellis cædat, ac mordeat? Vellem si fieri posset iniqui animam corpore exutam, cernendam omnibus in conspectum dare, videres eam profectò pallidam, trementem, rubore, & confusione plenam, anxiā, semetipsam condemnantē. Quātumlibet enim quis ad ipsa vitiorum profunda corruerit, animi iudicium nō corrumpitur. Nullusq. est qui dum malum operatur, bonum id esse putet, sed occasiones fingit, & omnia facit. Ceterum ille etsi verbis crimen fortasis diluat, conscientiā tamen ipse suam effugere nequaquam poterit. Nam hic quidem, & oratio callida, & inconstantia principum, & assentatorum greges, ius forte obnubilare queant, intra verò conscientiam nil horum admitti potest. Non adulatores adsunt, non pecuniæ, quæ iudicia corrumpunt, insitum quippe nobis est a Deo naturale iudicium.

5 Homil. 5. in c. 2. epistolę Pauli ad Timothæum.

6 Serm. 17. in epist. Pauli ad Rom. IDEM; Vt doceat quod hominum iudicium in his quæ agimus quærere nō debemus, inquit: Post hoc & illud perpendas, quod multorum sententia sit corrupta, corruptumq. iudicium, immo non solum corruptum, sed quod subito marcescat. Nam etiam si ad horam admiren-

mirentur, puncto tamen temporis vix præterito, omnium obliuiscuntur. Atque ita fit, vt a Deo tibi datam coronam eripiant, & eam, quã ab ipsis expectabas, conseruare tibi nequeant. Quamquam etiã si manserit, multæ tamen miseriæ fuerit diuinam illam ista commutasse. Cũ verò nec ista maneat, sed prorsus diffluat, quã habebimus excusationem, qui propter instabilem perpetuam illam prodimus, propter paucorum præconia tanta bona perdentes? Quãquam etiam si fuerint multi laudatores, & ipsi quoque digni sunt, qui velut miseri non æstimentur, idq. tum magis cum plures sunt, qui
Luc. 6. hoc faciunt, dicente Domino: Væ vobis cum laudauerint vos omnes homines, & valde merito. Si enim cuiuis arti non quosuis, sed ipsos opifices iudices requiris, quomodo virtutis probationem multis commendas, & non præ omnibus vni illi, qui cum omnia sciat, solus etiam vel exturbare, vel coronare potest? Hoc itaque Christi verbum inscribamus, & parietibus, & ianuis, & menti, dicamusq. continuè nobis ipsis: væ nobis si quãdo laudauerint nos
7 omnes homines. Infra: Quemadmodum pueri ludentes ex fœno coronas inuicem imponunt, coronatum autẽ sæpenumero eius rei ignarum post tergum irrident, ita sanè & nũc, qui te in faciem prædicant, apud seipsos clanculum subsannant, atq; ita quid aliud fit, quàm quòd, & nobis inuicem fœnum coronantes imponimus? Et vtinam nihil aliud quàm fœnum. Nunc autem multo etia nocumento plena est hæc nostra corona; nam omnia nostra recte facta perdit. Considerata itaque ipsius vilitate, damnum istud effugito. Quod si centũ, vel mille, vel innumeri extiterint laudatores, qui applaudant, nihil tamen illi omnes a graculis desuper garrientibus different. Immo si Angelorum theatrum perpenderis, apparebunt illi vermibus etiam viliores, illorumq. prœconium aranearum textura, fumisque, & somnijs infirmius. Dic ad animam tuam quemadmodum
1. Cor. 6. Paulus dixit: Ignoras quod Angelos iudicabimus, atque ab hoc cœno excitatam increpato deinceps ac dicito, Angelos iudicatura es, & vis abimmundis iudicari.

8 IDEM docet: Qua ratione homines perLib. 3. contra vituperatores vitæ monasticæ to. 5. diti, & vitia, & virtutes contrarijs nominibus, vocant, ait: Quippe Circensibus ludis, & reliquis spectaculis interesse iugiter, vrbanitatem & facetias vocatis, diuitijs, affluere liberalitatem, gloriam amare, magnanimitatẽ, arrogantiã confidentiam, prodigalitatem clementiã, iniustitiã fortitudinẽ esse asserẽtes. Tum verò quasi nõ hęc sufficiat decipula, & laqueus, virtutem quoque contrarijs nominibus obnubitis, rusticitatem quidem pudicitiam vocantes, formidinem modestiam, imbecillitatemque iustitiam, contemptumque fastus, & gloriæ seruilis esse animi existimãtes, malorumq. tolerantiam ignauiam, & infirmitatem.

9 HIERONYMVS sic habet; Prima virEpistola 26. quæ est ad Pammach. to. 1. tus monachi est, contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus nõ essem. Tale quid & Dominus loquitur ad Prophetas: quod posuerit faciem eorum quasi vrbem æneam, & lapidem adamantinum, & columnam ferream, ne pauerent ad iniurias populi, sed impudicitiam subsannantium frontis rigore contererent. Infra: Fęlices, inquit Fabius, essent artes, si de illis soli artifices iudicarent. Poetam nõ potest nosse, nisi qui versum potest struere. Pgilosophus nescit, nisi qui scit dogmatum varietates. Manufacta & oculis patentia, magis probant artifices. Nostra quàm dura sit necessitas hinc potes animaduertere, quod vulgi, standum est iudicio, & ille in turba metuendus, quem cum videris solum, despicias. Hoc præteriens tetigi, vt eruditis contentus auribus non magnopere cures quid imperitorum de ingenio tuo rumusculi iactitent.

10 IDEM ait: Noui susurronem quemdam In epist. 27. qpæ est ad Bustochiũ epitaphium Paulæ matris suæ. (quod genus hominum vel pernitiosissimum est) quasi beneuolũ nunciasse, quod pro nimio feruore virtutum quibusdam videretur insana, & cerebrum illius dicerent confouendum. Cui illa respondit: Theatrum seu spectaculi sumus Deo, & Angelis, & hominibus. Et nos stulti propter Christum, sed stultum Dei sapiẽtius
1. Cor. 4. est hominibus. Vnde & Saluator loquitur ad
Ibid. patrem: Tu scis insipientiam meam. Et iterũ:
Psal. 70. tanquam prodigiũ factus sum multis, & tu ad-
Psal. 72. iutor fortis. Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. Quem in Euangelio, &
Luca 15. propinqui quasi mentis inopem ligare cupiebant, & aduersarij sugillabant, dicentes: dæmonium habet, & Samaritanus est, & in principe dęmoniorum eijcit dæmonia. Sed nos audiamus Apostolum cohortantem: Hæc est gloria
2. Cor. 1. nostra testimonium conscientię nostrę, quoniã in sanctitate, & synceritate, & in gratia Dei cõuersati sumus in hoc mundo. Et Dominum dicentẽ Apostolis, quia non estis de mundo, pro*Ioan. 15.* pterea odit vos mundus. Si enim essetis de mũ de, mundus vtique quod suũ erat, diligeret. Et ad ipsum Dominum verba vertebat: Tu nosti absconditа cordrs, & hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, nec inique egimus in testamento tuo, & non recesit retro cor nostrum. Et propter te mortificamur tota die, æsti
Psal. 43. mati sumus velut oues occisionis. Sed Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo. His & talibus testimonijs quasi armatura Dei instruebat se contra iniurias, & furorem rabidi pectoris mitigabat.

11 IDEM respõdet calũniantibus Romanis, In epist. ad Asellã to. 2. eo quod Paulam, & Eustochiũ traxisset ad monasteriũ, & ait: Ego proprosus, ego versipellis, ego mendax, & satanę arte decipiens. Osculabantur mihi manus quidam, & ore vipereo detrahebant, & dolebãt labijs, corde gaudebant. Alius incessum meũ calũniabatur, & risum. Penè certe trienniũ cum eis vixi. Multa me virginum crebro turba circũdedit, diuinos libros, vt potui, nõnullis sępe disserui. Pecuniã, ciuis, quã accepi? Munera vel parua, vel magna nõ spreui? In manu mea æs alienũ insonuit? Obliquus sermo

sermo, oculus petulans fuit? Antequã domum sanctæ Paulæ nossem, totius in me vrbis studia consonabant, omnium penè iudicio dignus summo sacerdotio decernebar, dicebar sanctus, dicebar humilis, & disertus. Nunquid domum alicuius lasciuioris ingressus sum? Nunquid me vestes sericæ, nitentes gemmæ, picta facies auri rapuit ambitio? Nulla fuit alia Romæ matronarum, quæ meam posset edomare mentem, nisi lugens atq; ieiunãs, squalens sordibus, fletibus penè cæcata. Infra: Sed postquam eam pro suæ merito castitatis venerari, colere, suspicere cœpi, omnes me illico deseruere virtutes. Nullæ aliæ Romanæ vrbi fabulã præbuere, nisi Paula & Melania, quæ contemptis facultatibus, pignoribusque desertis crucem Domini quasi quoddam pietatis leuauere vexillũ. Si balneas peterent, vnguenta eligerent, diuitias & viduitatẽ haberent, materiem luxuriæ & libertatis, dominæ vocarentur & sanctæ. Et infra: Si gentiles hanc vitam carperent, si Iudęi haberent solatiũ non placẽdi eis, quibus displicet Christus. Nunc verò pro nefas homines Christiani prætermissa domorum suarũ cura, & proprij oculi trabe neglecta, in alieno oculo festucam quærunt. Laterant sanctum propositũ, & remedium pœnæ suæ arbitrãtur, Si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntiũ, si multitudo peccantium. Infra: Gratias ago Deo meo, quod dignus sim quẽ mundus oderit. Ora autẽ vt de Babylone Hierosolymam regrediar; ne mihi dominetur Nabuchodonosor, sed Iesus filius Iosedech, Veniat Esdras, & reducat me in patriã suã. Stultus ego qui volebã cantare cãticum Dñi in terra aliena, & deserto mõte Sina Ægypti auxiliũ flagitabã. Maleficum quidam me garriunt, titulũ fidei seruus agnosco. Magum vocant & Iudæi, Dñm meum. Seductor & Apostolus dictus est. Quotam partẽ angustiarum perpessus sum qui cruci milito? infamiã falsi criminis imputarunt. Sed scio per bonã, & malã famã peruenire ad regnũ cælorũ. Memẽto mei, & fluctus maris tuis precibus mitiga.

12 IDEM explicãs verba illa; In via stultus In cap. 10. Ecclesiastes to. 7. ambulans cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat, inquit: Stultus vt ipse peccat sperat omnes peccare similiter, atque ex suo ingenio vniuersos iudicat.

13 IDEM explicans verba illa; Et relictis il-Lib. 3. in c. 21. Matth. to. 9. lis abijt foras extra ciuitatem in Bethaniam, ibiq. mansit dicit hoc; In his verbis intelligẽdum est, quòd tantæ fuerit paupertatis, & ita nulli adulatus sit, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inuenerit mansionem, quia veritas quam Christus Dominus prædicabat, oditur in mundo.

14 AMBROSIVS scribit Paulino episcopo Lib. 6. Epistolarũ epist. 26. to. 3. qua ratione Paulinus splendore generis in patribus Aquitanię nulli secundus venditis facultatibus, & sæculo relicto, secretum quoddã elegerit, & ipse pauper ex diuite factus tanquam denudatus grauí sarcina domui, patrię, cognatis quoq; valedixerit, vt impensius Deo seruiret. Idemq. fecit vxor eius. Soboles eis nulla, & ideo meritorum posteritas desiderata. Hæc referens ait: Hæc vbi audierint proceres viri, quæ loquentur? ex illa familia, illa prosapia, illa indole, tanta præditũ eloquentia migrasse a senatu, interceptã familiæ nobilis successionem, ferri hoc non posse. Sed confundere illos *Exo. 2.* non debent hominum dicta. Non confusus est Moyses, qui cũ esset ascitus in domũ regiã, thesauris Ægypti improperiũ Christi præferendũ putauit. Non confusus est Dauid, qui ante ar-*2. Reg. 6.* cam testamenti corã omni populo saltauit. Nõ confusus est Isaias, qui nudus & discalciatus *Isa. 20.* ibat per populos, oracula clamãs cælestia. Denig; reprehendit Michol saltantẽ Dauid, & ait ad eum: Quàm gloriosus est hodie rex Israel, quia denudatus est hodie ante oculos puellarũ suarum? Et respondit, ludã, & vilior fiam corã eo, qui elegit me pro patre tuo, & pro domo eius, vt cõstitueret me regẽ super populũ meũ Israel. Et ludam coram Domino, & denudabor adhuc sic, & ero nugax ante oculos tuos. Non erubuit igitur Dauid fœmineas opiniones, nec opprobria apud mulieres subire, pro religionis obsequio verecundatus est. Denique illa quæ saltationem huiusmodi reprehendit, sterilitatis damnata non dedit sobolem regiã, & nullam est adepta posteritatis suæ successionẽ. Isaias nudus prædicat, & nõ ludibriose, sed gloriosissime denudatus est in cõspectu populorum occursantiũ, qui oracula Dño hoc facto prędicabat, nec quid in re hac populus iudicaret, sed quid Deus præciperet perpendebat.

15 AVGVSTINVS explicans qua ratione homines in suorum peccatorum pœnam hac Lib. 5. cõtra Iulianũ Pelagianum. to. 7. plectuntur maxima, vt nõ audiant veritatem, sic habet: An non est peccatũ, & pœna peccati vbi legitur: Dominus miscuit illis spiritũ erroris, & seduxerũt Ægyptum in omnibus operibus suis, sicut seducitur ebrius? Non est peccatum, & pœna peccati, vbi Deo dicit Prophe*Isa. 19.* ta: Quid errare fecisti nos Domine a via tua, *Isa. 63.* obtudisti corda nostra, vt non timeremus te? Non est peccatum & pœna peccati vbi rursus Deo dicitur: Ecce tu iratus es, & non peccauimus, propterea errauimus, & facti sumus ve*Isa. 64.* lut immundi omnes. Non est peccatũ & pœna peccati vbi legitur de gentibus, quas debellauit Iosue, quia per Dominum factũ est cõfor*Iosue 11.* tari cor eorum, vt obuiam irent ad bellum ad Israel, vt exterminarẽtur? Non est peccatum, & pœna peccati, quod non audiuit Roboam rex plebem bene monentem, quoniã sicut scriptura loquitur: Erat conuersio a Domino vt *3. Reg. 12.* statueret verbum suũ, quod de illo locutus est in manu prophetæ. Non est peccatũ, & pœna peccati in eo quod scriptum est: Amasiam re-*2. Paral.* gem Iuda noluisse audire Ioas regẽ Israel bene *25.* monentem ne procederet ad bellandum? Sic enim legitur: Et non audiuit Amasias, quoniã a Deo erat, vt traderetur in manu, quoniam quæsierunt Deum Edom. Et multa alia cõmemorare possemus, in quibus liquido appareat occulto Dei iudicio fieri peruersitatẽ cordis,

vt non audiatur quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendacio, & non credere veritati peccatum vtique est, idemq. pœna est alterius peccati. Vnde est illud quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus: Pro eo quod dilectionem veritatis nō receperunt, vt salui fierēt: ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio. Vt seducentur Achab, & in prælio periret vidit Michæas Dominū sedentem in throno, & exercitus cæli coram eo, & dixit Dominus: Quis seducet Achab, & ascēdet, & cadet in Ramoth Galaad? Et dixit spiritus quidam, ego seducā eum, Et dixit Dominus ad eum. In quo? Et dixit, egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Et dixit seduces, & prævalebis, exi & fac sic.

2. Thess. 2.

3. Reg. 22

Murmurationes malorum sic ferant boni, vt innocentiam ostendant suam.

Cap. XV.

1 Homil. 7. in lib. Numer. to. 1. Num. 12.

ORIGENES referens murmurationē Mariæ, & Aaron contra Moysen, eo quòd Æthiopissam duxerit, ait: Audistis quid sibi iudicij obtrectatores, & maleloqui, & qd damnationis acquirant: audite nunc & quantum beneficij conferant ijs, quibus obtrectant. Nunquam inuenimus tantas laudes Deum dixisse de Moyse famulo suo, quantas nunc dici videmus quando ab hominibus ei derogatum est. Et descendit, inquit, Dominus in columna nubis, & stetit ad ostium tabernaculi testimonij. Et vocati sunt Aaron & Maria, & steterunt ambo, & dixit ad eos: Audite verba mea; Si fuerit quis vestrum propheta Domini in somnis loquar ei. Non sicut famulo meo Moysi, qui in tota domo mea fidelis est, os ad os loquor ad eum in specie, & non in ænigmate, & gloriam Domini vidit. Et quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Et ecce Maria facta est leprosa sicut nix. Videtis quid sibi pœnæ contulerint obtrectatores, quid vero illi cui obtrectauerint quæsierint laudis. Sibi turpitudinem, illi splendorem; sibi lepram, illi gloriam; sibi opprobriū, illi magnificentiam quæsiuerunt. Et nubes recessit a tabernaculo, & ecce Maria facta est leprosa. Prius recedit nubes, & ita lepra repletur, vt ostendatur, quia etiam si est in aliquo gratia sancti Spiritus, & detrahit; recedit ab eo post obtrectationem, & sic lepra repletur anima eius.

2 Epistola 75 to. 2.

BASILIVS scribens ad Neocæsarianos in defensionem propriā contra eos, qui ipsum aiebant Arrianum ac negantem Spiritum sanctū Patri, & Filio esse æqualem, & ait: Quis in accusandis vitijs, nemine contradicente defecit? Quis deferendo, mendacij conuictus est, non coram constituto eo quem falso detulit? Quidnam dici potest quod credibile nō sit auscultantibus; si dum criminator ita, vt asserit, habere contendit, criminis accusatus, nec adest, nec calumnias audit? Iustum iudicium iudicate, vnum hoc est ex præceptis ad salutem necessarijs. Et ista dico non oblitus verborum Apostoli, quibus ille relictis humanis iudicijs vniuersam vitam suam eius tribunalis examini reseruauit, quod falli nequit, vbi dicit: Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Sed propter vos magis quam propter me ista scribo, ne veritate priuemini, de me non ea quæ vera sunt credentes. Quid igitur dico fratres? Non quod ego ignorem me obnoxium peccatis, neque quòd vita mea non referta sit innumeris delictis. Noui enim me ipsum, nec cesso lachrymas profundere pro peccatis meis, si quo pacto mihi Deum placare, ac futuri supplicij comminationem effugere queam. Sed hoc dico, si is qui nostra iudicat mundum se confirmet habere oculum, auferat ex nostro oculo festucam. Fatemur enim nos multa eorum qui probe valent opus habere curandi diligentia. Si autem talis quis non fuerit non iudicet ante tempus donec veniat Dominus, qui manifestabit abscondita tenebrarum. Memor sit eius, qui dixit: Nolite iudicare, vt non iudicemini, nolite condemnare, vt non condemnemini. In summa fratres si curabilia sunt nostra delicta, quare non obeditis Paulo dicenti: Argue, obsecra, increpa? Si vero scelus nostrum ita habet, vt sit immedicabile, quamobrem non in faciem nobis resistit aduersarius, vt patefactis sceleribus nostris, Ecclesias ab ea pernicie liberet, qua per nos illæ perduntur? Si peccatores sumus commiserandi potius sumus apud viros beatos & innoxios, quàm acerbè & odiose tractandi. Oculus vitiatus multa non videt eorum, quæ sunt, & multa suspicatur quæ non sunt. An cum de agriculturæ operibus iudicare non poterit, qui non ipse est agricola, & qui musices scientiam non tenet, nec consonantiam, nec dissonantiam in musicis rythmis cognoscat, sermonum iudex mox erit quicunque volet?

Luc. 6.

2. Tim. 4.

IDEM sic exorditur, tempus esse tacendi, & tempus loquendi dicit Ecclesiastes. Et nūc igitur, quoniam abundè satis silentij hactenus præcessit, opportunum deinceps erit, vt ad patefactionem eorum, quæ ignorantur os nostrum aperiamus. Quandoquidem & magnus ille Iob, multo quidem tempore calamitates suas cum silentio tulit, hoc ipso animi fortitudinem declarans; quod in molestissimis afflictionibus constans perdurarint; post autem ore aperto ea locutus est, quæ omnibus nota sunt. Et nobis igitur iam in tertium vsque silentij annum imitabilis visa est prophetæ gloriatio, quæ dicit: Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in gutture suo redargutiones. Quocirca in profundo pectoris nostri dolorē, quem nobis incussit calumnia inclusum tenuimus. Verè namq; calumnia virū humi-

3 In epist. 79. ad Eustatiū episcopū Sebastiæ.

Psal. 37.

Eccls. 7.

humiliat, calumnia pauperem conturbat. Sic ergo tantum est calumniæ malum, vt & perfectum iam e sublimi, deijciatq. pauperē. Attamen silentio res tristes ferendas esse putaui, fore ratus, vt ipsis aliquando operibus veritatem edocentibus non nihil corrigantur. Neque enim ex malitia aliqua, sed per ignorantiam talia contra nos dici arbitrabar. Quoniam vero inimicitiam vna cum ipso tempore magis inualescere video, & aduersarios meos ab ijs, quæ ab initio sparserunt nihil immutari: neque aliquam impendere curam, quo præteritis medeatur, sed magis illa repetendo obformare, vt & vitam nostram affligant, & nominis nostri opinionem apud fratres callido commento polluant, iam mihi non videtur tutum, vt silentio me cohibeam amplius, sed subit animum meum illud Isaiæ dicentis. Silui, num semper silebo? & feram, patiens fui, vt parturiens loquar. Vtinam autem, & mercedem silentij assequamur: vt dum eos, qui nos vituperāt redarguimus, acerbum illum adobruentis nos mendacij torrentem exiccemus, quo & nobis dicere liceat; torrentem pertransiuit anima nostra, & illud; nisi Dominus fuisset in nobis, cum exurgerent homines in nos, forte viuos deglutissent nos. Ego sane postea quàm multum temporis vanitati impēdissem, & omnem prope iuuentutem inani studio attriuissem, quo tenebar, tandem aliquando velut ex graui somno expergefactus, ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen aspexi, agnoui q. inutilitatem sapientiæ principum huius mundi, qui abolentur, deplorata plurimum miserabili mea vita; ductorem mihi dari optabam &c. Infra: Licet reliqua vita nostra digna sit cuius gratia ingemiscamus, de hoc tamen vno in Domino gloriari ausim, quòd nunquam falsas opiniones habuerim de Deo, neque aliter sentiendo, animi postea iudicium mutauerim, sed quam a puero sententiam de Deo, a beata matre, deinde & nutrice mea Macrina recepi, illam iustis incrementis auctam, & adultam in me ipso conseruauerim.

Psal. 123.

7 Epist. 86. quæ est ad Eosporium episcopum

IDEM sic habet: Quo putas animum meum dolore affecit fama calumniæ illius, quam mihi offuderunt quidam non metuentes iudicem perditurum omnes loquentes mendacium? Tanto videlicet, vt prope totam noctem propter dilectionis tuæ verba insomnem duxerim, ita ipsa cordis mei penetraria concepta mœstitia occupauit. Re vera namque, vt Salomon inquit, calumnia virum humiliat, & nemo ita stupidus est, qui animo nullam sentiat molestiam, & ad terram vsque non deijciatur, si incidat in ora ad mentiendum procliua. At necesse est, vt omnia feramus, omnia patienter toleremus, vltionem ipsorum Domino committentes, qui non despiciet nos. Nam qui calumniatur pauperem, factorem illius ad iracundiam prouocat.

6 Contione prima de Lazaro to. 2

CHRYSOSTOMVS recēsens nouem, quæ fuerunt in Lazaro mendico supplicia ait: Ad hoc & aliud quiddam accessit, quod & fama ipsius apud homines impudentes traduceretur. Solet enim hominum vulgus vbi quos viderint in fame perpetuoque morbo, & extremis agentes malis, nec opinionem de eis habere bonam, sed ex ipsa calamitate æstimare vitam, & omnino iudicare illos ob malitiam sic affligi, aliquaque multa huius generis inter se loquuntur; stulte quidem, illi loquuntur tamen: Hic si Deo charus esset, nequaquam ipsum in huiusmodi malis esse pateretur. Hoc, & in Iob, & in Paulo venit vsu. Nam & illi dicebant. Nonne frequenter tibi dictum est in labore, vim autem verborum tuorum quis sustinebit? Si enim tu consolatus fuisses multos genibusq. infirmis addidisses fiduciam, nunc vero peruenit in te labor tu vero curasti. Nonne tuus labor est? Si quid tibi, inquit, bonæ rei gestum fuisset haudquaquam ista patereris, sed peccatorum tuis pœnas. Et hoc erat quod maxime mordebat animum Iob: & innocentiam suam conatus est tutare. Ac de Paulo Barbari hoc ipsum dicebant. Cū enim viderent viperam pendentem de manu illius, nihil boni de illo suspicabantur, sed existimabant eum hominem esse de numero eorum, qui extrema perpetrarunt scelera. Id perspicuum est ex his, quæ dicebant: Hunc, inquiunt, a mari seruatum vltio non permittit eum viuere. Hoc autem non mediocriter nos quoque perturbare consueuit. Attamen cum fluctus essent tam multi, viciſsimq. alij super alios illum impeterent, non tamen mersum est nauigium, sed perinde, vt si in fornace positus veluti perpetuo rore refocillaretur, ita philosophabatur.

Iob 4.

Act. 28.

7 Homil. 26. in acta Apostolorum tomo 3.

IDEM inquit: Nobis ne curæ sit quid multi de nobis sentiant, neque vltra quam oportet de gloria solliciti simus. Deo viuimus non hominibus. In cælo ciues sumus non super terram. Illic præmia, & brauia nostrorum laborum iacent, illinc expectamus laudes, illinc coronas, eatenus curemus homines, ne eis offendiculo, & damno simus. Si autem nos illis offendiculum non damus, & illi voluerint simpliciter, & absque vlla causa nos vituperare, rideamus, ploremus. Tu prouide bona coram Deo, & hominibus. Si te prouidente bona, ille incessat ne sis adhuc sollicitus. Habes exempla in scripturis. Nunquid enim hominibus suadeo, an Deo? Et iterum, hominibus suademus: Deo autem manifesti sumus. Et Christus sic in his, qui offendebantur dicebat, sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorum. Et iterum. Væ vobis quando bene dixerint de vobis omnes homines. Si ego quidem facio quod decet, & alius blasphemat, mihil ad me, sed ad illum. Nam proprer illum blasphematur.

Gala. 1. 2. Cor. 5.

Matt. 15.

Luc. 6.

8 Epist. 14. quæ est ad Celantiā de institutione matrisfamilias to. 1.

HIERONYMVS sic ait: Beatus est, qui tam sanctè, tamq. grauiter disposuit vitam suam, vt de eo siniſtri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinē

pugnat meriti magnitudo. Nec fingere quisquam ausus est, quod a nullo putat esse credendum. Quod si assequi difficile atque nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahēdi. Ne ex nobis scintilla procedat, per quam aduersus nos sinistræ famæ flamma confletur. Alioqui frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiam ministramus. Si autem nobis diligenter atque sollicitè, omnia ad honestatem prouidentibus, cunctisq. actibus nostris timorem Dei præferentibus, & illi nihil ominus insaniunt, consoletur nos conscientia nostra, quæ tunc maximè tuta est, tunc optime secura est, cum ne occasionem quidem male de se sentiēdi dedit. Illis enim væ dicitur per prophetam, qui dicunt quod bonum est malum, qui lucem appellant tenebras, & quod dulce est amarum vocant. Nobis ergo Saluatoris aptabitur sermo. Beati estis cum maledixerint vobis homines mentientes. Nos modo id agamus, vt male de nobis nemo loqui absque mendacio possit.

Isa. 5.

Matt. 5.

9 Epistola ad Oceanū de ferendis opprobrijs. tomo 4.

IDEM sic habet: Nolo te nec in hac parte cōfundi, si tibi pro Christi nomine, vel operæ a perituris, & vanis hominibus derogetur: Sed gaude potius, & lætare sciens tibi repositam etiam pro ipsa derogatione mercedem. Nam satis iniquum & impium est, si tu tibi pro eius nomine nec detrahi patiaris, qui propter te tanta perpessus est. Quàm verò graue sit pro Domino non sustinere omnia, quæ aduenerint in hac vita, siue damna, siue derogationes, suspiciones, detractiones, cum ille pro tua salute opprobria hominum, iniuriasq. sustinuit? Valde ab eo alienus est, qui nec detractiones saltem sustinere contentus est. Audi Dominum dicentem: Non est discipulus

Ioan. 15.

Matt. 10.

super magistrum, nec seruus super dominum suum. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? Et nos ergo si discipuli, si domestici Christi sumus, debemus opprobria, detractioneſque amplecti, & sustinere libenter, & æquo animo ea omnia ferre, quæ pro nobis magister, & Dominus pertulit noster. Qui verò hæc sustinere non vult, nec discipulum eius se depromat esse, nec seruum, nec filium, nec domesticum. Infra: Deinde si æquo animo pensamus idipsum quo nobis quis detrahere videtur iniustè, laudari nos potius quàm accusari probamur. Nam quid aliud faciunt, cum vera de sanctis dicunt, nisi vt ea dicant quæ facimus, ieiunos, abstinentes, sobrios, qui iam delicijs non delectamur & epulis, qui diuitias spernimus, & pretiosis non gloriamur in vestibus. Si hæc dicant perditi homines, confundi non debent sancti. O quàm indignum est, atque præposterum, vt iusti confundantur in bonis, & peccatores glorientur in malis! Ne ergo stultorum hominum vanissimus sermo te confundat. Quid nobis obest si vituperent hi, quorum non plus vituperatio prodest, quàm obest laudatio? Non eorum laudibus delectemur; qui nō alios quàm sibi similes laudant. Nobis igitur detrahentibus cunctis, & vituperantibus simus sobrij, sancti, & humiles, & Deum semper fideli corde precemur, vt ipse semper in nostra mente sit, & lex eius nostro semper in pectore, vt possimus prophetica voce loqui: Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, ego autem orabam pro eis. Et alibi: Humiliaui in ieiunio animam meam, & factum est mihi in opprobrium. Et posui vestimentum meum cilicium, & factus sum illis in parabolam. Et iterum: Genua mea infirmata sunt a ieiunio, & caro mea immutata est propter oleum, & ego factus sum opprobrium illis. Viderunt me, mouerunt capita sua. Adiuua me Domine Deus meus. Vides ergo omnes prophetas, & sanctos, propter hoc semper hominum subsannationes pertulisse, quia Deo vellent fideliter seruire. Hoc & Apostolus ait: Fidelis sermo, in hoc enim laboramus, & maledicimur, quia speramus in Deum viuum, qui est Saluator omnium maxime fidelium. Cum fuerimus sapientes, graues, quieti, nunquam vanitatem, nunquam opera hominum loquentes, sine intermissione legem Domini meditantes, subtrahentes nos ab omni fratre ambulante inordinatè; tunc cum hæc a nobis nostra virtute fuerint custodita, quicunque putauerit derogandum nobis, propheticæ simus sententiæ memores, per quam Dominus sui nominis causa tribulatos hortatur, dicens: Et tu fili hominis ne timueris eos, neque paueas a facie eorum: quoniam insanient, & cōuenient aduersum te. In gyro, & in medio scorpionum tu habitas, verba eorū ne timueris, & a facie eorum ne paueas. Et alibi dicit: Audite me qui nostis iudicium, populeus, in quorum corde lex mea est. Nolite timere opprobria hominum, & blasphemias eorum ne metuatis, quia sicut vestimentum deficient, & sicut lanam comedet eos tinea, iustitia autem mea in æternum erit. Salutare verò meum in sæculum sæculi. Seruandum prę omnibus, ne alterius laudem velimus seruare, quàm Christi, vt & nos cum propheta possimus dicere: Apud te laus mea in Ecclesia magna. Et iterum: Tanquam prodigium factus sum multis, & tu adiutor fortis. Et iterum: Maledicent illi, & tu benedices. Qui insurgūt in me confundantur, seruus autem tuus lætabitur in te.

Psal. 34. *Psal. 60.* *Psal. 108.* *Psal. 70.*

11 In cap. 5. Ecclesiastes. tomo 7.

IDEM explicans verba illa; Et quidem in omnes sermones quos loquentur impij ne dederis cor tuum, vt non audias seruum tuū maledicētem tibi, inquit: Fac quæ præcepta sunt tibi, & sapientiæ auxilio confortatus, vel ad bona, vel ad mala præpara cor tuum, & nō curas quid de te loquantur inimici. Quomodo enim prudētis viri est murmurantē famulum non audire, nec curiosè aurem apponere, quid

de se

de se loquatur absente. Si enim hoc fecerit, semper in tribulatione erit: & ad musitationem serui iracundia commouebitur. Sic & sapientis hominis est sapientiam prę uiam sequi, & vanos non considerare rumores. Sed & alio exemplo docet penitus non curandum iusto homini quid homines loquantur dicens. Quomodo nouit conscientia tua, quod tu de multis locutus es, & sæpe alij detraxisti: Sic & alijs debes ignoscere detrahentibus. Ideo ait: Etenim frequenter scit cor tuum quia, & tu maledixisti alijs.

12 Lib. contra secundum Manicheū tomo 6.

AVGVSTINVS quia Manichei aiebāt: Augustinum a sua recessisse secta timore, vel cupiditate ductus inquit: Quod de animo meo verum non sentis: facile contemno. Hoc enim sentis, quod etsi in me non agnosco, fieri tamen potest, vt sit in homine. Ergo etiam si erras in me, non tamen ita erras, vt me de numero hominum eximat tua opinio, quia id de me credis quod fieri potest in animo humano etiā si non sit factum in animo meo. Nec igitur opus est, vt tibi hanc suspitionem magnopere coner auferre. Senti de Augustino quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset. Quid enim ait Apostolus? mihi minimū est, vt a vobis iudicer aut ab humano die. Ego autem vicem tibi non rependam: vt de tua mente aliquid existimare in malam partē audeam, quod intueri non valeo.

2. Cor. 4.

13 Lib. secūdo contra literas Petiliani tomo 7.

IDEM ait: Malorum permixtio corporalis me nulla turbat, sed noui dicere fusci pe seruum tuum in bonum, non calumnientur me superbi. Non ergo curo vanum calumniatorem, quia idoneum teneo promissorem.

Psal. 118.

14 Lib. tertio contra literas Petil.

IDEM sic habet: Et nos quidem charissimi cum falsa crimina audimus, ab eis, quos offendimus prædicando, eloquia veritatis habemus: sicut nostis abundantissimam consolationem. Nam si in eis, quibus me criminantur, testimonium conscientiæ meę non stat contra me in cōspectu Dei, quo nullus oculus mortalis intenditur, non solum contristari non debeo, verum etiam gaudere, & exultare: quia merces mea multa est in cælo. Neque enim inuendum est quàm sit amarum, sed quàm falsum, quod audio. Cur itaque feramus indigne quòd nos infamant, qui gloriæ Christi sic detrahunt. Dicant quod volunt, dum ille nos exhortetur dicens: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati estis cum maledixerint vobis homines, & dixerint omne malum aduersus vos mentientes propter me, & propter iustitiam: quia factus est nobis Deus sapientia, & iustitia, & sanctificatio & redemptio, vt quemadmodum scriptum est, qui gloriatur in Domino glorietur. Qui cum dicat, gaudete, & exultate quoniam merces vestra multa est in cælo, si quod dictum est propter iustitiam, & propter me, tu bona conscientia teneō, quisquis volens detrahit famæ meæ, volens addit mercedi meæ. Si patrem familias

Matth. 5.

2. Cor. 10.

Matt. 10.

Beelzebub vocauerunt, quanto magis domesticos eius? ergo toleramus, & conregnabimus. Si autem non aurem solam percutit iracundia criminantis, verum etiam conscientiam mordet veritas criminis, quid mihi prodest si me totus mundus continuis laudibus attollat? Ita nec malam conscientiam sanat preconium laudantis, nec bonam vulnerat conuinciantis opprobrium.

15 In Psal. 3. tomo 8.

IDEM explicans verba illa; Dentes peccatorum contriuisti ait: Habet vnusquisq; maledicētes sibi, habet etiam vitiorum auctores conantes eum a Christi corpore pręcidere, sed Domini est salus cum hæc patiuntur iusti, & super populum tuum benedictio tua.

16 In Psal. 9.

IDEM explicans verba illa; Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam inquit: Infirmabuntur, & peribunt a facie tua inimici, qui me persequuntur. Quare infirmabuntur, & peribunt? Quoniam fecisti iudicium meum, & causam meam. Idest iudicium illud, in quo iudicari visus sum, meum fecisti. Et causam illā, in qua me iustum & innocentem homines condemnauerunt, meam fecisti. Hac enim vsi sunt ad nostram liberationem, sicut & nautæ dicunt ventum suum, quo vtuntur ad bene nauigandum.

17 In Psal. 54.

IDEM explicans verba illa; Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum a voce inimici, & a tribulatione peccatoris ait: Exercitationem suam vocat homines malos, quos patitur, in illa exercitatione contristatus est, & conturbatus. Ne putetis gratis esse malos in hoc mundo, & nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo viuit, vt corrigatur, aut ideo viuit, vt per illum bonus exerceatur. Vtinam ergo, qui nos modo exercent, conuertantur, & nobiscum exerceantur.

Infra: Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Quid pateris? quid gemis? contristatus sum in exercitatione mea. Exerceri me quidem inter malos posuisti: sed nimis exurrexerunt supra vires meas. Tranquilla perturbatum, manum extende mergenti. Cum aliquid tale patitur Christianus, non debet facile velut odio ire in eum a quo patitur, & velle ventum vincere, sed conuertere se ad orationem, ne amittat dilectionem. Neque enim timendum est, ne aliquid faciat homo inimicus. Quid enim facturus est? Multa mala dicturus, opprobria iaculaturus, in conuitijs sæuiturus, sed quid tibi? Gaudete inquit, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælis. Ille in terra geminat conuitia, tu in cælo lucra.

Matt. 5.

18 In Psal. 90.

IDEM exponens verba illa; Quoniam ipse liberabit me de laqueo venantium, & a verbo aspero dicit: Multos per verbum asperum misit diabolus in laqueū. Verbi gratia. Qui voluerint esse pagani inter Christianos, insultores patiuntur paganos, erubescunt inter insultores, & a verbo aspero recedentes de via, incidunt in laqueos venantium, & quid tibi fa-

ɖurum eſt verbum aſperum? Nihil. Nunquid
nihil tibi facturus eſt laqueus, quo te compel-
lit inimicus per verbum aſperum? Quomodo
retia plerumque tenduntur ad caput ſepis, ten
duntur auibus, & lapides mittuntur in ſepem,
lapides illi nihil ſunt facturi auibus, quando
enim ferit auem, qui lapidem mittit in ſepem?
Timens autem auis inanem ſonum cadit in re-
tia; ſic homines timentes inſultatorum verba
vana, & inania, & erubeſcentes conuitijs ſu-
perfluis: cadunt in laqueos venantium, & ca-
ptiuantur a diabolo. Infra: Quomodo in
ter paganos, qui fuerit Chriſtianus, a paganis
audit verba aſpera, cadit in laqueum venan-
tium: ſic & inter Chriſtianos, qui voluerint eſ-
ſe diligentiores & meliores, ab ipſis Chriſtia-
nis audituri ſunt inſultationes. Sunt enim
multi male viuentes Chriſtiani inter quos, qui
voluerit bene viuere, & inter ebrioſos ſobrius
eſſe, & inter luxurioſos caſtus, patitur inſul-
tatores ipſos Chriſtianos, & patitur verba
aſpera, & dicunt, tu magnus, tu iuſtus, tu es
Helias, tu Petrus, tu de cælo veniſti, inſultant,
quocunque ſe verterit, audit hinc atque inde
verbum aſperum. Quod ſi timet, recedit a
via Chriſti Dei: cadit in laqueos venantium,
Quomodo autem cum audiuntur hæc verba;
non receditur à via? Quādo audit verba aſpe-
ra, vnde ſibi habet facere ſolatium, vt non cu-
ret verba aſpera, nec recedat à via, & intret
per ianuam? Dicat qualia verba audio ſeruus
peccator? Dominus meus audiuit dæmonium
habes. Non opus erat vt Ieſus hoc audiret; ſed
te monuit aduerſus verba aſpera, ne incidas
in laqueos venantiū. Inter ſcapulas ſuas obū-
brabit tibi, & ſub alis eius ſperabis. Hoc di-
cit ne tua protectio à te tibi ſit, ne putes quia
tu te potes protegere. Ille te proteget, vt e-
ruat de laqueo venantium & à verbo aſpe-
ro. In alis Dei ſtans non timebis, ne quis tibi
noceat, tantum tu noli inde recedere, quo nul
lus inimicus audet accedere.

19 IDEM ſic ait: Chriſtus dormiebat in na- *Tract. 49. in Ioā. to. 9.*
ui, & cum periclitarentur diſcipuli iam im-
minente naufragio acceſſerunt ad eum; & ex-
citauerunt eum, Surrexit Chriſtus, imperauit
ventis & fluctibus: & facta eſt trāquillitas ma- *Matth. 8.*
gna. Sic & tu, intrant venti cor tuum vtique
vbi nauigas, vbi hanc vitam tanquam procel-
loſum & periculoſum pelagus tranſis, intrant
venti mouent fluctus, turbāt nauem. Qui ſunt
venti? Adiſti conuicium, iraſceris, conuicium
ventus eſt; iracundia fluctus eſt. Periclitaris,
diſponis reſpondere, diſponis maledictum ma-
ledicto reddere, iam nauis propinquat nau-
fragio. Excita Chriſtum dormientem, ideo
enim fluctuas, & mala pro malis reddere præ-
paras: quia Chriſtus dormit in naui. In corde
enim tuo ſomnus Chriſti obliuio fidei: nam ſi
excites Chriſtum ideſt recolas fidem; quid ti-
bi dicit tanquam vigilans Chriſtus in corde
tuo. Ego audiui dæmonium habet, & pro eis
oraui. Audit Dominus & patitur: audit ſeruus
& indignatur?

20 GREGORIVS explicans verba illa, ſi *Lib. 22. mo. cap. 5. to. 1.*
vidi ſolem cum fulgeret, & lunam incedentem *Iob. 31.*
clare dicit: Ne immoderatis laudibus eriga- *Cap. 31.*
mur, plerumq. miro rectoris noſtri modera-
mine etiam detractionibus lacerari permitti-
mur, vt cum nos vox laudantis euolat: lingua
detrahentis humiliet, quia & arbor ſæpe quæ
vnius venti impulſu ita impellitur, vt pene
iam erui poſſe videatur, alterius e diuerſo ve-
nientis flatu erigitur, & quæ hac ex parte in-
flexionem pertulit, ab alia ad ſtatum redit.
Vnde & illa arbor alte radicata quaſi inter ad
uerſantes vētos fixa ſteterat, quæ dicebat: per
gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & *2. Cor. 6.*
bonam famam.

21 IDEM explicās illa verba Iob 35. cap. Ho *Lib. 26. mo. cap. 5.*
mini qui ſimilis tui eſt nocebit impietas tua
dicit: Reproborum nequitia trituræ more e-
lectorum vitam quaſi grana à paleis ſeparans
premit, vt purget. Mali enim bonos magis ab
huius mundi deſiderijs expediunt dum affli-
gunt; quia dum multa eis hic violenta ingerūt,
feſtinare illos ad ſuperna compellunt. Quod
bene de Iſraelitico populo vocante Moyſe & *Exo. 3.*
Pharaone rege ſæuiente ſignatum eſt. Tunc
namque Moyſes ad vocandum miſſus eſt; cum
iam Pharao duris operibus ad opprimendum
fuerat excitatus, vt Iſraelitarum mentes Ægy
pto deformiter inhærentes, alius dum vocaret
quaſi traheret, alius quaſi impelleret dum ſæ-
uiret, & plebs in ſeruitio turpiter fixa, vel pro
uocata bonis, vel malis impulſa moueretur.
Hoc quotidie agitur, dum prædicatis cæleſti-
bus præmijs, ſæuire in electos reprobi permit-
tuntur, vt ſi ad repromiſsionis terram voca-
ti exire negligimus, preſſuris ſaltem ſæuienti-
bus impellamur; atque hæc Ægyptus, videli-
cet vita præſens, quæ nos oppreſſit blandiens,
adiuuet premens, & quæ dum fouit ſeruitutis
iugo contriuit, libertatis viam dum cruciat,
oſtendat. Hæc vtique cauſa eſt quòd ab iniu-
ſtis iuſti ſinantur affligi; vt ſcilicet dum futura
audiunt bona, quæ cupiant, patiantur etiam
mala præſentia, quæ perhorreſcant, atque ad
faciliorem exitum, dum amor prouocat, cru-
ciatus impellat.

22 IDEM exponens verba illa; Ne timeas eos *Hom. 9. in cap. 2. Eze. tomo 2.*
neque Sermonem eorum metuas inquit; Præ-
cipit Dominus Prophetæ ne derogationis ver
ba pertimeſcat. Cur autem linguas derogan-
tium timere non debeat, etiam cauſa ſubiun-
gitur cum protinus ſubinfertur: Quoniam in-
creduli, & ſubuerſores ſunt tecum: & cum ſcor-
pionibus habitas; Timendi enim eſſent ſi qui-
bus loqui mittebatur, ſi in fide, & opere Deo
omnipotenti placuiſſent. Quia autem incre-
duli, & ſubuerſores ſunt in ſuis ſermonibus
derogantes, timendi non ſunt; quia ſtultum
eſt valde ſi illis placere quærimus, quos non
placere Deo ſcimus. Debent enim haberi in
metu, & reuerentia iudicia iuſtorum, quia
membra Dei omnipotentis ſunt; & hoc ipſi in
terra reprehendunt, quod Dominus redarguit
e cælo. Nam peruerſorum derogatio vitæ no-
ſtræ

ſtræ approbatio eſt: quia iam oſtenditur iā ali-
quid iuſtitiæ nos habere, ſi illis diſplicere inci-
pimus, qui non placent Deo. Nemo enim po-
teſt in vna eademq. re omnipotenti Domino,
atque eius hoſtibus gratus exiſtere. Nam Deo
ſe amicum denegat, qui eius placet inimico:
Inimicis veritatis aduerſabitur, qui eidem ve-
ritati in mente ſubiugatur. Vnde ſancti viri
in vocis liberæ increpatione ſuccenſi, eos ad
ſua odia excitare non metuunt, quos Deū non
diligere cognoſcunt. Quod propheta ardēter
exhibens creatori omnium quaſi in munere *Pſal. 138.*
obtulit, dicens: Nonne qui oderunt te Domi-
ne oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebā.
Perfecto odio oderā illos, & inimici facti ſunt
23 mihi. Ac ſi apertè dicat: Penſa quantum te di-
ligo, qui tuorum hoſtium excitare contra me
inimicitias non pertimeſco. Hinc iterum di- *Pſal. 37.*
cit: Qui retribuunt mala pro bonis detrahe-
bant mihi, quoniam ſequebar bonitatem. Bo-
num valde eſt, quod iuſtus tribuit, quādo ma-
le agentibus libera voce contradicit. Sed per-
uerſi mala pro bonis retribuūt, cum iuſtis de-
rogant, quia contra eos iuſtitiæ defenſionem
ſeruant. Non enim iuſti humana iudicia, ſed
æterni iudicis examen aſpiciunt, atq; ideo de-
rogantium verba contemnunt. Hinc etenim
derogātibus Corinthijs Paulus dicebat: Mihi *1. Cor. 4.*
autem pro minimo eſt, vt a vobis iudicer, aut
ab humano die. Hinc beatus Iob cum amico- *Iob 16.*
rum derogantium linguas, inter dolores vul-
nerum pateretur iacula verborum, cogitatio-
ne protinus ad conſcientiam recurrit, atque
vbi mentem ſolidam haberet reſpexit, dicens;
Ecce enim in cælo teſtis meus, & cōſcius meus
in excelſis. Qui etiam ſubdidit; Verboſi ami-
ci mei, ad Deum ſtillat oculus meus. In omne
enim quod de nobis dicitur, ſemper taciti re-
currere ad mentem debemus interiorem teſtē
& iudicem quærere. Quid enim prodeſt, ſi om-
nes laudent, cum cōſcientia accuſet? Aut quid
poterit obeſſe, ſi omnes nobis derogent, & con
ſcientia ſola nos defendat? Beatus ergo Iob in-
ter linguas derogantium inflexa mente perſi-
ſtens, quia in terra ſe impugnari falſis ſermo-
nibus vidit, in cælo teſtem quæſiuit. Hinc Iſa- *Iſa. 3.*
ias ait: Popule meus qui te beatificant ipſi te
decipiunt, & viam greſſuum tuorum diſsipāt.
Qui videlicet populus ne verba ſuæ laudis at-
tenderet, & in culpis altius periret, ſtatim ei
dicitur: Quem aſpiciat, cuius iudicium perti-
meſcat, cum ſubditur: Stat ad iudicandum Do
minus, ſtat ad iudicandos populos. Ac ſi aper-
te diceretur: Iudicia humana cur ſequeris, qui
ſtare ſuper te cæleſtem iudicem ſcis? Hinc eſt,
quod Ioannem Baptiſtam veritas eſſe arundi- *Matt. 11.*
nem vento agitatam negat, dicens: Quid exi-
ſtis in deſertum videre? arundinem vento agi-
tatam? Arundo autem vento agitata, modò
flatibus erigitur, modò flatibus inclinatur.
Omnis autem infirmus animus, qui vel dero-
gatione deijcitur, vel laudibus exaltatur, arū-
24 do vento agitata eſt. Quod Ioannes non erat,
qui inflexibilem mentis verticem inter laudes
hominū, & derogationes tenebat. Sed magna
inquiſitione res indiget, cum recti operis viā
tenemus, vtrum ſemper deſpicere derogantiū
verba debeamus, an certè aliquando compe-
ſcere. De qua re ſciendum eſt, quia linguas de-
trahentium ſicut noſtro ſtudio non debemus
excitare, ne ipſi pereant: ita per ſuam malitiā
excitatas debemus æquanimiter tolerare, vt
nobis meritum creſcat. Aliquando autem etiā
compeſcere, nedum de nobis mala diſſemināt,
eorum, qui audire nos ad bona poterant, cor-
da innocentium corrumpant. Hinc eſt enim,
quod Ioannes obtrectatoris ſui linguam redar
guit, dicens: Is qui amat primatum gerere in
eis Diotrephes non recipit nos, propter hoc ſi
venero commoneam eius opera, quę facit ver-
bis malignis garriens in nos. Hinc Paulus ite-
rum de detrahentibus Corinthijs loquitur, di- *2. Cor. 10.*
cens: Epiſtolæ, inquiunt, graues ſunt, & for-
tes, præſentia autem corporis infirma, & ſer-
mo contemptibilis. Hoc cogitet qui huiuſmo-
di eſt: quia quales ſumus verbo per epiſtolam
abſentes, tales & præſentes in opere. Hi ete-
nim, quorum vita in exemplo imitationis eſt
poſita, debent ſi poſſunt detrahentium ſibi ver
ba compeſcere, ne eorum prædicationem non
audiant qui audire poterant, & in prauis mo-
ribus remanentes bene viuere contemnant.
Sed hac in re ſubtili inquiſitione neceſſe eſt, vt 25
ſemetipſum animus inueſtiget, ne fortaſſe ſuæ
laudis gloriam quærat, & animarum lucra ſe
quærere noſtra cogitatio ſimulet. Sæpe ſuæ
gloriæ defenſione cōtra detrahentes iraſcitur,
& fingit ſibimet quòd hoc ex eorum zelo fa-
ciat, quorum corda a bono itinere detrahētis
ſermo perturbat. Illi ergo debent magnopere
curare, ne contra eorum opinionem detrahen
tium verba præualeant, qui ſuam cōſcientiam
ſubtiliter diſcutientes, ſe in ea inueniunt de a-
more priuatæ gloriæ nihil habere. Iuſti itaque
ſicut ſine arrogantia loquuntur aliquando bo-
na quæ agunt, ita ſine zelo priuatæ gloriæ de-
trahentium ſibi linguas redarguunt, quia no-
xia loquuntur. Cum verò linguæ detrahentiū
corrigi nequeunt, æquanimiter ſunt per om-
nia tolerandæ. Nec obtrectationis ſermo ti-
mendus eſt, nedum vituperatio peruerſorum
metuitur, recti operis via deſeratur. Vnde nūc
Ezechieli prophetæ dicitur: Sermones eorum *Cap. 2.*
ne metuas, quia increduli & ſubuerſores ſunt
tecum, & cum ſcorpionibus habitas. Scorpio
palpando incedit, ſed cauda ferit. Nec mordet
a facie, ſed a poſterioribus nocet. Scorpiones
ſunt omnes blandi, & malitioſi, qui bonis qui-
dem in faciem non reſiſtunt, ſed mox vt receſ-
ſerint derogant. Scorpiones ſunt, qui blandi
& innoxij in facie videntur, ſed poſt dorſum
portant vnde venenum fundant. Vnde bene
etiam per Pſalmiſtam dicitur: Circundederūt *Pſal. 117.*
me ſicut apes. Apes enim in ore mel habent;
in aculeo caudæ vulnus. Et omnes qui lingua
blandiuntur, ſed latenter ex malitia feriunt,
apes ſunt: quia loquendo dulcedinem mellis
proponunt, ſed occultè feriendo vulnus infe-
runt.

runt. Ista vero facientes exardescũt, sicut ignis in spinis, quia per flammas detrahentium, non iustorum vita comburitur, sed si quæ in eis esse poterant peccatorum spinæ concremantur.

26 Serm. 24. in Cantica. BERNARDVS explicans illa verba; Recti diligunt te, inquit: Propter murmurantes, & blasphemantes dicitur, ab his quę bonæ, quæ simplices, quæ humiles, & mansueræ sunt, ab his inquam dicitur sponsæ consolandi gratia, recti diligunt te. Non sit tibi, inquiunt, cura de iniqua reprehensione blasphemantium, cum constet, quia recti diligunt te. Bona profecto consolatio cum blasphemamur a malis benefacientes, si recti diligant nos. Omnino sufficit aduersus os loquentium iniqua, opinio bonorum cum testimonio conscientiæ. Psal. 33. In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur. Mansueti, inquit, lætentur, mansuetis placeam, & æquanimiter audio quicquid in me iactare voluerit liuor perditorum. Ergo in hoc sensu puto appositum, recti diligunt te. Nec absurdè vt æstimo, cum vbique penè in choro adolescentularum tales inueniam, quæ acta sponsæ curiosè obseruent derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bonis seniorum suorum, malis pascuntur. Videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, moxq. laxare procaces linguas in detestandum susurrium.

Murmurationes maximè contra iustos & prælatos inferunt hominini multa nocumenta. Cap. XVI.

1 Homil. 7. in librum Numerorum. to. 1. Cap. 12. ORIGENES explicans verba illa; Quia detraxerunt Aaron, & Maria de Moyse correpti sunt. Maria verò etiam lepra afficitur, inquit: Tanta fuit cura correptionis huius, vt dum Maria septimanę tempus expleret in lepra, populus Dei non ageret iter ad terram promissionis, ne tabernaculum testimonij moueretur. Primo interim moneor, & vtiliter, ac necessario moneor ex hoc facto, ne detraham fratri, ne male loquar de proximo meo, ne aperiam os meum ad derogandũ non solum sanctis, sed & quibuslibet proximis meis. Vides quanta ex hoc indignatio Dei fuerit, quanta vindicta processerit. Denique aduersus peccatũ istud simili indignatione etiam in psalmis Deum commoueri videmus, & dicere: Sedens aduersum fratrem tuum detrahebas, & aduersus filiũ matris tuæ ponebas scandalum, &c. Arguam te, & statuam contra faciẽ tuam. Similiter autem & in alio psalmo ex persona iusti scientis hoc Deo quàm maximè displicere dicitur: Detrahentẽ secretò proximo suo hunc persequebar. Ex ijs igitur omnibus diuinæ Scripturæ sermonibus velut gladijs quibusdam vtrinque acutis obtrectãdi fratribus, & derogandi sanctis vitium resecemus. Lepra enim consequitur derogantes, & cacologos, id est, maleloquos. Siue ergo hæretici sunt, qui derogant Moysi, siue de Ecclesia sunt, qui detrahunt fratribus, & male loquuntur de proximis suis, omnes qui hoc vitio aguntur, dubitandum non est, quin leprosi sint in anima.

Infra: Ira furoris Domini facta est super illos, qui male loquuntur, & detrahunt. Veruntamen quod dicit, & nubes recessit a tabernaculo, & ecce Maria facta est leprosa, sicut nix, cõsiderandum diligentius est, quòd prius recedit nubes, & ita lepra repletur, vt ostendatur: quia etiam si est in aliquo gratia sancti Spiritus, & obtrectat, & detrahit, recedit ab eo post obtrectationem, & sic lepra repletur anima eius.

2 Hom. 13. in Psa. 36. to. 2. IDEM explicans verba illa; Quia benedicentes ei, hereditabunt terram, maledicentes autem ei, disperibunt, inquit: Qui benedicunt iustum, hereditabunt terram. Terram vtique fluentem lac, & mel, vbi sunt bona, quæ verè bona sunt, illam possidebunt, qui benedicunt iustum, maledicentes verò eum exterminabuntur. Et vobis parum videtur interdum male loqui de sanctis, & perleue vobis est dicere de seruis Dei: Ille talis, & talis est, ille fingit, & ille sæculum diligit, ille autem impostor est, non audis, quia qui maledicunt iustum, exterminabuntur? Aut si hoc parum vobis videtur, videte Deum alibi dicentem ad iustum: Inimicus ero inimicis tuis, & aduersãbor aduersarijs tuis. Videtis quanti periculi sit inimicari iustis, vel male loqui de sanctis. Si enim vere credimus illud, quod dixit Dominus de vno quoque seruorum suorum, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, & ea quæ addit, & dicit: quia quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, consequens est, vt & hoc dicat: Qui maledicebatis mihi, detrahebatis de me, & falsa aduersum me loquebamini, & accusabatis me. Et si dixerimus, Domine quando tibi maledximus, aut quando detraximus, aut quando falsa contra te locuti sumus? Tunc dicet ad nos: Amen dico vobis, quia quod fecistis vni ex meis minimis, mihi fecistis. Sicut enim dantes manducare vni ex istis, mihi fecistis, & dantes bibere vni ex istis, mihi dedistis, & sicut inuentem vnum ex istis, me induistis, ita maledicentes vni ex istis, mihi male dixistis, & si benedixistis, vel honorastis vnum ex his, mihi benedixistis, & me honorastis. Sicut & alibi nihilominus dicit: Qui vos recipit, me recipit, & qui vos spernit, me spernit. Propterea ergo contineamus linguam nostram, & seruos Domini admiremur, & benedicamus iustos, & nũquam detrahimus de eis, non aperiamus os nostrum ad male loquendum, ne fortè exterminemur, sed benedicamus, vt & nos benedictionem consequamur. Matt. 25.

3 In lib. regularium breuium in responsione 25 interrogationis BASILIVS vbi requirit quid est detractio, ait: Duo ego esse existimo tempora in quibus liceat secus aliquid de aliquo dicere, videlicet, & quando necesse habet consultare vna etiam cũ alijs, qui ad hoc idonei iudicati sint, quo pacto corrigendus sit, qui peccatum commisit. Et item, quando necessitas poscit vt periculo

riculo consulatur aliquorum, qui sæpenumero ex ignorantia commisceri possent cum malo tanquam cum bono, cum Apostoli præceptum sit; vt ne quis se cum his commisceat, qui istiusmodi sunt, ne quando capiat laqueos animæ suæ, quod quidem videmus eundem Apostolũ fecisse ex his verbis: Alexander ærarius multa mala mihi ostendit, quem & tu deuita. Valdè enim restitit verbis nostris. Extra autem huiusmodi necessitatem, qui aliquid secus de aliquo loquitur, illius insimulandi, vel vituperandi causa detractor est, esto verum sit quod lõquatur. Infra: Qui detrahit fratri, vel detrahentẽ auscultat, & tolerat, qualis ea animaduersione dignus est? Respondet: Exterminandi a reliquorum societate ambo. Detrahentem enim secreto proximo suo hunc persequebar. Et alibi dictum est: detrahentem nolito libenter audire, ne sustollaris. Infra: Si vero Antistiti etiam detraxerit, quo pacto cum illo nos geremus? Respondet: Manifestum est hoc quoque iudicium ex ira Dei aduersum Mariam, quando detraxit Moysi, cuius peccatum, ne ipso quidem Moyse deprecante inultum dimisit Deus.

2. Thess. 3. 2. Tim. 4. Psal. 10.

4 In lib. pœnarum contra monachos delinquentes. IDEM inquit: Si quis inuentus fuerit detrahens aliquibus, aut aliquos detrahentes audiens, & non increpans ipsos, aut indicans prælato, vnà cum ipsis excommunicetur.

5 Epistola 1. quæ est ad Demetriadem virginem. to. 9. HIERONYMVS sic ait: Nunquam detractio ex ore virginis procedat. Vilium satis hominum est, & suam laudem quærẽtium alios viles facere, quia alterius vituperatione se laudari putant, & qui suo merito placere non possunt, placere volunt in comparatione peiorũ. Parum diximus, non solum ipsa non detrahas, sed ne detrahenti quidem aliquando credas. Pessimum est hoc vitium, quod alterum vilem facit videri. Non minus auribus quàm lingua fugas detractionẽ. Scripturæ memor eris, quæ dicit: Nõ eris consentaneus detrogantibus aduersus proximum tuum, & non accipies super illo peccatum. Et alibi: Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam. Accusator est enim auditor, qui facit detractorẽ, qui si auertat aures, & vultum contrahat, ac oculos abnuendo contineat, male loquentem etiam tacens arguit, vt discat non libenter dicere, quod didicerit non libenter audiri. Apostolus breuiter oris vitia resecans ait: Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. Sed si quis bonus est, ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus. Eccli. 28. Eph. 4.

6 In c. 13. Proverb. to. 8. IDEM explicans verba illa; Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat, sic habet: Qui bonæ rei detrahit, se in futuram obligat, quia quod nõ debuit faciẽdo, pœnã sibi qua cõstringatur, præparat. Sed & is qui malæ rei detrahit, ipse se in futurũ obligat, vt post detractionem sese cautius agat, quia nimirũ quæ in alijs iuste reprehendit, in se impune non admittit, clamante Apostolo: Qui prædicas non furandum, furaris, qui prædicas non mœchandũ, mœcharis, qui abominaris idola, sacrilegium facis, qui in lege gloriaris, per prævaricationẽ legis Deum inhonoras. Qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Melius est ergo de sua quemq; fragilitate metuere, ne forte diuina prævaricetur imperia, quàm aliorum errata stulto ore lacerare. Dicente rursus Apostolo: Etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum, ne & tu tenteris. Rom. 2. Gal. 6.

7 Lib. 3. in c. 30. Prouer. IDEM explicans verba illa; Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis, vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus, dicit: Hi sunt, dei quibus psalmista ait: Filij hominum dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus. Ad hoc hi linguam armant, vt innocentes Christi, & humiles trucident. Psal. 56.

8 In c. 10. Ecclesiastes. tomo 5. IDEM explicans verba illa; In cogitatione tua regi ne detrahas, & in secreto cubiculi tui non maledixeris diuiti, quia & aues cęli portabunt vocem tuam, & qui habent pennas annunciabunt sententiam, ait: Simplex præceptum ædificat audientes, ne ira, & furore superati, in maledictum, & in detractionem regum, & principũ prorumpamus. Quia contra spem interdum euenit, vt in his quibus maledximus, & detraximus, nuncietur, & incurramus periculum immoderatione linguæ. Quod autem ait volucres cæli auferent vocem tuam, & habens pennas annunciabit verbum, hyperbolice intelligẽdum est. Quomodo solemus dicere etiam ipsos parietes, quibus conscijs loquimur, quæ audierint, non celaturos. Sed melius est sic audire præceptum, vt intelligamus, ne de sanctis facile detrahamus, & eos, quos viderimus, sapientia, scientia, virtutibusq. ditatos, linguæ mordacitate rodamus, quia Angeli qui terram circumeunt, & sunt ad ministratorij Spiritus, & in Zacharia loquuntur: Circuiuimus terram, & ecce omnis terra habitatur, & silet, & instar auium nostra verba, & cogitationes ad cælum perferunt, & quod clam cogitamus, Dei sententiam latere non sinunt. Zacha. 1.

9 In Ps. 100. to. 7. IDEM explicans verba illa; Detrahentẽ secreto proximo suo, hunc persequebar, sic ait: In tantum non oportet consentire detrahenti, vt etiam quantum in nobis est, prosequamur talem, prouidentes in vtroque vtilitatem, vt nec libenter audiamus, nec illum permittamus peccare. Tanta enim distantia est inter fornicantem, & detrahentem, vt ille qui fornicatur, se tantum occidat, ille autem qui detrahit, & se, & illum qui audit, demergat. Qui loquitur iniqua, non direxit in conspectu oculorum meorum. In tantum enim declinabam ab eo qui detrahebat proximo suo, vt nec illi crederem, nec audirem talem.

10 Lib. de amicitia. to. 4. AVGVSTINVS inquit: Plaga dolosa est occulta detractio, plaga serpẽtis est, & aspidis mortifera. Salomon: Si mordeat serpens in silentio, nihil illo minus habet, qui occulte detrahit. Quemcunque in hoc vitio assiduum Eccls. 10.

inuene-

inueneris, cauendus tibi est ille, nec eligendus
Num. 12. in amicum donec sanetur. Detrahere amico venenum amicitiæ putemus, quod Mariæ sororis Moysi corpus lepra fœdauit, & eiecta est extra castra sex diebus.

11 IDEM explicans verba illa; Nonne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem,
Enarrat. in ps. 52. to. 8. qui deuorant plebem meam sicut escam panis, inquit: Iste populus qui deuoratur, iste populus qui patitur malos, iste qui gemit, & parturit inter malos, ex filijs hominum filij Dei facti sunt, & ideo deuorãtur. Qui addidit in cibo panis? Tanquam panem manducant populũ meum. Cetera enim quæ manducamus, possumus modo illa, modo illa, nõ semper hoc olus, non semper hanc carnem, non semper hæc poma, semper autem panem. Quid est ergo deuorãt populum meum in cibo panis? Sine intermissione, sine cessatione deuorant, qui deuorant populum meum in cibo panis.

12 IDEM sic habet: Ad Dominum cum tri-
In Ps. 119. bularer clamaui, & exaudiuit me: Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa: quia cum homo cœperit disponere ascensum, hoc dico apertius, cum cœperit homo Christianus cogitare, proficere, incipit pati linguas aduersantium. Quicumque illas nondum passus est, nondum proficit: quicumque illas non patitur, nec conatur proficere. Vult nosse quid dicamus, immo quid audiamus similiter experiatur. Incipiat proficere, incipiat velle ascendere, velle cõtemnere terrena, fragilia, temporalia, felicitatem sæculi pro nihilo habere, Deum solum cogitare, lucris non gaudere, damnis non contabescere, omnia etiam sua velle vendere, & pauperibus tribuere, & sequi Christum. Videamus quomodo patiatur linguas detrahẽtium, & multa contradicentium. Ascensurus ergo contra ipsas linguas, primo Deum deprecatur, & ait: Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa. Alij cum quis virtutem aggreditur prohibendo deterrent, alij laudando plus premunt. 13 Infra: Sed consolare adhuc viuis inter iniquos, nondum area ventilata est. Putas quia triticum ventilatum est, & est iam in horreo? Adhuc necesse est, vt multa palea prematur. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar. Quicumq; in Ecclesia terrenam felicitatem quærunt a Deo: adhuc ad Ismael pertinent. Ipsi sunt qui contradicunt spiritualibus proficientibus, & detrahunt illis, & habent labia iniqua, & linguas subdolas. Contra quos rogauit iste ascendens, & appositi sunt ei carbones desolatorij, & sagittæ potentis acutæ, exempla videlicet sanctorum, quæ sunt carbones & sagittæ diuinæ scripturæ. Inter impios adhuc viuit, donec tota area ventiletur: ideo dixit, habitaui cum habitantibus Cedar. Nam & tabernacula Ismael Cedar dicta sunt.
Matt. 3. Ergo cum Ismael Isaac, idest, qui pertinent ad
Gen. 25. Isaac inter illos viuunt, qui pertinent ad Ismael. Isti sursum volunt ascendere, illi deorsum vellent premere. Isti volare volunt ad Deum, illi conantur pennas euellere, namque
Gala. 4. apud Apostolum ita dicitur: Sed sicut tũc qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Spiritales ergo persecutionem patiuntur a carnalibus. Sed quid dicit Scriptura: Eijce ancil-
Gen. 21. lam, & filium eius, non enim erit heres filius ancillæ cum filio meo Isaac. Sed hoc quod dicit eijce, quando erit? Quando area cœperit ventilari. Modo autem antequam eijciatur, dicit: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitaui cum habitantibus Cedar. Si nunc mali a bonis separari non possunt: ferendi sunt ad tempus. Mali in area nobiscum esse possunt, in horreo non possunt. Et forte hodie qui mali apparent, cras boni erunt, & qui de bonitate hodie superbiunt, cras mali inuenientur.

14 IDEM explicans verba illa; Sicut vnguẽ-
In Ps. 132. tum in capite, quod descendit in barbam, &c. inquit: Barba nõ intelligitur nisi in perfectis. Non ergo habitãt in vnum, nisi in quibus perfecta fuetit charitas christiana: nam in alijs, & cum in vno sint, non in vno habitant. Ergo si sunt, odiosi sunt, molesti sunt, turbulẽti sunt, anxietate sua turbant ceteros, quomodo in iunctura inquietum iumentum non solum nõ trahit, sed & frangit calcibus quod iunctum est, si autem habet rorem Hermon, qui descendit super montem Sion, quietus est, placidus, humilis, tolerans, pro murmure preces fun-
Eccli. 33. dens. Nam murmuratores omnes magnifice descripti sunt quodã loco scripturarum: Præcordia fatui, sicut rota carri. Quid est præcordia fatui, sicut rota carri? Fœnum portat, & murmurat. Non enim potest rota carri quiescere a murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in vnum nisi corpore. Iusti pertinent ad barbam, ad oram vestimenti, ad montem Sion, & si sunt ibi alij murmuratores, memi-
Matt. 24. nerint dictũ Domini: Vnus assumetur, & vnus relinquetur.

15 IDEM sic ait: Nec tacẽda sunt mala pro-
Lib. de conflictu vitiorum & virtutum. to. 9. ximi, nec consentienda, sed charitate fraterna in faciem proximus est redarguendus, non autem occultè detrahendus. Quod si obijcitur idcirco fratrem coram oculis increpare nolle, ne exasperatus increpatione non proficiat, sed magis ex correptione scandalum sumat, occurrat Scriptura diuina, & versa vice hoc magis
Psal. 49. scandalum esse denunciet, dicens: Sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris meæ ponebas detractionem. Maius enim scandalum sumit, qui se detrahentem intelligit, quàm qui corripiẽtem sustinet. Et quia nonnunquam errata delinquentium, ad tempus silentio tegenda sunt, vt aptiori tẽpore corrigãtur, propterea subiungitur: Hæc fecisti, & tacui. Ne autem ex hoc discreto silentio detractores sibi applauderent, qui dum semper occultè derogare malunt, nunquam in apertam increpationem prosiliunt, adhuc subinfertur: Existimasti inique quòd ero tui similis,

similis, ac si diceretur. Iniquum est cogitare, vt inde detractoris similis appeream: vnde ad tempus reticens, nec derogans locum apertæ correptionis expecto. Vnde & protinus, subditur: Arguam te & statuam te contra faciem tuam. Veluti diceretur. Non occulte, vt est tua consuetudo, sed in aperto, vt est mea sollicitudo, aptum corrigendi tempus expectans, peccatorem arguam, vt eius delicta contra faciem eius statuam. At inquis non odio, sed amo: quem ita in absconditis dijudicans reprehendo. Immo magis hinc odis, & non diligis, vnde detrahis, & non corripis. Quam
Psal. 100. sit autem detestanda detractio proximi, plerisq. in locis diuina eloquia testantur, vt est illud: detrahentem secreto proximo suo hunc
Iaco. 4. persequebar. Et iterum: Qui detrahit fratri, detrahit legi. Et illud: Qui detrahet fratri, eradicabitur. Necnon & illud Apostoli: Vi-
Gal. 5. dete nedum inuicem mordetis, & comeditis, ab inuicem consumamini.

16 IDEM explicans verba illa Psalmi 49.
Li. quinquagesima hom. homil. 2. tomo 10. Sedes aduersus fratrem tuum detrahebas, &c. vsque ad hoc, constituam te ante faciem tuam
Psal. 49. sic habet: Frequenter fratres, cum psalmista cantamus versiculum illum, per quem detractores spirituali gladio feriuntur. Sic enim ait: Sedens aduersus fratrem tuum detrahebas: & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Quod autem dixit: Sedens, ostendere voluit: quod nõ transitorie detraxerit, nec ei surreptum sit passione quadam subita, vt malum de proximo loqueretur. Sedens, idest ex otio, quasi ad hoc vacans, vt derogaret proximo suo.

17 IDEM explicans decem plagas, quas Do-
Serm. 87. de tempore. minus intulit Ægypto inquit: Quod autem locustarum in octauo loco fit mentio, puto per hoc genus plagæ detrahentis inconstantiam designari. Infra: Animal dente noxium, & significatur in eis superbia hominum malignorum, qui se inuicem falsis testimonijs & proditionibus persequuntur. De quibus
Galat. 5. Apostolus dicit: Si inuicem mordetis, & comeditis, videte ne ab inuicem consumamini.

18 IDEM sermone de murmuratione, & de-
Serm. 26. ad fratres in eremo. tractione dicit: Demorantibus nobis in eremo, murmuratores, detractores, vel susurro-
Galat. 5. nes esse non debemus, scientes quòd tales regnum Dei non consequentur. Omnis murmuratio procul sit a nobis: considerantes quid
Num. 12. Mariæ & Aaron acciderit, propter murmurationem, eo quòd murmurarint, quia Moyses vxorem Æthiopissam duxerit. Et ait Dominus Aaron & Mariæ: Egredimini ad tabernaculum fœderis. Quibus peruenientibus ait Dominus: Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi? Et ecce Maria statim repleta est lepra, cadens super eam quasi nix. Quam videns Moyses exclamauit ad Dominum, dicens: Deus meus obsecro sana eam. Cui respondit Dominus: Separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur ad pristinam sanitatem. Maria hæc animam subditorum significat, quando contra prælatum murmurat, & murmurando leprosa efficitur, quod apparet, dum culpa eius publicatur. Sed bonus pastor clamat, obsecro Domine sana eam, quia lepra murmurationis plena est. Reuoca eam, quia a consortio fidelium tuorum separata est. Sicut lepra proprium corpus deuorat, & sibi adhærentes inficit, sic & murmurator non solum seipsum destruit, sed etiam cunctos audientes inficit, & occidit. Infra: Murmurauerunt, & Augustino detraxerunt presbyteri mei, & a domo mea expulsi sunt. Vos autem orate pro illis: vt sanatos ad cõmunionem Ecclesiæ hypponẽsis reuocare possimus illos. Expuli eos sicut Adam e paradiso pulsus est, vt resipiscant. Sic & vos facere cupio fratres: nam etsi aliquando murmuraſtis, vel peccastis, quod est conditio cunctorum viuentium, erubescite. Murmurantes autem detrahentes secreto proximo suo, & mala portantes in cordibus suis, expellet eos Dominus de paradiso. Dedit nobis præcepta, vt toto 19
corde Deum diligamus, & proximum. Sed quomodo diligere eum possumus, si susurrones, & detractores in eremo facti sumus? O quàm pestis misera, & mortalis est ipsa murmuratio: ò quàm venenosa. Hæc enim est, quæ conuentus clericorum, & ciuitates multas destruxit. Et quia grande periculum est inter murmuratores habitare, ideo expellendi sunt tales ne ceteri corrumpantur per eos. Tertia enim lingua multa mala committit: ideo si correcti non se emendauerint, de ve-
Eccli. 28. stra sancta societate expellantur. Quia qui putat se religiosum esse nõ refrænans linguam suam: huius vana est religio. Deponite murmura, claudite infra dentes linguam, ponite custodiam ori vestro, & silete. Murmu-
Iacobi 1. rare & detrahere, & despicere hypocritarum est conditio, & ignorantium. Murmurare denique, & detrahere hypocrita non satiatur: de omnibus maledicens, vt ipse solus ab omnibus prædicetur beatus. O hypocrita caue ne ad mensam meam peruenias. Nam ibi antequam aliquid sumas, lectio mea tibi primo legetur. Quid enim primo in mensa mea descripsi? Quid primo in ea habere, vel audire desidero? Quid primo in ea seruare præcipio, nisi quod quisquis amat dictis absentem rodere famam, hanc mensam indignam nouerit esse sibi?
Qua propter fratres, si quis murmurare desiderat, nõ solum ad nostram Apostolicam congregationem, sed nec ad mensam nostram accedere præsumat.

Mur-

Murmurare, & consentire murmuranti, multa habet inconuenientia. sicut & discordias seminare, quod frequens est malum. Cap. XVII.

1 Epist. 4. quæ est ad Rusticũ monachũ. to. 1. Psal. 49.

HIERONYMVS sic habet: Nũquam homines detractores audias; nec illis appliceris, nec declines cor tuum in verba malitiæ, & audias, sedens aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum. Et iterum: Filij hominum dentes eorum Psal. 56. arma, & sagittæ. Et alibi: Molliti sunt sermones eius super oleum, & ipsi sunt iacula. Psal. 54. Et apertius in Ecclesiaste, sicut mordet serpẽs Cap. 10. in silentio, sic qui fratri suo occulte detrahit. Sed dices, ipse non detraho alijs loquentibus quid facere possum? Ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus. Christus arte non illuditur. Nequaquam mea, sed Apostoli sententia est. Nolite errare, Deus non irridetur. Ille in corde, nos videmus in Prou. 25. facie? Salomon loquitur in Prouerbijs: Ventus aquilo dissipat nubes, & vultus tristis linguas detrahentium. Sicut enim sagitta si mittatur contrà duram materiam, nonnunquam in mittentem reuertitur, & vulnerat vulnerantem, illudq. completur. Facti sunt mihi Eccli. 27. in arcum prauum. Et alibi: Qui mittit in al- Psal. 77. tum lapidem recidet in caput eius: ita detractor cum faciem tristem viderit audientis, immo ne audientis quidem, sed obturantis aures suas, ne audiat iudicium sanguinis, illico conticescit, pallet vultus, hærent labia, saliua siccatur. Vnde idem vir sapiens, cum detractoribus, inquit, ne miscearis: quoniam repente veniet perditio eorum, & ruinam vtriusque, quis nouit? Tam scilicet, eius qui loquitur, quàm illius qui audit loquentem. Veritas angulos non amat, nec quærit susurrones. Quia homines sumus si me vis corrigere delinquentem aperte increpa; tantum ne occulte mordeas. Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Et per Isaiam clamat Dominus: Populeus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & semitas pedum tuorum supplantant. Quid enim mihi prodest, si alijs mala referas mea? Si me nescietę peccatis meis, immo detractionibus tuis alium vulneres, & cum certatim omnibus narres, sic singulis loquaris quasi nulli dixeris alteri? Hoc est non me emendare, sed vitio tuo satisfacere.

2 Lib. 2. in ca. 25. Prouer. tomo 7.

IDEM exponens verba illa; Ventus aquilo dissipat pluuias: & facies tristis linguam detrahentem, inquit: Si hilari vultu audieris detrahentem, tu illi das fomitem detrahendi: si vero tristi vultu hæc audias, vt dixit quidam vir Dei, discit non libenter dicere quod didicerit non libenter audiri.

IDEM explicans verba illa; Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit, sic habet. Simplex hic sensus est, serpens & detractor æquales sunt. Quomodo enim ille occulte mordens venenum inserit, sic iste clam detrahens virus pectoris sui infundit in fratrem, & nihil habet a serpente amplius. Cum enim lingua hominis ad benedicendum Deum, & ædificationem proximi sit creata: ille eam serpenti æqualem facit, dum virtutibus eius in peruersum abutitur.

3 In cap. 10. Ecclesiast.

AVGVSTINVS dicit: collaudans Monicam matrem suam. Hoc quoque illi Deus meus, misericordia mea munus grande donaueras: quod inter dissidentes atque discordes quaslibet animas, vbi poterat tam se prębebat pacificam, vt cum ab vtraque multa de inuicem audiret amarissima, qualia solet eructare turgens atque indigesta discordia, quãdo præsenti amicæ de absente inimica per accida colloquia cruditas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, nisi quod ad eas reconciliandas valeret. Paruum hoc bonum mihi videretur, nisi turbas innumerabiles tristis experiret nescio, qua horrenda pestilentia peccatorum latissime peruagante, non solum iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, sed etiam quæ non dicta sunt addere, cum contra animo humano parum esse debeat inimicitias hominum nec excitare, nec augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere bene loquendo studuerit, qualis illa erat docente te magistro intimo in schola pectoris.

4 Lib. 9. confess. cap. 9. tomo 1.

IDEM habet hanc sentẽtiam: Homini religioso parum esse debet inimicitias aliorum non excitare, vel augere male loquendo, nisi etiam eas extinguere studeat bene loquendo.

5 In lib. sententiarum to. 5

IDEM ait: Non accommodes aures tuas ad percipienda verba detrahentium, ne concipias mortem in anima tua, detrahenti enim & audienti vtrique esca mortis animæ est detractio, & lingua. Et vt breuius concludam, detractor, & libens auditor, diabolum portant in lingua. Illum autem, qui conqueritur, audi si non detrahit, quia non omnis querimonia est detractio. Euita quæso a tuis auribus laqueos detractionum, per quos plurimos audis captos. Postula tibi a Domino Deo cor prudens, & peruigilem sensum, vt discernere valeas verba detrahentium, non ignores frater fraudes, & insidias eorum: quia qui tibi vtilia nunciare videntur, viam tuam explorare veniunt, vel vtrum culpatum diligas an non, sed & Deus pedem tuum custodiat, ne in rete eorum veniat.

6 Lib. de Salutaribus documẽtis tomo 4.

7 Enarratione in Psal. 108. to. 4.

IDEM explicans verba illa; Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, inquit de Christo Domino loquens: Nec parum aliquid putari debet, quia non ait, pro eo vt diligerent me, interficiebant me, sed detrahebant mihi. Ideo quippe interfecerunt, quia detraxerunt dicentes, quòd in principe dæmoniorum eij- Ioan. 8.

ceret dæmonia. Et dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Qua detractione ab illo auertebant eos, quorum conuersionem ille quærebat. Et ideo potius hoc dixit, vt ostenderet magis eos nocere, qui Christo detrahunt, & per hoc animas interficiunt, quàm qui eius mortalem carnem mox præsertim resurrecturam sæuiendo peremerunt. Sed cum dixisset pro eo, vt me diligerẽt, detrahebant mihi, ipse subintulit, ego autem orabam pro eis scilicet. Docent nos igitur diuina eloquia exẽplo Christi, vt cum nos audimus pro eo, vt me diligerent, detrahebant mihi, nos pro talibus oremus. Ex quo loco collige detractionis malum, ex quo in ludæis tanta prodierunt inconuenientia.

8 In lib. sententiarum. Eph. 2.

BERNARDVS sic habet: Ante omnia sine murmuratione sint fratres. Forte aliqui leue peccatum æstimant murmurare, sed non hic qui ante omnia monet esse cauendum. Puto autem ne illum quidẽ leue putasse, qui murmurantibus aiebat: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus? Sed ne illum quoque qui dixit: Non murmuraueritis, sicut quidam murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore. Illo nimirum exterminatore, qui positus est in hoc ipsum, vt a terminis Acatæ illius ciuitatis arceat murmurantes, & longe faciat a finibus eius, cui dicitur: Lauda Hierusalem Dominũ, lauda Deum tuum Sion, qui posuit fines tuos pacem. Nihil enim commune habẽt murmur, & pax, gratiarũ actio, & detractio, zelus amaritudinis, & vox laudis.

Exo. 16. 1. Cor. 10. Psal. 147.

9 Serm. 24. in Cantica.

IDEM explicans verba illa; Recti diligũt te, ait: Nec absurde vt æstimo, cùm vbique pene in choro adolescentularum tales inueniam, quæ sponsæ curiose obseruent derogandi, non imitandi causa. Torquentur in bonis seniorũ suorũ, malis pascuntur. Videas ambulare seorsum, conuenire sibi, & sedere pariter, moxq. laxare procaces linguas, in detestandum susurrium. Vna vni cõiungitur; nec spiraculum incedit in eis, tanta est libido detrahendi, audiẽdive detrahentem. Ineunt familiaritatem ad maledicendum, concordes ad discordiam. Cõciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneę malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. Haud secus agere quondam Herodes, & Pilatus, de quibus narrat Euangelium: quia facti sunt amici in illa die, hoc est, in die Dominicæ passionis. Conuenientibus sic in vnum, non est Dominicam cęnam manducare, sed magis propinare, & bibere calicẽ dæmoniorum, dũ importantibus linguis aliorum perditionis virus, aliorum aures intrantem mortem libenter excipiunt. Sic quippe iuxta prophetam: intrat mors per feneſtras nostras, cum pruriẽtes auribus, & oribus lætale poculum detractionis inuicem nobis ministrare contendimus. Non veniat anima mea in concilio detrahentium, quoniam Deus odit eos, dicente Apostolo: Detractores Deo odibiles. Quam sententiam Deus ipse loquens in

Luc. 23. Hiere. 9. Rom. 1.

psalmo, audi quomodo affirmat: Detrahentẽ, inquit, secreto proximo suo hũc persequebar. Nec mirum, cum id præcipuè vitium charitatem, quæ Deus est. Et quidem ceteris acrius impugnare, & persequi cognoscatur, quemadmodum & vos quoque potestis aduertere. Omnis, qui detrahit, primum quidẽ se ipsum prodit vacuum charitate, deinde quid aliud detrahendo intendit, nisi vt is, cui detrahit, veniat in odium, vel contemptum ipsis apud quos detrahit? Ferit ergo charitatem in omnibus, qui se audiunt lingua maledica, & quantum in se est necat funditus, & extinguit non solum autem, sed & in absentibus vniuersos ad quos volans verbum, fortè per eos, qui præsentes sunt, peruenire contigerit. Vides quàm facile & in breui ingentem multitudinem animarũ velociter currens sermo tabe malitiæ huius inficere possit? Propterea dicit de talibus propheticus spiritus: Quorum os maledictione, & amaritudine plenum est, veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem. Vtique tam Psal. 13. veloces, quàm velociter currit sermo. Vnum est qui loquitur, & vnum tantum verbum profert, & tamen vnum illud verbum vno in momento multitudinis audientium, dum aures inficit, animas interficit. Cor siquidem felle liuoris amarum per linguæ instrumentum spargere, nisi amara non potest, dicente Domino: Ex abundantia cordis os loquitur. Et sunt spe- Luc. 6. cies pestis huius, dum alij quidem nude, atque irreuerenter, vti in buccam venerit, virus euomant detractionis. Alij autem quodam simulatæ verecundiæ fuco, conceptam malitiam, quam retinere non possunt, adumbrare conantur. Videas præmitti alta suspiria, sicq. quadam cum grauitate, & tarditate, vulto mæsto, demissis supercilijs, & voce plangenti egredi maledictionem, & quidem tanto persuasibilio rem, quanto creditur ab his qui audiunt corde inuito, & magis condolentis affectu, quàm valitiose proferri. Doleo, inquit, vehementer pro eo quod diligo eum satis, & nunquam potui de hac re corrigere eum. Et alius, mihi quidem ait: Bene compertum fuerat de illo istud, sed per me nunquam innotuisset. At quoniam per alterum patefacta est res, veritatem negare non possum, dolens dico, re vera ita est. Et addit grande damnum. Nam alias quidem in pluribus valet, ceterum in hac parte (vt verum fatemur) excusari minime potest.

10

11 Lib. 2. de eõ sideratione ad Eugeniũ

IDEM habet hanc sententiam: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit non facile dixerim.

12 In 2. parte serm. 33. ad fororem.

IDEM loquens de detractione, ait: Detractio grande crimen est, omnes reprehendunt detractorem. Et Dauid propheta: detrahentem secreto proximo suo hunc persequebar. Hoc summæ turpitudinis est. Detrahentes latrant quasi canes, sicut canes rodunt pedes transeuntium, ita detrahentes rodunt vitam proximorum. Abscinde a lingua tua vitium detrahendi, alienam vitam non rodas, & laceres. De alieno malo non inquines os tuum, nõ

detrahas peccatori, sed condole. Quod in alio detrahis, in te potius pertimesce. Quanto studio reprehendis alienam vitam, tanto studio emenda temetipsam, quando alteri detrahis, te discute. Quando alium mordes, tua peccata redargue. Si vis detrahere, tuis peccatis detrahe. Non perspicias aliena peccata, sed tua. Nunquam alijs detrahes, si te bene perspicias. Susurrantibus, & detrahentibus auditum non præbeas. Pari reatu detrahentes, & audientes tenentur. Virgo quæ ad cælestem thalamum desiderat peruenire, nõ debet alijs detrahere.

13 Serm. 47. ad sororé, qui est de murmuratione.

IDEM ait: Hospitium cordis nostri per gratiam Dei sanctificatur, & per inhabitationem Spiritus sancti, quãdo intus est charitas, pax, concordia, mansuetudo, & alia huiusmodi. Hæc sunt nostræ diuitiæ. Sed si incipimus inter nos litigare, & murmurare, & contendere, statim ab his spiritualibus bonis vacui remanemus, & nudi, quia modicum fermentum totam massam corrumpit. Quisque seruus Dei debet pensare in corde suo quàm malum magnum incurrit, si pro rebus temporalibus murmurat, vnde debuerat esse diues sit pauper. Virtutes enim perdimus, si pro cibo, vel potu murmuramus. Graue peccatum est murmuratio. Vnde Gregorius: regnum cælorum nullus qui illud accipit, murmurare potest. Præcordia fatui sicut rota currus fœnum portat, & murmurat. Tales sunt multi fratres, & multæ sorores in congregatione, qui sunt carnalibus desiderijs subditi, & murmurare nunquam cessant. Igitur necessarium est nobis Pauli Apostoli consilium dicentis: Neque murmuraueritis, sicut quidam eorum murmurauerunt in deserto, & perierunt ab exterminatore. Igitur periculosum est nobis murmurare, ne forte pereamus ab exterminatore in monasterio, sicut illi perierunt in deserto. Linguas ergo nostras a murmuratione custodiamus, ne, quod absit, sicut illi perierũt in hoc sæculo, nos pereamus in futuro. Non ergo murmuremus, ne forte sicut illi perierunt in hac vita, nos pereamus in futura. Caueamus ab omni murmuratione, ne forte quod illi passi sunt in corporibus, nos patiamur in animabus. Iterum Apostolus cõsulendo nobis loquitur dicens: Neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & a serpentibus perierunt. Christum tentat, qui pro cibo, vel potu, siue pro vestimento murmurat, sicut scriptum est de eodem populo: Tentauerunt Deum in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et iterum: Murmurauerunt in tabernaculis suis, & non exaudierunt vocem Domini. Christum tentat, qui in monasterio superflua requirendo murmurat. Et a serpentibus perierunt. Quare a serpentibus petierunt, nisi quia serpens venenosus est, & omnis qui murmurat venenum diaboli habet in lingua. Vnde Iacobus Apostolus: Lingua inquietum malum, plena veneno mortifero? Cauendum est ergo nobis a murmuratione, ne mortifero, & diabolico veneno pereamus.

1.Cor. 10.

1.Cor. 10.

Epist. Cath. cap. 3.

FINIS LIBRI VNDECIMI.

LIBER

LIBER DVODECIMVS LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES

MO

AVCTORE R. D. F. IOANNE LOPEZ Episcopo Cotronensi Ord. Prædic.

Nomen bonum non contemnere, sed conseruare conuenit. Cap. I.

1 Epist. vndecima, quæ est ad Geronti. to. 9.

IERONYMVS inquit: Fuge personas in quibus potest male cõuersationis esse suspicio, nec paratum habeas illud e trivio: Sufficit mihi cõscientia mea, non curo quid de me loquãtur homines. Et certe Apostolus prouidebat bona non tantum coram Deo, sed etiã corã hominibus, ne per illud nomen Dei blasphemaretur in gentibus. Habebat vtiq; potestatẽ sororem mulierem circumducendi. Sed nolebat se iudicari ab infideli cõscientia. Et cum posset de Euangelio viuere, diebus, ac noctibus laborabat manibus suis, ne quem grauaret credentium: Si scandalizat, inquit, esca fratrem, in æternum carnẽ non manducabo. Dicamus & nos: si scandalizat soror, vel frater, non vnum, & alterum, sed totam Ecclesiam, nec sororem videbo, nec fratem. Melius est rem familiarem minui, quàm salutem animiæ perire. Melius est sponte dimittere, quã id amittere, propter quod omnia dimittenda sunt.

Rom. 12.

1.Cor. 8.

2 In epist. 14. quæ est ad Celantiã de ratione pie viuendi.

IDEM sic habet: Apostolici præcepti est, & exempli, vt habeamus rationẽ non conscientiæ tantum, sed etiam famæ. Non superfluum, & a fructu vacuum. Magister gentium docet: vult enim eti dare exitum eos ad fidem homines, per fidelium opera proficere, vt religionem ipsam religionis disciplina cõmendet. Et ideo sicut luminaria in mundo lucere nos iubet in medio nationis prauæ & peruersæ, vt inter has mentes errantium ex nostro quoque actuum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant.

Philip. 2.

Vnde & ipse ad Romanos ait, prouidentes bona non tãtum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Et alibi sine offensione esto Iudæis, & gentibus, & Ecclesiæ Dei, sicut ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis: Beatus est, qui tã sancte, tamq; grauiter disposuit vitam suam, vt de eo sinistri aliquid ne fingi quidem possit, dum aduersus obtrectatorum libidinẽ pugnat meritum magnitudo. Quod si id assequi difficile, atq; nimis arduum est, saltem hanc adhibeamus vitæ nostræ diligentiam, ne malæ mentes occasionem inueniant detrahendi, ne ex nobis scintilla procedat per quã aduersus nos sinistræ famæ flamma cõfletur. Alioqui frustra irascimur obtrectatoribus nostris, si eis ipsis obtrectandi materiã ministramus. Nos id agamus, vt male de nobis nemo loqui absque mendacio possit.

Rom. 12.

3 In c. 13. Danielis. to. 4.

IDEM explicans verba illa, quæ dixit Susanna, quando duo senes dixerunt ei, cõmisce-re nobis, quod si nolueris, dicemus cõtra te testimonium. Ingemuit Susanna, & ait: Angustię mihi sunt vndique, sic habet: Angustia erat illi non imminentis mortis, sed opprobrij, & ignominiæ, qua perfundenda erat illis accusantibus. Angustiabatur que, quoniam cura illi erat non nubilica de coleruando bono nomine.

4 Lib. 2. in c. 22. Prouer. to. 9.

IDEM explicãs verba illa; Melius est bonum nomen, quàm diuitiæ multæ, inquit: Bonum nomen dixit, non quod a turbis vulgi imperiti, sed quod a fidelium, quamuis paucorum testimonio laudatur. Neque enim bonus habere nomen bonum refugit, sed a bonis solum quærebat laudari, qui ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Nomen ergo bonum est nomen religionis,

Galat. 1.

gionis, quod diuitijs mundialibus iure præfertur. Nam etsi mundum quis lucraretur vniuersum, merito hunc contemneret, tantum vt nomen eius scriberetur in cælo, eiusq. memoria & inter homines sanctos figeretur æterna. Super argentũ, & aurum gratia bona illam significat gratiã, cum quis pro bono opere laudatur a bonis, immo pro collatis ei donis meritorum glorificatur pater, qui in cælis est.

5 AVGVSTINVS sic ait: Nec audiendi
Li. de bono viduitatis. tomo 4. sunt siue viri sancti, siue fœminæ quando reprehensa in aliquo negligentia sua per quam fit, vt in malam veniant suspicionem, vnde suam vitam lõge abesse sciunt, dicũt sibi coram Deo sufficere conscientiam, existimationem hominum non imprudenter solum, verumetiam crudeliter contemnentes, cum occidunt animas aliorum siue blasphemantium viam Dei, quibus secundum suam suspicionem, quasi turpis quæ casta est displicet vita sanctorum, siue etiam cum excusatione imitantium, non quod vident, sed quod putant. Proinde quisquis a criminibus flagitiorum atque facinorum vitam suam custodit sibi bene facit, quisquis autem etiam famam, & in alios misericors est.

Rom. 12. Nobis enim necessaria est vita nostra, alijs fama nostra, & vtique quod etiam alijs ministramus ad salutẽ miseri corditer, ad nostram quoque redundat vtilitatem. Vnde non frustra Apostolus, Prouidentes, inquit, bona non solum

1.*Cor.*10. coram Deo verumetiã coram hominibus. Itẽ dicit, placete omnibus per omnia, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant. In

6 quadam etiam exhortatione dicit: de cetero fratres quæcunque sunt vera, quæcunque sancta, quæcunque iusta, quæcunque casta, quæcunque bonæ famæ. Si qua virtus, si qua laus, hæc cogitate, quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me. Cernis quemadmodum inter multa, quæ exhortãdo meminit, non neglexerit ponere, quæcunq; bonæ famæ, duobusq. verbis cuncta concluserit, vbi ait, si qua virtus, si qua laus. Ad virtutem nãque pertinent, quæ antea memoraui bona, fama vero

1.*Cor.*24. ad laudem. Puto quod non laudem hominum pro magno sumebat Apostolus alio loco dicẽs:

Gala. 1. mihi autẽ pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die. Et alibi, si hominibus placerem, Christi seruus non essem. Et iterũ, gloria nostra hæc est, testimonium conscientię nostræ. Sed illorum duorum ideſt bonæ vitæ, & bonæ famæ, vel quod breuius dicitur virtutis, & laudis, vnum propter se ipsum sapientissime retinebat, alterum propter alios misericordissime prouidebat. Sed quoniam quãtalibet humana cautela suspiciones malæuolentissimas non potest omni ex parte vitare, vbi pro existimatione nostra quicquid recte possumus fecerimus, si aliqui de nobis, vel male fingendo, vel male credẽdo, famam nostram decolorare conantur, adsit conscientiæ solatium, planeq; etiam gaudium, quòd merces nostra magna est in cælis, etiam cum dicunt homines mala multa de nobis, pie tamen iusteq; viuentibus. Illa enim merces tanquam stipendiũ est militãtiũ per arma iustitiæ, nõ solũ dextra verumetiã sinistra, per gloriã scilicet, & ignobilitatẽ, & per infamiam, & bonam famam.

IDEM explicans verba illa Iucæ 1. Quæ de 7
Zacharia, & Elisabeth dicta sunt: Erant autem Lib. 1. de gratia Christi cõtra Pelagiũ. to. 7.
iusti ambo ante Deum incedentes in omnibus mãdatis, & iustificationibus Domini sine querela ait: dictum est hoc, quãtum mihi videtur, secundum quãdam inter homines conuersationem probabilẽ, atque laudabilem, quã nullus hominũ iustè posset in accusationis, & criminationis querelã vocare. Quam propterea in Dei conspectu Zacharias, & eius vxor habuisse referuntur, quia in ea homines nulla dissimulatione fallebant, sed vt apparebant hominibus ita noti erant oculis Dei.

IDEM inquit: Tumor dicit testem habes 8
Deum in cælis non sit tibi curæ quid de te suspi- Lib. de conflictu virtutũ, & vitiorũ. to. 9.
centur homines in terris. Humilis satisfactio respondet, non est danda detrahendi occasio, non susurrandi suspicio, sed si adsunt, quæ corrigantur manifestanda, aut certe si desunt, humili protestatione negãda, quia Apostolus ad- 1. *Tim.* 5.
monet, nullam occasionẽ dare diabolo maledicti gratia. Quod etiam in illis detestatus est, 1. *Cor.* 8.
qui Christianæ fidei consentientes, in idolo ad comedendum recumbebant. Et quanquã ipsi idolũ pro nihilo ducentes, immolata quasi innoxios cibos sumerent, infirmas tamen fratrũ conscientias per hoc factum ad nefandum idolorum ritum trahebant.

GREGORIVS explicãs verba illa Iob 9
cap. 31. Si vidi solem cum fulgeret, & lunam in- Lib. 22. moraliũ cap. 4. tomo 2.
cedẽtem, clare, sic habet: Paulus bona sua Corinthijs enumerando narrauit, illos confirmare studuit, nõ se ostẽdere, vt discipulos instrueret, de se summa referebat, qui tantum placebat sibi in infirmitatibus suis. Habent itaque propriũ sancti viri, vt bona quidem, quæ agũt videant, & tamen cum peregerint ab eorũ memoria oculos auertant. Vnde recte per beatũ Iob dicitur, si vidi solem, cum fulgeret. Ac si aperte diceretur, opus meũ etiã cum alijs exẽplorum lucẽ tribueret ad præsumptionis gratiam non attendi, quia dum de eo extolli timui ab intuendo eo oculos auerti. Et lunam incedentem clare. Quia videlicet post opus bonũ fama laudabilis sequitur, per quam celebre nomen in hac præsentis vitæ nocte possidetur. Sicut enim luna mendicat, & accipit lumẽ a sole, sic fama a bono opere vires accipit, & fauoris gratiam, quasi claritatem luminis aspergit. Est & aliud in luna, quod per similitudinẽ bonam spargenti famæ conueniat, lux namque eius etiam in tenebrarum tempore iter ambulantibus ostendit, quia & dũ de aliena vita lux laudis emicat, alios ad exercenda bona opera illustrat: Cumque illius opinio clara cognoscitur, hinc quasi pergẽti in itinere exempli lumẽ præbetur. Sed nonnũquam opus quod ab alie na opinione sumitur minus mixto desiderio in animo formatur. Nã infirmę mẽtes cũ bona de alijs audiũt, aliquãdo se ad operationẽ rectam, nõ amore virtutis, sed delectatione laudis accendunt,

cendunt. Et profectò liquet, quia naturæ solis est, vt quæque attigerit exurat quidẽ, sed exurendo humidum reddat. Ad vitam igitur bonã alios pro amore Dei affectus recti operis, alios verò amor laudis inflãmat. Sed cum recti operis affectu accendimur, quasi per ignem solis a vitiorum humore siccamur. Eum verò quem ad opus laudis amor prouocat, concupita fama, quasi luna attingit, quia videlicet eius animum, & accendit, & resoluit. Accendit scilicet ad exercitium operis, resoluit vero ad concu-

10 piscentiam fauoris. Plerunque tamen ad exercenda bona opera, aliena nos vtiliter exempla persuadent. Et cum mente humili opinionis alienæ bona suscipimus, nostra vel ad melius bona producimus, vel ad bonum mala permutamus. Cumque nos de vita proximi famæ splendor irradiat, mens nostra, vt prędiximus, quæ ad obtinendum virtutis iter se dirigit, quasi in lunæ lumine gressus ponit. Sed sicut ex aliena opinione proficimus, sic plerunque si famæ nostræ laudibus inhiamus, a virtute vacuamur. Quia igitur sanctum virum magnitudo operis non inflauit, solem fulgentem nõ vidit. Quia autem illum nec fama laudis extulit, clarè incedentem lunam minime attendit. Solem fulgentem vident, qui de sola boni operis magnitudine quasi alios despiciendo tument. Et sunt nonnulli, quos nec operatio propria extollit, sed cum laudari ab hominibus pro hac eadem bona operatione cœperint, ipsis hominum fauoribus deuicti quasi magnos se quosdam in sua cogitatione conspiciunt, atque a cordis custodia dissoluuntur, hi profectò etsi fulgentem solem videre noluerunt, lunam tamen clarè incedentem respiciunt, & intuentes lunam se non vident, qui semetipsos nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium fauorem figunt. Infra: Et lætatum est in abscondito cor meum. Qua attestatione quid nobis innuitur, nisi quod nobis magno metu, & circumspectione opus est, ne mens nostra vnquam, de suis laudibus, vel tacita lætetur? Quisquis enim quasi claritatem lunæ, famæ suæ magnitudinem conspicit. Sibi in occulto mentis gaudium facit, cui iste nisi auctori se prætulit, cuius dono

11 vt bene operaretur percepit, & tamen in eius munere de gratia suæ laudis hilarescit? Despecto enim honore conditoris semetipsum plus amare conuincitur, cuius præconijs lætatur. Quamuis nonnunquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudeant, sed cum per hãc ad meliora proficere audientes pensant, non iam de opinione sua, sed de proximorum gaudent vtilitate: quia aliud est fauores quærere, aliud de profectibus exultare. Qua in re necesse est, vt cum audientium vtilitati non profi-

cit, mentem nostram fama laudabilis non elecuet, sed fatiget. Cum enim humanæ linguæ attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur, quid nobisipsis sentiamus, vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mens etiam cum de se bona dicuntur, exultat, quia non apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, cogitat. Iudicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, & solummodo hominũ quærens, inter auditas laudes extollitur, & quæ hoc solum quæfierat, quasi de brauio operis lætatur. At contra si cor veraciter humile est, bona quę de se audit, aut minime recognoscit, & quia falsa dicuntur metuit, aut certè si adesse ea sibi veraciter scit, eo ipso formidat, ne ab æterna Dei retributione sint perdita, quo hæc considerat hominibus diuulgata, pauetq. vehementer ne spes futuri muneris, in mercedem permutetur trãsitorij fauoris.

BERNARDVS explicans verba illa; 12
Sicut lilium inter spinas, ait: Opus tuum, stu- Serm. 71. in Cantica.
dium tuum, desiderium tuum, lilia sint, moralis quidam rerum ipsarum candor, atq; odor. Habent & mores colores suos, habent & odores. Neque enim in spiritibus idipsum est co- *Exo.* 5.
lor, & odor, non magis fœtere feciſtis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, aiũt, illi dicentes de opinione. Porro colorem operi tuo dat cordis intentio, & iudicium conscientiæ. Quod de corde puro, & conscientia egreditur bona, candidum est, & est virtus. Si autem & bona fama secuta fuerit, & lilium est, quippe cui nec candor lilij desit, nec odor. Porro virtus etsi non propterea maior, pulchrior tamen, illustriorq. efficitur. At si radix vitiata sit, & conscientia, etiam si fama applaudere videatur, non est quòd debeat lilium dici, quia etsi odor conniuere videtur, sed nõ color. Nec sane fama valebit vendicare virtuti, quod esse vitium conuicerit conscientia. Erit quidem virtus contenta candore conscientiæ, vbi sequi non poterit odor famæ, ceterum nec odor famæ, nec excusare sufficiet vitium conscientiæ decoloris. Prouidebit tamen semper, quod in se est, homo virtutis bona, non tantum coram hominibus, vt vere sit lilium. Pascitur *Cant.* 2.
Deus inter lilia, quia candore, & odore virtutum delectatur.

IDEM sic habet; Interest tuę perfectionis, 13
& malas res, & malas pariter species deuitare. Lib. 3. de cõsideratione ad Eugeniũ Papam tertium.
In altero conscientiæ, in altero fame consulis. Puta tibi nõ licere, etsi aliàs fortè liceat, quicquid male fuerit coloratum. Denique interroga maiores tuos, & dicent: ab omni specie ma- 1. *Thess.* 5.
li abstinete vos. Sane minister Domini Domi- *Ioan.* 12.
num imitetur, quia ipse ait: Qui mihi mini- *Psal.* 92.
strat, me sequatur. Et habes de illo: Dominus regnauit decorem induit, induit Dominus fortitudinem. Tu quoque esto fortis in fide, decorus in gloria, & probasti te imitatorem Dei. Fortitudo tua fiducia fidelis conscientiæ, decor tuus splendor bonæ opinionis. Ita quæso induere fortitudinem. Etenim gaudium Domini fortitudo tua. Porro specie tua, & pulchritudine tua nihilominus tanquam propria similitudine delectatur. In- *Prou.* 31
duere vestimentis gloriæ tuæ. Vestire duplicibus, quibus domesticos suos fortis illa mulier induere consueuit. Non sit in conscientia

mutans infirmitas modicæ fidei, non sit infama neuus malæ speciei, & vestiris duplicibus, & gaudebit sponsus super sponsam, animam tuam, & gaudebit super te Deus tuus. De hac plura dicenda erunt libro 16. cap. de scandalo.

Nomina varia tribuuntur Deo in sacris litteris, inter quæ nomen dulce Iesu, suaue, amandum, ac veneratione omni dignum est.

Cap. I I.

1 ORIGENES exponēs verba illa; Sit nomen Domini benedictum, inquit: Nomē Domini, ait, propter quod omnia sustineo, propter quod omnibus, quæ mihi obuenerunt, superior existo. Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Quod cū vidissent Icones in Daniele in agnos immutati sunt, quod eum flamma ignis agnouisset in Anania, Azaria, & Misaele foras a fornace fugit, atque eos qui extra fornacem erāt combussit, vtpote non habentes in se sanctum nomen Domini. Illis autem qui intra fornacem erant, non appropinquauit, quia terribile nomen Domini in illis conspexit. Hoc etiam & cethis cum videret in Iona obstupuit, atque illæsum eum, quem de naui susceperat, reddidit, incontaminatum remisit, quem viuum susceperat. Hoc inquam, nomen Domini sit benedictū, hoc nomen, quod pauci ex prioribus agnouerunt, posteriores vero omnes susceperunt. Hoc nomen, de quo dicunt sancti ex persona Dei: Vobis qui timetis nomen meum, cognominabitur nomen nouum, quod benedicetur super terram. At adhuc: Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Hoc, inquam nomen Domini sit benedictum in sæcula, quod iram auertit, quod maledictum abstulit, quod dæmones terruit, hoc nomen Domini sit benedictum in sæcula. Sit benedictum in Angelis, & in hominibus, in cælestibus spiritibus, atque in omnibus iustorum animabus, in gentibus, & in omnibus fidelium congregationibus sit nomē Domini benedictum. Quousque, aut quandiu sit benedictum? In sæcula, inquit, in finem præsentis, & in initio infiniti illius sæculi, in animabus castorum, in cordibus piorum, in mētibus religiosorum, in Ecclesia sanctorum. Sit nomen Domini benedictum, non in tempore dimenso, atque statuto, sed in sæcula, inquit, siue in præsenti sæculo, vsque in finem, siue in futuro sæculo illo infinito, atque indeficienti. Nomen Domini, ait, boni, miseri cordis, patientis, benigni, clementissimi. Sit nomen Domini benedictum, qui benedictionem seminauit, produxit, atque ostendit. Sit nomen Domini benedictum, qui cuncta bene perficit, qui cuncta bene vniuersis prouidet, qui bene, inquit, mihi magnam patientiam, atque tolerantiam condonauit, vt tanquam aurum in fornace probatus patientiæ formam cunctis sequentibus ostendam.

Lib. 1. in c. 1. Iob to. 2.

Act. 4.

2 IDEM explicās verba illa; Simile est regnum cælorum homini regi, sic habet; Quandiu homines sumus, & non expediunt nobis diuinæ bonitates Dei, & multitudo miserationum eius abscondita apud eum, vt ne noceamur videntes eam, necesse est, vt simile sit regnum Dei homini regi, vt hominibus quasi homo apud homines loquatur, & dispenset homines non capientes dispensari a Deo, qui omnino quidē Deus est, & in eo quod loquitur per prophetas, & in eo quod dispenset homines, & tunc cessabit regnum cælorum simile esse homini, cum cessante zelo, & contentione, & reliquis passionibus, & peccatis, cessauerimus, secundum hominem ambulare, & digni facti fuerimus audire a Deo: Ego dixi, dij estis, & filij excelsi omnes, iam non agentes talia propter quę dicatur ad nos, vos autem sicut homines moriemini. Ego autem arbitror quoniam non solum homini regi simile fieri regnum cælorum cessabit, sed & alia multa, quibus opus habet homo peccator, vt puta dicit in Osea: Ego autem sum sicut panthera, vel vrsa, & sicut leo domui Iudæ, & sicut vrsus turbatus obuiabo eis. Dicit in alio loco: Cessabit ergo aliquando esse sicut panthera, & sicut leo, & vrsus turbatus cum desinentes talia facere, iam non opus habuerint homines Deo sicut panthera, & sicut leone, & sicut vrso turbato, nec ipse habeat eos tales, qui talem necessarium habent, tunc manifestabit se sicut est. Ego autem sic intelligo, quod ait: Deus noster ignis consumens est, consumens ea. Cum autem consumpta fuerint ab igne consumente ea, quæ consueta sunt consumi ab eo, tunc iā non erit Deus noster ignis consumens, sed lumen, sicut dicit Ioannes: Deus lumen est. Quoniam autem nouimus hæc, vide si potes etiam secundum hunc intelligere modum ex Ioannis epistola sic habente: Charissimi nunc filij Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus: scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Nunc quidem etsi digni fuerimus, Deum videre mēte, & corde, videmus eum non quemadmodū est, sed quemadmodum propter nostram dispensationem factus fuerit nobis. In fine autē rerum, & restitutionis omnium quæcunque locutus est per os prophetarum a sæculo, videbimus eum non sicut modo, quod non est, sed quemadmodum tunc decuerit, sicut est. Apud nos ergo homines simile est regnum cælorum homini regi, apud eos autem, qui secundum scripturas dij vocantur, in quorum synagoga stetit Deus in medio deos discernens, regnum cælorum simile est regi Deo.

Homil. 20. in cap. 22. Matthęi.

Osee 5. & 13.

Deut. 4. 3

4 BASILIVS explicans verba illa: Dilectus quemadmodum filius vnicorniū, inquit: Vnigenitus filius dans mundo vitam, quandoquidem sacrificium, & oblationem sese pro nostris

Homil. 5. in Psal. 28. to. 1

Ioan. 1. Isa. 53. stris peccatis Deo offert, agnus Dei nominatur & ouis: Ecce agnus Dei. Et rursus: tanquam ouis ad occisionem ducetur. Quando verò punire vitia, & potentiam generi humano incumbentem, efferatam illam, & exasperatam euertere oportet, tunc filius vnicorniū nominatur, vt in Iob didicimus, vnicornis est animal insuperabili virtute, hominibus minime subiectum, aut obtemperans. Non enim loro ipsum, aut vinculo ligabis, neque dormiet ad præsepe, & multa alia de ipsius animalis libertate, & indocilitate ad parendum hominibus in ea Prophetiæ parte dicuntur. Christus ergo virtus est Dei, ideoq. tanquam vnum habens cornu, videlicet vnam cum patre communem virtutem vnicornis appellatur.

5 IDEM explicans verba illa; Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, dicit, omnem rebus nostris conuenientem statum Deo tribuere quodammodo videmur. Idcirco dormitantibus nobis, & pigrè agentibus, dormire dicitur Deus, suis nos vigilijs, suaue inspectione indignos iudicans. Si quando autem ex somno detrimentū sentimus, dicimus: surge, quare obdormis Domine? Item non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel. Equidem alij velut Dei oculos a se auocant, per eorum, quæ gerunt turpitudinem obscęnam, indigna enim Dei oculis sunt. Ijdem mox vbi per pœnitentiam resipuerint dicunt: cur faciem tuam auertis? Hos præter sunt & alij, qui expuncta e mente, & excluſa Dei memoria Deū reddunt velut obliuiscentem sui ipsorum, qui & dicunt: quare obliuiscēris inopię nostræ, & tribulationis nostræ? In summa qualia iuxta hominum affectus de eo dicūtur, illa faciunt ipsi homines, talem sibi constituentes Deum, qualem quisque se ipsum prius adornat, & instituit.

Homil. 7. in Psal. 29.

6 IDEM hom. cui tit. Quod sine diuina virtute, & gratia resistere satanæ, nec nisi relicta Aegypto, in terram promissam pertingere nō possit quisquam, sic ait: Deus noster ignis, consumens est, vltionem in flamma ignis de illis sumens, qui se ignorant, & euangelio ipsius nō obtemperant. Hic est ignis ille, qui operatus est in Apostolis, cum loquerentur linguis ignitis. Hic ignis per gloriam Christi Paulum suo splendore vndique circumfundens, mentem quidem illius illuminauit, visus vero corpori sensum obscurauit. Acies enim carnalis visus, lucis illius vim non sustinet. Hic ignis visus est Moysi in rubo. Hic ignis Eliam in specie currus abripuit. Ignis huius energiam quærens beatus Dauid, dixit: Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum. Hic ignis Cleophæ, & eius qui cum ipso erat corda calefecit cum illis post resurrectionem loqueretur Dominus. Vnde & Angeli, & administratorij spiritus flamma sunt. Hic ignis trabem illam, quæ intus est in oculo nostro comburens mundam constituit mentis aciem, vt recepta natiua perspicuitate, admiranda Dei opera continuè videat, iuxta eum qui dixit: Reuela oculos meos, & contemplabor mirabilia ex lege tua. Hic itaque ignis dæmones fugat, malitiā exurit, resurrectionem potentia sua, & immortalitatem operatur, animas sanctorum illustrat, & rationales virtutes suffulcit. Hunc ignem precemur, vt & nos occupet, vt semper in luce ambulantes, ne modice quidem offendamus, vel impingamus vnquam, sed velut luminaria in mundo conspicui perpetuo sermonem vitæ contineamus.

Psal. 25.

7 CHRYSOSTOMVS explicās qua ratione Iesus Naue Iosue 10. dixerit sol contra Gabaon, ne mouearis, & luna contra vallem Haylon, & factum sit inquit: Amicus Dei creaturis amici sui imperabat, magis autem amicum suum postulauit, & obediunt serui. Et ille qui deorsum erat superioribus imperabat. Hoc etiam ab illo opere Moysi maius est. Non æquale est mari imperare, & eis, qui in cælo sunt. Magnum quidem & illud est, & valde magnum, veruntamen nihil simile. Quid igitur? Forma erat Iesu illud nomen, idcirco igitur hoc factum est. Etiam propter ipsum vocabulum reuerita est creatura. Quia iste Iesus in typo fuit Saluatoris, introduxit populum in terram promissionis, sicut Iesus in cælum. Ille Moyse viuente superauit bella, & Iesus noster cuncta dispensat.

Homil. 27. in epist. Pauli ad Hebr. to. 7. Iosue 7. Exo. 14.

8 HIERONYMVS edisserens vocabula, quibus apud Hebræos designabatur: Deus inquit, nonagesimum psalmum legens in eo loco, quo scribitur: Qui habitat in adiutorio altissimi in protectione Dei cæli commorabitur. Dixeram apud Hebræos, pro Deo cæli esse positum Saddai, quod nos robustum, & sufficientem ad omnia perpetranda accipere possumus, vnumq. esse de decem nominibus, quibus apud Hebræos Deus vocatur. Dico studiosissime postulasti, vt tibi nomina cum sua interpretatione digererem. Primum nomen Dei est Elin quod septuaginta Telon, id est, Deum, Aquila verò ethimologiam eius exprimens fortem interpretatur. Deinde Eloim, quod & ipsum Deus dicitur. Quartum, Sabaoth, quod septuaginta, virtutum, Aquila exercituum transtulerunt. Quintum Elion, quod nos excelsum dicimus. Sextū Esee, quod in exodo legitur, qui est, misit me ad vos. Septimum, Adonai, quem nos Dominum generaliter appellamus. Octauum, Ia. Nonum, Tetragramaton, quod ineffabile putauerūt, quod his litteris scribitur, Iod, he, vau, Iehoua. Decimum, quod superius dictum est, Saddai.

In epist. ad Marcellam. to. 3. Psal. 90.

9 IDEM explicans verba illa; Sicut meridiana lux clara est, & sicut nubes roris in die messis, inquit: Deus meridiana lux dicitur, quia contemplatur vniuersa quæ fiunt in Ecclesia. Et sicut meridiana lux clara est, ita vniuersa perlustrat, iuxta illud, quod in decimo octauo psalmo per Anagogem de sole iustitiæ dicitur: Nec est qui se absondat a calore eius. Et quomodo nubes roris in die messis, & in feruenti æstate gratissima est, sic Dominus habitatores Ecclesiæ suæ refrigerat, quo præsente cun-

Lib. 7. in c. 18. Isa. to. 5. Psal. 18.

te cuncta floreſcunt, & multi perfecti reperien tur. Ramuſculi autem, qui inutiles ſunt falcibus præcidentur; dicente Domino in Euan-
Ioan. 15. gelio: Ego ſum vitis vera, & pater meus agricola eſt, omnem palmitem in me nõ ferentem fructum tollet eum, & omnem qui fert fructũ purgabit eũ. Ideo ſubdit propheta, ante meſſem enim totus effloruit, & immatura perfectio germinabit, & præcidentur ramuſculi eius falcibus, & quæ derelicta fuerint abſcindentur.

10 IDEM explicans verba illa; Ero quaſi
Lib. 3. in ca. 14. Oſee. 30. 5. ros, Iſrael germinabit quaſi lilium, & erumpet radix eius, vt Libani ibunt rami eius, & erit quaſi oliua gloria eius, & odor eius vt Libani, Sic habet: Ero eis quaſi ros, dicit Dominus, vt fornacem Babylonicam, & caminũ æſtuantis incẽdij meo rore reſtinguam, qui & per Iſaac patriarcham ad Iacob ſeruum meum locutus ſum, de rore cæli erit habitaculum tuum. Quomodo enim Dominus fit credentibus lumen, via, veritas, panis, vinea, ignis, paſtor, agnus, ianua, vermis, &c. ſic qui indigemus illius miſericordia, & peccatorum febribus æſtuamus, in rorem nobis vertitur ad
Iſaiæ 26. quem dicit Iſaias: Ros enim, qui a te eſt, ſanitas eorum eſt. Et in Deuteronomij cantico Moyſes loquitur: deſcendant ſicut ros verba
Deut. 32. mea. Cum autem nos Dominus ſuo rore reſperſerit, & ſiccitatem pectoris noſtri ſuis pluuijs irrigarit, germinabimus, immo florebimus vt lilium, imitantes Dominum Saluato-
Cant. 2. rem, qui dicit in cãtico Canticorum: Ego flos campi & lilium conuallium, & loquitur ad ſponſam ſuam, quæ non habet rugam neque maculam, ſicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Cũque creuerimus in Domino mittemus radices noſtras ſicut arbores Libani, quæ quantum in auros conſurgunt vertice, tantum radicem in ima demergunt, vt nulla tempeſtate quatiantur, ſed ſtabili mole conſiſtant.

11 IDEM explicans verba illa; Ecce vir
Lib. 1. in ca. 6. Zachariæ oriens nomen eius, inquit, qui Ieſus vocatur, eo quod ſaluauerit mundum, & oriens dicitur, quia in diebus eius orta eſt iuſtitia. Et ca-
Pſal. 84. nitur in pſalmo: Veritas de terra orta eſt, eo quod ex vtero virginali in ſæculorum conſummatione generatus dixerit: Ego ſum veritas.

12 AVGVSTINVS ſic ait: Imbecilla ætaLib. 3. confeſſi. cap. 4. tomo 1. te diſcebam libros eloquentiæ, in qua eminere cupiebam fine damnabili, & ventoſo per gaudia vanitatis humanæ, & vſitato iam diſcendi ordine perueneram in librum quendam cuiuſdam Ciceronis, cuius linguam fere omnes mirantur, pectus non ita. Sed liber ille ipſius exhortationem continet ad philoſophiam, & vocatur Hortenſius. Ille vero liber mutauit affectum meum, & ad te ipſum Domine mutauit preces meas, & vota, ac deſideria mea fecit alia. Voluit mihi repente omnis vana ſpes, & immortalitatem ſapientiæ concupiſcebam æſtu cordis incredibili, & ſurgere iam cœperam, vt ad te redirem. Quomodo ardebam Deus meus, quomodo ardebam, euolare a terrenis ad te, & neſciebam quid ageres mecum. Apud te eſt enim ſapientia. Amor autem ſapientiæ nomen græcum habet philoſophia, quo me accendebant ille literæ. Sunt qui ſeducant per philoſophiam magno, & blando, & honeſto nomine colorantes, & fucantes errores ſuos. Et prope omnes, qui ex illis, & ſupra temporibus tales erant, notantur in eo libro, & demonſtrantur, & manifeſtatur ibi ſalutifera illa admonitio ſpiritus tui per ſeruum tuũ.
Coloſſ. 2. Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, & non ſecundum Chriſtum, quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Et ego illo tempore, ſcis tu lumen cordis mei, quoniam nondum mihi hæc Apoſtolica nota erant, hoc tamen ſolum delectabar in illa exhortatione, quod ipſam ſapientiam, vt diligerem, ac quærerem, & amplexarer fortiter, excitabar ſermone illo, & accendebar, & ardebam, & hoc ſolum me in tanta flagrantia refringebat, quod nomen Chriſti non erat ibi, quoniam hoc nomen ſecundum miſericordiam tuam Domine, hoc nomen Saluatoris mei, filij tui, in ipſo adhuc lacte matris, tenerum cor meum pie biberat, & alte retinebat, & quicquid ſine hoc nomine fuiſſet, quamuis literatum, & expolitum, & veridicum, non me totum rapiebat.

13 IDEM explicans verba illa; Expectabo
In Pſalmũ 51. tom. 8. nomen tuum quoniam iucundum eſt (ſeu bonum, vt noſtra habet lectio) dicit amarum eſt ſæculum, ſed nomen tuum iucundum. Etſi dulcia quædam ſunt in ſæculo, ſed cum amaritudine digeruntur. Præponitur nomen tuum non ſolum amaritudini, ſed & iucunditati: Nomen Dei iucundum eſt amantibus Deum ſuper omnes iucũditates. Homini non guſtanti laudando iucunditatem nominis Dei, quantacunque dixeris verba ſunt, aliud eſt guſtus. Verba laudis eius audiunt & impij, non autem guſtant quàm iucundum eſt niſi ſancti. Proinde iſte sẽtiens dulcedinem nominis Dei, & volens explicare, & oſtendere nec inueniens quibus, etenim ſanctis non opus eſt, vt oſtendat, quia & ipſi guſtant, & norunt; impij autem ſentire non poſſunt, quod guſtare nolunt. Quid ergo facit de iucunditate nominis Dei? Tulit ſe continuo a turbis impiorum. Et expectabo, inquit, nomen tuum, quia iucundum eſt. In conſpectu ſanctorum tuorum iucundum eſt nomen tuum, ſed non in conſpectu impiorum. Ergo quàm dulce ſit ſcio, ſed his, qui guſtauerunt.

14 IDEM explicans verba illa; Reſpice in
cõtione 17. in Pſalmũ 118. me & miſerere mei, ſecundum iudicium diligẽtium nomen tuum, ſic habet: Reſpice in me & miſerere mei ſecundum iudicium, quod in eos feciſti, qui diligunt nomen tuum: quoniam, vt diligerent te prius dilexiſti eos. Sic enim Ioannes Apoſtolus ait: nos diligimus,
1. Ioan. 4. inquit, Deum, & velut cauſa quæreretur, quare nos diligere fecit, adiunxit: Quoniam ipſe prior dilexit nos.

IDEM

15 IDEM dicit: Reſpira ergo o peccator, reLib. de contritione cor dis. 10. 9. ſpira ne deſperes, ſpera in eo, quem times, fuge ad eum, a quo aufugiſti, inuoca importune quem ſuperbe prouocaſti, dicq. ei: Ieſu propter nomen tuum dulce, fac mihi ſecundum nomen tuũm Ieſu, obliuiſcere ſuperbũ te prouocantem, reſpice pie miſerum te inuocãtem, Ieſu nomen tuum dulce, nomen delectabile, nomen confortans peccatorem, & nomen beatæ ſpei. Quid eſt enim Ieſus niſi Saluator? Ergo propter temetipſum Ieſu, eſto mihi Ieſus, eſto mihi Saluator benignus. Noli Domine, noli attendere ſic malum meum, vt obliuiſcaris bonum tuum. O bone Domine Ieſu, etſi ego admiſi vnde me damnare poſsis, tu non amiſiſti vnde ſaluare ſoles.

16 BERNARDVS explicans verba illa;
Ser. 3. ſuper Euangelium Miſſus eſt. Concipies & paries filium, & vocabis nomen
Matt. 1. eius Ieſum, ſic ait: Rationem huius vocabuli alius Euangeliſta ponit, Angelo ſic interpretante. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Duos Ieſus lego in typo huius, quem nunc in manibus habemus præceſſiſſe, ambos populis præfuiſſe. Quorum alter populũ ſuum de Babylone eduxit, alterũ ſuum in terram promiſsionis introduxit. Et illi quidem illos, quibus præerant ab hoſtibus defendebant, ſed numquid ſaluabant a peccatis eorum? Is autem noſter Ieſus, & a peccatis ſaluat populum ſuum, & introducet in terram viuentium. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Vtinam & me peccatorem dignetur Dominus Ieſus annumerare populo ſuo, vt ſaluũ me faciat a peccatis meis. Vere enim beatus populus, cuius Dominus Deus eius Ieſus eſt, quia ipſe ſaluum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Vereor ne pleriſque qui quaſi in populo eius religioſiores eſſe videntur, ipſe aliquando dicat. Populus
Matt. 15. hic labijs me honorat, cor autem eorum longe
Lucæ 6. eſt a me. Nouit enim Dominus Ieſus, qui ſunt eius, nouit & quos elegerit a principio. Quid me vocatis, ait, Domine, Domine, & non facitis quæ dico? Fac quæ dicit Ieſus, & computabit te in populo ſuo.

17 IDEM explicans verba illa; Vocatum eſt
In ſerm. 2. Circũciſionis. nomen eius Ieſus, quod vocatum eſt Angelo, ſic inquit: Vocatum planè non impoſitum, nempe hoc ei nomen eſt ab æterno. A natura propria habet, vt ſit Saluator innatum eſt ei nomen hoc, non inditum ab humana vel angelica creatura. Sed quid dicimus? quod egregius ille propheta hunc ipſum puerum multis nominibus appellandum fore prædicens, hoc vnum tacuiſſe videtur, quod ſolum (vt præmonuit Angelus, & teſtatur Euãgeliſta) vocatum eſt nomen eius? Exultauit Iſaias vt videret diẽ
Iſa. 9. hunc, vidit & gauiſus eſt. Denique & loquebatur gratulabundus & laudans Deum: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus, fortis, pater futuri ſæculi, princeps pacis. Magna quidem nomina. Sed vbi eſt nomen quod eſt ſuper omne nomen, nomen Ieſu, in quo omne genu flectatur? Fortis in his omnibus vnum illud inuenies, ſed expreſſum quodammodo & effuſum. Nempe ipſum eſt, de quo Sponſa in Cantico canoris: Oleum, inquit
Cant. 1. effuſum nomen tuum. Habes ergo vnum ex his omnibus appellationibus Ieſum, nec omnino aut vocari poſsit, aut eſſe Saluator. Si forte quippiam eorum defuiſſet. Numquid non vere admirabile eum ſinguli ſumus experti, in mutatione vtique voluntatum noſtrarũ? Hoc nempe eſt ſaluationis noſtræ principium cum incipimus reſpuere quod diligebamus, dolere vnde lætabimur, amplecti quod timebamus, ſequi quod fugiebamus, optare quod contemnebamus. Admirabilis plane qui hæc operatur mirabilia. Sed nihilominus & conſiliarius 18
ſe ſe exhibeat neceſſe eſt in electione pœnitentiæ, & vitæ ordinatione, ne forte ſit nobis abſq; ſcientia zelus, & voluntati bonæ prudentia deſit. Sanè opus eſt, vt Deum quoque probemus in remiſsione videlicet priorum delictorum, quia nec ſine hac ſalus nobis conſtare poteſt, & nemo poteſt dimittere peccata, niſi ſolus Deus. Verum ne id quidem ſufficit ad ſalutem niſi fortem quoque experiemur in expugnãdo impugnantes nos, ne ab eiſdem rurſum concupiſcentijs ſuperemur, & fiant nouiſsima noſtra peiora prioribus. Videtur ne iam aliquid deeſſe Saluatori? Plane deeſſet quod maximum eſt, niſi & pater eſſet futuri ſæculi, vt per eum ſcilicet in immortalitatem reſurgeremus, qui per præſentis ſæculi patrẽ generamur ad mortem. Neque hoc ſatis ſi non etiam princeps pacis patri nos reconciliaret, cui traditurus eſt regnum, ne forte ſicut filij perditionis vtique non ſalutis reſurrecturi videremur ad pœnam. Multiplicabitur ſane eius imperium, vt meritò Saluator dicatur etiam pro multitudine ſaluandorum, & pacis non erit finis, vt veram noueris eſſe ſalutem.

IDEM exponens verba illa; Protegam eũ, 19
quoniam cognouit nomen meum, aut in præSerm. 15. in Pſalm. Qui habitat. ſentia vultus glorificatio, in notitia nominis protectio exhibetur ſpes in nomine, res in facie eſt. Protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Non nouit nomen eius, qui illud aſſumit in vanum, qui dicit ei, Domine, Domine, & non facit quæ dicit ipſe. Non nouit nomen eius, qui eum nec honorat, vt patrem, nec vt Dominum timet. Non nouit nomen eius, qui ad vanitates, & inſanias falſas conuertitur. Beatus vir, cuius eſt nomen Do-
Pſal. 39. mini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates, & inſanias falſas. Hoc nomen cognouerat, qui dicebat: Non eſt aliud nomen datum homini-
Act. 4. bus, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Nos quoque ſi nouimus nomen ſanctum, quod inuocatum eſt ſuper nos deſiderandum vtique nobis, vt ſemper ſanctificetur in nobis, atq; ita orandum iuxta doctrinam vtique Saluatoris, Pater
Matth. 5. noſter ſanctificetur nomen tuum, Clamauit ad me, & ego exaudiam eum. Hic fructus notitiæ nominis, clamor orationis, porro fructus cla-

moris

moris, exauditio Saluatoris. Gratias ei, qui
manifestauit hominibus nomen patris, fructũ
salutis in eius inuocatione constituens, sicut
Ioel 2. scriptum est: Quicumque inuocauerit nomen
Domini saluus erit.

20 IDEM sic habet: Et vocabitur nomen eius
Serm. 10. ex paruis. admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater
futuri sæculi, princeps pacis. Admirabilis est
in natiuitate, consiliarius in prædicatione,
Deus in operatione, fortis in passione, Pa-
ter futuri seculi in resurrectione, Princeps pa-
cis in perpetua beatitudine. Hæc etiam nomi-
na possunt ei congrue assignari in opere no-
stræ salutis. Nam primo dicitur admirabilis
in conuersione nostræ voluntatis, quæ mutatio
est solius dexteræ excelsi. Postmodum dici-
tur consiliarius in reuelatione suæ voluntatis,
quando reuelat quid sequendum sit iam con-
Act. 9. uersis: Vnde Paulus iam conuersus dicebat:
Domine quid me vis facere? Conuersi autem
necesse est compungantur pro præteritis de-
lictis, in quorum remissione dicitur Deus, cu-
ius tantum est peccata remittere. Quarto di-
citur fortis, iuxta sententiã enim Apostoli ne-
2. Tim. 3. cesse est, vt omnes, qui pie viuere volũt in Chri
sto Iesu, persecutionem patiantur. Sed quis
sustineret, nisi illæ iuuaret? Vnde Dauid: Ni-
Psal. 93. si quia Dominus adiuuit me paulominus ha-
bitasset in inferno anima mea. Cum ergo nos
in tribulatione protegit, cum ipsas aereas po-
testates arcet à nobis ac repellit, quid aliud in
hoc opere dici potest nisi fortis? Vnde di-
Psal. 23. ctum est: Dominus fortis, & potens, Dominus
potens in prælio. Et quoniam ipsa conuersio,
& vita nostra in Christo agenda est non intui-
tu temporalium rerum, sed spe futurorum bo-
1. Cor. 15. norum, ideo quinto loco ponitur: Pater futuri
seculi. Pater scilicet in regeneratione corpo-
rum nostrorum. Quia vero omnes quidem re-
surgemus, sed non omnes immutabimur, vt di-
scernat immutationem iustorum ab iniquo-
rum resurrectione, ponitur sexto loco prin-
ceps pacis. Qua obtenta tota perfectio im-
pletur, nec iam vltra aliud quicquam appeten
dum relinquitur: Ipsa est enim in cuius exul-
Psal. 147. tatione concinit Psalmista dicens: Lauda Hie-
rusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion,
quoniam confortauit seras portarum tuarum
benedixit filijs tuis in te, qui posuit fines tuos
pacem. Horum sex nominum consequentiam,
& virtutem breuiter atque eleganter compre
hendit vno nomine Angelus loquẽs ad Ioseph,
Matth. 1. & vocabis, inquit, nomen eius Iesum. Cu-
ius videlicet nominis exponens rationem, ip-
se enim, ait, saluum faciet populum suum a
peccatis eorum.

21 IDEM explicans illa verba Canticorum
Serm. 15. in Cantica. primo: Oleum effusum nomen tuũ, sic habet:
multa sponsi vocabula sparsa per omnem di-
uinam paginam legitis, sed in duo ea vobis
vniuersa complector. Nullum vt arbitror re-
perietis, quod non aut pietatis gratiam, aut
potentiam maiestatis sonet. Spiritus ita di-
cit per sibi familiarius organum. Duo hæc au-
diui quia potestas Dei est, & tibi Domine mi- *Psal. 61.*
sericordia. Ergo secundum maiestatem san- *Psal. 106.*
ctam, & terribile nomen eius, secundum pie-
tatem, non est aliud nomen sub cælo datum ho *Act. 4.*
minibus in quo oporteat nos saluos fieri. Sed
exemplis magis perspicuum fiet. Hoc est, in-
quit, nomen nouum, quod vocabunt eum, Do- *Hiere. 23.*
minus iustus noster, nomen potentis est. Item,
& vocabitur nomen eius Emanuel, pietatem *Isa. 7.*
insinuat. Item ipse de se vos vocatis me ma- *Ioan. 13.*
gister, & Domine. Primum gratiæ est, secun-
dum maiestatis. Non enim minus pium est do-
cere animum scientiam, quàm præbere escam
corpori. Rursum propheta: vocabitur nomen *Isa. 9.*
eius admirabilis, consiliarius, Deus, fortis, pa-
ter futuri sæculi, princeps pacis. Primum ter-
tium quartum maiestatem sonat, reliqua pie-
tatem. Quod horum ergo effunditur? Profe-
cto maiestatis ac potentiæ nomen, in id quod
est pietatis, & gratiæ, quodammodo transfun-
ditur, ipsumque effunditur abunde per Iesum
Christum Saluatorem nostrum. Nomen, ver-
bi gratia, quod Deus est, nonne in id quod est
nobiscum Deus, hoc est, in Emmanuel lique-
scit, & deficit? Sic admirabilis in id, quod est
consiliarius, sic Deus & fortis in ea quæ sunt
pater futuri sæculi, & princeps pacis. Et Do-
minus iustus noster misericors, & miserator
Dominus. Non dico nouum quid, quondam
quoque nihilominus Abram in Abraham, & 22
Sarai in Saram effusa sunt. Etiam nunc salu-
tiferæ effusionis celebratum præfiguratum-
que mysterium recordamur. Vbi iam illud,
quod apud antiquos tam terribiliter, quàm
frequenter intonare solebat, ego Dominus,
ego Dominus. Nec mirum si cum venit ple-
nitudo temporis facta est effusio nominis, Deo
quippe, quod per Ioelem promiserat adim- *Ioel 2.*
plente, & effundente de spiritu suo super om-
nem carnem. Currite gentes ad manum est
salus, effusum est nomen, quod quicunque in-
uocauerit saluus erit. Angelorum Deus, e-
tiam hominum Deum se nominat. Ego sum
dicens, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus *Exo. 3.*
Iacob. Et non amplius? Effunde, effunde, ape-
ri manum tuam adhuc, & imple omne ani-
mal benedictione. Veniant ab oriente, & occi-
dente, & recumbant cum Abraham, Isaac, &
Iacob, in regno cælorum. Veniant, veniant, *Matth. 8.*
tribus, tribus Domini testimonium Israel,
ad confitendum nomini Domini. Veniant, & *Psal. 111.*
recumbant, exultent, & delectentur in lætitia,
& vnus vbique resonet in voce exultationis, &
confessionis sonus expulantis, oleum effusum
nomen tuum. Agnosco nomen quod in Isaia
legi: Seruos suos, inquit, vocauit nomine alio, *Isa. 65.*
in quo, qui benedictus est super terram, benedi
cetur in domino. Amen. O nomen benedi-
ctum? o oleum vsquequaque effusum? Quo-
usque? De cælo in iudæam, & inde in omnem
terram excurrit, & de toto orbe clamat eccle-
sia, oleum effusum nomen tuum. Effusum pla-
ne, quod non solum cælum terrasque perfudit,
sed asperſit, & inferos adeo, vt in nomine Iesu *Phil. 2.*
omne

omne genu flectatur cælestium terrestrium, &
infernorum, & omnis lingua confiteatur, & di-
cat, oleum effusum nomen tuum. Ecce Chri-
stus, ecce Iesus vtrumque infusum angelis,
vtrumque effusum in homines, & illos homi-
nes, qui computruerant tamquam iumenta in
stercore suo, homines & iumenta saluans quẽ-
admodum multiplicauit misericordiam suam
23 Deus. Quàm carum, quàm vile, sed salubre.
Si vile non esset, non mihi effunderetur. Si
salubre non esset, non me lucraretur. Parti-
ceps nominis sum, sum & hereditatis: Chri-
stianus sum, frater Christi sum. Si sum quod
dicó, heres sum Dei, coheres autem Christi.
Et quid mirum si sponsi effusum est nomen, cum
ipse quoque effusus sit? Nam semetipsum exi-
naniuit formam serui accipiens. Denique ait,
sicut aqua effusus sum. Effũsa est plenitudo di-
uinitatis habitans super terram corporaliter,
vt de illa plenitudine omnes qui corpus mor-
tis gestamus caperemus, ac vitali odore re-
pleti diceremus, oleum effusum nomen tuum.
Est proculdubio inter oleum, & nomen sponsi
similitudo, in triplici olei qualitate, quod lu-
cet, pascit, & vngit. Fouet ignem, nutrit car-
nem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina.
Vide idem nunc & de sponsi nomine. Lucet
prædicatum, pascit recogitatum, inuocatum
lenit & vngit. Vnde putas in toto orbe tan-
ta & tam subita fidei lux, nisi de prædicato Ie-
su? Nonne in huius nominis luce Deus nos
vocauit in admirabile lumen suum, quibus il-
luminatis, & in lumine isto videntibus lumen
Ephes. 5. dicat Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc
autem lux in Domino. Hoc denique nomen
coram gentibus & regibus, & filijs Israel por-
Roma. 13. tare iussus est, idem Apostolus: Et portabat
nomen tamquam lumen, & illuminabat pa-
triam, & clamabat vbique: Nox præcessit,
dies autem appropinquauit, abijciamus ergo
opera tenebrarum, & induamur arma lucis
sicut in die honestè ambulemus. Et monstra-
bat omnibus lucernam super cãdelabrum an-
nuncians in omni loco Iesum, & hunc Cruci-
fixum. Quomodo lux ista splẽduit ac perstrin-
xit cunctorum intuentium oculos quando de
ore Petri tamquam fulgur egrediens claudi
vnius plantas solidauit, multosq. spirituali-
Act. 3. ter cæcos illuminauit? Numquid non ignem
sparsit, cum ait: In nomine Iesu Christi Na-
zareni surge, & ambula? Nec tantum lux est
nomen Iesu, sed est & cibus. An non toties
24 confortaris quoties recordaris? Quid æquè
mentem cogitantis impinguat? Quid ita exer
citatos reparat sensus, virtutes roborat, ve-
getat bonos mores, castas fouet affectiones?
Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto
infunditur. Insipidus est si non hoc sale con-
ditur, si scribas non sapit mihi, nisi legero ibi
Iesum; si disputes, aut conferas, non sapit mi-
hi, nisi sonuerit ibi Iesus. Iesus mel in ore, in
aure melos, in corde iubilus. Sed est & medi-
cina. Tristatur aliquis vestrum? veniat in cor
Iesus, & inde saliat in os, & ecce ad exortum
in tenebris lumen nominis nubilum omne dif-
fugit, redit serenum. Labitur quis in crimen,
currit insuper ad laqueum mortis desperãdo,
nonne si inuocet nomen vitæ confestim respi-
rabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante fa-
ciem salutaris nominis duritia (vt assolet) cor-
dis, ignauiæ torpor, rancor animæ, languor
accediæ? Cui fons forte siccatus lachryma-
rum inuocato Iesu non continuo erupit vbe-
rior, fluxit suauior? Cui in periculis palpitan-
ti & trepidanti, inuocatum virtutis nomen
non statim fiduciam præstitit, depulit metum?
Cui quæso in dubijs æstuanti & fluctuanti, non
subito ad inuocationem clari nominis emi-
cuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti iam
iamq. deficienti, si nomen adiutorij sonuit, de-
fuit fortitudo? Nimirum morbi & languores
animæ isti sunt, illud medicina. Denique &
probare licet, Inuoca me, inquit, in die tri- *Psal. 49.*
bulationis eruam te, & honorificabis me.
Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tu-
morem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit
luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam,
sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris
fugat pruriginem. Siquidem cum nomino Ie-
sum hominem mihi propono, mitem, & hu-
milem, corde benignum, sobrium, castum,
misericordem, & omni sanctitate cõspicuum,
eundemq. ipsum Deum omnipotentem, qui 25
suo me & exemplo sanet, & roboret adiutorio.
Hæc omnia simul mihi sonant, cum insonuerit
Iesus. Sumo itaque exempla mihi de homi-
ne, & auxilium a potente, illa tamquam pig-
mentarias species, hoc tamquam vnde acuam
eas, & facio confectionem, cui similem medi-
corum nemo facere possit. Hoc tibi electua-
rium habes, o anima mea reconditum in vas-
culo vocabuli huius, quod est Iesus, salutife-
rum certe, quodque nulli vmquam pesti tuæ
inueniatur inefficax. Semper tibi in sinu sit,
semper in manu, quo tui omnes in Iesum, &
sensus dirigantur, & actus. Denique & inui-
taris: Pone me, inquit, signaculum in corde *Cant. 8.*
tuo, signaculum in brachio tuo. Nunc habes
vnde & brachio medearis & cordi. Habes in-
quam in nomine Iesu vnde actus tuos vel pra-
uos corrigas, vel minus perfectos adimpleas:
itemque vnde tuos sensus aut serues ne cor-
rumpantur, aut si corrumpantur sanes. Ha-
buit & Iudæa quosdam Iesus, quorum vacuis
gloriatur vocabulis. Illa enim nec lucent, nec
pascunt, nec medentur. Idcirco synagoga in
tenebris est vsque adhuc fame & infirmitate
laborans. Et non sanabitur, nec satiabitur
quousque sciat meum Iesum dominari Iacob,
& finium terræ, & conuertatur ad vesperam,
& famem patiatur vt canes, & circumeat ci-
uitatem. Et illi quidem præmissi sunt tam-
quam baculus ad mortuum prophetam præ- *4. Reg. 4.*
uenientes, & sua interpretari nomina nequi-
uerunt. Vacua quippe erant. Superpositus
mortuo baculus est, & non erat vox, neque
sensus.

sensus. Descendit qui baculum misit, & mox
Mar.2. saluum fecit populum suum a peccatis eorum, probans se esse quod dicebatur. Quis est hic qui etiam peccata dimittit? Nimirum qui dicit, salus populi ego sum. Iam vox, iam sensus est, & patet eum non inane portare nomen instar priorum, sentitur infusa salus, & beneficium non tacetur. Intus sensus, foris vox.

26 IDEM sic dicit; Vtrumque de Deo legis,
Serm. 57. in Cantica. & ignem videlicet ante ipsum præcedere, & ipsum nihilominus ignem esse. Moyses siquidem de illo dicit: Deus noster ignis consumens est. Differunt autem quòd is, qui præmittitur ignis ardorem habet, sed non amorem, coquens, sed non excoquens, mouens, sed non promouens. Tantum ad excitandum præmittitur, & præparandum, simulq. ad commonendum quid ex te sis, quo dulcius sapiat, postmodum quòd ex Deo eris mox. At verò ignis qui Deus est, consumit quidem, sed non affligit, ardet suauiter, desolatur feliciter. Est enim verè carbo desolatorius; sed qui sic in vitia exerceat vim ignis, vt in anima vicem exhibeat vnctionis. Ergo in virtute, qua immutaris, & in amore, quo inflammaris, Do-
Psal. 117. minum præsentem intellige. Nam dextera Domini fecit virtutem. Non autem fit hæc mutatio dexteræ excelsi, nisi in feruore spiritus;
Psal. 38. ita vt dicat qui huiusmodi est: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.

Nomina, quibus significatur iustorum & malorum differentia, nominaq. quibus iustorum virtutes aperiuntur. Cap. III.

1 ORIGENES in quo columbas docet ad sacrifi-
Homil. 3. in cap. 3. Leuitici. to. 1. cium requirendas, ait: Oculi tui, dicit sponsus,
Cant. 5. sicut columbæ super plenitudines aquarum. Ad aquarum ergo plenitudines properandum est: in his enim sponsæ describitur pulchritudo. Et collum, inquit, tuum sicut turturis, in columbis oculi prædicantur. Quod enim dixit columbæ super plenitudines aquarum, ferunt hoc genus auis cum ad aquas venerit, quia ibi solet accipitris insidias pati, venientem desuper inimicum, volitantis vmbram aquis inspectam deprehendere, & oculorum perspicacia fraudem periculi imminẽtis euadere. Quod etsi tu ita prospicere potueris insidias diaboli, & cauere, sacrificium Deo columbas obtuleris.

2 IDEM sic dicit: Animalia, quæ in aquis
Homil. 7. in c. 10. Leuit. sunt, quia dicuntur, si quidem habent pennas, & squamas munda esse, si verò non habeant immunda, nec edi debere; illud in his ostenditur, vt si quis est in aquis istis, & in mari vitæ huius, atque in fluctibus sæculi positus, tamen debeat satis agere, vt non in profundis degat aquarum, & iaceat, sicut sunt isti pisces, qui dicuntur non habere pennas, neque squamas. Hæc namque eorum natura perhibetur, vt in imis semper, & circa ipsum cœnum demorentur, sicut sunt anguillæ, & huic similia, quæ non possunt ascendere ad aquæ summitatem, neque ad eius superiora peruenire. Illi vero pisces, qui pennulis iuuantur, ac squamis muniuntur, ascendunt magis ad superiora, & aeri huic viciniores fiunt, velut qui libertatem spiritus quærant. Talis est ergo sanctus quisque, qui intra fidei retia conclusus, bonus piscis a Saluatore nominatur, qui etiam mittitur in vas velut pennas habens & squamas. Nisi enim habuisset pennas non resurrexisset de cœno incredulitatis, nec ad rete fidei peruenisset, nisi pennis adiutus ad superiora veniisset. Quid est autem quod & squamas habere dicitur? Tamquam qui paratus sit vetera indumenta deponere. Hi enim qui squamas non habent velut ex integro carnei sunt, & toti carnales, qui deponere nihil possunt. Si quis ergo habet pennas, quibus ad superiora nitatur, mundus est. Qui verò non habet pennas, sed in inferioribus permanet, & in cœno semper versatur, immundus est. Similiter autem & de auibus. Non manducabis, inquit, hæc, quia immunda sunt. Aquilam & vulturem, & his similia. His etenim auibus semper mortuorum corporum cibus est, & ex mortuis cadaueribus viuunt: Omnes ergo, qui huiusmodi vitam gerunt immundi habendi sunt. Ego puto & illos in his nominari, qui alienis incubant mortibus, velut mortuorum cadaueribus inhiantes. Aliæ aues sunt immundæ rapacitati studentes, diripientes bona proximi, &c.

3 IDEM explicans verba illa Numero-
Homil. 9. in c. 16. Num. rum 16. Qua ratione sæuiente indignatione Domini in populum, & igne vastante egressus sit Aaron cum igneo thuribulo, & tunc cessauerit vastatio, inquit: In alijs exemplaribus non vastatio, sed confractio legitur, quod & magis interpretationis conuenit veritati. Confractio namque est, quæ velut in vasis fictilibus efficitur. Peccatores ergo vasa fictilia fiunt, sicut Hieremias propheta designat in lamentationibus, dicens: Filij Sion incliti amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Et in domo magna non sunt, inquit Apostolus, tantummodo vasa aurea, & argentea, sed & lignea, & fictilia, & alia quidem in honorem, alia autem in contumeliam. Sunt ergo vasa fictilia ad contumeliam, quæ & confringi possunt: sed consideremus diligentius quid in consequentibus Apostolus de ipsis vasis fictilibus dicat: Si quis, inquit, emundauerit semetipsum ab his, erit vas in honorem sanctificatum, & vtile Domino ad omne opus bonum

num paratum, in quo ostendere videtur quod & vas ipsum quod fit, & per quem fit, vnus atque idem homo sit. Intellige ergo propositum quidem hominis esse, quod operatur, reliquam
Rom. 9. autem partem hominis, ipsum esse vas, quod fit vel ad honorem, vel ad contumeliam. Cum ergo sensus noster quæ bona sunt eligit, & ad bonam nos conuersationem trahit, facit nos vas vtile. Cum autem neglexerit, & decederit propositum nostrum a bonis, efficimur vas in contumeliam. Si ergo intellectus noster luteus sit, & de luto semper, ac de terrenis cogitet, efficitur vas fictile, & opus manuum figuli. Et forte propter hoc iste, qui talis est, increpatur ab Apostolo, quasi qui sensum habens luteum, & terrenum de magnis, & ijs, quæ capere non potest, quærat, & dicat: Quid ergo adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis resistit? cui Apostolus quasi luteo respondit. Tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit, quid me
2. Cor. 4. fecisti sic? Dicitur præterea corpus nostrum vas fictile, sicut dicit Paulus: Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. Quia in corpore nostro positus est thesaurus gratiæ.

4 IDEM explicans verba illa Canticorum
Hom. 4. ex-pos. 1. in Cãtica. cap. 2. Surge, propera amica mea, speciosa mea, columba mea, inquit: Primus sermo Dei loquitur ad hanc speciosam, decoramq. animam, euocans eam, vt procedat foras, & extra sensus iam corporeos effecta desinat esse in carne; vt merito audiat: Vos autem non estis in carne sed in spiritu. Non enim aliter diceret eam verbum Dei proximã sibi, nisi cõiungeret se ei, & fieret cum eo vnus spiritus, nec diceret eam speciosam, nisi videret imaginem eius renouari de die in diem, & nisi videret eam capacem Spiritus sancti, qui in specie
Psal. 54. columbæ descẽdit in Iordane super dominum, non ei diceret columba mea. Conceperat enim amorem verbi Dei, & cupiebat ad ipsum volatu celi peruenire dicens; Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam, cum apprehendero sapientiæ, & scientiæ thesaurum? Puto enim quod hi, qui mortem Christi recipiunt, & mortificant membra sua super terram consortes efficiantur similitudinis mortis eius. Ita & hi qui virtutem Spiritus sancti recipiunt, & sanctificantur ex eo, & donis eius replentur, quia ipse in specie columbæ apparuit, vt etiam ipsi columbæ fiant, & de terrenis & corporeis locis euolent ad cælestia pennis sancti spiritus subleuati. Tem-
Cant. 2. pus autem opportunum, quo hæc fieri possint, explicatur cũ dicitur; Iam enim hyems transijt, imber abijt. Non enim antea anima verbo Dei iungitur atque sociatur, nisi omnis ex
5 ea hyems perturbationum, ac vitiorum procella discesserit, & vltra iam non fluctuet, & circumferatur omni vento doctrinæ. Vbi ergo ex anima hæc cuncta discesserint, desideriorumq. ab eadem tempestas defuerit, tunc incipient in ea flores vernare virtutum; tunc eius menti & tempus putationis aduenient, & si quid superfluum, seu quod minus vtile fuerit in eius sensibus, vel intellectibus resecabitur, & ad gemmas spiritalis intelligentiæ reuocabitur, tunc etiam vocem turturis audiet illius sine dubio sapientiæ, quam dispensator verbi loquitur inter perfectos sapientiæ Dei altioris, quæ abscondita est in mysterio. Hæc namq; auis in secretioribus & remotis a multitudine locis vitam transigit, aut deserta mõtium diligens, aut secreta siluarũ procul semper a multitudine posita, aut a turbis aliena. Ficus protulit grossos suos, sicut generaliter Cant. 2. in Ecclesia diuersæ arbores singulæ quæque credentium intelliguntur, de quibus ait: Omnis arbor, quam non plantauit pater meus, eradicabitur. Ita singuli quique credentium diuersæ arbores intelliguntur. Est ergo & in anima ficus quædam, quę producit germen suũ, & est vitis quę floreat, & reddat odorem suum: Cuius vitis palmites purgat pater cælestis agricola, vt fructum plurimum afferant. Sed hæc primum per odoris suauitatem, quæ ex flore redditur, lætificat odoratum secundum eum qui dicebat, quoniam Christi bonus odor sumus Deo in omni loco. Hæc ergo initia virtutum videns sermo Dei in anima, vocat eam ad semetipsam vt festinet & exeat & abijciens cuncta corporea venit ad eum, vt perfectionis eius particeps fiat.

6 CHRYSOSTOMVS explicans illa
Hom. 11. in c. 3. Matth. to. 2. verba; Huius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream suam & paleas quidem comburet igni &c. ait: nemo igitur sit palea, nemo fide fluctuans, nemo cogitationibus prauis obnoxius vbilibet ab illis iactandus. Si enim in frumenti soliditate permanseritis, etiam si tribulatio irruat, nihil dabit incommodi. Siquidem in area iacens frumentum rapidę etiam rotæ nihil comminuunt prorsus. Si vero in infirmitatem decideris palearum, & hic intoleranda patieris à cunctis omnino concisus, & ibi immortale supplicium sustinebis. Siquidem omnes huiusmodi, etiam ante illius fornacis incendium, pabulum hic efficiuntur irrationabilium passionum, sicut & paleæ ab irrationalibus vocantur animalibus, & ibi rursus esca erunt ignium atque materia. Infra: Nequaquam ergo iaceamus neque ad omnem ventum huc illucque rapiamur. Nam & frumentum pateis mensura quidem minus est, sed natura preciosius. Ne igitur præteruolans sæculi huius vmbras atque imagines concupiscas, quæ vtique ignibus præparãtur; sed amplectere humilitatem Deo placitam, firmam scilicet, ac dissolui omnino nesciam, quam nullus gladius incidere, nullus queat ignis exurere. Propter huiuscemodi enim & paleas patienter expectat, vt fiant ex illius coniunctione meliores.

7 IDEM explicans verba illa ad Thessalo-
Homil. 9. in 1. ad Thess. nicenses cap. 5. Omnes vos filij lucis estis, & filij diei, & non sumus noctis, neque tene-

brarum dicit: Filij diei dicuntur illi, qui quæ lucis sunt faciunt. Et non sumus noctis neque tenebrarum. Ne dormiamus itaque sicut & ceteri, sed vigilemus ac sobrij simus. Qui namque dormiunt, nocte dormiunt, & qui ebrij sunt, nocte ebrij sunt. Nos autem qui diei sumus, sobrij simus. Quod ad hanc quidem diem & hanc noctem attinet, non est in nostra potestate, sed etiam inuitis nobis irruit nox, & nolentibus imminet somnus. Quod verò ad spiritualem illam noctem, & somnium attinet, non item, sed possumus semper vigilare, possumus semper in die agere. Animæ siquidem oculos claudere, & malitiæ somnum inducere non est naturæ, sed voluntatis. Sed vigilemus, inquit, & sobrij simus. Nam & in die si quis vigilauerit quidem, sobrius verò non fuerit, in mille mala incidet. Potest & qui vigilat dormire dū nihil boni operatur. Quamobrem autem malitiam somnum vocauit? Eo quòd ad virtutem ignauus, ac deses est, qui malus est, deinde omnia imaginatur, nihil veri videt, sed plenus est somnijs & de absurdis plerumque rebus. Si verò etiam iucundum quid viderit, nihil tamen firmum, nihil habet solidum. Talis enim est præsens vita. Somnijs & imaginationibus vanis abundat, somnium sunt diuitiæ, gloria, quæcumque talia. Qui dormit ea quidem quæ sunt, & vere subsistunt non videt, quæ vero non sunt pro existentibus imaginatur. Talis est malitia, & vita, quæ in malitia est. Quæ sunt non videt, hoc est, spiritualia, cælestia, perseuerantia, sed quæ diffluunt, & auolant, & celeriter a nobis resiliunt.

8 HIERONYMVS sic ait: Affirmamus eos, qui cælestem hominem portant esse cælestes. Si enim ad peccatorem dicitur: Terra es, & in terram ibis, quare non dicatur ad iustū, cuius est regnum cælorum: Cælum es, & in cælum ibis? Et si propter terrenum dicitur ei, qui portat imaginem terreni; terra es, & in terram ibis: cur propter cęlestem, ei qui portat imaginem cælestis, non conuenit dici, cælum es, & in cælum ibis?

Epist. cuius tit. est, De tribus virtutib. to. 9.

9 IDEM inquit: Capillos capitis Dei sanctos intelligimus. De quo quidem sacramento in libro Danielis scriptum est: Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit, vestimentum eius quasi nix candidum, & capilli capitis eius quasi lana munda. Hoc enim significat per vestimenta candida Dei, quod per capillos multitudinem videlicet sanctorum dealbatorum. Infra: Vestimenta Dei sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidem, & dilectionem ei coniuncta est. De qua dicitur in Psalmo: Dominus regnauit, decorem induit. Et in psalmo alio ad ipsum Dominum: Confessionem, & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento.

In epist. de his quę Deo in sacris literis attribuuntur. to. 9. Dan. 7. Psal. 92. Psal. 103.

10 IDEM explicans verba illa; Quasi cadauer putridum non habebis consortium. Vbi septuaginta verterunt, quomodo vestimentū commixtum sanguine non erit mundum, sic nec tu eris mundus, sic habet: Quomodo sanctus vestimentum Dei est, & vestimentum nouum, & vestitur tunica salutis atque lætitiæ, dicens: Exultet anima mea in Domino. Induit enim me vestimento salutis, & tunica lætitiæ circundedit me: Sic e contrario peccator, qui portat imaginem terreni hominis, meretur audire: Ecce omnes vos quasi vestimentum veterascemini, & tinea deuorabit vos. Qui autem profecerit in scelere, & vetustatem noluerit emundare nouitate, nequaquam veteri vestimento, sed panno menstruatæ mulieris comparabitur, dicens: Errauimus, & facti sumus immundi omnes nos, sicut pannus menstruatæ vniuersa iustitia nostra.

Lib. 6. in c. 14. Isa. to. 4. Isa. 61. Isa. 50.

11 IDEM exponēs verba illa, Et dixit Sion, dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei, dicit Sion; aliquando vocatur sanctorum congregatio, qui in pace Domini, & in virtutum specula constituti rectè appellantur Sion, de qua dicitur: Fundamenta eius in mōtibus sanctis, diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Neq; enim fundamenta iudaicæ Sion, quam videmus esse destructam, a Domino sunt dilecta, aut quod a Domino dilectum est, destrui potuit. Hæc ergo congregatio sanctorum, quæ prior fuerat in iudæis, & a Domino derelicta est, hæc voce lachrymabili conqueritur se esse desertam, & Domini auxilio destitutam.

Lib. 13. in c. 49. Isa. to. 4. Psal. 86.

12 IDEM inquit: Venatores & piscatores in bonam, & in malam partem in sacris literis accipiuntur. In malum dicitur: Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Et in prouerbijs: Oculus meretricis, laqueus est peccatoris. Sunt autem & in bonam partem his contrarij venatores, de quibus scribit Hieremias: Ecce ego mittam piscatores, & venatores qui venentur vos de omni colle, & monte, quos & Dominus mittit ad piscandum, & fecit eos de piscatoribus piscium piscatores hominum. Vnde & Viculus Petri, & Andreæ hoc appellatur vocabulo. Bethsaida enim in lingua nostra interpretatur domus venatorum.

Lib. 9. in c. 28. Ezech. to. 4. Psal. 123. Prou. 23. Hiere. 16.

13 IDEM explicans verba illa: Facta est quasi nauis institoris, sic ait: Institorem negotiatorem dicit, qui pro eo sic vocatur ab antiquis, quod acquirendis, multiplicandisque mercibus sedulus insistat. Facta est ergo fortis mulier, quasi nauis institoris, quia sicut nauis institoris onusta mercimonijs, quæ in sua patria magis abundant, porro per mare petijt peregrina, vt illic venditis quæ attulerat, chariora ad domum reportet; sic nimirum anima quæque perfecta virtutum diuitijs gaudet onustari, quibus maioradiuinæ gratiæ dona mercetur. Optimum est namque commercium, cum bona, quæ valemus operantes, primo hanc a Domino mercedem recipimus, vt ad maiora semper agenda proficiamus, dehinc vitam perficiamus sempiternam. Facta est ergo anima sancta quasi nauis institoris, quæ transit desiderio fluctus sæculi præsentis, solaque se in cælis accipere sperat æterna gaudia, & pro his abundantius adipiscendis quicquid valet instāter agere, quicquid aduersum occurrit fortiter superare contendit. De qua recte dicitur: Quia de longe portat panem suum, quia in cunctis, quæ temporaliter bona agit, æternam solummodo retributionem expectat: Solam viui panis saturitatem desiderat. At contra de proximo panem suum recipit, & non hunc de longe trans maria portat, qui in eo quod iuste viuere videtur, humani tantum fauoris præmia expetit, neque vllo vitæ permanentis intuitu, ea quæ in imis labuntur superare, & calcare satagit.

Lib. 13. in c. 31. Prouer. to. 2.

14 IDEM exponens verba illa; Nunquid tenuisti concutiens extrema terræ, & excussisti impios ex ea, ait, secundum moralem intelligētiam terram interpretamur naturā humanā, quia ab humo homo dictus est, & extrema sint sanctorum vita, quia in carne positi sine carnalibus illecebris viuunt. Et ideo in extremis terræ dicuntur de terrenis actibus euntes non in medio tanquam in tota carne viuentes. Hæc igitur extrema siue fines terræ in manu Domini sunt, sicut ait propheta: Quia in manu eius sunt omnes fines terræ, quos, hic ait, Dominus se tenere, atque concutere, vt tremant a facie eius, sicut de eo propheta ait: Qui respicit terram, & facit eam tremere. Et ita de terra eorum excutit impios, quos vtique execrandos mores intelligimus vitiorum. Excutit ergo Dominus a sanctis suis huius mundi impios, quando eos ab illis purificatos constituit innocentes: Vnde propheta dicebat: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini, qualibet videlicet anima sancta, omnes operantes iniquitatem.

In cap. 38. Isa. Psal. 94. Psal. 103. Psal. 100.

15 IDEM explicans eiusdem capitis verba: Quis dedit gallo intelligentiam sic habet: gallo Deus huiusmodi sensum dedit: vt emenso noctis tempore, quasi proxime lucis memor eandem mundo canens annunciet reuertentem. Gallum puto esse vnumquemque sanctorum, qui in nocte, & tenebris huius mundi accipiunt fidem, intelligentiam virtutis, constantiam clamandi ad Deum, vt inspiret iam dies permanens, & amoueantur tenebræ vitæ præsentis, cum vrgenti, & frequenti clamore precum suarum dicentes: Emitte lucem tuam, & veritatem tuam. Quod & de prophetis intelligere possumus, qui certatim annunciauerunt diei ac solis aduentum.

Psal. 24.

16 AMBROSIVS sic ait: In ipsis generibus arborum, quæ diuturnis frondibus vestiuntur, non mediocris distantia est: Seruat indumentum suum semper olea, vel pinus, sed tamen folia sua sæpe commutant, nec ea quasi diuturna, sed quasi succedanea prætendunt suæ arboris pulchritudinis perpetui integritate vestitus vice muneris obumbrantes: Palma autem virens semper manet, conseruatione, & diuturnitate non immutatione foliorum. Nam quæ primo germinauerit folia, ea sine vlla substitutionis successione conseruat. Imitare ergo eam, ò homo, vt dicatur, & tibi, statura tua similis facta est Palmæ. Serua viriditatem pueritiæ, & illius innocentiæ naturalis, quam a primordio recepisti, vt plantatus secus decursus aquarum fructum tuum in tempore tuo habeas præparatum, & folium tuum, non defluat. Hanc viriditatem gratiæ semper florentis in Christo secuta Ecclesia dicit: In vmbra eius, quem desideraueram, sedi. Hanc prærogatiuam doni virentis acceperunt, & Apostoli, quorum nec folium vnquam potuit elabi, vt eorum etiam vmbra curaret ægrotos. Obumbrabat enim infirmitati corporis, fides mentis, & florentia merita virtutum. Mane ergo plantatus in domo Domini, vt in atrijs eius sicut palma floreas.

Lib. 3. He-xameron. c. 17. to. 1. Cant. 7. Psal. 1. Cant. 2.

17 IDEM inquit: Piscis ergo es ò homo. Simile est regnum cælorum reti misso in mare, & ex omni genere piscium congreganti, cum autem esset impletum duxerunt ad littus, & elegerunt bonos in vasis suis, malos autem foras miserūt, &c. Sunt ergo boni & mali pisces, boni seruantur ad pretium, mali statim ardent. Bonum piscem nec retia inuoluunt, sed eleuant, nec hamus interficit, sed precioſi vulneris perfundit sanguine, in cuius oris confessione, bonum precium reperitur, quo tributum Apostolicū, & census Christi possit exolui. Sic enim scriptum est dicente Domino ad Petrum: Vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ibi stateram, illum sumens, da eis pro me, & te. Noli igitur o bone piscis. Petri hamum timere, non occidit, sed consecrat. Noli quasi vilem te contemnere, quia vides corpus infirmum, habes in ore tuo, quod, & pro Christo, & pro Petro offeras. Noli timere Petri retia cui dixit Iesus, duc in altum, & laxate retia. Noli timere sinum eius, quia dictum est ei: Ex hoc eris homines viuificans. Ideo misit retia, & complexus est Stephanum, qui de Euangelio primus ascendit, habens in ore suo stateram iustitiæ. Infra cap. 7. exili super vndas ò homo, quia pisces es non te opprimant, sæculi istius fluctus. Si tempestas est pete altum & profundum, si serenitas, lude influctibus, si procella, caue à scupuloso littore, ne te in rupem furens æstus illidat.

Matt. 13. Matt. 17. Luc. 5.

18 IDEM explicans verba illa; Adhæsit pauimento anima mea, viuifica me secundum verbum tuum, inquit: Qui secundum corporis appetentiam viuit, caro est, qui secundum præcepta Dei, spiritus est. Non ergo fiat anima nostra caro, hoc est vt dicamur caro sicut, & illi, qui in diluuio perierunt, de quibus dictum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus, quia caro sunt: Sed magis caro

Serm. 4. in Psal. 118. to. 2. Gen. 6.

noſtra obediens animæ gubernaculum fiat animæ, & hoc appellari mereatur nomine. Sicut appellata eſt familia Patriarchæ Iacob, & generationis eius ſanctæ poſteritas. Sic enim ſcriptum eſt: Hi filij Zelphæ quã dedit Laban, Rachel filiæ ſuæ, & peperit hæc Iacob omnes animas ſeptem. Et alibi, omnes autem animæ, quæ intrauerunt in Ægyptum de fœmore Iacob ſexaginta ſex. Et in principio Exodi legimus: Erant autem omnes animæ de Iacob ſeptuaginta quinque. Ergo illi, qui habitabant cum Ioſeph & de Ægypto exierunt, animæ ſunt. Qui autem cum eſſent Angeli Dei hoc eſt vitæ probitate Angelorum imitantes gratiam, qui cum Angeli viderentur, capti ſunt decore fœmineo hi caro ſunt: ſicut Dominus Deus dixit: Et merito, qui expertes libidinis Angelis comparantur caro non ſunt, quia non ſunt in carne, ſed in ſpiritu. Quales erant illi, de quibus Paulus aiebat: Vos autem non eſtis in carne ſed in ſpiritu. Qui autem corporea fœminarum capiuntur libidine caro ſunt, atque vtinam caro tantum, & non etiam equi inhientes, quia in vxorem proximi ſui, inquit, vnuſquiſque inhiebat.

Gen.46. Exo.1. Gen.6. Hier.5.

19 AVGVSTINVS explicans promiſſionem, quæ facta eſt Abrahæ Geneſis cap.22. Sic erit ſemen tuum ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena maris, dicit ijdem quippe fideles ſancti, & boni, & in comparatione plurimorum malorum pauci ſunt, & per ſe ipſi multi ſunt. Quia multi filij deſertæ magis quam eius, quæ habet virum. Et multi ab oriente venient, & recumbẽt cum Abraham, & Iſaac, & Iacob in regno cælorum: & quia exhibet ſibi Deus populum abundantem, ſectatorem bonorum operum. Et multa milia, quæ numerare nemo poteſt videntur in Apocalypſi ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum. Et ſi aliqua in his verbis diuinis diſtributio facienda eſt, fortaſſe non fruſtra dictum ſit: De ſemine Abrahæ ſicut ſtellæ cæli, & ſicut arena, quæ eſt ad oram maris, vt in ſtellis cæli pauciores, firmiores, clarioreſq. intelligantur, in arena autem maritimi littoris magna multitudo infirmorum atque carnalium.

Epiſt.18. tomo 2. Galat.4. Matth.8. Apoc.14.

20 IDEM ait: Illud quod in cantico Canticorum Eccleſia ſic deſcribitur: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum, hoc intelligere non audeo niſi in ſanctis & iuſtis, non in auaris, & fraudatoribus, & raptoribus, & ebrioſis, & inuidis. Nam dicat mihi aliquis, quomodo irrepſerit in hortum concluſum, & fontem ſignatum, quos ſæculo ſolis verbis, & non factis renunciaſſe, Cyprianus, & tamen intus fuiſſe teſtatur? Mali ſunt ſpinæ, in quorum medio ſunt iuſti, ſicut lilium. Inquantum ergo lilium, intantum hortus concluſus, & fons ſignatus, in illis videlicet iuſtis, qui in occulto iudæi ſunt circunciſione cordis. Omnis enim pulchritudo filiæ regis ab intus. Numerus ſanctorum ipſe eſt hortus concluſus, fons ſignatus, puteus aquæ viuæ, paradiſus cum fructu pomorum.

Lib.5.de baptiſmo contra Donatiſtas. to.7. Cant.3. Cant.4. Rom.2. Pſal.44.

21 IDEM exponens verba illa; Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi, ſic habet: Hoc ipſo huius pſalmi teſtimonio vtitur ad Hebræos, cum ita vult intelligi, omnia eſſe ſubiecta Domino Ieſu Chriſto. Per oues autem & boues intelligimus animas ſanctas, vel innocentiæ fructum dantes, vel etiam operantes, vt terra fructificet, ideſt, vt terreni homines ad ſpiritalem vbertatem regenerentur. Subieciſti ergo oues, & boues, ideſt, ſanctos homines, qui ſunt in Eccleſia. Infra: Pecora campi, congruentiſsime accipiuntur homines in carnis voluptate gaudentes vbi nihil arduũ nihil laborioſum aſcendunt. Campus eſt enim etiam lata via, quæ ducit ad interitum. Et in campo Abel occiditur. Quare metuendum eſt, ne quiſque deſcendens de montibus iuſtitiæ Dei (iuſtitia enim, inquit, tua velut montes Dei) latitudines, & facilitates voluptatis carnalis eligens, a diabolo trucidetur. Vide nunc volucres cæli etiam ſuperbos, de quibus dicitur, poſuerunt in cælum os ſuum. Et alibi, linguam noſtram magnificabimus labia noſtra a nobis ſunt, quis noſter Dominus eſt? Intuere etiam piſces maris, hoc eſt curioſos, qui perambulant ſemitas maris, ideſt inquirunt in profundo huius ſæculi temporalia, quæ tanquam ſemitæ in mari tam cito euaneſcũt. Non autem ambulant, ſed parambulant ſemitas maris dixit, oſtendens pertinaciſsimum ſtudium inania, & præterfluentia requirentiũ.

In Pſal.10. Heb.2. Matt.7. Gen.4. Pſal.34. Pſal.72. Pſal.118.

22 IDEM explicans verba illa; Dominus in cælo ſedes eius inquit: Per cælum intellige iuſtum, ſicut per terram peccatorem, cui dictum eſt: terra es & in terram ibis. Vnde idem eſt Dominus in cælo ſedes eius, ſicut quod prædixerat Dominus in templo ſancto ſuo: Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis vos.

In Pſal.10. Gen.3. 1.Cor.3.

23 IDEM exponens verba illa; Cæli enarrant gloriam Dei dicit: Cæli hoc eſt ſancti, gloriam Dei a terra ſuſpenſi, Deum portantes, præcepti tonantes, ſapientia coruſcantes, illam gloriam Dei, qua ſalui facti ſumus indigni, enarrant. Hanc indignitatem, qua digni non ſumus agnoſcit, filius minor egeſtate conſtrictus dicens, non ſum dignus vocari filius tuus. Infœlix per humilitatem impetrat fœlicitatẽ, & eo ſe oſtendit dignum, quo confitetur indignum. Hanc gloriam Dei cæli enarrant, & opera manuum eius anunciat firmamentum. Cælum firmamentum, firmum cor, non timidum cor.

In Pſal.18. enarratione 2. Luc.15.

24 IDEM explicans illa verba; Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus, ſic habet: Non ſolum in ceruo conſideranda eſt velocitas, ſed eſt aliud in ceruo: Serpentes necat, & poſt ſerpentium interemptionem, maiore ſiti inardeſcit: peremptis ſerpentibus ad fontem acrius

acrius currit. Serpentes vitia tua ſunt: conſume ſerpentes iniquitatis, tunc amplius deſiderabis fontem veritatis. Auaritia forte in te tenebroſum aliquid ſibilat aduerſus præceptum Dei. Et quia tibi dicitur, contemne aliquid ne facias iniquitatem, ſi mauis facere iniquitatem, quàm aliquod commodum temporale contemnere, mordere magis eligis a ſerpente, quam perimere ſerpentem. Cum ergo adhuc faueas vitio tuo, cupiditati tuæ, auaritiæ tuæ, ſerpenti tuo, quando in te inueniatur tale deſiderium, quo curras ad fontem aquarum? Quando concupiſcis fontem ſapientiæ, cum adhuc laboras in veneno malitiæ? Interfice in te quicquid contrarium eſt veritati, & cum te videris tanquam vacare a cupiditatibus peruerſis, noli remanere, quaſi non ſit quod deſideres. Deſidera ad fontes aquarum: habet Deus vnde te reficiat, & impleat venientem ad ſe, ſitientem poſt interemptionem ſerpentium tanquam velocem ceruum. Eſt aliud quod animaduertas in ceruo. Traduntur cerui, & etiam a quibuſdam viſi ſunt, vel quando in agmine ſuo ambulant, vel quando natando alias terrarum partes petunt, onere capitum ſuorum ſuper ſe inuicem portare, ita vt vnus præcedat, & ſequantur, qui ſupra eum capita ponant, & ſupra illos alij conſequentes, & deinde alij donec agmen finiatur. Ille autem vnus, qui pondus capitis in primatu portabat, fatigatus redit ad poſteriora, vt alius ei ſuccedat, qui portet quod ille portabat, atque ille fatigationem ſuam recreet poſito capite, ſicut & ceteri ponebant. Ita viciſſim portando quod graue eſt, & viam peragunt, & inuicem ſe non deſerũt. Nonne quoſdam ceruos alloquitur Paulus dicens: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti?

Galat.6.

25 IDEM explicans verba illa; Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua dicit: Renouatur iuuentus, vt aquilæ. Profecto hic aliquid latet, quod dici de aquila ſolet, non tacemus, quia non eſt abs re hoc intelligere. Reſurrectionem enim quandam ſignificauit nobis. Et quid renouatur iuuentus aquilæ, ſed non ad immortalitatem. Data eſt enim ſimilitudo quantum de re mortali potuit trahi ad rem ſignificandam immortalem, non ad demonſtrandam. Dicitur aquila cum ſenectute corporis preſſa fuerit, immoderatione roſtri crescentis cibum capere non poſſe. Pars enim roſtri eius ſuperior, quæ ſupra partem inferiorem admicatur, cum præ ſenecta immoderatius creuerit, longitudo eius incrementi nomen ſinit os aperire, vt ſit aliquod receptaculi interuallum inter inferiorem partem, & vncum ſuperiorem. Niſi enim aliquod interuallum pateat, non habet morſus, quaſi forcipem, vnde velut tondeat, quod tranſmittit in fauces. Creſcente itaque ſuperiore parte, & nimis admicata non poterit os aperire, & aliquid capere. Hoc ei facit vetuſtas. Prægrauatur languore ſenectutis, & inopia comedendi

Pſal.103.

langueſcit nimis, vtraque re ætate, & egeſtate accedente. Itaque modo quodam naturali in menſura reparandæ quaſi iuuentutis aquila dicitur collidere, & percutere ad petram ipſum quaſi labrum ſuum ſuperius, quo nimis creſcẽte edendi aditus clauditur, atq; ita cõterendo illud ad petram excutit, & caret prioris roſtri onere, quo cibus impediebatur: accedit ad cibum, & omnia reparantur, erit poſt ſenectutẽ tanquam iuuenis aquila. Redit vigor omnium membrorum, nitor pennarũ, gubernacula pennarum, volat excelſa ſicut antea, fit in ea quædam reſurrectio. Ad hoc enim expoſita eſt iſta ſimilitudo, non ad immortalitatem aquila reparatur, nos autem ad vitam æternam. Sed tamen propterea inde ducta eſt ſimilitudo: vt quod nos impedit, petra nobis auferat. Non ergo præſumas de viribus tuis. Firmitas petrę tibi excutit vetuſtatem, petra autem erat Chriſtus: In Chriſto renouabitur ſicut aquilæ iuuentus noſtra. Etenim inueterauimus inter inimicos noſtros, ſicut dicitur in Pſalmo: Vnde inueterauimus? carne mortali, carne iſta fœnea, & ideo percuſſum eſt ſicut fœnum, & aruit cor meum, quia oblitus ſum comedere panem meum; creuit vetuſtas, os clauſit, atteratur in petra, ſic ergo & in hoc pſalmo vnde agimus, cum præmiſiſſet, qui ſatiat in bonis deſiderium tuum, quaſi reſponderit anima, nõ ſatiabor de mortalibus, non ſatiabor de tẽporalibus, aliquid æternũ donet. Quando ſatiabor? Renouabitur ſicut aquilæ iuuentus tua. Non ſatiaris modo, quia non eſt idonea anima tua ad ſolidum illum, & magnum cibum, ſed roſtro clauſo non eſt idonea. Vetuſtas tibi os clauſit, propterea petra data eſt vbi vetuſtate contrita renouetur iuuentus tua ſicut aquilæ, vt poſsis mãducare panem tuum illum, qui de cælo deſcendit: Renouabitur iuuentus tua, ſicut aquilæ, & tunc ſatiaberis in bonis.

Pſal.6. Pſal.101.

27 IDEM exponens illa verba, Montes excelſi ceruis, petra refugium herinacijs, & leporibus ait: Cerui magni ſpiritales tranſcendentes in curſu omnia ſpinoſe veprium atque ſiluarum. Qui perficis inquit, pedes meos tanquam ceruorum, & ſuper excelſa ſtatuis me. Teneant montes altos alta præcepta Dei, ſublimia cogitent, teneanpea, quæ multum eminent in ſcripturis, inſtificentur in ſummis, ceruis enim ſunt illi montes altiſsimi. Quid de humilibus beſtijs? quid de lepore? quid de hericio? Lepus minutum animal, & infirmum, hericius etiam ſpinoſum minor eorũ. Illud animal timidum, illud animal ſpinis coopertum. Spinæ autem quid ſignificant niſi peccatores? Qui peccat quotidie, etiam ſi non magna peccata minutiſsimis ſpinis coopertus eſt. In eo quod timet lepus eſt, in eo quod minutiſsimis peccatis operitur hericius eſt, & non poteſt tenere illa excelſa, & perfecta præcepta. Illi enim montes altiſsimi ceruis. Quid ergo iſti lepus, & hericius? Pereunt? Non ſic enim montes altiſsimi dati ſunt ceruis, vt & de his dicatur, petra refugium herinacijs, & leporibus.

contione 3. in Pſal.103. Pſal.17.

Psal. 9. Quia factus est Dominus refugium pauperis, ponas petram illam in terra: refugium est herinacijs. Vbiq; vtilis petra, & in montibus ipsa vtilis, quia montes sine petræ fundamento ruent in profundum. Nonne iam dudum de montibus dicebatur: Illic volatilia cæli habitabunt, de medio petrarum dabunt voces: suas? Vbique ergo petra refugium nostrum, siue in montibus excelsa sit, siue in mari tundatur fluctibus non frãgitur, siue in terra solidetur, ad illam cerui, ad illam fulica piscis, ad illam lepus, & hericius. Tundant pectora lepores, & hericij confiteantur peccata sua: Licet cooperti sint immitis, quidem quotidianisq; peccatis, non eis tamen deest petra, quæ illos docuit dicere: dimitte nobis debita nostra. Petra refugium herinacijs.

28 GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 11. Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde cognosces? longior terra mensura eius, latior mari inquit: cuncta hæc ad solum referri hominem possunt, vt ipse sit cælum cum iam per desiderium summis inhæret, ipse infernus, cum tentationum suarum caligine perturbatus in infimis iacet. Ipse terra, quia in bono opere fixę spei vbertate fructificat: Ipse mare, quia in quibusdam trepidus quatitur, & aura suæ murabilitatis agitatur. Sed cælo est excelsior Deus, quia potentiæ eius magnitudine, vincimur etiam cum super nosmetipsos eleuamur. Inferno profundior, quia nimirum plus iudicat, quàm ipse humanus animus in tentationibus inuestigat. Terra lõgior, quia fructus vitę, quos in fine retribuit, nequaquam nunc vel spes nostra comprehendit. Mari latior, quia humana mens fluctuans multa de ijs, quæ ventura sunt, conijcit: sed cũ iam cernere, quæ æstimauerat cœperit, angustãm se fuisse in sua æstimatione congnoscit. Excelsior igitur cęlo fit, cum ipsa in eum nostra

29. contemplatio deficit. Vnde & psalmista cor in altum posuerat, sed nondum se cum contigisse

Psal. 138. sciebat dicens: Mirabilis facta est scientia tua ex me confortata est, nec potero ad eã, inferno profundiorem nouerat, qui semetipsum discutiens, sed eius subtiliora iudicia pertimescens,

1. Cor. 4. dicebat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autẽ iudicat me Dominus est. Longiorem terra viderat, cum mirora ei esse humanæ mentis vota pensabat dicens:

Eph. 3. Qui potens est omnia superabunderanter facere, quàm petimus, aut intelligimus. Latiorem multi conspexerat, qui timendo pensabat, nequaquam mens humana immensitatem districtionis eius agnosceret, quantumlibet in

Psal. 89. quirendo fluctuaret, dicens: Quis nouit potestatem iræ tuæ, & præ timore tuo iram tuam dinumerare? Cuius bene potẽtiam Paulus insinuãs cum dicit: Vt possitis comprehendere

Eph. 3. cum omnibus sanctis, quæ sit latitudo, longitudo, sublimitas, & profundum: Quæ quattuor nobis in hac vita positis singulis exercet, quia, & latitudinem amando, & longitudinem tolerando, & celsitudinem non solum nostram intelligentiam, sed etiam vota superãdo, & profunditatem suam exhibet occultos, & illicitos cogitationum motus districte iudicando.

IDEM explicans verba illa Iob 11. Et cũ te consumptum putaueris, orieris vt lucifer, inquit: Iustus cum se consumptum putauerit, vt lucifer oritur, quia mox, vt tenebrescere tentationum caligine cœperit, ad lucem gratiæ reformatur, & in seipso monstrat diem iustitiæ, qui casurus paulo ante timuit noctem culpæ. Recte autem lucifero iusti vita comparatur. Solem quippe præcurrens lucifer nũciat. Et quid nobis sanctorum innocentia, nisi sequentis iudicis claritatem clamat? In eorũ nanque admiratione conspicimus, quid de maiestate veri luminis æstimemus. Necdum redemptoris nostri potentiam videmus, sed tamen virtutem illius in electorum suorum moribus admiramur. Quia igitur bonorum vita in consideratione sua oculis nostris vim veritatis obijcit, clarus ad nos lucifer ante solem venit.

30 Lib. 10. cap. 11.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 13. Contra folium, quod vẽto rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? ait: Quid est enim homo nisi folium, qui videlicet in paradiso ab arbore cecidit? quid est nisi folium, qui tentationis vento rapitur, & desiderijs flatibus leuatur? Mentem enim humanam plerumque ira perturbat cum recedit, ira succedit, inepta lætitia luxuriæ stimulis vrgetur, æstu auaritię longe lateque ad ambienda, quę, terrena sunt, tenditur. Aliquando hanc superbia eleuat, aliquando vero inordinatus timor in infimis deponit. Quia ergo tot tentationum flatibus leuatur, & ducitur, recte homo folio comparatur. Vnde bene quoque per Isaiam dicitur: Cecidimus quasi folium vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Quasi ventus quippe nos iniquitas abstulit, quia nullo fixos virtutis pondere in vanam elationem leuauit. Bene autem post folium etiam stipula appellatur homo. Qui enim arbor fuit in conditione, folium a semet ipso factus est in tentatione, sed post stipula apparuit in deiectione. Quia enim de alto cecidit foliũ, quia vero per carnem terræ proximus fuit, etiam cum stare videbatur, stipula esse memoratur. Sed quia viriditatem intimi amoris perdidit, iam stipula sicca est. Consideret itaq; vir sanctus, & homo quantæ vilitatis sit, & Deus quantæ districtionis, & dicat: Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequenis? Ac si aperte deploret, dicens: Cur tanta rectitudine impetis eum, quem sic infirmum esse in tentatione cognoscis?

Isa. 64.

31 Lib. 11. moraliũ ca. 21.

IDEM explicans verba illa Iob cap. 14. Lignum habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant inquit: ligni nomine, vir iustus aut etiam iniustus, exprimitur, sicut per prophetam Dominus dicit: Ego Dominus humiliaui lignum sublime, & exaltaui lignum humile. Quia iuxta eiusdem veritatis

32 Lib. 12. Moral. cap. 4.

Ezec. 17.

vocem

Luc. 14. vocem, omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Salomon quoque

Eccls. 11. ait: Vbi ceciderit lignum, siue ad austrum, siue ad aquilonem ibi erit. In die etenim mortis suæ iustus ad austrum cadit, peccator ad aquilonem, quia & iustus per feruorem spiritus ad gaudia ducitur, & peccator cum apostata Angelo, qui dixit: Sedebo in lateribus aquilonis,

Isa. 14. in frigido suo corde reprobatur. Hoc itaque loco cum lignum præfertur homini, qui homo nisi carnalis quisque accipitur? Et quid ligni nomine, nisi iusti vniuscuiusque vita designatur? Lignum etenim habet spem, si præcisum fuerit, rursum virescit, quia cum in morte passionis pro veritate iustus afficitur, in æternæ vitæ viriditate recuperatur. Et qui hic virebat per fidem, illic virescit per speciem. Et rami eius pullulant, quia plerumque ex passione iusti, fideles quique ad amorem cælestis patriæ multiplicantur, & viriditatem vitæ spiritualis accipiunt, dum hic pro Deo fortiter egisse gratulantur. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere mortuus fuerit, truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comã, quasi cum primum plantatum est. Hoc sic intellige, quia iusti cum inter manus persequentium vitam finiunt, visi sunt oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum, illi autem sunt in pace.

Iob 14.

33 Lib. 18. moraliũ ca. 19.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 28. Locus saphyri lapides eius, & glebæ illius aurum dicit: lapides in sacra scriptura aliquando in malo, aliquando vero in bono accipi solet. Nam cum lapis pro insensibilitate ponitur, dura per lapides corda signantur. Vnde per Ioãnem dicitur:

Matth. 3. Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Qui videlicet nomine lapidum, corda gentilium designat, dura tunc, atque insensibilia per infidelitatem. Et per

Ezec. 11. prophetam Dominus pollicetur, dicens: Auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Rursum per lapides, mentes fortium designari solet. Vnde & per Petrum

1. Pe. 2. sanctis dicitur: Et vos tãquam lapides viui superædificamini domos spirituales. Et per prophetam Dominus venienti Ecclesiæ pollicetur

Isa. 54. dicens: Ego sternã per ordinem lapides tuos & fundabo te in saphyris, & ponam iaspidem propugnacula tua, & portas tuas in lapides sculptos, & omnes terminos tuos in lapides desiderabiles, vniuersos filios tuos doctos a Domino. Strauit namque in illa per ordinem lapides, quia in ea sanctas animas meritorum diuersitate distinxit. Fũdauit eam in saphyris, qui scilicet lapides coloris aerei in se similitudinem tenent, quia robur Ecclesiæ in animabus cælestia appetentibus solidatur. Et quoniam iaspis viridis est coloris, iaspidem propugnacula eius posuit, qui illi contra aduersarios pro sanctæ Ecclesiæ defensione obiecti sũt, qui internis desiderijs virentes, nulla temporis reproba ariditate marcescunt. Portas vero eius posuit in lapides sculptos. Hi quippe portæ sunt Ecclesiæ per quorum vitam, atque doctrinam intrat in eam multitudo credentium: Vbi omnem quoque sanctorum numerum generali collectione concludens subdidit, omnes terminos tuos in lapides desiderabiles. Et tanquam si audientes ista peteremus, vt hos lapides, quos diceret, indicaret, adiunxit dicens: Vniuersos filios tuos doctos a Domino. Quia igitur de ista nunquam sanctæ animę, quę cęlestem vitam ducerent, defuerunt, dicitur: Locus saphyri lapides eius. Et glebę illius aurum. Glebas hæc terra habuit in prophetis, glebas in doctoribus, glebas in patribus antiquis, qui magna se infusione gratiæ in professionis, & operis vnanimitate tenuerunt.

34 Lib. 31. Moraliũ ca. 18.

IDEM exponens illa verba Iob cap. 39. Nunquid per sapientiam tuam plumescit accipiter expandens alas suas ad austrum? sic habet: Quia per annos singulos pennam veterẽ accipiter noua nascente proijciat, ac sine intermissione plũescat penè nullus ignorat. His moris est, vt flante austro alas expandat, quatenus eorum membra ad laxandam pennam veterem venti tepore concalescant: Cum vero ventus deest, alis contra radios solis expansis atque percusis tepentem sibi aurã faciunt, sicque capto tepore apertis poris, vel veteres exiliunt, vel nouæ succrescunt. Quid est ergo accipitrem in austro plumescere, nisi quod vnusquisque sanctorum tactus flatu sancti Spiritus concalescit, & vsum vetustæ conuersationis abijciens, noui hominis formam sumit? Quod Paulus admonet dicẽs: expoliantes vos

Coloss. 3. vẽterem hominem cum actibus suis, & induentes nouum. Et rursum: licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamẽ is, qui intus est,

Eph. 4. renouatur de die in diem. Vetustam autem pennam proijcere est, inueterata studia dolosæ actionis amittere, & nouam pennam sumere est mitem, ac simplicem bene viuendo sensum tenere. Penna namque veteris conuersationis grauat, & pluma nouæ mutationis subleuat, vt ad volatum tanto leuiorem, quanto nouiorem reddat. Tunc ergo accipiter plumescit, cum ad austrum alas expanderit, quia tunc vnusquisque se virtutum pennis induit, cum sancto Spiritui cogitationes suas confitendo substernit; Qui enim vetera fatendo non detegit, nouę vitæ opera animæ producit, qui nescit lugere quod grauat, non valet proferre quod subleuat. Ipsa namque cõpunctionis vis poros cordis aperit, & plumas virtutum fundit, cumque se studiose mens de pigra vetustate redarguit, alacri nouitate iuuenescit.

35 Lib. 33. Moraliũ cap. 5.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 40. Circundabunt eum salices torrentis dicit: Infructuosæ quidem arbores sunt salices, sed tamen tantæ viriditatis sunt, vt arescere vel abscisse radicitus, & proiectæ vix possint: Vnde in sacro eloquio salicum nomine, aliquando pro viriditate boni, aliquando pro sterilitate rebrobi designantur. Nisi enim electorum vitam per constantiam suæ viriditatis exprimerent, nequaquam de sanctæ Ecclesiæ filijs propheta dixisset: Germinabunt inter herbas, si-

Isa. 44.

cut

cut salices, iuxta præterfluentes aquas. Sanctæ etenim Ecclesiæ filij inter herbas sicut salices germinant, dum inter arescentem vitam carnalium hominum, & multiplici numerositate, & perpetua mentis viriditate perdurãt. Qui bene iuxta præterfluentes aquas germinare perhibentur, quia vnusquisque eorum vbertatem percipit ex doctrina sacri eloquij, quæ temporaliter percurrit. Et rursum nisi per sterilitatem salicum vita peccantium signaretur, nequaquam voce prædicantiũ contra Babyloniam psalmista dixisset: In salicibus in medio eius suspẽdimus organa nostra. Babylonis quippe medio inesse salices describuntur, quia nimirum infructuosi quique, atque ab amore patriæ cælestis alieni, totis visceribus cordis in hac sæculi confusione radicantur.

Psal.136.

36 BERNARDVS sic ait: In terris visus est homo cælestis, vt de terrenis cælestes quãplurimos faciat, vt sit quod legitur qualis cælestis, tales & cælestes. Ex tunc igitur in terra viuitur more cælestium, & cælesti sponso desponsatur anima in misericordia, & miserationibus. Vnde magis magisq. conformari satagit formæ, quæ de cælo venit, vt dum desiderio feruet angelico, probet se proinde ciuem sanctorum, & domesticam Dei probet dilectã, probet sponsam. Ego puto omnem animam talem non solum cælestem esse propter originẽ, sed & cælum ipsum posse non immerito appellari propter imitationem. Et tunc liquidò ostẽdit, quia vere origo ipsius de cælis est, cum cõuersatio eius in cælis est. Est ergo cælum sancta aliqua anima, habens solem intellectum, lunã fidem, astra virtutes. Vel certe sol iustitiæ zelus, aut feruens claritas, & luna continentia. Quomodo enim claritas lunæ a sole est, sic absque charitate, continentiæ meritum nullum est. Porro stellas dixisse virtutes non me pœnitet considetantem congruentiam similitudinis. Quomodo nempe stellæ in nocte lucent, in die latent, sic vera virtus, quæ sæpe in prosperis non apparet, eminet in aduersis. Ergo virtus est sidus, & homo virtutum cælum, dicente Domino: Cælum mihi sedes est. De quo alibi scriptum est: Anima iusti sedes est sapientiæ. Prophetam quoque non de alio dixisse cælo arbitror: Tu autem in sancto habitas laus Israel. Manifeste autem Apostolus dicit: Deum habitare per fidem in cordibus nostris. Nec mirum si libenter inhabitat cælum hoc Dominus Iesus, quod vtique non quomodo ceteros dixit tantum, vt fieret, sed pugnauit, vt acquireret, occubuit, vt redimeret.

Serm. 27. in Cantica. *1. Cor. 15.* *Osee 2.* *Ephes. 2.* *Isa. 66.* *Sap. 7.*

37 Ideo & post laborem voto potitus ait: Hæc requies mea in sæculũ sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Et beata cui dicitur: Veni electa mea, & ponam in te thronum meum. Infra: Oportet omnibus rebus terrenis vacuã esse animam, vt cælum fiat, atque habitatio Dei. Deinde necesse est eam crescere, ac dilatari, vt sit capax Dei, sicut Apostolus dicit: Dilatamini in charitate, vt crescat. Vides ne qua

Psal. 131. *2. Cor. 6.*

les in se habeat Ecclesia cælos, cum sit nihilominus ipsa in sua quidem vniuersitate ingens quoddam cælum extentum a mari vsque ad mare, & a flumine vsq; ad terminos orbis terrarum? Exemplo illius, quæ sursum est mater nostra, hæc quoque, quæ adhuc peregrinatur habet cælos suos homines spirituales, vita, & opinione conspicuos, fide puros, spe firmos, latos charitate, contemplatione suspensos. Et hi pluentes pluuiam verbi salutarem, tonant increpationibus, coruscant miraculis, hi enarrant gloriam Dei, hi extenti sicut pelles super omnem terram.

Nomina impiorum, quibus ipsorum Status miserandus significatur, & mala. Cap. IIII.

ORIGENES explicans verba illa, quæ Deus dixit Abrahæ: Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli, & sicut arenam, quæ est in littore maris, ait: Fortasse quidem dicat aliquis, cælestis numeri figuram Christianorum populo, arenæ maris Iudaico conuenire. Ego tamen hoc magis puto, quod vtrunque exemplum vtrique populo possit aptari. Nam & in illo populo fuerunt multi iusti, & prophetæ, quibus stellarum cæli merito comparatur exemplum, & in nostro populo sunt multi, qui terrena sapiunt, & quorum stultitia grauior est arena maris. Donec quis nostrum non deponit imaginem terreni, & induit imaginem cælestis, terrenis comparatur exemplis. 1 Homil. 9. in c. 22. Gen. to. 1.

IDEM exponens verba illa; Et sicut olera herbarum cito decident, inquit; Oleribus herbarum comparantur, qui faciunt iniquitatem, pro eo quod velociter transeant. Hæc sunt de quibus dicitur: quod flumina Aegypti aqua sit deorsum descendens, & rigans sicut hortum olerum, quod videlicet Aegyptius nõ arbor dicatur, sed non vitis quidem nominetur, sed olera, quæ cito deficiunt. Et vis videre quàm cito Aegyptius decidat? Vide quid dicatur de eis in Exodo: Aegyptij autem festinauerunt, inquit, decolligauerunt axes suos, & cito fugerunt sub aqua. Sicut olera ergo herbarum citò decident. Denique & Achab ille iniquus, quoniam talia olera parabat plantare in vinea Naboth, propterea Naboth elegit magis mori, quàm permittere, vt excisa vinea Israëlitica olera plantarentur. Fecit ergo hoc tanquam virtus, vt non permitteret excidi vineam iustitiæ, cuius fructus lætificat cor hominis, & plantari olera iniquitatis velociter viridantia, sed velocius arescentia. Quod autem in anima nostra, si sancta fuerit, sit vinea, & agri a Domino benedicti, audi Isaac ad filium suum Iacob dicentem: Ecce odor filij mei, sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. 2 Expositione in Psal. 36. post. 3. *Gen. 27.*

CHRYSOSTOMVS referens qua ratione 3

tione Hebræorũ populus Moyse duce per mare rubrum, quasi per aridam transierit, ita ait: Solent elementa reuereri seruos Domini, & a suo se continere impetu. Audiamus nos quotquot feroces, & iracundi, & alijs affectionibus ob nostram ignauiam impliciti nostram salutem pessundamus, & imitemur tantam ratione carentium elementorum obedientiam, nos qui ratione insigniti sumus. Nam si ignis, qui ita edax, ita vehemens corporibus corruptibilibus, & tam teneres pepercit, quam meretur veniam homo, suum refrenare furorẽ propter mandatum Domini, & iram ergà proximum a pectore suo eliminare nolẽs? Et quod maius, ignis tantam vrendi vim habet, & suã operationem non ostendit: homo autem mansuetum animal, & benignum, contraria suæ naturæ facit, & mores suos in ferinos vertit? Idcirco & diuina Scriptura propter affectiones illas imperturbantes, ab irrationabilibus, & a feris agnominationes his, qui ratione insigniti sunt, imponit. Interdum canes ob impudentiam, & impetum vocat, dicens: Canes muti non valentes latrare; interdum ob libidinem equos. Nam equi in fœminam insanientes, vnusquisque vxori proximi sui adhinniebat. Interdum vero asinos ob stupiditatem, & ruditatem: Comparatus est enim, inquit Scriptura: Iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Aliquando autem aspides ob fraudulentiam. Venenum, inquit, aspidum sub labijs eorum. Nonnunquam serpentes, & viperas, ob latens venenum, & malitiam, sicut & beatus Ioannes clamabat dicens: Serpentes, progenies viperarum, quis vobis demonstrauit fugere a ventura ira? Insuper & alia affectionibus respondentia nomina imponit, vt sic vel tarde confusi ad suam aliquando redeant nobilitatem, & suo generi confœderentur, affectionibusq. suis diuinas leges præferant.

Exo. 14. *Isa. 56.* *Hier. 5.* *Psal. 48.* *Psal. 13.* *Matt. 3.*

4 IDEM sic habet: Vnde fidelem te esse potero cognoscere, cum omnia contraria de te ferant sententiam, teq. apertissime infidelem esse conuincant? Et quid dicam vtrum fidelis? Nec si homo vere sis possum euidenter agnoscere. Quando enim vt asinus calcitras, vt taurus superbis libidine incensus, sic hinnis vt equus, quando in epulis vrsorum imitaris voratum, & pinguedine corpus mulorum more distendis, cum exercenda simultate camelum, lupum imiteris rapina, cum iracaris vt serpens, & atrocitate scorpionum percutias, cum subdole insidieris, vt vulpes, cumque veneno malignitatis armeris vt coluber, & vipera, cũ quasi diabolus ipse aduersus fratres crudelia bella suscipias, qua ratione in hominum te possum numero collocare, nulla in te cernens humanæ signa naturæ? O rem plenam doloris, atque lachrymarum? fidelis, & cathecumeni discrimen reperire cupiebam, sed nec inter homines, & feras, quod sit discrimen inuenio. Quid enim te appellare debeo? feram? Sed ille vno aliquo horum vitio tenentur, tu verò simul in te omnia colligendo longe ferarum 4 Homil. 4. in c. 1. Matth. to. 2.

irrationale, stultumq. transgrederis. An diabolum te potius appellem? Sed ille nec pecunias concupiscit, nec tyrannidi ventris obsequitur? Cum igiter plura in te vitia sint, quã in bestijs, atque dæmonibus, responde obsecro: vnde te possum iure hominem nuncupare? Si vero te hominẽ appellare nequeo, quo tandem modo potero fidelem vocare? Infra: Vocat animam chimeram compositam, vt monstrum (sicut fabulæ confingunt) ex omnibus, & varijs animalium generibus. Nemo igitur diutius in ferarum effigie perseueret. Cum enim bestia fueris effectus nequaquam vestibilum domus patris tui poteris introire, introire, Et quid dico bestia? quãdo vnusquisque vitiosus omni bestia comprobetur immanior? Illæ quippe quamquam naturaliter sæuiant, si humana tamen arte palpentur, plerunq; mansuescunt: tu autem qui illarum profecto naturalem feritatem in eam, quæ contra naturam est mansuetudinem sæpe commutas, tuam mansuetudinem naturalem in feritatem, quæ naturæ tuæ est inimica conuertis, cumq. naturaliter feram ad mansuetudinem trahis, te naturaliter mansuetum in ferarum rabiem natura repugnante perducis. Et leonem quidem mitigas, reddisq. tractabilem, furorẽ vero animi tui omni prorsus efficis leone sæuiorem. Et certe cum ibi sint duo impedimenta, vel maxima, quod fera ipsa, & ratione priuatur, & longe omnium alterius generis animalium excedit furorem, tu tamen de copia donatæ tibi a Deo sapientiæ, ipsam superas arte naturam. Qui igitur naturam vincis in bestijs, cur in temetipso naturæ offuscas bonum, dum malum adamas voluptatis? Quem igitur honestum reperies excusationis colorẽ, qui cum solerti studio hominem quodammodo facias de leone, tu tamen negligens, leo efficiaris ex homine? Nam illi quidem donas supra suam aliquid habere naturam; tibi vero nec naturales quidem affectus reseruas. Et qui bestias feras ad mansuetudinis prouehis dignitatem, temetipsum de throno deijciens, & honore regali, ad irrationalium cogis furorem.

IDEM inquit: Sicut homines qui in totum carni subiecti sunt, quamuis habeant animam, tamen solummodo carnes dicuntur, testante Scriptura: Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia carnes sunt. In quibus autem pars animæ præualet, quamuis sint carnales spirituales dicuntur, sicut dicit Apostolus: Vos autẽ non estis in carne, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitet in vobis. 5 Homil. 50. ex imperfecto in Matt. *Gen. 6.* *Rom. 8.*

IDEM sic habet: Etenim cum cetera habeas, o homo, cum bestia communia, corporis rectitudinem non item: magis me terres, ac pauorem injcis, dum portentum esse puto, quod apparet. Nam si bestiam viderem humana voce loquentem, haud quaquam eo dixerim hominem esse, sed potius ob hoc ipsum dicerem esse bestiam, quauis bestia prodigiosiorẽ. Vnde igitur potero cognoscere, quod animam habes 6 Homil. 6. in 2. epist. Pauli ad Cor. to. 4.

habes hominis, cum calcitres asinorum more, cũ lacessitus effereris, vt cameli, cum mordeas, vt vrsi, cum rapias vt lupi, cum sis dolosus, vt serpentes, cum sis impudens vt canes, vnde possum cognoscere quod animam habes hominis?

7 Epistola 18. quæ est ad Marcellam. tom. 1. *Psal. 72.*

HIERONYMVS dicit: Cũ in vno homine, animorum tam diuersa sit facies, Propheta Dominum deprecatur dicens: Domine in ciuitate tua imaginem eorum dissipa. Cum enim ad imaginem, & similitudinem Dei conditi simus, ex vitio nostro personas nobis plurimas superinducimus. Et quomodo in theatralibus scenis vnus, atque idem histrio, nunc Herculem robustus ostendit nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in cybelem, ita & nos tot habemus personarum similitudines quot peccata. Nunc ira personam leonis nobis imponit.

8 Lib. 13. in c. 50. Isa. to. 4. *Lucæ 13. Matt. 3. Hier. 5.*

IDEM explicans verba illa; Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis, quia veni, & non erat vir, ait: Veni, & non erat vir, omnes enim viri, & hominis imaginem relinquentes, bestiarum, & serpentium sumpsere imagines. Vnde & ad Herodem propter malitiam dicitur ita: & dicite vulpi illi. Et ad pharisæos: genimina viperarum. Et ad libidinosos: Equi insaniẽtes in fœminas facti sunt. Et de voluptuosis: Nolite mittere margaritas vestras ante porcos. Et impudentibus: neque sanctum canibus detis. Et in communi de omnibus, visio quadrupedum, quæ erant in deserto. Venit itaque Dominus, & non inuenit hominem. Homo enim cum in honore esset, & non intellexit, cõparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Vocaui, inquit, eos quasi rationale animal, & dixi: Inclinate aurem vestram in verba oris mei, & nõ audiuit populus meus vocem meam.

Isa. 30. Psal. 47. Psal. 77.

9 Lib. 3. in c. 8 Ezech. to. 4.

IDEM explicans verba illa; Et ingressus vidi, & ecce similitudo omnis reptilium, & animalium, & abominatio, sic habet: Omnes templi parietes diuersis idolorum imaginibus pingebantur, vt nulla esset bestia, quam non parietis pictura monstraret. Hoc in delubris idolorum, phanisq. gentilium hucusque perspicimus, quod omnia genera bestiarum adoret stulta religio. Vnde & Virgilius ait:

Omnigenumq. Deum monstra, & latrator Anubis.

Quasi non & illa sint monstra, quæ laudat contra Neptunum, & Venerem, & Mineruam. Possumus & in nostri templi parietibus idola monstrare depicta, quãdo omnibus vitijs subiacemus, & pingimus in corde nostro peccatorum conscientiam, imaginesq. diuersas. De quibus & in psalmo dicitur: Domine in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum redigis. Et in alio loco: Veruntamen in imagine ambulat homo. Quo scilicet nullus hominum sit, qui aliquam imaginem non habeat siue sanctitatis, siue peccati. Quamobrem furiosis, & iracundis dicitur: Furor illis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Et de hominibus nequam: Generatio viperarum quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Et de versipellibus, ac fraudulentis: ite dicite vulpi illi. De brutis quoq; ac vecordibus: Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intelligentia. Et iterum: In chamo, & freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te. Et multa huiusmodi.

Psal. 72. Psal. 38. Psal. 57. Matth. 7. Luce 13. Psal. 31.

10 In c. 1. Ioel. to. 5. *Psal. 58.*

IDEM explicans verba illa; Computrue runt iumenta in stercore suo, dicit. Iuxta intelligentiam spiritualem, & conformiter ad versionem septuaginta interpretum. Substituauerunt vituli in præsepibus suis, vel lasciuierunt, & calcitrauerunt contra creatorem suum, vt impleretur, quod scriptum est: Si saturati non fuerint, murmurabunt. Computrescit in stercore suo ille, cuius Deus venter est, & qui dicit: manducemus, & bibamus, cras enim moriemur, huic demolita sunt horrea, & apothecæ dissipatæ sunt, vel subuersa sunt torcularia, quia si frumenta, & vina non fuerint, frustra horrea, & torcularia præparantur.

11 Lib. 3. in c. 14. Zachariæ. *Isa. 56.*

IDEM explicãs verba illa; Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, quæ fuerint in castris illius, sicut ruina hæc, inquit: Ista iudæi carnaliter explẽda contendunt. Grandis revera Domini fortitudo, magnus triumphus, gloriosa victoria, bruta animalia Deo pugnante superari. Dicamus ergo nos quòd idcirco omnia mala corruant, quæ prius contra Ecclesiam dimicauerunt, vt bona repentè consurgant. Denique qui prius equus fuerat hinniens ad vxorẽ proximi sui, & impatiens ad libidinem ferebatur, & iacebat in turpitudine voluptatum, cum sequi cœperit castitatem dicetur ad eum: Surge, eamus hinc. Et surge veni amica mea. Et in Apostolo: Surge qui dormis, & illuminabit te Christus; cumq. surrexerint, qui ante ceciderant equi, & mollia terga Domino prębuerint, ad sedendum, dicent ad eum: Ascende super equos tuos, & equitatio tua salus. Iuxta hunc sensum, mulos accipiamus qui steriles sunt, & & non procreant filios, sed voluptate lasciuiũt, de quibus dicit psalmista: Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus. Sicut ergo qui proni sunt ad libidinem equi appellantur, sic mulos iuste vocabimus, qui virgines sunt carne, & non spiritu, qui eunuchizantur non propter regna cælorum, sed propter hominum voluptatẽ. Cum igitur isti muli, & isti eunuchi versi fuerint in progeniem, & spirituales filios procreauerint, audient per Isaiam: Et ne dicat eunuchus quoniam sum lignum aridum. Hæc enim dicit Dominus eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint quæ volui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muro meo locum nominatum, & nomen melius a filijs, & filiabus nomen sempiternum dabo eis, quod nõ deficiet. Tales mulos, & mulas habebant reges Israël, maxime Dauid, qui refertur ad Christum. Si intelleximus qui sint muli, & equi ruentes, & consur-

Cant. 2. Eph. 5. Psal. 31.

consurgentes transeamus ad camelos, animal ruminans, iugulansq. non findens. Et dicamus camelos esse omnes peccatores terræ, qui grauitate peccatorum sarcina deprimuntur, sibi sanctas scripturas legere, sed vngulas non fodiunt ruminantes eloquia diuina, & ea, quæ scripta sunt, negligentes. De istiusmodi camelo, qui ruminat, vngulamq. non findit, & in prouerbijs quasi ad filium dicitur: Qui relinquit custodire disciplinam patris, meditabitur eloquia mala. Post camelum transeamus ad asinum, qui quondam ferebatur infrœnis, & immundus erat, & multos habebat dominos, & per præcipitia labebatur, vt corruens repente, consurgeret, & portaret Dominum Saluatorem, & ingrederetur in sanctam Hierusalem. Hunc asinum ad vitem, & vineam Saluator dicitur alligasse. Omnia quoque iumenta, & animantia, quæ vno nomine propheta comprehendit, pro singulorum naturis interpretanda sunt, & peccatoribus applicanda.

Gen. 49.

13 Lib. de Noe & arca. c. 4. to. 4. *Gen. 6.*

AMBROSIVS explicans illa verba; Gigantes autem erant in terra in diebus illis, inquit: Consideremus ne forte gigantium sint similes homines cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam curam habentes, sicut illi, qui de terra secundum propheticam fabulam orti mole corporis sui freti feruntur habuisse contemptum superiorum. An dispares æstimandi sunt, qui cum ex anima constent, & corpore, mentis vigori, quo nihil habet anima pretiosius, auersantur, & se carnis huius imitatores, velut maternæ exhibent stoliditatis heredes? Itaque in vanum laborant, cælum votis vsurpantes superbis, & terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris, & contemptu superioris consortij, tanquam voluntarij obnoxi peccatis, grauiori condemnantur securitate. Sicut ergo viri probabilis vitæ filij Dei vocantur, ita quorum carnalia sunt opera hos filios dicimus carnis scripturarum auctoritate. Dicit enim Ioannes, quia quotquot Dominum Iesum receperunt, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Qui non ex sanguinibus, nec ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt.

Ioan. 1.

14 In lib. super exordiũ epi stolæ Pauli ad Ro. to. 1.

AVGVSTINVS sic ait: Quamquam plerisq; scripturarum locis ipsa Ecclesia grex Dei, & pecus Dei vocetur; tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinet. Et apparet huiusmodi homines non cibo sempiternæ veritatis, sed temporalium promissionum tanquam terreno pabulo esse contentos.

15 Lib. 2. de Ciuit. Dei. c. 9. to. 7.

IDEM explicans verba illa Apocalypsis cap. 20. Et qui non adorauerunt bestiam, nec imaginem eius, inquit: Quæ sit porro ipsa bestia quamuis sit diligentius inquirendum, non tamen abhorret a fide recta, vt ipsa impia ciuitas intelligatur, & populus infidelium contrarius populo fideli, & ciuitati Dei. Imago vero eius simulatio eius mihi videtur in eis videlicet hominibus, qui velut fidem profitentur, & infideliter viuunt. Fingunt enim se esse, quod non sunt, vocanturq. non veraci effigie, sed fallaci imagine Christiani. Ad eandem namque bestiam pertinent non solum aperti inimici nominis Christi, & eius gloriosissimę ciuitatis, sed etiam zizania, quæ de regno eius, quod est Ecclesia, in fine sæculi colligenda sunt. Et qui sunt, qui bestiam non adorant, nec imaginem eius, nisi qui faciunt, quod ait Apostolus: Ne sitis iugum ducentes cum infidelibus? Non adorant enim, id est, non consentiunt, non subijciuntur, nec accipiunt inscriptionem, notam scilicet criminis in fronte propter professionem, in manu propter operationes. Ab his malis alieni adhuc in ista mortali carne viuentes, regnant cum Christo.

3. Cor. 6.

16 In Psal. 17. to. 8.

IDEM explicans verba illa; Et comminuam eos, vt puluerem ante faciem venti, dicit; Et comminuam peccatores, aridi enim sunt, non recipientes imbrem misericordiæ Dei, vt elati, atque inflati superbia, a spe firma, & inconcussa tanquam a terræ soliditate, & stabilitate rapiantur.

17 In Psal. 31.

IDEM explicans verba illa; Nolite fieri sicut equus, & mulus, in quibus non est intellectus, inquit: Equus & mulus erecta cerui-ce sunt. Non sunt equus, & mulus, sicut ille bos, qui cognouit possessorem suum. Nolite esse sicut equus & mulus, quibus non est intellectus. Quid enim patiuntur tales? In freno, & chamo maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Equus & mulus vis esse, vis non habere sessorem, constringetur os tuum, & maxillæ tuæ in fræno & chamo ipsum os tuum constringetur, quo iactas merita tua, & taces peccata tua. Maxillas eorum constringe, qui non appropinquant ad te, humiliando se. Multa flagella peccatorum. Non est mirum, si adhibito freno, sequuntur flagella. Indomitum enim adimal esse cupiebat, domatur fræno, & flagello, atque vtinam perdometur. Verendum est enim ne nimium resistendo indomitum relinqui mereatur, & ire in suam vagam licentiam, vt dicatur de illo: Prodiet tanquam ex adipe iniquitas eorum, transierunt in affectum cordis.

Isa. 1. Psal. 72.

18 In Psal. 34.

IDEM exponens verba illa: Fiant tanquam puluis ante faciem venti, dicit: De peccatoribus alibi dictum est: non sic impij, non sic, sed tanquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Ventus tentatio est puluis iniquus. Quando venerit, tentatio tollitur puluis, nec stat, nec resistit.

Psal. 1.

19 In Psal. 82.

IDEM explicans verba illa: Tabernacula Idumeorum, & Ismealitæ, dicit. Incipit inimicos Christi commemorare, sub quibusdam vocabulis gentium. Talibus enim nominibus conuenientissime figurãtur veritatis inimici. Idumęi quippe interpretantur, vel sanguinei, vel terreni. Ismaelitę obedientes sibi vtique non Deo, sed sibi. Moab ex patre. Qui in malo non intelligitur melius, nisi cũ ipsa historia cogitatur,

tur, quòd pater Loth filiæ suæ illicite se vtenti permixtus eum genuit, quia ex ipsa re tale nomen accepit. Agareni Proselyti, idest aduenę. Quo nomine significatur, inter inimicos populi Dei, non illi, qui ciues fiunt: sed qui in animo alieno, atque aduentitio perseuerant, & nocendi occasione inuenta se ostendunt. Gebal vallis vana, idest fallaciter humilis. Amon populus turbidus, vel populus mœroris. Amalech populus lingens. Alienigenæ quamuis, & ipso nomine latino se indicent alienos, & ob hoc consequenter inimicos, tamen in Hebræo dicuntur Philistijm, quod interpetratur cadentes potione, velut quos fecit ebrios luxuria sæcularis. Tyrus lingua Hebræa dicitur sors, quod siue angustia, siue tribulatio interpretetur, secundum illud accipiendum est in his inimicis populi Dei quod ait Apostolus: Tribulatio & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Hi omnes inimici sunt populi Dei. Et tamquam enumerans causam, quare sunt inimici adiungit, & dicit: Etenim Asur venit cum illis. Asur autem pro ipso diabolo figurate intelligi solet, qui operatur in filijs diffidentię, tanquam in vasis suis, vt oppugnent populum Dei. Infra: Deus meus pone illos, vt rotam, vt non sunt in eo quod cogitant stabilis. Infra: Sicut ignis, qui comburit siluam, sicut flamma comburens montes. Siluam dixit impios propter sterilitatem, montes propter elationem, tales enim sunt inimici populi Dei, inanes iustitiæ, pleni superbia.

Rom. 2.

20 GREGORIVS exponens verba illa; Descende, sede in puluere. Virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Chaldęorum, ait: Hoc sub Babylonis specie menti reprobæ dicitur. Hoc autem loco humana mens virgo non incorrupta (vt arbitror) dicitur, sed infœcunda. Et quia Babylon confusio interpretatur, recte infœcunda mens, Babylonis filia vocatur, quæ in eo quòd nequaquam bona opera germinat, dum nullo ordine rectæ vitæ componitur, quasi confusione matre generatur. Sin autem virgo non infœcunda dicitur, sed incorrupta, postquam statum salutis perdidit, ad confusionis suæ cumulum appellatur, quod fuit. Cui apte per increpationem dicitur diuina voce, descende: In alto quippe humanus animus stat quando supernis retributionibus inhiat, sed hoc statu descendit, cum turpiter victus, sese defluentibus mundi desiderijs subijcit. Cui bene mox additur, sede in puluere. Descendens enim in puluere residet, quia cælestia deserens terrenis cogitationibus deditus, in infimis vilescit. Vbi adhuc ingeminando subijcitur, sede in terra. Ac si aperte exprobrans dicat, quia cælesti conuersatione noluisti te erigere, sub temetipso prostratus in terrenis actibus humiliare. Vnde & necessario protinus additur: Non est solium filiæ Chaldæorum. Chaldæi namque feroces interpretantur. Valde autem feroces sunt, qui voluntates propriàs sequentes, nec suis parcere mortibus sciunt. Ferocia sunt terrena desideria, quæ non solum contra præcepta conditoris, sed sæpe etiam contra percussionum verbera, duram, atque insensibilem mentem reddunt. Sed filia ferocium solium non habet, quia mens, quæ ad amorem mundi ex prauis desiderijs nascitur, atque eisdem desiderijs obduratur, in eo quod se terrenis concupiscentijs subijcit, sedem iudicij amittit, & quasi a iudicij sui sessione repellitur, quia per exteriores concupiscentias vagatur. Non vocaberis mollis, & tenera. Omnipotens Deus, quasi teneram filiam vocat, quando dilectam vniuscuiusque animam a laboriosis huius mundi seruitijs reuocat, ne dum exterioribus actionibus afficitur ab internis desiderijs obduretur. Sed Chaldæorum filia mollis, & tenera non vocatur, quia mens prauis desiderijs dedita, in eo quod anxie appetit huius sæculi labore relinquitur, vt foris mundo velut ancilla seruiat, quæ intus Deum, vt filia nequaquam amat. Vnde & molam tollere ac farinam molere iubetur. Mola in gyrum ducitur, & farina profertur. Vnaquæque autem mundi huius actio mola est, quæ dum multas curas congerit, humanas mentes, quasi per gyrum vertit, atque ex se quasi farinam proijcit: quia seducto corde, semper minutissimas cogitationes gignit. Subditur ibi: Denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, reuela crura, transi flumina. In administratione quippe operis turpitudo denudatur, dum vilis mens abiectaq. in actionis ostentatione cognoscitur, quæ quieta prius magna putabatur. Humerum mens discooperit, quando opus suum quod ignorabatur ostendit: crura reuelat, quia quibus desideriorum passibus lucris mundi inhiet manifestat. Flumina etiam transit, quia actiones huius sæculi, quæ quotidie ad terminum defluunt, indesinenter apperit, dumque alias relinquit, alias assequitur, quasi de flumine semper ad flumen tendit.

21

Isa. 47.

IDEM exponens verba illa Iacob 6. Fratres mei præterierunt me, sicut torrēs, qui raptim transit in cōuallibus, sic habet: Peccatores apte torrenti, qui raptim transit in conuallibus comparantur. Torrens namque ex montanis in ima defluit, & collectus hyemalibus pluuijs æstiuis solibus arescit. Qui enim terrena diligunt, & spem supernæ patriæ deserunt quasi ex montibus valles petunt, quos tamen hyems præsentis vitę multiplicat, sed æstas venturi iudicij exsiccat, quia cum sol supernæ districtionis incāduerit, reproborum lætitiam in ariditatem vertit. Bene autem dicitur, raptim transit in conuallibus. Torrentem quippe ad conualles raptim transire, est prauorum mentes ad ima desideria sine vllo obstaculo ac difficultate descendere. Omnis enim ascensus in labore est, descensus in voluptate, quia per

22

Lib. 7. Moraliū. ca. 10.

per adnisum gressus ad superiora tenditur, per remissionē verò ad inferiora declinatur. Ad montis enim verticem saxum subuehere magni laboris est, idemque a summis ad ima dimittere labor non est, sine mora videlicet proruit, qui magnis conatibus ad summa peruenit. Longo studio seges seritur, sole, atque imbre diutino nutritur, sed tamen vna, & subita scintilla consumitur. Et pauliſper ædificia ad alta proficiunt, sed repentinis casibus terram petunt. Robusta arbor in aere per tarda incrementa se erigit, sed quicquid diu ad alta protulit, semel, & simul cadit. Quia igitur ascensus in labore est, descensus in voluptate recte nunc dicitur: Fratres prætierunt me sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus. Aliter. Si enim conualles ima pœnarum loca intelligimus, iniusti quique sicut torrens raptim ad conualles transeunt, quia in hac vita quam totis desiderijs appetunt, diu stare nequaqnam possunt. Raptim itaque ad conualles transeunt, qui in longum quidem voluptatum desideria pertrahunt, sed ad inferni claustra repēnte perducuntur. Quia enim hoc etiam tempus, etiam si multum sit, si fine clauditur, longum non est, ex fine miseri collegerunt breue fuisse, quod amittendo tenuerunt. Vnde bene per Salomonem dicitur: Si multis annis vixerit homo, & in his omnibus lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.

Eccli. 11.

23 IDEM exponens verba illa Iob cap. 7. Cutis mea aruit, & contracta est, dicit: In sanctæ Ecclesiæ corpore hi, qui soli exterioribus curis inseruiunt, congrue cutis vocantur. Quæ nimirum cutis arescēdo attrahitur, quia mentes carnalium, dum præsentia diligunt, & quasi iuxta posita concupiscunt, ad futura tendi per longanimitatem nolunt. Qui dum internæ spei pinguedinem negligunt, vt attrahantur arefiunt, quia si eorum corda desperatio non siccaret, nequaquam æstus hęc pusillanimitatis attraheret. Hanc namque attractionem psalmista formidauerat, cum siccitatem mentis metuens dicebat: sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea. Adeps quippe pinguedinis animam replet, cum hanc contra præsentium desideriorum æstum supernæ spei infusio refouet. Cutis ergo arescens attrahitur, cum cor rebus exterioribus deditum, atque ex desperatione siccatum in authoris sui amorem non tenditur, sed in semetipso, vt ita dexerim, rugosa cogitatione replicatur. Pensandum vero est, quod carnales mentes idcirco præsentia diligunt, quia vita carnis, quàm fugitiua sit minime perpendunt. Nam si velocitatem transitus eius aspicerent, hanc etiam prosperantem minime amarent.

Lib. 8. Moraliū. cap. 6.

Psal. 62.

24 IDEM explicans locum Ezechielis 32. Ibi Assur, & omnis multitudo eius, & in circuitu eius sepulchra illius ait: Quis Assur superbi regis nomine, nisi diabolus exprimitur, qui pro eo quòd multos ad culpam pertrahit, cum cuncta sua multitudine ad inferni claustra descendit. Sepulchra autem mortuos tegunt. Et quis alius mortem acrius pertulit, quam is, qui conditorem suum despiciens vitam reliquit? Quem videlicet mortuum cum humana corda suscipiunt, eius proculdubio sepulchra fiunt. Sed in circuitu illius sepulchra eius sunt, quia in quorum se mentibus nunc per desideria sepelit, hos sibi postmodum per tormenta coniungit. Et quoniam nunc in semetipsis reprobi malignos spiritus illicita perpetrando suscipiunt, tunc sepulchra cum mortuis ardebunt. Sepulchra ergo diaboli dicuntur impij.

Lib. 9. Moraliū. ca. 25.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 24. Leuis est super faciem aquæ, sic ait: Aquę superficies, hunc, illucque aura impellitur, & nulla stabilitate solidata passim mouetur. Iniqui igitur mens plusquam aquæ superficies leuis est, quia quælibet hanc aura tentationis attingerit, sine tarditate aliqua trahit. Si enim cor fluxum cuiuslibet peruersi cogitamus, quid aliud quàm in vento positam aquæ superficiem cernimus? Nunc namque illum aura superbiæ impellit, nunc aura luxuriæ, nunc aura inuidiæ, nunc aura fallaciæ pertrahit. Super faciem ergo aquæ leuis est is, quem, quilibet erroris ventus, cum venerit, impellit: Vnde bene quoque per psalmistam dicitur: Deus meus pone illos vt rotam, & sicut stipulam ante faciem venti. Vt rota quippe ponuntur iniqui, quia in circuitu laboris missi, dum ea quæ ante sunt negligunt, & ea quæ deserenda sunt sequuntur, ex posterioribus eleuantur, & in anterioribus cadunt. Qui recte quoque stipulæ ante faciem venti comparantur, quia irruente aura tentationis, dum nulla subnixi sunt ratione grauitatis, eleuantur, vt corruant, & sæpe eo se alicuius meriti existere æstimant, quo eos in alta flatus erroris portat.

Lib. 17. Moraliū. ca. 25.

Psal. 82.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 24. Et sicut summitates spicarum conterentur, ait: Spicarum summitates aristæ sunt: Aristæ autem coniunctæ in spica prodeunt, sed crescendo pauliſper a se hirsutæ, & rigidæ disiungūtur. Sic nimirum, sic ad huius mundi gloriam praui diuites surgunt. Naturæ enim sibi cōmunione coniuncti sunt, sed contra se vicissim crescendo diuiduntur. Alius quippe aliū despicit, & alter in alterum inuidiæ facibus ignescit, qui ergo ex tumore mentis a charitate vnitatis se separant, quasi aristarum more contra se rigidi stant. Quid ergo prauos huius mundi diuites dixerim, nisi aristas quasdam generis humani? qui dum contra se superbiunt, sed bonorum vitam vnanimiter affligunt, aduersum se quidem diuisi sunt, sed tamen concorditer grana deorsum premunt? Nunc igitur aristæ ad alta prosiliunt, grana latent, quia & reproborum potentia eminet,

26

Lib. 17. Moraliū. cap. 6.

& electorum gloria non apparet. Sed triturę tempus aduenier, quod & aristarum rigiditatem frangat, & solida grana non conterat. Tunc quippe superbia iniquorum comminuitur, tunc electorum vita quanta integritate fulgeat declaratur, quia cum iniusti deficiunt, ex hac ipsa aristarum contritione agitur, vt grana appareant, quæ latebant. Cumq. aristæ franguntur, granorum candor ostenditur, quia iniquis in supplicia æterna cadentibus, sanctorum iustitia, quanta veritate candeat
Matth. 3. demonstratur. Vnde rectè Ioannes Baptista dixit, cuius ventilabrum in manu sua & permundabit aream suam, & triticum quidem recondet in aream suam, paleas autem comburet igni inextinguibili. Sicut spicarum ergo summitates conterentur impij, quia nimirum rigiditas eorum triturę vltimæ fortitudine frangitur, quæ nunc electorum vitam despiciens eleuatur.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 28. 27
Lapidem caliginis, & vmbram mortis diuidit torrens a populo peregrinante dicit: durus ille perfidia iudæorum populus, qui auctorem vitæ per fidem videre noluit, lapis caliginis fuit, quia & crudelitate durus extitit, & infidelitate nebulosus. Qui alio quoque vocabulo vmbra mortis dicitur. Vmbra quippe talis exprimitur, qualia eius rei, de qua trahitur fuerunt lineamenta. Quis autem mortis nomine, nisi diabolus vocatur? De quo dicitur: Et nomen illi mors. Cuius ille populus vmbra extitit, quia iniquitatem illius sequens eius in se imaginem expresit: vnde reprobi dicũtur, & lapides caliginis, & vmbra mortis.

Lib. 18. Moral. cap. 18.

Apoc. 6.

FINIS LIBRI DVODECIMI.

LIBER

LIBER XIII.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES

AVCTORE R. D. F. IOANNE LOPEZ Episcopo Cotronensi Ord. Prædic.

Obediendum Deo est, & prælatis inobedientia enim grande est peccatum, & Deo nimis odibile. Cap. 1.

In lib. constit. monast. c. 23. to. 2.

BASILIVS disserẽs de obedientia, sic habet? Docendum est quã magna ea obedientia sit, quã erga antistites suos religionis verę prestare cultores debẽt, eiusque magnitudinem nõ aliunde explicare adnittar quàm ex sacrosanctæ Scripturæ auctoritate. Paulus Apostolus in eadẽ epist. quam
Rom. 13. ad Rom. scribit, ipsis præcipit, vt excellentioribus illi potestatibus omnibus subiecti sint, potestatibus, inquã, mundi non spiritualibus, atq; hoc ex his, quæ deinceps adiecit, declarauit, cũ de tributis, & vectigalibus loqueretur, quo in loco, qui vel minimũ potestati resistit, eum ait Deo ipsi resistere. Si igitur qui mundo huic præsunt, & ex lege humana illã imperandi potestatem habuerunt, ijs diuina lex pietatis cultores tantopere voluit esse subiectos, & quod maius est quorum vita tota tũc erat impietas, quam magna tandẽ ei a pietatis cultore præstanda obedientia est, qui a Deo constitutus præses sit, & imperandi potestatẽ a legibus illius acceperit? & quomodo defendi potest eum non Dei ordinationi resistere, qui an-
Heb. 13. tistiti resistat suo? Præsertim cum apertissime Apostolus iubeat omni in re parẽdum esse spiritualibus præpositis. Obedite enim, inquit, præpositis vestris, & subiecti estote eis. Ipsi enim peruigilãt quasi rationem pro animabus vestris redditurі, vt cum gaudio, hoc faciant & non gementes, hoc enim non expedit vobis. Quod si non expedit non perfecte obedire, sine controuersia, quod magis expedit, illud confectari debemus. Nam mea quidem sententia hoc, quod hic dicitur, non expedire magni cuiusdam detrimenti ac pœnitendi, & quod ægrè admittat correctionem, significantiã habet. Imitanda est autẽ maxime Sanctorũ obedientia, quam erga Deũ illi adhibuerunt, si tñ, proposito nobis eorum exemplo eam fortasse rite poterimus explere. Neq; vero existimet quisquã, me causa firmandę erga antistites obedientiæ, elatiora quædã exempla proferre, eiq. quod Deo debetur officio, arroganter obedientiam aduersus homines audere conferre. Neq; enim ad hanc similitudinẽ inducendã mea spõte, sed diuinis litteris inductus accesi. Animaduerte enim quid in Euang. Dñs dicat, cum de obedientia seruis suis exhibẽda legẽ sanciret: *Matt. 10.* Qui vos recipit, inquit, me recipit. Et itẽ alio in loco: Qui vos audit, me audit: & qui vos *Luc. 10.* spernit, me spernit. Quod Apostolis dixit, intelligendus est in cõmune legẽ sanxisse in posteros, qui aliorũ futuri erant moderatores. Ex quo quidẽ patet nos, quando diximus tenendæ a nobis erga antistites nostros obedientiæ, adhibitam a sanctis viris erga Deũ obedientiam, exemplar nobis oportere proponere diuinis oraculis cõuenienter fuisse locutos. Considera mihi Abraham, qui iubetur relinquere domũ, patriã, supellectilẽ domesticã, possessiones, cognatos, amicos, & omnia, quæ cõtraria his sunt

consectari, peregrinationem, obscuritatē nominis, viæ eatenus incōpertæ errores, paupertatem, metus, pericula, & quę peregrinos incōmoda comitari solent, omnia persequi, & nihilominus tamen videbis eū sublata omni cunctatione, dicto esse audientem, domesticā rerū suarum quietem, prosperitatemq. relinquentem, & pro his in alienis terris ærumnas susci-
pientem, venit in Palæsthinā, locum sibi a Dño commonstratum ad incolendum. Porro cum victus inopia regio illa fuisset oppressa, inde in Ægyptū digreditur, vbi adepta sibi vxore non hinc redditur animo deiectior, sed iniuriā hāc omnium longe grauissimā tulit non semel in Ægypto, sed secundo etiam apud Geraros. Qui enim in eo semel animum obfirmauerat suum, vt obediret Deo, nihil iam amplius illud spectabat, quid de se disponeret Deus, sed totus in eō erat cogitatione defixus, quomodo videlicet perfectissimam, atq; omni ex parte absolutissimam illi obedientiā præstaret, ac propter
3 hoc etiā postremo filiū inuenit Isaac diuturnæ fidei præmium ac donum. Verum hunc ipsum cū iam ætatis flori propinquum videret, & qui spē futuræ successionis parentibus afferret, eo ipso tēpore illum iubetur in prærtū montem educere, ipsiq. immolare. Porro ille durissima hac voce accepta non concidit animo, sed perinde vt si agnū esset aliquē mactaturus, sic leni tranquilloq. animo sublato obedientiæ iugo ibat vnā cum filio, quod iussus erat expleturus mēte defixa, ne vlla in re obedientiā minueret suam, luculentā hoc modo coronā reportauit, nempe qui cunctis deinceps mortalibus obedientiæ velut columna quędā erectus sit. Infra: Narrat quāta dura ac aspera Apostolis dixerit Dominus futura, quibus omnibus auditis submissa mentis ceruice obedientiæ iugum subierunt, alacriq. animo in pericula, in fora, in cōtumelias, in lapidationes, in ignominias, in cruces, in varias neces processere gaudentes, quòd pro nomine Iesu digni essent contumelias pati. Hanc obedientiā is qui secūdum Deū verè est monachus, Antistiti suo præstet, oportet. Siquidem discipulos Christus in hoc elegit, qui hoc vitæ institutū æmularentur, vt per eos formā relinqueret eandē secuturæ posteritati. Nihil est enim aliud Antistes, qui modo diligenter munus exequatur, quàm is, qui personā Christi sustinet, & sequelter est inter Deum & homines, eorum, qui in ipsius officio sunt, salutē sacrificans Deo. Quemadmodum igitur pastori suo oues obtemperant, & viam quamcumq; ille vult ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sūt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum iussa curiosius perscrutantes quando libera sunt a pec
4 cato, cōtraq. ea summa animi alacritate, summoq. studio conficere. Quemadmodum enim faber ædificator ne singulis artis instrumentis pro arbitrio vtitur suo, neq; vmquam illū inuentum est instrumentum, quod ad quemcūq; ille vsum voluisset non se facile tractandū prębuerit, ac moderatoris manui cesserit, itē quoque conuenit verum pietatis cultorē proinde vt instrumentum quoddam vtile opifici ad cōplendam spiritualem fabricā, omnibus in rebus parere, in quibus vt operam suam nauet, rectum esse Antistes iudicarit, ne si id facere recusauerit impedimento sit quominus spirituale opus compleatur. Et vt instrumentum non sibi ipsi deligit, quod facto vsus sit ad artē iuuandam, eodem modo pietatis cultorē quoque nequaquam conuenit ipsum esse, qui sibi iudicio suo opus deligat, sed gubernationem sui artificis prudentiæ debet, consilioq. concedere. Nouit enim qui intelligens moderator est vniuscuiusq; mores & affectus, & animi motus diligenter exquirere, & ad hæc accommodatum etiam in singulis remedium adhibere. Quocirca nullo modo est eius statutis aduersandum, sed illud firmissimum tenendum rem omnino esse difficillimā seipsum cognoscere, propterea quod naturaliter seipsum quisque amat, & quilibet propterea qđ in seipsos propensi sunt, in veritatis iudicio fallantur. Porro ab alio cognosci, curariq. facile est. Stante autem in fratrum societate concordi hac consensione, facile & pax inter ipsos versabitur, & salus vna cum charitate & concordia omnium conseruabitur ac perficietur.

CHRYSOSTOMVS inquit: Oportet naturales patres affectu & dilectione trāscendere, qui pater est animarum, sed & spirituales filios non segnius affici, quā illi sibi necesse est. Obedite enim, inquit, prępositis vestris, & subditi estote illis scientes quoniam ipsi vigilant pro animabus vestris quasi rationē reddituri. Nā dic, oro, ipse tanto periculo tui gratia subditus est, tu illi obtemperare detrectes in his, quæ tibi vtilia sunt? Etsi enim ille sua omnia rite disponat, quādiu tu minus recte vales, angoris vacuus esse non potest, cum duplex ab eo ratio sit exigenda. Iam vero considera quantum periculi sit, per singulos subditorum discuti, rationemq. pro omnibus reddere. Quantumuis illi honoris impendas, quantumlibet obsequij deferas, nihil his periculis referre poteris illi, qui animam suam periculo æternæ mortis exponit. Tu contra neque ad verba illi subijci vis. Hoc nempe est malorum omniū causa, quod rectorum auctoritas perijt, nulla illis reuerentia habetur, nullus honor, nullus metus. Obaudite, inquit, prępositis vestris, & subbditi estote illis. At nunc peruersa, & confusa sunt omnia. Neq; istud prępositorū gratia dico. Quid enim illi de nostro honore lucrantur, nisi inquantum obtemperantes habebunt, idq. pro vtilitate nostra? Hi enim licet honorentur, nihil ex eo honore in futurum lucrantur, maioremq. damnationem inde suscipiunt. Etsi patiantur iniurias nihil ex eis detrimenti in futurum acquirunt, immo & meritorum illis accedit cumulus, atque defensio. Nostri denique causa cuncta illi faciunt. Nam siue honorantur a subditis, & hoc illis fieri iubet, quem modum dicebat Heli: Assumpsi te de domo patris tui, siue iniurijs afficiantur, hoc in se Deus ipse perpetitur, sicut ad Samuelem ait: Non te spreuerunt, sed me. Itaque illis contumelia lucrum, honor verò onus est, non ergo hæc illorum gratia, sed vestri causa dico. Qui vos suscipit, ait Dominus, me suscipit. Hinc iudæi Deum aspernere dicere, quia Moysen contempserunt, quia lapidibus illum impetebant. Nam qui pie sacerdoti afficitur, longe maiore pietate Deum reuerebitur. Etsi enim malus fuerit sacerdos quispiam, attendit Deus, quod sui gratia illū etiam, qui dignus honore non est, obsequijs foues, ipseq. tibi præmia exoluet. Si enim, qui prophetam in nomine prophetæ suscipit, mercedem prophetæ accipiet, profecto & qui cedit, & qui obtemperat sacerdoti, mercede sua non destituetur. Nam si vbi de hospitalitate agitur tantum, vbi quem suscipis ignoras, tantum præmiorum accipis, si ei subijciaris cui imperat Deus, non multo magis mercede donaberis? Super cathedram Moysi, inquit, sederunt scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum ne faciatis. Non ex se ipso loquitur sacerdos, si despicis, non illum despicis, sed Deum.

IDEM exponens illa verba; Obedite prępositis vestris, & subditi estote eis, inquit, malum quidem est, vbi nullus est principatus, & multarum cladium hæc res existit occasio, & confusionis est, turbationumq. principium. Sicut enim si ex choro ipsum principem auferas nequaquam modulatus chorus, vel ordinatus existit, & militum phalanx si ducem non habeat nullo modo numerose acies illa vel ordinatè procedit, & nauis si gubernatore priuetur pessum eat necesse est, & gregi si pastorem abstuleris cunctus dispergetur, & periet. Malum igitur est, vbi nullus est principatus, subuersionis quippe hoc est argumentum. Malum autem est non minus & inobedientia eorum, qui reguntur a principe, idem malum quippe contigit. Populus enim si non obsequitur principi similis est populo principem non habenti, immo etiam deterior. Illi quidem saltem veniam habent, pro quo indispositę, atque inordinate versantur, siquidem ordinatore priuati sunt, hi autem veniam non merentur, qui principem habentes, ei non obediunt. Sed dices postquam superius dixerat Paulus. Quorum contemplantes exitum conuersationis imitamini fidem, tunc intulit: obedite prępositis vestris, & subiecti estote, ergo dum prępositus malignus est, fuge illum, & eui ta, non solum si homo fuerit, sed etiam si Angelus de cælo descenderit. Si vero in vita, & moribus malignum dicis, noli scrutari, sed obedire, sicut Dominus obedire pharisæis perditis præcepit. Obedite prępositis vestris, ipsi enim peruigilant. Audiant & principes, non soli illi, qui reguntur a principibus, quoniam sicut obedientes oportet esse qui reguntur, sic etiam rectores & principes vigilantes esse decet.

HIERONYMVS sic habet: Nulla ars absq; magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues vnam sequuntur ordine litterato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ, Roma, vt condita est, duos fratres simul habere reges nō potuit, & parricidio dedicatur. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi, & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus nititur. In naui vnus gubernator, in domo vnus dominus, in quamuis grandi exercitu vnius signum expectatur, & ne plura replicando fastidiū legenti faciā, per hæc omnia ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio admittendū, sed viuere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioq. multorum, vt ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem, non facias quod vis, comedas quod iuberis, vestiare quod acceperis, operis tui pensū persoluas, subijciaris cui non vis, præpositum monasterij timeas vt dominum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare quicquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire & implere, quæ iussa sunt, dicente Moyse: Audi Israel, & tace. 8 Epist. 4. quę est ad Rusti cum monachum de vi uēdi forma. to. 1.

AMBROSIVS loquens de obedientia Eliezer pueri Abrahæ in exequendo mandato domini sui, cum quæreret vxorē filio suo Isaac dicit; Pulcherrimus locus ad instruendos eos, quibus aliquid iniungitur, quòd non prius mā ducauit puer Abrahæ appositum sibi panem quam mandatum domini exequeretur. 9 Lib. 1. de Abraham patriarha. c. 9. to. 1. *Gen.* 24.

AVGVSTINVS sic habet: Omne lignū quod in paradiso plantauit Deus, vtiq; bonum est. Non ergo malam naturam homo appetijt cum arborē vetitam tetigit, sed id, quod melius erat deserendo, factum malū ipse cōmisit, melior quippe creator quàm omnis creatura quā condidit, cuius imperiū non erat deserendum vt tangeretur prohibitū quamuis bonū, quo deserto meliore, bonū creaturæ appeteba tur, quod cōtra imperiū creatoris tāgebatur. Non itaq; Deus arborem malam in paradiso plantauerat, sed ipse erat melior qui eam tangi prohibebat. Ad hoc enim prohibuerat vt ostenderet naturam animæ rationalis, non in sua potestate, sed Deo subditam esse debere, & ordinem suæ salutis per obedientiam custodire, per inobedientiam corrumpere, hinc & arborem quam tangi noluit, sic appellauit dignoscentiæ boni & mali. Qui cum eam contra vetitum tetigisset experiretur pœnam peccati, & eo modo dignosceret, quid interesset inter obedientiæ bonum, & inter inobedientiæ malum. Idem ferè repetens libro secundo de peccatorū meritis, & remissione, ait: Creauit arborem scientiæ boni, & mali in paradiso, vt ostenderet homini, cui esset sub tali Domino vtilissima seruitus, quantum esset solius obedientiæ bonum, quam solam de famulo exegerat, cui obedire non propter ipsius dominatum, sed propter seruientis vti- 10 Lib. de natura boni. to. mo 6.

litatem potius expediret, ab eo ligno sunt prohibiti, quo si vterentur non prohibiti, nihil mali omnino paterentur, vt quòd illo post prohibitionem vtentes passi sunt, satis ostenderetur, quòd eis hoc non intulerit arbor cibo noxio perniciosa, sed tantum obedientia violata. Hanc ergo priusquàm violassent placebant Deo, & placebat eis Deus, & quâuis corpus animale gestarent nihil obediens, in illo aduersum se moneri sentiebant: faciebat quippe hoc ordo iustitiæ, vt quia eorum anima famulum corpus a Domino acceperat, sicut ipsa eidem Domino suo, ita illi corpus eius obediret, atque exhiberet illi congruum sine vlla resistentia famulatum. Quandiu anima rationalis domina carnis inobediens non extiterat Domino suo, nec ipsa pœna reciproca inobedientem experta est carnem suam. At posteaquàm illa est facta transgressio, & anima inobediens Deo extitit, habere cœpit contra eam seruus eius, hoc est, corpus eius legem inobedientiæ.

12 IDEM explicans titulum Psalmi, qui dicit ipsi Dauid filiorum Ionadab & eorum, qui primi captiui ducti sunt, sic habet: Ionadab homo fuit quidam, commendatur nobis ex prophetia Hieremię, qui filijs suis pręceperat, vt vinum non biberent, neque in domibus residerent, sed in tabernaculis habitarent; præceperat tamen Dominus, vt filij patribus obedirent. Præceptum autem patris filij tenuerunt, & seruauerunt, & ex hoc benedici a Domino meruerunt, quia præceptum patris tanquam præceptum Domini acceperunt. Benedixit ergo Deus filios Ionadab propter obedientiam, eosque obiecit inobedienti populo suo exprobrans, quia cum filij Ionadab obedientes essent patri suo, illi non obedirent Deo suo. Cum autem ageret ista Hieremias, id agebat cum populo Israel, vt pararent se ad captiuitatem. Videtur ergo inde coloratus titulus huius psalmi, vt cum dixisset filiorum Ionadab, subijceret, & eorum qui primi captiui ducti sunt, non quia filij Ionadab captiui ducti sunt, sed quia illis, qui captiui ducẽdi erãt oppositi sunt filij Ionadab, quia patri obedientes erant, vt intelligerent illi propterea se fieri captiuos, quia Deo obedientes non fuerunt.

Cõcione 1. in Psal. 70. tomo 8.
Hier. 35.

13 IDEM sic ait: In montem obedientiæ ascendamus & quod Deo promisimus attendamus. Nihil est enim maius obedientia, nihil peius inobedientia. Adam perijt, quia inobediens fuit, Christus resurrexit, quia obediens fuit patri: Ionas inobediens a pisce absorptus est, Saul inobediens a dæmone correptus est.

Serm. 34. ad fratres in eremo. to. 10.
Gen. 3.
Phi. 2.
Ionæ 2.
1. Reg. 18.

14 IDEM sic habet: Audistis qualiter Dominus præcepit seruo suo Abrahæ vt tolleret filium suum, quem super cuncta terrena diligebat Isaac, vt offerret eum super vnum montium. Series historiæ simpliciter intellecta primo ædificat obedientiæ filios. Sed de modo & virtute obedientiæ aliquid nunc dicendũ est. Nam sicut obediendum est libenter, sic hilariter, sic & velociter. Obedientia enim sine mora esse debet. Non placet Deo morosa & disceptatrix obedientia, quæ quidem, cum præcipitur, quærit cur, quare, quamobrem præcipiatur, sanctus igitur pater Abraham & prima obedientiæ norma, & forma veræ obedientiæ apud omnes esse credatur. Ecce fratres præcepit ei Deus filium immolare, filium dilectum, filium primogenitum, filium magnæ promissionis. Inter hæc iubet illum occidere: non contradixit, non murmurauit, non hæsitauit, nec faciem conturbauit, sed exurgens pia crudelitate se armauit in filium, vt obediret. Attendite vos filij obedientiæ, qui id vouistis. Vade & tu fac similiter. Hæc semper adimplere cogita, hoc semper facie læta fac & viues. Infra: Tu qui monachus es tolle filium tuum Isaac qui interpretatur risus, hoc est, tuam propriam voluntatem tolle, in cuius executione homo ridet, & delectatur.

Gen. 22.

15 GREGORIVS dicit: Sola virtus est obedientia, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasq. custodit. Vnde & primus homo præceptum quod seruaret accepit, cui se si vellet obediens subdere, ad æternam beatitudinem sine labore perueniret. Hinc Samuel ait, melior est obedientia quam victimæ, & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere, obedientia quippe victimis iure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiã vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante eius oculos repressa arbitrij sui superbia, gladio præcepti se immolat. Quo contra ariolandi peccatum inobedientia dicitur, vt quanta sit virtus obedientiæ demonstretur. Ex aduerso igitur melius ostenditur, quid de eius laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est repuguare, & quasi scelus idolatriæ nolle acquiescere, sola est, quæ fidei meritum possidet, sine qua quisq. infidelis esse conuincitur, etiam si fidelis esse videatur. Hinc per Salomonem in ostensione obedientiæ dicitur. Vir obediẽs loquitur victorias. Vir quippe obediens, victorias loquitur, quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Hinc in Euangelio veritas dicit: Eum qui venit ad me non eijciam foras, quia de cælo descendi, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Quid enim? si suam faceret, eos, qui ad se veniunt, repulisset? Quis autem nesciat quòd voluntas filij a patris voluntate non discreper? Sed quoniam primus homo, quia suam facere voluntatẽ voluit a paradisi gaudio exiuit, secũdus ad redemptionem hominum veniens dum voluntatẽ se patris, & non suam facere ostẽdit, permanere nos intus docuit. Cum igitur non suam, sed patris voluntatem facit, eos qui ad se veniunt foras non eijcit, quia dum exẽplo suo nos obedientiæ subijcit, viam nobis egressionis claudit. Hinc rursum ait: Non possum ego a me ipso facere quicquam, sed sicut audio

Lib. 35. Moralium. ca. 10. tom. 2.
1. Reg. 15.
Prou. 21.
Ioan. 6.
16
Ioan. 5.

dio iudico. Nobis quippe obedientia vsque ad mortem seruanda præcipitur, ipse autem si sicut audit iudicat, tunc quoque obedit cum iudex venit. Ne igitur nobis vsque ad præsentis vitæ terminum obedientia laboriosa appareat, redemptor noster indicat, quia hanc etiam cum iudex venerit seruat. Quid ergo mirum si homo peccator se obedientiæ in præsentis vitæ breuitate subijcit, quãdo hanc mediator Dei & hominum, & cum obedientes remunerat non relinquit? sciendum vero est, quòd nunquam per obedientiam malum fieri, aliquando autem debet per obedientiam bonum, quòd agitur, intermitti. Neque enim mala in paradiso arbor extitit, quam Deus homini interdixit. Sed vt per melius obedientiæ meritum, homo bene conditus cresceret, dignum fuerat, vt hunc etiam a bono prohiberet. Infra: Sed quia nonnunquam nobis huius mundi prospera, nonnunquam vero iubentur aduersa, sciẽdum summopere est quòd obedientia aliquando, si de suo aliquid habeat, nulla est, aliquando autem, si de suo aliquid nõ habeat, minima. Nam cum huius mundi successus præcipitur, cum locus superior imperatur, is, qui ad percipienda hæc obedit, obediẽtiæ sibi virtutem euacuat, si ad hæc etiam ex proprio desiderio anhelat. Neque enim se sub obedientia dirigit, qui ad accipienda huius vitæ prospera libidini propriæ ambitionis seruit. Rursum cum mundi despectus præcipitur, cum probra adipisci, & contumeliæ iubentur, nisi ex se ipso animus hæc appetat, obedientiæ sibi meritum minuit, quia ad ea, quæ in hac vita despecta sunt, inuitus nolensq. descendit. Ad detrimentum quippe obedientia ducitur, cum mentem ad suscipienda probra huius sæculi, nequaquam ex parte aliqua etiã sua vota comitantur. Debet ergo obedientia & in aduersis ex suo aliquid habere, & rursum in prosperis ex suo aliquid omni modo non habere, quatenus & in aduersis tanto sit gloriosior, quanto diuino ordini etiam ex desiderio iungitur, & in prosperis tanto sit verior, quanto a presenti ipsa quam diuinitus percipit gloria, funditus ex mẽte separatur. Moyses namque cum in deserto oues pasceret, Domino per Angelum in igne loquente, vocatus est, vt eriperet omni Israelitarum multitudini præesset. Sed quia apud se, mente humilis extitit oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit, moxq. ad infirmitatis patrocinium recurrit dicens: obsecro Domine non sum eloquens, ab heri enim & nudius tertius, ex quo cæpisti loqui ad seruum tuum, tardioris, & impeditioris linguæ sum factus. Et se postposito alium deposcit dicens. Mitte quem missurus es. Paulus quoque diuinitus fuerat, vt in Hierusalem debuisset ascẽdere monitus, sicut ipse Galatis dicit: Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam, ascendi autem secundum reuelationem. Isq; in itinere cum Prophetam Agabum reperisset, quanta se aduersitas Hierosolymis maneret audi-

Otn. 2.
Exo. 4.
Gal. 2.

uit. A Paulo autem protinus respondetur. Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Iesu. Præceptione igitur reuelationis Hierosolymam pergẽs aduersa cognoscit, & tamen hæc libenter appetit, audit quæ timeat, sed ad hæc ardentior anhelat. Moyses itaque ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renittitur, ne Israeliticę plebi præferatur. Paulus ad aduersa etiã ex suo voto ducitur, quia malorum imminẽtium cognitionem percipit, sed deuotione spiritus etiam ad acriora feruescit. Ille præsentis potestatis gloriam Deo voluit iubẽte declinare, istę Deo aspera, & dura disponẽte, se studuit ad grauiora præparare. Præeunte ergo vtrorumq. ducũ infracta virtute instituimur, vt si obedientiæ palmam apprehẽdere veraciter nittimur, prosperis huius sæculi ex sola visione, aduersis autem etiam ex deuotione militemus.

Act. 21.

18 IDEM laudans pueri Samuelis obediẽtiã, qui nocte currẽs ibat ad Heli dicit: Puer humiliter homini subiectus atq; obediẽtię ardua arce sublimatus, dum vocatus accessit, iussus redijt, quid aliud nobis exemplo prębet, nisi altissimæ formam obedientiæ. Vera namque obedientia nec prępositorum intentionẽ discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ iudiciũ maiori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur. Nescit enim iudicare quisquis perfecte didicerit obedire, quia hoc tantum bonum putat si præceptis obediat. Vnicum bonum est ad recuperationem vitæ obedientia, si inobedientiæ culpa malus sufficiens fuit ad perpetrãdam mortem. Si ergo in malo inobedientiæ mors prævaluit, toties vitæ reddimur, quoties obedimus. Puer itaque Samuel nec vocatus, nec repulsus offenditur, quia vocantis aut repellentis animũ videre noluit, qui in hoc solo gaudere nouerat, quod obediuit. Et quia surgere ad laborẽ, redire autem ad dormiendum pertinet ad quietem, quid insinuat, nisi quia vtrumq; nobis vitam præparat, si obedientis animus in eo quòd agit, non nisi obedientiæ bonum pensat? Præceptum namq; in hoc solo pensari debet, quòd maioris præceptum est, & qui obedientiæ bonum exequitur, non iniũctum opus debet considerare, sed fructum: quia ad promerẽda æternæ vitæ gaudia, non exquiritur qualitas operis, sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis. Iam ergo ad omnipotentẽ Deũ nec ea, quæ ad laborẽ, nec ea, quæ ad quietem pertinent, parua sunt, si æternã vitam parare obedientibus possint. Quisquis ergo alieno imperio subiectus est, hoc solũ consideret, quia quod sibi secundũ Deum iniungitur, valde magnum, & excelsum in lucro est menti, quod vitã præparet in mercede retributionis. Quo cõtra inobedientes aspiciat, quia primus parens pomi vetiti inobedientia corruit. Vnde & apte colligitur, quia si parua, quæ videntur maiorum imperia cõtempta, ab internis gaudijs separant, etiam minima, quæ perficiuntur, vitam parant. Operator itaque strenuus vitæ

Lib. 2. in 1. lib. Regũ c. 4. tom. 2.
Gen. 3.

socialis,

socialis, & communiter secum Deo seruientium prius æmulator, si æterni meriti ampliorem retributionem per obedientiæ bonum adipisci desiderat, in hoc solo se cognoscat excelliere, si præ ceteris arbitrio maioris propriam subdiderit voluntatem. Nam nec magna lucra ieiunij, nec asperæ vitę studia, deuotis Christi militibus in maiorum præcepto valde pensanda sunt. Maioris etenim est meriti charitatis iniuncta refectio, ieiunio propria deliberatione suscepto. Qui enim iussus carnem reficit inuitus, ieiunij præmium deuotione promeruit, & ampliorem mercedem obedientiæ manducando conquisiuit. Vocauit ergo Deus puerum, sed voce magistro simili, vt electus puer, qua humilitate obedientiæ esset sublimis ostenderet. Iterato excitat, vt eum quem in forma electorũ ponere volebat, ostenderet, quia nec imperiorum instantia fatigaret. Per eum, qui reprobandus erat, audire quêadmodum debuisset, didicit, vt profecto sciamus quàm maiorum imperia tunc etiam venerãda sunt, cum ipsi laudabilem non habent vitam. Gen. 28. Intra: Iacob cum ad accipiendam coniugem pergeret, dormit in via, quod facit fidelis subiectus maligni spiritus supplantator, per laborem obedientiæ ad quietem suscipitur internæ visionis.

20 IDEM narrans inobedientiam Saul, quãdo contra Domini voluntatem sacrificium obtulit, ait: Quid vnquam studiosius vitandum electis omnibus, quàm inobedientiæ malum videri debuit. Hæc quippe primi Angeli sublimitatem deposuit, hæc perditorum spirituum gloriam strauit. Hæc primo homini fœlicitatem abstulit, hæc captiuitatis humanæ perpetuas ærumnas inuexit. Et ecce primo Angelo, primo domini, electi populi, per inobedientiam rex primus adiungitur. Is per inobedientiam cecidit, quia septem diebus integris Samuelem ad offerendum sacrificium non expectauit. Lib. 5. in 1. lib. reg. c. 2.

21 IDEM exponens gestum Saulis 1. Reg. 15. cap. Quod iussum Domini non expleuerit parcens Amalech, sic habet: De obedientia differens per alias virtutes nostra Deo impendimus, per obedientiam nosmetipsos exhibemus. Samuel ergo subiungens, ait: Nunquid vult Deus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Quid enim sunt bona electorum hominum opera, nisi victimæ, & holocausta? Cum ergo holocausta, & victimas per legem offerri Dominus præcepisset, quid est quod Dominus holocausta, & victimas nolle dicitur, velle autem vt ei obediatur, nisi quia quæ præter obedientiam fiunt holocausta, & victimæ non sunt? Quasi dicat tũc bona sunt opera, quando a præpositorum conscientia non discordant. Si vero hoc ideo dicitur vt virtus obedientiæ commendetur, liquet quàm sublime bonum sit, quod victimis, & sacrificijs excellit. Quid est ergo, quod dicitur, vult vt obediatur voci Domini, nisi quia omnia bona opera postponẽda sunt his bonis, quæ iubentur? Nam cum bene prælati iubent, bona, quæ ex arbitrio subiecti eligunt, prælatorum imperijs postponuntur. Ipsa verò opera illis postposita holocausta, & victimæ nominantur, vt non solum censeantur non esse conferenda maiorum imperijs minorum parua, sed maxima. Holocausta quidem eorum sunt, qui se omnino subtrahere volunt a publico operis, vt Deo se totos per amorem combustos offerant in secreto contemplationis. Victimæ sunt eorum, qui se a communi publico nequaquam separant, sed singulari virtute agunt, vt virtutes aliorum districtius viuendo transcendant. Hęc quidem & huiusmodi cum bonorum rectorum permissione aguntur, victimæ, & holocausta sunt, quæ Deus probat, cũ vero sic fiunt, vt per ea maiorum præcepta negligantur, audiant qui offerunt quid a Domino missus ad inobedientem regem propheta loquitur. Nunquid vult Deus holocausta, & victimas, & non potius, vt obediatur voci Domini? Quia qui sequi propriam voluntatem eligunt, Deo placere se putant, sed Deus eorum opera cum magna & ingentia sunt nequaquam probat. Melior est enim obedientia, quàm victimæ, & auscultare magis, quàm offerre arietum adipem. Quia longe altioris meriti est propriam voluntatẽ alienæ semper voluntati subijcere, quàm magnis ieiunijs corpus atterere, aut per compunctionem se in secretiori sacrificio mactare. Quia qui perfectè voluntatem præceptoris sui implere didicerit, in cælesti regno & abstinentibus, & flentibus excellit. Quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere. Quasi peccatum ariolandi est repugnare, quia velut contempto diuino altari ad aras dæmonum responsa percipiunt, dum cordis sui præstigiosis, ac superbis adinuentionibus credunt, & salubribus prælatorum consilijs contraria sentiendo refragantur. Nolle autem acquiescere idololatriæ sceleri simile dicitur, quia nimirũ in inobedientiæ suæ obstinatione nemo persisteret, si propositi sui figmentum in corde quasi idolum non gestaret. Quasi ergo scelus idololatriæ est nolle acquiescere, quia quisquis in propria deliberatione obstinatus est, idcirco foris in maiorum contemptum erigitur, quia intus eis, quæ fingendo statuit propositi sui simulachris incuruatur. Pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Libet ex his intueri quanta per inobedientiam superbis pereant. Illi enim dum implere propriæ voluntatis arbitrium gaudent, Deo magnos operum labores exhibent, & laborũ præmia nulla habent. Obedientes dum se deserũt, dum alienæ voluntatis arbitriũ sequimur, æternæ sublimitatis gloriam promerentur. Vnde & per beatam Mariam Dominus dicit, deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Potentes quidem de sede Dominus deponit, cum inobedientes superbos abijcit, & humiles exaltat, quia æterna gloria obedientes glorificat. 1. Reg. 15. 28 Luc. 1. 28

BERNARDVS sic habet; cernis quam libera

Serm. de virtute obediẽtiæ, & eius gradibus. Act. 5. libera fronte pontificum faciem, pharisæorũ supercilium, tumultum plebis irrumpant Apostoli dicentes: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. In istis videbis obedientiæ firmitatem inter tormentorum multitudinem viriliter perstitisse. Taceamus de illius magni Phi. 2. regis obedientia, qui factus est obediens patri vsque ad mortem, propter quam exaltatus est, & accepit nomen super omne nomen. Procedat ad medium magnus ille pater Abraham Gen. 12. obedientiæ forma. Audit: egredere de terra tua, & ad vnius iussionis vocem, patriam fugit, relinquit parentes, deserit hereditatem, & aliorum fines hospes ingreditur nouus. Primus primum suis facultatibus renunciat, & obedientiæ viam indefessa velocitate percurrit. Deniq; cum accepisset filium in senectute sua, Gen. 22. ait illi Deus: Tolle filium tuum, & vt tenerrimum intra paterna viscera doloris incendium exundaret, additur vnigenitum, addit etiam, dilectum, ad exaggerendam in corde patris tribulationem, & comprobandam in mente iusti obedientiam, Dominus subiungit, quem diligis. Et vt teneritudo patris ex memoria dilecti nominis recrudesceret, & interior pietas ad dilectæ vocis sonum tota feruere, puer nominatur ex nomine, quod vocatum fuerat a Domino priusquam conciperetur. Vides quantis tribulationum malleis Abrahæ pietas feriatur, cui præcipitur, vt filium tollat, occidat vnigenitum, quem diligit, immolet, Isaac percutiat? 24 Abraham sternit asinum suum, ligna parat, & gladium, non a Domino quærit: quare non murmurat, non conqueritur, non saltem vultum doloris ostendit. Et ideo summæ, & admirabilis obedientiæ virtus in Abraham prædicatur. Fortissima res est obedientia vera, & quæ in animum descendere non potest, nisi a mũdi huius aspergine pure presseq. detersum. In illis rebus, quæ summe bona sunt, obedire oportet Deo potius, quàm hominibus. Media sunt ambulare, sedere, comedere, ieiunare, vigilare, dormire, quæ si pastoris licẽtia fiant, summam expectant retributionem. In his medijs subditi esse debemus, & obedientes ad nutum præpositorum, nihil interrogantes propter cõscientiam, quia in his nullũ præfixit opus Deus, sed prælatorum reliquit imperio disponenda. Rom. 13. Non est autem potestas, nisi a Deo, & qui resistit potestati Dei, ordinationi resistit. Communis est ista obedientia inter Deum, & hominẽ, quia quicquid obedientiæ prælatis exhibetur Luc. 10. ei exhibetur, qui dicit: Qui vos audit, me audit. Obedientiæ huius primus gradus est obedire libenter. Ab illa primæ præuaricationis angustia innatus est homini amor propriæ voluntatis, quæ voluntatem sui creatoris relinquens ibi subdita est seruituti, vbi voluit dominari. Difficile est ergo suam relinquere voluntatem, & alterius voluntati deseruire. Quamlibet autem greue sit, non potest tamen primũ obedientiæ descendere gradum, qui voluntatem præcipientis suam non fecerit. Ex voluntate ergo suscipienda sunt imperia prælatorum, & ipsum cor a suis voluntarijs reflexionibus abducendum, donec propria voluntas mactata, mandatum diligat imperantis. Hoc 25 est ergo libenter obedire prælatorum voluntatem voluntariè adimplere. Secundus gradus est obtẽperare simpliciter. Qui ambulat simProu. 10. pliciter, ambulat confidenter. In simplicitate Sap. 1. cordis quærere Dominum scriptura præmonstrat. Multos videmus post præcipientis imperium, multas facere quæstiones, cur, quare, quamobrem sæpius interrogare, crebras ingeminare querelas. Inde murmuratio, inde verba murmurationem, & indignationem sonantia, & redolentia amaritudinem. Inde frequẽs excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum. Audi quid Dominus de simplici populo protestetur: In auditu, inquit, auris Psal. 17. obediuit mihi, vt videlicet ostenderet vno eodemque momento processisse, & imperantis imperium, & obsequium obsequentis. Incede igitur simpliciter in mandatis obedientiæ, addens voluntati simplicitatem. Fortitudo enim simplicis via Domini, quæ obedientia est. Fortitudinem igitur induunt, qui obedientes sunt, & simpliciter incedunt. Tertius gradus est hi2. Cor. 9. lariter obedire. Hilarem enim datorem diligit Deus, non ex tristitia, aut ex necessitate. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. Quis enim locus obedientiæ, vbi tristitiæ cernitur ægritudo? Ostendunt plerunque voluntatem animi signa exteriora, & difficile est, vt vultum non mutent, qui mutant voluntatẽ. Vide quàm necessaria, & conueniens sit hilaritas in obedientiæ executione. Quis imperat libenter tri- Psal. 147. stitiam efflanti? Quartus gradus est obsecun- 26 dare velociter. Velociter currit sermo Dei, & Psal. 118. velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quanta velocitate currit ille, qui dicit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditãtem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, manus operi, itineri pedes, tutum se colligit, vt imperantis colligat voluntatem. Vide Dominum festinanter præcipientem, & hominẽ festinanter obedientem: Zachæe, inquit, festinans descende, quia Lucæ 19. hodie in domo tua oportet me manere. Et festinanter descendit, & excepit eum gaudens. Audisti obedientiam, audi & obedientię remunerationem: Quia hodie salus huic domui facta est. Nonne legisti, quod filijs Israël præcipi- Exo. 12. tur, vt agnum comedant festinanter? Festinanter quippe veri agni comestio signatur implẽda, quia verba illa, quæ per legem dedit, quæ per seipsum præsens exhibuit, quę per Ecclesię præpositos tradenda reliquit, veloci sunt obedientia consumanda. Et tu ergo cum voluntatem cordi, simplicitatem operi, hllaritatem vultui coniunxeris, adde velocitatem, vt sis iuxta Apostolum Iacobum velox audiendum, Iaco. 1. ad implendum velocior. Quintus gradus est adimplere viriliter. Viriliter agite, & confor- Psal. 30. tetur cor vestrum, omnes qui sperat is in Domino.

mino. Non est fortitudinis ire ad inobedientiam, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si peccatores tibi laqueum ponũt, si maligni tuum iter impediunt, tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Manum tuam misisti ad fortia? Agendum est instanter, & constanter obediendum, nec inter verborum, seu verberum asperitatem tam regalis est semita relinquenda. Sextus gradus est humiliter obedire. In humilitate nostra memor fuit nostri qui fecit nos. Fortitudinem suã ad Deum custodiũt illi, qui cum fecerint quod facere debent, dicunt: serui inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus. Septimus gradus est, indesinenter obtemperare. Non qui inceperit, sed qui perseuerauerit, saluus erit: Perseuerantia sola est, quæ amatorem obedientiæ ad regis cubiculum introducit, vt eum videat in decore suo, in quem desiderant Angeli prospicere. Difficilis est obedientiæ via, & grauis spinosis anfractibus multiplicium vinculorum nexibus innodata. An tu ibi putas obediẽtiæ fructum cum subditus audit obedientiam, quam multis expetierat votis, cum ei præcipitur quod redoleat dignitatem, gaudio, & lætitia fluitet, potentiæ fulciatur imagine? Et E contrario autem an tu illi obedientiæ meritum assignas, quę cum aduersitate procedens, animum terret audientis, grauis ad audiendũ, grauior ad implendum, ad tenendum grauissima? Non est ita. Faciendum est, vt a prosperitate animo separemur, & aduersitatem animo complectamur, si volumus illum sequi, qui regnum fugit, & ad passionem voluntarius venit.

27

28 IDEM sic exorditur: Audi verbà Pauli Apostoli, non est potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt ordinata, a Deo ordinata sunt. Ideoq. qui resistit potestati Dei, ordinationi resistit. Igitur quando per inobedientiam prælatis nostris contradicimus, Deo iniuriam facimus. Quando per inobedientiam prælatis nostris contumaces sumus, atque inobedientes, Deum contemnimus, qui dicit: Qui vos audit, me audit, id est, qui vobis est obediens, mihi est obediens, & qui vos despicit, me despicit. Ergo qui prælatum suum despicit, Deum despicit, & qui prælatum suum honorat, & qui obediens est prælato suo, obediens est Deo. Hanc virtutem obedientiæ laudat Samuel propheta dicens: Maior est obedientia, quam sacrificium, & obedire magis quàm offerre adipem arietum, quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, id est, nolle obedire. Maria quę contra Noysem fratrem suum, id est, prælatum murmurauit per inobedientiam, & rebellionem, significat animam cuiuslibet hominis, qui murmurat contra prælatum suum, cui non vult obedire, nec præcepta salutis accipere. Et quia non vult per obedientiam præcepta sui prælati suscipere, percutitur lepra peccatorum, atque fœdatur. Etiam Chorè, Dathan, & Abiron, qui contra Moysen, & Aaron per inobedientiam insurrexerunt, statim pro sua præsumptione pœnas sustinuerunt, sicut scriptum est: Aperta est terra, & deglutiuit Dathan, & operuit super congregationem Abiron, exarsit ignis in synagoga eorum, flamma combussit peccatores. Et Ozias rex cum per inobediẽtiam thuribulum accepisset, & Deo sacrificare voluisset, a Deo est lepra percussus, atq; maculatus in fronte. Nam & Saul rex, quia inobediens fuit, regnum perdidit, & in manibus inimicorum suorum cecidit. Etiam Ionas propheta per inobedientiam fugit, & cum piscis absorbuit, atque in profundum maris misit. Cauendum est igitur ne contra prælatos nostros per inobedientiam audeamus insurgere, ne Dominus per eos velit nos, quia vice sua fungantur aspere visitare. Prælatos pro salute nostra posuit Deus in Ecclesia, & ideo Paulus ait: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Vir obediẽs loquitur victorias, quia qui alienæ voci humiliter obedit, semet ipsum in corde superat. Adam lapsus fuit propter inobediẽtiam, & Christus Dominus propter obedientiã exaltatus est. Sicut per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam Christi iusti constituti sunt multi, & sicut inobedientia primi parentis generauit mortẽ, ita obedientia Christi generauit vitam. Si pro Christo fueris obediens prælatis tuis, cum Christo regnabis in cælis. Esto obediens vsque ad mortem, & dabit tibi Dominus coronam vitæ.

In serm. 19. ad sororem, qui est de obedientia.

Rom. 13.

Psal. 105.

29

Oculi sani, clausi, & aperti quando dicantur, deq. ipsorum necessaria custodia. Cap. II.

1 HIERONYMVS exponẽs verba illa; Oculus meus depredatus est animam meam in cũctis filiabus vrbis meę; sic ait: Docet in his verbis propheta qua ratione per incuriam aspectus patefactus fuerit tentationi aditus: vix tranquillitatem inueniet animus turbatus, nisi illi subuenerit diuinæ pietatis intuitus. Hinc est quod beatus Iob ait: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine. Vt enim cogitationes cordis caste seruare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne prius incautè aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde namq; est, quod caro deorsum trahit, & semel species formę cordi per oculos alligata vix magnitudinis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum dũ nobis est, quia intueri non debet, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, a lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam. Neq; enim Eua lignum vetitum contigisset, nisi hoc prius incaute respiceret. Scriptum quippe est, vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq. delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Hinc ergo pensandum est, quanto debemus moderamine erga illicita visum est restringere nos qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam modo sub iudææ voce, quæ exteriora videndo cõcupiscens bona interiora perdiderat, propheta dicit: oculus meus deprædatus est animam meam. Concupiscendo enim visibilia, inuisibiles virtutes amisit. Quæ ergo interiorem fructum per exteriorem vitium perdidit, per oculum corporis pertulit prædam mentis. Vnde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuũ disciplina seruanda est. Nam quantalibet grauitate mens vigeat, carnales tamen sensus pueriliter exterius perstrepunt, & nisi interioris grauitatis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque & leuia, mentem eneruem trahunt.

Lib. 2. in c. Lament. Hier. to. 4.

Iob 31.

Gen. 3.

2 AMBROSIVS sic dicit; Sexta decima litera alphabeti Hebraici est Ain, cuius interpretatio est oculus, siue fons. Oculo vtimur videndi munere, sed videmus ea, quæ complacent, & sæpe quæ displicent, nec in eo oculi est vel culpa vel probitas, pro eorum qualitate quæ viderit. Oculi est enim officium nunciare quæ viderit. Est sane offensa, vel gratia, si aut delectetur suauibus, aut offendatur aduersis. Oculi est, vt intuendi officio fungatur, tuum est cauere quod videris. Oculus tentationis ideo dicitur, quia per oculum sæpe tentamur. Oculus meretricis laqueus amatoris. Sed oculus nihil delinquit. Ideoq. Saluatoris sententia plena institiæ est dicentis:

Serm. 16. in Psal. 118. to. 4.

Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eã, iam adulterauit eam in corde suo. Non dixit: qui viderit mulierem, sed ad concupiscendum viderit. Oculum absoluit, mentem ligauit. Non dixit: adulterauit eam in oculo, sed in corde. In oculo visus est, in corde peccatum. Oculus hædi ad sinistram est, quod ea quæ dextera sunt, peccator videre non possit.

Psal. 15. Sanctis autem dicit: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi ne commouear. Ex oculi aspectu, aut bona, aut aduersa generantur. Vidisti mulieris pulchritudinem, laudasti artificis opus, veritatem naturæ: generatio fidei, deuotionis non partus. Contentus fuisti formæ decore, est census ambitione. Contemplatus es saeram puellam, præsit oculos tuos angustæ reuerentia castitatis, prædicasti Dominum Iesum, qui senilem dedisset in adolescentula ætate grauitatem, immaculatamq. vitam inter infirmas tam lubricæ carnis illecebras humanis infudisset affectibus, fons bonorum est. Vidisti possessiones pupillorum, non ad inuadendum, sed ad tuendum, & paternis ingemuisti visceribus, si quid aduertisti de commodis minoris esse neglectum, repulisti eum qui fines eius volebat inuadere, iudicasti pupillo, oculus tuus fons tibi fuit, & origo iustitiæ. Vidisti nudum corpus inopis iacere defuncti, non præteristi, sed continuo miseratus eum sepelisti, generauit tibi oculus materiam redemptionis. Contra si aspiciens agrum pupilli vineis consitum, segetibus, nemoribus vmbrosis, fluuijs decurrentibus, aut fontibus scaturientibus, & auaritiæ facibus accensus, transtulisti patrum limites, atque in possessionem indefensam improbus irruisti, oculus tuus tibi mortis perpetuæ acerba generauit. Vicinæ viduæ iura temerasti, coegisti eam prosilire in publicum, & litigare, oculus tuus partus iniquitatis est factus. Vidisti inopem superbo oculo, & insatiabili corde, despexisti precem pauperis, & quẽ misereri debueras, cum fastidio præteristi, oculus tuus fons tibi fuit, & origo peccari. Ideoque oculi tui non lupi oculi sint, & insidiantes ad prædam. Sed sicut sponsæ dicitur: oculi tui stagna in Esebon, in portis filiæ multorum. Oculus ergo iste prouideat quæ futura sunt, etsi aduersa imminere præuiderit, fletu, lachrymisq. emollire, ac mitigare non desinat. Ideo Hieremias in captiuitate gentis Iudæ positus, futuram præuidens perpetuæ captiuitatis ærumnam, quam perfidiæ pretio Iudæorum populus habebat exoluere dicebat in Threnis sub hac eadem litera: Oculi mei caligauerunt a fletu, quia elonganit a me qui me, consolabatur.

3

Cant. 7.

Thren. 1.

4 AVGVSTINVS dicit; Oculus animæ est mens ab omni corporis labe pura, mentis aspectus est ratio, intellectus visio. Tria hæc omni animæ necessaria sunt, vt sanos oculos habeat, vt aspiciat, & videat. Sanos oculos habet cum a mortalium cupiditatibus est purgata, atque remota, Aspicit, cum in Dei lumine contemplationis oculos figit. Videt, cum in illa contẽplatione conspicit quanta sint gaudia, quanta lætitia, quanta securitas, serenitas, & quanta iucunditas.

Lib. de Spiritu & anima. to. 3.

5 IDEM sic habet; Fas non est dicere primos homines cæcos factos. Sed cur post ligni vetiti tactum eadem scriptura dicit: Aperti sunt oculi amborum? Hoc quippe verum est, quia apertos oculos habebant, & tamen nisi ad aliquid clausi essent, nullatenus scriptura diceret: aperti sunt oculi amborum. Aperti sunt scilicet non ob aliud, nisi ad inuicem concupiscendum, vt esset lex in membris repugnans legi mentis, vt etiam in ipsis membris esset non voluntarius motus, iusta scilicet vindicta Dei, vt homo qui noluit esse subiectus Deo, non haberet subditum corpus. Ergo in eo aperti sunt oculi amborum, vt mouerentur concupiscentialiter membra.

In dialogo inter Orosium, & August. to. 4.

Gen. 3.

6 IDEM exponens verba illa; Si autem oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te, inquit oculus dicitur hic, quod vehementer diligitur. Solet enim & ab eis, qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici: Diligo eum, vt oculos meos aut etiam plusquam oculos meos. Vt iste sit sensus

Lib. 1. de sermone Domini in mõte. to. 4.

Matt. 18.

sensus;quicquid illud est quod ita diligis, vt pro dextro oculo habeas, si scandalizat te,idest, si impedimento est ad veram beatitudinem,erue illum,& proijce abs te:expedit enim tibi, vt pereat vnum horum, quæ ita diligis, vt tamquam membra tibi hæreant, quàm totam corpus tuum eat in gehennam. Potest etiam per oculum dextrum intelligi fidelissimus amicus, cuius amicitia relinquenda est, quando est impedimento ad animæ salutem.

7 IDEM ait: Ante peccatum aperti erant
Lib.1.de sermone Dñi in monte. tom. 4. oculi primorum parentum ad intuendum opera Domini, quæ valde bona creauit, clausi verò erant ignorantia mali, quod creator bonorum omnium non creauit.
Gen. 3. Et aperti sunt conscientia delicti pulsante, vel cum in se viderēt, vel sentirent iam nudati, animæ carnisq. pace motum quendam turpissimum atque præcipitem nouiter accidisse, vnde confusi ad fici folia confugerunt, & his, libidinis pudore solicitata membra texerunt.

8 IDEM explicans illa verba; Illumina o-
In Psal. 12. tomo 8. culos meos, ne unquā obdormiā in morte, ne quando dicat inimicus meus præualui aduersus eum ait: oculos cordis oportet intelligi,ne delectabili defectu peccati claudantur. Ne si clauserimus oculos insultando diabolus dicat: præualui aduersus eum.

9 IDEM exponens verba illa; Oculi mei
In Psal. 24. semper ad Dominnm, quia ipse euellet de laqueo pedes meos dicit:nec timeam periculosa & terrena, dum terram non intueor,quoniam ille,quē intueor,euellet de laqueo pedes meos.

10 GREGORIVS exponens verba illa Iob
Lib.21.Moraliũ cap.2. tom. 2. cap. 31. pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem quidem de virgine,ait: Cum sit inuisibilis anima nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inhærens corpori quasi quædam egrediendi foramina eiusdem corporis sensum habet. Visus quippe auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quædam viæ mentis sunt, quibus foras veniat, & ea quæ extra eius sunt substantiam concupiscat. Per hos enim corporis sensus quasi per fenestras quasdam exteriora quæque anima respicit,respiciens concupiscit. Hinc
Hier. 9. etenim Hieremias ait: Ascendit mors per fenestras, ingressa est domos nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis.
Isa. 60. Quo contra hoc,quod iam sępe diximus,de iustis per Isaiā dicitur: Qui sunt isti, qui vt nubes volant,& quasi columbæ ad fenestras suas? iusti namque volare, vt nubes dicti sunt, quia a terrenis contagijs subleuantur, & quasi columbæ ad fenestras suas sunt, quia per sensus corporis exteriora,quęque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis verò per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati etiā nolens rapitur, atque obligatus desiderijs incipit velle quod noluit. Præceps quippe animа, dum ante non prouidet ne incaute videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit. Vnde & prophetæ mens, quæ subleuata sæpe mysterijs internis intererat, 2.Reg.11.
quia alienam coniugem incaute vidit obtenebrata postmodum sibimet illicite coniunxit. Sanctus autem vir,qui acceptis corporis sensibus velut subiectis ministris quidam æquissimus iudex præest, culpas conspicit ante quam veniant, & velut insidianti morti fenestras 11
corporis claudit dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem de virgine. Vt enim cogitationes cordis caste seruare potuisset fœdus cum oculis pepigit,ne prius incaute aspiceret, quod postmodum inuitus amaret. Valde namque est graue, quod caro deorsum trahit; & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu soluitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, prouidendum nobis est,quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Vt enim munda mens in cogitatione seruetur, a lasciuia voluptatis suæ deprimendi sunt oculis, quasi quidam raptores ad culpam. Neque enim Eua lignum vetitum contigisset, Gen.3.
nisi hoc prius incaute conspiceret. Scriptum quippe est, vidit mulier quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuq. delectabile, & tulit de fructu illius,& comedit. Hinc ergo pensandum est, quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter viuimus, si & mater viuentium per oculos ad mortem venit. Hinc etiam sub Iudęæ voce, quæ exteriora videndo concupiscens, bona interiora perdiderat, propheta dicit: Oculus meus depræ- Tren.3.
datus est animam meam in cunctis filiabus vrbis meæ, concupiscendo enim visibilia inuisibiles virtutes amisit. Vnde nobis ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum quoque sensuum disciplina seruanda est. Nam quantalibet virtute polleat mens, quantalibet grauitate vigeat, carnales sensus puerile quidam exterius perstrepunt, & nisi interioris grauiratis pondere, & quasi iuuenili quodam vigore refrenentur, ad fluxa quæque, & leuia mentem eneruem trahunt. Videamus igitur quomodo beatus Iob id quod in eo fluxum ac puerile caro sapere potuit, iuuenili sapientiæ vigore restrinxit. Ait enim,pepigi fœdus cum oculis meis. Et quia non in re actionem tantummodo, sed & cogitationem luxuriæ extinxit,adiunxit; vt ne cogitarem quidem de virgine.

12 Serm. 5. assumptionis beatę Mariæ. BERNARDVS sic habet: Loquens de Maria Magdalena, quę sedens audiebat verbum Domini, non vult interrumpere silentij quietem, ne iucundam amittat contempla- Luc.10.
tionis dulcedinem, præsertim cum intus ipsū audiat Dominum dicentem: Vacate & vide- Psal.45.
te quoniam ego sum Deus. Hic sane considerandum est tua esse,quæ impediunt contemplationem. Equidem animæ nostræ oculus intelligentia est. Sicut enim oculo corporis lux corpo-

corporea, & cetera quæque corporalia videntur, ita Deus, qui est lumen incircumscriptum & eius inuisibilia,vt cumque intellectu percipiuntur. Differūt autē in hoc interior,& exterior oculus,quod exteriori quidē corporea lux extrinsecus, vt videat admouetur,interiori verò Creatoris lumen intrinsecus, vt discernat infunditur. Vtrūq; verò oculū tria sunt,quę ad videndum impediunt. Primū exterior oculus fieri potest vt sanus sit,& pateat. Sed quoniam lux exterior ei desit,nil videat. Econtrario fit aliquando vt lux exterior præsens ei sit,sed forte sanguine,seu quolibet humore cōcreto turbatus,cernere minime possit. Iterū solet plerumq; cōtingere,vt neutrum desit ei, nec lux, nec salus, sed tamē aliqua pulueris iniectione
13 lædatur,quo fit vt eius acies retundatur. Sunt ergo tria quæ hunc oculum impediunt, tenebræ humor concretus,& puluis iniectus. Hæc ipsa sunt etiam quibus interior oculus impeditur. Sed alia nomina sortiūtur. Nam quod hic tenebræ,ibi peccata dicūtur. Ipsa verò peccata confluunt in memoriam quasi in quandam sentinam,& hic est ille humor cōcretus. Quod autem hic puluis dicitur: Hoc ibi cura terrenorum actuum nuncupatur. Hæc igitur tria sunt,quæ oculum intelligentiæ confundunt,atque à contemplatione veri luminis excludūt, tenebræ scilicet peccatorum, recordatio eorundem peccatorum,cura terrenorum actuū.
Psal.37. Primo illo morbo turbatum se plangebat Propheta cum diceret. Dereliquit me virtus mea & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Cum enim luce iustitiæ destituimur, nil aliud quam peccatorum nostrorum tenebras inuenimus. Item secundo se grauari sen-
Psal. 31. tiebat cum dicebat: Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina,peccatorum sci-
Psal.101. licet recordatio. Tertio occupari se conqueritur, cum dicit: Quia cinerem tanquam panem manducabam. Cinerem scilicet actionis pro pane contemplationis. Quicunque ergo mentis oculum diuinæ contemplationi vult intendere, profecto necesse est, vt eum prius ab hoc triplici impedimento studeat purgare. Quod si quis facere contendat, nouerit contra triplicem morbum triplex quoque fore remedium. Nam primus quidem per confessionem, secundus per orationem, tertius verò curatur per quietem.

14 Serm.de cõuersione ad clericos ca. 25. IDEM dicit: Odibilis macula,quæ beatā nobis adimit visionem,& execrabilis negligentia,qua dissimulamus interim illius oculi mūdationem. Vt enim corporeus nobis visus,aut humore interiori, aut exterioris iniectione pulueris impeditur, sic & intuitus spiritualis interdū quidē propriæ carnis illecebra, interdum curiositate sæculari, & ambitione turbatur. Quod quidem non minus hos experien-
Sap. 9. tia propria, quam diuina pagina docet, vbi legitur: Corpus, quod corrūpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. In vtroque tamen solum, quod hebetat, & confundit obtutum, peccatū est,nec aliud inter oculum,& lucem, inter Deū & hominem separare videtur. Interdū tamen corporeus oculus non adhuc festuca manente, sed iam sublata aliquandiu caligare videtur, quod quidem, & ipsum in interiori oculo, qui in spiritu ambulat sæpius experitur. Beati ergo mundo corde quoniam ipsi Deum videbunt.

IDEM ait: duo sunt oculi sponsæ rerum 15
labentium consideratio, quæ est velut flamma In lib. sententiarum.
ignis, & cęlestis patriæ digna æstimatio in qua vulneratur cor sponsi.

Orationem quibus rationibus persuadeant sancti. Cap. III.

ORIGENES explicans quomodo eleuante manus Moyse 1 Homil.11.in cap.17.Exodi. tom.1.
in morte vincebat Amalech inquit: Eleua & tu manus ad C. 17.
Deum, imple mādatum,quod Apostolus dicit: Sine intermissione orantes, & tunc fiet, quod scriptum
est: Quia sicut vitulus ablingit in campis 1.Thess.5.
herbam viridem: ita ablinget populus hic populum, qui super terram est. Per quod (vt a maioribus accepimus) indicari dicitur, quia populus Dei non tam manu,& armis quàm voce & lingua pugnabat idest orationem fundens ad Deum prosternebat inimicos. Ita ergo & tu finis vincere inimicos, eleua actus
tuos, clama ad Deum (vt dicit Apostolus:) Rom. 12.
orationi instantes, & vigilantes in ea. Hæc enim est Christiani pugna qua superat inimicum.

IDEM exponens ea quæ regem Balach 2
mouerunt ad quærendum Balaam, cuius car- Hom.13. in cap.22. Numerorum.
minibus contra iudæorum populum dimicaret,ait: Sed & hoc puto quod mouerit regem. C. 22.
Videtur enim audisse, quia filij Israel solent hostes vincere oratione, non armis, nec tam ferro, quam precibus. Nulla enim Israel aduersum Pharaonem arma commouit, sed dictum est ei, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Sed nec contra Amalechitas
quidem tantum vis armorum,quantum Moy- Exo.17.
si valuit oratio. Vt enim eleuasset Moyses manus ad Deum, vincebatur Amalech. Remissæ verò & deiectæ vinci faciebant Israel. Audierat ergo Rex Moab quia populus hic orationibus vincit, & pugnat aduersum hostes ore, nōn gladio & ob hoc sine dubio apud semetipsum cogitauit, dicens. Quoniam quidem orationibus populi huius, & precibus nulla possunt arma conferri, ideo etiam mihi tales aliquæ preces, & talia requirenda sunt arma verborum, & orationes tales, quæ superare possint orationes istorum. Vt autem scias tale aliquid cogitasse regem ex scripturæ verbis intellige, quæ ego a magistro quodam qui ex hebræis crediderat, exposita didici. Scriptum est ergo, & dixit Moab ad
seniores Madian. Nunc ablinget synagoga Num.22.

hæc omnes, qui in circuitu noſtro ſunt ſicut ablingit vitulus herbam campi. Aiebat ergo magiſter ille: Cur, inquit, tali vſus eſt exemplo, dicens ſicut ablingit vitulus herbam campi? Ob hoc ſine dubio, quia vitulus ore obrumpit herbam de campo, & lingua tanquam falce quæcumque inuenerit ſecat. Ita ergo & populus hic quaſi vitulus ore, & labijs pugnat, & arma habet in precibus. Hæc igitur ſciens rex, mittit ad Balaam, vt ipſe deferat verbis verba contraria, & precibus preces.

3 Homil.9.in c.8. Ioſue. IDEM docens, quod poſtquam ſubuertit Ioſue Hay, ædificauit altare Domino ex lapidibus integris, ait: Ego arbitror, quod quicumque prompti ſunt, vt orationibus vacent, & vt die, noctuq. obſecrationes offerant Deo, & ſupplicationum victimas immolẽt ipſi ſunt, ex quibus Ieſus ædificat altare. Infra: Nõ deſerit nos Ieſus Dominus noſter, ſed quamuis nos vacantes orationi, quid oremus ſecundum quod oportet, neſciamus, ipſe tamen ſpiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Si ergo orationes noſtras ſpiritus adiuuet, & offerat patri omnium Deo gemitibus, quibus nos explicare non poſſumus, certum eſt, quia & altaris conſtructionem ſollicite requirat a nobis.

2 Lib. 1. in c. 1. Ioh. to. 2. IDEM exponens illa verba; Factum eſt cum filij Dei aſtarent coram Domino, dicit, Sancti viri iugiter, ac indeſinenter aſtant in conſpectu Dei. Venire autem dicuntur ante Deum homines, dum maiori deuotione, atque ſtudio animas ſuas effuderint in oratione ante Deum. Sicut anna mater Samuelis cum in dolore animi effunderet orationem ſuam in conſpectu Domini, ſicut ille, de quo dictum eſt: Oratio pauperis cum anxiaretur, in conſpectu Domini effunderet orationem. Sic itaque aſsiſtunt ante Deum omnes, qui ſollicitè cum oratione adorauerint.

3 Homil.1. in Hexamerõ. to.1. BASILIVS fugam Moyſi ex Ægypto exponens ait: Ad Aethiopiam vſque profectus, ibique ſecurus omnium, ac proinde liberrimum nactus otium, totos quadraginta annos contemplationi rerum indulſit. Qui annos natus iam octoginta Deum vidit. Hic quæ auditu didicerat, colloquente ſecum Deo, hæc nobis in libro Geneſis ediſſerit.

4 Serm. de ab dicatione rerum. to. 2. IDEM ſic habet; Ad orationem quotieſcunque vocaris, libenter ſuccinat os tuum, in eaque eo vſque permaneto, donec canoni ſatisfeceris, magnamque te iacturam facere arbitrato, ſi ante inde diſceſſeris. Etenim ſi cum corporis tui ſuſtendandi cauſa cibum capis, ægre admodum a menſa potes auelli, niſi naturale prius deſiderium expleueris, neque ita facile hoc facturus ſis, niſi magna te inde aliqua neceſsitas auocet, qui non tandem ab epulis ijs auelli ægrius debes, quibus ſpiritus alitur tuus? Quique non magis oratione corroborandus tibi tuus animus eſt? Quamobrem quæ corporis cauſa neceſſario ſuſcipi munera debent, ita ea habebis diſtributa, vt legitimum tibi poſtea orationis tempus non interpellent. Caue autem diligenter, ne cogitationi illi animi tui aſſentiare, quæ ab orationis canone nondum peracto auellere te ſtudeat. Habent enim morem hunc dæmones, vt faciendæ orationis temporibus per ſpecioſam ſcilicet aliquam laudabilis cauſæ alicuius ſimulationem nobis ſedulo auctores ſint, vt ab ea nos ſubducamus, vt quam ſalutem afferre nobis intelligant, ab ea nos probabiliter abducant. Noli ingemiſcens capitis ventriſve dolorem excuſare, & eius, qui nullus ſit, teſtes incertos proferre, ne quieſcendi cauſa quicquam de acri vigilantiæ aſsiduitate remiſeris, potiuſq. occultas aliquas ſemper orationes habeto, quas in occulto aſpiciens Dominus, pro ijs gratiam tibi referat in aperto. Operam ſedulo da, vt in ea mercatura, quam in luculento vitæ genere, præclariſq. muneribus communiter vna cum ceteris facis, ſeorſum tu queſtus acceſsiunculam aliquã habeas, quo repoſitas poſtea in die neceſsitatis diuitias inuenias.

5 Homil. 38. in Geneſ. to. 1. CHRYSOSTOMVS dicit; Magna arma ſunt preces, magna ſecuritas, magnus theſaurus, magnus portus indeprædabile prædiũ, modo ſobrij, & vndequaquẽ mente noſtra collecta, inimicoq. noſtræ ſalutis nullo aditu permiſso, Dominũ adeamus. Scit enim hoſtis noſter, quod per tẽpus illud poſſumus de ijs, quæ ad ſalutem noſtram attinent, loqui, & peccata confiteri, & vulnera medico oſtendere, & ſanitatem conſequi, ideo maxime obſiſtit, omniaq. facit, & tractat, vt nos ſupplãtet, negligenteſq. faciat. Infra: Magnum bonum ſunt preces. Nam ſi homini quis loquatur virtute prædito, non paruum inde fructũ percipiet. Quantis ergo bonis fruetur is, cui cum Deo colloquium fuerit? Oratio enim colloquium eſt cum Deo. Quod vt ſcias, audi prophetam dicentem: iucundum ſit Deo eloquium meum, hoc eſt, ſermo meus appareat Deo.

6 In ſermonibus varijs tomi primi ſermone de Moyſe. Exo. 17. IDEM ſic haet; Stabat Moyſes in monte non armis, ſed precibus pugnaturus, ſtabat extenſis manibus ad cælum, deuoto orãs affectu, non de terra, ſed de cælo auxilium poſtulabat. Pugnabat cum hoſtibus abſens, cum externis ſine bello decertat, vt quem loci diuerſitas ab inimicis ſeiunxerat, orationis effectus bellatorem præſentem hoſtibus exhiberet. Fit Moyſe orante occulta pugna, ſed manifeſta victoria, latenter dimicat, vt euidenter deuincat. Solus orat, vt multi ſaluentur. Stabat Moyſes in mõte proximus iam cælo, iam vicinus ſyderibus. & quanto eũ ſublimitas montis extulerat, tanto oratio Deo proximum exhibebat. Fit Moyſe orante victoria, ceſſante mæſtitia, potentior hoſtis efficitur iuſti eorpore fatigato. Definit Iſrael vincere, Moyſe deſiſtente in prece, vt dũ diuerſa populis exhiberentur, orationis potentia nobis monſtraretur. Denique tandiu iſta diuerſitas valuit, quandiu oratio defuit, perſeuerante prece perſeuerans victoria roboratur. Iam geritur pugna cum hoſte, iam Amalech precibus debellatur. Oratio in vltionem inimici

mici dirigitur, cuius ſcelera iam interitũ pronocabant, nedum Moyſi oratio circa victoriæ effectus minus valeret, inimici virtus in populum Dei potentior eſſet, vt non iam cæleſte, ſed humanum certamen ab omnibus putaretur. Quis enim iuſtorum nõ orando pugnauit? quis hoſtem non orando deuicit? Orationibus Danieli viſa panduntur, ſopiuntur flammæ feræ hebeteſcunt, cadunt hoſtes, inimici vincuntur. Quanto enim purior, frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celerior inimico vindicta. Licet colloqui cũ Deo orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mereari quod optas. Et quamuis vocem eius audire non poſsis, tamen dum id quod petis, accipis, colloqui tecum, etſi non verbis, tamen beneficijs dignatur. Et factum eſt, inquit, cum leuaret manus Moyſes, prævalebat Iſrael, vbi autem ſubmiſerat manus, inualeſcebat Amalech. Bellum Chriſtianis inuictum hoc exemplo monſtratur, belli effectus, orationis inſtantia aperitur. Orat enim Moyſes, & vincit, ceſſat & vincitur. Diſcit Chriſtianus vnde aut vincatur, aut vincat, quamuis inſtantius Chriſtiano orandum ſit, & quia periculoſior hoſtis eſt, & quia pro teipſo, non pro altero pugnat. Moyſes enim & contra hominem, & pro alijs orando pugnabat; Chriſtianus vero, & pro ſeipſo & contra diabolum pugnat. Nec quiſquam poterit excuſari, qui hoſtem vincere noluit, dum orando ceſſauit. Apparet autem vires hoſti illũ dare, qui ceſſat, & ſeſe ei ſubijcere, qui non orat. Hoſtis enim dum oras, præmitur, dũ ceſſas erigitur. Tu contra te ipſum hoſtem erigis, dum eum in te non orando admittis. Oratio iugis, infirmitas hoſtis. Ceterum ipſe contra ſe tela miniſtrat, qui hoſtem precum inſtantia non fatigat. Quare orationis inſtantia, hoſtis ſæuitia debelletur, non reſumat vires, dum parcimus, non erigatur, dum aliquando ceſſamus. Oportet, inquit, ſemper orare, & non deficere. Dum oportet, dicit, neceſsitatem inducit. Neceſsitas autem tanta vi aſtringitur, vt quod neceſſe eſt, & ſi nolis, præterire non poſsis. Denique manducandi, bibendi, veſtiendi, neceſsitas a natura illata præteriri non poteſt, ſine quibus geri vita iſta non poterit. Igitur ſi prætermitti iſta non poſſunt, ſine quibus non poteſt vita iſta celebrari, quomodo tutus ab hoſte eſſe poterit, qui, quod oportet ſemper orare, contempſit? Petite, inquit, & dabitur vobis. Optat dare qui præcipit petere, beneficia ingerit, qui poſcendi hortamenta exprimit, cupit largiri, qui deſiderat poſtulari, ille ſuadet, qui præſtat, ille hortatur qui donat, occaſiones ille dandi exquirit, qui beneficia tribuere conſueuit. Petite, inquit, quod vultis, & faciam, poſtulate quod deſideratis, vt compleam. Talem me ſentietis in dando, qualem nunc in promittendo conſpicitis.

Luc. 13. Luc. 11.

10 Homil. de Anna. IDEM ſic exorditur; Nulla profecto res eſt, chariſsimi, quę poſsit ęquari deprecationi. Siquidem, vt auditis in Anna naturã mãcam, ac ſterilem correxit, & vuluam, quæ erat concluſa aperuit, & probrum ſuſtulit. Omnes audiſtis quomodo fieuerit, quomodo precata ſit, quomodo orarit, & exorarit. Oratio fecit, Samuel auſpicatioribus exordijs naſceretur, preces enim fuerunt huius generationis principia.

11 Homil. 19. in c. 6. Mat. to. 2. Coloſ. 4. Lucæ 11. IDEM vno verbo dicit; Oratione inſtate. Nam & ipſe Dominus ad viduæ illius, & immiſericordis, & crudelis iudicis, nos mittit exemplum, vt orationis inſtantiã ex illius interpellationis importunitate commendet. Et cum intempeſta nocte veniſſe alique dicat ad amicum, eumq. dormientẽ de lectulo ſuſcitaſſe, illumq. hoc non tam familiaritate quam ſedulitate meruiſſe, nihil aliud omnino, quam vt ipſe frequenter interpellaretur admonuit. Et ſi inquis, ſcit pater noſter, quid nobis opus ſit, cuius tandem rei gratia, nos oportet orare? Vt ſcilicet Deum non doceas, ſed inflectas, vt familiaris efficiaris interpellationis frequẽtia, vt humilieris orando, vtq. peccatorum tuorum ſæpe recorderis.

12 Homil. 23. in Matt. IDEM ait; Non dicas non ſum dignus audiri, & ideo non oro, nam & Chananæa illa talis fuit, ſed nihilominus orauit, & impetrauit. Etſi igitur non fueris amicus, etſi non ea quæ tibi competere videntur expoſtules, etſi bona patris luxurioſus abſumpſeris, longumq. tempus a facie eius abfueris, & indignantem illum, iratumq. conuenias, incipe tantummodo orare, atq; ad ipſum redire, & recipies profecto cuncta, & confeſtim omnem iram, pœnamq. reſtringes. Infra: Accedamus ad eũ, atque dicamus: Etiam Domine: nam & canes edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Accedamus, inquam, importune, immo hoc nunquam eſt importune accedere. Sicut enim reſpirare importune omnino nunquam eſt, ita etiam non quidem petere, ſed non petere, potius importunum eſt. Sicut enim reſpirare hoc iugiter indigemus, ita etiam eo quod a Deo præſtatur auxilio. Quod ſi noluerimus, facile illum ad nos poterimus inflectere. Et hoc profecto declarans, atque oſtendens Deum promptum eſſe, ſemper ad beneficia largienda dicebat, ſicut diluculum paratum inueniemus eum. Quotieſcumque enim venire, & ad illum voluerimus accedere, expectatas ab illo eſſe preces noſtras continuo ſentiemus. Si vero nihil de redundante illo fonte bonitatis haurimus, noſtra eſt omnis culpa, non fontis. Hoc etiam Iudæis imputando dicebat: Miſericordia ſicut nubes matutina, & vt ros diluculo cadens. Quod vero dicit huiuſmodi eſt, ego quidem quæ a me petenda erant, cuncta largitus ſum, vos vero quaſi quidam ventus vrens aduerſus nebulam, roremque contenditis, & idcirco retrahitur a vobis: ita præ nimia malignitate veſtra facitis immẽſæ liberalitatis Dei dona cohiberi. Si vero paululum in meliora mutemur, & vel tantulum quidem, vt nos ſaltẽ peccaſſe doleamus, ſupra quam omnes fontes ſubito ebul-

Matt. 15. Oſee 6. & 13.

lit, copiosius quàm omne pelagus effunditur. Quantoque amplius acceperis, tanto ille plus gaudet, & hoc ipso ad dandum plura consurget, diuitias enim suas nostram dicit esse salutem, & ipsam dandi petentibus largitatem. [Rom. 10.] Quod certè dicebat Paulus: Qui diues est in omnibus, qui inuocant illum: non enim nisi quando non postulamus, irascitur, tunc etiam nos solum, quando non poscimus auersatur. Propterea enim & pauper factus est, vt nos diuites faceret, & illa omnia sustinuit, vt nos ad petendum plenius incitaret. Habentes igitur occasiones salutis, spesq. meliores semper ad orationem accedamus.

14 [Homil. 36. in Acta Apost. to. 3.] IDEM exponens de Paulo, & Sila Actuum 16. Quod media nocte orantes, laudabant Deum, & audiebant illos vincti. Repente autem terræmotus factus est magnus, ita vt mouerentur fundamenta carceris. Apertæ sunt autem statim ianuæ, & omnium vincula soluta sunt, sic ait: Et hoc studeamus etiam nos facere, & aperiemus nobis non carcerem, sed cælum. Si orauerimus, & cælum aperire poterimus. Elias etiam clausit, & aperuit cælum oratione. [Reg. 17. 18.] Est etiam in cælo carcer: Quæcumque ligaueritis in terra, erunt ligata & in cælo. [Matt. 16.] Oremus per noctem, & soluemus hæc vincula. Nam quod preces peccata soluant, persuadeat nobis vidua, persuadeat nobis ille amicus, qui intempesta nocte perseuerat, [...uca 18.] ac pulsat, persuadeat nobis Cornelius: orationes tuæ, inquit, & eleemosynæ ascenderunt [...ca 11. ...ct. 10.] coram Deo. Persuadeat nobis Paulus dicens: [...Tim. 5.] Quæ autem vere vidua est, & desolata, sperauit in Deum, & adhæret precibus die, ac nocte. Si de vidua ille hæc dicit, de infirma muliere, multo magis de viris. Etiam dixi, & nunc dico, excitemur nocte etiam si non multas preces facias, vnam fac cum sobrietate, & sufficit, etiam si non sit media nox saltem sub ipsum diluculum. Ostende quod non corporis solum est vox, sed etiam animæ. Ne sinas illam otiose transire, sed da Domino, oro hoc donum, immo ipsum ad te redeat. Dic obsecro, si in graues incidissemus facultates, quem non rogaremus? Si forsan petitionis compotes fieremus, respiramus. Quis tibi daret, vt paratus sit is, qui rogatur, ad habendum tibi gratiam quod rogas? Quis tibi daret, ne ambules, & quæras quemnam roges,

15 sed inuenias paratum? Nec alijs opus habeas, per quos roges, vt per illos preceris. Quid hoc maius? Hic enim tunc maximè facit, quando non alios rogamus, sicut amicus germanus, & nos tunc maximè obiurgat, quasi non fidamus illius amicitia, quando alios oramus, qui pro nobis ad illum intercedant. Ita etiam nos facimus quando aliqui nos rogant, tunc potissimum illis largimur, quando per se ipsos non per alios nos accesserint. Quid igitur, inquit, si offenderim? Cessa offendere, & lachrymas funde, & ita accede. Non adeo cupis dimitti peccata tua, sicut ille cupit peccata dimitti. Præoccupemus faciem eius in confessione, quoniam bonus est, ac suauis, & misericors. Si autem non inuocaueris ex veritate, neque volueris ex corde loqui, dimitte: sed ex ore quid ille faciet? Quid est in veritate inuocare? cum electione voluntatis, cum alacritate, cum mente sincera, sicut de vnguentis dicunt verum esse, si nihil habet adulterinum, ita & illic re vera illum inuocat tam diu assidet, nec desistit, donec assequatur. Magna arma sunt preces. Si vos [Luc. 11.] cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se? Quare non vis accedere? Amat te, plus omnibus potest. Et vult & potest. Quid prohibet? Nihil legitur, accedamus cum fide, accedamus dona afferentes, quæ vult vltionis obliuionem, benignitatem, & mansuetudinem.

16 [Homil 3. in epist. ad Philemonem. to. 4.] IDEM sic habet; Est autem magnũ quoddam, & salutare bonum oratio, animarumq. nostrarum firma custodia, tutissimumq. præsidium.

17 [Homil. 4. in 2. epist. ad Thess.] IDEM in vltimis verbis dicit; Expugnemus hostes nostros precibus, & supplicationibus. Si enim contra armatos ad eum modum pugnauerunt veteres, multo magis cõtra inermes ita pugnandum nobis erit, ita vincebat Ezechias Assirũ, ita Moyses Amalechitas, ita Ascalonitas Samuel, ita Israël triginta duos reges. Si vbi armis opus erat, & exercitu, & pugna, relictis armis, ad orationem confugerunt, vbi dumtaxat orationibus conficienda sunt negotia quomodo non multo magis orandum est.

18 [Homil. 5. de incõprehẽsibili Dei natura. to. 5.] IDEM in fine ait; Aptissima arma oratio est, thesaurus certe perpetuus, diuitię inexhaustæ, portus quietus, occasio tranquillitatis, denique auctor, parens, fons, & radix bonorum omnium, & innumerabilium, oratio est, atque etiam regia ipsa facultate potior & superior. Sæpius itaque euenit, vt cum rex ipse ægrotet, febriat, ardore laboret, & adsint medici, adsint clientes, familiares, proceres, milites, duces, non ars medicorum, non amicorum præsentia, non familiarium administratio, non medicamentorum copia, non apparatus magnificentia, non pecuniarum facultates, non aliud quicquam rerum humanarum possit reddere infestantem morbum leuiorem. At si quis valens apud Deum familiaritate accesserit, & corpus languens tetigerit, & sincere pro eo orauerit languorẽ omnem expellit, & quod non diuitiæ, non numerus ministrorum magnus, non medicinalis scientia, non regius fastus, efficere potuit, hæc vnius pauperis oratio potuit. Orationem autem dico non tenuem illam, & desidiosam, sed eam quæ intenta, & animo dolente, atque contrito proficiscatur. Hæc enim est, quæ cælum scandere valeat. Vnde ait propheta: [Psal. 119.] Ad Dominum cum tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Qui ita afflictus mæstusq. orat, hic lætitiæ plurimum post orationem sibi potest conciliare. Et vt frequentia nubium prin-

principio cælum obfuscat, vbi verò per crebras dimiserit stillas, iam & humore seposito serenum cælum, & dilucidum facit, sic mæror animi, dum intus versatur caligine cogi-

19 tationem nostram obducit, cum autem verbis orationis, & lachrymis, quæ solent comitari orationẽ foras versus euaporatus euanuit, plurimũm iam inde splendoris afferri in animum solitum est, fauore scilicet humanissimi, & liberalissimi Dei velut radio quodã in eius, qui orat animum ingruente, ac luce afficiente lætissima. Infra: Vis orationis vim extinxit [Dan. 3.] ignis, cum tres pueri in camino dicerent: non possumus aperire os, confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & colentibus te, vis orationis impetum leonum cohibuit, bella composuit, prelia remouit, tempestates sustulit, dęmonia expulit, cæli fores aperuit, vincula mortis disrupit, languores eiecit, vrbes terræmotu nutantes firmauit, plagas cælitus irruentes, insidias hominũ, mala deniq; omnia deleuit oratio. Infra: Si apud homines suos quempiam casus dixisse, suasq. calamitates narrasse affert nonnihil consolationis, quasi difflatio quædam malorũ per ipsam narrationem ageretur, longe magis si cum domino illo communi ægritudines animi tui communicaris consolationẽ, atq; remediũ capies. Homo enim vel grauatur plerumq; tędio alienę querelę, & luctus repellit, fugitq. hominem miserum, at verò Deus non ita agit nobiscum, sed inuitat, ducit, hortatur, acceptat. Etsi totum diem in cõmunicandis cũ eo tuis calamitatibus consumpseris, ita te magis, magisq. diliget, & tuis precibus liberalius annuet. Et quidem hoc ipse Dominus explicãs dicebat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. [Matt. 11.] Vocat, obsequamur, inuitat, accedamus, si peccatis innumerabilibus detinemur, cursum ob eam rem maiorem in modum eò agamus.

20 [Lib. 1. de orando Deũ] IDEM inquit; Sicut sol lucem prębet corpori, sic animę lumen est precatio. Proinde si cęco damnosum est non intueri lumen, & solem, quanto grauius est homini Christiano si nõ assidue deprecetur, neque Christi lucem orando in animum suum inducat? Iam verò quis non obstupescat, & admiretur tantam benignitatẽ, ac beneuolẽtiam, quam in nos homines declarat Deus? qui mortalibus tantum honoris largiatur, vt dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraq. vota apud ipsum deponamus. Nã vere profecto cum Deo confabulamur, quoties vacamus deprecationi, per quã simul & angelis copulamur, & societatem, quã cum brutis animãtibus habebamus, procul effugere videmur. Angelorum enim opus est deprecatio, superans interim etiam illorum dignitatem, si tamen mauis, est Angelorum dignitate colloquium miscere cum Deo. Atqui quod sublimius sit ipsi nos docent, multo quidem cum tremore vota sua offerentes: ceterũ nobis exemplum præbentes, vnde sciamus, ac discamus, quòd quisquis Deum adit, multo cum gaudio, multoque rursum cum tremore id facere oporteat. Tremore quidem dum metuimus, ne videamur indigni qui Deum precibus alloquamur, rursus gaudio repleamur, reputantes honoris magnitudinem, quòd Deus mortaliũ genus, tanta, ac tali sua cura dignatus sit, vt assidue diuino colloquio frui liceat, per quod etiã illud assequimur, vt & mortales, & temporarij esse desinamus, natura quidem mortales, sed colloquio, conuictuq. quem agimus cum Deo, ad immortalem vitam transeuntes. Necesse est enim, vt qui cũ Deo familiaritatẽ habet, superior euadat & morte, & omnibus quę corruptioni sunt obnoxia. Et quemadmodum nullo pacto fieri potest, vt qui solis radijs fruitur, nõ effugiat tenebras, ita nulla ratione fieri potest, quin qui cũ Deo consuetudinẽ agit desinat esse mortalis, siquidem ipsa dignitatis sublimitas nos ad immortalitatem transfert.

Etenim si qui cum Cęsare miscent sermones, fa- 21
miliariterq. cum eo versantur, & hoc honoris ab illo sunt adepti, non possunt esse pauperes, multo minus fieri potest, vt qui Deum deprecãtur, cum eo familiariter colloquentes, animas habeant mortales. Nã mors animæ est impietas, ac vita pugnans cum lege diuina. Ex quo consequitur animæ vitam esse Dei cultum, ac vitam eo cultu dignam Porro vitam piam, ac Dei cultu dignã, miris modis oratio conciliat, conciliatam auget, ac ceu thesaurum recondit animis nostris. Etenim si quis aliquid facere cupit, quod ad recte viuendum pertinet, duce precatione, ac huius vitę viam pręparante, cõmodum simul, & facilem habiturus est pietatis cursum. Neque enim fieri potest, vt qui postulant a Deo pudicitiam, mansuetudinem, &c. non assequantur id, quod petunt. [Mat. 7. & Luc. 11.] Petite, enim, inquit Dominus, & accipietis, quęrite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Quisquis enim petit, accipit, & qui quęrit, inuenit, & pulsanti aperietur. Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, quanto magis pater vester dabit spiritum bonum petentibus se. Talibus quidem dictis, ac tali spe prouocauit nos ad orandum vniuersorum Dominus. Nos verò decet obtemperantes Deo, semper omnem vitam in laudibus Dei, precibusq. transigere, maiore studio curã agentes diuini cultus, quam vitæ nostrræ. Sic enim continget semper viuere vitam homine dignam. Quisquis enim non orat Deum, nec diuino colloquio cupit frui assidue, is mortuus est, & vita carens, expesq. sanæ mentis. Nam hoc ipsum euidentissimum est argumentum amentiæ, non intelligere magnitudinem huius honoris, nec amare deprecãdi studium, nec hoc habere persuasum, quòd animæ mors sit non prouolui ad Dei genua. Quemadmodũ

enim corpus hoc nostrum, si non adsit anima, 22
profecto mortuum est, ac fœtidum; sic anima, nisi seipsam incitet ad orandum, mortua est, ac misera, & grauiter olens. Quin insuper quòd oporteat quauis morte tristius existimare, si quis deprecatione priuetur, pulchre nos docet Daniel Propheta magnus, qui ma-

luerit emori, quàm triduo dumtaxat arceri ab orando. Nec enim hoc ab eo exigebat rex Persarum, vt impietatem admitteret, tantum illum obseruabat, si quis intra triduũ quicquam petere deprehẽderetur ab vllo deorum, aut hominum præterquam ab ipso. Sed propheta ne tantulum quidem temporis sustinuit ab orando cessare, propterea quod nisi Deus propensus sit in nos, nihil omnino bonorum in animas nostras venire possit, Dei vero propẽsio simul adiuuat labores nostros, hosq. pulchrè subleuat si conspexerit nos amare precãdi studium, si continenter orare Deum, si viderit expectantes omnia bona nobis illinc effluxura. Itaque cum videro quempiam non amantem orandi studium, nec huius rei feruida, vehementiq. cura teneri, continuo mihi palam est eum nihil egregiæ dotis in animo posidere. Rursus vbi quem conspexero insatiabiliter adhærentem cultui diuino, idq. in summis damnis numerantem si non continenter orauerit, coniecto talem omnis virtutis firmum esse mediatorem, ac Dei templum. Etenim si vestitus hominis, si pedis incessus, si risus declarat qualis sit, quemadmodum sa-
Eccli. 19. piens dixit Salomon, multo magis deprecatio signum est totius iustitiæ, cum sit ornatus spi-
23 ritualis ac diuinus, multam pulchritudinem ac decorem concilians mentibus nostris, dum vniuscuiusq; vitam componit, nec sinit quicquam sordidum aut absurdum dominari nostro animo, dum persuadet reuereri Deum, & honorem, quem illi debemus præstare, dum docet vniuersam mali spiritus impostùram reijcere, turpes & absurdas cogitationes profligans, denique dum cuiusque mentem cõstabilit in contemptu voluptatum. Arbitror itaq; cunctis esse manifestum, quod simpliciter impossibile sit absque precationis præsidio cum virtute degere, cumq. hac huius vitæ cursum peragere. Etenim qui fiat, vt quis virtutem exerceat, nisi supplex adeat genua eius, qui virtutem omnem suppeditat ac largitur hominibus? Quin & illud paucis demonstrare volo, quod etiam si nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Quid itaque maius ac diuinius obtingere possit quam deprecatio, cum hanc animis ægrotantibus pharmacum quoddam esse liqueat?
Ionæ 3. Itaque primi occurrũt Niniuitæ, quos clarum est deprecationis præsidio plurimorum scelerum, quibus diuinam iram in se prouocarant, remissionem accepisse. Simul enim atque illos cepit deprecandi studium illico iustos reddidit, ac ciuitatem, quæ iam assueuerat lasciuiæ, malitiæ statim correxit, nimirum potentior diutina peccandi consuetudine, cum ciuitatem illorum cælestibus legibus impleßet, pariter secum trahebat temperantiam, humanitatem, mansuetudinem, curamq. pauperum. Nec enim sustinet deprecatio absque his virtutibus versari inter pauperes, sed in quorumcumque pectore sibi domicilium delegerit, eos reddit plenos omnis iustitiæ erudiens & exercẽs ad virtutem ac malitiam omnem propellens, & sane si quis tunc ingressus fuisset ciuitatem Niniuitarum, qui prius eandem probè nouisset, nequaquam agnouisset eam a Deo repente a turpissima vita ad pietatem resiliera. In qua transmutanda tantum valuit deprecatio, vt & mores & vitam ad virtutem reduceret. Iam vero & mulier quædam quæ totum vitæ tẽpus in lasciuia & impudicitia per- Luca 7.
24 egerat simul atq; se proiecit ad pedes Christi, salutem assecuta est. Proinde deprecatio non solum purgat a peccatis, verumetiam ingentia pericula depellit, siquidem ille rex simul & propheta mirabilis Dauid, multos ac sæuos inimicos effugit precationis ope, non alijs armis exercitum muniẽs, atque ita tradidit suis militibus potiri victoria, quietis interim ac securis. Quemadmodum alij quidam reges incolumitatis suæ spem ponere consueuerunt in militum peritia, & arte belli gerendi in sagittarijs, in equitibus, ita magnus ille Dauid sanctis precibus mœnium vice suum cinxit exercitum, nequaquam respiciens imperatorum tribunorum ferocium, neque pecuniam colligens nec arma comparans, sed orando diuinã armaturam e cælo deportans. Nam verè cælestis est armatura deprecatio, quæ Deo funditur, solaq. firmam custodiam præbet his, qui se se Deo tradiderunt. Siquidem & robur, & peritiam exercitus sæpenumero ludit, ac frustratur vel ipsa hostium fiducia, & alia permulta, ceterum deprecatio armatura est inexpugnabilis, ac tutissimum nec vmquam fallens munimentum pari facilitate vel vnum repellens militem, vel innumerabilia hostium millia. Quandoquidem Dauid, de quo modo diximus Goliat illũ immanẽ, cum veluti dæmon 1. Reg. 17
quispiam formidandus irrueret, non armis neque gladijs, sed precibus deiecit, vsq; adeo regibus quidem aduersus hostes in prælijs valida arma sunt deprecatio. Quin eadem & nobis æque valida sunt arma aduersus dæmones. Sic & Ezechias rex superior euasit in bello, 4. Reg. 19
quod illatum est a Persis, cum non armaret exercitum, sed preces tantum opponeret hoIsa. 37.
stium multitudini, itidem & mortem effugit, vbi cum qua decuit religione se Deo prosterneret, solaq. deprecatio regi dedit, vt reuiuiscceret. Iam verò quod animam peccatis obnoxiam, deprecatio facile puram reddit, docet nos publicanus ille, qui petijt a Deo remis- Luca 18.
sionem peccatorũ, & impetrauit. Docet & leprosus, qui simul, vt procidit ad pedes Dei, mũ- Matt. 8.
datus est. Quod si Deus corpus morbo corruptum celeriter sanauit, multo magis animam, quæ morbo tenetur. Verum quis forte ex eorum numero, qui secordiæ, segnitieiq. sunt dediti, & nolunt attente orare persuadere velint in hoc Deum illa verba dixisse non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, in- Matt. 7.
trabit in regnum cælorum. Atqui ego si crederem solam precationem ad salutem nostrã sufficere, non iniuria sermonem hunc nobis abijceret aliquis. Nunc cum profitear deprecatio-

cationem caput esse bonorum omnium, basim ac radicem vitæ frugiferæ, non est quòd quisquam illis verbis abutatur ad excusationem suæ socordiæ. Omnes virtutes in anima esse debent, vt homo salutem consequatur. Ceterum precatio ceu radix & basis, omnibus ceteris substernitur, Neque secus ac nauem, & domum, ea quæ substrata sunt validam reddũt ac ne soluatur continent, ita nostram vitam orandi studium continet, & vbique firmam reddit, adeo vt absque hoc nihil nobis boni possit contingere, neque quod ad salutem conducat. His de causis tanto studio Paulus non cessat
Coloss. 4. hoc adhortari nos dicens: orationi instate vi-
1. Thes. 5. gilantes in ea cum gratiarum actione. Atque alibi iubet, vt sine intermissione oremus in omnibus gratias agentes, hæc est enim voluntas Dei. Ac rursus in alio loco: orate omni tẽ-
Eph. 6. pore, in spiritu in hoc ipsum vigilantes cum omni instantia & obseruatione. Decet igitur nos ab illo doctos, cum precatione vitæ cursum peragere, atque hac mentem assidue rigare. Si quidem hoc omnes homines non mi-
nus opus habemus, quàm arbores aquarum
28 humore. Neque enim valent illę fructus producere nisi bibant humorem radicibus, neque nos pretiosis pietatis fructibus poterimus esse grauidi, nisi precibus irrigemur. Quapropter oportet, & stratis relictis diuino cultu præuenire solis exortum, & cum ad mensam accedimus, & cum nos ad nocturnam quietem recipimus. Quin potius oportet singulis horis vnam precationem offerre Deo, vt orandi cursus, diei cursum æquet. Ceterum hyberno tempore decet etiam noctis maximam partem precibus impendere ac flexis genibus multo cum tremore instare deprecationi, hoc ipso nos beatos existimantes, quòd Dei cultu vacamus. Dic mihi qua fronte solem intueberis nisi prius adoraueris, qui lumen illud dulcissimum oculis tuis mittit? Quo pacto frueris mensa, nisi prius adoraueris eum, qui tibi tantum bonum largitur ac suppeditat? Qua spe trades te ipsum nocturno tempori, qualibus cum insomnijs putas tibi rem fore nisi teipsum præmuniueris orando, sed incustoditus ad somnum accesseris? Nimirum cõtemptibilem captuq. facilem te ipsum præbebis sceleratissimis spiritibus, qui semper ambulant obseruantes nos, vt si quem deprehenderint nudatum deprecationis præsidio protinus abripiant. Si nos despexerint deprecatione communitos illico resiliunt, non alter quàm prædones ac facinorosi, vbi conspiciunt militis gladium in caput suum vibrari, Quod si contingat aliquem esse mundum præcationis præsidio, hic auulsus deportatur a dæmonibus, & in calamitates variaq. mala impellitur. Oportet igitur, vt hæc omnia metuentes precibus, & hymnis semper nos ipsos
27 circumuallemus.
Lib. 2. de o- IDEM sic exorditur quòd omnis boni ca-
rando Deũ. put sit deprecatio, quòdque salutis ac vitæ æternæ conciliatrix, nullus est omnium, qui ignoret. Sed tamen adhuc pro viribus de hoc negotio disserendum est, quò qui iam assueuerunt in precibus vitam agere, oratio nostra reddat magis attentos. Rursum qui hactenus incogitantius vixerunt, atque animum neglexerunt, precationis presidio destitutum, simul & anteacti temporis iacturam cognoscant, nec in reliquum vitæ tempus seipsos priuent salute. Protinus igitur illud occurrit omnium maximum, quod quisquis orat, cum Deo colloquitur. Quantæ enim dignitatis sit hominem cum Deo miscere sermonem, neminem latet. Ceterum eam dignitatem oratione consequi possumus. Is autem honor Angelorum superat maiestatem, quod ipsi probe intelligentes apud prophetas describuntur omnes multo cum tremore laudes, & cultũ Domino offerentes, facies quidẽ ac pedes ob ingentem reuerentiã tegentes, volatu verò dum nõ valent inquiete manere magnum tremorẽ declarantes, nimirum, & nos illud interim docẽtes, vt tantisper dum oramus, naturæ humanæ obliuiscamur, sed occupati mentis alacritate simul & tremore nihil respiciamus rerum præsentium, sed existimemus nos in Angelorum medio consistere, idemque sacrificium cum illis peragere. Namque in reliquis multum discriminis est inter conditionem Angelorum & hominum siue naturam expendas, siue viuendi genus, siue sapientiam. Ceterum orare commune est opus Angelorum pariter, & hominum. Deprecatio te separat a mutis animalibus, hęc te sociat Angelis. Quin facile fiet, vt quis in illorum ciuitatem trãsferatur, in illorum vitam, & consortium, in illorum honorem, nobilitatem, sapientiam, intelligentiam, qui per omnem vitam precibus vacare
28 studuerit. Quid enim possit inueniri sanctius his, qui cum Deo commercium habent, quid porro iustius, quid sapientius? Etenim si qui cum sapientibus viris colloqui solent propter assiduam consuetudinem breui sic transmutãtur, vt illorum prudentiam referant, quid dicere conuenit de his, qui cum Deo colloquia miscent ei sua vota deferentes? Quanta sapientia, quanta virtute, quanta prudentia, quanta bonitate, quanta morum æquitate rẽplet illos precatio, & obsecratio? Sed quẽadmodum ciuitas, quæ muris cincta non est, facile venit in potestatem hostium, propterea quòd prorsus absit id, quo fuerat hostium in cursus arcendus; sic & animam non munitam precibus, diabolus facile in suam redigit ditionem, nec multo negotio omni genere scelerum implet. Nam primum quidem ad animam precibus communitam non audet propius accedere metuens robur ac fortitudinem, quam illi deprecatio subministrauit, magis vegetans animum quam cibus corpora. Adhæc qui precantur serio non sustinent quicquam admittere indignum precatione. Sed reuerentes Deum cum quo modo colloqui fuerant, cito repellunt omnem mali spiritus molitionem, apud se reputantes quantum

tum scelus sit eum, qui paulo ante sermonem cum Deo miscuerit, quique ab eo pudicitiam, & sanctimoniam petierit, exemplo ad diabolū deficere, fœdasq. voluptates in animum admittere, ac diabolo præbere auditum in illud pectus, quod paulo ante Deus inuiserit, ac dæmonijs concedere irruptionem in animas, in quas Spiritus sancti gratia plurimam exercuit benignitatem ac sollicitudinem. Verum illud ausculta, supra vires hominis est, serere cum Deo colloquium, nisi adsit vis & actus sancti Spiritus, sed oportet illo præsente, sanctisque conatibus auxiliante, ita domum ingredi, & flectere genua, postremo orare. Postquam enim maius est hominis viribus sermonem miscere cum Deo, opus est, vt gratia spiritus veniens in nos confirmet, addatq. fiduciam, ac doceat nos honoris magnitudinem. Igitur vbi iam cognoueris, quòd & cum Deo loqueris, ac spiritus in te operantis vim senseris, oraturus, & cum Deo collocuturus nullum diabolo præbebis aditum in animam per spiritum sanctificatam. Etenim quemadmodum, qui cum rege collocuti sunt, & ob hoc sermones placidos honoremq. sunt consecuti, non dignantur in contubernium venire mendicorum & abiectorum hominum, ita qui cum Deo fabulatus est, eiq. sua vota protulit, nequaquam dignabitur mali, & impij spiritus familiaritatem admittere. Iam verò si quis dicat animæ neruos esse deprecationem, mea quidem sententia videbitur verum dicere, nimirum quemadmodum corpus neruis cohæret, currit, stat, viuit, & compactum est, adeo vt si neruos incideris vniuersam corporis harmoniam dissolueris, itidem animæ per sanctas preces sibi constant ac cōpinguntur, & pietatis cursum facile peragunt. Quod si te ipsum destitueris precatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris. Vt enim pisci vita est aqua, ita tibi deprecatio, per hanc datur velut ex aquis subuolare, cælumq. transcendere. Sed ad diuinas Scripturas veniam, vt ex ipsius Christi verbis discamus opes, quas deprecatio cōparat his, qui student per omnem vitam in ea versari. Dicebat autem parabolam eis, inquit, huic spectantem, quod oporteat semper orare. Iudex
Luc. 18. quidam erat in ciuitate quadam, qui nec Deū timebat, nec hominem reuerebatur, vidua autem erat in ciuitate illa, & venit ad illum, dicens: Vindica me de aduersario meo, & nolebat aliquandiu, postea verò dixit apud se. Tametsi nec Deum metuo, nec hominē reuereor,
3. tamen quia mihi molesta est vidua, vindicabo eam, &c. Et concludit, Deus vero non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se quotidie? Dico vobis, quòd faciet vindictā illorum cito. Satis erat iusti iudicis personam inducere. Nunc autem iudicem proposuit immitem, impium, & inhumanum, in ceteris quidem implacabilem, ad preces vero benignum & māsuetum, videlicet vt intelligas, quod omnis precatio ingenium etiam malum facile ad misericordiam, & clementiā pertrahit. Quam igitur ob causam hoc fecit Christus? Ne quis omnium ignoraret quantam vim habeat deprecatio, atque idcirco postquam iudici omnium immanissimo adhibuisset viduā, eumq. præter naturam ostendisset factum ex improbo humanum, ad patrem suum parabolā trāsfert; ad illum, inquam, bonum, mansuetum, pium, humanum, misericordia sua vincentem peccata mortalium, qui deprecanti condonabit offensas. Audite, inquit, quid iudex iniustus dicat: Tametsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quoniam mihi negotium facessit, vindicabo illam. Quid ais? Quod non potuit metus, hoc potuit deprecatio, & iudicem ex feroci mansuetum reddidit? Quid igitur cōiectandum est de benigno Deo, si iudicem crudelem adeo mansuetum reddidit vidua supplicans? Non possum ab iniquo iudice cogitationem auertere contemplans in illius præter naturam mansuetudine ineffabilem Dei bonitatem. Etenim si is, qui nūquam cogitarat quicquam humanitatis cuiquā præstare, subito mutatus misertus est viduæ rogātis, quātam erga nos Dei sollicitudinem e cælo deportabit deprecatio? Ad hæc quantum valeat & possit sancta precatio vel hinc cognoscas licebit, si consideres quantum bonorū singulis diebus, ac singulis horis accipiant hi, qui iugiter Deo supplicant. Quem enim fugit quod solis, lunæ, stellarumq. lumen, quod cæli temperiem ac variam alimentorum copiam, quod opes, quod vitam, quod alia denique innumera bona cunctis ex æquo mortalibus largitur Deus, videlicet ob immensam suam humanitatem qua afficitur erga nos. Porro si nec rogantes, nec postulantes tanta quotidie misericordia prosequitur, quantis bonis probabile est fruituros eos, qui omnem vitam precibus & obsecrationibus vacarunt? Age iam & illud exponamus nobis, quàm multis sāctis datum sit deprecationis præsidio seruare non solum gentes, & ciuitates, verumetiam orbē vniuersum. In mentione verò deprecationis primum occurrit Paulus. Ille igitur custos or- Eph. 3.
bis terrarum per deprecationem ac assiduam orationem omnes gentes saluas fecit, semper illud dicens nobis, huius rei gratia flecto genua ad Deum, & patrem Domini nostri Iesu Christi, vt det vobis iuxta abundantiam gratiæ suæ virtute corroborari, per spiritū ipsius, vt inhabitet Christus per fidē in cordibus vestris. Vides quantam vim habeat precatio, & obsecratio? Ex hominibus facit templa Chri- 1. Cor. 3.
sti. Et quemadmodum aurum, lapides pretiosi, ac marmora constituunt domos regum, sic deprecatio templa Christi, vt inhabitet Christus in cordibus vestris. Quem cæli nō capiūt, is in animam ingreditur viuētem in precibus, Isa. 66.
cælum, inquit, mihi sedes est, & terra scabellū pedum meorum. Quam domum Paulus ædificat sanctis obsecrationibus? Flecto, inquit, genua ad Deum, vt inhabitet Christus in cordibus vestris. Quin & illinc intelligi poterit, quanta sit vis sanctarum precum, quòd Paulus per

per totum orbem terrarum velut alatus discurrens, in carceribus habitans, flagella sustinens, gestans catenam, viuens in sanguine ac periculis, insuper & dæmones eijciens, ac mortuos excitans, morbos abigens, in harum rerum nulla fiduciam posuit seruandi homines, sed precibus communijt orbem, postque miracula, post excitatos mortuos ad deprecationis præsidium accurrit, quandoquidem & mortuorum excitationem reliquaq. omnia suppeditat deprecatio. Paulus hac medio noctis rigans animam, omnia facile perpessus est qualibet acerba non aliter præbens terga verberibus, quam si fuisset statua. Sic in Macedonia carcerem concussit, sic ceu leo, quispiam precatione rupit vincula, sic carceris custodem eripuit ab errore, sic dæmoniorum tyrannidem discussit. Quin & illa nouimus, quæ scribit ad vniuersos homines. Deprecationi instate vigilantes in ea in gratiarū actione orantes simul, & pro me, vt detur mihi sermo in apertione oris mei ad libere proloquēdum mysterium Euangelij. Quid ais? Tantam nobis fiduciam deprecatio præbet, vt pro Paulo non vereamur orare? Quis miles ausit pro magno duce interpellare Cæsarem? Quāquam fane nullus dux tam charus est Cæsari quàm Paulus Deo. Attamen ad tantam dignitatem nos prouehit deprecatio, vt ausimus pro Paulo supplicare Deo, sic & Petrus carcerem effugit, quando oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo, quod addidit Lucas, vt nos disceremus quantam vim in cælis obtineat deprecatio, vt Paulum ac Petrum a periculis liberaret, columnas Ecclesiæ, principes Apostolorum, claros in cælo, murum orbis terrarum, commune præsidium totius terræ ac maris. Dic mihi quomodo Moyses Israeliticum populum in belis seruauit? An non arma quidem cum exercitu discipulo tradidit, ipse verò deprecationem opposuit hostium multitudini? Nos interim docens preces iustorum plus valere quàm arma, quàm equitatum quàm pecunias, eoque vniuersus exercitus, & innumera militū multitudo in deprecatione prophetæ spem salutis habebat. Siquidem orante Moyse superabant iudæi, eodem ab orando cessando inferiores erant hostibus, itidem & nos orantes facile diabolum superabimus, cessantes verò sceleste illum in nos instruimus. Iam & populum ad impietatem prolapsum orando seruauit Moyses, orando meruit Dei conspectu frui, aliaq. innumera bona consecutus est non aliā re quàm orando: nam deprecatio, & hoc illi præstitit, vt vitam ageret similem his, qui cælum habitant. Deprecatio incēdij vim coercuit, leones mites reddidit, hoc quidem in Daniel, illud verò in tribus pueris per quos nimirum declararum est omnibus, quod quoscunque deprehenderit in periculo constitutos, facile exurgentibus malis eripiat deprecatio, salutis causa, immortalitatis animę conciliatrix, Ecclesiæ murus, qui rumpi non possit, munimentum inconcussum, dæmonibus quidem formidabile, pijs verò salutiferum. Hæc eadem sanctum Samuelem produxit, corripiens naturæ imbecillitatem in matre. Deprecationis auxilio Dauid tot ac tales hostes propulsa- 1. Reg. 1.
uit, non arma mouens, non hastam vibrans, sed deprecatione septus. Huius præsidio per- 2. Reg. 19.
sarum copias Ezechias celeriter vertit in fugam, atque hostes quidem machinas admouebant mœnibus, sed ille muros deprecationis vallo sepsit, simulq. per deprecationem sine armis solutum est bellum, quia deprecatio sufficiebat ad terrorem hostibus incutiendum. Quin & niniuitis ea saluti fuit, quæ cito depulit iram cælitus imminentem, citoq. vitam Ion. 3.
corruptam emendauit. Vt enim in ciuitatem perditissimam ipsorum ingressa est deprecatio, illico vertit in diuersum omnia, & uniuersa bona secum induxit. Sicut quando Regina ingreditur ciuitatem necesse est, vt omnis oppulentia pariter consequatur, sic postquam deprecatio venit in animam, omnes virtutes simul ingrediuntur. Nam quod in domo est fundamentum, hoc in anima est deprecatio, super quam omnes virtutes sunt superstruendæ.

IDEM dicit magnum verè bonum cha- 34
risimi oratio si virtute præditum homi- Homil. 79.
nem alloquens non parum ex eo capit vtilita- ad populū
tis, cui Deum alloqui donatum est quot bo- Antiochen.
nis fruetur. Infra: Dauid cum esset rex, & innumeris immersus curis, & vndique distractus, septies indie Dominum rogabat, quā Psal. 118.
nos veniam habuerimus, & excusationem tantum habentes otij, nec ipsi continue supplicantes, & hæc cum tantum lucri capere debeamus? Qui mentem suam accendit, & erexit animam, & in cælum se ipsum transtulit, & ita suum inuocauit Dominum, & suorum memoriam peccatorum accipit, ad eum de ipsorum locutus est dimissione, & propitium, & mitem Deum orauit fieri, ab ipsa in his verbis mora, omnem deponit sæcularem curam, & eleuatur, & humanis æstibus superior efficitur. Infra: Neque mihi quisquam ducat, quod nequid homo sæcularis affixus foro continue per diem orare, & ad Ecclesiam concurrere. Potest & quam facillime vbique orare.

AMBROSIVS sic ait: Oratio quoque 35
nos Deo crebra commendet. Si enim pro- Lib. 3. de
pheta dicit: Septies in die laudem dixi tibi, virginibus.
qui regni erat necessitatibus occupatus quid tom. 1.
nos facere oportet, qui legimus, vigilate, & Psal. 118.
orate ne intretis in tentationem? Certe so- Matt. 26.
lemnes orationes cum gratiarum actione sūt deferendæ cum e somno surgimus, cum prodimus, cum cibum paramus sumere, cum sumpserimus, & hora incensi, cum denique cubitum pergimus. Sed etiam in ipso cubili volo Psalmos cum oratione Dominica frequenti contexas vice, vel cum euigilaueris, vel antequam corpus sopor irriget, vt te in ipso quietis exordio rerum sæcularium cura liberam, diuina meditantem somnus inueniat. Denique

que etiam ille, qui philosophiæ nomen inuenit quotidie priusquam cubitum iret tibicinem iubebat molliora canere, vt anxia curis sæcularibus corda mulceret. Sed ille, sicut is qui laterem lauat, sæcularia sæcularibus frustra cupiebat abolere. Magis enim se obliniebat luto, qui remedium a voluptate quærebat. Nos autem terrenorum vitiorum colluuione deterſa ab omni inquinamento carnis mentium interna mundemus. Symbolum quoque specialiter debemus tanquam nostri signaculum cordis autelucanis horis quotidie recensere; iam illud quis non ad nostram institutionem dictũ intelligat: lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Nam siue lectum iuxta literam intelligas, tantam vbertatem ostendit profundi oportere lachrymarum, vt lauetur lectus, stratum rigetur fletibus obsecrantis. Fletus enim præsentium, merces est futurorum, siue pro corpore accipiamus propheticum dictum, delicta corporis pœnitentiæ lachrymis abluamus.

Psal. 6.

36 In lib. quin quaginta hom. to. 10.

AVGVSTINVS dicit: Tunc orabat Moyses quando pugnabat Amalech, tunc extendebat ille manus, & deficiebat Amalech. Et tuæ manus extensæ sint, vt deficiat Amalech tẽtator, & huius itineris impeditor. Esto vigil, & sobrius in orationibus, in operibus bonis, vt vincas inimicum.

37 Lib. 15. Moraliũ ca. 10. nom. 2.

GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 20. Non videat riuulos fluminis ait: riuuli fluminis possunt ea dona spiritalia accipi, quæ in amantis mentem ita de cælestibus subtiliter currunt, vt per os carnis expleri non possint. Sæpe namque amantis animus tanto contemplationis munere repletur, vt videre valeat, quod loqui non valet. Fluminis autem torrens est ipsa inundatio Spiritus sancti, quæ in contemplantis animum exuberanti infusione colligitur, cum mens plusquam intelligere sufficit repletur.

38 Expositione in 4. Psa. pœnitentiæ tem to. 2.

IDEM explicans illa verba: Sacrificium Deo spiritus contribulatus cor contritum, & humiliatum Deus non despicies ait: electi dum sanctæ contemplationis pennis ad cælestia se intuenda erigunt, eo subtilius si quid in se ipsis vitiosum latebat inueniunt, quo ad diuinæ lucis claritatem vicinius accedunt. Tantoq. eis displiçet, quod infirmum ex carne tolerant, quanto eos delectat, quod ex incorruptbili vitæ suauitate degustant. Vnde fit, quod graui in se ipsos vel pro otiosis verbis, vel pro vanis cogitationibus inuectione desæuiant, & quæ leuia ante crediderant, mox vt grauia & mortifera perhorresçant. Beneficia sibi diuinitus collata conspiciunt, culpas nihilominus anteactas ad memoriam reducunt. Vitæ huius corruptibilis ærumnosas necessitates enumerant, quanta sit cælestis gloriæ fœlicitas in meditatione pertractant. A qua quia per carnis fragilitatem retrahi se sentiunt, validissimi se ipsos interius vulnere doloris transfigunt. Dum ergo hæc omnia ante mentis oculos intenta consideratione recolligunt vehementissimæ tribulationis igne intrinsecus inardescunt.

39 Serm. 5. in quarta feria cinerũ de triplici modo orationis.

BERNARDVS sic habet: Enumeratis validissimis hominum hostibus propterea rogo vos fratres vt semper ad manum habeatis tutissimum orationis refugium. Quicquid orantes petitis credite, quia accipietis, & fiet vobis. Nemo vestrum fratres parui pendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse ad quẽ oramus non parui pendit eam. Priusquam egressa sit ex ore nostro, ipse scribi iubet eam in libro suo. Et vnum indubitanter e duobus sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Vnde sanctus Dauid ait delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui.

Mare. 11.

Psal. 36.

40 In serm. 1. beati Andreæ.

IDEM vno verbo dicit: Ascendamus scalam velut duobus quibusdam pedibus meditatione, & oratione. Meditatio siquidem docet quid desit, oratio ne desit obtinet, illa viã ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus.

41 In tractatu de modo orandi, qui dicitur scala claustrali.

IDEM inquit: Lectio, meditatio, oratio & contemplatio est scala claustralium qua de terra in cælum subleuantur, gradibus quidem distincta paucis, immensæ tamen, & incredibilis magnitudinis, cuius extrema pars terræ innixa est, superior verò nubes penetrat, & secreta cælorum rimatur. Est autem lectio sedula scripturarum cum animi intentione inspectio. Meditatio est studiosa mentis actio occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis inuestigans; oratio est deuota cordis intentio in Deum pro malis amouendis & bonis adipiscendis. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ eleuatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Beatæ vitæ dulcedinem lectio inquirit, meditatio inuenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Vnde ipse Dominus dicit, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Quærite legendo, & inuenietis meditando. Pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat, & frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo quæ iucundat, & reficit.

Matt. 7.

Infra: Lectio quasi fundamẽtum occurrit primo & data materia mittit nos ad meditationem: meditatio verò quid sit appetendum diligentius inquirit, & quasi effodiens thesaurum inuenit, & ostendit. Sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos ad orationem, oratio se totis viribus erigens ad Deum impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suauitatem. Hæc autem aduenies, prædictorum trium laborem remunerat, dum cælestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat. Hi autem gradus ita concatenati sunt, & vicaria ope sibi inuicem deseruiunt, quod præcedentes sine subsequentibus aut parum aut nihil prosunt. Sequentes verò sine præcedentibus aut raro aut nunquam haberi possunt. Quid enim prodest lectione continua

42 tempus

tempus occupare, sanctorũ gesta & scripta legendo transcurrere, nisi ea etiã masticando, & ruminando succũ eliciamus, & transglutiendo vsq; ad cordis intima transmittamus, vt ex his diligenter cõsideremus statũ nostrũ, & studeamus eorũ opera agere, cuius facta volumus lectitare? Itẽ quid prodest homini si per meditationem quæ agenda sunt videat, nisi orationis auxilio, & Dei gratia ad ea obtinenda conualescat? Mulier Samaritana quasi ex lectione instructa est a Domino, & meditata est in corde suo bonum sibi fore & vtile habere hanc aquam, de qua audierat Christum loquentem. Accensa ergo habendi desiderio conuertit se ad orationem, dicens: Domine da mihi hanc aquam, vt non sitiam amplius, neque veniam hũc haurire. Ecce auditus verbi Domini, & sequens super eo meditatio incitauerat eam ad orandum. Quomodo namque esset sollicita ad postulandum, nisi prius eam accendisset meditatio? Aut quid ei præcedens meditatio contulisset, nisi quæ appetenda mõstrabat, sequens oratio impetrasset? Ex his possumus colligere quod lectio sine meditatione arida est. Meditatio sine lectione erronea, oratio sine meditatione est tepida. Meditatio sine oratione infructuosa. Oratio cum deuotione contemplationis acquisitiua. Contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa.

Ioan. 4.

Orationi instantes erant Sancti, vt in bono conseruarentur, & alijs prodessent orationum suarum efficacia grãdi, quarum fructu priuantur mali. Cap. IIII.

1 Hom. 16. in lib. Ios. to. 1.

ORIGENES dicit: Habẽt nunc sancti iam repromissionem suam, & requieuerunt, & digni iudicati sunt per Moysen capere hereditatem. Verũtamen adhuc & ipsi pugnant, & in certamine sunt pro ijs, qui sub Iesu militant. Sed requiris qui sint isti, qui pugnant, & quæ est illa pugna, quã illi gerunt. Ergo sic arbitror, quod omnes illi, qui ante nos dormierunt patres pugnent nobiscum, & adiuuent nos orationibus suis. Ita enim scriptum est in Numeris, quia ablinget synagoga illa hanc synagogam, sicut ablingit vitulus herbam viridem in campo. Quare huiusmodi similitudo assumpta est, nisi quia synagoga Domini, quæ nos præcessit in sanctis ore, & lingua consumit aduersariam synagogam, idest orationibus & precibus aduersarios nostros absumit? Non ergo in armis pugnãdum est nobis aduersum hostes nostros inuisibiles, sed orationibus. Sic enim armabantur & patres.

Num. 22.

2 Homil. 5. in c. 1. Matth. n. 2.

CHRYSOSTOMVS ait: Tam fuit Iacobus mirabilis, vt genua eius obduruisse calo dicantur, tantamq. in eo fuisse carnis incuriam, vt adhuc viuentis omnia ferè membra morerẽtur, atque assiduitate orationis iugiq. ad pauimentum prostratione corporis frontẽ quoque eius callo similiter obductam, vt nihil ferè a cameli genibus discreparet. Infra: Quod orationes alienæ non prosint nobis nisi propria virtute iuuentur, docet, & ait ad Hieremiam loquitur Deus: Noli orare pro populo isto, quoniam non exaudiam te. Quid igitur miraris si non exaudiam supplicantem? Etiam si ipse, inquit Moyses adesset, atque Samuel, me tamen eorum pro talibus deprecantium non placeret oratio. Ezechieli quoque, dicit Dominus, quoniam si assistat Noe, Daniel, & Iob, filios, & filias suas non liberabunt. Etiam si Abraham patriarcha pro his supplicet, qui in suis vitijs permanendo immedicabiliter ægrotant, abibit Deus relinquens rogãtem, ne vocem pro talibus interueniẽtis exaudiat. Et si Samuel rursus exorans, pro aliquo indigno deprecetur, cõtinuo ad ipsum clamabit Deus: Vsquequo tu luges Saul? Etiam si pro sorore quispiam incompetenter orauerit, audiet quod Moyses, si conspuens conspuisset pater eius in faciem ipsius, nonne esset immũda? Non igitur quasi oscitantes & desides ex aliorũ meritis pendeamus. Habent enim vim pro nobis, & quidem maximã orationes sanctorum, sed tunc profecto, cum nos quoque id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus. Alioquin & Moyses ipse, qui fratrem suum, & sexcenta illa millia armatorum, ab imminenti Dei liberauit ira, sororem tamen suam nequiuit eruere. Infra: Et benedicimus non vt pro peccatoribus supplicandum esse sanctis negemus, sed ne nos metipsos in otium ad desidiam resoluamus, & dormientes ipsi alijs tantummodo nostra curanda mandemus.

Hiere. 11.

Ezech. 14

1. Reg. 16.

Num. 12.

Exo. 32.

3 Hom. vnica in j. epistolã Pauli ad Thess. to. 4.

IDEM sic habet: Si dormierimus, multa licet circumspectione vigilum muniti, plerunque tamen periclitamur, etiam si ianuæ, si repagula, si excubitores, denique si ij, qui excubijs præsunt ab ingressu arceant insidiantem, alicunde tamen sæpenumero fur irrupit ex insidijs. Sed quo demum hæc dixerim? Quia si in vigilijs ipsi perseueremus, iam non admodũ fuerit alieno opus auxilio, Contra si inertes obdormiscamus, nihil nos magnopere iuuerit quamlibet attenta atque auxiliatrix aliorum vigilantia, sed vnà cum istis vigilibus periclitabimur. Pulchrum sanè, sanctorum auxiliari prece perfrui, sed tunc cum ipsi operam efficacẽ adhibuerimus operibus bonis. Dices quid mihi opus alienæ orationis suffragio, modo sim strenuus opere? Atqui nõ id velim dicas, cum semper sis in necessitate. Paulus non dixit, quid mihi opus alienæ precis suffragio, etiam si ij ipso indigni erant, quorum preces emendicabat, magis verò ne æquales quidem & tu dicis, quid mihi aliena opus est precatione? Petrus non dixit, quid mihi opus oratione (etenim oratio, ait Lucas, fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo) & tu dicis, quid mihi opus oratione? vel ob hanc causam

tibi

tibi opus est, quod sic stultè nihil existimes tibi esse opus. Etiam si Paulo æquandus venias, habes opus oratione. Sed quod dicebam, si efficaces operarij fuerimus, prosunt & ipsæ pro nobis fusæ preces. Audi Paulum dicentem: Scio quod hoc mihi proueniet in salutem per vestras orationes, & tu dicis, quid mihi opus est oratione? At si otio transmittemus vitam hanc, nemo nos iuuerit. Quid profuit iudæis Hieremias? Nonne tertio Deum adijt oraturus, & in tertio audiuit: ne obsecres pro populo hoc, quia non exaudiam te? Quid cõmodi contulit Sauli Samuel? An non vsque ad extremum diem, super ipso Saule lugebat? Quid emolumenti ipsis attulit Israelitis? Nũquid non dicebat, absit hoc a me peccatum, vt cessem orare pro vobis? Nonne omnes deniq; perierunt? Dixeris, nihil igitur orationes adiuuant sanctorum? Immo iuuant maxime, sed cum non nihil boni operis ipsi conficimus, cooperamur orationibus, tum & auxiliares fiũt. Proinde cooperatur quis alteri atque auxilio esse solet, sed ei, qui impigrè aliquid etiam per se conficit operis. Quod si perstiteris ignauiæ affixus, nihil iam magnopere iuuaberis. Alioqui si tantum obtinent virium preces, vt oscitabundas ac neglectim per otium ætatẽ transmittentes valeant in regnum illud introducere, cur omnes gentilitiæ superstitioni addicti nõ amplectuntur Christianismum? Numquid non pro vniuerso terrarum orbe, ipsi etiã preces in commune effundimus? Nonne & Paulus hoc faciebat? vt quid qui flagitiosi sunt nõ redeunt ad meliorem vitæ frugem, nisi etiam per se aliquid adiecerint? Igitur non mediocriter iuuant preces, quando nos operi admouemus manum. Visne nosse quantum iuuerũt sanctorum orationes? Mihi nunc recole Cornelium, Thabitam. Audi præterea Iacob dicẽtem ad Laban: Nisi timor patris mei adstitisset mihi, nunc forsitan me vacuum emisisses. Rursus Deum ipsum audi dicentem: Protegã ciuitatem hanc, propter me, & propter Dauid seruum meũ. Sed quando? Tempore Ezechiæ regis sane quam iusti. Verum enim vero si tã efficacem vim suam exercuerunt tunc orationes etiam pro vehementer scelere contaminatis, quid ni etiam hoc ipsum dixit Deus cum aduersus ciuitatem Hierusalem Nabuchodonosor promouit exercitum, sed in ipsius manus tradidit ciuitatem? quãdoquidem vis flagitiorum maior inualuerat? Rursus ipse Samuel pro Israelitis orauit, & votum consecutus est. Sed quando id contigit? cum videlicet ipsi Deo placuerunt, tunc illorum hostes profligauit. Vt autem intelligas quàm sint necessariæ alienæ preces, audi Deum ipsum ad amicos Iob dicentem: Ite ad seruum meũ Iob, & ipse orabit pro vobis, & dimittetur vobis peccatum. Quoniam quidem peccatum admiserunt non admodum magnum, sed & hic iustus, qui oratione sua potuit tũc amicos seruare, non tamen iudæorum tempore valuit obtinere, ne ipsi perirent, dicẽte Domino per

2. Cor. 1.

Hier. 7. 14 & 15.

1. Reg. 15 4

1. Reg. 12

5

1. Reg. 7.

Iob 42.

prophetam: Si steterint Noe, Iob, & Daniel, non liberabunt filios, & filias suas; iterum si Moyses, & Samuel. Ezechiel etiam ait: Heu mihi Domine delesne tu etiã reliquias Israel? Deinde declarans quòd iustè hoc ipsum faceret, peccata, quibus iram promerebantur, aperit prophetæ simul & ostendens, quòd non ipsius contemptum nõ admitteret pro ipsis supplicationem; verumtamen subijcit, dicens: Si steterint Noe, Iob, & Daniel. Iure quidem optimo illi talia edisserit potius, vt qui multa passus sit. Dixisti, inquit, super stercora comede, & comedi. Iussisti mihi, vt raderer, & rasus sum. Dixisti mihi, & in latus vnum incumbẽs obdormiui. Dixisti, vt per noctem exirẽ aliorum humeris gestatus, & exiui. Accepisti meã vxorem, insuper iussisti ne lugerem, & nõ luxi, sed generosè omnia pertuli. Innumerabilia alia operatus sum prouidens ipsorum saluti, oro te, & nunc pro ipsis, nec sic persuaderis? Non quod contemnam te, inquit, hoc facio. Sed & Noe, & Iob, & Daniel etiam pro filijs orantes, non adducor vt exaudiam. Talia igitur cum probe nouerimus, ne parui esse momenti existimemus sanctorum preces, neque rursum constituamus in ipsis vniuersam bonorum vim.

Ezec. 14.

Hier. 15.

Ezec. 9.

Ibid. 14.

Ezec. 4.

6 IDEM inquit: Vis discere quanta sit orationis in Ecclesia factæ potentia? Vinctus erat olim Petrus, multisq. circumdatus erat catenis, oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia pro eo; & statim eum a carcere liberauit. Quid hac igitur sit oratione potentius, quæ columnam, & Ecclesiæ turrim adiuuit. Nam cum inter homines populo fontes vitos, cum ad mortem trahuntur, petente multitudine, rex motus sententiam deponat, multo magis rex cœlestis a nobis placatus petitionem præbebit. Non audistis, quod ita Petrus de carcere ereptus est, quoniam erat oratio prolixa, quæ pro eo fiebat? Nam quòd vnus quidem pro multis oret, est magnæ res fiduciæ: multos autem vnà congregatos pro vno supplicationem facere, nil graue videbitur.

Hom. 79. ad pop. Antiochenũ. to. 5. Act. 12.

7 HIERONYMVS sic ait, quòd Paulus cum centum tredecim esset annorum, noctem integram transigebat vigilijs. Referebatque beatus Antonius, quòd cum post obitum Pauli speluncam illius fuisset ingressus, vidit eum genibus complicatis, erecta ceruice, extensisque in altum manibus, corpus exanime: ac primum & ipse viuere eum credens, pariter orabat. Postquam verò nulla, vt solebat, suspiria precantis audiuit inflebile osculum ruens, intellexit quod etiam cadauer sancti Deũ, cui omnia viuunt, officioso gestu precabatur.

Epist. 50. in qua narratur vita B. Pauli eremitæ. to. 3.

8 IDEM dicit: Orationibus Pauli donatæ sunt animæ, quæ cum illo nauigabant. Decem sancti peccatricem possunt eruere ciuitatem. Loth liberasset generos si exire voluissent. Liberatur Segor vna vrbs de Pentapoli, & quæ eiusdem meriti erat, & vni sententiæ subiacebat, cui Sodoma, & Gomorrha, Adama, & Soboin, sancti precibus custoditur.

Li. 2. aduersus Iouinianum. to. 2.

IDEM

9 IDEM exponens illa verba; Bene psallite ei in vociferatione, inquit per iubilationem quondam sarcerdotum Hierico mundi figuram retinens corruit, nunc per nostram orationem eius concupiscentiæ eliduntur.

In Psal. 32. tom. 8.

10 IDEM explicans verba illa; Manibus meis nocte contra eum, & non sum deceptus sic habet: Manus mea nocte extenditur, & nõ quiescit: Manibus meis nocte contra eum, subaudi clamaui. Videte ergo quod & opera nostra nobis tacentibus clamant ad Dominũ, propterea dicitur: Factum est verbum domini in manu Aggæi prophetæ. Nõ ei fit in ore, hoc est in sermone, sed in manu, ideſt, in opere. Manibus meis nocte, hoc est, clamaui, manibus clamaui. Propterea dicitur & ad Moysen: quid clamas ad me? Et certe non est scriptum ibi quia clamaret Moyses ad Deum, sed quoniam cor ipsius clamabat: Inde est quod dicitur: In Hieremia: Non siluit pupilla oculi mei. Videte ergo, quod & pupilla oculi nostri non tacet, sed quotiens cumq. lacrymas proferimus toties clamamus ad Deũ. Manibus meis nocte contra Deum. Ideſt quod dicitur, in noctibus: extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. In nocte istius sæculi, & in tenebris, cum alij ad vitia properarent, ego opera mea ad te solum leuabam. Et non sum deceptus, quoniam sic clamaui, & opere clamaui. Non sum deceptus, dupliciter intelligitur. Aut consecutus sum quod volebam, aut certe non sum deceptus ab insidijs diaboli, qui me circumuenire cupiebat. Anticipauerunt, vigilias oculi mei. Antequam aliquis vigilaret ego vigilabam.

In Psal. 76.

Aggæi 1.

Exo. 14.

Tren. 2.

Psal. 133.

11 AMBROSIVS explicãs verba illa; Preuenerũt oculi mei ad te diluculo, vt meditarer eloquia tua inquit: Supra dixerat media nocte surgebã ad confitendũ tibi, hic autẽ præueni orientem solem. Graue est enim si te otiosum in stratis radius solis orientis inuerecundo pudore conueniat, & lux clara feriat oculos somnolento adhuc torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spacium sine vilius deuotionis munere ac sacrificij spiritualis oblatione feriata transmissum. An nescis ò homo quòd primitias tui cordis ac vocis quotidie Deo debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Occurre ergo ad solis ortus, vt te oriens inueniat iam paratum, ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet. In cubiculo meo in noctibus quæsiui quem diligit anima mea dicit Ecclesia, & ideo meruit eum inuenire, ideo eius gratiam promereri, quia etiam in cubiculo quæsiuit. Dic de nocte: vigilat ad te spiritus meus, & matutinum lumen temporibus faciet splendere nocturnis, si mediteris verba Dei. Si hunc solem præueneris, antequam iste surgat, inuenies Christum illuminantem. Ipse prius in tui cordis illucescet arcano. Cum te meditantem verba diuina dies inuenerit, & tam gratum orandi & psallendi delectauerit tuam mẽtem, iterum dices ad Dominum Iesum: exitus matutinos & vespere delectabis. Infra: Tu Christiane dormis cui magister est Christus, & non vereris ne de te dicatur. Populus iste nec labijs me honorat? iudæus, vel labijs, tu verò nec labijs. Si illius, qui vel labijs honorat, cor longe est a Deo, quomodo potest cor tuum prope esse, qui etiam labijs non honoras? Quandiu te somnus, quandiu te sæcularia tenent, quandiu sollicitudo istius vitæ, quandiu terrena? Diuide saltem Deo, & sæculo tempora tua, vel quando non potes agere in publico, quæ sunt istius mundi, & tenebræ prohibent noctis, Deo vacato indulge orationibus, & ne obdormiscas, psallito somnum tuum bona fraude fraudato, mane festina ad Ecclesiam, defer primitias pij voti, & postea si vocat sæcularis necessitas, nõ excluderis dicere, præuenerunt oculi mei mane meditari verba tua, & sic securus procedis ad tuos actus.

In Psal. 118. to. 2.

12 GREGORIVS narrans vitam Isaac serui Dei ait: Hic cum primum de syriæ partibus ad spoletanam vrbem Italiæ venisset, ingressus Ecclesiam a custodibus petijt, vt sibi quantum vellet licentia cõcederetur orandi, eumq. horis secretioribus egredi non vrgerent. Qui mox ad orandum stetit, diemq. totum peregit in oratione, cui sequentem continuauit, & noctem. Secundo etiam die, cum nocte subsequenti in precibus perstitit, diem quoque tertium in oratione coniunxit.

Lib. 3. dialogorũ ca. 14. tom. 1.

Oratio qualis futura, vt Deo sit probata. Cap. V.



1 ORIGENES explicans verba; Quoniam in te Domine speraui tu exaudies me Domine Deus meus: ait si essemus tales quales nos esse vult sermo diuinus, sicut Helias diceremus, vtique Deo vt daret pluuiam, & plueret, sicut Samuel in diebus messium peteremus, vt præstaret de cælo imbrium copiam, & audiremur. Nunc autem quomodo nos audiet Deus cum nos ipsum non audiamus? Quomodo faciet ille quod volumus, cum non quæ ille vult nos faciamus? Vult nos tales esse Deus vt quasi dij cum Deo loquamur: Vult nos esse filios Dei, vt consortes, & cohæredes efficiamur filij Dei, & dicamus sicut ipse dixit: Pater scio quia semper me audis.

Homil. 2. in Psal. 37. to. 2.

2 IDEM exponens verba illa; Si duo vel tres ex vobis cõsenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a patre meo: inquit: sicut in musicis nisi fuerit conuenientia vocum non delectat audientem, sic & Ecclesia nisi consensum habuerit non delectatur, Deus in ea nec audit voces eorum. Est & alia expositio. In malis enim hominibus peccatum carnis animæ dominatur ad obediendum ei in desiderijs eius. In his autem, qui expulerunt quasi de throno corporis sui peccatum, quod regnauerat prius in eis, & certãt aduer-

Homil. 6. in Matth. to. 3

sus ipsum, caro quidem concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem: in viris autem perfectis obtinuit spiritus, & opera carnis mortificauit, & commmendauit vitam suam carni, vt viuificet mortalia corpora sua propter inhabitantem spiritum in eis, & fit consensus duorum, spiritus & carnis super terram, quo consensu expleto, & oratio transmittitur, corde quidem credenti ad iustitiam, ore autem confitenti ad salutem, vt cor non sit longe a Deo, sed cum eo, vt iam non labijs appropiet, & sic fiunt duo congregati in nomine Iesu.

3 Lib. 10. in c. 15. ep. Pauli ad Rom.

IDEM exponens verba illa; Deprecor vos fratres per Dominum nostrum, vt adiuuetis me in orationibus ad Dominum, dicit: sicut principes & potestates, & mundi rectores tenebrarum harum aduersantur fidei, & resistunt pietati, sicut contrarij sunt iustitiæ, & veritati, & omnibus bonis: ita sine dubio resistunt, & orationi aduersantur. Et ideo ostendit Paulus esse non minimum in oratione certamen, siquidem in hoc certamine etiam auxilium eorum, qui Romæ sunt, crediderit implorandum. Obsistunt enim dæmones in oratione, primo per illud ne talis inueniatur, qui in orationis agone desudat, vt leuet puras manus sine ira. Quod & si quis obtinere potuerit, vt sine ira sit, vix est, vt effugiat esse sine disceptatione: hoc est sine superfluis & vanis cogitationibus. Vix enim inuenies vt oranti cuiquam non aliquid inanis, & alienæ cogitationis occurrat, & intentionem, qua in Deum mens dirigitur, declinet, ac frangat: & ideo agon magnus est orationis, vt obsistentibus inimicis, & orantis sensum in diuersa rapientibus, fixa ad Deum semper mens stabili intentione contendat. Ideoq. orat Paulus iuuari se in agone orationum.

4 Homil. 5. in ps. 28. to. 1.

BASILIVS explicans illa verba; Afferte Domino filij Dei, ait: Quoniã non cuiusuis donum est Domino Deo acceptum, sed eius tantum, qui corde puro offert illud, ideo dicit: afferte Domino filij Dei. Non enim castæ sunt preces, nec accepta oblatio ex meretricis mercede. Hieremias dicit: non vota, & carnes sanctæ auferent a te malitias tuas, aut per hæc purus eris. Ideo psalmus prius nos vult esse filios Dei, deinde vult idoneos accedere ad offerenda Deo dona. Ante omnia dicito, Pater, deinde petes ea, quæ ordine sequuntur. Scrutare vero te ipsum ex cuiusmodi conuersatione ad Deum accedas, expende, num dignus sis, qui Deum sanctum voces Patrem. Per vitæ enim sanctimoniam nobis peruius est ad eum sanctum familiaris aditus. Si sancti filius cupis esse, sanctitas te in filium adopter. Afferte itaque Domino non omnes, neque ex omnibus, sed filij Dei. Eximia quædam dona quęsiturus est, & hac gratia eximios eligit, qui offerant. Infra: Adorate Dominum in aula sancta eius. Plures specie orationis præferre videntur, qui tamen in hac aula non sunt propter mentis euagationem, & distractionem, quæ fit per inanes curas. Potes & aulam quoque cælestem intelligere vitam. Qui autem ventrem, mundi gloriam, seu argentum, vel aliud, quod ex omnibus magis honorat, Deum fecerit, non adorat Dominum, neque in aula est sancta, etsi dignus videatur, qui intra sensiles istos aliorum conuentus admittatur ad orandum.

5 Homil. 8. in psal. 32.

IDEM explicans verba illa; Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio, ait: In ipso Domino cum simus, quoad licet ipsius mirabilia speculemur, atq; ita ex eorum contemplatione lætitiam nostris cordibus comparemus. Rectos decet collaudatio. Quemadmodum enim pedi obtorto, atq; obliquo calceus rectus non admodum probe aptatur, sic obtortis cordibus diuina laus minime conuenit. Quamobrem existimo dæmonum ori, vt de seruatore indigne loquenti, ad eum manifestandum ablatam fuisse potestatem. Tale quid & peccatori dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas? Conemur igitur omni studio opus omne obliquum ac detortum a rectitudine vitare, mentemq. nostram, vt rectam regulam, & animæ iudicium corrigamus, vt nobis existentibus rectis, Dei laus concedatur Deo ipsi offerenda. Si duæ regulæ altera alteri admoueatur, pulchre conueniet vtriusque rectitudini. Si vero obtortum iuxta regulam rectam ponatur lignum, incongruum & procul a proportione recti reperitur. Quoniam itaque recta est Dei laus, recto opus est corde, vt ei laus Dei congruat, atque conueniat. Quod si nemo Dominum Iesum nisi in Spiritu sancto dicere valet, quomodo laudem referes, spiritum in tuis visceribus rectum, renouatumq. non habens. Cantate Domino canticũ nouum, idest in nouitate spiritus Deum adorate: bene psallite ei in vociferatione. Bene psallite, hoc est mente indinulsa, nec alio quoquam distracta, sed affectu sincero in vociferatione. Est autem vociferatio vox quædam inarticulata, cum in bello addensati milites, & inter se constipati consone sibi acclamant. In vno igitur consentu, eademq. animorum conspiratione, & vnione charitatis psallite. Quia rectum est verbũ Domini, ideo rectos corde ad laudem euocat.

6 In lib. constit. monast. to. 2.

IDEM sic habet: Quandocũq; oras, caue diligenter, ne quæ petis, peruerse petas, & aduersum te Dominũ irrites, non pecuniam, non gloriam humanam, non aliud quippiam ex numero eorum, quæ cito præteruolant: sed pete regnum Dei, & quæ ad vsum corporis pertinent, omnia tibi suppeditabit, sicut Dominus dicit in Euangelio: Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Si tibi in animo fuerit Christi arcanis imbui, & ad pedes illius assederis, totam ibi rem deseres familiarem tuam, & vacuus ab omni sollicitudine deges, corporis proprij etiam obliuiscere, atque hoc modo in contemplationibus versans familiarius cum eo colloqui poteris, vt suprẽmæ gloriæ fructum consequaris. Duplex est autem orandi modus, quorum

Matth. 6.

quorum alter in glorificatione adhibita animi submissione cernitur; alter in petitione, qui priori subijcitur. Cum oras igitur noli confestim ad petitionem accedere, quòd si hoc non facis, indicio es ipse de voluntate tua, te scilicet, quòd necesitate vrgearis Deo preces adhibere. Quapropter quandocumque instituis orare coniugem, liberos, teq. ipsum relinquito, a terraq. procul abscedito, cælũq. superato, & naturas omnes, tam quę cerni, quã quæ cerni nõ possunt relinquito, & ab eius glorificatione incipe, qui omnia condidit: cumq. in eo satis fueris commoratus nõ mente vaga, neque huc, illucve temerè deerrante, neque (vt Græcorum mos est) fabulas garriens, sed de sacrosanctis litteris carpẽs quæ dicas, dic: Gratias tibi ago Domine propter incredibilem clementiam, & in ferendis hominum culpis facilitatem tuam, qui peccantem me quotidie patientia tua sustines, & ad resipiscẽdum omnibus nobis potestatẽ facis. Propter hoc enim

7 taces, & nos sustines Domine, vt tibi gratias agamus, qui salutem generis nostri, modo terrendo, modo leniter exhortando, moderaris. Vbi vero iam satis gratias egeris, tum iterum adhibita humilitate ordire, ac dic: Equidem nõ sum dignus Domine, qui coram te verbum

1. Cor. 4. faciam, quoniam vehemẽter peccator sum. Et licet nullus tibi culpæ conscius sis, nihilominus tamen ita te oportet dicere. Etenim cum multis in rebus offendamus omnes; maiorem tamẽ offensarum partem ne intelligimus quidẽ. Idcirco Apostolus aiebat: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, ac si diceret: Multa delicta committo, quæ cõmittere non intelligo. Propter hanc causam pro-

Psal. 18. pheta dicit; Delicta quis intelligit? Dicito, peccatis peccatores omnes vinco Domine, nẽ pe, qui diuinum præceptum violem, quo iube-

Luc. 17. mur, vt cum omnia fecerimus, dicamus: quia serui inutiles sumus, nimirum, qui ea præstiterimus, quæ præstare debebamus. Cum timore igitur, humilitateq. Deum orato. Vbi verbis humilitatem tuam satis ostenderis, dixerisq. gratias tibi ago Domine, qui peccantem me tandiu sustinuisti patientia tua, & in hodiernũ vsque diem nullas a me peccatorum meorum pœnas expetisti. Equidem Domine infinita iam pridem commeritus eram supplicia, dignusq. eram, qui longissimè a cõspectu expellerer tuo, verum tua me patientissima lenitas peccantem clementissime sustinuit. Simul ac vero ambabus hisce partibus satisfeceris, gratiarum actionis videlicet, & humilitatis, tum demum quod petere debes, petito, non diuitias, vt ante dixi, neque terrenam gloriam, non sanitatem corporis (ipse est enim qui te creauit, ipsi curæ est incolumitas tua) sed quẽ admodum iussus es, regnum cælorum pete tantummodo, & necessitatibus corporis tui ipse vt dixi, prouidebit. Munificentissimus est

8 idem, atque augustissimus Rex noster, & indignè fert quandocumque quis exiguum a se aliquid petit, quandocumque quis nostrum de rebus ipsum minime ipsi conuenientibus rogat. Noli igitur illum tibi oratione tua iratum facere, sed ea pete tibi, quæ digna sunt, & Rege, & Deo. Hæc autẽ petens ab eo ne prius recesseris, quam quod petis impetraueris. Quod in Euangelio faciendum Dominus do- *Lucæ 11.* cet exemplo illius, qui vadens ad amicum petit panem, & perseuerat, donec amicus surgat, & det illi. Hoc autem exemplum idcirco nobis proponitur a Domino, vt in fide acres esse nos doceat. Exemplum enim ab homine ad alium hominem sumit, vt intelligas nulla laboris fatigatione debere te a suscepto proposito desistere, vt videlicet quandocumque aliquid petieris, neque impetraueris, tandiu perseueres quoad impetres; si tamen ea petas, quæ voluntati Dei non repugnent. Sed danda in eo opera est, ne vlla in re conscientia nostra nos cõdemnet, tum, vbi hoc fecerimus, implorandum est diuinum auxilium, implorãdum autem non lente, non mente huc, illucq. temere aberrante. Qui enim sic facit is tantũ abest, vt impetraturus sit quod petit, perficiet prius vt sibi Dominus iratscatur. Etenim si qui coram principe aliquo stat, & ipsum alloquitur, magno cum metu stat, & tum corporis extrinsecus, tum etiam mentis intrinsecus attẽtos oculos tenet periculi metu, quanto tãdem maiore cum metu, trepidationeq. censendum est oportere nos stare in conspectu Dei, tota mente in illum vnum intenta, neq; vsquã alio? Cum ipso non hominis partem illã modo, quæ 9 foris apparet, vt homines faciunt; sed illã etiã, quæ intus occulta, oculorũ aspectum fallit, clarissime prouideat. Si igitur sic quemadmodũ decet steteris coram Deo, & quę in te sunt omnia pro viribus præstiteris, perstа, donec omnino tãdem impetres quod petis. Si autẽ propterea quod a peccato debilior factus es, hoc a te ipso impetrare non potes, vt animo attẽto stes, & dum oras animo, ac mente distraheris, enitere contra quam potes, & ipse tibimetipsi vim afferet, & corã Deo stare perseuera, mentemq. tuam in illũ defixam tene, ipsamq. ad seipsã aduoca. Si ita feceris, ignoscet tibi Deus, qm̃ non ex cõtemptione, sed ex infirmitate, eo modo quo conueniret, corã Deo stare non vales. Hoc modo si tibimetipsi vim feceris, teq. ad omne opus bonum paraueris, ne destiteris priusquam illud impetres, quod rogas. Sed pa- *Lucæ 11.* trem ter fores eius pulsa dum petis. Omnis enim, qui petit accipit, & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur. Scire vis charissime quo pacto olim patiẽter sancti viri expectare soliti essent, neq; desperationi se darent? Abraham *Gen. 17.* Deus, cũ iunior esset, vocauit, & e terra Assyrio rũ in Palæsthinorum fines transtulit, cum ei dixisset: Tibi dabo terrã hanc, & sicut astra cæli erit semen tuum. Multorum deinde annorum iam numerus effluxerat, naturalitq. in eo iam ad procreandum vis erat extincta, & iam iam moriendi tempus instabat, neque tamen ille cum hæc hoc modo ire animaduerteret, dixit vmquam; Domine semper tu mihi filios promittis,

mittis,& gentium multarum futurum me patrem prænuncias. Naturales ad producendā sobolem motus longa ætas extinxit, & Sara vxor mea senio cōfecta parere nō potest, proinde fallax est promissum tuum. Nec dixit hæc vnquam,nec cogitauit,sed fide immobilis permansit, cuique ætas magis, magisq. ad senium declinaret spes iuuenescebat, & collabente corpore fides ipsi vires addebat: Sic enim ipse secum cum animo suo cogitans dicebat: Deus est,qui promisit,& aliter fieri non potest,quod eius promissione firmatum est. Hanc tu Abrahæ fidem imitare. Qui enim illi promiserat multiplicaturum se semen illius,idem quoque promisit nobis daturum quicquid ab eo postulauerimus. At sæpe petiui, inquit, neque impetraui tamen. Prorsus quia non recte petiuisti,videlicet aut dubitabundus, aut aliud agēs, aut quæ tibi vtilia non erant futura. Nouit Dominus cor eorum, qui orant: Quid est ergo, inquit, quamobrem Deus à nobis rogandus sit? An nescit fortasse ipse quibus rebus nobis sit opus. Quid ergo attinet illum orare? Scit sine dubio Dominus quibus nobis rebus sit opus, & cum singulari sit bonitate, solem suum oriri facit super bonos & malos, etiam priusquam a nobis rogatus sit. Fidem verò, & virtutis opera, & regnum cælestе, nisi cum labore & perseuerantia forti admodum oraueris, numquam impetrabis. Desiderandum enim est primum, tum vbi desideraueris; ex animo quærendum adiunctis fide ac perseuerantia, neque patiendum, vt a tua ipsius conscientia condemneris, veluti, qui negligenter, & cum socordia ores, & cum hæc omnia seruaueris, tum demū voti compos efficeris tui,quando Dominus voluerit,quandoquidem quæ tibi expediant melius ipse intelligit, quàm tu, & ea re fortasse differt, quæ daturus est, vt hoc modo magis te ad assiduitatem vocet, & vt intelligas quod sit donum Dei, & vt datum diligenter custodias. Si quidem nititur vnusquisque, quod magno labore inuenit, id maiore quadam diligentia custodire, ne eo amisso, labores etiam vna cum eo suos multos amittat. Quid enim profuit Salomoni citosapientiæ donum inuenisse, quod postea erat amissurus? Proinde noli vnquam animum despondere, nisi celeriter inuenias quod rogas. Si enim intellexisset Dominus te, si munus celeriter impetrasses, id nequaquam esse amissurum,sine dubio,quæ eius est bonitas,vltro ipse tibi nullo tuo rogatu detulisset.

11 Hom. 8. ex variis in Matth. to. 2.

CRYSOSTOMVS exponens verba illa; Cum oratis nolite fieri sicut hypocritæ tristes,ait: Prohibemur hypocritarum more omnes orationes nostras omnibus iactanter ostendere, ne meritum gratiæ amittamus Dominus enim non simulatam ac iactantem, sed simplicem orationem ac fidelem requirit. Et ideo clauso ostio,id est, intra cordis, & conscientiæ ipsius secretum, a Domino iubemur orare, vt ab eo, qui secretorum, & occultorum est cognitor,recipiamus orationis occultæ mercedē. Religiosæ enim mentis est Deum non voce vel sono vocis, sed deuotione animi ac fide cordis orare, secundum quod Dauid in Psalmo testatur dicens. Dicite in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compūgimini. *Psal.4.*

inuenimus in libris Regum, Annam illam sanctissimam huius Euangelicæ doctrinæ præcepta implentem. Nam cum sine aliquo vocis sono in cordis sui secreto,in conspectu Domini fideliter orans,desiderij sui preces effunderet, statim exaudiri meruit a Domino. Sic & Danieli cum tribus pueris occulte semper oranti interpretationem somnij, & reuelationum secreta Dominus scire concesit. Cornelius nec dum præceptis Euangelicis eruditus,dum in cubiculo suo secrete fideliter oraret, meruit vocem Angeli sancti loquentis audire. Quid de Iona dicimus, qui non modo cubiculo, sed vtero beluæ clausus, tantum orans meruit exaudiri, vt de profundo maris, & de ventre tam immanis beluæ incolumis, & viuus euaderet? Exauditus autem a Deo est, non quia voce, sed quia fide clamauerit. *1. Reg. 1. Dan. 23. & 4. Act. 10. Ionæ 2.*

12 Homil. 9. in qua explicat orationem Dominicā. *Eccli. 18.*

IDEM inquit: Scriptum est ante orationem, prepara cor tuum. Quid est ante orationem præpara te ipsum,nisi expoliatus cogitatione praua sic accedas? Vide quis rogas, quem rogas, & quid rogas. Quis? Homo. Quid? Indulgentiam. Quem? Deum.

13 Homil 1. de incōprehensibili Dei natura. to. 5. *Dan. 3.*

IDEM sic habet: Tres illi pueri in fornace continebantur, suamq. animam expōsuerunt certo vitæ suæ periculo. Veruntamen post tot tantaq. virtutis officia referunt: Non possumus aperire os,confusio & opprobrium facti sumus seruis tuis, & colentibus te. Cur itaque os aperuistis? Vt hoc ipsum diceremus, nobis os minus licere aperire, atque ita Dominum orantes inuitaremus ad beneficium. Orationem autē non eam commendo, quæ frustra in ore habetur, sed quæ ab imis animæ prodeat. Vt enim arbores, quæ radices altius miserint,quamuis summum ventorum excipiant impetum, non frangi aut euelli possunt, cum planta, & firmissima stirpe nitantur: sic orationes quas animus de suo imo reddiderit perquàm tute affixæ efferunt se se in excelsum,nulloq. peruertuntur aggressu cogitationum. Vnde propheta insignis ait: De profundis clamaui ad te Domine. *Dan. 3. Psal. 129.*

Hæc ita doceo, non vt verbis probetis tantum, & laudetis, verum etiam, vt factis palam animum vestrum recepisse, quæ laudat, faciatis.

14 Lib. 1. in ca. 1. Isaiæ. to. 4.

HIERONYMVS exponens verba illa; Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaueritis orationem non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt inquit: Vtendum est hoc testimonio contra eos,qui cum quotidianis operibus sanguine manus plenas habeant, in oratione noctes, diesq. coniungunt. Quiescite agere peruerse, discite benefacere, quærite iudicium, subuenite oppresso,

presso, iudicate pupillo, defendite viduam,& venite arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra, vt coccinum,quasi nix dealbabuntur. Vnde Iesus, filius Sirach dicit: Desideraſti sapientiam, serua mandata, & Dominus tribuet tibi eam.

15 Lib. 2. in c. 3. Lament. Hier. to. 4.

IDEM exponens illa verba; Scrutemur vias nostras, & quæramus, & reuertamur ad Dominum. Leuemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cælos, ait: Sciendum est, quod quisquis a præceptis Dominicis discordat opere, quoties ea videt corde suo reprehenditur, atque confunditur, qui id,quod fecerit, memoratur. Nam in quo se erasse considerat, ipsa se conscientia latenter accusat. Vnde Dauid propheta deprecatur,dicens: *Psal.118.* Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis. Grauiter namque vnusquisque confunditur, quando mandata Dei, vel legendo, vel audiendo respicit,quæ viuendo contempsit. *1. Ioan. 3.* Hinc enim Ioannis voce dicitur: Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Dominum, & quicquid petierimus ab eo accipiemus. Ac si diceret: si id, quod præcipit facimus, id, quod petimus obtinemus. Valde namque apud Dominum vtraque hæc congruunt sibi necessario, & vt oratione operatio,& operatione fulciatur oratio. Hinc Hieremias ait: Leuemus corda nostra cum manibus: cor cum manibus leuat,qui orationem suam operibus roborat. Nam quisquis orat,sed operari dissimulat, cor leuat, & manus non leuat. Quisquis verò operatur, & non orat,manus leuat,& cor non leuat. Iuxta ergo Ioannis vocem,tunc cor fiduciam in oratione accipit,cum sibi vitæ prauitas nulla contradicit, & bonorum operum ratio orationi concinit. Ait etiam: vt scrutemur vias nostras cogitationum interna discutiendo,vt puri ad orationem accedamus.

16 In c. 1. Malach. to. 5.

IDEM exponens verba illa; Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum est? Et si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? dicit clauda est rogantis oratio, *3. Reg. 18.* quæ duplici mente accedit ad precandum, & audit cum populo iudæorum, vsquequo claudicatis vtroque pede? Et languida, & omni infirmitate cooperta, quæ non habet Christū Dei virtutem, Deiq. sapientiam. Istiusmodi preces, quæ sine lumine veritatis sunt, & non habent sapientiæ firma vestigia, & debilitatibus varijs contabescunt in contumeliam eius recident, qui talia audet offerre. Et quia orationes tales Deus non recipit, additur in versione septuaginta interpretum. Et nūc deprecamini faciem Dei vestri, & rogate eum, in manibus vestris, facta sunt hæc, si suscipiam ex vobis facies vestras, dicit Dominus omnipotens: quia & in nobis claudentur ostia, & non succendetur altare meum gratis. Sic enim vobis orantibus claudentur ostia Patris,& Filij, & Spiritus sancti. Orationes vestræ ad Deum non peruenient. Non est voluntas mea in vobis, & sacrificium non suscipiam de manibus vestris.

17 In c. 1. Malachiæ.

IDEM explicans verba illa, quæ in nostra editione vulgata habentur in fine capitis primi: Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile Domino, inquit: Debilis est, & maculata nostra oratio quando ira, inuidia, inimicitijs, & alia animi perturbatione corrumpitur: si offerentes munus ad altare, & recordati, quod aliquid habeat frater noster aduersum nos, non ante pergimus, & satis ei facimus. Vnde & Apostolus præcipit: Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Pastor cogitationū nostrarum,atque virtutum sensus est. De quo in psalmo dicitur: Benedic anima mea Domino,& omnia,quæ intra me sunt nomini sancto eius. Qui si gregem suum bene rexerit; impletur in eo illa benedictio, benedicta armenta boum tuorum, & greges ouium tuarum. Sinautem habens naturaliter masculum,ideſt forte rigidum, ac robustum, immolet leue vel nimia mollitia fœmineum atque lasciuum, vel diuersis animæ perturbationibus debile sentiet in se completum,quod scriptum est in libro Sapientiæ: Potentes potenter tormenta patientur, & cui plus dederint, plus exigent ab eo. *Matt. 5. 1. Tim. 2. Psal. 102. Sap. 6.*

18 Li. 2. in c. 3. epist. Pauli ad Eph. to. 6

IDEM exponens illa verba; Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri Iesu Christi, ait: Hæc verba, & si spiritualiter intelligantur, non statim iuxta litteram orandi consuetudinem tollimus,qua Deū genu posito supplices adoramus,& fixo in terram poplite magis,quod ab eo poscimus, impetramus. Legimus enim & Paulum in littore sic orasse,& geniculationes in oratione præceptas. Sed nihilominus dicimus veram geniculationem esse in animo, quia multi corporale flectentes genu, animæ nequaquam poplitem curuauerunt. Et contra alij erecto Deū corpore deprecantes, magis se animo curuauerunt. Vnde genuflexio hæc ad subiectionem mentis, & inclinationem animæ, cordisq. obsequium pertinet,terræ se coæquantis,vt psalmista quoque canit,dicens: Adhęsit pauimento anima mea. *Act. 27. Psal. 118.*

19 Libro 2. de Cain, & Abel. to. 1.

AMBROSIVS explicans verba illa Genesis 4. Secundum traductionem septuaginta interpretum: Si recte offeras, non recte autem diuidas,peccasti,quiesce,ait. Ex his verbis colligimus Deum non muneribus oblatis placari,sed offerentis affectu. Denique condemnati oblator muneris Cain, pro conscientia insinceræ oblationis intellexit Deo sacrificium suum non probatum, tristis est factus. Quando enim mens sibi recti est conscia gratulatur, vel infusione quadam spiritali repletur animus gaudio, cum alicuius vel studia, vel opera a Deo probantur. Tristitia igitur Cain conscientiæ testimonium, repulsæ indicium est. Et quia obtulit munus,tamen quia non recte, & iure diuisit, culpa incidit. Infra: Redoleat oratio tua prudentiam erga cognitio-

nem Dei, & veritatem fidei. Redoleat temperantiam, quam etiam a cõiugibus exigendam putauit Apostolus dicens: Nolite fraudari inuicem, nisi forte ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Et lex castigatos ante hesternum, & nudiustertius diem ad sacrificium accedere iubet. Fortitudinem teneat oratio, vt nullo interpelletur metu, nulla lassitudine deficiat. Tunc enim debet esse intentio ad precandum robustior, cum vrgemur aduersis. Iusticiam custodiat precatio, quam si tenuisset Iudas, non in peccatum facta fuisset eius oratio. Quando enim magis ab iniustis operibus, ac prauis studijs abstinere debemus, quàm tunc quãdo Dei iustitiam deprecamur? Hæc defuit sacrificio Cain, qui si tenuisset iustitiam Domino primitiua munera, & non posteriora deferret. Defuit itaque ei diuisio harum quatuor virtutum, ideoque responsum ait: Si recte offeras, non recte autem diuidas, peccasti, quiesce. Recte igitur Cain obtulit, quia oblatio insigne deuotionis, & indicium gratiarum est, sed non recte diuisit, quia ante omnia Deo debuit deferre primitias, vt a gratia inchoaret auctoris.

1. Cor. 7.

20 Lib. 6. de sacramen. c. 5.

IDEM sic ait: Inchoari oratio debet a Dei laude, vt roges omnipotentem Deum, cui possibilia sunt omnia, qui habet voluntatem præstandi. Sequitur obsecratio, sicut Apostolus docuit, dicens: Obsecro ergo primum fieri obsecrationes, gratiarum actiones. Prima ergo oratio laudem debet habere Dei, secunda supplicationem, tertia postulationem, quarta gratiarum actionem. Non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed ante a laudibus Dei. Vnde & oratores isti sapientes hanc habent disciplinam, vt iudicem fautorem sibi præstent, incipiunt a laudibus eius, vt beneuolum sibi faciant cognitorem. Deinde paulatim incipit rogare iudicem, vt patienter dignetur audire. Audet & tertio postulationem suam depromere, quid petat exprimere. Quarto quomodo cœpit a laudibus Dei, sic debet in Dei laude desinere.

1. Tim. 2.

21 In Psal. 3. to. 8.

AVGVSTINVS explicans verba illa; Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo, dicit: Non corporis voce clamaui, quæ cum strepitu verberati aeris promitur, sed voce cordis, quæ hominibus silet, Deo autem sicut clamor sonat. Qua voce Susanna exaudita est. Et de qua ipse Dominus præcepit, vt in cubiculis clausis, idest in secretis cordis sine strepitu oretur. Nec facile quisquam dixerit hac voce minus orari, si nullus verborum sonus reddatur ex corpore, quoniam & silentes cum in cordibus oramus, si alienæ ab affectu orantis cogitationes intercurrant, nondum dici potest: Voce mea ad Dominum clamaui. Neque hoc recte dicitur, nisi cum sola anima nihil carnis, nihilq. carnalium intentionum in oratione attrahens loquitur Domino, vbi solus audit. Clamor autem etiam iste dicitur propter vim ipsius intentionis.

Dan. 13.

Matth. 6.

IDEM exponens verba illa; Verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum. ait dicens: Intellige clamorem meum, bene ostendit quis sit iste clamor, qui interior de cordis cubili sine strepitu corporis perueniat ad Deum. Quandoquidem vox corporalis auditur, spiritualis autem intelligitur. Intende voci obsecrationis meæ, ideſt illi voci, quam vt Deus intelligat petit.

22 In Psal. 5.

IDEM explicans verba illa; Iste pauper clamauit, & Dominus exaudiuit eum, ait: Docet te quomodo exaudiaris, ideo non exaudiris, quia diues es, forte clamaueras, & nõ exaudiebaris. Inops clamat, & Dominus exaudit eum. Et quomodo clamabo inops? Vt etsi habes aliquid, nõ inde præsumas de viribus tuis, vt intelligas te indigentem, vt intelligas te tãdiu esse pauperem, quamdiu non habes illum, qui facit te diuitem.

23 In Psal. 51.

IDEM explicans illa verba; Iniquitatem meditatus est in cubili suo, dicit: Cubile nostrum est cor nostrum, ibi tumultum patimur malæ conscientiæ, & ibi requiescimus quando bona conscientia est. Qui amat cubile cordis sui aliquid boni ibi agat. Ibi est cubile vbi nos Dominus Iesus Christus iubet orare: Intra in cubiculum tuum, & claude ostium tuũ. Quid est claude ostium tuum? Noli talia expectare de Deo, quæ forinsecus sunt, sed ea, quæ intrinsecus sunt. Et pater tuus, qui videt in abscondito reddet tibi. Quis est qui non claudit ostium? Qui talia petit a Deo pro magno, & ibi constituit omnes preces suas, vt accipiat ea, quæ sunt huius sæculi bona. Quid est claudere ostium? vt hoc petas a Deo quod solus Deus nouit quomodo tibi det. Quid est hoc propter quod claudis ostium, & petis? Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

24 In Psal. 35.

IDEM exponens illa verba; Domine ante te omne desiderium meum, inquit: Non ante homines, qui cor videre non possunt, sed ante te est omne desiderium meum. Sit desiderium tuum ante illum, & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Ipsum enim desiderium tuum oratio tua est, etsi continuum est desiderium, continua oratio. Non enim frustra Apostolus Paulus dixit: Sine intermissione orate. Numquid sine intermissione genuflectimus, corpus prosternimus, aut manus leuamus, vt dicat, sine intermissione orate? Aut sicut dicimus nos orare, hoc puto sine intermissione non possumus facere. Est alia interior oratio sine intermissione. Oratio ista, quæ est? Desiderium. Quicquid aliud agas, si desideras illud sabbatum, non intermittis orare: si non vis intermittere orare, noli intermittere desiderare, continuum desiderium tuum, continua vox tua est. Tacebis si amare desiteris, quia tacuerunt, de quibus in Euangelio dictum est: Quoniam abũdauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Frigus charitatis, silentium cordis est, flagrantia charitatis clamor cordis est.

25 In Psal. 38.

1. Thes. 5.

Matt. 24.

est. Si semper manet charitas, semper clamas, si semper clamas, semper desideras, si semper desideras, requiẽ recordaris. Et gemitus meus a te non est absconditus. A te non est absconditus, a multis autem hominibus absconditus est. Videtur aliquando ridere seruus Dei, nũquid desiderium illud mortuum est in corde? Si autem inest desiderium, inest & gemitus. Nõ semper peruenit ad aures hominum, sed nunquam recedit ab auribus Dei.

26 Cõsione 29 in Psal. 118

IDEM exponens verba illa; Clamaui in toto corde, exaudi me Domine, sic habet: Clamor ad Dominum, qui fit ab orationibus, si sonitu corporalis vocis fiat, non intento in Dominum corde, quis dubitet inaniter fieri? Si autem fiat corde, etiam silente corporis voce, alium quemlibet hominem potest latere, non Deum. Siue ergo cum voce carnis quando id opus est, siue cum silentio ad Deum cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio. Quæ cum est in oratione magnum exprimit desiderantis, & petentis affectum, vt non desperet effectũ. Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliũde cogitatur. Tales orationes rarẽ sunt multis, crebræ autem paucis, talem autem suã commemorat orationem, qui cantat hunc psalmum, dicens: Clamauit in toto corde suo, & hoc sibi desiderauit a Domino exaudiẽte præstari, vt iustificationes eius exquirat. Proinde quod vt faciamus iubetur, vt exquiramus oratur.

27 Lib. 33. Moral. cap. 21. in 2.

GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 41. Non parcam ei verbis potentibus, & ad deprecandum compositis, ait: Intelligi de iniquis omnibus hæc verba possunt, qui sero ad petitionum verba veniunt, quia nunc exequi facta contemnunt. Vnde per Euangelium veritas dicit: Nouissime veniunt, & reliquæ virgines dicentes: Domine domine aperi nobis. Sunt nõnulli intra sanctam Ecclesiam, qui prolixas ad Dominum preces habent, sed vitam deprecantium non habent: nam promissa cælestia petitionibus sequuntur, operibus fugiunt. Hi nonnunquam etiã lachrymas in oratione percipiunt, sed cum post orationis tempora, eorum mentem superbia pulsauerit, illico in fastu elationis intumescunt, cum auaritia instigat, mox per incendia auidæ cogitationis exæstuant. Vt ergo diximus, & fletus in prece percipiunt, & tamẽ expletis precibus, cum vitiorũ suggestione pulsantur, nequaquam pro æterno regni desiderio se fleuisse meminerunt.

Matt. 25.

Num. 23.

Quod aperte de se Balaam innotuit, qui iustorum tabernacula conspiciens, ait: Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horũ similia. Sed cum compunctionis tempus abscesserit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo popposcerat, contrarium præbuit, & cum occasionem de auaritia reperit, illico obitus est quicquid sibi de innocentia optauit. Virtutis igitur pondus oratio non habet, quã nequaquam perseuerantia continui amoris tenet. Quo contra bene de Anna

1. Reg. 1.

flente perhibetur, vultusq. eius non sunt amplius in diuersa mutati, quia videlicet mens eius nequam post preces inepta lætitia lasciuiendo perdidit, quod orationis suæ tempore gemituum rigore exquisiuit. Quia ergo iniquorũ petitionibus, qui Leuiathan istius corpus sunt, nullo modo parcitur, cum eorum preces opere destruuntur, recte nunc dicitur: Non parcam ei, & verbis potentibus ad deprecandum compositis, quia & per hoc quod verba potentia, & ad deprecandum composita referuntur, aperte inanitas orationis ostenditur. Veraciter namque orare, est amaros in compunctione gemitus, & non composita verba resonare.

28 In Psal. 6. pœnit. to. 2.

IDEM explicans verba illa; De profundis clamaui ad te Domine, inquit. Attendat vnusquisque in quo profundo iaceat, & quàm longe a Deo peruerse agens effectus sit. Clamet ad eum totis viribus, qui intuetur abyssos, & sedet super Cherubin, donec de profundi tenebris erutus, superno illustretur lumine, & claritate perfruatur cognitionis diuinæ. Clamauit Ionas ad Deum de ventre ceti, de altitudine maris, de profundo inobedientiæ, & ad aures Dei oratio illius peruenit, qui eum eruit a fluctibus, & absoluit a culpa. Clamet & peccator, quem a Deo recedentem cupiditatum tempestas cõtriuit, quem malignus hostis absorbuit, quem præsentis sæculi fluctus inuoluit, agnoscat se esse in profundo, vt ad Deum sua perueniat oratio? Infra: Notandum quod non ait, clamo, sed clamaui. Habes in hoc perseuerantiæ documentum, vt si primo non exaudiaris, ab oratione non deficias, immo precibus, & clamori insistas. Vult Deus rogari, vult cogi, vult quadam importunitate vinci. Ideo tibi dicit: regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Esto ergo sedulus in oratione, esto in precibus importunus, caue ne ab oratione deficias. Si dissimulat audire quem rogas, esto raptor, vt regnum cælorum accipias, esto violentus, vt vim etiam inferas cælis. Inferant ipsis cælis violentiam, & regnum cælorum quadam orationis vi rapiãt. Sint in precibus importuni, vt ex longo clamoris vsu dicere possint: De profundis clamaui ad te Domine. Videtur hic quandam exaudi-

Matt. 11.

29

tionis causam prætendere, cum se insinuat clamasse, vt quasi iure debeat exaudiri, qui dudũ instituit clamori. Hanc & Apostoli causam Domino dedisse leguntur, cum Chananæa rogante dixerunt: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ideo namque a Domino exaudiri meruit, quia prima Domini responsione repulsa clamare nequaquam cessauit. Fide quippe & dilectione accensa, a clamore non antea destitit, quàm optatam filiæ salutem acquisiuit.

Matt. 15.

Infra: Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Humano loquitur hic modo, nam dum potẽs quilibet supplicantem aliquem audire negligit, quasi primo aditu repulsus exaudiri, qui supplicat diffidit. Si vero qui rogatur, primo libenter audire cœperit, & alijs

postpo-

postpositis negotijs, verbis solummodo rogantis intendere, continuo ille, qui rogaturus adnenit, concipit impetrandi fiduciã, & ipse quodammodo animatus spe, suam liberius proloquitur causam. Magnũ quippe voluntatis suæ Dominus illi dedit indicium, cum loquenti se præbuit incunctanter intentum. Sic & nos cum dari nobis veniam a Deo quærimus, & cælestis gratiæ vitalia dona conferri, si nobis Deũ præsentem aliquibus suauitatis, & dulcedinis suæ senserimus indicijs, ad ipsius desiderium studio sius animamur, super his, quæ cupimus, adipiscendis aliquatenus certiores effecti, cum ille, quem anima nostra desiderat, desiderantibus nobis per misericordiam appropinquat. Vt ergo velociter exaudiatur Dauid, rogat, vt Deus attentas illi aures porrigat.

30 In ferm. 3. Epiphaniæ.

BERNARDVS sic inquit; Necesse est, vt qui perfecte terrena contempsimus, flagrãti desiderio cælestia requiramus. Sic enim offerimus, & thuris odoramentum, quo nimirum, *Apoc. 5.* vt in Apocalypsi beati Ioannis legis, significãtur orationes sanctorum. Vnde & Propheta in *Psal. 140.* psalmo: Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo. Sic & in alio loco legis: quia *Eccli. 35.* oratio iusti penetrat cælos. Oratio, inquam, nõ cuiuslibet, sed iusti. Nam qui auertit aurẽ suam ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Porro si iustus esse volueris, & non auertere aurem tuam a mandatis Domini, ne auertat ipse suam a precibus tuis, necesse est, vt non solum præsens sæculum contemnas, sed & ipsam carnem castiges, & subijcias seruituti. Nã qui di- *Luc. 14.* xit: Nisi quis renunciauerit omnibus, quę possider, non potest meus esse discipulus. & alibi: *Matt. 19.* Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus: idem ipse in alio loco *Matt. 16.* ait: Qui vult venire post me, abneget, semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Duas igitur alas habeat oratio nostra, contemptum mundi, & afflictionem carnis, nec dubiũ quin cælos pẽnetret, & dirigatur sicut incẽsum in conspectu Dei. Erit enim gratum sacrificiũ, & acceptabilis oblatio nostra, in qua cum auro, & thure, fuerit etiam myrrha. Aurum & myrrha, thus orationis comitari debent, vt illa Deo sit probata.

31 In lib. qui dicitur de formula honestæ vitę.

IDEM inquit; Cũ oraueris, non impleas aures audientium singultibus, & suspirijs, sed intente ora Deum in cubiculo cordis tui. Proderit tamẽ ad deuotionem, compunctionemq. obtinendã; si ita semotus fueris, vt puras manus ad Deum leuando, etiam tui ipsius vocem audire possis. Nonnunquam ad subleuandum in cælum intentionem prospicias, vt ibi sit cor tuum, vbi Christus est in dextera Dei sedens. Ab oratione iterum reuerteris ad lectionem, & iterum lectio cum fastidium submouerit, ad orationem redeas. Infra: Orationibus cũ magna deuotione intendas, & eas dicere labora, horis debitis, & quod offers in oratione, reminiscaris in corde.

Orationem comitari debent opera bona, & sacrorum voluminum lectio.
Cap. VI.

1 Homil. 12. in c. 23. Leuitic. 1.

VLTRA aliqua quę diximus in cap. anteriori adnotanda sunt, quæ sequuntur. Origenes exponens verba illa; In quibus iubebat Dominus offerre libamenta similæ cum thure. Et superponetis, inquit, thus mundum, ait: Thuris species formã tenet orationis. Oportet ergo panibus fidei orationum vigilantiam, puritatemq. coniungere. Pura autem oratio est, sicut Apostolus dicit: Leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Similiter & odoris suauitas implere facit illud, quod scriptum est: Dirigatur oratio *Psal. 140.* mea, sicut incensum in conspectu tuo. Si quis ergo orationes quidem offerat Deo, non tamẽ habeat mundam conscientiã ab operibus malis, hic thus quidem videtur panibus superponere, sed non ponit thus mundum. Nam si omne thus mundum esset, non adderet scriptura: thus mundum super panes propositionis ponẽdũ ante Dominum. Nec enim putes quod omnipotens Deus hoc mãdabat, vt thus ei ex Arabia deferretur. Sed hoc est thus, quod Deus ab hominibus sibi quęrit offerri, ex quo capit odoris suauitatem, orationes ex corde puro, & cõscientia bona, in quibus vere Deus suscipit flagrantiam suauitatis.

2 In Hom. 8. tom. 1.

BASILIVS in Homil. 8. in diuites auaros, quam prædicauit quando per societatem Cæsareæ fames inualuit, ait: Docens hominum peccata esse siccitatis causa, & famis, ob hanc causam Deus manum non aperit, quoniam fraternitatis charitatem occlusimus. Supplicantium vox frustra clamat, & in aëra euanescit, ac dissipatur. Nam & nos rogantes minime audimus. Sed quæso quales sunt nostræ prẽces? quãlis oratio? Viri, præter paucos, mercaturis vacant. Pauci admodum mecum ad orandum relinquuntur, & hi tædio affecti oscitantesque, ac continuo huc, illucq. se versantes, denique obseruantes quando is, qui psalmos canit, versus expleat, vt tanquam e vinculis, ac aliqua custodia e templo liberentur. Pueri autem parui quid ex hac calamitate publica degustant? qui libellos in scholis relinquentes, & nobiscum conclamantes, remissionem potius, ac vacationem a discendi labore nostram communẽ tristitiam existimant, & cura se aliquantulum, assiduitateq. stultij leuari, & in libertatẽ venire proprerea putant. Adultorum vero hominum multitudo, ac vulgus peccatis obnoxium per vrbem remissi, ac temere discurrunt, gaudẽtes, & hilares, qui horum causam malorũ in proprijs gerunt animabus, calamitatemq. hanc ipsi nobis excitant, & causantur. Infantes postremo insontes, & minime sentientes ad confessionem in templo conueniunt, nec causam dant ipsi de rebus tristibus, neque rursus ab ijs nos liberare valent, cum nullam facultatem, notitiamq. Deum orandi habeant. Tu in medium prodi: tu humi procidens clama suspira. Quamobrem accusatus ac reus absconderis, & eum qui culpa vacat in iudicium pro te statuis? Oportet quidem, & illos adesse, sed tecum omnino, non solos. Nonne vides Niniuitas pœnitentes ac flentes ob ea, quæ ipsi amiserunt, ad Ionæ moni tiones non solum infantes in medium attulisse, sed ipsi ante omnia in peccatis constitutos ac delitijs vitam exuentes pristinam, ieiunijs, & abstinentia se afflictasse. Loco deinde auctarij infantes addidisse, ac pati simul, & flere coegisse, vt luctus omnẽ ætatẽ occuparet, & sensu præditã, & sensu carentem, hanc coactam, illã volũtariam. Ex quo misericors Deus ipsos fastus luxũq. ponentes, & humilia sentientes animaduertens, & minas remisit, & pœnas, quas daturi erant, auertit, & loco calamitatis lætitiam hilaritatemq. publicam tribuit. O sapientem & officiosum luctum. Nam neque ratione carentia a tristitia immunia esse permiserunt, sed ipsa bruta ieiunare coegerunt. Vitulus enim a bucula separatus dulci caruit vbere. Agnus paruulus iam sub vlnis maternis non erat. Matres alia, alia fœtus stabula tenebant. Voces inter se miserabiles ædebant vicissimq. conclamabant. Nati sitientes vbera materna desiderabant. Matres verò naturali quadam pietate, misericordiaq. commotæ natos mugitu vocitabant. Infantes vicissim sitientes, & esurientes vehementissimo eiulatu prope rumpebantur. Grauidæ natu alibus doloribus stimulabantur, & hac ratione pœnitentiam illorum ad communem vitæ doctrinam diuinus sermo scriptis mandauit, senex apud illos lamẽtabatur, & caniciem suam vellicabat adolescens, & iuuenis vehementius plorabat, pauper ingemiscebat, diues oblitus delitiarum afflictionem illam castigationis loco exercebat. Rex ipse Niniuitarum splendorem ac gloriam suam in pudorem mutauit, purpura, coronaq. ac sceptro depositis, saccum sumpsit, cinere caput inuoluit, throno relicto humi consedit, peculiaria regali relicta lautitia vna cum populo lamentabatur, quasi vnus e numero multorum factus: quoniam communem omnium Dominum iratum conspexit. Hæc erat seruorum sensatorum sapientia. At ex nobis quisnam orans, aut supplex lachrymam ex ore mittit, vt imbrem terris tempestiuum prouocet? Quis hospitum lauit pedes aut puluerem ex itinere aqua persum absterst, vt in hac siccitatis calamitate Deum exorare valeat?

4 Homil. 58. in cap. 17. Matth. to. 2.

CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in ieiunio, & oratione, ait: Qui ieiunat leuior est, & vigilanter orat, & cupiditatis incendia extinguens ac animam suam humilians, facile Deum placat. Idcirco, & Apostoli fere semper ieiunabant. Qui orans ieiunat binas possidet alas, quibus ventos ipsos volando præ-

teruehitur, non enim oscitat nec extenditur, torpet orando, quę multi patiuntur, sed igne ardentior, & terra superior est, quare terribilis hostis dæmonibus redditur. Nihil enim est homine probo orante potentius. Nam si *Luc. 18.* mulier crudelem iudicem, qui nec Deum timebat nec hominẽ verebatur, flectere potuit multo magis propitium Deum faciet, qui continue orationi adhærens ventrem superat, & delitias spernit. Si vero imbecillis corpore ieiunare semper non potes, non eris tamen ad orandum infirmus, neque ad contemnendas corporis delitias inualidus: ieiunare quidem non potes, sed nõ viuere in delitijs potes, quod sane paruum non est.

5 Homil. 15. ex imperfecto in Mat.

IDEM sic habet: Eleemosyna ante orationem præcedit, quia mediatrix est, & præparatrix viæ ante faciem orationis, vt post eleemosynam sequens oratio præparatum locum misericordiæ inueniat apud Deum. Ideo autem ieiunium sequitur orationem, quia non oratio ieiunij est adiutorium, sed ieiunium orationis: & nõ oratio fit propter ieiunium, sed ieiunium propter orationẽ, ideo ieiunium nõ ante orationem præcedit, sed oratio ante ieiunium. Infra: Ille orat, qui iam non peccat, qui autem orat, & peccat, non rogat Deum, sed deludit Deum. Vnde ex quo cæpit Christus salutaria præcepta dare Apostolis, non statim in primis mandauit de ieiunio, & oratione, sed prius ex- *Matt. 6.* pellit mala, postea introducit bona. Scriptum est: non occides; ego autem dico: ne irascaris &c. post quam ergo ab his omnibus malis spoliauit hominem, tunc dicit: De eleemosyna, ieiunio, & oratione.

6 Epist. 1. quæ est ad Demetriadem virg. to. 1.

HIERONYMVS inquit: Adhibe tibi etiã in vrbe solitudinem, & remota paulisper ab hominibus propius Deo iungere, aspectuiq. tuorum reddita lectionis fructum, & orationis ostende. Nihil enim in hoc secreto magis agere debes, quàm animam diuinis eloquijs pascere, & quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare. Ita scripturas sacras lege, vt semper memineris Dei illa verba esse, qui legem suam non solum sciri, sed etiam impleri iubet. Optime vteris lectione diuina, si eam tibi adhibeas speculi vice, vt ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, & vel fœda quęque corrigat, vel pulchra plus ornet. Lectionem frequenter interrumpat oratio, & animam iugiter adhærentem Deo grata vicissitudo sancti operis accendat. Nunc te igitur ordo instruat cælestis historiæ, nunc sanctum Dauid oblectet canticum, nunc Salomonis erudiat sapientia, nunc ad timorem Domini increpationes incitent prophetarum, nunc Euangelica, & Apostolica perfectio te Christo in omni morum sanctitate coniungat. Quę paranda sunt memoriæ penitus insere, eaque iugi meditatione conserua. Quæ maturanda sunt frequenter reuolue, vt diuinum hoc studium, & cælestis schola, & mores simul virginis ornent & sensum, tradantque tibi cum sapien-

sapientia sanctitatem. Vnde scriptura dicit: Qui quærunt Deum, inueniunt sapiẽtiam cum iustitia. Sit autem ipsa lectio temperata, cui finem consilium non lassitudo imponat.

7 IDEM explicans verba illa; Exaltate vocem, leuate manum dicit: Qui de sublimibus loquitur & præsentiæ quasi breuia & transitoria contemnit. Qui audit ab eodem Isaia: exalta in fortitudine vocem tuam. Eleuat manum suam, qui potest cum Dauid dicere: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum, & qui in omni loco leuat sanctas manus, vt non solum leuet manus, sed etiam consoletur manu, vt septuaginta interpretes verterunt, ne dicat pauperi cras veni, & accipe, sed vt pauperem eius, & necessitatem præsenti misericordia consoletur.

Lib. 6. in ca. 13. Esaiæ. tom. 4.

Psal. 140.

8 IDEM exponens verba illa: In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarũ diebus, panem desiderabilem non comedi, & caro, & vinum non introierunt in os meum, inquit: Tres iungit hebdomadas affligẽs animam suam, ne transitoria, & fortuita videatur deprecatio, sed tam longo ieiunio comitata. Secundum anagogem hoc dicendum est quod qui in luctu est, & sponsi luget absentiam, vinum nõ bibit, quòd lætificat cor hominis, nec exhilarat faciem in oleo: istud autem ieiuniũ impetrabiles facit lachrymas, quando sponsus fuerit ablatus ab ea.

In cap. 10. Dan. to. 4.

Psal. 103.

9 IDEM explicãs verba illa; In die tribulationis meæ Deum exquisiui, manibus meis nocte contra eum ait: Manibus meis clamaui ad Dominum opera coniungens orationi, id est quod dicitur: in noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Dominum. In nocte istius sæculi & in tenebris, cum alij ad vitia properarent, ego opera mea ad te solum leuabam. Et non sum deceptus: quoniam sic clamaui & opere clamaui, consecutus sum quod volebam.

Expositiõ in psal. 76. to. 7.

Psal. 133.

10 IDEM exponens illa verba: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime, inquit; non dixit bonum est psallere, & postea confiteri, sed vide ordinem, bonum est confiteri, & bonum est psallere. Primum age pœnitentiam & lachrymis dele peccata, & postea canta Domino & ora. Infra: in decachordo psalterio, cum cantico in cithara. Quotiescunque leuamus manus sine cogitationibus, & disceptationibus, in decachordo psallimus domino.

In psal. 91.

11 AMBROSIVS exponẽs verba illa: Cãtabiles mihi erant iustificationis tuæ, in loco peregrinationis meæ, ait: hymni nobis, canticum nobis, psalmi nobis, iustificationes domini sint: psallamus spiritu, psallamus & mente. Ideoq. vt expelleretur & eliminaretur obliuio à domo sancta sua, cantores sibi fecit rex verus Salomon, qui toto spiritu inquirendo cognitionem diuinitatis intenderent, ne psallentes deessent ecclesiæ suę, quorum cãtu nequam spiritus fugaretur. Sicut Dauid sancti docemur exemplo, quo psallente, malus ille spiritus expellebatur, qui Saul regis corda vexabat. Infra: Sed non satis est, vt aliquis cantabiles habeat iustificationes Dei, nisi terrenarum exeat seruitio sollicitudinum. Ideoque addidit in loco peregrinationis meæ: vnde Dauid alibi aduenam se appellat in terra hac. Vnde & Apostolus non vult nos in domo Dei aduenas esse & peregrinos, sed ciues sanctorũ & domesticos Dei. Qui enim domesticus Dei est, est exul in mundo, qui conuersatur in cælestibus, peregrinus est in terris. Peregrinabantur in hoc mundo tres pueri, naturam incendij non sentientes, cantabiles habebant iustificationes Dei cum hymnum Deo cantarẽt in fornace. Liber ab omnibus affectibus corporalium passionum canebat idem Propheta, Psallam tibi in cythara sanctus Israel. Gaudebunt labia mea cum cantauero tibi, & anima mea quam redemisti. Cantabat lætus quia epulabatur animus præ deuotionis alimento.

Serm. 11. in psal. 118. tom. 2.

Ephes. 2.

Psal. 70.

12 IDEM explicans illa verba; Appropinquet deprecatio mea in conspectu tuo domine sic habet: volare facit orationem bona vita & dat alas precibus spiritales, quibus sanctorum ad Deum euehatur oratio. Sed & spiritus quo oramus subleuat precem iusti, maxime si corde contrito compatiens eam commendet affectus. Dauid in superioribus istius psalmi lucernam suis pedibus requirebat, ne in hoc itinere terreno ambulans posset errare. Nunc autem quasi iam in fine positus orationem suam dirigit in cælestia, mittit eam in conspectu domini Saluatoris dans illi flabra iustitiæ, sapientiæ flamina, remigia deuotionis, & fidei innocentiæ puritatisq. subsidia. Peccato enim grauescit oratio & longe fit a Deo. Tanto autem plus grauatur, quãto improbior est vita deprecantis. Innocentium ascendit oratio, si Ægyptium lutũ oderint, & operari terrena declinent. Denique sic legisti, quòd Hebræorum qui dura Ægyptiorum imperia ferre non poterant, & vt grauia ita & lutulenta opera indigna sui nobilitate generis recusabant, gemitus & vox ascenderit ad dominum. Ascendit enim oratio: quia etsi operabantur, tamen operabantur inuiti. Descendebat itaque ad illos Dei misericordia, quia illorum ad Deum ascendebat deuotio. Eleuatur oratio & appropinquat Deo, si actibus nostris ascendit ad Deum, si eleuas actus tuos, eleuasti orationem. Qui nouit leuare manus suas, dirigit orationem suam in conspectu Dei; sicut infra legisti: Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo: eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Hæc vtique oratio ad vitam.

Psal. 140.

13 AVGVSTINVS præterea explicans verba illa Dauidis; Auribus percipe Domine orationem meam, legit: auribus infige Domine orationem meam, id est, non exeat de auribus tuis oratio mea, fige eam ibi in auribus tuis. Quomodo petiuit vt figeret orationem in auribus Dei? Respondeat Deus, & dicat nobis, vis figam orationem tuã in auribus meis?

In expos. psal. 85. tomo 8.

meis? Fige in corde tuo legem meam, & intendet Deus voci orationis tuæ.

14 IDEM dicit; orabat Moyses, & extendebat manus, & deficiebat Amalech. Et tuæ manus extensæ sint, vt deficiat Amalech tentator, & huius itineris impeditor. Esto vigil, & sobrius in orationibus in operibus bonis. Extensæ sint manus tuæ in cruce, sicut extenditur Apostolus, cum dicit: Mihi mundus crucifixus est, & ego mundo, & vincis Amalech. Moysi manus aliquando demittebantur, & statim erigebantur. Alternatio illa defectus est fortitudinis. In manibus Moysi serui Dei forte alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, sed non succumbis. Deponebat ille paululum manus, non omnino ruebat, sed dicebat: Motus est pes meus, ecce misericordia tua Domine adiuuabat me. Noli timere, adest in itinere auxiliator, qui in Aegypto fuit liberator. Aliquando ille deponebat manus, aliquando erigebar, tamen victus est Amalech. Debellare potuit, superare non potuit.

In lib. quinquaginta hom. to. 10.

Exo. 17.

Galat. 6.

Psal. 93.

15 IDEM ait; Donum habemus solatium diuinarum lectionem scripturarum. In his enim quasi in quodam speculo homo se ipsum considerare potest qualis sit, vel quo tendat. Lectio assidua purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet orare, & legere. Nam cum oramus, ipsi cum Deo loquimur, cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. Geminum confert donum lectio sanctarum scripturarum, siue quia intellectum mentis erudit, seu quia a mundi vanitatibus abstractum hominem, ad amorem Dei perducit. Labor honestus est lectionis, & multum ad emundationem animi proficit. Sicut enim ex carnalibus escis alitur caro, ita ex diuinis eloquijs interior homo nutritur, & pasci tur, sicut psalmista ait: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Sed ille beatissimus est, qui diuinas scripturas vertit in opera.

In sermone 112. de tempore.

Psal. 118.

16 BERNARDVS explicans quomodo Iesus vocatus fuerit potens in opere, & sermone, inquit: Nonnulli potentes sunt in opere, sed non in sermone. Alij in sermone, sed nõ in opere. Quidam potentes sunt in vtroque. Qui strenuus est in exercitatione corporali bona, quæ præualet, non negligit operari, patiens in tribulatione, gaudens ad laborem obedientiæ, dici potest potens in opere. Sed si minus hunc delectat assiduitas orationis, si nõ est sollicitudine pia deuotus in vigilijs, vel forte non habeat gratiam prædicationis, potens est in opere, sed non in sermone. Videas aliquem frequenter in oratione deuotum, cuius oculi sunt, sicut piscinæ in Esebon præ multitudine lachrymarum, sed recusat ferre iugum obedientię, votum suũ offerre se æstimat, offerendo hostiam amputata aure, suam plangit in oratione superbiam, sed hora orationis transacta, ita superbus est, sicut ante. Vel si leuis in moribus, post orationis suæ deuotionem in eãdem recidit leuitatẽ.

In 2. parte operũ ipsius Homil. de duobus discipulis eunt. in Emaus.

Cant. 7.

Ossa eius replentur vitijs adolescentiæ eius, vt nunquam in conuersatione sua sit maturus. Licet ad modicum orationis tempore sit deuotus, vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau. Tales potentes videntur in sermone, sed non in opere. In opere, & sermone sunt potentes, qui habent in moribus honestatem, in operibus virtutem, in sermone scientiam, deuotionem in orationis assiduitate, grauitatem in conuersatione, perseuerantiam in in amore. Piæ siquidem operationis oratio denota est reclinatorium, & deuotæ orationis exercitatio præbet bonorum operũ fulcimentum. Nec parcit Dominus verbis potentibus, & ad deprecandum compositis: si sic potens es in opere, & sermone, esto coram Deo, & omni populo. Coram Deo te commendet puritas intentionis, coram populo vtilitas operis, vt sint lumbi mentis tuæ succincti, & lucerna ardens in manibus tuis.

Gene. 27.

Orandum est perseueranter, & sine intermissione ei qui orat, & clamat pro bono communi. Cap. VII.



1 Homil. vnica in c. 1. libri 1. Reg.

RIGENES explicãs verba illa; Sine intermissione orate, dicit. Ego cum legissem apud Apostolũ, sine intermissione orate, quærebam si præceptum hoc possibile esset in pleri. Quis enim potest nunquam desinere ab oratione, ita vt neque cibũ, neque potum sumendi tempus habeat? Quippe si cum hæc fiant intermittenda videtur oratio. Sed ne dormiendi, aut aliquid aliud humani vsus agendi veniam secundum istud præceptum oratio communiter intellecta concedit? Videamus ergo ne forte omnes actus eius, qui in diuino versatur officio, & omnia gesta, vel dicta, quæ secundum Deum gerit, & dicit ad orationem reportentur. Si enim oratio hoc solum intelligatur, quod cõmuniter scimus nunquam vllus iustorum secundum Apostoli præceptum, sine intermissione orare potest. Si vero omnis actus iusti, quem secundum Deum agit, oratio reputatur, quia iustus sine intermissione, quæ iusta sunt agit, per hoc sine intermissione iustus orabit, neque vnquam ab oratione cessabit, nisi iustus esse desistat. Cum enim iniustum aliquid agimus, aut delinquimus, certum est, quod eo tempore etiam ab oratione cessamus. Puto quod hoc edocemur, & in psalmis cum dicitur: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Non enim puto, quod si quis eleuauerit, vel extẽderit manus ad cælum (vt habitus orantium esse solet) cõtinuo sacrificium obtulerit Deo. Sed videamus ne forte hoc sit, quod ibi indicat sermo Dei, quia per manus opera intelliguntur. Eleuat manus ille, qui eleuat actus suos a terra, & conuersatio eius, adhuc in terra ambulantis, in cælis est. Excelsi ergo actus, & sublimes,

quos

quos videntes homines magnificant patrem cælestem, eleuatio manuum dicitur, & sacrificium vespertinum. An non & in lege id per mysterium docebatur, quando eleuatis manibus Moysi vincebatur Amalech, vincebat autem quando illę deponebantur. In his intelligere debemus, quia donec famulus Dei eleuat actus suos ad Deum, vincit gens Dei, cum autem deiecerit, & dimiserit manus, id est, actus suos, vincit Amalech inimicus Dei.

2 Homilia in Psal.30. to.1 BASILIVS exponens illa verba; Benedicam Dominum in omni tempore, inquit his verbis edoctus Paulus ait: Sēper gaudete, sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Et post multa inferius: Sēper laus eius in ore meo, videtur rē impossibilem polliceri. Quomodo enim semper Dei laus in ore hominis potest esse? Quando enim ea depromit consueta, & ad corporis necessitatem respicientia colloquia, vtique nō iam in ore habet Dei laudes, quando item dormit, penitus penitus silet. Ad hoc dicimus os esse quoddam spirituale, & intellectu præditum hominis interni, quo nutritur quisquis diuini verbi fit particeps. Sane cogitatio, quæ Deo est semel impressa, & velut sigillo obsignata in mēte, potest laus Dei recte appellari semper in anima existens. Potest etiam iuxta Apostolicā adhortationē vir quiuis studiosus cūcta facere ad gloriam Dei, ita vt facta, dictaq. ipsius omnia, omnisq. spiritualis operatio vim laudis habeāt. Siue enim bibit iustus, siue edit, omnia ad gloriam Dei facit. Talis etiam, cum dormit, cor vigilat.

3 Homilia 5. inter 29. varias. to.1. IDEM sic habet; Sane ad eum modum indiuulse, & continenter oraueris, non quidem si verbis modo orationem expleueris tuam, verius vbi omnis prorsus vitæ tuæ ratio, atque institutum diuinæ te conformarit voluntati, sic vt vita tua dici, & esse promereatur continens quædam, & indiuulsa oratio.

4 Homil. 49. in c.25. Genesis. to.1. CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Isaac erat annorum quadraginta, quando accepit Rebeccam sororem Laban sibi in vxorem, dicit: Non absque causa, neque temere narrat annos Isaac, sed quia nobis Rebeccæ sterilitatem narraturus erat, & quod ex precatione iusti precatio prolis concessa sit, & vt nos æmulantes iustum, assidui simus in diuinis precibus. Si quando aliquid a Deo petierimus. Si enim iustus ille ita virtute prędítus, & tantam apud Deum gratiam habens, tantam præsetulit constantiam & studiū continuo Deum orando, ita vt solueretur Rebeccæ sterilitas, quid dicemus nos, qui tantis peccatorum oneribus præmimur? Sed etsi aliquid bene egerimus, statim torpescimus, & resilimus, nisi statim exaudiamur. Propterea oro, vt ex his, quæ iusto illi euenerunt, eruditi nunquam cessemus orare Deum, feruensque, & æstuans desiderium ostendamus, & non ægre feramus, neque segniores efficiamur, si non statim audiamur. Deprecatus est Isaac super Rebecca vxore sua, quia sterilis erat. Infra: Viginti annis mansit Isaac orans, & deprecans Deum, & tunc tandem assecutus est quod desiderabat. Erat namq; annorum quadraginta, quando duxit Rebeccam, deinde dixit, deprecatus est Isaac pro vxore sua, & addit: erat autem Isaac annorum sexaginta quando peperit Rebecca. Vnde manifestum est, quod viginti annis perseuerauit, orans Deum, & vterum Rebeccæ inutilem generationi idoneum fecit.

5 Homil. 24 in c.7. Mat. to.2. IDEM exponens verba illa; Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis, inquit: Petere præcipit, eiq. se daturum spopondit, nec tamen obiter postulare iussit, sed cum sedulitate multa, & magna patientia, crebroq. pulsatu: hoc est enim, quod ait: Quærite, siquidem ille qui quærit aliquid cuncta profecto alia mente proijciens, vnum intendit illud, quod solum requirit, ac præsentium rerum nihil omnino considerat. Norunt certe illud quotquot vel auro, vel seruis, vt plerumque contingit, amissis experti sunt hanc, quam dico requirendi diligentiam. Ex eo quidem quod ait: quærite istud ostendit, ab eo vero, quod dixit: Pulsate, vehementer accendi, & ardere prorsus mente præcepit. Noli ergo sponte concidere sponsionem Christi tenens, quod absque dubio si quæsieris, accipias, quod si non continuo acceperis, ne sic quidem desperare te conuenit. Propter hoc quippe ait: pulsate, vt ostenderet, quia etsi non continuo aperuerit tibi, nihilominus oportet ad ianuam permanere. Vnde subdit: Quis, ait, ex vobis est pater, quem si filius petat panem, nunquid lapidem porriget ei? Ab hominibus quidem cum aliquid exposcis, & molestus omnino, & onerosus videris. Deum vero quando id non facis, tunc amplius, vt tibi indignetur, accendis. Si vero permaneas postulando, etiam si non continuo accipias, accipies tamen, propterea quippe ostium clausum est, vt tu pulsare cogaris, idcirco non celeriter annuit, vt tu diutius inquiras. Permane igitur inquirendo, atque pulsando, & absque ambiguitate percipies. Infra: Et tu igitur ista considerans non desistas, donec accipias quamdiu inuenias, ne recedas, nec omnino abeas, quoad vsque clausa referentur. Si enim cum hoc studio mentis accesseris, & dixeris: nisi accepero, non recedam, prorsus accipies, modò si talia postulaueris, qui & illum qui petitur dare deceat, & accipere tibi, qui precaris, expediat. Quemadmodum vero nunc petimus, risus quidem est nostra petitio, & risus non sobriorum hominum, sed temulentia sauciorum. Si vos cum sitis mali, nostis bona dare filijs vestris, quanto magis pater vester cælestis? &c. Hæc dixit, non vituperans humanam naturam, sed ad exprimendum distinctionis inter Deum, atque homines pergrande discrimen, & ad comparationem benignitatis suæ, amorem patrum malignitatem vocat. Tanta quippe est in illo excellentia charitatis, & tanta largiendi voluntas.

6 In hom. super Euang. Lucæ. c.11. to.6. HIERONYMVS explicans locum Lucæ cap. 11. Quis vestrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, ait: Postquam Christus Dominus discipulos orationem Dominicam docuit, hanc subiecit parabolam, vt intelligeremus importunos nos amicos esse debere pulsando Christum: ipse enim si recte viuamus, amicus noster est. Huius amici ostium incessabiliter pulsare debemus, & horis eum inquietare nocturnis, & vsque adeo molesti esse, vt importuni etiam iudicemur. Sed non huius importunitatis vereamur offensam, quia hæc apud Dominum importunitas opportuna est. Acceptior enim est illi imprudens deprecatio, quàm secura præsumptio, hoc est, plus meretur, qui sollicite orat instanter, quàm qui confidens dissimulat negligenter. Ait enim & ille: Si perseuerauerit pulsans. Perseuerans igitur meretur accipere, quia qui perseuerauerit vsque in finem hic saluus erit. Non multum ergo viuat frequenter orare, cui contigerit aliquando cessare. Semper igitur, & sine intermissione petendum est, & pulsandū, ne precatio anteacta nihil prosit, si non ad finem eodē quo cœperit tenore peruenerit. Dico enim vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit propter importunitatem eius surget, & dabit. Magna perseuerantia est, quæ quamdiu importuna est, quamquam molesta sit Deo, tamen plus amica est, quàm amicus. Ecce enim quod amico negatur, perseuerantia promeretur. Illi recusat de fiducia, hunc de contentione compatitur. Illi non largitur familiariter pulsanti, huic pertinaciter miseretur oranti. Pulsemus igitur ostium Domini, non solum per fidem, sed etiam perseuerātia vt aperiatur nobis. Et nos pulsemus hoc ostium, & perseueranter oremus, vt sapientiæ & scientiæ panem accipere mereamur. Noli mihi molestus esse, &c. distulit quidem desiderium, sed non abstulit, vt plus nos quæramus, & inuentus strictius teneatur. Ideo negat petitionem, vt probet cuislibet perseuerantiam. Concluditq. parabolam: sic & Christus omni importune, fideliterq. petenti pro iugi petitione, quidquid in nomine eius petierit sine difficultate tribuet. Petite, & dabitur vobis, quærite, & inuenietis, pulsate, & aperietur vobis. Petite cogitationibus, quærite verbis, pulsate operibus, & ecce omnia aperientur vobis.

7 Lib. 17. in c.62. Isaiæ. to.4. IDEM exponens verba illa; Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec stabiliat, & donec ponat Hierusalem laudem in terra. Dicit ex persona Domini propheta: O vos qui recordamini Domini, eiusq. clementiam die ac nocte precibus fatigatis, cauete ne vmquam in ore vestro sileat oratio. Ne detis silentium ei subauditur Domino, sed semper molesti sitis opportune, importune, & imitemini interpellatricem duri iudicis. Si enim ille mentis ferociam assidua imprecatione deposuit, quanto magis pater cælestis bona dabit petentibus se? Tamdiu autem rogare debetis, donec ponat Hierusalem laudem in terra.

8 Libro 2. de Cain, & Abel. c.6. to.1 AMBROSIVS ait: Superest, vt de continua & iugi oratione dicamus, quod immorari nos, & vacare orationi oportet. Pernoctabat Dominus in oratione, non vt sibi met *Lucæ 6.* prodesset, sed vt nos doceret. Frequens enim oratio quandam operatur disciplinam orandi, quia ipse vsus docibiles Dei facit, indocibiles negligentia. Hunc cibum menti nostræ deferamus, qui multa attritus meditatione, cor hominis sicut illud cæleste manna confirmet. Quod non otiose tritum, ac politum accipimus, eo quod cælestium scripturarum alloquia diu terere, ac polire debemus, toto animo, & corde versantes, vt succus ille spiritalis cibi in omnes se venas animæ diffundat. Si autem assiduitas commendet gratiam, tunc fit illud pingue precationis genus, de quo in Psalmis dicitur: Impinguasti in oleo caput *Psal. 22.* meum. Sicut enim agni multo lacte pinguescunt, & sicut oues bene pastæ adipe nitent, ita Apostolico succo pasta fidelium pinguescit oratio.

9 Serm. 19. in Psal. 119. to. 2. IDEM explicans illa verba; Clamaui in toto corde, exaudi me Domine, dicit: Aduersus diabolum non vocis magnitudine, sed magna animitate cordis vtendum est. Est tamen vox cordis, sicut est vox sanguinis, quę ad Deū peruenit. In spiritu adoptionis clamamus, Abba Pater, & ipse spiritus Dei clamat in no- *Rom. 8.* bis. Gracili voce loquebatur Moyses, & plus omnibus audiebatur. Anna tamen non clamabat in corde suo sicut Moyses, sed loqueba- *1. Reg. 1.* tur, forcasse quia filios postulabat, hoc est, bona quidem, sed priuata non publica. Sed quia a Dpmino postulabat, loquebatur Deo. Clamat autem Moyses, quia non pro se, sed pro omni populo precabatur. Vnde dictum est a Domino: Quid clamas? Clamabat affectu pio, *Exo. 14.* & sensu profundo, & personabat in cælo. Vrgebat Pharao Hebræos, hi querela miserabili strepebant, querela nihil præsidij ferens plurimum offensæ afferens. Stabat Moyses mœstus, sollicitus, anxius populi & periculis, & querelis expectans fidem cælestium promissorum, & tacitus secum ipse voluebat, qua tandem Dominus ope iniuriæ immemor, memor gratiæ subueniret. Dicit ad eum Dominus: Quid clamas ad me? Sonū eius non audio, vocem eius agnosco, silentium eius lego, clamorē eius in operibus deprehendo. Clamabat populus, & non audiebatur, tacebat Moyses, & audiebatur. Non populo dictū est, Quid clamas ad me? sed Moysi id dictum est. Tu solus ad me clamas, qui de me speras, tu solus ad me clamas, qui virtutem meam excitas.

10 In epi. 121. ad Probam viduā. to.2. AVGVSTINVS ait: In ipsa fide, spe, & charitate cōtinuato desiderio semper oramus. Sed ideo per certa interualla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deū, vt illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quātum in hoc desiderio profecerimus nobis ipsis innotescamus, & ad hoc agēdū nos ipsos acrius excitemus.

1.Thess.5. citemus. Ac per hoc, quod ait Apostolus: Sine intermissione orate, quid est aliud, quã beatã vitam ab eo, qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderare. Semper ergo hanc a Dño desideremus, & oramus semper. Sed ideo ab aliis curis, atq; negotijs, quibus ipsum desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem reuocamus, verbis orationis nos ipsos admonẽtes in id, quod desideramus intendere, ne quod tepescere cœperat, omnino frigescat, & penitus extinguatur, nisi crebrius inflãmetur. Quæ cum ita sint etiã cum diu orare vacat, cum alia bonarum, & necessariarum actionũ non impediuntur officia, quamuis & in eis, vt dixi, desiderio illo semper orandum sit, non est improbum, nec inutile. Neq; enim, vt nonnulli putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nã & de ipso Luc. 6. 11 Domino scriptum est: Quia pernoctauerit in orando, & quod prolixius orauerit, vbi nobis præbebat exemplum in tempore precator opportunus cum patre exauditor æternus. Dicũtur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamẽ breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilãter erecta, quæ oranti plurimũ necessaria est, per productores moras euanescat, atq; hebetetur intẽtio. Ac per hoc etiam ipsi satis ostendunt, hãc intẽtionem sicut non est obtundenda, si perdurare non põt, ita si perdurauerit non cito esse rumpendã. Absit enim ab oratione multa locutio, sed non desit multa precatio, si feruens perseueret intentio. Nam multũ loqui, est in orãdo rem necessariã superfluis agere verbis. Multum autem precari, est ad eum, quem precamur diuturna, & pia cordis excitatione pulsare. Nam plerumq; hoc negotium plus gemitibus, quam sermonibus agitur, plus fletu quã afflatu. Ponit autem lachrymas nostras in cõspectu suo, & gemitus noster non est absconditus ab eo, nobis autem verba necessaria sunt, quibus cõmoueamur, & inspiciamus quid petamus, non quibus Dominum seu docendum, seu flectendum esse credamus.

12 Lib.1.quæst. in Euangelia. to.4. IDEM loquens de duobus, qui clamabant ad Dominũ, cum egrederetur ab Hierico ait: Oportebat vt tantũ clamarent, donec resistentis sibi turbę strepitum vincerent, ideſt, tã perseueranter animum intenderent orando, atq; pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium, quę tamquam turba obstrepit cogitationi lucem veritatis æternæ videre conanti, fortissima intentione superarent. Et sic Deus petenti dat, & pulsanti aperit.

Oratio Dominica explicatur varie a sanctis Doctoribus. Cap. VIII.

1 Hom. 20. in c. 6. Matth. vbi explicat orat. Dominicam. to. 2. CHRYSOSTOMVS ait: Pater noster, qui es in cælis, vide quemadmodum cõtinuo animã auditoris erexit; patrem quippe dicendo, & veniam peccatorum, & pœnarum interitum, & iustificationẽ, & sanctificationem, & filiorum adoptionem, & hereditatem Dei, & fraternitatem cum vnigenito copulatam, & sancti Spiritus dona largissima vno sermone signauit. Impossibile est enim Deum patrem vocari ab eo, qui non hæc omnia bona fuerit assecutus. Duplici igitur modo eorum animos accẽdit, ex eius scilicet quem patrem nominant, diuinitate, & magnitudine beneficiorum, quibus ipso donante potiuntur. Cum vero Deum esse dicit in cælis, non ibi eum hoc dicendo concludit, sed a terris abducit orantem, eumq. supernis habitaculis ac regionibus affigit excelsis. Similiter etiam docet generalem orationem facere pro fratribus. Non enim dicit, Pater meus, qui es in cælis, sed pater noster, vt pro communi scilicet corpore precem fundas, & vbique non tam propria commoda, quam proximorũ petas. Quo quidem ipse, & inimicitias interimit, & superbiam reprimit, & explodit inuidiam, & introducit matrem bonorum omniũ charitatem, & humanarum rerum inæqualitatem prorsus expellit, & miram regis cum paupere æqualitatem honoris ostẽdit. Quid enim noxæ de terrena ignobilitate metuendum est, quando cælesti omnes nobilitate coniungimur? cunctis enim vnam, atque eandem nobilitatem donauit Deus, cum dignatus est omnium pater vocari. Sanctificetur nomen tuum. Digna prorsus ab eo, qui eum patrem appellauit oratio, nihil omnino prius quam pro illius gloria supplicare, omnia vero reliqua secundo loco ducere. Sanctificetur quippe, est glorificetur. Qui quidem gloriam propriam maiestatis suæ plenam semper obtinet, & æqualem iugiter permanentem. Rogare autem orantem iubet, vt & per vitam nostram glorificetur, quod & superius profecto commemorauit, dicendo: Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Nam & seraphim glorificantia Deum hac voce resonant, Sanctus, sanctus, sanctus. Sanctificetur, hoc est glorificetur. Dignare, inquit, vitam munda conuersatione seruare, vt per nos cuncti te omnino glorificent. Quod rursus philosophiæ perfectæ est tam irreprehensibilem omnibus exhibere vitam, vt eam singuli quique mirantes, Dominum de seruorum sanctitate collaudent. Adueniat regnum tuum. Hoc quoque gratissimi omnino serui est, neque inhærere præsentibus, neque magnum aliquid ea, quæ videntur putare, sed ad patrem semper vrgeri, semperq. in futuram gestire, quod certe de optima oritur conscientia, & mente terrrenis omnino rebus exuta. Hoc igitur & Paulus per singulos desiderabat dies, propterea q. dicebat: Et ipsi primitias spiritus habẽtes, & ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectantes redemptionem corporis nostri. Qui enim isto amore succenditur, neque vitæ huius operibus inflatur, neq; humiliatur aduersis, sed tamquam in ipso iam cælo habitans, vtriusque huius inæqua- *Supra 5. Isa. 6.* *Rom. 8.*

litatis immunis est. Fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Vides ne optimã consequentiã? Nam cum desiderium imperauerit futurorum, atq; ad perfectionem illã nos iusserit semper vrgeri, quãdiu tamen illuc non pergimus, etiam hic degentes iubet conuersationẽ cum cæli habitatoribus habere communem. Nam desiderari quidem conuenit cælos, & ea quæ habẽtur in cælis, tamen & antequã supernã illa præstetur habitatio, cælũ quodãmodo fieri iussit e terra, vt scilicet tales sint etiam dũ in ea degunt, ita & omnia faciant & loquãtur, quasi qui prorsus cõuersentur in cælo. Deniq; pro hoc etiam esse domino deprecandũ. Nihil est etiã quod propter terrenarũ rerũ habitaculũ, ad supernarũ virtutũ perfectiones homines prohibeat peruenire; est quippe possibile vt in terrarum adhuc regione degentes, quasi iam in cælis habitent, ita cũcta perficiãt. Quod igitur dicit omnino etiã tale est, sicut ibi fiunt omnia libere, & non alia quidẽ audiunt angeli, alia vero contemnunt, sed voluntati cedunt diuinæ, & in omnibus obsequuntur. Potentes, in- Psal.102. quit, virtute, facientes verbũ eius. Sic etiã nos efficie dignos, qui nõ ex dimidio, sed prorsus ex integro ea, quæ in tua sunt volũtate, faciamus. Vidisti nempe quemadmodũ & humilitatẽ docuerit, ostendens quia perficere virtutem non nostri sit studij tãtumodo verumetiam gratia Dei. Et rursus cõem omnium curam vnũquẽq; orantium suscipere præcepit. Non enim dixit fiat in me vel in nobis voluntas tua. Sed prorsus vbiq; terrarũ, vt scilicet eradicetur error, & veritas inseratur, atq; vndiq; vitijs explosis, virtus reuertatur, inque illius cultu nihil prorsus terra distet à cælo. Si enim hoc, inquit, fuerit nihil, quãtum spectat ad meritũ, superna ab inferioribus discrepabunt, & si sit habitantiũ natura dissimilis, cũ scilicet alios nobis angelos terra demonstret. Panẽ nostrũ quotidianũ, da nobis hodie. Quoniã dixerat sic fiat voluntas tua in terra sicut seruatur in cælo, id autẽ loquebatur hominibus carnis fragilitate circundatis, ac necessitati naturæ interim subiectis, nec eandem habentes impassibilitatẽ, qua angeli perfruuntur, præcepta quidẽ Dei sic à nobis fieri iubet, vt etiam ab illis dicit impleri: condescendit vero etiam naturæ fragili, ac si diceret conuersationis quidem diligentiam eandem à vobis efflagito, non tamen impassibilitatem requiro. Neq; enim concedit istud fragilitas ipsa naturæ, quę necessario certe cibo indiget sustentari. Non propter diuitias, atq; delitias, non ob precios æ vestis ornatum, sed pro cibo duntaxat quotidiano iussit orari, & idcirco subiũxit, Panem nostrum quotidianum. Neque hoc tamen hoc fuit sermone contentus sed adhuc signantius addidit, Da nobis hodie, vt nequaquam illos vlterioris diei cura contereret. Cuius enim diei spacium vsuruni esse te nescis, quam ob causam illius solicitudine torquearis? Hoc etiam in consequentibus prolixius imperauit dicens, Nolite soliciti esse, inquit, in crastinum, volens etiam nos vndiq; accinctos esse, & quibusdã velut pẽnis fidei instructos semper ad cælestia subuolare, nec amplius indulgere naturæ, quàm à nobis ipsæ necessitatis vsus exposcit. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Ostendere volens quãtam in remittẽdis iniurijs, fratribus curam habeat ait: dimitte nobis &c. Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis pater vester cælestis peccata vestra, itaq; a nobis tota hæc res summit exordiũ, futurũq. de nobis in nostra est potestate iudiciũ. Nec.n. vel irrationabilis quispiã, aut in magno aliquo, aut in exiguo delicto de iudicio Dei conqueri possit, ipsum reum dñm illius fecit esse sententię. Quẽadmodum, inquit, tu tibi ipse iudicaueris, ita etiã tibi iudicabo. Si enim dimiseris cõseruo tuo, a me quoq; eandem gratiã consequeris, & certe nequaquã istud æquale est. Tu enim remittis cum certe quoque ipse remissione indigeas, Deus vero cũ nullius vnq̃ indigeat, ignoscit, tu cõseruo remittis, Deus seruo. Et tu quidem mille peccatorũ reus, Deus vero ab omni peccato prorsus extraneus; & tñ sic quoq; abũdantiã propriæ miserationis ostendit. Nam cũ certe possit absq; hoc quoq; tibi omnia peccata dimittere, vult tamen beneficium etiã pista conferre, mille tibi occasiones mansuetudinis suæ, ac pietatis ministrãs, dũmodo hoc quod in te est belluinum depellat, & ira, qua flagras extinguat, teq. vndiq. tuis mẽbris reiungat. Fac te iniuste aliqua perpessum, talia procul dubio sũt, quę etiã tibi a Deo poscis remitti, multoq. maiora. Sed ante ipsã quoq; veniã non exiguã donatus es gratia edoctus. l. humanam habere mentem, & oẽm mansuetudinem eruditus. Supra hæc vero merces tibi etiã in futuro ampla tribuetur, dũ nullius a te exigetur ratio peccati. Quo igitur digni supplicio sumus, cũ tali nobis a Deo potestate donata, ipsi salutis nostræ efficimur proditores? Et ne nos inducas in tentationẽ, sed libera nos a malo. Hic iam nostrę nos profecto humilitatis admonuit, vt. s. reprimeret indomitæ mentis tumorẽ. Docet.n. non quidẽ nos, recusare certamina, nec tñ inea audacius insilire, hoc.n. modo, & nostra incipiet clarior esse victoria, & diaboli infelicior pugna videbitur. Nã protractos si quidẽ in mediũ viriliter stare oportet ac fortiter, nõ prouocatos vero quiescere, & tẽpus expectare certaminis. Malũ vero hic diabolũ vocat, docens nos cũ eo habere prælių nullo vnq̃ fœdere dirimendum. Qui malus dicitur nõ natura, sed propter redũdantiã malignitatis. Et quia cũ nihil sit Ieſus a nobis inconciliabili aduersum nos certamine prælietur, & idcirco nõ dixit, libera nos a malis, sed a malo, nos videlicet erudiẽs nusquam aduersus proximos amarius cõmoueri ppter ea quæ ab illis patimur mala, sed ab istis in illum transferre inimicitias quasi in cũctorum causam & caput malorũ. Infra: Per singula hui' orationis verba cões facere preces iubet, dicẽs: ater nr̃ &c. Plurali vbiq. numero nos vti docẽs, vt proximis p cũcta placati, ne vestigiũ

quidē in nobis iracundiæ relinquamus. Quanto iã ergo inuenimur digni esse supplicio post hæc omnia, non modo non remittentes, verum etiam de inimicis à Deo vindictã rogantes, & velut ex diametro legem transgredientes? Et hoc cũ ille cuncta, & faciat, & dicat, ne ipsi mutuis aduersum nos seditionibus infremamus.

6 IDEM sic habet: Patrem se magis quàm Dominum voluit dici, vt nobis magnam fiduciam daret ad petendum, & spem largã ad impetrandum, quia serui non semper impetrant quod petunt. Nam frequenter serui non cõsiderãt quid ad vtilitatem Domini pertinet, sed ad suã: ideo non merentur semper audiri. Filij autem impetrant, quia ex bona cõscientia, quæ iusta sunt petunt, nec considerant magis quid ad vtilitatem suam pertinet, quàm ad patris, ideo semper merentur audiri. Et tu si filiũ Dei te credis, illa pete, quæ & tibi expediunt accipere, & illum decet præstare: si autẽ semper ab illo petas carnalia & terrena, aut difficile impetras, aut forte nec impetras. Quomodo tibi illa præstat libenter non habenti, quæ etsi habeas, vbique admonet te, vt cõtemnas? Pater noster. Noster dixit, non meus, libenter audit Deus, quando Christianus nõ solum pro se, sed pro altero orat. Pro se enim orare naturæ est, pro altero, gratiæ. Pro se orare necessitas rei cogit, pro altero autẽ charitas fraternitatis hortatur. Dulcior est autem ante Deum oratio, non quam necessitas rei transmittit, sed quam charitas fraternitatis cõmendat. Qui es in cælis, vult vt sciamus nos patrẽ habere cælestem, vt erubescamus nos terrenis rebus substernere, scientes nos patrem cælestẽ habere. Sicut enim degener filius ad opprobrium pertinet generosi patris, sic & Christianus iniustus ad blasphemiam pertinet Dei iusti. Nam sicut per bonos Christianos Deus glorificatur, sic per malos blasphematur. Sanctificetur nomen tuum. Quomodo sanctificatur ab homine, qui sanctificat homines? Aut quod sanctum est, vt quid sanctificatur? Sed in se quidem sanctum est, hoc autem quæritur, vt sanctificetur in nobis, id est, vt hos illum sanctificemus in nobis, vt cum nos illum sanctificauerimus in nobis, tunc ille nos sanctificet in se. Nam qui non sanctificat Deum, non sanctificatur a Deo. Sanctificamus autem Deum in nobis quãdo scientes eum sanctum timemus, & sollicite vigilamus, ne forte violemus sanctitatem nominis eius in nobis per opera nostra mala. Sicut qui præclara veste vestitus est, fugit omnem rem sordidam, ne forte coinquinet eam, & perdat candorem eius. Sic qui suscipit Deum in corde suo, sollicitus esse debet ne forte contaminet eum, sciens quia si contaminatus fuerit in nobis, ipse quidem in sua natura incontaminabilis manet, tamen contaminationis suæ iniuriã grauiter nostro vindicabit interitu. Adueniat regnum tuum. Regnum Dei dicitur retributio, vel tribulatio, quam accipiunt aut iusti pro mercede iustitiæ; aut peccatores pro culpa peccati. Regnum Dei dicuntur & sancti, sicut scriptum est: Et colligent zizania de regno eius, hoc est de populo Christiano. *Matt. 13.* Regnum Dei dicitur & iustitia, sicut scriptum est: Auferetur a vobis regnum Dei, & dabitur genti faciẽti fructũ eius. *Ibid. 21.* De omnibus vnus est intellectus. Aliud est regem esse, & aliud regnare. Ecce enim Deus naturaliter Rex est, sed non in omnibus regnat, nec omnes homines sunt regnum eius, quia nec faciunt omnes voluntatem ipsius. Nam in iniquis hominibus non Deus, sed diabolus regnat, cuius faciunt voluntatem. Vnde sapienter Apostolus ait: Aduersus mũdi rectores tenebrarum harũ. *Ephes. 6.* Non dixit aduersus rectores huius mundi tantummodo, sed addidit mundi tenebrarũ, quia non totius mundi sunt domini dæmones, sed tantummodo tenebrarum, quæ sunt in mundo. Tenebræ autẽ mundi dicuntur homines iniqui, sicut & sancti lux mũdi appellantur, sicut Apostolus ait: Fuistis aliquando *Ibid. 5.* tenebræ, nunc autem lux in Domino. Quia sicut per sanctos Deus ostenditur in hoc mũdo, sic per iniquos homines obscuratur. Et potestatem quidem habet Deus in hominibus, & perdere omnes si vult, sicut & illorum principẽ diabolum. Nam sicut diabolus cũ sit in potestate Dei, tamen quoniã quantum ad propositum suum non vult esse Dei, non est de regno Dei, sic & omnes peccatores quãuis sint in potestate Dei, tamen quia nolũt esse sub Deo, nõ sunt regnũ Dei. Nam vero iustum regnum est, quãdo & rex vult homines habere sub se, & cupiunt homines esse sub eo. Diabolus plane tyrannus est, quia & nolentes cõpellit facere voluntatem suã. Quid est ergo quod dicit? Quia interim duo sunt regna in mundo, Dei, & diaboli, id est, iusti & iniqui, & hoc quæritur vt tollatur de medio regnum diaboli, id est iniqui, & veniat tantummodo regnũ Dei, id est iusti, & ideo dicit, Tuum vnũ regnum adueniat, quia interim nõ omnes sunt Dei. Quod tunc fiet qũ 8 omnes iniqui cũ principe suo diabolo mittentur in stagnũ flãmeum inferorum. Sic intelligendũ est, & de iustitia, quia modo & iustitia, & iniquitas regnant, cũ aũt extincta fuerit iniquitas sublato diabolo, tũc iustitia sola regnabit. Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Numquid non facit Deus quod vult vbique? *Psal. 134.* Vtiq; omnia quæcũq, voluit fecit in cælo, & in terra, in mari, & in omnibus abyssis. Sed hoc quæritur, vt in nobis fiat voluntas Dei, id est, vt eã nos faciamus. Quandiu ergo regnũ mixtum est in terra, fit quidẽ voluntas Dei in hominibus, sed non sicut in cælo. In cælo enim omnes angeli nullius faciunt voluntatem, nisi Dei tãtummodo, in terris aũt non omnes faciũt Dei voluntatẽ, iniqui enim diaboli faciunt volũtatem. Cum ergo regnum diaboli, hoc est, iniqui sublati fuerint de hoc mundo, tunc omnes qui sunt super terrã solius Dei facient volũtatem, sicut angeli omnes in cælo. Communiter autem accipi debet quod ait, sicut in cælo, & in terra, id est, sanctificetur nomen tuum sicut in cælo, & in terra. Adueniat regnum tuum sicut

cut in cælo, & in terra. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Et vide quàm caute locutus sit. Non dixit, Pater sanctifica nomen tuũ in nobis, adduc regnum tuum super nos, fac voluntatem tuam in nobis, ne seipsum videatur Deus in hominibus sanctificare, aut regnũ suũ super quos vult adducere, aut voluntatem suã in quibus vult facere, & per hoc inueniatur Deus personarum acceptor. Nec iterũ dixit, sanctificemus nomen tuum, suscipiamus regnũ tuum, faciamus voluntatẽ tuam sicut in cælo, & in terra, ne hominum tãtummodo videatur esse, quod sanctificant Deũ, aut quod suscipitur regnum eius, aut quod faciunt voluntatẽ eius, sed medie dixit sanctificetur, adueniat, fiat, vt vtriusq; personæ opus necessarium demõstraret, quia & homo Deum necessarium habet, & 9 Deus hominem ad iustitiam faciendam. Nam sicut homo non potest facere bonum, nisi habuerit adiutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur in homine, nisi homo voluerit. Sicut nec terra sine semine, nec semen sine terra fructificat, sic nec homo sine Deo, nec Deus sine homine iustitiam operatur in homine. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Quod ita intelligendum est, quia non solum ideo oramus, panem nostrum da nobis, vt habeamus quod manducemus, sed vt quod manducamus de manu Dei accipiamus. Nam habere ad manducandum commune est inter iustos & peccatores, frequenter autem, & abundantius habent peccatores, quàm iusti. De manu autem Dei accipere panem, nõ est commune, sed tantum sanctorum. Præparare ergo panem non vetant hæc verba, tamen cum peccato præparare vetant. Nam qui cum iustitia præparat, illi Deus dat panem, quẽ manducat, qui autem cum peccato, illi non dat Deus, sed diabolus. Nam omnia quidem a Deo creantur, sed non omnia a Deo subministrantur. Addit autem quotidianum, vt tantum quis manducet, quantum ratio naturalis exigit, non quantum lasciuia carnis impellit. Si enim tu in vno conuiuio tantum expendas, quantum in pluribus sufficere poterat, verbi gratia hominibus centum moderate viuentibus, aut tibi ipsi centum diebus disciplinate viuenti, iam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierũ. Vel hoc dicere vult, vt de nullo simus in hoc mundo solliciti, nisi de solo simplici victu. Sic mandauit orare panem nostrum quotidianum, da nobis hodie, non quia illicitum iudicauit plus habere hominem Christianum, quam panem quotidianum, sed hoc docere vult, vt si possibile est, neque pane quotidiano plus habeat, quod possibile non est quantum ad possibilitatem humanam. Item quare nõ solum dixit, panẽ quo- 10 tidianum da nobis, sed addidit nostrũ panem? Propter duas rationes. Primum, quoniã omnia, quæ dat nobis Deus siue orãtibus, siue militantibus non nobis solis dat, sed etiam alijs per nos, vt de eo quod accepimus a Deo partẽ impotẽtibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis indigentibus non præstat, non potest dicere panem meum da mihi, nec enim panẽ suum tantummodo manducat, sed etiam alienum. Deinde qui de iustitia acquisitum panem manducat, suum panem manducat, qui autem cum peccato, alienum. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cum qua spe orat, qui inimicitiã seruat aduersus alterũ, a quo forsitan læsus est? Sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim remitto, & non remittit, sic a Deo petit indulgentiam, & illi non indulgetur. Si ergo qui læsus est sine causa orat Deum, nisi indulserit ei a quo læsus est, quomodo putas orat, qui non solum ab altero læsus non est, sed ipse per iniustitiã alios lædit, & grauat? Sed multi nolentes veniã dare peccantibus in se, fugiunt istam orationem orare. Stulti primum, quoniam, qui non sic orat, quemadmodum docuit Christus, nec est Christi discipulus. Secundo, quia nec pater libenter exaudit orationem, quam filius non dictauit. Cognoscit enim pater filij sui sensus, & verba nec suscipit, quæ vsurpatio humana excogitauit, sed quæ sapientia Christi exposuit. Ergo orationem quidem dicere potes, circun- 11
uenire autem, & fallere Deum non potes, nec accipis indulgentiam, nisi prius indulseris ipse. Et ne nos inducas in tentationem: Sed libera nos a malo. Quoniam magna, & magnifica supra mandauit hominibus, vt Deum patrem suum dicant, vt genus suum de cælo cognoscant, vt regnum Dei petant venire, vt nõ sint solliciti vnde pascantur, quæ omnia magnæ spei & iustitiæ signa sunt: ideo nunc additur humilitatis doctrina, vt dum dicunt: & ne nos inducas in tentationem, cognoscant se esse infirmos, & cõsideratio infirmitatis causam gloriationis extinguat. Duo ergo petimus, primum, vt non inducat nos in tentationem. secundo, vt si induxerit, liberet de periculo tẽtationis. Nam vere si secundum veritatem iustitiæ suæ examinaret homines Deus, nullus posset fieri saluus. Ideo autem difficile tentat, sciens infirmitatem nostram. Aut si tentat, nõ tamdiu tentat, quamdiu nos vincamus tentationem, sed quãdiu vincere nos velle ostendimus, id est non virtutem nostram tentat, sed voluntatem, Apostolo nos confortante, & dicente: Tentatio vos non apprehendat nisi humana. *1. Cor. 10.* Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis sustinere. Volens enim glorificare hominem, tẽtat eum, non vt cum magno iudicio glorificet, sed vt ne sine causa glorificet.

12 IDEM dicit: Pater noster, qui es in cælis. *Hom. 9. ex varijs in Matth.* Magna dignatio patris, magna dignatio creatoris, vt creaturã captiuatam peccatis faceret liberam, ille qui ascendens in altũ captiuã duxit captiuitatẽ, dedit dona hominibus. Ergo patrem nostrum dicimus Deũ. Non quærit iste *Ephes. 4.* pater proprie se vni dare, & alij se negare, sed quomodo dicimus nostrũ, sic & nos debemus effici ipsius. Quia ergo pater & mater carnis huius creauerunt nos, ille veniens dignatus est

regenerare nos. Ergo patrem Deum habemus, ad honestatem patris ambulate, in volũtate eius proficite, vt eius promissionem accipiatis. Indignum est enim, vt si aliquis sit adulter, bilinguis, inordinatus, subdolus, male agẽs tepidus in religione, sine studio viuens, dignus sit dici filius, aut ille audeat dicere, pater. Ergo habete charitatem Dei vt sit in vobis con & anima vna, vt digne dicatis ei, pater noster. Et videte vbi vocatis patrem, vtique in cælo. Ideo clamamus in conspectu sacrificij, sursum corda. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedẽs, vt cum fiducia dicatis: Pater noster qui es in cælis. Sanctificetur nomen tuum. Quę est ista sanctificatio Dei, nisi vt sanctis moribus viuentes in nobis Deus sanctificetur? Nã quicumque corde puro & pacifico cum omnibus hominibus vixit, loquitur veritatem in corde suo, & dolose non agit sub lingua sua, in hoc videntes homines bona opera clarificant patrem, qui in cælis est. Dixit ipse Dominus noster, sancti estote, quia ego sanctus sum. Quid est sancti estote, nisi præcepta mea implete voluntatem meam facite, in vijs meis ambulate? Cum ista feceritis sanctificatur pater vester. Adueniat regnum tuum: necessaria postulatio quando fragilitatem carnis nostræ
13 regit rector, & creator noster. Aduenit regnũ eius, sed in nobis non ad iudicium, sed ad redemptionem. Nam quæ conscientia est, quæ sit
Psal. 140. præparata ad regnum illud iudicij? Et quare dicebatur non intres in iudicium cum seruo tuo, quoniam non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens? Ergo quomodo intelligimus adueniat regnum tuum? Adueniat, idest, in me veniat, vt & ego efficiar Rex regens limum carnis meæ, terram meam, quæ fuit maledicta, spinis & tribulis plena. Ideo dictum est, & nunc reges intelligite erudimini, qui iudicatis terram. Qui iudicat terram carnis suæ
Psal. 2. Rex est carnis suæ. Sed non potest homo rege-
Galat. 5. re carnem suam, nisi rectus fuerit a rectore suo. Nam quandiu concupiscit spiritus aduersus carnem, caro aduersus spiritum, quia hæc duo sibi inuicem aduersantur, vt non ea quæ volumus faciamus, non dum venit regnũ Dei in nobis. Sed quando subdita est caro spiritui, aduenit regnũ Dei in nobis. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Quæ est voluntas eius nisi obedientia, charitas, humilitas, mansuetudo, benignitas, castitas? Hæ virtutes ex volũtate Dei descendunt. Quid est fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra? In anima mea & in carne mea, in cælo mentis meæ fiat voluntas tua, in carne corporis mei impleatur voluntas tua. Est & alius sensus, fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, sicuti Angelis tuis quos fecisti in spiritu, ita dona nobis spiritualiter viuere, quomodo Angeli, qui carnem non habent, vt fiat voluntas tua sicut in cælo & in terra. Panem nostrum quotidianũ da nobis hodie. Magnus iste panis, qui replet mentem, & non ventrem: Iste panis, & noster est, & Angelorum, iste panis manducatur. Sed non finitur, iste panis totum mundum replet, & integer manet. De ipso comedimus, inde viuimus, de ipso pascimur, inde nutrimur, indè peruenimus. Et tamen quotidie illum quærimus, ne deficiat fides nostra, ne vires animæ nostræ in ista arca & angusta via fatigatæ non peruenient ad patriam. Ergo Domine pa- 14
sce nos quotidiè pane cęlesti, verbo tuo sancto, quod carnem fieri voluisti, vt habitaret in nobis. Ergo Domine da nobis istum panem quo-
1.Cor.23. tidianum. Nam primum mater Ecclesia ex vberibus doctrinæ suæ lacte potat dicens: Lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Accipe lac, vt peruenias ad panem. Ergo panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Hodie Dei intelligitur, hodie Dei noctem non habet, hodie Dei lux lucis est & fons luminis. Ergo Domine illumina corda nostra, vt mereamur quotidianum panem. Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Quæ sunt debita? Quid debemus Deo, nisi imaginem & similitudinẽ nostram seruare illesam. Quid debemus Deo? honore mutuo præuenire. sunt alia debita quæ debemus Deo. Peccauimus illi grauiter, iniuste egimus iniquitatem fecimus. Aut quis gloriatur castum se habere cor, aut
Prou. 20. mundum se esse a peccatis? Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &
1.Ioan.1. veritas in nobis non est. Ergo ista sunt debita, quia non est sine peccato nec infans vnius diei natus super terram. Nam quomodo potest mundus esse de immundo conceptus semine? quia in iniquitatibus concepti sumus & in vtero in delictis alimur. De ipsis debitis clamamus. Dimitte nobis debita nostra, & profitemur professionem periculosam, vt dicamus Deo sicut, & nos dimittimus debitoribus nostris. Ergo dimittis peccata peccanti in te, discute conscientiam tuam, & si diligendo dimisisti vera erit confessio tua. Nam considera alibi quid dicit: Homo homini seruat iram, &
Eccli. 28. a Deo quærit medelam? Si vis ergo vt dimittantur tibi a Deo quę commisisti, dimitte peccanti in te, ne si non dimiseris dicatur tibi: seruę nequam omne debitum dimisi tibi, quo-
Matt. 18. niam rogasti me, nonne ergo & te oportuit miserere conserui tui sicut, & ego tui misertus sum? Et eris non dimittendo seruus inutilis, & particeps pœnæ perpetuæ. Dimittite ergo
Mar. 11. de cordibus vestris fratribus, vt dimittat vobis pater vester, qui est in cælis. Et ne patiaris induci nos in tentationem, sed libera nos a malo. Quæ est ista tentatio nisi illa de qua
1.Cor.10. rogat Apostolus, fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet tentationem etiam cum exitu, vt possitis sustinere? Tentatio grandis est fratres impatiẽtem patientia vincere, non vinci a malo, sed vincere in bono malum, cibare inimicum, necessaria ei subministrare, orare pro illo magna tentatio est, magna exagitatio est. Et quia viribus

ribus proprijs nemo potest ista implere, dicamus adiutori nostro, libera nos à malo.

15 HIERONYMVS inquit: Sanctificetur
Lib.1.in ca.6.in Matth. nomen tuum, non in se, sed in nobis. Si enim
tom.6. propter peccatores nomen Dei blasphematur in gẽtibus, e contrario propter iustos sanctificatur. Adueniat regnum tuum. Vel generaliter pro totius mundi petit regno, vt diabolus in mundo regnare desistat, vel vt in vno quoque regnet Deus, & non regnet peccatum in mortali hominum corpore. Simulq. & hoc attendendum, quòd grandis audaciæ sit & puræ conscientiæ, regnum Dei postulare, & iudiciũ non timere. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Vt quomodo Angeli tibi inculpatę seruiunt in cælis, ita in terra seruiãt homines. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Symmachus præcipuum, vel egregium panem transtulit, licet in quodam loco peculiarẽ interpretatus sit. Quando ergo petimus, vt peculiarem, vel præcipuum nobis Deus tribuat
Ioan. 6. panem, illum petimus, qui dicit: Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Alij simpliciter putant (secundum Apostoli sermonem di-
1.Tim.6. centis: Habentes victum, & quibus tegamur his contenti sumus) de præsenti tantum cibo sanctos curam agere. Vnde & in posterioribus sit præceptum, nolite cogitare de crastino.

16 AVGVSTINVS ex doctrina Cypriani
In epi.107. ad Vitalem Carthagin. explicat verba illa orationis Dominicæ. Fiat tom.2. voluntas tua sicut in cælo, & in terra, dicens: Hoc orate, vt fiat voluntas Dei sicut in eis, qui iam fideles sunt, & portant imaginem cælestis hominis, & propterea cæli nomine digni sunt, ita & in eis, qui per infidelitatem non nisi imaginem terreni hominis portant, & ob hoc terra merito nuncupantur, vt infidelibus poscamus fidem, quam fideles habent.

17 IDEM dicit: Verba in oratione nobis ne-
In epist.121. ad probã de oratõ Deũ. cessaria sunt quibus commoueamur, & inspiciamus, quid petamus. Cum ergo dicimus Sanctificetur nomen tuum nos ipsos admonemus desiderare, vt nomen eius, quod semper sanctum est, etiam apud homines sanctum habeatur, hoc est, non contemnatur, quod non Deo, sed hominibus prodest. Et in eo quod dicimus, adueniat regnum tuum, quod seu velimus, seu nolimus vtique veniet, desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, vt nobis veniat, atque nos in eo regnare mereamur. Cum dicimus, fiat volũtas tua sicut in cælo, & in terra, nobis ab illo precamur ipsam obediẽtiam, vt sic a nobis fiat voluntas eius, quemadmodum fit in cælestibus ab Angelis eius. Cum dicimus, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, per hoc quod dicimus hodie, significatur hoc tempore vbi vel illam sufficientiam petimus a patre, quæ excellit idest nomine panis totam significantes, vel sacramentum fidelium, quod in hoc tempore necessarium est ad æternam fœlicitatem consequendam. Cum dicimus, dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, admonemur, & quid petamus, & quid faciamus, vt accipere mereamur. Cum dicimus ne nos inferas in tentationem, nos admonemus hoc petere ne deserti eius adiutorio alicui tentationi, vel cõsentiamus decepti, vel cedamus afflicti. Cum 18
dicimus, libera nos a malo, admonemur cogitare nondum nos esse in eo bono vbi nullũ patiemur malũ. Qui dicit: Clarificare in omni-
Eccli. 36. bus gẽtibus sicut clarificatus es in nobis, quid aliud dicit: quàm sanctificetur nomen tuum? Qui dicit: Deus virtutum conuerte nos, ostẽ-
Psal.79. de faciem tuam, & salui erimus, quid aliud di-
Psal.118. cit, quàm veniat regnum tuum. Qui dicit, gressus meos dirige secundum verbum tuum, vt non dominetur mei omnis iniustitia, quid aliud dicit, quàm fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra? Qui dicit, paupertatem, & di-
Prou. 30. uitias ne dederis mihi, quid aliud dicit, quàm panem nostrum quotidianum da nobis hodie? Qui dicit, memento Domine Dauid, & omnis
Psal.131. mansuetudinis eius, aut Domine si feci istud si
Psal.7. est iniquitas in manibus meis, si reddidi retribuentibus mihi mala, quid aliud dicit, quàm dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris? Qui dicit, aufer a me concupiscentias ventris, & desiderium cõcubitus ne apprehendat me, quid aliud dicit, quàm ne nos inferas in tentationem? Qui di-
Eccli. 23. cit, erue me de inimicis meis Deus meus, & ab insurgentibus in me libera me, quid aliud di-
Psal.58. cit, quam libera nos a malo? Et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quãtum existimo nihil inuenies, quod non ista dominica contineat, & concludat oratio.

19 IDEM explicans orationem dominicam
Lib.2.de sermone Dñi in mõte. to.4. sic habet: Cum in omni deprecatione beneuolentia concilianda sit, eius quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur, laude illius ad quem oratio dirigitur. Solet beneuolentia conciliari, & hoc in orationis principio poni solet, in quo Dominus noster nihil aliud nos dicere iussit, nisi, pater noster, qui es in cęlis. Multa dicta sunt in laudem Dei, quæ per omnes sanctas scripturas varie latęq. diffusa poterit quisque considerare, cum legit, nusquã tamen inuenitur preceptum populo Israel, vt diceret, pater noster, aut oraret patrem Deũ, sed Dominus eis insinuatus est tanquam seruientibus, idest, secundum carnem adhuc viuẽtibus. Hoc autem dico cum mandata legis acciperent: nam prophetæ sæpe ostendunt eundem Dominum etiam patrem eorundem esse potuisse, si ab eius mandatis non aberrarent, sicut est illud: filios enutriui, & exaltaui. Infra: Cum dicit: Pater noster quid aliud quàm charitas excitatur, quid enim charius filijs debet esse quàm pater? Et suplex affectus, cum homines dicunt Deo, pater noster, & quædam impetrandi pręsumptio, quæ petituri sumus, cum prius quàm aliquid peteremus, tam magnum donum accipimus, vt sinamur dicere, pater noster Deo. Quid enim iam non det filijs petentibus, cum hoc ipsum ante dederit, vt filij essent? Postremo quanta cura animum tangit, vt qui dicit, Pater noster, tanto patre non sit indignus.

20 indignus. Si enim quisquam plebeius senatorem ab eo ipso patrem vocare permittatur, sine dubio trepidabit, nec facile audebit cogitãs humilitatem generis sui, & opum indigẽtiam, & plebeiæ personæ vilitatem. Quanto ergo magis trepidandum est appellare patrem Deũ si tantæ sunt labes, tantæq. sordes in moribus, vt multo iustius eas a sua coniunctione Deus expellat, quàm ille senator cuiusuis mendici egestatem, quandoquidem ille hoc contemnit in medico, quò & ipse potest humanarum rerum fragilitate deuenire, Deus autẽ in sordidos mores numquam cadit, & gratias misericordiæ ipsius, qui hoc a nobis exigit, & vt pater noster sit, quod nullo sumptu, sed sola bona voluntate comparari potest. Admonentur etiam hic diuites, vel genere nobiles secundum sæculum, cum Christiani facti fuerint, non superbire aduersus pauperes, & ignobiles: quoniam simul dicunt Deo, Pater noster, quod non possunt vere ac pie dicere nisi se fratres esse cognoscant. Vtatur ergo voce noui testamenti populus nouus ad æternam hereditatem vocatus, & dicat, Pater noster qui es in cælis, ideſt, in sanctis & iustis. Quia quemadmodum terra
Gen. 3. vocatus est peccator, cum ei dictum est: terra es & in terram ibis, sic cælum iustus e contrario dici potest. Iustis enim dicitur: Templum
2. Cor. 3. Dei sanctum est, quod estis vos. Qua propter si in templo suo habitat Deus, & sancti tẽplum eius sunt, recte dicitur, qui in cælis es, qui es in sanctis. Et accomodatissime ista similitudo est, vt spiritaliter tantum intereſſe videatur inter iustos, & peccatores, quantum corporaliter inter cælum, & terram. Infra; Iam videamus, quæ sint petenda. Sanctificetur nomen tuum. Quod non sic petitur quasi non sit sanctum nomen Dei, sed vt santum habeatur ab hominibus, ideſt, ita illis innotescat Deus, nõ existimet aliquid sanctius, quod magis offendere timeant. Neque enim quia dictum est,
21 notus in iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius: sic intelligendum est, quasi alibi minor sit Deus alibi maior, sed ibi magnum est nomen eius, vbi pro suæ maiestatis magnitudine nominatur. Ita ibi dicitur: Sanctum nomen eius, vbi cum veneratione & offensionis timore nominatur. Adueniat regnum tuum. Sicut ipse Dominus in Euangelio docet, tunc futurum esse iudicij diem, cum Euangelium prædicatum fuerit in omnibus gentibus, quæ res pertinet ad sanctificationem nominis Dei. Nõ enim, & hic ita dictum est, adueniat regnum tuum, quasi nunc Deus non regnet. Sed forte quis dicat, adueniat dictum esse in terram, quasi verò non ipse etiam nunc regnet in terra, & semper regnauerit à constitutione mundi. Adueniat ergo accipiendum est, manifestetur hominibus. Quemadmodũ enim etiã præsens lux absens est cæcis, & eis, qui oculos claudunt: ita regnũ Dei, quamuis nũquã discedat e terris, tamẽ absens est ignorantibus. Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra. Ideſt, sicut est in Angelis, qui sunt in cęlis voluntas tua (vt omnino tibi adhæreant, teq. fruãtur nullo errore obnibilãte sapiẽtiã eorum, nulla miseria impediente beatitudinẽ eorum) ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt & de terra. Ad hæc respicit etiã illa Angelorum prædicatio, Gloria in excelsis Deo & in terra pax hominibus bonæ voluntatis, vt cum præcesserit bona voluntas nostra, quæ vocantem sequitur, perficiatur in nobis voluntas Dei, sicut est in cælestibus Angelis, vt nulla aduersitas resistat nostræ beatitudini, quod est pax. Item fiat voluntas tua, recte intelligitur obediatur præceptis tuis sicut in cælo, & in terra: Ideſt, sicut ab Angelis ita ab hominibus. Qui enim faciũt, voluntatem Dei in ipsis fit voluntas Dei,
22 non quia ipsi faciunt, vt vult Deus, sed quia faciunt, quod ille vult, ideſt, secundum voluntatem eius. Est etiam ille intellectus, fiat voluntas tua: Sicut in cælo, & in terra, sicut in sanctis, & iustis, ita & in peccatoribus: quod adhuc duobus modis intelligi potest, primus vt oremus, faciant voluntatem tuam sicut iusti: ita etiam, & peccatores, vt ad te conuertantur. Siue ita fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra, vt sua cuique tribuantur, quod fit in extremo iudicio, vt iustis premium, peccatoribus damnatio tribuatur, cum agni ab hædis separabuntur. Ille etiam non absurdus, sed conuenientissimus intellectus est, vt cælum, & terram accipiamus spiritum & carnem. Et quod dicit Apostolus: mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati, videamus factam voluntatẽ Dei in mente, ideſt in spiritu. Cum autem absorpta fuerit mors in victoriam, & mortalem hoc induerit immortalitatem, quod fiet carnis resurrectione; tunc fiet voluntas Dei sicut in cælo, & in terra. Ideſt, vt quemadmodum spiritus non resistit Deo sequens, & faciens voluntatem eius, ita & corpus non resistat spiritui, vel animæ, quæ nunc corporis infirmitate vexatur, & in carnalem consuetudinem prona est. Quod erit summæ pacis in vita æterna, vt non solum velle adiaceat nobis, sed etiam perficere bonũ, nunc enim velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, quia nondũ in terra, sicut in cælo, ideſt, nondum in carne, sicut in
23 spiritu facta est voluntas Dei. Orandum ergo est, vt fiat volũtas Dei sicut in cælo, & in terra, ideſt, quemadmodum corde delectamur lege secundum interiorem hominem, ita etiam corporis immutatione facta huic nostræ delectationi nulla pars nostra terrenis doloribus seu voluptatibus aduersetur. Nec illud a veritate abhorret, vt accipiamus: fiat voluntas tua sicut incælo, & in terra, sicut in ipso Domino Iesu Christo, ita & in Ecclesia, tanquam in viro, qui patris voluntatem impleuit, ita & in fœmina, quæ illi desponsata est, cælum enim & terra conuenienter intelligitur, quasi vir, & fœmina, quoniam terra cælo fœcundante fructifera est. Quarta petitio panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Panis quotidianus, aut pro

ijs

ijs omnibus dictus est, quæ huius vitæ necessitatem sustentant, de quo cum præcipit, ait: Nolite cogitare de crastino, vt ideo sit additum; Da nobis hodie, aut pro sacramento corporis Christi, quod quotidie accipimus, aut pro spiritali cibo, de quo scriptum est, operamini non cibum, qui perit. Sed pro cibo oran-
Matt. 6. dum non videtur, cum Dominus dicat: Nolite solliciti esse quod manducetis. An potest quisque de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus? Et illud quod ait: Quærite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. Quomodo autem recte dicatur non quærere aliquis quod, vt accipiat, intentissime Deum deprecatur? Quotidianum ergo panem accipimus spirituale præcepta scilicet diuina, quę quotidie oportet meIam. 6. ditari, & operari. Nam de ipsis Dominus dicit: Operamini escam, quę non corrumpitur. Quotidianus autem iste cibus nunc dicitur, quam-
24 diu ista vita temporalis per dies decedentes, succedentesq. peragitur. Et revera quamdiu nunc in superiora nunc inferiora, id est, nunc in spiritalia, nunc in carnalia animi affectus alternant, tanquam qui vi aliquando pascitur cibo, aliquando famem patitur, quotidie panis necessarius est, quo reficiatur esuriens, & relabens erigatur. Sicut itaque corpus nostrum in hac vita ante illam scilicet immutationem vitæ futuræ cibo reficitur, quia sentit dispendiũ, sic & animus, quoniam temporalibus affectibus, quasi dispendium ab intentione Dei patitur, præceptorum cibo reficiatur. Da nobis hodie, dictum est, quamdiu dicitur hodie, id est, in hac temporali vita. Sic enim cibo spiritali post hanc vitam saturabimur in æternum, vt non tunc dicatur quotidianus panis, quia ibi temporalis volubilitas, quæ diebus dies succedere facit, vnde appelletur quotidie, nulla erit. Si quis autem etiam illa, quæ de victu corporis necessario, vel sacramento Domini corporis istam sententiam vult accipere, oportet vt cõiunctim accipiantur omnia tua, vt scilicet quotidianum panem quotidie petamus, & necessarium corpori, & sacramentum visibile, & inuisibile verbi Dei. Sequitur quinta petitio: Et dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Debitum peccatum dicitur, & debitores peccatores. Non hic ergo quisque vrgetur pecuniam dimittere debitoribus, sed quæcumque in eum alius peccauerit, dimittenda sunt, si volumus nobis a patre dimitti quæ admittimus. Sexta petitio: Et ne
25 nos inducas in tentationem, vel inferas. Non per se ipsum inducit Deus in tentationem, sed induci patitur eum, quem suo auxilio deseruerit ordine occultissimo ac meritis, causis etiã sæpe manifestis dignum iudicat ille, quem deserat, & in tentationem induci sinat. Aliud est autem induci in tentationem, & aliud tentari: Eccli. 34. Iacob. 4. nam sine tẽtatione probatus esse nullus potest, siue sibiipsi, sicut scriptum est: Qui non est tentatus qualia scit? siue alij, sicut Apostolus ait: Et tentationem vestrã in carne mea non spre-

uistis. Hinc enim eos firmos cognouit, quia eius tribulationibus quę Apostolo in carne acciderant, nõ sunt a charitate deflexi, nam Deo noti sumus, & ante omnes tentationes, qui scit omnia antequam fiant. Quod itaque scriptum est: Tentat vos Dominus, vt sciat, si diligatis Deut. 13. eum, sciat dicit, id est, scire vos faciat, sicut diẽ lætum dicimus, quod lætos faciat, & pigrum frigus, quod pigros faciat. Non ergo hic oratur, vt non tentemur, sed vt non inferamur in tentationem, tanquam si quisquam cui necesse sit igne exanimari, non oret, vt igne non contingatur, sed vt non exuratur. Vasa enim figu- Eccli. 27. li probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Ioseph tẽtatus est illecebra stupri, sed non est illatus in tentationem. Susanna tẽtata est, sed non inducta in tentationem. Iob similiter, & alij viri vtriusque testamenti. Inducimur in tentationem, si tales acciderint, quales ferre non possumus. Vltima petitio est: Sed libera nos a malo. Orandum est enim, vt non solum non inducamur in malum, quo caremus, quod sexto loco petitur, sed ab illo etiam liberemur, quo iam inducti sumus. Quod Domino reuelante, fugiendum esse intellexerimus, cautissima vigilantia fugiamus, & id, quod Domino reuelante appetendum esse intellexerimus, flagrantissima charitate faciamus. Ita enim relicto mortalitatis huius onere, & omni homi
nis parte opportuno tempore perficietur beatitudo, quæ in hac vita inchoata est, sed perfecte liberari a malo in ea non possumus, sed in futura. Harum septem petitionum consideranda, & commendanda distinctio est. Trium primarum petitionum impetrationes in hac vita exordium capiunt, Nam & sanctificatio nomi- 26
nis Dei ab ipso humilitatatis Domini aduentu agi cepit, & aduentus regni eius, quo in charitate venturus est, non iam finito sæculo, sed in fine sæculi manifestabitur, & perfectio voluntatis eius, sicut in cælo, & in terra, siue iustos, & peccatores cælum, & terram intelligas, siue spiritum & carnem, siue Dominum & Ecclesiam, siue omnia simul, ipsa perfectio est nostræ beatitudinis, & ideo sæculi terminatione complebitur, tamen omnia tria in æternũ manebunt, nam & sanctificatio nominis Dei sempiterna erit, & regni eius non est finis, & perfectæ nostræ beatitudini æterna vita promittitur. Permanebunt ergo ista tria consummata, atque cumulata in illa vita, quæ nobis promittitur. Reliqua vero quatuor quæ petimus, ad temporalem istam vitam pertinere mihi videtur. Quorum primum est, panem nostrum quotidianum da nobis hodie. In hoc enim quòd dictus est quotidianus panis, siue spiritalis significetur, siue in sacramento, aut in victu iste visibilis, ad hoc tempus pertinet; non quia spiritalis cibus nõ est sempiternus, sed quia iste qui quotidianus dictus est, sine in strepitu sermonis, siue quibusque temporalibus signis exhibetur animæ, quæ omnia vtique non erunt docibiles Dei, & ipsam ineffabilem lucem veritatis puritate mentis haurientes. Nam fortasse

& pro-

& propterea panis dictus est, non potus, quia panis frangendo, atque mandendo in alimentum conuertitur, potus vero paratus, sicuti est transit in corpus. Vt isto tempore panis sit veritas cum quotidianus panis dicitur, tunc autem potus cum nullo labore disputandi, ac fermocinandi, quasi frangendi, atque mandendi opus erit, sed solo haustu synceræ, & perspicuæ veritatis. Et peccata nunc nobis dimittuntur, & nunc dimittimus, tunc autem nulla erit venia peccatorum, quia peccata, & tentationes temporalem istam vitam infestabit. Et malum a quo liberari optamus, & ipsa liberatio a malo, ad hanc vtique vitam pertinet, vnde & misericordia liberabimur.

27 Libro 2. de peccatorum meritis, & remissione contra Pelagianos. to 7.

IDEM ait: Dominus orare nos docens, inter cetera monuit, vt dicamus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, & ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. Manet enim malum in carne nostra, non natura in qua diuinitus creatus est homo, sed vitio quo voluntate prolapsus est, vbi amissis viribus non ea, qua vulneratus est voluntatis facilitate sanatur. De hoc malo dicit Apostolus: Scio quoniam non habitat in carne mea bonum. Cui malo nos non obedire præcipit, cum dicit: Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desiderijs eius. Si ergo his desiderijs concupiscentiæ carnis consenserimus, ad hæc sananda dicimus: dimitte nobis debita nostra, adhibentes remedium ex opere misericordiæ in eo quod addimus: sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Vt autem non ei consentiamus deprecamur adiutorium dicentes, & ne nos inferas in tentationem. Non quòd ipse Deus tali tentatione aliquem tentet, nam Deus intentator malorum est, ipse enim neminem tentat, sed vt si forte tentari ce perimus a cõcupiscentia nostra, adiutorio eius non deseramur, vt in eo possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Deinde addimus, quod perficietur in fine, cum absorbebitur mortale a vita, sed libera nos a malo. Tunc enim nulla erit talis concupiscentia, cum qua certare, & cui non consentire iubeamur. Si ergo totum hoc in tribus beneficijs positum breuiter peti potest. Ignosce nobis ea in quibus sumus abstracti a concupiscentia, adiuua ne abstrahamur a concupiscentia, aufer a nobis concupiscentiam.

Rom. 7. *Rom. 6.* *Iaco. 1.*

28 Lib. 4. contra duas epistolas Pelagianorũ ad Bonifacium

IDEM inquit; Sanctificetur nomen tuum, Cyprianus sic explicat, nõ quod optemus Deo, vt sanctificetur orationibus nostris, sed id petimus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cepimus, perseueremus. Addimus quoque, inquit, & dicimus, fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra, nõ vt Deus faciat quod vult, sed vt nos facere possimus, quod Deus vult, nam Deo quis obstitit quo minus faciat quod vult? Sed quia nobis a diabolo obsistitur quo minus per omnia noster animus, atq; actus Deo obsequatur, oramus, vt fiat in nobis voluntas Dei. Quæ vt fiat in nobis, opus est Dei voluntate, id est, ope eius, & protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei indulgentia, & misericordia tutus est. Infra: Ex eodem panem nostrum quot dianum da nobis hodie. Hunc panem, inquit, dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & Eucharistiam quotidie ad cibum salutis accipimus, intercedente aliquo graviore delicto, dũ absentes, & non communicantes a cælesti pane prohibemur, a Christi corpore separemur.

29 In Ps. 103. to. 8.

IDEM explicans verba illa; Benedic anima mea Domino, &c. dicit: Oratio dominica quotidie nos postulat, vt dicamus: Sanctificetur nomen tuum. Si nos quisquam interroget: Quid est quod petitis, vt sanctificetur nomen Dei, aliquando enim sanctum non est, vt modo sanctificetur? Quid est ergo, sanctificetur nomen tuum? Quod hic dictũ est: Domine Deus meus magnificatus es vehementer, hoc est, sanctificetur nomen tuum, sanctum sit apud homines nomen tuum. Sanctum est enim semper nomen tuum, sed quibusdam immundis nondum est sanctum nomen tuum. Dicit enim Apostolus: Omnia munda mundis, immundis autem, & infidelibus, nihil est mundum. Si immundis, & infidelibus nihil est mundũ, quæro causam? Sed quibusdam immundis nondum est causa, sed polluta sunt, inquit, eorum & mens, & conscientia. Si nihil est mundum eis, nec Deus: nisi forte putatis mundum videri Deum illis, qui quotidie blasphemant eum. Si mundus est, placeat, si placet, laudetur. Si autem blasphematur, displicet, & si displicet, quomodo potest tibi mundus esse qui displicet? Rogamus ergo, sanctificetur nomen tuum in illis hominibus, qui per infidelitatem nondum habent nomen Dei sanctum, quibus nondum est ille sanctus, qui per se, & in se, & in sanctis suis sanctus est.

Tit. 1.

30 Lib. 50. Homiliarũ. Homil. 42. to. 10.

IDEM explicans orationem dominicam in illa verba; Adueniat regnum tuũ, ait: Optamus & venire regnum eius, veniet etsi nolimus. Sed optare, & rogare, vt veniat regnum eius, nihil aliud est, quàm optare, vt dignos nos faciat regno suo, ne forte, quod absit, veniat, & non nobis veniat. Eis tantum venturum est, quibus dicitur: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Illis non veniet, quibus dicitur: Discedite maledicti in ignem æternum. Quid est, vt regnum nobis veniat? vt bonos nos inueniat. Infra: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: nominato pane, cetera necessaria intelliguntur. Quando inuitauit Ioseph fratres suos: homines, inquit, illi hodie mecum manducabunt panem. A solo pane intellecta sunt cetera. Sic quando rogamus panem quotidianum, quicquid nobis propter carnem nostram in terris necessarium est, postulamus.

Matt. 25. *Gen. 43.*

Homil. 182. de tempore

IDEM in Homilia 182. de tempore exponit rursus orationem Dominicam.

31 Serm. 6. in feria 4. Cinerum.

BERNARDVS explicans orationẽ dominicam, inquit: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Hoc precamur, vt voluntas Dei, sicut in cælestibus facta est creaturis, fiat etiam in terrenis, vt sicut Angelus sic & homo adhærens, Deo vnus cum eo spiritus sit. Sanctificetur nomen tuum. Nomen eius, gloria eius. Et illa quando non sancta? Fieri tamen dicitur sancta gloria eius, cum in sanctitate glorificatur à nobis, sicut & voluntatem eius, quæ æterna est, in nobis (vt nostra fiat) fieri postulamus. Hoc ergo primum fieri petimus, quod maximũ est, vt nobis gloriæ illius innotescat, sanctitas illibata. Exinde quod ad nos spectat optamus, & regni potestatem propter securitatem, & voluntatis eius in nobis perfectionem propter iucunditatem. Sed quia nec dum illa perfectione gaudentes, non sine magno labore diuinæ possumus obtemperare voluntati, opus est cibo ne deficiamus; opus est inquam pane quotidiano. Sæpe autem derelinquentes eam, necessario pro indulgẽtia supplicamus dicentes: dimitte nobis debita nostra &c. At ne forte in eadem recidamus post acceptam veniam peccatorum orandus a nobis Deus est, ne inducat nos in tentationem, sed magis educat nos, & liberet a malo.

32 Serm. de obedientia, petitia, & sapientia.

IDEM dicit: Velint nolint non modo homines, sed etiam dæmones, & faciunt, & patiuntur, quod prouidentia summa disposuit. Et ideo non simpliciter petimus, vt fiat voluntas Domini, quam in omnibus, & per omnia fieri certissime constat; voluntati enim eius, quis resistit? Sed vt fiat, sicut in cælo & in terra. Quam nimirum adiectionem duabus quoque præcedentibus petitionibus nihilominus reor aptandam, vt patrem nostrum, qui in cælis est exoremus quatenus, & nomen eius, sanctificetur, & regnum eius adueniat, & voluntas fiat. Hæc omnia, sicut in cælo, sic & in terra, alioquin vbi non sanctificetur nomen eius? Vbi iam regnum eius non venit, quando in nomine Iesu omne genu flectitur? Scio te quia sis sanctus Dei dicit ipse malignus. At longe aliter, & dissimili prorsus affectione nomen istud sanctificatur in cælis, vbi iam inenarrabili iucunditate clamatur. Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus sabaoth. Sic & regnat, non in terra solum, verumetiam in gehenna imperium habens vitæ, & mortis. Sed omnino dissimiliter regnat in his, qui inuiti seruiunt, & qui voluntarie famulantur.

Orationes iustorum in eorum bonum aliquando non exaudit Dominus, bene tamen peccatorum in eorum malum, & quare orationes omnes non exaudiantur.

Cap. IX.

1 Lib. 9. in ep. ad Romanos. in 7.

ORIGENES explicãs verba illa; Nam quid oremus sicut oportet nescim⁹ ait: quid orare, quid à Deo petere oporteat ignoramus. Interdum enim, quę contraria saluti sunt cupimus infirmitate cogente. Sicut enim, quis in

Rom. 8.

ægritudine corporis non ea quæ sanitati conducunt, sed ea quæ præsens desiderium suggesserit poscit à medico, ita & nos in huius sæculi infirmitate languentes, interdum à Deo petimus, quod non expedit nobis. Denique ego ipse Paulus, qui hæc loquor ad vos, cum mihi propter sublimitatem reuelationum ne extollerer datus fuisset a Domino angelus sathanæ, qui me collaphizaret, ter Dñm rogaui, vt discederet a me, nescíens, quid orarem, & ideo, quia nesciebam secundum quod oportet orare, me audiuit Dominus, & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Si ergo quid oremus secundum quod oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Magnũ nescio quid Paulus in gemitibus sensit. Vnde ait: qui autem scrutatur corda scit, quid desideret spiritus, quia secundum Deum postulat pro sanctis. Spiritus interpellat pro nobis adiuuans infirmitatem nostram, quę ex infirmitate carnis descendit, ipsa est enim, quæ concupiscit aduersus spiritum, & dum concupiscentias suas ingerit puritatem spiritus impedit, & sinceritatem orationis offuscat, sed vbi viderit spiritus Dei laborare spiritum in aduersando carni, & adhærendo sibi, porrigit manũ, & adiuuat infirmitatem eius, & velut si magister suscipiens ad rudimenta discipulum, & ignorãtem penitus literas, vt eum docere possit, & instituere, necesse habet inclinare se ad discipuli rudimenta, & ipse prius dicere nomẽ literæ, vt respondendo discipulos discat, & fit quodammodo magister incipienti discipulo similis ea loquens, & ea meditans, quę incipiẽs loqui debeat ac meditari: ita Spiritus sanctus vbi oppugnationibus carnis perturbari nostrũ spiritum viderit, & nescientem quid orare debeat, secundum quod oportet, ipse velut magister orationẽ præmittit, quam noster spiritus, si tamen discipulus esse sancti Spiritus desiderat, prosequatur. Ipse gemitus offert, quibus noster spiritus discat ingemiscere, vt repropitiet sibi Deum. Si vero spiritus quidẽ doceat, & noster spiritus, idest, mens nostra non sequatur, suo vitio infructuosa ei fit magistri doctrina. Et istud Paulus in mysterium intra hominem geri sciẽs dicebat: Nam si linguis loquar, spiritus autem meus non oret, meus mea sine fructu est. Spiritum suum dicens gratiam sancti Spiritus, quæ a Deo omnibus datur. Admonendi sunt, qui prosperitatem sibi præsentis vitæ, & sanitatem, vel diuitias, vel honores postulant a Deo, quia quid orent sicut expedit nesciunt. Sæpe enim fit, vt ad damnum animæ vel opprobrium eius sempiternum concedantur præsentia hæc lucra, & dignitas sæcularis. Qui autẽ scrutatur corda, scit quid desideret spiritus, quia Deum postulat pro sanctis. Offendit quidem Deum non tam verba nostra in oratione, quàm cor mentemq. perpendere. Ipse enim est, qui scrutatur corda, & renes.

1. Cor. 14.

3 Lib. 9. in ca. 12. epist. ad Romanos.

IDEM exponens illa verba; Vt probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta,

perfecta, dicit: vtique nisi ad omnes renouatus sit sensus, & totus Dei sapientia illuminatus homo, probare non potest, quæ sit voluntas Dei, in multis enim putatur esse voluntas Dei, & non est. In quo is vtique, qui sensum nō habet renouatum, errat & fallitur. Est autem reuera non cuiusque sensus, sed valde renouati & (vt ita dicam) ad Dei iam imaginem reformati probare in singulis quibusq. quæ agimus quæ loquimur, quæ cogitamus, si sit voluntas Dei, & nihil omnino, vel dicere, vel agere, vel cogitare, quod voluntati Dei nō senserit conuenire. Quæ sit, inquit, voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta. Non potest aliud velle Deus, nisi quod bonum est, & vtique quod bonum est, & perfectum hoc Deo placet. Sed etiā si voluntas Dei semper bona sit, sed non semper eius bona voluntate dispensari meremur, neque beneplacita, & perfecta: Verbi causa, vt vngeretur Saul in regem, fuit quidem volūtas Dei, sed non beneplacita, neque perfecta. Irascens enim populo, qui refutauerat Deum habere super se regem, regem eis hominem iussit instituī, sed & propheta ex persona Dei dicit: dimisi eos secundum desideria cordis eorum, vt irent in cupiditatibus suis. Qui ergo renouatus est sensu probare debet si voluntas Dei hæc bona est, beneplacens, & perfecta, & non talis, quę magis desiderijs nostris indulgeat, quàm vtilitatibus consulat.

4 In lib. de regulis fusius disputatis in respōsione. 261. to. 2.

BASILIVS interrogat: Cum Dominus spoponderit ac dixerit, omnia quęcumque petentes in oratione credentes accipietis. Et item si duo ex vobis cōsenserint super terram de omni re quamcūq; petierint, fiet illis. Quid *Matt.* 21. est quod rogata quædam etiam sancti non obtinuerunt? Sicut etiam Apostolus sic enim est *Matt.* 18. apud ipsum: pro hoc ter Dominum rogaui, vt *2.Cor.* 12. discederet a me, qui tamen, quod rogauerat non impetrauit; similiterq. Hieremias Prophe ta & Moyses. Adhæc respondens ait, cum Do- *Matt.* 26. minus noster in oratione sua dixerit: Pater si possibile est transeat a me calix iste, & statim deinceps adiunxerit; veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat: primum quidem scire illud conuenit, non esse permissum nobis, vt quę volumus omnia petamus. Quin ne intelligimus quidem quid expediat nobis petere. Quid enim oremus sicut oportet nescimus. Quocir- *Roma.* 8. ca in adhibendis rogationibus magna vndiq. circunspectione vti debemus, vt ea sint ex voluntate Dei. Si autem non audiamur intelligendum est opus esse, aut perseuerantia, aut cō tentione maiore quemadmodum admonemur ex ea parabola Domini per quam docemur semper oportere orare, & non deficere. Et *Lucæ* 18. quemadmodum alio in loco dictum est ab ipso *Lucæ* 11. eodem Domino cum ait, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit, quot quot habet necessarios. Aut emendatione, & diligētia

5 *Isaiæ* 1.

ex eo quod dictum est a Deo per prophetam ad quosdam his verbis: Cum extenderitis manus vestras ad me auertam faciem meam a vobis, & cum multiplicaueritis orationes non exaudiam; manus enim vestræ sanguine plenæ sunt, lauamini mundi estote & cætera. Fit autem interdum, vt rogantis indignitas causa sit quāobrem non impetretur, quod rogatum sit, quemadmodū in Dauid, qui cum supplex rogasset a Deo, vt liceret sibi ædificare domum Deo, prohibitus est, & licet a Dei gratia exclusus non esset, nihilominus tamen id quod petebat, idoneus, qui impetraret, iudicatus non est. Nam Hieremiam apparet non auditum fuisse propter malitiam illorum pro quibus orabat. Quin & incidit plerumque, vt omissa occasione idonea ex negligentia, in qua rogationem fieri oportuisset, animaduertamus postea alieno tempore nos, & in cassum rogare. De eo autem, quod est apud Apostolum, ob hoc ter Dominum rogaui, vt discederet a me, scire conuenit, earum calamitatum, quæ vel in rebus externis, vel in corpore ipso nobis eueniunt variam atque multiplicem esse rationem cur ille *2.Cor.* 12. nobis contingant, idque ad maiorem vtilitatē nostram quàm ea fuisset, si ab his liberi fuissemus. Si quis ergo intelligere potuerit calamitatem suā esse eiusmodi a qua si liberari velit, precatione opus sit, nimirum is auditur, si eo modo postulet quemadmodum duo illi cæci in *Matt.* 9. Euangelio, & decem leprosi, & alij item complures. Si vero rationem quis non intellexerit, *Lucæ* 17. quamobrem in tentationem inciderit (nam est plerumque cum oblatas sibi tentationes patiē tia peruincere debet) & cum eæ perferendæ toleranter essent vsque in finem deprecetur, is non auditur. Et causa est quoniam non accomodat se ad propositum benignitatis Dei.

6 Hom. 30. in cap. 11. Gen. to. 1.

CHRYSOSTOMVS dicit: An non prestare pōt Deus ea, quibus indigemus, priusquā petamus? Verū pp hoc differt, & expectat vt occasionē accipiat, qua iuste nos sua cura dignos faciat. Siue autē consequamur, quod petimus, siue non consequamur, semper perseueremus in oratione. Et non solum gratias agamus, si cōsequamur, sed etiamsi repulsam passi fuerimus. Nam cū Deus aliquid nobis denegat non minus est, quàm si concessisset. Nescimus enim nos, quæ nobis conducant, sicut ipse nouit, itaque siue voti compotes: siue impotes simus, gratias agere debemus. Et quid miraris, si nos nescimus, quid nobis prosit? Paulus talis & tātus, qui ineffabilia illa cōsecutus fuit ignorat, & quæ non expediebant precabatur. Nam quia videbat se tot molestijs cingi ac circundari, crebris tētationibus orabat, vt ab eis *2.Cor.* 12. liberaretur, & non semel neque iterum, sed & sæpius. Tertio enim, inquit, Dominum rogaui. Tertio autem vocauit sæpe, & non vulgariter, videamus quomodo affectus fuerit. Num graua- 7 tim tulit? num segnior fuit? Non. Sed quid inquit? Dixit sufficit tibi gratia mea: virtus enim mea in infirmitate perficitur. Non solum nō liberauit illū præsentibus malis, sed in ipsis perseuerare permisit. Vnde autem manifestū quòd non tulit graniter? Audi ipsum, qui dicit libenter gloriabor in infirmitatibus meis. Nō solum inquit, postea liberari nō requiro, sed & magna

magna voluptate gloriabor in illis. Dicebat.n. *Rom.* 8. alibi: quid enim precemur, sicut oportet, nescimus. Impossibile enim est cum nos homines simus, id certo scire. Relinquendū ergo hoc est omniū conditori, sumendaq. sunt cū gaudio, & voluptate quęcumq; ipse voluerit. Magis enim scit quid nobis prosit, quàm ipsi nos. Ipse nouit quomodo salus nostra parāda. Nostrū ergo sit opus continuis insistere precibus, & non ægre ferre, si differatur quod petimus, sed longanimes esse. Neq; enim renuēs preces nostras differt, sed hac arte sedulos nos efficiēs, ad semetipsum attrahere vult. Nā & pater quāuis benignus, quādo a puero rogatus abnuit, quasi non volens dare, nō vt neget, sed vt ardētius petat, & sibi magis concilietur. Hęc legentes non desperemus, non deficientes accedamus ad eū, & *Lucæ* 18. preces dicamus. Equidē cum crudelem, & inhumanum illum iudicē, qui neq; Deum timebat, neq; homines reuerebatur, mulieris sedulitas coegit, & prouocauit vt sibi succurreret, quanto magis nos, si voluerimus illā imitari mulierem, ad opitulandū nobis prouocabimus mansuetum, & misericordem nostrum Dominum, compatientē, & ad saluandū nos occurrentem.

8 Homil. 24. in c. 7. Mat. to. 2.

IDEM inquit; Permane in querendo, atq; pulsando, & absq; dubio percipies. Ne enim diceres, quid si petiero, neq; accepero, tamen parabolica locum ratione contulisit, de cōmunibus certe rebus sententias proferēdo, & exemplis hominum ad impetrandi te fiduciam nutriendo, per istaq. monstrando, quia non solum petere oporteat, verum etiā illa tantummodo, quę sola sunt poscēda deposcerē. Quis enim est, inquit ex nobis pater, quem si filius suus petat panem, nunquid lapidem porriget ei? Itaque etsi non accipis, quia lapidem petis, idcirco nō accipis. Nam etsi filius sis, non tamen tibi sufficit ad omne quod poposcēris impetrandum, sed hoc ipsum est, quod vetaris accipere, quod cum sis filius Dei, ea quæ tibi non expediunt deprecaris. Et tu igitur noli aliquando petere, *3. Reg.* 3. seu quærere sæcularia, sed spiritalia omnia, & *& 9.* prorsus accipies. Nam & Salomon poposcit ea quæ oportuit poscere, & vide quam celeriter accepit. Duo igitur adesse oportet oranti, vt scilicet & vehementer petat, & illa proculdubio quæ petenda sunt. Quia & vos, inquit, cum patres sitis, rogari tamen expectatis a filijs, etsi inutile aliquid petierint, dona vestra cohibetis. Si vero illi quod est petendum, & vtile postularint, annuitis, atque præstatis. Et tu igitur ista considerans, non desistas, donec accipias, quamdiu inuenias, ne recedas, nec omnino abeas quoadvsque clausa reserētur. Si enim cum hoc studio mentis accesseris, & dixeris, nisi accepero non recedam, prorsus accipies, modo si talia postulaueris, quæ & illum qui petitur dare deceat, & accipere tibi qui precaris expediat. Quid ergo? Et quando spiritualia petiero, nec tamen ea fuero consecutus? Non studiose proculdubio postulasti, aut te ipsum fecisti qui acciperes indignum, aut certe petere, celeriter destitisti.

HIERONYMVS exponens verba illa; Sed & cū clamauero, & rogauero, excluſit orationem meam, inquit, omnipotens Deus quid nobis profuturū esse valeat, sciens, dissimulat exaudire dolentium vocem, vt augeat vtilitatem, vt purgetur vita per pęnā, & quietis tranquillitas, quia gic inueniri non valet, alibi quęratur. Sed hanc dispensationis gratiam nonnulli etiam fidelium ignorant. Ex quorum etiam persona ad beatum Iob dicitur: Ecce clamabo vim patiens, & nemo audiet, vociferabor, & non est qui iudicet. Non est enim qui iudicare dicitur, quando iudicare dissimulat ipse qui est. Sed cum hæc beatus Iob diceret, & sancti viri merita, & aduersarij pœna crescebat. 9 Lib. 2. in La ment. Hier. to. 5. *Cap.* 3.

IDEM exponens illa verba; Homo de domo Israel, qui posuerit immūditias suas in cor de suo, & venerit ad propheta interrogans eū per me, ego Dominus respondebo ei in multitudine immunditiarum suarū, vt capiatur domus Israel in corde suo, quo recesserunt a me in cunctis idolis suis, ait: est totius loci, vt latam explanationem breui sermone comprehēdā ista sententia; Homo homo non aliarū gentium, quarum error pteſt habere veniam, sed domus Israel, qui cum pristinis vitijs ad prophetam venerit sciscitandum ego respondebo ei iuxta cor, & immūditias suas, & iuxta quod vult & credit, ita & audiat. Recesserunt enim a me, & idola sunt secuti. Nō enim merentur audire veritatem, qui fraudulenter interrogant, sed suo corde capiendus est, secundum quod pharisęi interrogantes Dominū audiunt: Quid me tentatis? Et rursum: nec ego dico vobis in qua virtute hoc faciam. Sicut ergo impijs quęrentibus prophetas respōdet Dominus in multitudine immunditiarum suarum, sic & in oratione multa dat talibus in eorum malum. 10 Lib. 4. in c. 14. Ezech.

AVGVSTINVS ait; Cū non exaudimur ad temporalia bona retinenda, vel adipiscēda, quanto pro his deprecamur Deum, in eo quo nos non exaudit, derelinquit nos, sed ad potiora quæ vult vt intelligamus, & præferamus, & concupiscamus non nos relinquit. Vnde dicit Psalmista: Clamaui ad te per diē, nec exaudies, *Psal.* 21. & nocte, etiam hic subauditur, nec exaudies. Sed vide quid adiungit, & non ad insipientiam mihi. Hoc ergo dicit: non me quidē exaudies clamantem per diem, ideſt, in rebus prosperis, vt eas non amittam, & nocte, ideſt, rebus aduersis, vt prospera, quæ amissa sunt, redeant. Verum hoc mihi non ad insipientiam facies, sed potius vt sapiam quid iam per noui testamēti gratiā a te expectare quid desiderare, quid poscere debeā? Clamabo quippe ego, vt hic mihi bona temporalia non auferantur. Tu autem in sancto habitas laus Israel. Nolo vt derelinquas concupiscentiam meam, qua carnalem fœlicitatem requiro. Verum hæc in sordibus vetustatis requiro. Verum quæris munditiam nouitatis, tu autem non exaudiendo istam cupiditatem relinquis, quia charitatē in qua habites requiris. Infra: Nō exauditus est Christus pro terrena fęlicitate, nō ad insipientiā, sed vt saperemus quid 11 Epist. 120. ad Honoratum de gratia noui testamenti.

noui gratia teſtamenti deſiderare debeamus.

12 In Pſal. 52. to. 8. IDEM exponens verba illa; Deum nõ inuocauerunt, ait. Cõſolatur gementem, & maxime ex commemoratione, ne imitando malos, qui plerumq; proſperantur, delectetur fieri malus. Seruatur tibi quod tibi promiſſum eſt, ſpes illorum præſens eſt, tua futura eſt, ſed illorũ fluxa, tua certa, illorum falſa, tua vera. Illi enim Deum non inuocauerunt. Nõne quotidie tales rogant Deum? Non rogant Deum. Deus gratis ſe vult coli, gratis ſe vult diligi, hoc eſt, caſte amari, non propterea ſe amari, quia dat aliquid præter ſe, ſed quia dat ſe. Qui ergo inuocat Deum, vt diues fiat, Deum nõ inuocat, hoc enim inuocat, quod ad ſe vult venire: quid .n. eſt inuocare, niſi vocare in ſe? In ſe ergo vocare, hoc dicitur inuocare. Nã cum dicitur, Deus da mihi diuitias, non vis, vt ipſe Deus ad te veniat, ſed vis, vt diuitiæ veniant ad te. Quod vis vt ad te veniat, hoc inuocas. Si autem Deum inuocares, ipſe ad te veniret, ipſe eſſet diuitiæ tuæ. Ergo iſti qui propter ſæcularia commoda, qui propter vitam præſentem, & terrenam fœlicitatẽ inuocant Deum, non inuocant Deũ.

13 In Pſal. 53. IDEM explicans verba illa; Deus exaudi orationẽ meã, auribus percipe verba oris mei, dicit: Ad te perueniat oratio mea ex deſiderio æternorũ tuorum beneficiorũ excuſſa, & iaculata ad aures tuas emitto eã, adiuua eã, vt perueniat, ne deficiat in itinere medio, & quaſi collapſa corruat. Sed etſi nõ eueniunt mihi modo bona, quæ poſtulo, ſecurus ſum tamẽ quia poſtea veniẽt. Nã & in delictis dicitur quidã rogaſſe Deũ, & nõ eſt exauditus bono ſuo. Deſideria enim ſecularia incitauerãt illũ ad orandum, & in tribulationibus tẽporalibus poſitus optauerat, vt tranſirent tribulationes tẽporales, & redirent flos fẽni, & ait: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti? vox Chriſti eſt, ſed pro membris ſuis, verba, inquit, delictorũ meorũ. Clamaui ad te per diẽ, nec exaudies, & nocte, & nõ ad inſipientiã mihi, id eſt, & nocte clamaui, & non exaudiſti, & tamẽ hoc ipſum quod non exaudiſti non ad inſipientiã mihi: nõ exaudiſti, ſed magis ad ſapientiã non exaudiſti, vt intelligerem quid a te petere deberẽ. Ea enim petebã, quæ malo meo fortaſsis acciperem. Petis diuitias o homo, quanti euerſi ſunt per diuitias ſuas? Vnde ſcis vtrũ tibi ſint profuturæ diuitiæ? Nonne multi pauperes tutius latebant, diuites facti, mox vt lucere cẽperunt, prẽda fortioribus fuerũt? In his ergo temporalibus fratres admonemus vos, & exhortamur in Domino, vt nõ petatis aliquid quaſi fixũ, ſed quod vobis Deus expedire ſcit. Quid enim vobis expediat omnino nõ ſcitis. Aliquando quod putatis prodeſſe, obeſt, & quod putatis obeſſe, hoc prodeſt. Ægri enim eſtis, nolite medico dictare, quę vobis me

Pſal. 21. Rom. 8. dicamẽta velit apponere. Si gentium doctor dicit: nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, quanto magis nos? Qui tamen cũ ſibi videretur ipſe prudenter orare, vt ab eo auferretur ſtimulus carnis angelus ſathanæ, qui eum colaphizabat, ne in magnitudine reuelationũ extol leretur, quid audiuit a Domino? Nunquid factũ eſt, quod volebat? Non vt fieret quod expediebat. Ter rogauit, & audiuit a Domino: Sufficit tibi gratia mea, nam virtus in infirmitate perficitur. Nam medicamentum ego ad vulnus poſui, quando poſuerim noui, quando auferendum ſit noui. Non recedat ægrotus a manibus medici, non det conſilium medico. 2. Cor. 12.

14 In Pſal. 76. IDEM exponẽs verba illa; Voce mea ad Dominum clamaui, inquit: Multi clamant ad Dominum pro diuitijs acquirendis, damniſq. deuitandis pro ſuorũ ſalute, pro ſtabilitate domus ſuæ, pro fœlicitate temporali, pro dignitate ſæculari, pro ſalute corporis. Pro his, atq; huiuſmodi rebus multi clamãt ad Dominum, vix quiſpiam propter ipſum Dominũ. Facile quippe homini eſt quodlibet deſiderare a Domino, & ipſum Dominum non deſiderare, quaſi vero ſuauius eſſe poſsit quod dat, quã ipſe qui dat. Quiſquis ergo pro alia re qualibet clamat ad Dñm nondũ eſt tranſiliens. Hic vero tranſiliens quid dicit? Voce mea ad Dñm clamaui. Et ne arbitreris vocẽ ipſius qua clamauit ad Dominũ propter aliud emiſſam, quã propter ipſum Dominus ait, & vox mea ad Deum. Emittitur enim vox qua clamemus ad Deum, & ipſa vox ad aliud eſt, & non ad Deum. Ad hoc enim eſt vox, propter quod editur vox. Iſte ergo qui Deum gratis amabat, qui volũtarie Deo ſacrificabat, qui tranſilierat quicquid infra eſt, nihilq. aliud ſupra ſe viderat, quo effunderet animam ſuam, niſi ex quo, & per quem, & in quo creatus erat ad quem clamauerat voce ſua, ad illũ eſſe fecerat ipſam vocem ſuam. Vox mea, inquit, ad Deum. Et nunquid ſine cauſa? Vide quid ſequitur, & attendit mihi. Vere tunc tibi attendit, quando ipſum quæris, non quãdo per ipſum alium quæris. Dictum eſt de quibuſdam clamauerunt, nec erat qui ſaluos faceret, ad Dominũ, nec exaudiuit eos. Quare? Quia vox eorum non ad Deum. Exprimit hoc alio loco ſcriptura, vbi dicit de talibus, Deum nõ inuocauerunt. Quid eſt Deũ non inuocauerunt? Deũ in ſe non inuocauerunt. Ad cor ſuũ Dominum non inuitauerunt, a Domino ſe habitari noluerũt. In die tribulationis meę Deum exquiſiui. In die tribulationis tuæ vide quid exquiras. Si carcer facit tribulationẽ, exire de carcere exquiris. Si febris facit tribulationem, ſanitatem exquiris. Si fames facit tribulationem, ſaturitatem exquiris. Si damna faciunt tribulationem, lucrum exquiris. Et quid cuncta commemorem, aut quando cuncta commemorem? Vis eſſe tranſiliens? In die tribulationis tuę Deum exquire, non per Deum aliud, ſed ex tribulatione Deum, vt ad hoc Deus remoueat tribulationem, vt ſecurus inhæreas Deo. In die tribulationis meę non aliud, ſed Deum exquiſiui. Pſal. 17. Pſal. 13.

IDEM explicãs verba illa; Multæ miſericordię omnibus inuocãtibus te, ait: Si inuocas Deũ tãquam Deũ ſecurus eſto exaudieris, pertines ad iſtũ verſum, & multũ miſericors omnibus inuocantibus te. Noli ergo dicere, illud mihi nõ dedit. Redi ad cor tuũ & cõſcientiã tuã libra,

bra, interroga, parcere illi noli. Si vere Deũ inuocaſti, certus eſto, quia id forte quod volebas tẽporaliter ideo non dedit, quia non tibi proderat. Ædificetur in hoc cor veſtrum fratres, ne incipiatis triſtes facti velut fraudati deſiderijs veſtris ire in indignationem contra Deum, & non expediat aduerſus ſtimulum calcitrare, recurrite ad Scripturas. Exauditur diabolus, & non exauditur Apoſtolus. Petierunt dæmones ſe ire in porcos, & cõceſſum eſt eis. Quomodo exauditus eſt diabolus? Petijt Iob tentandum, & accepit. Quomodo non eſt exauditus Apoſtolus? In magnitudine, inquit, reuelationum, ne extollar, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus ſathanę, qui me colaphizet: ter Dominũ rogauit, & dictũ eſt ei: ſufficit tibi gratia mea. Exaudiuit eum, quem diſponebat damnare, & nõ exaudiuit eum, quem volebat ſanare. Nam ægер petit multa a medico, nõ dat medicus, nõ exaudit ad voluntatem, vt exaudiat ad ſanitatem. Ergo medicum tuum pone Deum, pete ab eo ſalutẽ, & ſalus tua ipſe erit. Alia nõ vult, vt habeas, vt ipſe ſe tibi det. Sed plane cũ patiẽtia ſalutẽ expecta, quibus te medicamẽtis curet, ille nouit, quibus ſectionibus, quibus vſtionibus.

Matt. 8. Iob. 1. 2. Cor. 12.

16 In Pſal. 137 Iſa. 58. IDEM exponẽs illa verba; In quacunq; die inuocauero te, velociter exaudi me. Dicit, quare cito? Quia tu dixiſti adhuc te loquente, dicam, ecce adſum. Quare cito quia iam non peto fœlicitatem terrenam, didici ſanctum deſiderium de nouo teſtamento. Non peto terram, non fœcunditatem carnalem, non ſalutem temporalem, non inimicorum ſubiectionem, non diuitias, non honores, nihil horũ peto, ideo cito exaudi me, quia docuiſti me quid petam. Infra: Quid petis, vt cito exaudiaris? Multiplicabis me. Multis modis multiplicatio intelligi poteſt. Eſt multiplicatio terrenę generationis. Multiplicatus eſt ille auro, ille argento, ille pecoribus, ille familia, ille poſſeſsionibus, ille his omnibus. Multę ſunt terrenę multiplicationes. Ait ergo, multiplicabis me nõ in his quę recenſuimus, ſed in anima mea, non in carne mea, & in anima mea non vitia, ſed virtutem.

17 Tract. 73. in Ioan. to. 9. IDEM explicãs verba illa Io. 14. Quodcũque petieritis patrẽ in nomine meo, hoc faciã, ſic habet. Quid eſt, quodcunq; petieritis, cũ videamus plerumq; fideles eius petere, & non accipere? A forte propterea quia male petunt? Nã hoc exprobrauit Apoſtolus Iacobus dicẽs: Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, vt in cõcupiſcẽtijs veſtris inſumatis. Male ergo vſurus eo quod vult accipere, Deo potius miſerãte nõ accipit. Proinde ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lędatur, exauditus magis metuendũ eſt, ne quod poſſet non dare, propitius det iratus. An non vidimus Iſraelitas malo ſuo impetraſſe, quod culpabili concupiſcentia petierunt. Cupiebant enim carnibus veſci, quibus pluebatur manna de cęlo, faſtidiebant quippe quod habebant, & quod nõ habebant, impudẽter petebant, quaſi nõ melius peterẽt, non vt cibus qui deerat indeceñti deſiderio præſtaretur, ſed vt ille qui aderat, ſanato faſtidio ſumeretur. Quando enim vos delectant mala, & nõ delectant bona, rogare debemus potius Deũ, vt delectent bona, quàm vt cõcedantur mala. Et quãuis carnes comedere malũ non eſſet, tamẽ in Iſraelitis non parua erat offenſio, repudiare quod dabat ſapientia, & petere id quod inhiabat cõcupiſcẽtia. Quomodo ergo intelligendũ eſt, quodcunq; petieritis hoc faciã, ſi Deus aliqua petentibus fidelibus non facit? Inuenimus enim Apoſtolum, qui plus omnibus laborauit, ter Dominũ rogaſſe, vt diſcederet ab eo ſtimulus, nec tamen, quod rogauerat, accepiſſe. Euigila homo fidelis, & vigilanter audi, quod illic poſitum eſt, in nomine meo. Ipſum enim quod cumque, nõ ait, petieritis vtcũque, ſed in nomine meo, in nomine Saluatoris. Ac per hoc quod cũq; petimus aduerſus vtilitatẽ ſalutis, nõ petimus in nomine Saluatoris, & tamẽ ipſe Saluator eſt, nõ ſolũ quando facit: quod petimus, verum etiã quãdo nõ facit, quoniã quod videt peti cõtra ſalutẽ, non faciendo potius ſe exhibet Saluatorẽ. Nouit medicus qd pro ſua, quid cõtra ſuã ſalutẽ poſcat ægrotus, & ideo contraria poſcẽtis nõ facit volũtatẽ, vt faciat ſanitatem: quapropter quando volumus, vt faciat quodcũq; petimus, petamus in nomine Saluatoris.

Rom. 1. Rom. 8.

18 Tract. 102. in Ioan. IDEM explicans verba illa cap. 16. Vſque modo non petiſtis quicquã in nomine meo, petite, & accipietis, vt gaudiũ veſtrum ſit plenũ, inquit: hoc quo dicit gaudium plenũ, profecto non carnale, ſed ſpirituale gaudiũ eſt, & quãdo tantũ erit, vt aliquid ei iam non ſit addendum, proculdubio tũc erit plenũ. Quicquid ergo petitur quod pertinet ad hoc gaudiũ conſequendũ, hoc eſt, in nomine Chriſti petẽdũ, quicquid autẽ aliud petitur, nihil petitur: nõ quia omnino nulla res eſt, ſed quia in tantę rei cõparatione quicquid aliud concupiſcitur, nihil eſt, neq; enim prorſus nulla res eſt homo, de quo ait Apoſtolus: Qui ſe putat aliquid eſſe, cũ nihil ſit. In cõparatione quippe ſpiritalis hominis, qui ſcit gratia Dei ſe eſſe, quod eſt, quiſquis vana prętumit, nihil eſt. Sic in hoc loco id petendum eſt, quod in cuiuſque rei cõparatione aliquid ſit. Vſque modo non petiſtis quicquam in nomine meo, non petiſtis quicquam, quia in comparatione rei, quam petere debuiſtis, pro nihilo habendum eſt, quod petiſtis.

Gal. 6.

19 Tract. 6. in 1. Canonic. Ioannis. 2. Cor. 12. IDEM ait; Sãcti ad ſalutẽ per omnia exaudiuntur, hanc deſiderant. Quidam autem exaudiuntur ad voluntatẽ, & non ad ſalutẽ. Paulus exauditus eſt ad ſalutem quando poſtulauit, vt auferretur ſtimulus carnis ab eo. Diabolus exauditus eſt ad voluntatẽ quando voluit tẽtare Iob, ſed ad damnationem, ideo enim conceſſus eſt iſte tentandus, vt eo probato, eſſet ille cruciandus. Dæmones exauditi ſunt, vt irẽt in porcos, vt oſtenderet diabolum in eis dominari, qui vitam porcorũ gerunt, Paulus non eſt exauditus. An potius, quod verius eſt, dicamus, immo Apoſtolus exauditus eſt, dæmones non ſunt exauditi, illorum voluntas facta eſt, iſtius ſanitas perfecta eſt. Secundum hoc intelligere debemus, quia etſi Deus voluntati no-

stræ non dat, saluti nostræ dat. Quod si hoc petieris, quod tibi obest, & medicus nouit, non te exaudit, quando tu forte frigidam aquam petis, etsi prodest, statim dat, si non prodest, non dat, ad sanitatem exaudiuit; quia voluntati contradixit. Sit ergo in nobis charitas, fratres, & securi estote, & quando non vobis datur quod petitis exaudimini, sed non scitis. Multi dati sunt in manus suas malo suo, de quibus dicit Apostolus: Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum. Discite rogare Deum, vt medico committatis, quod ipse nouit faciat. Certi estote, quia quod ait Apostolus verum est. Quid enim oremus sicut oportet nescimus, sed ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, quia ipse interpellat pro sanctis. Tunc charitas orat, contra hanc aures claudere non nouit Deus, securus esto, charitas roget, & ibi sunt aures Dei, non fit quod vis, sed fit quod tibi expedit: ergo quidquid postulauerimus numquid accipiemus ab eo? iam dixi, si ad salutem intelligas, nulla quæstio est, sed quidquid postulauerimus accipiemus.

Rom. 1.

Rom. 8.

20 GREGORIVS exponēs verba illa Iob cap. 35. Neq; enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorū causas intuebitur ait: Notandum, quod duo sunt dicta, quia & clamantem non frustra audit, & tamen quod patitur respicit, & exaudire voces dissimulat, & quod vnusquisq; tolerat non ignorat. Non ergo qui tardius auditur, credat quod à superna cura negligatur. Sæpe enim, quia nostra desideria celeriter nō fiunt, exaudiuntur, & quod impleri cōcite petimus, ex ipsa melius tarditate prosperatur. Sæpe vox nostra eo perficitur, quo differtur, & cum superficie tenus petitio negligitur, vota nostra altius in cogitationum radice complentur, sicut & semina messium gelu pressa solidātur, & quo ad superficiem tardius exeunt, eo ad frugem multipliciora consurgūt. Desideria itaq; nostra dilatione extenduntur, vt proficiant, proficiunt, vt ad hōc quod percepturi sunt cōualescant, labor protrahitur pugnæ, vt crescat corona victoriæ. Suos ergo Dominus, cum velociter non exaudit, quo repellere creditur trahit. Internus quippe est medicus, & quo voces ægri audire dissimulat, eo ægritudinis finē procurat. Hinc enim prophe-

Lib. 26. Moral. cap. 15. to. 2.

Psal. 21.

21 ta ait: Deus meus clamabo per diem, & non exaudies, & nocte, & nō ad insipientiam mihi. Ac si diceret: Nequaquam mihi ad insipientiā proficit, quod die ac nocte clamantem me continuo non exaudis, quia vnde me in temporali tribulatione quasi deseris, inde ad æternam sapientiam plus erudis. Hinc etiam dicit: Adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. Tribulationem quippe dicturus opportunitatem præmisit, quia sæpe & tribulatione cōterimur, & tamen opportunum nondum est, vt desiderio ereptionis adiuuemur. Dicatur ergo neq; enim frustra audiet Deus, & omnipotens singulorum causas intuebitur. Infra: Et iam cū dixeris, non considerat, iudicare coram illo, &

Psal. 9.

expecta eum. Fortasse enim dum clamor noster quasi negligitur, spes, quæ cordi inerat, infirmatur, & superna adiutoria defutura credimus, quia tardius impetramus. Sed cum ista nos desperationis procella conturbat, cōcussa mens citius in portū spei se collocat, si causas suas cum Domino subtiliter pēsat, si bona eius ad memoriam reuocat, si mala quæ bonis eius reddidit apud semetipsum callide non excusat, si perpendit, quid ab eo iuste meruit, & quid clementer accepit. Hæc in semetipsa cūcta recolligens, dum bona accepta considerat, aduersa quæ tolerat, non accusat, nec desperatione frangitur, quæ tantorum munerum consolatione roboratur, quia spem de futuris recipit, dum transacta beneficia recognoscit.

22 IDEM explicās verba illa, quæ Dominus dixit Samueli, vt responderet populo poscenti regem, audi vocem populi, & constitue super eum regem dicit: ecce, vt palam cernitur propheta, orans non auditur, populus Deum abijciens, regemq. petens auditus est. Quid hoc esse dixerimus, nisi quia miro & tremendo diuinæ incomprehensibilitatis iudicio sancti viri pro reprobis orantes exaudiri nequeunt, in adimplēdis verò suis prauitatibus, audiri ipsi reprobi delinquētes possunt, vt illis liberā iniquitas æternæ vindictæ meritum augeat, & istis ex affectu compassionis merces perpetuæ retributionis accrescat.

In j. librum Regū. lib. 4. cap. 2. to. 2.

23 BERNARDVS sic habet: Quidquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Nemo vestrū, fratres, paruipendat orationem suam. Dico enim vobis, quia ipse, ad quem oramus, non paruipendit eam. Vnum e duobus indubitāter sperare possumus, quoniā aut dabit quod petimus, aut quod nobis nouerit esse vtilius. Nos enim quid oremus sicut oportet nescimus, sed miseretur ille supignorantiam nostrā, & orationē benigne suscipiēs, quod nobis aut omnino non est vtile, aut non tam cito dari necesse est, minime tribuit; oratio tñ infructuosa non erit. Ita sane si fecerimus quod monemur in psalmo, id est, si delectemur in Domino. Ait enim Dauid: Delectare in Dño, & dabit tibi petitiones cordis tui. Ad hoc conare, ad hoc tende, vt in rebus terrenis non delecteris, sed in Dómino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Sed cōsidera quod petitiones cordis dixerit, quas approbat iudicium rationis. Tāta super te cura est Deo tuo, vt quoties ignorans quæris quod tibi inutile est, non te audiat super hoc, sed mutet illud vtiliori dono. Sic & pater carnalis paruulo quærenti panem libenter porrigit, quærēti cultellū, quem non necessarium putat non cōsentit, sed magis panem ei, quem dederat frāgit, vt nihil ille habeat periculi, nihil laboris. Petitiones cordis in tribus credo constare. Ab eo petendum, & sperādum nobis est vnde possimus in eius seruitio sustentari. Secūdo pro necessitatibus animæ orandū est frequētius, & feruētius pro obtinenda gratia & virtutibus. Sic & pro vita æterna tota pietate, & toto orādū est desiderio.

Ser. 5. in feria iiij. Cinerum.

Marc. 11.

Psal. 36.

Orationi

Orationi sit tempus signatum, & locus, etiā si omni tempore, & loco oratio sit vtilis, vbi nocturnæ orationes commendantur Cap. X.

1 Homilia 5. quæ est de solemnitate martyris Iulitę. to. 1.

BASILIVS ait; Ipsa nox alias suggerere potest ad orationē occasiones. Etenim si quando in cælum suspexeris, cum in eximiam syderum pulchritudinem oculorum aciem defixeris pressius, horum visibilium Domino supplica, vniuersorum longe optimo artifici procide Deo, & cole eum, qui cuncta hæc in sapientia condidit. Vbi omnigenum animantium naturam in somnum resolutam, ac depressam perspexeris, supplex procidens, adora rursus eum, qui nos nec cogitantes, aut certe inuitos, indulgentia soporis a continenti laborum assiduitate relaxat, & alleuat, perq. exiguæ quietis resocillationem vigorem addit corpori, viresq. instaurat. Itaque nec tu mihi noctem, ceu peculiarem, ac selectam temporis partem, totam addixeris sopori, nec patiare vitæ totius medium nullo tuo vsu tibi præcipi, dū stupido, & insensibili somno lentescis, quin tu potius ipsam tibi dispertitor noctem in somnum, atque orationem, immo somni ipsi pietatis exercendæ meditationes quædam sint.

2 Homil. 13. inter varias primi tomi exhortatio ad baptism.

IDEM ait; Ad orandum non tam locus, quàm propositi initium requiritur. Hieremias enim in luto erat, & Deum attraxit. Daniel in leonum lacu Deum placauit. Tres pueri in camino Deum promeruerunt. Latro non cruce prohibitus, quin paradisū assecutus fuerit. Iob in stercore Deum ad misericordiam prouocauit. Igitur vbicunque fueris, ora, vel ante iudicem, ora. Mare ante aderant, Aegyptij retro insectabantur, Medius Moyses in loci angustia orabat, nihil attamen loquebatur, & ait ei Deus: Quid clamas, & os tuum tacet? Cor enim clamat: Dominus prope est, non hominem esse putes, continuo adest, vbique adest, & omnia complet.

3 Serm. de instit. monae. to. 2.

IDEM sic ait; Cum autem ad orationem nulla nō vitę pars opportuna habenda sit, quia tamen datis quibusdam interuallis ab illa psalmodię, genuq. flexionis acri contentione nonnunquam est inter quiescendum, is est maxime horarum modus tenēdus, quia veteribus olim sanctis ad orationē descriptus est. Etenim eximius ille Dauid ait: Media nocte surgebā ad confitendum tibi super iudicia iustitię tuæ, quē sane Paulus quoque, & Silas secuti reperiūtur, cum in carcere positi circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addit deinde idem Propheta: Vespere, & mane, & meridie narrabo. Quin & Spiritus sanctus circa horam diei tertiā fuit. Sicut ex Actis accipimus, orantibus tūc Apostolis. Porro nona dominicæ passionis memoriam refert, illius quę vitæ nostræ causa suscepta est. Verum quoniā item hoc est apud eundem Dauid, septies in die laudem dixi tibi, tempora autem illa, quæ diximus, nentiquam septenarium orationis numerum conficiunt; bipartito diuidenda meridiana oratio est, ita videlicet, vt pars vna cibum præcedat, altera subsequatur, quo perpetua hæc nobis formula sit Deum septies per singulas dierum conuersiones laudibus celebrandi.

Psal. 118.

Act. 16.

Psal. 54.

Act. 2.

4 In lib. regnarū sub finis disputatarū responsione

IDEM sic ait; Quia sunt nonnulli, qui orationū prætextu necessarios in exercendis artificijs labores fugiūt, illud est intelligendū omni negocio tempus suū esse. Orationū vero & psalmorū modulationi, nullū esse tempus idoneū, ita videlicet, vt velut in eo ipso dum manibus opus tractamus, & lingua nonnunquā munere hoc fungi possumus, si id minus corde certe in psalmis & hymnis, & cāticis spiritualibus Deū collaudemus, atq; ita orationi satisfaciamus. Sit autem signatū rempus orationi. Ac matuti nū quidem, vt primi animi, ac mētis nostrę motus consecrentur Deo, neq; vllius rei curę ante aditū ad nos demus, quàm nos in cogitatione de Deo oblectauerimus, sicut scriptum est: memor fui Dei, & delectatus sum. Neque corpus prius ad functionem muneris alicuius moueamus, quā illud fecerimus, quod dictū est: orabo ad te Domine, mane exaudies vocē meā. Mane astabo tibi. Tertia vero hora, vt in ea ad orationē surgatur, fratresq. omnes in vnū congregentur, licet diuersis in locis, alij in alijs operibus sint occupati, idq. ea re, vt admoniti doni spiritus, quod circiter istā horam Apostolis datum fuit, vno eodēq. animo cuncti illū venerentur, ab eoq. petant, vt ipsi digni sint, qui sanctificationē suscipiant, illū imitantes, qui dixit: cor mundū crea in me Deus, & spiritū rectum innoua in visceribus meis. Porro sexta hora sanctorū exempio necessariā esse orationem iudicauimus, apud quos est vespere & mane & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocē meā. In qua quidem vt liberemur ab incursu, & dęmonio meridiano, nonagesimus etiam psalmus recitetur. De nona vero, quod ea nobis ad orationē necessaria sit, id Apostoli ipsi declarauerunt in Actis, in quibus est, quod Petrus, & Ioannes ascenderunt ad horam nonā. Cōpleto vero iā die pro ijs omnibus, quæ in eo data nobis fuerint fęliciterve nobis euenient, gratiarū actio succedet. Veniā etiā pro peccatis in illa die commissis precantes. Tum autē primis se iam noctis intendentibus tenebris sequetur petitio, vt quies quā sumus capturi, inoffensa, & ab omni perturbatione, ac vitio libera sit. De tempore autem dimidię noctis, quod id ad orationē necessarium sit, traditū nobis est a Paulo & Sila in Actis. Scriptum est enim sic: circiter autem mediam noctē Paulus & Silas laudabāt Deum. Et in psalmis: media nocte surgebā ad cōfitendum tibi. Post anteuertendum diluculū est, & ad orationem surgendum, cauendumq. ne dies in lecto dormiētes opprimat, & ille imitandus, qui dixit: præuenerūt oculi mei ad te diluculo, vel vt Basilius legit, præuenerunt oculi mei diluculum, vt meditarer eloquia tua.

Psal. 5.

Act. 3.

Act. 16.

Psal. 118.

6 CHRYSOSTOMVS dicit; Discamus
Homil 3.in c.1.to.1. vt ipsi a precibus auelli nequeamus, sed perpetuo incumbamus illis, tam die quàm noctu, & magis noctu quando nullus interturbat, quãdo magna cogitationum tranquillitas, quando absunt turbulentiæ, quando nullus est, qui ab accessu prohibet, & abducit, quando coacta mens omnia diligenter referre potest animarum medico. Cum enim beatus Dauid rex simul ac propheta tãtis implicitus negotijs purpura, & diademate amictus dicat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ: quid nos dicemus, qui priuatam, & otiosam vitam agimus, neque eadem quæ ille facimus. Nam cum in die multis circũdaretur curis, negotijs, & tumultibus, nec tempus inueniebat aptum suo ad Deum accessui, relaxationis tempus, quod alij somnij tempus faciunt in mollibus stratis recumbentes, & hinc & inde se versantes, rex tantis vinctus curis accedendi ad Deum tempus faciebat seorsim Deo loquens. Et synceræ, intentæq. precationi deditus perficiebat quæcunque volebat, & orationibus suis bella instruebat, triũphosq. statuens victoriam victoriæ copulabat. Igitur & nos hũc imitemur priuati & idiotæ regem,
7 otiosam & quietam vitam agentes, eum qui in purpura & diademate monachorum vitam
Psal. 6. transcendit. Laborabat in gemitu suo, lauabat per singulas noctes lectum suum. Vidisti regẽ, qui noctibus, atque diebus lachrymis preci-
Act. 16. busq. deditus fuit? Specta & doctorem orbis in carcere compeditum vna cum Syla orantẽ tota nocte, neque dolore, neque vinculis prohiberi, sed eo magis ingentem, feruidumq. amorem declarare erga Dominum. Paulus enim, inquit, & Silas media nocte orantes laudabant Deum. Dauid in regno, & diademate lachrymis & precibus totam vitam insumebat. Apostolus qui in tertium cælum raptus, cui arcana sunt reuelata mysteria, media nocte in vinculis preces, & laudes offerebat Domino. Illos imitemur & nos, & precum continuitate vitã nostram muniamus, & nullum nobis vnquam erit obstaculum. Num loco & tempore nobis opus est? Omnis locus, omne tempus huic accessui conuenit. Iterum audi magistrum orbis
1. Tim. 2. dicentem: In omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione, si mentem habueris purgantem se ab illicitis affectionibus, etiam si in foro, etiam si in domo, etiam si in via, etiã si in carcere, etiam si in mari, et iam si in diuersorio, etiam si in officina, & vbi fueris constitutus, poteris inuocato Deo precum fieri cõpos.
8 IDEM dicit; Si foris Ecclesiam es, dic
Homil. 16. ex varijs in Matt. to. 2. tu, miserere mei Domine, non solum labia mouens, sed mente ingemiscens, quia & tacentes audit Deus. Non quæritur locus, sed deuo-
Hiere. 38. tio mentis. Hieremias in lacu cæni dimersus
Dan. 6. erat fideliter orans Deum promeruit. Daniel
Dan. 3. in lacum leonum missus, ad se Dei misericordiam inclinauit. Tres pueri in camino ardenti
Luc. 23. erant, & ideo placuerunt. Latro in cruce erat, & exauditus est fideliter postulando. Et nihil obfuit crux, sed fidei confessio paradisum aperuit. Iob in sterquilinio erat, & per patientiam suam Deum propitiabatur. Quod si & in balneis es ora, vbicunque fueris ora. Templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in vobis. Vbique Deus præsens est, non clauditur loco, inuocanti dicit adsum. Nã cum eduxisset Moy Exo. 14. ses populum de Aegypto, & per desertum ad mare rubrum venisset, Aegyptij post tergum insequebantur populum. Ante mare fremebãt fluctus, Moyses in angustijs erat, tacebat quidem, sed mente grandia cogitabat. In medio tribulationis erat, inde Aegyptij insequentes, hinc mare intumescens. Ad Dominum igitur mente clamabat, vox penitus non audiebatur, & Dominus dicit: quid clamas ad me? Cum ore quidem non clamaret, sed corde. Et tu igitur quando astiteris furenti iudici ab rabido tyranno, ora ad Deum tuum, & orante te fluctus mitigabuntur. Inuoca Deum, qui prope te est. Nunquid longe est a te, vt vadas ad locum aliquem? Si hominem rogare volueris, interrogas quid facit, & audies, dormit, aut non vacat, aut certe non dignabitur respondere minister tibi. Ad Deum autem nihil horum opus est, sed vbicunque fueris, aut inuocaueris, audit te.

IDEM dicit; Nõ ideo facta est nox, vt per 9
totam dormiamus, & otiosi simus. Testantur Homil. 26. in Act. Apostolorum. to. 3. hoc opifices nautæ, & negociatores. Ecclesia Dei medijs surgit noctibus: surge tu, & vide astrorum chorea, profundum silentium, magnam quietem, obstupesce Dei tui miram dispensationem. Purior tunc est anima, leuior, subtiliorq. tunc est, sublimia videt, ac expedita est. Tenebræ ipsæ, silentiumq. multum in cõpunctionem inducere sufficiunt. Si autem & cælum videris quasi innumeris interpunctũ oculis, omni voluptate frueris statim cõcepta opificis sapientia. Si consideraris eos qui interdiu clamãt, rident, saltant, lasciuiunt, iniuste agũt, auaritiæ intenti sunt, minantur, innumera inferunt mala, ibi tunc a mortuis nihil distare, cõdemnabis omnem humanam infirmitatem. Somnus accedit, imago est mortis, imago consummationis. Si prospexeris in plateam nullã vocẽ audies, si videris in domum, videbis omnes quasi in sepulchris iacentes. Hæc omnia sufficiunt excitare, & inducere animam ad cogitandam mundi consummationem. Hic sane mihi, & ad viros, & ad mulieres sermo est, flecte genua, ingemisce, ora Dominum, vt tibi misericors sit, immo inflectitur nocturnis precibus, si quando tu quietis tempus, facias lamentorum tempus. Memor esto regis qualia verba dicebat: Laboraui in gemitu meo, lauabo per Psal. 6. singulas noctes lectum meũ in lachrymis meis stratum meum rigabo. Quantumuis delicatus fueris, nõ es illo delicatior, quantumnis diues, non es ditior Dauide. Et iterum idem dicit: Psal. 118. Media nocte surgebam ad confitendum tibi super iudicia iustitiæ tuæ. Tunc non interturbat vana gloria, omnibus scilicet dormientibus, & non videntibus, tunc non ignauiam, & oscitãtia

tia insidiantur, quandoquidem animam tot ac tanta excitant, & alacrem reddunt. Post tales vigilias dulces somni, & visiones mirabiles. Sit Ecclesia domus ex viris, mulieribusq. constituta. Si tibi etiam filij sunt excita filios, & fiat modis omnibus domus noctu Ecclesia. Si autem teneri sunt, & vigiliam ferre nequeunt, vnam aut alteram orationem faciant, & iterum sinito quiescere. Tantum surge, tantum in consuetudine conserua te ipsum, nihil hoc promptuario melius, quod tales suscipit preces. Audi Psal. 62. Prophetam dicentem: Sic memor fui tui super stratum meum in diluculis, seu in matutinis meditabar in te. At dicis: laboraui per diẽ multum, & non possum. Cauillum est, & excusatio, nam quantumuis laboraueris, non laborasti tantum quantum faberferrarius, qui graues folles trahit vsque ad flammam, & fumum toto corpore recipit, attamen ille noctu sæpe multum negotij insumit. Scitis etiam mulieres, si quas vos necessitas facit ire in agrum, vel ad vigilias prodi, quomodo per totam noctem inuigilant. Et tibi igitur officina sit spiritualis, vt animam tuam pares. Accende orationibus animam tuam, non sic ignis sordes purgare solet, vt oratio nocturna sordes peccatorum nostrorum. Si nihil aliud, erubescamus quod nocturni vigiles, ac custodes propter hominum leges obambulant in frigore multum clamantes, & in vicis euntes sæpe compluuntur, rigentq. propter te, ac salutem, pecuniarumq. tuarum custodiam. Illi pro tuis pecunijs tantam habent curam, tu nec pro anima tua. Sane ego nõ cogor ambulare sub dio, sicut illi, neque clamore disrumpi, sed in ipso promptuario, conclauiq. tuo flecte genua, ora Dominum. Luc. 6. Quare ipse Christus pernoctauit in monte? Nonne vt typus nobis fieret? Tunc respirant plantæ in nocte dico, tunc & animæ maxime, & magis quam ille rorem suscipiunt. Quæ enim in die sol adusit, eadem nox refrigerat. Nocturnæ lachrymæ quouis rore magis contra concupiscentias, & ardores omnes demittuntur, nec sinunt grauiora pati. Si autem rore illo non frueris, post diem exureris. Verum refrigeremur, & misericordia Dei fruamur in nocte.

11 IDEM disputans contra illos, qui audita
Hom. 3. de incomprehensibili Dei natura. to. 5. concione statim domum proficiscebantur, nec orabant in Ecclesia dicentes orare, vel domi possumus, inquit, etsi domi quoq; datur orandi facultas, tamen fieri non potest, vt domi tã bene ores, quàm in Ecclesia, vbi tot patres, vbi clamor fœlici societate exitus ad Deum immortalem refertur, non pariter exoras, cum solus Dominum obsecras, atque tuis cum fratribus. Est enim in hoc plus aliquid, videlicet cõcordia, copula amoris, & chariratis, sacerdotum clamores, præsunt enim ob eam rem sacerdotes, vt populi orationes, quæ infirmiores per se sunt, validiores illas complexæ simul in cælum euehantur. Quod si omnis oratio tantã vim habet, longe magis eam, quæ ore multorum proueniat valere consentaneum est. Plus enim neruorum in ea est, & multo audẽtia maior quàm in domestica illa & priuata. Vnde id constet, Paulum audi dicentem: Qui ex tan- 2. Cor. 1.
tis periculis eripuit nos, etiã speramus, quòd adhuc eripiet, vobis quoque in oratione pro nobis subuenientibus, vt dono in vos collato, a multis personis gratiæ agantur pro nobis. Sic etiam Petrus carcerem euasit. Oratio enim fie Act. 12.
bat sine intermissione ab Ecclesia ad Deũ pro eo. Quod si Petro oratio Ecclesiæ profuit, & columnam illam, & stabilimen nostræ religionis e carcere liberauit, cur eius vim tu contemnis & negligis? Deum quoque dicentem audi quã 12
populo cum beneuolentia inuocante placetur, & parcat. Quippe qui se excusans apud Ionam Ionæ vlt.
dicat: Tu doles super cucurbita, in qua non laborasti, neque fecisti vt cresceret. Ego non parcam Niniuæ ciuitati meæ magnæ in qua habitant plures quàm centum viginti millia hominum? Non sine re amplum populi numerum proponit, sed vt intelligas plurimum eam pollere orationem, quæ cum consensu agitatur, & iugi concordia plurium hominum. Quod si cũ iram terreni imperatoris velitis extinguere vniuersi cum liberis, & vxoribus festinatis, cur quotiens ad cælestem illum Imperatorem placandum ire pergitis, vt totum liberetis orbem peccatis obnoxium, non vniuersi concurritis, & Ecclesiam penetratis, vt Deus vestram reueritus, atque exosculatus concordiam, & illis pœnam dimittat, & vobis peccata absoluat? Tempore illo non solum homines clamorem illum horribilem reddunt, sed etiam angeli Domino genu flectunt, & Archangeli rogant, habent sacram illam oblationem missæ in fauore. Itaque vt homines ramos olearum gerentes, monere reges consueuerunt, eoq. arboris genere misericordiam commemorant, & humanitatem: sic Angeli tunc pro ramis oliuarum corpus Domini ipsum protendentes rogant pro genere humano, quasi dicant: pro his Domine rogamus, quos tu adeo dilexisti, vt pro eorum salute mortem subires, pro his supplicamus, pro quibus tuum largitus es sanguinem, pro his oramus, pro quibus corpus hoc immolasti.

IDEM intendit demonstrare, quod plurimum nocturnã profit oratio, sic habet (omissis 13
multis, quæ in alia Homilia iam dixerat) Subre Homil. 42. ad populum Antioch. pfit somnus, mortis est imago. Si declinaueris in vicum, nec vnã quidem audies vocem. Si domum respexeris omnes velut in sepulchro videbis iacentes. Ecclesia sit domus ex viris & mulieribus constituta, non enim quod tu solus sis vir, neque quod hæc sola sit mulier, obstacu lum esse putes, ait enim: Vbi sunt duo in no- Matt. 18.
mine meo congregati, ibi sum in medio eorũ. Vbi Christus est medius ibi mgna multitudo. Vbi Christus, ibi necessarium est, & Angelos esse, necessarium & Angelos, & alias virtutes. Non igitur estis soli omnium habentes Dominum, & rursus audi Dominum dicentem: Me- Eccli. 16.
lior vnus voluntatem Domini, quam decem millia iniquorum. Nihil imbecillius multis

pecca-

peccatoribus, nil vno secundum Dei legem viuente fortius.

14 In hom.79. IDEM sic ait: Non mihi quispiam dicat, quod nequit homo secularis affixus foro continue per diem orare, & ad Ecclesiam concurrere, illic ante fores constitutus, & affixus tribunali potest orare. Et hoc multi fecere frequenter, & intus clamante magistratu, minãte, furente, pro foribus stantes signo muniti, & pauca verba per cogitationem orantes ingressi mutauerunt eum, atque mitigauerunt, & mitem ex fero reddiderunt nec a loco, nec a tempore, nec a clamore quidquam ad hanc orationem impediti sunt. Ne nos excusemus dicentes, quod non esset facile quempiam orare secularibus negotijs implicitum, prope se domum non inuenientem oratorium. Nam vbicumque sis, potes altare tuum constituere. Nihil enim locus prohibet, nec impedit tempus. Verum licet genua non flectas, neq; percutias pectus, nec in cælum manus extendas, si mentem tantum feruentem exhibeas, orationis perfectionem consumaueris. Licet enim forum petentem & ambulantem per se prolixas facere orationes. Licet & in officina sedẽtem & suentem pelles animam Domino dedicare. Licet & seruo, & adstanti coquo, cum ad Ecclesiam ire non poterit, orationem facere prolixam & solertem. Non enim locum Deus veretur, sed vnum exquirit, feruidam mẽtem & continentem animam. Nam & Paulus non
Act.16. in oratorio, sed in carcere iacens supinus, neq; stans erectus, neque flectens genua, non enim sinebat lignũ, quo vinctis pedibus tenebatur, quoniam cum studio iacens orauit, carcerem concussit, & labefactauit fundamenta, carce-
4. Reg.20 risq. custodem ligauit. Et Ezechias stãs haud rectus, neque genua flectens, sed supinus propter ægritudinem lectulo recubãs, cum ad parietem se ipsum conuertisset, quoniam Deum feruẽter inuocauit, & prolatam reuocauit sententiam, & multam adeptus est beneuolentiã, & ad pristinam redijt valetudinem. Et latro
Luc.23. in cruce distentus, paucis verbis cælestẽ regnũ assecutus est; & Hieremias in cœno & lacu, &
Dan.vlt. Ionæ 2. in lacu ferisq. Daniel, & Ionas in ipso cœti ventre Deum deprecati circunstantia quoque mala dissoluerunt, & gratiam inuenerunt diuinam.

15 Ep.14. quæ est ad Celãtiam de ratione pie viuendi. to.1. HIERONYMVS sic habet: Ita habeto sollicitudinem domus, vt aliquam tamen vacationem animæ tribuas. Eligatur tibi opportunus, & aliquantulum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excitatos foris cogitationũ fluctus secreti trãquillitate componas. Tantum tibi sit diuinæ lectionis studium, tam crebræ orationũ vices, tam firma & pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes facile hac
16 Epist.1. quę est ad Demetriadem virg. to.1. vacatione compenses.

IDEM dicit: Tibi maxime dum in proposito maturescat animus ab omnibus occupationibus recedẽdum est, & omne studium, omnisq. cura in ornandis moribus cohibenda. Infra: Et quamuis omne vitæ tempus diuino debeas operi consecrare, & nullam prorsum horam a spirituali profectu vacuam esse conueniat, cum tibi in lege Domini die ac nocte meditandum sit, debet tamen aliquis esse determinatus, & constitutus horarum numerus, quo plenius Deo vaces, & qui te ad summam animi intentionem velut quadam lege contineat. Optimum est ergo huic operi matutinũ deputari tempus, idest, meliorem diei partem, & vsque ad horam tertiam, animam quotidie in cælesti agone certantem hoc velut spiritualis quodam palestræ exerceri gymnasio. His tu per singulos dies horis in secretiori domus parte ora clauso cubiculo tuo. Adhibe tibi etiã in vrbe solitudinem, & remota paulisper ab hominibus propius Deo iungere, aspectuique tuorum reddita, lectionis fructum & orationis ostende. Nihil enim in hoc secreto magis agere debes, quàm animam diuinis eloquijs pascere, & quantum ei per totam sufficere possit diem, hoc eam veluti cibo pinguiore satiare.

17 Lib.1.de Abraham patriar. to.1. AMBROSIVS docet, quòd vir & vxor simul ad orationem nocte surgere debent, & coniunctis precibus Deum obsecrare.

18 Lib.6. de sacram.cap.3. to. 4. 1. *Tim.* 2. *Matt.* 6. IDEM interrogans vbi orare debeamus, ait Apostolus: docet viros orare in omni loco leuantes puras manus sine ira, & disceptatione. Et Dominus dicit in Euangelio: Tu autẽ cum oraueris, intra in cubiculũ tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum. Non tibi videtur esse contrarium, vt dicat Apostolus: In omni loco ora, & Dominus dicat, intra in cubiculum tuum, & ora? Numquid potuit Paulus contra Domini docere præcepta? Quid ergo? Potes vbique orare, & in cubiculo tuo semper orare. Habes vbique cubiculum tuum. Et si inter gentes, inter iudæos positus sis, habes tamen tuum vbique secretum. Cubiculum tuum, mens tua est. In populo licet positus, tamen in interiore homine arcanum tuum secretumq. conseruas. Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum. Bene addit intra, ne sic ores quomodo iudæus cui dicitur populus, hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me. Non ergo de labijs tantummodo tua procedat oratio, animo totus intende, intra in recessum pectoris tui, totus ingredere.

19 Serm.7. in Psal.118. to. 2. IDEM exponens illa verba; Memor fui nocte nominis tui Domine, dicit: hoc nomen inuocetur diebus ac noctibus, nullum tempus vacuum sinat sancta deuotio præterire. Si studentes igitur doctrinis secularibus perparum somno indulgent, quanto magis qui Deum cupiunt cognoscere, non debent somno corporis impediri, nisi quantum naturæ satis est? Dauid per singulas noctes lectum suum lachry-
Psal.6. mis diluebat, surgebat enim noctis medio, vt Domino confiteretur. Et ne totam noctem sopori existimes deputandam, tunc magis orandus est Dominus, tunc præsidia postulanda,

da, culpa cauenda, quando videtur habere secretum, tunc maximæ quando tenebræ in circuitu meo, & parietes me operiunt, considerãdum, quia Dominus omnia intuetur abscondita. Ne dixeris ego circunfusus tenebris, quis me videt? Quia vultus Domini super facien-
Psal.33. tes mala. Nescis illam caliginem noctis non opertorium, sed incentiuum esse peccati? Cũ somno & cibo feruent corpora, tunc etiam vigor mentis sopore laxatur, somno resoluitur, tunc irrepit impuri libido concubitus, tunc perturbatur cor, castitatis puritas non consideratur. Non erat quando Iudas prodidit, quando Petrus negauit, illo igitur præcipue tempore iustificationes Dei animo retexendæ sunt, relegenda mandata hortatoria. Tene illud animo, lauabo per singulas noctes lectum meum. Non dormiamus ergo totis noctibus, sed maximam partem earum lectioni & orationibus deputemus. Audi Ecclesiæ vocem
Cant.3. quærentis etiam in nocte Christum in lectulo meo, inquit, in noctibus quæsiui, quem diligit anima mea. Quæsiuit, in noctibus orando deprecando etiam lachrymis deplorando. Quæsiuit, in noctibus quia posuit tenebras latibulũ suum, vt quærere eum sollicitius disceremus.

20 Serm. 8. in Psal. 118. IDEM exponens verba illa; Media nocte surgebam ad cõfitendum tibi, super iudicia iustitiæ tuę, sic habet: Non satis est dies ad deprecandum, surgendum est, & nocte & media nocte. Ipse Dominus pernoctauit in oratione, vt te proprio ad deprecandum inuitaret exemplo & vtiq; peccatis tuis ille indulgentiam postulabat. Nõ tibi dicit propheta, vt tãtùmodo media nocte surgas, sed vt surgas nocte & maxime media nocte. Nocte enim surgendũ ante præmisit dicens. Memor fui nocte nominis tui Domine. Addidit media nocte surgebam, docens te surgendum media nocte. Non ociosum est quod adiunxit, ad confitendum tibi, hoc est, vt illo maxime tempore deprecaris Deum, & propria defleamus peccata, nec solum præteritis veniam postulemus, sed etiam futura declinemus, & præsentia. Infra: Non otiosè Dominus Deus noster cum posset, quocumque
Exo.12. momento primitiua Ægyptiorum extinguere, hoc tamen tempus dolori & luctui peccatoris oportunius iudicauit. Sic enim scriptum est, quia media nocte primogeniti Ægyptiorũ liberi ab exterminatore sint interẽpti, ideoq. sanctus Moyses, vt hoc præueniret tempus, & hebræi non occiderẽtur agnum, ante immolauit, hoc est vesperi, vt manducantes eum, & pascha vesperi celebrantes, non occuparentur exterminatoris insidijs. Non potes obliuisci cum lectum ascendes eius domini cui in occasum precem fuderis diei. Etenim quod vesperi cogitaueris, cito cum euigilaueris recensebis. Excitabit te ipse Dominus Iesus, admone-
16. bit, vt surgas & eo tempore arma orationis assumas, quo solet incursare tentator in nocte. Vnde nõ otiosè Paulus Apostolus, & Silas trusi in carcerem, cum in neruo pedes haberent, media tamen nocte surgebant mentis vesti-
gio, exorabant Dominum, & laudis sacrificiũ deferebant ideoq. vbi non defuit deuotionis officium, affuit etiam absolutionis remedium. Subito enim media nocte terremotus factus est grandis ita, vt mota sint fundamenta carceris, valuæ apertæ, omniũ vincula soluta sint. Surge igitur ad precandum. Surgẽdum igitur nobis est. Solet sponsus media nocte venire, cauẽ ne te dormientem inueniat.

21 Serm.22.ad fratres in erem.to.10. AVGVSTINVS dicit: Orate fratres mei in eremo, orate, & nolite deficere. Nam sicut proprium est canibus latrare, ita propriũ est eremi cultoribus orare, fratres clamate in eremo, vllulate in hac vasta solitudine, vociferari non quiescatis, clamate orando, & nolite deficere. Clamate non solum voce, sed maxime mente. Ecce enim semper auditis aues in deserto cantantes, & laudantes Deum factorem suum. Et si cantare non potestis, quia senes multi iam estis, mente saltem nolite facere. Nam & tacentes ore, mente autem orantes exaudiuit Dominus. Ecce Hiere-*Hier.20.* mias confortatur in carcere, Daniel inter *Dan.3. &* leones exultat, tres pueri in fornace tripu- *6.* diant. Iob in sterquilinio nudus triumphat, *Iob 2.* paradisum de cruce latro inuenit, Susanna *Luc.23.* inter senes defenditur, Stephanus de torren- *Act.7.* te in cælum suscipitur, & inter lapidantes pro Saulo exauditur. Non est igitur locus in quo orare non debeamus, quia Deus vbique est, vbique nos exaudire dignatur. Orate igitur semper & in omni loco vt saluemini, oratio sancta, columna sanctarum virtutum, deitatis scala, viduarum maritus, angelorum cognata, fundamentum fidei, monachorum corona, coniugatarum leuamen. Beatus qui te amat, beatior qui te frequentat. Beatus qui te astringit, sed beatior, qui in te perseuerat. Beatus qui te cum lachrymis fundit, quoniam holocaustum sanctum Deo, & immaculatum offerre non dubitamus.

22 Serm.86.in cantica. BERNARDVS exponens verba illa: In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea, inquit, locum & tempus obseruare oportet eum, qui sibi orare voluerit. Tẽpus feriatum commodius aptiusq. maxime autem, cum profundum nocturnus sopor indicit silentium, tunc plane liberior exit puriorq. oratio, consurge in nocte, inquit, in principio *Tren. 2.* vigiliarum tuarum, & effunde sicut aquam cor tuum ante cõspectum Domini Dei tui. Quam secura ascendit de nocte oratio, solo arbitro Deo sanctoq. angelo, qui illam superno altari suscipit præsentandam. Quàm grata & lucida verecundo colorata rubore. Quàm serena & placida nullo interturbata clamore, vel strepitu. Quàm denique munda atque syncera nullo respersa puluere terrenæ solicitudinis, nulla aspicientis laude seu adulatione tentata. Propter hoc ergo sponsa non minus verecunde quàm caute & lectuli secretum petebat & noctis, orare, hoc est, verbum quærere volens, vnum est enim. Alioquin non recte oras, si orãdo præter verbum aliquid quæras, aut quod

propter

propter verbum non quæras, quoniam in ipso sunt omnia. Ibi remedium vulnerum, ibi subsidia necessitatum, ibi resarcitus defectuum; ibi profectuum copiæ, ibi denique quicquid accipere, vel habere hominibus expedit, quicquid decet, quicquid oportet. Sine causa ergo aliud a verbo petitur cum ipsum sit omnia.

Oratio non dimittatur propter superfluas cogitationes, quas homo patitur, curet tamen multum eas moderari.

Cap. XI.

2 Homil. 30. in Gen. to. 1

PRÆTER ea quæ de re hac adnotauimus lib. 3. cap. 27. Chrysostomus sic habet: Magna arma sunt preces, magna securitas, magnus thesaurus, magnus portus, modo sobrij, & vndequaque mente nostra collecta, inimicoq. nostræ salutis nullo aditu permisso, Dominum adeamus. Scit enim hostis noster quòd per tempus illud possumus de ijs, quæ ad nostram salutem attinent, loqui, & vulnera medico ostendere, & sanitatem consequi, ideo maxime obsistit omnia quæ facit, & tractat, vt nos supplantet negligenteq. faciat. Proinde sobrij simus obsecro & scientes illius insidias, maxime tempore isto operam demus, vt quasi præsentem illum & ante oculos stantem videntes oblectemur illi, & cogitationem omnem, quæ nos interturbare possit, repellamus, totiq. nitamur, & loquamur, vt non solum verba, sed & mens verborum comes Deum accendant. Nam si lingua quidem proferat verba, mens autem foris sit sua tractans negocia, & imaginans quæ in foro agantur, nulla nobis vtilitas est, fortassis autem & maior condemnatio. Enim verò si cum homines accedimus, tanto studio nostri curam agimus, vt prope stantes sæpenumero non videamus, sed colligimus mentem, & ad eum solum spectamus, quem accedimus, quanto magis apud Deum idem facere continuo, & iugiter precibus insistere congruit? Propter hoc & Paulus scribens dicebat, orantes in omni tempore orate, & in spiritu non lingua tantum, & cum perpetua inquit, vigilantia, sed & in spiritu: spirituales enim, inquit, sint vestræ petitiones, sobria sit ratio, & ijs, quę dicuntur mens intendat. Toti expergefacti, sobrij, & mente solliciti, non oscitantes &, vt somniculosorum mos est, vos fricantes, & hinc inde mentem vertentes, sed magno timore, & tremore salutem vestram operemini.

2 In hom. varijs to. 1. homil. de fide Annæ. 1. *Reg.* 1.

IDEM explicans verba illa; Et factum est cum multiplicaret Anna precationem in conspectu Domini, dicit: Geminā hic virtutem in fœmina comprobauit, in precibus assiduitatē instantiamq. & animi vigilantiam, illam quidem, cum ait, multiplicauit, hanc cum addit in conspectu Domini. Nam omnes quidem oramus, sed non omnes in conspectu Domini. Etenim cum corpore in terra prostrato & ore frustra delirante, mens vbique per domum ac forum circumuagatur, quo ore talis posset dicere quòd orauerit in cōspectu Domini. Nam in conspectu Domini orat, qui orat vndequaque colligens suam mentem, nihil habens cum terra commercij; sed ad ipsum Deum totus cōmigrans omni cogitatione humana ab animo depulsa. Quemadmodum id temporis hęc fecit mulier; totam enim se se collegerat, ac mē tem intenderat, atque ita Deum inuocauit animo dolente. Infra: Iussit Dominus discipulis ne more gentium orarēt vtentes multiloquio. Nam si in longum extenderis verba, *Matt. 6.* cum frequenter parum iis attentus, multā audaciam diabolo suppeditasti, vt accedat supplanteq. ac mentem ab his quæ dicuntur auocet. Quod si frequenter oraueris, tempus omne crebris interuallis dirimens, facile poteris esse sobrius ac vigilans, vt precationem multa cum attentione perficias.

3 Hom. 5. in Matt. to. 2.

IDEM explicans verba illa Matth. cap. 14. Et dimissa turba ascendit in montem solus orare inquit: cuius rei gratia in montem ascēdit? Certe vt nos erudiat, cum orandum Deo sit, tunc eremo ac solitudine nobis maxime opus esse. Propterea igitur crebro deserta petit, & solus orans plerumq. pernoctat, vt eius exemplo tam a tempore, quam a loco tranquillitatem orandi quęramus. Tranquillitatis quippe mater eremus est, quietus portus, omnis turbationis expultrix.

4 Homil. 52. in Matth.

IDEM dicit: Tu eo die, quo liberis legitime operam dedisti, quamuis crimen illud non sit orare, tamen non audes antequam te ipsum mundes, conuiciatus atque contumeliatus mānum ad cælum tollis? dic quæso quomodo non inhorrescis? An non audisti Paulum dicentem *Heb. 13.* honorabiles esse nuptias, & thorum immaculatum? quod si ab incontaminato surgens lecto times ad orandum accedere, cum in diaboli lectulo sis, cur horribile Dei nomē audes *1. Tim. 2.* inuocare? Paulus iussit leuare puras manus sine ira, & disceptatione. Bene dispositi atque affecti ad regem accedamus, & ad genua eius procidamus non corporis solum, verum etiam multo magis mentis atque animi figura. Veniat nobis in mentem, quem adire constituimus, & pro quibus, & quid facturi adimus, quē seraphyn aspicere nequeunt quem terra contremiscit, qui lucem inaccesibilem habitat. Adimus autem, vt nos a gehennæ incēdijs liberemus, vt peccatorum indulgentiam impetremus, vt cælos & quæ ibi bona sunt consequamur. Concidamus igitur tam corpore quam mente, vt ipse iacentes nos erigat, oremus humiliter ac mansuete.

5 Hom. 16. in ter varias in Mat. quæ est de mul. Chananæa.

IDEM ait; Nonnulli introeuntes Ecclesiam in mille versus extendunt orationem suā, quasi apud Dominum multitudine sermonū opus sit tanquam ignoranti quid postules, qui antequam cogites nouit. Nam & illi quidem quid dicunt nesciunt. Labia mouentur solummodo, mens autem sine fructu est, & aures eius

eius surdę sunt. Tu non audis orationem tuam & Dominum vis audire precem tuam. Flexi inquis genua. Curuasti quidem genua, sed mens tua foris vagatur, corpus tuum intus, sed sensus foris, os quidem loquebatur, sed mens vsuras cogitabat, possessionum redditus supputabat, descriptiones domorum videbat, amicorum verba voluebat, negligentias intuebatur famulorum, parasitorum vrbanitates ridebat, mulierū speciē considerabat. Diabolus enim, cū sit astutus, scit quoniam in tempore orationis grandia postulemus, & sæpius impetremus, impedire festinat improuidas mentes. Nam aliquando cum resupini iacemus in lectulo, nihil tale cogitamus, sed cum venimus ad orationem cogitationum, nos opprimunt nubes, vt nos auocent & sine fructu efficiant.

6 Cicione 2. in Psal. 34. to. 1.

AVGVSTINVS explicans verba illa; Quasi proximum, & quasi fratrem nostrum sic complacebam ait: quando gaudemus in oratione, quando mens nostra serenatur, non prosperitate sæculi, sed luce veritatis. Qui sentit hanc lucem nouit quod dico, & agnoscit quod dictum est. Sicut proximum, sicut fratrem nostrum ita complacebam. Sic enim anima placet Deo non longe posita: in illo, inquit, moueмur, & sumus, quasi fratri, quasi propinquo, quasi amico. Si autem non est talis, vt posit, sic gaudere, sic propinquare, sic adhærere, & videt longe se inde, faciat quod sequitur, tanquam lugens, & contristatus, sic humiliabar. Vt fratrem nostrum ita complacebam propinquans dixit. Vt lugens, & contristatus, sic humiliabar, remotus & longe positus dixit. Quid enim luget, nisi quod desiderat, & non habet.

7 In Psal. 85.

IDEM explicans verba illa; Quoniam ad te Domine animam meam leuaui, quoniam tu Domine suauis ac mitis ait, attendat homo & videat, quanta aguntur in corde humano, quemadmodum ipse plerumque orationes impediantur vanis cogitationibus, ita vt vix stet cor ad Deum suum & vult se tenere, vt stet, & quodammodo fugit a se, nec inuenit cancellos, quibus se includat, aut obices quosdam, quibus retineat auolationes suas, & vagos quosdam motus, sed stet iucundari a Deo suo. Vix est, vt occurrat talis oratio inter multas orationes. Inuenimus Dauid orantem in quodam loco & dicentem. Quoniam inueni Domine *2. Reg. 7.* cor meum, vt orarem ad te. Inuenire se dixit cor suum quasi soleret ab eo fugere, & ille sequi quasi fugitiuum, & nō posset comprehendere, *Psal. 39.* & clamare ad Dominum. Quoniam cor meū dereliquit me. Itaque fratres attendens, quod hic ait, suauis es tu & mitis, videor mihi videre, hic quod ait, mitis. Iucunda animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui, quoniam tu Domine suauis ac mitis es, videor mihi videre ad hoc dixisse mitem Deū, quia patitur ista nostra, & expectat tamen a nobis orationem, vt perficiat nos, & quando illi eam dederimus accipit grate, & exaudit, nec meminit tātas, quas incondite fundimus, & accipit vnam, quam vix inuenimus. Quis enim est fratres mei homo, cum quo si amicus eius cœperit colloqui, & noluerit ille respōdere collocutioni eius, & viderit eum auerti a se, & aliud loqui ad alium, quis hoc ferat? Aut si forte interpellas iudicem, & constituas eum loco, vt te audiat, & subito cum ad eum loqueris, dimittas eum & incipias fabulari cū amico tuo, quando te tolerat? Et tolerat Deus tot corda precantium, & diuersas res cogitantium, omitto dicere & noxias, omitto dicere aliquando peruersas & inimicas Deo, ipsas superfluas cogitare iniuria est eius, cum quo loqui cœperas. Sed quid. Desperandum est de genere humano, & dicendum iam ad damnationem pertinere omnem hominē, cui surrepserit aliqua cogitatio oranti, & interruperit orationem ipsius? Si hoc dixerimus fratres, quæ spes remaneat non video. Porro quia magna est eius misericordia dicamus ei, iucunda *Psal. 85.* animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meam leuaui. Et quomodo eam leuaui? Quomodo potui? quomodo tu vires dedisti? Quomodo eā fugientem apprehendere valuit, & excidit tibi? Quia quotiescūq. ante me stetisti, puta Deum dicere tanta vana & superflua cogitasti, & vis mihi fixam & stabilem orationem fudisti. Quia tu suauis es Domine ac mitis, mitis es tolerans me. Ex ægritudine defluo, cura & stabo, confirma & firmus ero. Donec autem facias toleras me, quia tu suauis es ac mitis.

8

9 In Psa 145.

IDEM exponens verba illa; Lauda anima mea Dominū inquit: Quibusdam perturbationibus ex quadam sui parte fluctuabat, ex quandam verò parte inhærens Domino, animaduertit, quasdam suas inferiores partes perturbari, motibus sæcularibus & cupiditate quadā terrenorum desideriorum ire in exteriora, relinquere interiorem Deum, reuocat se ab exterioribus ad interiora, ab inferioribus ad superiora, & dicit: lauda anima mea Dominum. Itaque ad sanitatem colligit se quandam, & dicit: Lauda anima mea Dominum. Et quid est fratres? Nonne laudamus Dominum? Nonne quotidie hymnum nos cantamus? Nonne quotidie pro modulo nostro sonat os nostrum, parturit cor nostrum laudes Dei. Magnum est, quod laudamus, sed quo laudamus adhuc infirmum est. Ecce homo stat & cantat Deo aliquanto prolixius, & sæpe labia mouentur ad cantum, cogitatio autem nescio per quæ desideria volat, stabat ergo mens nostra quodammodo ad laudem Dei, & anima nostra per diuersas cupiditates, vel curas negotiorum hac atque illac fluitabat. Quasi desuper attendit 10 ipsa mens ad fluitantem hac atque illac, & eius inquietudinem molestiarum, quasi conuersa alloquitur. Lauda anima mea Dominum. Quid est quod de alijs rebus satagis? Quid est quod te occupat cura rerum terrenarum atq; mortalium? Sta mecum, lauda Dominum. Et quasi ipsa anima prægrauata & non valens ita cōsistere, vt dignum est respondet menti: laudabo Dominum in vita mea. Quid est in vita

mea?

mea? Quia modo in morte mea sum. Ergo prius exhortare te, & dic: lauda anima mea Dominum. Respondet tibi anima tua, laudo quantum possum, tenuiter, exiliter, infirmiter. Quare? Quia quãdiu sumus in corpore, peregrinamur a domino. Quare sic laudas Dominum non perfecte, non stabiliter? Quia corpus quod corrumpitur aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitãtem. Tolle mihi corpus, quod aggrauat animam, & laudo Dominum. Tolle mihi terrenam habitationem deprimentem sensum multa cogitantem, vt a multis in vnum confluam & laudẽ Deũ. Quãdiu autẽ ita sum non possũ, prægrauor. Quid ergo? Silebis & non laudabis perfecte Dñm? Laudabo Dñm in vita mea.

11 GREGORIVS explicans verba illa Iob capite 23. Non enim perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo sic habet, notandum quod non ait, faciem meã non tetigit, sed non operuit caligo. Sæpe enim corda iustorum subortæ cogitationes pol luunt, terrenarum rerum delectationibus tãgunt, sed dum citius manu sanctæ discretionis abiguntur, festine agitur ne cordis faciem caligo operiat, quæ hanc ex illicita delectatione tangebat. Nam sæpe in ipso orationis sacrificio importunæ se cogitationes ingerunt, quæ hoc rapere, vel maculare valeant, quod in nobis Deo flentes immolamus. Vnde Abraham cum ad occasum solis sacrificium offerret, insistentes aues pertulit, quas studiose, ne oblatum sacrificium raperent, abegit. Sic nos cum in ara cordis holocaustum Deo offerimus, ab immundis hoc volucribus custodiamus, ne maligni spiritus, & peruersæ cogitationes rapiant, quod mens nostra offerre se Domino vtiliter sperat.

Lib. 16. Moraliũ. ca. 19. to. 1.

Gene. 15.

12 IDEM explicans verba illa Iob cap. 38. Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem dicit: Nubes hæc non solum solet infideles extra positos premere, sed quosdam etiam viuentes carnaliter intra Ecclesiam tenebrare. Vnde sancti viri, qui etiam alienæ negligentiæ compatiuntur, & se pati æstimant, quod perpeti alios sentiunt, Deo orantes dicunt, opposuisti nubem ne transeat oratio, ac si aperte dicerent, menti nostræ terrenis voluptatibus assuetæ curarum suarum phantasmata iusto iudicio obijcis, quibus eam in ipsa orationis suæ intentione confundis, & quam desiderijs infirmis deditam non ignoras, recte cæcatam ab intuenda lucis tuæ perspicuitate reuerberas, vt cum in te intenditur, ipso a te cogitationum suarum nubilo reflectatur, & quæ terrena hæc assidue cogitat, quia vult; hæc etiam toleret in oratione, cum non vult. Et quia cor moderari diuinæ virtutis est opus, & cogitationes vanas frœnarẽ solus ipse valet subdit: Quis conclusit ostijs mare quando erumpebat, quasi de vulua procedis. Circundedi illud terminis meis & posui noctem, & nostra, & dixi, huc vsque venies, & non procedes amplius, & hoc confringes tumentes fluctus tuos.

Tren. 3.

13 BERNARDVS sic habet: Cum adorandum siue psallendum Ecclesiam intraueris, fluctuantium cogitationim tumultus exterius relinque, curamq. exteriorum penitus obliuiscere, vt soli Deo possis vacare. Fieri enim non potest, vt aliquando cum Deo loquatur, qui cum toto mundo etiam tacens fabulatur. Intende ergo illi, qui intendit tibi, audi illum loquentem tibi, vt ipse exaudiat te loquentem sibi. Ita fiet, si diuinis laudibus soluendis debita reuerentia, & sollicitudine assistas, super singula verba diuinæ scripturæ diligenter intendas. Non quod ego ista faciam dico, sed quod facere vellem, & non feciſſe pœnitet, & non facere piget. Attende quod sacrificium laudis Deum honorificat. O quam fœlix esses si spiritualibus oculis semel intueri posses, quomodo præueniunt principes cõiuncti psalẽtibus in medio iuuencularum tympanistriarum? Videres proculdubio, qua cura, quo vetripudio intersunt cantantibus, assistunt orãtibus, adsunt meditantibus. Vbicumque fueris, intra temetipsum ora. Frequẽter orandũ & flexo corpore mens est erigenda ad Deum. Vaca ergo & vbicumque fueris tuus esto. Quocumque loco consistis cogitationes tuas iacta in Deum, aliquid salutare in animo tuo versa. Tota ergo facilitate animum colligens libere tecum habita, & in latitudine cordis tui deãbulãs, ibidem cænaculum grãde stratum Christo exhibe. Mens namque sapientis semper est apud Deũ: illum semper ante oculos habere debemus, per quẽ sumus, viuimus, & sapimus.

13 In lib. meditationũ. cap. 6.

Psal. 49.

Psal. 67.

41 IDEM dicit: Miserere mei Deus, quia ibi plus pecco, vbi peccata mea emendare debeo. In monasterio namque sæpe dum oro non attendo quod dico. Oro quidem ore, sed mente foris vagante orationis fructu priuor. Corpore sum interius, sed corde exterius, & ideo perdo quod dico. Parum enim prodest sola voce cantare sine cordis intentione. Propterea magna peruersitas, immo magna insania est, quando cum Domino maiestatis loqui in oratione præsumimus, & insensati aurem auertimus, & ad nescio quas ineptias conuertimus cor. Magna quoque insania & grauiter vindicanda, cum vilissimus puluis loquentem ad se audire dedignatur Creatorem vniuersitatis. Ineffabilis verò est dignatio diuinæ bonitatis, quæ quotidie conspicit nos infœlices aures auertentes, obdurantes corda, & nihilominus clamat ad nos, dicens: Redite prævaricatores ad cor, venite & videte quoniam ego sum Deus, loquitur mihi Deus in Psalmo, & ego illi, nec tamen cum Psalmũ dico, attendo cuius Psalmus sit. Idcirco magnam iniuriam Deo facio cum illum precor, vt meam precem exaudiat, quam ego, qui fundo, non audio. Deprecor illum, vt mihi intendat, ego verò, nec mihi, nec illi intendo, sed quod deterius est immunda, & inutilia in corde versando, fœtorem horribilem eius aspectibus ingero.

41 Lib. meditationũ. ca. 8.

Isa. 46.

Otium

Otium bonum est, & malum, vnde amplexandum est otium bonum, fugiendum autem quod non est tale.

Cap. XII.

1 Homil. 8. in Hexamerõ. in. 1. BASILIVS sic habet: Qui in otio degunt, quidnam nõ loquũtur? quid absurdi nõ auscultant? Otium enim Dei metu si careat, præceptor vitiorum ijs est, qui tẽpore sibi indulto non norũt vti. Vnde quæ vobis modo dicimus ad recte viuendum conducent, vel saltem delinquere vobis per occupationem hãc haud licebit ita, vt quo vos quispiam plus hoc loco detineat, eo vos plus a committendis abmoueat delictis.

2 Hom. 12. in Psal. 45. IDEM exponẽs verba illa; Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus, inquit: Quatenus ijs rebus vacamus, quæ alienæ sunt a Deo, Dei notitiam recipere nequaquam valemus. Quis enim eorum, quæ mundi sunt sollicitus seq. immergens multimodæ distractioni carnis attendere possit verbis Dei, satisve facere tot, tantarumq. contemplationum exactæ cõprehensioni? Nonne vides, quod in spinas delapsum verbum a spinis suffocatur? Spinæ nãque carnis voluptates & diuitiæ, & curæ sunt huius sæculi. Extra hæc omnia constitutum esse opus sit eum, qui cognitionem Dei desiderat, debetq. ab omnibus perturbationibus, atque affectibus vitiosis vacare, sic demum Dei scientiam apprehendere. Quomodo enim animã tot adeo, quæ ipsam præoccuparint, distractionibus, cogitationum oppressam, Dei cognitio, cogitatioq. penetrabit? Nouit hoc & Pharao proprium esse hoc liberiore otio fruẽtium, vt Deum inquirant. Atq; ideo opprobrabat Israeli, dicens: Vacatis, otiosi estis, ac ideo dicitis Dominum Deum nostrũ adorabimus. Ipsa igitur vacatio, bona vacanti atque vtilis, quietam ad salutarium doctrinarum generãs susceptionem; mala vero vacatio Athenienſiũ, qui nulli rei vacabant alij, quàm vt noui quidpiam aut dicerẽt, aut certe audirent. Quod genus otij vel hodie imitantur quidam, inerti otio vitam elocantes suam. Talis enim vacatio immundis spiritibus est amica. Ait Christus, cum immundus spiritus exierit ab homine. Deinde dicit: Reuertar in domum meam vndè exiui, & reuersus inuenit illam vacantẽ. Abſit igitur fratres, vt nos per huiusce modi vacationem aditum aduersario præbeamus, sed domui mẽtis nostrę vacemus, vt in nobis Christum per spiritum mereamur habere inhabitantem. Igitur postquam nobis agitatis ab hostibus pacem dilargitus est, tunc dicit, vacate a misere vos distrahẽtibus inimicis, vt in quiete & silentio verba veritatis contemplari possitis. Idcirco Dominus alias dicit: Qui nõ renunciat omnibus, quæ possidet, non põt meus esse discipulus. Vacemus itaque ab opere nuptiali, vt orationi vacemus. Vacemus item a studio diuitiarũ, a cupiditate item inanis gloriolę, a voluptatum vsu, ab inuidia, & omni demum in proximum nostrũ malignitate, vt anima nostra in tranquillo ac requieto statu consistente, nec vlla vitiosæ affectionis turbela eã agitante, in ea tamquam in speculo irradiato, & affulgentia Dei pura sit, nec vlla obscuretur caligine.

Luc. 11.

3 IDEM sic habet: Cum Dominus Iesus dicat dignus est non quilibet sed operarius mercede sua, cumq. Apostoli præceptum sit, qui fatigari & laborare nos iubet proprijs manibus quod bonum est, vt sit nobis vnde egentibus tribuamus. Sane studiosius laborandum esse re ipsa liquet, neque enim causa ad inertiam, aut laboris fugam spectante, vita secundum pietatem instituta existimari debet, sed materia potius subeundi certaminis, & maioris laboris, & in rebus difficilibus tolerantiæ, vt nobis quoque vere liceat dicere: In labore & ærumna in vigilijs multis, cum non ad corporis castigationem modo vtilis nobis huiusmodi vitæ ratio sit, sed ad charitatem etiã erga proximum, si infirmis fratribus necessaria, de labore nostro ministremus. Verum enim quantum ex otio mali sit, quid attinet memorare, cum Apostolus aperte præcipiat, vt qui non laborat, is nec manducet. Sicut igitur vnicuiq; ad vitæ sustentationem necessarius est cibus quotidianus, item nihilominus vnicuique in opere faciendo necessaria industria est. Neq; enim temere laudis loco positum fuit illud a Salomone, panem otiosa non comedit. Itemq. ab Apostolo de se ipso dictum est illud: Neque gratiæ panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione, nocte & die operantes. Quin Dominus etiam ipse pigritiam cum malitia coniunxit, cum dixit: Serue male, & piger. Idem præterea vir sapientiæ gloria excellens Salomon, non solum ex ijs, quæ a me memorata sunt modo, virum gnauum laudat, sed ignauum etiam castigat, illa ex tenuissimarũ bestiolarum comparatione, cum dicit: Vade ad formicam, o piger. Proinde metuere debemus, ne aliquando hoc in die iudicij nobis obijciatur, cum qui ad excipiendos labores idoneas nobis vires suppeditauerit, is parem quoque illis a nobis in laborando industriam reposcet.

4 In lib. regulariũ fusius disputatarũ resp. 37. interrog. *Matt. 10.* *Eph. 4.* *2. Cor. 11.* *Prou. 31.* *2. Thess. 3.* *Matt. 25.* *Prou. 6.*

5 In lib. constit. monast. cap. 5. IDEM ait: Neq; enim in eo consilio Dominus hominẽ finxit, vt segnis ac languens desideret, sed contra potius vt esset, qui se in laboribus honestis exerceret, quandoquidem & primo in paradiso Adæ præcepit, vt laboraret, & paradisum ipsũ custodiret, & tũ deinde postquam ex eo ille eiectus exulauit, sententiã tulit, vt in sudore suo vesceretur pane suo. Quæ autem Adæ dicta tunc fuere, nobis etiã conueniunt, cum enim ille audierit, terra es, & in terram ibis, hoc non illi soli, sed etiam nobis dictum est. Quamobrem conuenit vnumquemq; neque naturæ ordinem, neq; præscriptos a naturæ opifice limites transilire, potiusq. in his

Gen. 3.

continere se,& corpus in actione aliqua occu-
2. Thes. 4. patum tenere. Vnde Paulus aiebat: Obsecro, vt quieti sitis, & vt vestrum negotium agatis, & laboretis manibus vestris.

6 ✝ CHRYSOSTOMVS explicans verba
Hom. 14. in Gen. to. 1. illa Gen. 2. Posuit Deus hominem in paradiso vt operaretur,& custodiret illum, dicit: Cum omnibus delicijs potirentur ibi vitam agẽtes, tam oblectamentis eorum,quæ videbant, quã lætitia eorum,quibus fruebantur,vt ne immodica prosperitate homo insolesceret, ideo iussus est operari. Omnem enim malitiã docuit otium,& ideo præcepit Des Adæ,vt custodiret paradisum, alias enim paradisus illius cura nõ indigebat. Erat autem operatio tunc sine labore,sed erat occupatio quædam illi data,quæ neque dolorem,nęq; molestiam afferret.

7 EIDEM est hæc sententia: Otiosa iuuen-
Hom. 38. in Matth. to. 2. tus impudenter educata,omni ferocissima bestia immanior est.

8 ✝ IDEM explicans verba illa; Quid hic sta-
Homil. 34. imperfecti in Matth. tis tota die otiosi, sic habet: Otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur, qui autem malum fecit otiosus non est,sed mortuus.Si alienas res tollis,non es otiosus,sed mortuus. Si autẽ aliena quidem non tollis,tamen nec de tuis rebus impotentibus das,tunc otiosus es. Vis nõ esse otiosus? nec aliena tollas,& de tuis des,& operatus es in vinea Domini,& coluisti misericordiæ vitẽ. Inebriatus in delicijs es,non es otio-
1. Tim. 5. sus,sed sicut ait Apostolus: Viues mortuus es. Si autẽ mensurate manducas & bibis,non quidem peccas,quia non male manducas, tamen otiosus es,quia nullam ieiunij operaris vitem. Vis ergo non esse otiosus? ieiuna, & quod mãducaturus fueras diurno,da impotenti,& coluisti ieiunij vitem. Non solum non inuideas, sed & congaudeas meliori,& beneuolentiæ vitem colis. Mercenarij sumus conducti,vnde si ne opere esse non possumus. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium,vt hoc solũ faciat quod manducet, sic & nos non ideo vocati sumus a Christo, vt hæc sola operamur, quæ ad nostrum pertinẽt vsum,sed ad gloriam Dei. Et sicut mercenarius, qui hoc solum facit quod mãducat sine causa ambulat in domo,sic & nos si sola hæc facimus, quæ ad nostram pertinent vtilitatem, sine causa viuimus super terram. Et sicut mercenarius totũ diem circa Domini opus impendit, vnam autem horam circa suũ cibum,sic & nos omne tempus vitæ nostræ debemus impendere circa opus gloriæ Dei, modicam autem partem circa vsus nostros terrenos. Et sicut si mercenarius qua die opus non fecerit erubescit intrare domum,& petere sibi panem, quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam,& stare ante conspectũ Dei, quãdo nil boni in cõspectu Dei gessisti? Adam positus est in paradiso colere & operari eum, sed quia neglexit eum, proiectus est inde. Et nos positi sumus super colendam iustitiam, si neglexerimus, proijciemur de ea, sicut & iudæi proiecti sunt. Sicut autem mercenarius positus in vinea,si neglexerit eam non solam mercedem suam perdet, sed etiam desertæ vineæ exigetur ab eo damnum, sic & nos si neglexerimus iustitiam nobis commissam, non solum nullam mercedem habebimus, sed etiam dissipatæ iustitiæ dabimus rationem. Si ergo ille, qui propter suam vtilitatem vineam commisit alicui,talem illam quærit recipere, qualem ille commisit,quomodo non a nobis sic immaculata iustitia requirenda est, quomodo eam creauit in nobis, quibus non propter se dedit eam,sed propter nostram salutem? Infra:
Otiosos reprehendit. Seruus ille, qui accepit Luc. 19. a domino suo vnã mnam, vt quid audiuit serue nequam? vt quid missus est in tenebras? quia perdidit mnam suam? aut quia nihil est lucratus de ea? sine dubio,quia nihil est lucratus. Si ergo ille non est impunis in die iudicij, otiosus stetit in foro, & nullam iniustitiam operatus est, quid faciet illi in die iudicij, qui peccauit, & mnam suam perdidit? Quid hic statis tota die otiosi? An nescitis, quia qui non operatur in hoc sæculo non manducat in alio? Et qui alijs manducantibus & bibentibus in hoc sæculo operatur, in illo sæculo alijs ieiunantibus ipse non ieiunabit, sed recumbit cum Abraham, & manducabit de prandio vitæ. Qui autem hic alijs operantibus stat otiosus, alijs recumbentibus in illo sæculo ipse expelletur foras. Dies enim iste dies operationis est,dies autem ille, qui sequitur,dies est feriarum.

10 IDEM sic ait: Quis æque vtilis est, is qui
Hom. 35. in Act. Apost. to. 3. in delicijs, vel qui exercetur? Quæ nauis, ea quæ nauigat, vel quæ in littore manet? Quæ aqua, ea ne quæ fluit, an quæ stat? Quod ferrum, an quod mouetur, vel quo nemo vtitur? nonne illud quidem splendet, ac argento simile est, hoc autem rubigine consumitur, & vbique inutile est? Tale quiddam fit etiã in otiosa anima. Rubigo enim quædam apprehendit illam, & consumit splendorem, ac alia omnia. Agricola arrepto ligone egreditur, singuli opifices sua instrumenta in manus sumunt, mulier fusum, Otiosi autem & pingues quasi porci statim a matutinis horis ad pascendum ventrem egrediuntur, tametsi hoc solum sit brutorum primo mane pasci,quia tantum ad mactandum vtilia sunt. Hic autem a lecto surgit sole iam totum implente forum,& omnibus labore satiatis. Surgit autem se se distendens sicut sus ipsa,quæ impinguatur,optima diei parte in tenebris consumpta. Deinde se ipsum ornat, & procedit turpitudinis spectaculum,nihil habens hominis, sed omnia, quæ sunt bestiæ, sed & in locis dicit, facitq. talia, vt melius esset adhuc illum dormire, quàm vigilem esse. Vultus eius oscitationibus plenus est, omnibus adhæret, qui volunt male agere. Hæc a nobis non sine causa dicta sunt, ne quis dissolute, & inutiliter viuat. Otium enim, & voluptas ad operationes inutiles, ad gloriam solum, & ad delicias respiciunt. Quomodo non omnes talem condemnabunt, & domestici, & amici, & cognati? Quis autem non

iustus dicet, onus hic est terræ, frustra aduenit in mundum talis, immo non frustra, sed in malum sui capitis, in damnum proprium, 11 in detrimentum aliorum? Quid igitur videtur dulcius, hoc enim nunc quæritur, otio & feriatione? Et quid fœdius homine, qui non habet quod operetur, quid laboriosius, quid miserius? nonne hoc plurimis vinculis deterius? toto die in foro, quotidie oscitare, & spectare homines prætereuntes. Animæ enim natura est, vt semper moueatur, & quiescere nequeat. Deus hoc animal condidit operationibus deditum, & ex natura eius est operari,& præter naturam eius esse otiosum, ne ab ægrotantibus causam probemus, sed a re ipsa experimentum capiamus. Nihil vacatione molestius, nihil otio. Ideo necessitatem operandi indidit nobis Deus. Omnia enim ab otio damnum accipiunt. Etenim & oculus & os & venter, & vnumquodque membrorum, nisi quod suum est operetur, in extremum incidit morbum. Hoc autem maxime in anima est, nam sicut otium mala res est, ita & operatio, quæ non congruit. Igitur vtrumq. fugere studeamus, & otium, & opus otio deterius. Auaritia ira & reliquæ affectiones, ab his vacemus; vt bona æterna consequamur.

12 IDEM docet, quòd ab otio & inertia & ex
Ho. 7. in 2. ep. Pauli ad Cor. to. 4. eo quod nihil habemus,quo occupemur,oritur fornicatio. Quoniam mors est homini aliquid agere vbi cessarit in bonis occupatus esse,quãdo non potest anima esse otiosa, cogitur alia quidem gignere, non aliter quàm terra non occupata semente, aut consitione quamlibet herbam producit, sic & anima quoties non habet quod agat rerum necessariarum, cum omnino cupiat aliquid agere, prauis actionibus semet tradit. Et quemadmodum oculus, quando non desinit cernere atque ob hoc cernit mala, si quando bona non sint obiecta, sic & cogitatio quoties se abducit a necessarijs, circa inutilia iam versatur. Nam vndequaq; perspicuum est, quòd occupatio ac sollicitudo valet primum incursum repellere.

13 HIERONYMVS explicans verba illa;
Lib. 1. in ca. 16. Ezechielis. to. 4. Hæc fuit iniquitas sodomæ sororis tuæ superbia, saturitas panis, & otium, inquit: in desiderijs est omnis anima otiosi, quia videlicet semper aliquid agendum est, ne ager pectoris nostri cessante manu, malarum cogitationum sentibus occupetur.

14 IDEM exponens verba illa; Panem otio-
Lib. 3. in ca. 31. proverb. to. 7. sa non comedit ait: Panem otiosa non comedit mulier fortis iuxta illud Apostoli, qui non operatur non manducet, & ipse de se. Quoniam ad ea quæ mihi opus erant ministrauerunt manus istę. Vnde merito luxuriantes viduas arguens adiungit, simul autem, & otiosæ discunt circuire domos,non solum otiosæ, sed & verbosæ & curiosæ.

15 IDEM exponens verba illa; Ergo dum
Lib. 3. in ca. 6. ep. Pauli ad Galatas. to. 3. tempus habemus operemur bonum ad omnes sic habet: Tempus sementis,tempus est præsens, & vita quam currimus. Cum ista vita transierit operandi tempus aufertur. Vnde Dominus ait: Operamini dum dies est,venit Ioan. 9. nox,quam iam nullus poterit operari. Ortus est sol congregatę sunt bestiæ in cubilibus, vt exeat homo ad opus suum, & ad operationem suam vsque ad vesperam. Infra: Titus fi- Psal. 103. lius Vespasiani tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadam nocte sero recordaretur infœna quod nihil boni die illa fecisse, dixerit amicis. Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam diem,momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loquimur pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij. Ideo ergo dicit Paulus: operemur bonum ad omnes.

16 AMBROSIVS dicit: Non primus Sci-
Lib. 3. officiorũ. ca. 1. to. 1. pio sciuit solus non esse, cum solus esset, nec minus negotiosus, cum otiosus esset. Sciuit ante ipsum Moyses, qui cum taceret clamabat, cum otiosum staret præliabatur, nec solus præliabatur, sed etiam de hostibus, quos non contigerat, triumphabat, adeo otiosus, vt manus eius alij sustinerent, nec minus quàm cæteris negotiosus, qui otiosus manibus expugnabat hostem, quem non poterant vincere, qui dimicabant. Ergo Moyses in otio operabatur. Cuius autem maiora negotia quàm huius otia, qui quadraginta diebus positus in monte totam legem complexus est & in illa solitudine, qui cum Deo loqueretur, non defuit? Vnde & Dauid ait: Audiam quid Psal. 48. loquatur in me Dominus Deus. Sedebat Heli- 4. Reg. 6. sæus in vno loco & rex Syriæ magnam belli molem inferebat populo patrum & omnes eius apparatus propheta deprehendebat. Conferamus hoc otium cum aliorum otio. Alij enim requiescendi causa animum abducere a negotijs solẽt,& a conuentu cœtuq. hominum substrahere se se, & aut ruris petere secretum,aut intra vrbem vacare,animo indulgere quieti & tranquillitati. Quando iustus solus est, qui cum Deo semper est? Quando autem feriatur a negotio, qui nunquam feriatur a merito, quo consummatur negotium.

17 AVGVSTINVS dicit: homines priua-
Epist. 116. quæ est ad Nebriũ. t. 2. ti, qui negotiosam vitam appetunt, hoc tantum bonum concedi non arbitror, vt inter strepitus inquietosq. conuentus atque discursus, cum morte familiaritatem, quam quærimus faciant.Deificari enim his in otio licebat. Aut si hoc falsum est, ego sum omnium ne dicam stultissimus, certe ignauissimus, cui nisi proueniat, quædam secura cessatio, syncerum illud bonum gustare, atque amare non possum. Magna cessione a tumultu rerum labentium, mihi crede, opus est, vt non duritia non audacia fiat in homine nihil timere.

18 IDEM disputans de vitanda otiositate,
Serm. 17. ad fratres in eremo. to. 10. sic habet: Quid est otium nisi viui hominis sepultura, vt dixit gentibus quidam? Per otiositatem fratres rigorem sanctæ solitariæ religionis fastidimus,per hanc eremum sępe exire teneamur, per hanc accendimur frequenter ad luxuriam, per hanc animamur ad

superbiam, per hanc ducimur ad mundi gloriam, per hanc tentamur delicate pasci, per hanc ad superfluam dormitionem trahimur, per hanc ad verba secularia ducimur libenter audire. Hæc est illa otiositas pessima, quæ frequenter sanctorum conuentus destruit generans omnia, quæ sunt opera carnis. Numquam quis ciues cælorum erit, si otiositatem amauerit. Ergo qui in eremo habitas, si vis perfectus esse, fuge otiositatem, quia in sernis Dei nihil peius reperitur. Fuge otium, & semper aliquid facere memento. Semper occupatos vos esse desidero. Otiositatem fugere cupiens sanctus monachorum pater Antonius clamauit ad Dominum in eremo, & dixit: O Domine Deus meus suscita in me gratiam, infunde seruo tuo misericordiam, vt in eremo collocatus in tuo conspectu otiosus non maneam. Antonius audiuit, Antoni quæris Deo placere? ora, & dum orare non poteris, manibus labora, & semper aliquid facito. Ergo & tu frater, fuge otium, quod mors est, & aperi oculos mentis, & corporis, videbisq. singulas creaturas ad officia singula deputatas. Ecce enim, sol cursum anni perficit, luna etiam mensibus & vicissitudinibus discurrit, & ceteræ stellæ. Omnia enim sibi deputata officia sine quiete exercent. Nũquid etiam animalia bruta ad suæ naturæ industriam otium fugiunt? Numquid etiam semper laborant vt cõseruentur in esse? Numquid in suis necessitatibus deficere, & pigrescere ea videmus? Absit. Omnia enim agunt, quæ agere debent. Solum autem miser homo accidia soporatus a suo officio frequenter recedit, & Dei imaginem in se deturpans, in accidia perseuerat. Erubesce Christiane, quoniam insipientior iumentis, & formicis hodie factus esse comprobaris. Vade enim ad formicam, & considera semitas eus, & disce ab ea miser, qui capite eleuato perambulas, & super astra cælorum iam ascendere credis, considera semitas eius, quia cum præceptorem non habeat tamquam de salute sua sollicitæ in æstate grana colligere non desistit, quibus viuere possit in hyeme. Laborare exemplo formicæ debemus, vt fructum bonorum operũ acquiramus in æstate præsentis vitæ tam sollicite & sedule, vt tempore hyemis, & iudicij non fame pereamus. Omnem otiositatem expellite, semper aliquid boni facite, cogitantes, quòd quamdiu Dauid exercitauit se in militia, non insultauit sibi luxuria, sed postquam in domo otiosus remansit, laborauit adulterio, & homicidium cõmisit. Samson dum cum Philisthæis pugnauit, non potuit capi ab hostibus, sed postquam dormiuit in sinu fœminæ, & otiose cum ea remansit, mox capitur, & cæcatur ab hostibus. Salomon dum occupatus esset in ædificatione templi non sensit luxuriam, sed mox recedens ab opere persensit insultum luxuriæ, & adorauit vitulum aureum. Vigilate ergo, quia nec sanctiores Dauid, nec fortiores Samsone, nec sapientiores Salomone vos esse cognosco. O fratres honesto opere semper occupatos vos esse desidero, & quod perdidistis in sæculo recuperetis laborando in eremo in futuro.

19 Prou. 6.

1. Reg. 11

Iudic. 16.

2. Reg. 11

20 BERNARDVS sic ait: Agricolæ cum diu desiderata, affuerit opportunitas seminandi. Vinitores, cum expectatum tempus putationis aduenerit inuenisse occupationes, & quasi irreprehensibiliter sine opere diem trãsegisse lætantur? Sic instantibus nundinis, institores nectere moras, occasiones quærere solent, ne quem forte sibi ex eis quæstum prouenire contingat. Sic denique pauperes mendicantes, cum multis clamoribus euocatus tandem affuerit eleemosynarum distributor, diuerticula captant, & concurrentibus socijs vacuos ambiunt occupare recessus, & fouere latebras in angulis platearum? Vtinam tamen vel solum tempus vitæ amitteretur in verbis, sed multi in his etiam vitam amittere comprobantur.

Serm. de triplici custodia, manus, linguæ, & cordis.

21 IDEM dicit: Numquam otiosus sis, quin aut legas, aut aliquid se scripturis sacris mediteris, vel certe rumines psalmos, operando nihilominus incessanter quod tibi fuerit iniunctum, vt semper te diabolus inueniat occupatum. Multam enim malitiam docuit otiositas.

In lib. cuius titulus est, Formula honestæ vitæ.

FINIS LIBRI DECIMITERTII.

LIBER

LIBER XIIII.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES

AVCTORE R.mo D. F. IOANNE LOPEZ
Episcopo Cotronensi Ord. Prædic.

Patientiæ & mansuetudinis laus & vtilitas, & quæ ad ipsam habendam mouere nos debent. Cap. I.

1 Lib. 1. in Iob ca. 2.

DE re hac multa diximus lib. 1. cap. 12. lib. 9. cap. 4. 7. & 15. lib. 10. capite 1. Præter illa Origenes explicans verba illa: Scidit Iob vestimenta sua, ait: Cur conscidit? ob hoc cõscidit, vt expeditior, atq; constantior extitisset in prælio, vt illa, quæ retardant deponeret, vt illa, quæ impediunt a se proijceret, vt tamquam audacissimus prælior, & tamquam singularis monachus aduersus inæstimabiles aduersarios singulariter immobilis perstitisset. Ob hoc ergo conscidit vestimenta sua. Nam & vere talis mos est in aliquibus gentibus, vt cum ad durum prælium venerint, tunc nimirum scindentes vestimenta sua cum furore, atque indignatione currunt contra aduersarios intemperãter nudo pectore cum fiducia se offerentes: vt est Syrorum gens. Item vero aliæ barbaræ gẽtes exspoliantes se, atq; in ipsis tunicis se præcingentes nudo pectore, atque scapulati viriliter eunt in prælium. Sic itaque admirabilis Iob conscindens vestimenta sua, atque omnia deponens impedimenta, nudus atq; audax stetit in spirituale prælium. Aut adhuc conscidit vestimẽta sua sine mora semetipsum ad ipsas præparans plagas. Ecce inquiens dorsum nudum, ecce corpus detectum. Vos flagellate, ego autem sufferam, vos verberate, ego autem sustineam, dicẽs cum Hieremia: Dorsum meũ dedi ad flagella. Dicens cum Dauid supra dorsum meum fabricauerunt peccatores. Sed & adhuc cum eodem Dauide: Fui flagellatus tota die. Peculium ò maligni consumpsistis, filios perdidistis, nec quidquam aliud, nisi hoc corpus, & hanc vestem mihi reliquistis. Ecce nunc omnia vobis proijcio, ecce corpus nudũ paratum ad pœnæ supportationem, ad dolorum tolerantiam.

Psal. 128.

Psal. 72.

2 BASILIVS explicans illa verba; In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, & lætentur, dicit: Quoniã sine bello, ait Dauid, mea salus parta est ex sola oris mutatione, diuino auxilio deceptis inimicis, audiant mansueti, quoniam possibile & ijs est, qui sunt quieti trophæum excitare, & minime pugnantes victores declarari. Lætentur itaque, qui meo exemplo ad complexum mansuetudinis sunt confirmati. Maxima omnium virtutum mansuetudo, eoq. in beatitudinum numerum relata est, Beati, inquit mites, quoniã ipsi possidebunt terram. Illa enim terra cælestis Hierusalem, non est bellatorum spolium, sed longanimiter & mansuete omnia tolerãtium sperata hereditas. Idem enim valet audiant mansueti, & audiant Christi discipuli, vult forsan Dauid miraculum diuine istius erga se beneficentiæ in nos more prophetico deriuari. Audiant qui multis post generationibus futuri sunt Christiani. Hos namque mansuetos nominauit, quibus Dominus ait: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Qui enim

Homil. 9. in Ps. 33. to. 1.

sedatis sunt, & compositis moribus, nempe ab omni affectu vitioso liberi, adeo vt nullũ relinquerint in animabus suis perturbationi locũ; hi demum mansueti appellantur, eoq. Moyses præter ceteros homines mansuetus fuisse probatur scripturæ elogio.

3 Hom 34. in Gen. to. 1. CHRYSOSTOMVS inquit; Exemplo Abrahæ, qui vt iurgia tolleret, Loth sibi inferiori cessit, modestia conspicui cedamus alijs, & inferiores haberi conemur tã verbis, quàm operibus. Neque enim vmquam eis, qui nobis iniuriam faciunt, aduersemur. Neque contumelia affecti feroces simus, etiã si contemptiores, & magis inopes nobis sint, qui nobiscum contendunt, sed mansuetudine & lenitate furorem comprimamus. Nihil enim illa potentius, nihil fortius. Illa animam nostram in perpetua tranquillitate, & quasi in portu constituit, & omnis quietis occasio nobis est. Ea propter & Christus diuina illa docens, dicebat: *Matt. 11.* Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, inuenietisq. requiem animabus vestris. Modestia omni diademate se posidenti & vtilior. Quid enim beatius, quam intestino liberari bello? Nam quamuis plurima pace & cura externa fruamur, si intra nos cogitationum nascatur tempestas, tumultus, & seditio, nihil externa pax nobis proderit, sicut neq; miserabilius est aliquid ciuitate, quæ licet præsidijs & muris bene sit munita, intus tamẽ ciues foueat proditores. Hoc igitur obsecro, vt ante omnia nobis sit curę, quomodo animam a turbulẽtia vindicemus, & in tranquillum statum inducamus, & ijs, qui familiaritatem nobiscũ habent, simus blandi. Et vt discas quantum mansuetudinis & lenitatis sit robur, & quod hæc virtus sufficiat se colentẽ diligenter ineffabilibus laudibus dignum reddere, audi Moysen hinc potissimum prædicari, & ex hac ei coronã plecti. Et Moyses, inquit, erat mitissimus omniũ *Num. 12.* hominum super terram. Omni eum humano generi parem pronunciat, immo omni hominum generi præfert. Et iterum de Dauid dicit *Psal. 131.* Scriptura: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius.

4 Hom. 52. in Gen. IDEM exponens verba illa Gen. cap. 26. Et foderunt pueri Isaac, & inuenerũt puteum aquæ viuentis, & litigauerunt pastores Gerarorum, dicẽtes suas esse aquas, inquit: Et nihil hic contendit iustus, nec obluctatur, sed etiam pastoribus cedit. Hæc enim vere mansuetudo est, non quando quis offensus mansuete fert, sed quando quis ab his etiam qui inferiores putantur offenditur, cedit. Sic recte cognoscitur mansuetudo eius qui inuaditur. Nã alias contradiceret quis, quòd mansuetudinem simulasset, quia non posset potentiæ offendentis resistere. Et vt discas quòd Regi cesserit non propter potentiã eius, sed suo more, vide quomodo idem apud pastores facit, & sicut recessit, dicente Rege: Ita nunc pastoribus lædere cupientibus, & puteum sibi vindicantibus recedit.

5 IDEM exponens verba illa; Et dixit illi puer Heli, quousq; eris ebria? inquit: Hic potissimũ licet huius mulieris philosophiã perspicere, domi exprobrabat æmula, venit in tẽplum, & sacerdotis puer afficit illam contumelia, & increpat ipse sacerdos. Si sacerdos solus fuisset conuitiatus, non erat perinde miranda tolerantia, propterea quod dignitatis magnitudo & magistratus auctoritas, vel inuitam illam compulisset ad modestiam. Nunc vero nec aduersus sacerdotis puerum indignata est, quo magis etiam sibi conciliauit Deum. Sic enim res habet quoties opprobrijs, milleq. malis affecti conuitiantes excelso ferimus animo, maiorem nobis a Deo beneuolentiã conciliamus. Quod videre potes in Dauid, qui exulabat ali quando e patria, simul & de libertate & vita sua periclitans, & fugiens ab Absalon, errabat in deserto. Nec tamen indignatus est, neque dixit, quid tandem hoc rei est? permisit, vt filius insurgeret aduersus illum, a quo progenitus est, qui etiam si quid haberet, de quo iuste queri posset, non oportuit tamen id facere. Nunc vero nec in paruo, nec in magno læsus a nobis, obambulat cupiens dextram paterno sanguine polluere, & Deus hęc videns patitur. Sed nihil horum dixit. Quin quod profecto maius est, & mirabilius errantem, & vndique expulsum Semei quidam vir improbus ac sce- *1. Reg. 16* lestus insectatus est homicidio pollutum, & impium appellans, alijsq. innumeris conuitijs impetens. At ne sic quidem fuit exasperatus. Et vt perspicias eam animi moderationem nõ esse impotentiæ, sed patiẽtiæ, cum id princeps exercitus cuperet sibi committi, vt ad conuitiantem transiret, eiusq. caput amputaret, non solum non permisit Dauid verum indignatus est, dicens: Quid mihi tecum fili Saruiæ, sinite illum maledicere, vt videat Dominus humilitatem meam, & reddat mihi bona pro maledictis huius in die hoc.

6 Hom. 4. de patientia Iob. IDEM sic habet: Iob extra ciuitatem sedet in stercore, expectat suscitantem de terra inopem de stercore erigentem pauperem. Videbat proprium corpus labens, animam vero stabilitã. Videbat corpus vermibus ebulliens, animam verò pietatẽ parturire, videbat corruptum terreum vas, atque ante Paulũ recordatus est verborum Pauli: licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renouatur de die in diem. Testa quidem saniem ebulliebat, hostis vero patientia frangebatur. Decuit & ipsum dicere habentem testam, habemus thesaurum istum in vasis fictilibus. *2. Cor. 5.* Infra: Narrans patientiam Hieremiæ, Moysis & aliorũ ait: Sancti veteris testamenti patientes dolebant, Apostoli patientes gloriabantur. Venit Paulus in medium patiens quidem, ingemiscens, verberatus, sed nõ plorans, tormentis afflictus, sed gaudens dicit: non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus scientes, quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio vero spem, spes autem non confundit. Et iterum: Verberati ibant Apo- *Act. 5.* stoli *Hier. 15. Exo. 34. Rom. 5.*

stoli gaudentes à conspectu concilij.

7 Homil. 85. in cap. 26. Matth. to. 2. IDEM dicit: Qui lædit superare læsum videtur, sed pernicioſa sibi victoria superat. Lęsus autem si magno animo perfert iniuriã, quamquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpenumero ergo vinci, quàm vincere præstantius est, optimus profecto istæ victoriæ modus est. Nam siue quis rapiat, siue percutiat, siue inuideat, qui suffert, & non aggreditur, ille pulcherrimus victor est. Cur rapinam, & inuidiam dico, cum etiam, qui ad martyrium trahitur cæsus, laceratus, iugulatusq. hoc pacto denique superat? Et quidem in bellis ostensio prælij est si miles occiderit. Hæc apud nos clarissima est victoria nullibi certe male agentes, & vbique mala sufferentes, superamus, illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superasti, Deus eas tibi vires concesit, vt non consertione manuum, sed patientia vincas. Non exeas igitur in prælium, & vicisti, non colluctaberis, & coronatus es. Sic beatus ille Ioseph, qui magno animo iniurias tulit, vbique *Gen. 37.* vt victor prædicatur. Nam & fratres, & Ægyptiam illam mulierẽ insidiantes, æquo animo ferendo superauit. Et si vis verba mulieris audiamus, vt a superato penitus atque prostrato animo proferri videas. Adduxisti nobis huc, *Gen. 39.* inquit, puerũ Hebræum illudere nobis. Non ille ò misera atque iniquissima, sed diabolus tibi illusit, quia persuasit posse adamantinum abs te animũ infringi. Victoriam igitur, quæ a patientia originem trahit, totis viribus persequamur.

8 Homil. 41. in ca. 6. Ioã. to. 3. IDEM explicãs verba illa; Post hæc abijt Iesus trans mare Galileæ, sic habet: Nolimus charissimi prauos, & maledicos homines prosequi & insectari, sed eos & eorum malitiam toleremus, cum nihil ab his virtus nostra offendatur nihil detrimenti accipiat, ita enim omnis eorum impetus frangitur. Et quemadmodum sagittæ in durum aliquod signum immissæ magno impetu huc illucq. dispergun- *2. Cor. 5.* tur, mollius verò affectæ figuntur, & desinunt, ita maledicos, & feros repugnando magis exasperamus, cedendo mitigamus facile, & eorum mollimus insaniam. Idcirco Dominus abijt in Galileam, vt furorem iudæorum extingueret.

9 Homil. 60. in Ioan. IDEM ait: Omnis quidem virtus bona est, maxime autem mansuetudo, & clementia, hæc nos homines indicat, hæc nos angelis æquiparat. Idcirco Christus frequenter de hac multa verba facit, cum mansuetos nos & clementes esse iubet, neque verbis tantum, sed & re, nunc alapas perferens, nunc maledictis, nunc insidijs petitus tolerat.

10 Hom. 14. in Acta Apost. IDEM sic habet: Discamus proximum malis confringi, & compati, & discemus etiam illorum mala ferre. Contumelia afficere non tam venerabiles facit, atque contumelias ferre. Ille enim est contumelioſus, hic verò philosophus, & ille quidem homine peior, hic verò angelis par, illum, vt insanientem, hunc verò, vt prudentem obseruabunt omnes. Si videris vituperari quendam, adiuua. Dic, passionis non viri verba sunt, dic iræ, non amici, insaniæ, non animæ. Ne expectes accendi ignem, sed antea comprime, ne exacerbes bestiam, sed neque exacerbari sinas; non enim poteris illum compescere si flamma accendatur. Iam quispiam tibi maledicit? Dic tu, si omnia nosset non hæc sola dixisset. Qui verberat, si quidem habuerit alterum patiẽtem, magis destruitur, & in ipsum plaga conuertitur. Confusus enim ille abit, & condemnatus. Primum quidem a conscientia. Secundum ab omnibus, qui vident. Et prouerbium quoddam est, qui honorat, seipsum honorat, ita etiam, qui contumelia afficit, seipsum contumelia afficit. Sit mihi vita impura, & omnes contraria dicant de me, quid hoc? licet dicant, sed non etiam in mente suffragijs confirmant. Iterum sit mihi vita munda, & omnes contrarium dicant. Et quid inde? Nam in conscientia sua condemnant. Non enim persuasi dicunt. Et quid dico hæc? nullus nobis insidiari vnquam poterit neque accusatione vlla circundare si voluerimus. Videamus autem & sic, trahat quis ad forum ac calumnietur, si vis etiam vitam efferat. Et quid hoc si paulisper præter dignitatem hæc feras. Igitur hoc quidem istud malum est, quod propter meritum pateris? Sed cur? merito ne oportebat? Dicam quod philosophus quidam vbi audiuit quod quidam mortuus est & quidam discipulorum dixit illi. Væ mihi quia iniuste. Ille conuersus, sed quid dicebat, iuste ne voluisses? At Ioannes nonne iniuste mortuus est? Quid igitur iniuria affectus est homo, cum ab illa morte nõ solum magnum lucrum faciat: sed & nihil læditur: nam si quidem ex immortali feciſſet mortalem, fortasis detrimentum esset. Si autem mortalem & in hac natura paulo post moriturum accelerat, vt cum gloria mortem amplectatur, quid damni?

11 Homil. 15. IDEM inquit: Qui irascitur, vel inuidet, is non facit, sed patitur. Vnde & passiones animæ dicuntur, & vulnera & cicatrices. Cogitate qui irascimini, quòd patiendo hoc facitis. Qui contumelia afficitur non patitur, sed is, qui contumelia afficit: passiones enim ab ira nascuntur, hebetatio, visus, stupor & innumera alia mala. Restringe iram, acutus gladius in vagina condatur. Si habuerimus illum nudum, sæpe etiam, vbi non est opus, illo vtemur ab ipso tracti. Quando ignominia aspergendi erant discipuli dixit Christus, si me *Ioan. 15.* persecuti sunt, & vos persequentur. Igitur ferte fortiter, non enim meliores estis me. Vides quomodo contumelia afficitur Deus, & quàm mansuete respondet, vbi est, inquit, *Gene. 4.* Abel frater tuus? Et quid ille? Num ego custos sum fratris mei? Quid hoc pertinacius? At Deus iterum mansuete respondet, vox sanguinis fratris tui, inquit, clamat ad me. Anna contumelia affecta ab æmula, & a puello Heli patientur tulit? Publicanus *1. Reg. 1.* etiam

Luc. 18. Luc. 7. etiam a Phariſæo contumelia affectus animo philoſophico tulit, dicens Deo: Propitius eſto mihi peccatori. Mulier peccatrix a phariſæo laceſsita non irata eſt, ſed tacuit, patienter iniuriam ferens.

12 Hom. 33. in 1. epiſt. Pauli ad Cor. to. 4. IDEM explicans verba illa; Charitas patiens eſt, dicit: Vide vnde primum omnium exorditur, & cui in iſtis laudibus ſummas trā-ſcribat, quid iſtud eſt? patientia omnium bonorum eauſa, vniuerſæ philoſophiæ radix. Vnde non abs re Salomon dixit: Multæ prudentiæ vir tolerans eſt, inquit, intolerans validus ſtultitia & ciuitati conferens munitæ, hanc illa tutiorem eſſe dicit. Eſt enim ſcutum inexpugnabile, turris firma, mala omnia repellens, & quemadmodum in abyſſum maris ſcintilla delata huic quidem nil obeſt, ipſa extinguitur, ſic in animum tolerantem quidquid incidere maximarum etiam rerum poteſt, facile quidem abſumitur ipſum, ille conturbabitur prorſus nihil, quando rebus omnibus ſolidior patientia eſt, exercitus, theſauros, equos, muros, arma, & quodcumque tandem memorare licet, æque firmum patientia nihil adduces. Hic velut in portu ſedens ſumma ſemper fruitur trāquillitate. Injce mulctam nihil hanc petram mouebis, contumelia pete, nondum turrim cōcuſsiſti, plagas incute, nihil dum adamantem illum perterruiſti: longanimus enim idcirco vocatur, quia longum & ingentem animum habet. Sed hanc talem virtutem charitas nobis parit.

Prou. 14.

13 Hom. 28. in c. 12. epiſt. ad Hebr. IDEM exponens verba illa, quæ de Chriſto Domino dicit Paulus, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, ait: Etiam ſi nullum eſſet præmium, ipſum exemplum idoneum erat ad perſuadendū omnia tolerare. Proinde cū nos aliquid tale paſsi fuerimus ante Apoſtolos ipſos Chriſtum cogitemus. Quare? quia tota vita eius cum magna fuit iniuria. Etenim sēper audiebat, quod ſeductor eſſet, & magus, & inſanus, & multa alia; propter quę Apoſtolus aiebat: Attēdentes in auctorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem. Nunc intendamus in ea, quæ diſcipuli eius perpeſsi ſunt. Audiamus Paulum dicentem: In ſuſtinentia multa, in tribulationibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus. Et iterū: Vſque in hanc horam & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur. Maledicimur, & benedicimus, perſecutionē patimur, & ſuſtinemus, blaſphemamur, & obſecramus. Sicut ſeductores, ſicut nihil habentes. Et iterum: Quinquies quadragenas vna minus accepi a Iudæis, ter virgis cæſus ſum, nocte & die in profundo maris fui, &c. Propterea gloriabor in infirmitatibus meis, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtijs, in plagis, in carceribus, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus contradictionem, ne fatigemini animis veſtris deficientes. Si enim proximorum paſsiones erigunt nos, quantam alacritatem noſ-

2. Cor. 6. 1. Cor. 4. 2. Cor. 6. & 11. Ibid. 12.

14 bis effecerint Domini paſsiones? Infrā dicebat Paulus: Tamquam purgamenta huius mundi facti ſumus. Quid eſt, inquam fame, & ſiti deterius? quid frigore ſæuius? quid fratrū inſidijs periculoſius? Nonne morbus mundi vocitabatur atque deceptor? nonne ſubuerſor? nonne verberibus concidebatur? Hæc in mente ſumamus fratres, & in memoria teneamus, & numquam diſſoluemur: at ſi iniurias patiamur, at ſi rapinas, at ſi decem millia peſsima, contingat nos in cælis probabiles apparere, & hæc omnia portabilia ſunt. Vmbræ ſunt iſta, & ſomnium qualiacumq; ſint iſta mala, nulla apparebunt vel ex naturæ conſideratione, vel temporis. Quid enim valent eſſe, cū ad illa ſæuiſsima comparantur? Quid ad ignē inextinguibilem, quid ad vermem, qui nō moritur, quid ex huius vitæ rebus æquale poſsit edicere? Quid ſtridori dentium vel vinculis, vel exterioribus illis tenebris comparabis? quid illi iræ? quid tribulationi? quid anguſtiæ? quod tempus poteris comparare? quid ſunt decem millia anni, cum ſæcula cogitas infinita? Pro his itaque millies concidi quis nō eligat, occidi, cōburi, & mille mortibus ſubijci, & quidquid dici poteſt ſæuiſsimum tolerare vel verbo, vel opere? Si enim in ignis combuſtione eſſet viuendum, nonne tolerandum erat, vt poſsimus adipiſci illa, quæ nobis repromiſſa ſunt bona?

15 Serm. 2. in c. 11. epiſt. ad Rom. IDEM ait: Licet nobis filios Dei fieri, ſi volumus. Si omnibus fuerit homo affectuum paſsionibus liberatus, ſi manſuetudinem erga conuitiatores, atque iniuriam facientes oſtenderit. Nam & pater tuus talis eſt erga blaſphematores ſuos. Atque ideo licet multa ſæpenumero dixerit, nūquam tamen dixit, vt ſitis filij patris veſtri, qui in cælis eſt, ſed quando dicebat: Orate pro calumniantibus vos, benefacite his, qui vos oderunt, tunc iſtud etiam præmij ſubiungebat. Nihil enim adeo vicinū Deo, conformemq. facit, quemadmodum iſta virtus. Propterea & cum Paulus dicit: Imitatores eſtote Dei, ad hoc dicit, vt huic ſtudeant virtuti.

Matt. 5. Eph. 5.

16 Serm. 11. ex 25. variis. to. 5. IDEM ſic habet: Loquens in toto ſermone de manſuetudine, in hoc ſerui Dei eos, qui veritatem ignorant potiſsimum antecellunt, ſi in manſuetudine conuerſentur. Seruus Chriſti magis a morum mititate, quam a nomine, quod ei parentes impoſuerunt, vocandus eſt. Neque Deus homines ita diligit propter virginitatem, ieiunium, contemptum diuitiarū, vt propter mites, beneq. compoſitos mores. Facile ad miſericordiam manſueti trahuntur omnes, neque ferre poſſunt contemni paupere, ſed aliorum inopiam, ſuam arbitrantur calamitatem. Neque vmquam grauem inuidię morbum in ſuam animam admittit vir benignus & mitis, ſed ſi viderit fratres honoratos congaudet ac gratulatur aliorum gloriam ſuam putans. Alioquin amicorum omnia cōmunia cenſens, in bonis quidem congaudet, in triſtibus vero condolet. Hæc enim manſuetudinis

dinis dona ſunt, & talis eſt mitium vita. Mitis orphanorum pater eſt, viduarum præſes, pauperтatis procurator, iniuria affectorum adiutor. Mitis reuerendus pater pueris, & obſeruādus dominus eſt ſeruis. Nihil enim ita conciliat domino familiares, vt quod illum vident tranquillum ſeſe offerre, & manſuetudine iucundum. Age pro virili noſtro diligēter inquiramus quænam ex morum ſuauitate bona māſuetis proueniant. Gratus, & amabilis eſt videntibus, gratus item & his, quibus tantum nomine notus eſt, neq; facile vnum inuenies, qui audiens landari hominem manſuetum, & illum videre & exoſculari non deſideret, & non habeat in aliquanta lucri parte eius amicitia poſſe diu frui. Quod ſi contingat aliquos propter opes inter ſe ſe diſſidere mox ad benignū & māſuetum illum properatur, bona ſpe quod eius bonitate quicquid litium, & contentionum eſt e medio tollatur. Atque ſi capitales inter ſe inimici ſint manſueti viri, correptione placantur, & manſueſcunt. Qui vero per manſuetos conciliari nequeunt, intractabiles plane ſunt, nulloq. honore digni. Quemadmodum & ſolis iubar, vt primum apparet fugat tenebras, ita manſuetus, & benignus ſua præſentia res turbulentas componit, quietaſque, ac tranquillas reddit. Eſt autem & hoc dignum recenſeri, quod Chriſtus ſolum pacificos filios Dei vocat. Et quare ſuum vocabulum mitibus communicat? Solus ille filiū Dei pro viribus imitatur, qui pacis, & amicitiæ alijs auctor fit. Quia ſicut filius Dei Chriſtus Dominus Angelos & homines, qui inter ſe diſſidebant, concordes effecit, ita & manſuetus homo fratres, & cognatos, qui inter ſe diſcordes ſunt, cōciliat. Porro quod in corporibus noſtris nerui, hoc eſt, manſuetus homo in domo, in Eccleſia, & in ciuitate. Quia ſicut in corporibus nerui diſperſa, & ſeparata coniungunt, & contrahunt, ita & manſueti inimicos conciliantes. Verum hæc virtus tunc alicui data eſt, quando primus ipſe manſuete viuere incipit. At qui facile in iram erumpit ridiculus apparebit, ſi quando exaſperatos alios placare attētat. Iam quid deterius hominibus, qui irę ſeruiunt? Quis eos videns non auertit oculos? Vir iracundus, inſuauis quidem eſt obuijs, inſuauis autem vicinis. Cōmunis eſt hoſtis & ciuium & peregrinorum, clamat, vociferatur, plagas occurrentibus intentat, dicenda, & non dicenda loquitur, aſpectu toruo, inflata facie, lingua rabida, manibus ad omnia prorumpentibus, & vt apparet, dæmone plenus. Ira voluntarius dæmon, optata inſania, mentis eſt defectio. Qui iraſcitur diaboli ludibrium eſt, dæmonum officina, & nequitiæ illius dignus miniſter. Dic obſecro, quid potiſsimum volunt dæmones, quod faciant homines? Nonne vt exprobrent parentibus? Nōne vt pollutas manus natis inferant? Nonne vt Deum blaſphement? Hæc autem omnia iraſcentium ſunt opera. Atque adeo ira ſeruis ſuis facile impietatis auctor eſt. Neque enim ſibiipſis imperare valent, & quia furore, & ira

Matt. 5.

vincuntur, ſimiles ſunt naui, quæ in media tempeſtate a gubernatore deſtituta ſubmergitur, vndequaque in eam procellis ingreſsis. Ira enim quaſi fulmen, & tempeſtas quędam in animam irruit, ſeruientemq. ſibi ſtupidum reddit, ac amentem. Quid igitur faciendum? Prudentis hominis fuerit priuſquam in iram inducatur, vt mentem continea ſcripturarum admonitionibus. Audiat Paulum dicentem: Omnis amaritudo & ira & furor, & clamor auferatur a vobis cum omni malitia. Eſtote inuicem benigni miſericordes, donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus alterum habet querelam, quemadmodum Deus in Chriſto donauit vobis. Sitis igitur imitatores Dei. Videtis qualis ſit māſuetus? cuius vocetur imitator? non Angelorum, non Archangelorum, ſed domini vniuerſorum, tametſi etiam illi mitiſsimi ſint, omniq. virtute pleni. Paulus tamen Dei imitatores nos eſſe vult, quo propoſita tanti honoris magnitudine perſuadeat audientibus, vt omnes qui contumelia afficiuntur, vel aliud quid graue patiuntur, conuicia, atque alia patienter ferant, imperanteſq. iræ Deum imitentur. Sicut enim Deus tanta conuicia, & mala fert, ſic quiſquis aſsimilari vult Deo pro virili manſuetus ſit, ac mitis imitetur illū, qui ſolem ſuū oriri facit ſuper bonos & malos. Et multæ quidem ſunt virtutes, quæ Chriſtianum hominem decent, maxime autem manſuetudo, quæ imitatores Dei nos facit. Quoniam cum tanta paſſus ſit Chriſtus, & blaſphemias, & tormenta, & tanta, miranda operatus ſit in cruce, manſuetudinem tamen declarauit, quia nullum ex his qui impie agebant puniuit, & vt intelligerent illi quam facile id poſſet facere, terram cōmouit, ſolem fecit repente obſcurari. Et quia tam manſuetus fuit ipſe, vt non ſolum manſuete tulerit eos, qui crucifigebant, & blaſphemabant; Sed & patrem obſecrarit, ne cæleſtibus aduerſus impios telis vteretur. Idcirco cum & tibi graue aliquid & durum ferenti ſubrepunt furor & ira, recordare manſuetudinis Chriſti, & ſtatim manſuetus eris, & non ſolum tibiipſi benignitate tua plurimum lucrifacies, ſed & inimicus proderis plurimum erudiēs illos, vt ipſi benigni fiant. Videntes enim te extrema ſuſtinere, & iram manſuete ferre, ſtatim poſito furore manſueti & lenes ipſi fient, manſuetudiniſq. tuæ imitatores. At ſi etiā ipſe ab ira vinceris ſtudens inimicum pari inſania vlciſci nullus vnquam irarum, & pugnarum erit finis, ſed in immenſum pugnam trahunt, mutuum inſidiantur, calumnias ſtruunt, peierare audent, & accuſationes meditantur eorum, quæ neque viderunt, neque audierunt, & in die quidem ſicut canes rabidi quærentes inimicum, noctem autem cogitando inſumentes quomodo malū aliquod machinentur, & inſidias parent. Alij vero ita ebrij calumniatores mercede conducunt, vt falſa dicant. Nam quod ebrios aiunt ob inſatiabilem ebrietatem ardentius ſitire, hoc & iracundis vſu euenit, quia in pernitioſiorem ruunt inſaniam ob inexplebilem conten-

Eph. 4.

19

20.

tendendi libidinem. Virtutē manſuetudinis Moyſes Iudæorum inſaniam moderate ferens, & precibus ſaluans inimicos honorem, & gloriam cæleſtem præ alijs obtinuit, Deiq. amicus vocatus eſt. Hac quoque virtute & Dauid parcens inimicis & hoſtibus, Deum beneuolum, & amicum effecit. Hęc enim cum omnes homines ornare valeat, in primis tamen eos, qui in poteſtatibus agunt.

21 IDEM ſic habet; Nec enim ſi tuum ex auro foret os compoſitum, Homil. 52. ad populũ Antioch. aut ex pretioſis lapidibus ita fulgere deberet, vt virtute manſuetudinis illuſtratum. Quid ore quod contumeliam proferre neſciat, ſed ſemper benedicere meditetur deſiderabilius? Te manſuetum effectum diabolus ne contra quidem reſpicere poterit. Regiam enim impreſsionem agnoſcit, Chriſti nouit arma, quibus fuit ſuperatus. Quę vero ſunt hæc? Benignitas, & manſuetudo. *Matt. 4.* Etenim cum in monte eum irruentem confregit, atque proſtrauit, non innoteſcens quod eſſet Chriſtus, ſed in his eum verbis illaqueauit, manſuetudine cępit, benignitate fugauit. Hoc tu quoque facias, ſi videris hominem diabolū factum, & ad te venientem, ita & tu vince. Dedit tibi Chriſtus poteſtatem, vt ipſi ſimilis pro tuis viribus efficiare. Propterea maior eſt ita loquens, quam prophetans, illud quidem donum eſt totum, hic autem & labor tuus, & ſudor animam docere, os tibi formare Chriſti ori ſimile. Videatur quomodo formetur os diaboli, ne vnquam illud comparemus. Fingitur per imprecationes per contumelias, cum enim illius verba quis loquitur, illius linguam ſumit. Diſcamus nos ita loqui, ſicut audire rex noſter conſueuit, illā imitari linguam ſtudeamus. Non ita prophetarum os amplectitur Dominus, ſicut mitium, & manſuetorum hominum. *Num. 12.* Moyſi, quia manſuetiſsimus erat ſuper omnes, qui morabantur in terra, *Exo. 33.* loquebatur Deus facie ad faciem, tanquam amicus ad amicum ſuum.

22 Epiſt. 27. ad Euſtoch. epitaphium matris ſuæ. to. 1. HIERONYMVS ſic ait; Patientiā referens Paulę. Si quando procacior fuiſſet inimicus, & vſque ad verborum iurgia proſiliſſet, illud pſalterij decantabat: Cum conſiſteret peccator aduerſum me obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui a bonis. Et rurſus: Ego autem quaſi ſurdus non audiebam, quaſi mutus non aperiens os ſuum. Et factus ſum, ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones, ſeu increpationes. In tentationibus Deuteronomij verba voluebat. Tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum de toto corde veſtro. In tribulationibus, & anguſtijs Iſaiæ verba replicabat: qui ablactati eſtis a lacte, qui abſtracti ab hubere tribulationem ſuper tribulationem expectate, ſpem ſuper ſpē, adhuc puſillum propter malitiam labiorum, propter linguam malignam. Et ſcripturæ teſtimonium in conſolationem ſuam ediſſerebat: Ablactatorum eſſe, eorum ſcilicet qui ad virilem ætatem perueniſſent, tribulationem ſuper tribulationem ſuſtinere, vt ſpem ſuper ſpem mereantur accipere, ſcientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia autē probationem, probatio vero ſpem, ſpes autem nō confundit. Et quod ſi is qui qui foris eſt noſter homo corrumpatur, is qui intus eſt renouetur de die in diem, & quod in præſenti momentaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus 23 operatur in nobis, non contemplantibus quæ videntur, ſed quæ non videntur: quæ enim videntur temporalia ſunt, quæ autem non videntur æterna. Nec longum fore tempus, etiam ſi humanæ patientiæ tardum videatur, quin Dei ſtatim videatur auxilium dicentis: Tempore opportuno exaudiui te, & in die ſalutis adiuui te. Nec doloſa labia, & linguas inimicorum eſſe metuendas cum Domino adiutore lætemur, & ipſum debeamus audire per prophetam monentem: Nolite timere opprobria hominum, & blaſphemias eorum ne timueritis, ſicut enim veſtimentum, ſic comedet eos vermis, & ſicut lanam, ſic deuorauit eos tinea, & per patientiā veſtrā poſſidebitis animas veſtras, & non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, & alibi: Tribulationem ſuper tribulationem ſuſtinete, vt patienter agamus in omnibus quæ accidunt nobis. Patiens enim vir multum prudens, qui autem puſillanimis eſt, vehementer inſipiens. In languoribus & crebra infirmitate dicebat: Quando infirma ſum, tunc fortis ſum, & habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus, donec mortale hoc induat immortalitatem, & corruptum hoc veſtiatur incorruptione, & iterum: Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per ipſum abundat & conſolatio noſtra. Ac deinde, ſicut eſtis ſocij paſſionum, ſic eritis & conſolationum. In mærore cantabat: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi ſalutare vultus mei & Deus meus.

24 In lib. quæſtionū Hebraic. in Geneſim. to. 3. IDEM exponens benedictionē Iacob datam filio ſuo Ioſeph filius accreſcens Ioſeph, exacerbauerunt eum, & contenderunt, & iraſcebantur aduerſus eum habentes ſagittas. Sedit in forti arcus eius, & diſrupta ſunt vincula manuum eius, dicit: O Ioſeph viderunt te fratres tui habentes liuoris ſagittas, & zeli iaculis vulnerati, verum tu arcum tuum, & arma pugnandi poſuiſti in Deo, qui fortis eſt propugnator, & vincula tua, quibus te fratres ligauerunt, ab ipſo ſoluta ſunt, & diſrupta, vt ex tuo ſemine tribus naſcatur Ephraim fortis, & ſtabilis, & inſtar lapidis durioris inuicta.

25 Lib. 2. in 4. epiſt. ad Epheſ. to. 9. IDEM explicans verba illa; Obſecro vos, vt digne ambuletis vocatione qua vocati eſtis cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes inuicem in charitate, ait: Maſuetudo illa eſt, quæ nulla paſſione turbatur, & ſpecialiter ira, & furore non rumpitur. Quam qui habuerit beatitudinem, quę Domini voce promiſſa eſt, conſequetur, vt poſſideat terram, id eſt, imperet corpori ſuo, domineturq. ſubiecto, & hæc ſit prima eius hereditas, in carne non carnaliter viuere.

26 Lib. de patientia. to. 4. AVGVSTINVS ſic habet; Virtus animi, quæ patientia dicitur, tam magnum Dei donum eſt, vt etiam ipſius qui nobis eam largitur, qua malos, vt corrigantur expectat, patientia prædicetur, eſtq. patiens ſine vlla paſſione. Patientia hominis, quę virtus eſt ea perhibetur, qua æquo animo mala toleramus, nec animo iniquo bona deſideramus, per quæ ad meliora perueniamus. Quapropter impatientes dum mala pati nolunt, non efficiunt, vt a malis eruantur, ſed vt mala grauiora patiantur. Patientes autem qui malunt non committendo ferre, quam non ferendo committere, & leuiora faciunt, quàm quæ per patientiam patiuntur, & peiora euadunt, quibus per impatientiam mergerentur. Bona vero æterna, & magna non perdunt, dum malis temporalibus, breuibuſque non cedunt. Quoniam non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, *Rom. 8.* ſicut Paulus ait, ad futuram gloriam. *2. Cor. 4.* Et iterum: Quod temporale eſt, & breue tribulationis noſtræ ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis. Infra: Patientia comes eſt ſapientiæ non famula concupiſcentiæ. Cum ergo videris quempiam patienter aliquid pati, noli continuo laudare patientiam, quam non oſtendit, niſi cauſa patiendi, & qui paſſione recte vtuntur, hi patientię veritate laudantur, hi patientię munere coronantur, verumtamen cū pro libidinibus & ſceleribus pro iſta tēporali vita, & ſalute multa homines horrenda mirabiliter ſufferunt, ſatis nos admonēt quanta etiam ſufferenda ſunt pro vita bona. Dominus ait: *Lucæ 21.* In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras. Non ait villas veſtras, laudes veſtras, luxurias veſtras, ſed animas veſtras. Si ergo tanta ſuffert anima, vt poſſideat vnde pereat, quanta debet ſufferre 27 ne pereat? Cum ergo torquent alia mala, ſed non extorquent opera mala, non ſolum anima per patientiam poſſidetur, verum etiam cum per patientiam corpus ipſum ad tempus affligitur, vel amittitur in æternam ſtabilitatē, ſalutemq. reſumitur, & ei per dolorem, & mortem inuiolabilis ſanitas, & fœlix immortalitas comparatur. Vnde & Dominus Ieſus ad patientiam exhortans martyres, aiebat: *Lucæ 21.* Et capillus de capite veſtro non peribit. *Eph. 5.* Et quoniam nemo vnquam, ſicut Apoſtolus dicit, carnem ſuā odio habuit, magis homo fidelis per patientiam, quàm per impatientiam pro ſtatu ſuæ carnis inuigilet, & futuræ incorruptionis inæſtimabili lucro quantalibet eius pręſentia dāna compenſet. Quamuis autem patientia virtus ſit animi, partim tamen ea vtitur animus in ſe ipſo, partim vero in corpore ſuo. In ſe ipſo vtitur patientia, quando illæſo, & intacto corpore, aliquid, quod nō expediat, vel non deceat facere, aut dicere quibuſlibet aduerſitatibus, aut fœditatibus rerum, ſeu verborum ſtimulis incitatur, & patienter mala omnia tolerat, ne ipſe mali aliquid ore vel opere committat. Per hanc patientiam ſuſtinemus etiā cum corpore ſani ſumus, quod inter huius ſæculi ſcandala beatitudo noſtra differtur. Inde dictum eſt, ſi *Rom. 8.* quod nō videmus ſperamus, per patientiā expectamus. Patientia ſanctus Dauid conuician *2. Reg. 16* tis opprobria tolerauit, & cum facile poſſet vlciſci non ſolum non fecit, verum & alium pro ſe dolētem, commotumque, compeſcuit, & poteſtatem regiam magis adhibuit prohibendo, quam exercendo vindictā. Neq; tunc eius corpus aliquo morbo affligebatur, ſed humiliatis tēpus agnoſcebatur, ac ferebatur volūtas Dei, propter quam patientiſsimo animo amaritudo contumeliæ bibebatur. Hanc patientiā Dominus docuit quando commotus zizaniorum permixtione ſeruis volentibus ea colligere dixit paterfamilias: Sinite creſcere vſq; ad meſ- *Matt. 13.* ſem. Oportet enim patienter ferri quod feſtinā ter non oportet auferri. Huius & ipſe patientię præbuit, & demonſtrauit exemplū, quod ante paſsionem corporis ſui diſcipulum priuſquā 28 oſtenderet traditorem pertulit furem. Hęc omnia ad eum patientiæ modū pertinent quo animus extrinſecus mala patienter ſuſtinet in ſe ipſo, ſuo prorſus corpore illæſo. Alius eſt autē patientiæ modus, quo idem ipſe animus quæcumque moleſta, & grauia in ſui corporis paſſionibus perfert, nō ſicut ſtulti, & ſcelerati propter adipiſcenda vana, vel ſcelera perpetranda, ſed ſicut a Domino definitum eſt propter iuſtitiam. Vtroque modo ſancti martyres certauerunt. Nam & impiorum opprobrijs ſaturati ſunt, vbi animus corpore intacto quaſdam veluti plagas ſuas integer ſuſtinet, & in corporibus vincti ſunt, fame, ac ſiti affecti ſunt, torti ſunt. Vtroque hoc modo diabolus ſanctum Iob aggreſſus eſt, ſed in vtroque ſtabili patientiæ robore, & armis pietatis inuictus. Nam prius illæſo corpore, cuncta quæ habebat, amiſit, & cum his immobilis permaneret, agereſſus eſt inimicus & corpus, ita vt a planta pedis vſque ad verticem non eſſet in eo ſanitas, manebat autem in putrido corpore animus integer, horrendoſque cruciatus carnis contabeſcentis incorrupta patientia ferebat. Infra: Audiant ſancti de ſcripturis ſanctis pręcepta patientiæ. Deprime cor tuum; & ſu- *Eccls. 2.* ſtine, vt creſcat in nouiſsimis vita tua, omne quod tibi ſuperuenerit, accipe, & in dolore ſuſtine, & in humilitate tua patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum, & argentum, homines vero receptibiles in camino humiliationis. Hoc enim iuſtum eſt, vt qui de priſtina fęlicitate paradiſi propter contumacem delitiarum appetentiam dimiſsi ſumus, per humilem moleſtiarum patientiam recipiamur, fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo.

29 Infra: Ab illo eſt patientia iuſtorum, per quem diffunditnr charitas in cordibus noſtris. *Roma. 5.* Quam laudans Apoſtolus dicit, quod omnia ſuffert. Quanto maior ergo eſt in ſanctis charitas Dei, tanto magis pro eo quod diligitur ſuffert, & quanto maior eſt in peccatoribus cupiditas mundi, tanto magis pro eo quod concupiſcitur, omnia

omnia tolerantur. Ac per hoc inde est pa-
tientia vera iustorum, vnde est in eis charitas
Dei, & inde est patiētia falsa iniquorum, vnde
est in eis cupiditas mundi. Concupiscentia, de
1.Ioan.2. qua dicit Ioannes, quod non est ex patre, sed
ex mundo, hæc quanto fuerit in homine vehe-
mentior, & ardentior, tanto fit quisque pro eo
quod concupiscit, omnium molestiarum, dolo-
rumq. patientior, hæc patientia animalis est, &
diabolica, charitas autem, qua fit, vt recte viuē
tes, omnia fortiter patiantur, ex Deo est. Vnde
Rom.43. dicit Paulus: Quis nos separabit a charitate
Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio,
an fames, an nuditas, an gladius? Sicut scriptū
est: Quia propter te mortificamur tota die de-
Psal.43. putati sumus, sicut oues victimę. Sed in his om
nibus superamus per eū, qui dilexit nos, certus
sum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; ange
li, neq; principatus, neq; potestates, neq; prę-
sentia, neq; altitudo, neq; profundū, neq; crea-
tura alia poterit nos separare a charitate Dei,
quę est in Christo Iesu. Malorum autem concu
piscentia propter quam in eis est falsa patien-
tia non est ex patre, sicut dicit Apostolus Ioan-
nes, sed ex mundo.

30 IDEM exponens verba illa; Considerabā
In Psal.14. to.8. ad dexteram, & videbam, ait: Fremente toto
mundo, & minante in persecutionibus, crebre-
scentibus vndiq; insultationibus hominum, at-
que terroribus ille contēnens præsentia respi-
ciebat in futura, attendebat in dexterā, vbi fu-
turus est, & ideo omnia ferebat. Infra: Cla-
maui ad te Domine, dixi tu es spes mea. Quādo
tolerabam, quando tribulabar, dixi tu es spes
mea, spes mea hic, ideo tolero. Portio autem
mea non est hic, sed in terra viuentium. Dat
Deus portionem in terra viuentiū, sed non ali
quid a se extra se. Quid dabit amanti se nisi se?

31 GREGORIVS explicans locū Lucę 21.
Homil. 35. in Euāgelia to.3. In patiētia vestra possidebitis animas vestras,
dicit: Idcirco possessio animæ in virtute patiē
tiæ ponitur, quia radix omnium, custosq. virtu
tum patientia est. Per patientiam vero posside
mus animas nostras, quia dū nobis ipsis domi-
nari discimus, hoc ipsum incipimus possidere,
quod sumus. Patiētia vero est aliena mala ęqua
nimiter perpeti, contra eum quoque qui mala
irrogat nullo dolore morderi. Nam qui sic pro
ximi mala portat, vt tamen tacitus doleat, &
tempus dignæ retributionis quærat, patientiā
non exhibet, sed ostendit. Scriptum quippe est:
1.Cor.13. Charitas patiens est, benigna est. Patiens nam-
que est, vt aliena mala toleret, benigna vero
est, vt ipsos etiam, quos portat, amet. Virtus est
coram hominibus aduersarios tolerare, sed vir
tus coram Deo, diligere, quia hoc solum Deus
sacrificium accipit, quod ante eius oculos in al
tari boni operis flamma charitatis incendit.
Sciendum vero quod plerumq; ideo patientes
esse videmur, quia retribuere mala non possu-
mus, sed qui idcirco malū non retribuit, quia
nequaquā valet, proculdubio patiens non est,
quia patientia non in ostēsione inquiritur, sed
in corde. Quanto culmine virtus patientiæ pol
leat, Salomon indicat dicens: Melior est pa- Prov.16.
tiens viro forti, & qui dominatur animo suo
expugnatore vrbium. Minor est ergo victo-
ria vrbes expugnare, quia extra sunt quæ vin-
cuntur. Maius autem est, quod per patien-
tiam vincitur, quia ipse a se animus superatur,
& semetipsum sibimet subijcit, quando eum
patientia in humilitate tolerantiæ sternit.
Infra: Ille veraciter patientiam seruat, qui &
ad tempus aliena mala sine dolore tolerat, &
hæc eadem retractans, pertulisse se talia exul-
tat, ne bonum patientiæ quietis tempore pe-
reat, quod in perturbationibus custoditur.
Sunt enim nonnulli qui eo tempore, quo ad- 32
uersa patiuntur, vel contumelias audiunt, nul-
lo dolore pulsentur, & sic patientiam exhi-
beant, vt custodire etiam cordis innocentiam
curent, sed cum post paululum hæc ipsa quæ
pertulerint, ad memoriam reuocant, igne ve-
hementissimi doloris instigantur. Argumen-
ta vltionis inquirunt, & mansuetudinem, quā
tolerantes habuerunt, postea perdunt. Qui-
bus isti sunt similes, nisi his, qui per fortitu-
dinem in campo victores sunt, sed per negli-
gentiam postmodum intra vrbis claustra ca-
piuntur? Quibus isti sunt similes, nisi his,
quos irruens grauis languor a vita non sub-
trahit, sed leuiter veniens recidiua febris oc-
cidit. Infra: Est hæc sententia: & nos si-
ne ferro martyres esse possumus, si patientiam
in animo veraciter custodimus. Infra:
Tribus modis virtus patientiæ exerceri solet.
Alia namque sunt, quæ a Deo, alia quæ ab an-
tiquo aduersario, alia quæ a proximo sustine-
mus. A proximo persecutiones, damna, con-
tumelias, ab antiquo hoste tentamenta, a Deo
autem flagella toleramus. Sed in his omni-
bus tribus modis vigilanti oculo semetipsam
debet mens circumspicere, ne cōtra mala pro-
ximi pertrahatur ad retributionem mali, ne
contra tentamenta aduersarij seducatur ad
delectationem mali, vel consensum delicti, ne
contra flagella opificis ad excessum proruat
murmurationis. Perfecte enim aduersarius
vincitur, quando mens nostra, & inter tenta-
menta ad delectationem, & consensum non tra
hitur, & inter contumelias proximi custodi-
tur ab odio, & inter flagella Dei compescitur
a murmuratione. Et tunc pro labore patien-
tiæ bona sperantes sequentis vitæ audiamus,
non in finem obliuio erit pauperis, patientia
pauperum non peribit in finem. Quasi enim
perijsse patientia pauperum cernitur, cum ni-
hil pro illa in hac vita humilibus recompen-
satur. Sed patientia pauperum in finem non
peribit, quia tunc eius gloria percipitur, cum
simul omnia laboriosa terminantur.

BERNARDVS explicans verba illa; 33 Serm.13.in Psal.Quibabitat.
Super aspidem & basiliscum ambulabis, & con-
culcabis leonem & draconem, sic habet: Dra-
co immanis est bestia flatu igneo, quicquid
attigerit necat, non modo bestias terræ, sed
& volucres cæli. Haud alium ego draconem
hunc quàm spiritum iracundiæ reor. Quan-
tos

tos etiam sublimis vt videbatur vitæ, flatu hu-
ius draconis misere satis adustos, turpiter in
huius os ingemimus cecidisse? Nimirum af-
fectio naturalis hominum, ira est, sed abuten-
tibus bono naturæ, grauis perditio est, & mi-
seranda pernicies. Occupemus illam fratres,
in quibus expedit ne forte ad inutilia, illici-
taque prorumpat. Nolite eis irasci, qui tran-
sitoria vobis auferunt, qui conuitia ingerunt,
qui inferunt forte supplicia, & post hoc fa-
ciunt nihil. Ostendam autem vobis cui de-
beatis irasci. Irascimini ei, quæ sola vobis no-
cere potest, sola facere vt omnia illa non pro-
sint. Vultis scire quænam illa sit iniquitas
propria. Huic irascimini, nulla enim noce-
bit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.
Qui perfecte huic irascitur, ceteris non mo-
uetur, magis autem amplectitur ea. Ego, in-
Psal.35. quit, in flagella paratus sum. Sit damnum, sit
conuitium, sit læsio corporalis, paratus sum,
& non sum turbatus, quoniam dolor meus in
conspectu meo semper. Quid ni exteriora
omnia paruipendam in huius æstimatione do-
2.Reg.16 loris? Filius, inquit, vteri mei persequitur
me, & conuitianti seruulo indignabor? cor
Psal.39. meum dereliquit me, dereliquit me virtus
mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum
non est mecum, & damna temporalia plan-
gam, aut incommoda corporalia reputabo?
Hinc nimirum non modo mansuetudo oritur,
cui draconis flatus non noceat, sed etiam ma-
gnanimitas, quam rugitus leonis non terreat.

Passiones animæ, cum omnino in hac vita tolli non possint, moderandæ sunt.

Cap. II.

1 Epist.8.quę est ad Demetriadem de seruanda virgin.to.1. HIERONYMVS sic ha-
bet: Ridere & rideri secu-
laribus derelinque. Marcū
Crassum semel in vita scri-
bit risisse Lucilius. Fuerit
illa affectata seueritas, &
gloriam quærens, auramq.
popularem, nos affectus & perturbationes
quamdiu in tabernaculo corporis huius habi-
tamus, & fragili carne circundamur modera-
ri & regere possumus, amputare nō possumus,
Psal.4. vnde & psalmista dicit: Irascimini, & nolite
Ephes.4. peccare. Quod Apostolus edisserēs, sol, inquit,
non occidat super iracundiam vestram, quia &
irasci hominis est, & finem iracundiæ impone-
re, Christiani.

2 Epist.9.quę est ad Saluinam viduā de viduitate seruāda. tomo 1. IDEM ait: Difficile est, quin potius im-
possibile perturbationis initijs carere quem-
piam, quas Græci ante passiones vocant, eo
quòd incentiua vitiorum omnium titillēt ani-
mos, & quasi in meditullio nostrum iudicium
sit, vel abijcere cogitata, vel recipere. Vnde &
naturæ Dominus in Euangelio loquebatur:
De corde exeunt cogitationes malæ, homici-
dia, adulteria, fornicationes, furta, falsa te-
stimonia, blasphemiæ. Ex quo perspicuum est
procliuius esse cor hominis a pueritia ad ma-
lum, & inter opera carnis & spiritus, quæ Apo-
stolus enumerat mediam animam fluctuare,
nunc hæc, nunc illa cupientem. Nam sine vi-
tijs nemo nascitur, optimus ille est, qui mini-
mis vrgetur. Qui dicere potest: Turbatus sū,
& non sum locutus. Et iterum: Irascimini, &
nolite peccare. Et illud Architæ Tarentini ad
villicum negligentem, iam te verberibus ene-
cassem, nisi iratus essem. Quod de vna pertur-
batione dictum est, referamus ad ceteras. Si-
cut irasci, hominis est, & iram non perficere,
Christiani; sic omnis caro cōcupiscit quidem
ea, quæ carnis sunt, & quibusdam illecebris ad
mortiferas animam voluptates trahit: sed no-
strum est voluptatis ardorem maiore Christi
amore restinguere, & lasciuiæ iumentum fræ-
nis inediæ subiugare, vt non libidinem, sed ci-
bos quærat ac desideret. Quorsum ista? vt ho-
minem esse te noueris, & passionibus huma-
nis, nisi caueris subiacere. De eodem cuncti
facti sumus luto ijsdem compacti exordijs. In
serico, & in pannis eadem libido dominatur.
Nec regum purpuras timet, nec mendican-
tium spernit squalorem. Multoq. melius est
stomachum dolere, quàm mentem imperare
corpori, quàm seruire, gressu vacillare, quàm
pudicitia.

IDEM sic habet: Pythagoras & Zenon 3
Stoicorum principes aiunt animæ perturba- Ep.ad Thesiphontē aduersus Pelagium. to.2.
tiones, tristitiam, & gaudium, spem & metum,
quorum duo præsentia, duo futura sunt extir-
pari posse de mentibus, & nullam radicem vi-
tiorum in homine omnino residere medita-
tione, & assidua exercitatione virtutum. Ad-
uersum quos Peripatetici, qui de Aristotelis
fonte descendunt, fortissime disputant. Hoc
est enim hominem ex homine tollere, & in cor
pore constitutum esse sine corpore, dicente A-
postolo: Infelix ego homo, quis me liberabit
de corpore mortis huius? Quis enim potest
aut non gestire gaudio, aut mœrore contrahi,
aut spe extolli, aut timore terreri? cum dicat
Apostolus: Video aliam legem in membris
meis repugnantem legi mentis meæ, & capti-
uum me ducentem. Et alibi: Non enim quod
volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum,
illud facio. Si quod non vult operatur, quo-
modo stare potest hoc, quod dicitur posse ho-
minem sine peccato esse, si velit? Vnde dicit
Paulus: Conclusit Deus omnia sub peccato, vt
omnium misereatur. Et Sapiens ait: Non est
homo, qui non peccet. Et quis gloriabitur ca-
stum se habere cor? & non est mundus a sor-
de, nec si vnius diei sit vita eius super ter-
ram.

IDEM ait: Quatuor sunt perturbatio- 4
nes, quibus genus vexatur humanum, duæ bo- Li.2.aduersus Pelagianos.to.2.
norum, & duæ malorū, tristitia, gaudium, spes,
& metus, excedimusq. mensuram, si gaudea-
mus super his, quæ non debemus, diuitijs, po-
tentia, honoribus, inimicorum infelicitate,
& mortibus, vel e contrario præsentium ma-

lorum dolore cruciamur, aduersis, exilijs, paupertate, lãguore, & mortibus propinquorum, quod Apostolus fieri prohibet, & rursum si cupiamus ea, quæ arbitramur bona, hereditates, honores, prosperitates omnium rerum, & corporis sanitatem, & cetera, quorum præsentia gaudio fruimur, & metuamus illa, quæ putamus aduersa, quibus ad perfectum carere iuxta Stoicos possibile est, iuxta Peripateticos autem difficile & impossibile est, cui sententiæ omnis Scripturæ sanctæ consentit auctoribus. Vnde & Iosephus Machabæorum scriptor historię, frangi & regi posse dixit perturbationes animi, non eradicari, & quinque tusculanarum quæstionum Ciceronis libri his disputationibus referti sunt. Pugnat enim iuxta Apostolum, aduersum nos fragilitas corporis, & spiritalia nequitiæ in cælestibus. Manifesta sunt, dicente eodem, opera carnis, & spiritus & hæc sibi inuicem aduersantur, vt non quæ volumus illa faciamus. Deus lux appellatur, & tenebræ in eo non sunt vllæ. Quando dicit nullas tenebras in Dei lumine reperiri ostendit omnia aliorum lumina aliqua sorde maculari. Denique & Apostoli appellantur lux mũdi. Sed nõ est scriptum, quòd in Apostolorum luce nullæ sunt tenebræ.

5 IDEM exponens verba illa; Et leuaui oculos meos, & vidi, & ecce quatuor cornua, & dixi ad angelũ, qui loquebatur in me. Quid sunt hæc? Et dixit ad me, hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Hierusalem, dicit: Possumus quatuor cornua quæ regnauerunt contra populum Dei quatuor accipere passiones & perturbationes animæ, de quibus & illustris poeta significat. Hi metuunt, cupiunt, gaudentque, dolentque. His passionibus concutitur mundus.

Lib. 1. in c. 1. Zacha. prophetæ. to. 6.

6 AVGVSTINVS sic habet: Duæ sunt sententiæ philosophorum, de his animi motibus, quos Cicero perturbationes, quidam affectiones vel affectus, quidam vero passiones vocant. Has passiones quidam philosophi dicunt etiam in sapientem cadere, sed moderatas rationiq. subiectas, vt eis leges quodammodo, quibus ad necessarium redigantur, modum dominatio mentis imponat. Hoc qui sentiunt Platonici sunt, siue Aristotelici. Alijs autem sicut Stoicis cadere vllas omnino huiusce modi passiones in sapientem non placet. Istos autem & Peripateticos in re idem sentire existimo, etsi differant in verbis. Vt autem id ostendam in libris noctium Atticarum, referam Gelium, qui narrat se nauigasse aliquando cum quodam philosopho nobili Stoico, is philosophus, cum illud nauigium horribili cælo, & mari periculosissime iactaretur vi timoris expalluit. Id animaduersum est ab eis, qui aderant, vtrum philosophus animo turbaretur. Deinde tempestate transacta, mox vt securitas præbuit colloquendi, vel etiam garriendi locum, Gellius a philosopho discendi animo requisiuit, quænam illa esset ratio pauoris sui. Qui protulit statim de sarcinula sua Stoici epitecti librum, in quo ea scripta essent quæ congruerent decretis Zenonis, & Chrysippi, quos fuisse Stoicorum principes nouimus. In eo libro se legisse dicit Gellius hos Stoicis placuisse quòd animi visa, quæ appellant phantasias, nec in potestate est, vtrum, & quando incidant animo, cum veniant ex terribilibus & formidabilibus rebus, necesse est etiam sapientis animum moueant, ita vt paulisper vel paueſcat metu, vel tristitia contrahatur, tamquam his passionibus præuenientibus mentis & rationis officium, nec ideo tamen in mente fieri opinionem mali, nec approbari ista eisque consentiri. Hoc enim esse volunt in potestate, idq. interesse censent inter animum sapientis & stulti, quod stulti animus eisdem passionibus cedit, atque accommodat mentis assensum, sapientis vero quamuis eas necessitate patiatur, retinet tamen de his, quæ appetere vel fugere rationabiliter debet, veram & stabilem inconcussa mente sententiam. Quæ dixit Gellius hæc sunt, in quibus parum aut nihil distat inter Stoicorum, aliorumq. philosophorum opinionem de passionibus & perturbationibus animorum. Vtrique enim mentem, rationemq. sapientis ab earum dominatione defendunt. Et ideo fortasse dicunt eas in sapientem non cadere, Stoici, quia nequaquam eius sapientiam, qua vtique sapiens est vllo errore obnubilant, aut labe subuertunt. Accidunt autem animo sapientis, salua serenitate sapientiæ, propter illa, quæ commoda, vel incommoda appellant, quamuis ea dicere nolint bona vel mala. Nam profecto si nihili penderet eas res ille philosophus, quas amissurum se naufragio sentiebat, sicuti est vita ista, saluſq. corporis nõ ita illud periculum perhorresceret, vel palloris etiam testimonio proderetur. Verumtamen & illam poterat permotionẽ pati, & fixam tenere mente sententiam, vitam illam, salutemq. corporis quorum amissionem minabatur tempestatis immanitas non esse bona, quæ illos, quibus inessent, facerẽt bonos, sicut facit iustitia. Quod autem aiunt ea, nec bona appellanda esse, sed commoda, verborum certamini deputandum est. Quid enim interest vtrum aptius bonum vocentur an commoda, dum tamen ne his priuetur, non minus Stoicus, quam Peripateticus paueſcat & palleat, ea non æqualiter æstimando? Ambo sane si bonorum istorum, seu commodorum periculis ad flagitium vel facinus vrgeantur, vt aliter ea retinere non possint, malle se dicunt hæc amittere, quibus natura corporis salua & incolumis habetur, quã illa committere, quibus iustitia violatur, ita mens vbi fixa est ista sententia, nullas perturbationes etiam si accidãt inferioribus animi partibus, in se contra rationem præualere permittit, quinimmo eis ipsa dominatur, eisque non consentiendo, sed potius resistendo regnum virtutis exercet. Talem describit etiam Virgilius Æneam:

Mens immota manet, lachrymæ voluuntur inanes,

IDEM

8 Cap. 5. IDEM differẽs, quod passiones, quę Christianos animos afficiunt non in vitium trahãt, sed virtutem exerceant, dicit: Christiana eruditio Deo mentẽ subijcit regendam, & iuuandam, mentisq. passiones ita moderãdas ac frenandas, vt in vsum iustitiæ conuertantur: Denique in disciplina nostra non tam quæritur, vtrum pius animus irascatur, sed quare irascatur, nec vtrum sit tristis, sed vnde sit tristis, nec vtrũ timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti vt corrigatur, contristari pro afflicto, vt liberetur, timere periclitanti, ne pereat, nescio vtrũ quisquã sana consideratione reprehẽdat. Infra: Stoici passiones non putant vitia, quando sapienti sic accidunt, vt contra virtutem mentis, rationemq. nihil possint.

9 Tract. 60. in Ioan. to. 9. IDEM explicans verba illa Ioan. cap. 13. Cũ hæc dixisset Iesus, turbatus est spiritu, ait: Pereant argumenta philosophorum, qui negãt in sapientem cadere perturbationes animorũ. Turbetur planè animus Christianus non miseria, sed misericordia, timeat ne pereant homines Christo, contristetur cum perit aliquis Christo, concupiscit acquirere homines Christo, lętetur cum acquiruntur homines Christo, timeat ne sibi pereat & Christo, cõtristetur peregrinari se a Christo, concupiscat regnare cũ Christo, lætetur dum sperat se regnaturũ esse cum Christo. Istæ sunt certè quatuor, quas perturbationes vocant, timor & tristitia, amor & lætitia, habeant eas iustis de causis animi Christiani, nec philosophorum Stoicorum, vel quorumcumque similium consentiatur errori, qui profecto quemadmodum vanitate existimant veritatem, sic stupore deputant sanitatẽ ignorantes sic hominis animum, quemadmodũ corporis membrum desperatius ęgrotare, quando & doloris amiserit sensum. Turbatus est ergo Iesus pro membris suis ne isti desperent si passionibus instigantibus turbentur.

10 Serm. 6. ex paruis. Cant. 3. BERNARDVS explicãs verba illa Cãticorum 3. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua, sic habet: Solus Christus a matre coronatus est, quia solus cum ordinatis affectionibus tamquam sponsus e thalamo processit ex vtero matris. Sunt autem affectiones istæ quattuor notissimæ, amor & lætitia, timor & tristitia. Absq; his non subsistit humana anima, sed quibusdam sunt in coronam, quibusdã in confusionẽ. Purgatæ enim & ordinatæ gloriosam in virtutum corona reddunt animam. Inordinatæ per cõfusionem deiectam, & ignominiosam. Purgantur autem sic, si amantur quæ amanda sunt, si magis amantur quæ magis amanda sunt, si non amantur quæ amanda non sunt, amor purgatus erit. Sic & de ceteris. Considera ergo quomodo istæ affectiones ordinatæ, virtutes sunt, inordinatæ perturbationes. Si timorem sequatur tristitia, desperationem generat, si amorem lætitia, dissolutionem. Sequatur ergo timorem lætitia, quia timor futura cauet, lætitia de præsenti gaudet. Comitetur lætitiã tristitia, quia moderate lætą amplectitur, qui tristia reminiscitur. Iungatur amor tristitiæ, quia fortiter sustinet tristia, qui per amorem quæ sunt amanda desiderat. Iungatur amor timori, quia ordinate amandis inhæret, qui timenda non negligit.

11 Serm. 35. ex paruis. IDEM ait: Currus quo homines dicũtur, habet quatuor rotas, quatuor scilicet animi affectiones notissimas, amorem & lætitiam, timorem & tristitiam. Amant enim reprobi tẽporalia, & lætantur cum malefecerint, sed hũc amorem, & hãc lætitiam sequitur timor & tristitia sempiterna. Electi vero quibus dicitur, Mundus gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, ponunt primas rotas timorem & tristitiam, posteriores, amorem & lætitiam. Ipsis etenim cõmutatur timor in charitatem, tristitia in lætitiam sempiternam. *Ioan. 16.*

Paupertas Christiana, & quòd qui hanc amplectuntur, honorandi sunt, sicut & illa magni habenda. Cap. III.

1 Hom. super orationem Annæ. to. 1. MVLTA de re hac diximus latissime lib. 1. cap. 17. lib. 2. c. 15. & infra per plura cap. lib. 4. cap. 38. & tribus seq. Quibus addẽda sunt, quæ sequuntur. In primis Chrysostomus sic habet: Si paupertatem abstuleris omnem vitæ sustuleris conseruationem, vitamq. nostrã corruperis. Nec nauta, nec gubernator, nec agricola, nec ædificator, neque textor, aut calceamentorum sutor, non faber, nec ærarius, aut coriarius, pistorve, nec alius quis horũ erit artificum, qui si non fuerint, omnia vobis transibunt. Nam nunc quidem quasi magistra quædam optima paupertatis necessitas singulis instans ad opera vel inuitos compellit. Si vero diuites omnes esse deberent, omnes quoque deberent in otio viuere, & omnia perijssent, atque fuissent corrupta. Infra: Age ad ea, quæ nostrã continẽt vitam, videamus an in illis plus paupere diues habeat? Puta diues habet thesaurum, & alia multa huiusmodi, medicata pocula, & cũ multa delectatione cõposita, sed aquarum fontes omnibus propositi cõmuniter sunt & diuitibus, & pauperibus. Vinũ non est hominibus necessarium, sed aqua sine qua nec duos dies transigere valemus. In necessarijs itaq; vitam nostram continentibus pauper nõ superatur, sed si quid admirabile dicere fas est, & diuitẽ superat. Multos .n. diuites cernere possumus corporis valetudine propter delicias orta, vt plurimũ ab aquæ potibus abstinere, pauper autem per omnẽ vitã his fluentis libere vescitur, tãquam ad mellis fontes, sic ad aquarũ currentiuulos, & inde sinceram & puram hauriens voluptatem. Ignis natura nonne numerosis vtilior thesauris, & humanis omnib⁹ diuitijs? Et hic quoque thesaurus vtilitatis diuiti pari-

ter & pauperi propositus est. Quæ vero nascitur ab aere corporibus nostris vtilitas & lux splēdoris num quid diuitibus, magis pauperibus vero minus, exhibatur, & eam illi quidem quattuor, hi vero duobus tantum oculis inspiciunt? Nec in his solum, verum & in omnibus alijs nobis a natura collatis, multam videbis æqualitatem, immo superabundantiam pauperibus attributam. Nam somnus omnibus suauior delicijs, magisq. necessarius, & omni vtilior nutrimento pauperibus est, quā diuitibus, facilior & sincerior. Nam illis quidem multæ deliciæ, citra famē cibus, citra sitim potus, carensq. dormitatione somnus in omnibus voluptatem dissoluere cōsueuerunt. Non enim ita rerum natura, sicut necessitatis vsus horum quodq; nobis iucundum constituit. Nō ita certè suauis vini, meriq. potus, sicut potantis sitis delectare solet. Non ita placentas comedere, sicut cum esurie cibum sumere. Non ita molli recubare strato, vt dormitantes dormire. Quæ omnia magis apud pauperes sunt, quam apud diuites. Quæ vero pertinent ad corporis valetudinem, & omnem aliam bonam habitudinem, non communia diuitibus & pauperibus proposita sunt? Nemo dicere potest aut ostendere, quòd pauperes tantum ægrotant, diuites autem semper in bona sunt valetudine, cōtrarium quidem videri potest, pauperes quidē insanabilibus turbis non facile capi, hos autem passim in diuitum corporibus germinare. Pedum certè dolores, incurabilesq. neruorū torturæ, capitis grauedines, & maligna cuiusque generis, corruptaq. rheumata præsertim illos vexare consueuerunt, qui delicijs vacant, in laborantibus & ęrumnas patientibus, & ex quotidiana opera necessarium quærentibus nutrimentum huiusmodi nihil inuenitur. Pauper si filijs careat, haud multum sentit dolorem, diues autem quanto magis auctam rem videt, tanto magis ex sterilitate cruciatur, propter heredis priuationem nullam sentiens voluptatem. Sed ad mortem spectantia nonne communia? nonne tam in diuitibus, quàm in pauperibus immaturæ mortes accidunt? Et post mortem vero, nonne tam his, quàm illis omnibus similiter corpus dissoluitur, fauillaq. fit & puluis, & vermes gignit?

3 Hom. 48. in Matth. to. 2. IDEM sic habet: Quemadmodum fons, si aquarum flumina in seipso quasi stagnū quoddam retineat, facile putrescit: eodem certe modo diuites, cum in seipsis opes suas detineant, marcescūt. Idcirco trito prouerbio fertur, multa diuitiarum putredo apud hominem est, nec dicitur magna copia ingens thesaurus: putredo enim profecto est nō possidentiū, sed opum ipsarum. Nam reconditæ vestes corrumpuntur, aurū ærugine decoloratur, frumenta marcescunt. Quid plura? cor possidentis hæc atq; conseruantis maioribus in dies curis, quam ærugine decoloratur, atque tabescit. Nam si animum auari nudum absque corpore cogitatione perspexeris, inuenies sicut vestem mille tineis corrosam, sic vtiq; a curis perforatum, a peccatis putrefactum, & habendi sollicitudine tabescentē. Non talis profecto animus inopis est; inopis dico vltro ac sponte sua, sed fulget ille quidem vt aurū, splendet sicut gemma, floret quasi rosa, nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura secularis, sed viuit angelica vita. Vis huius animi pulchritudinē aspicere? vis paupertatis opes quantę sint discere? Nō imperat hæc viris, sed imperat dæmonibus, non assistit regi, sed assistit Deo, non hominis, sed angelorum commilito est. Non habet duos, tres, vel viginti loculos rerum plenos, sed sic abundat, vt vniuersum mundum paruipendat, & thesaurum habet in cælo. Non indiget mancipijs, sed habet loco seruorū passiones, habet seruos appetitus, qui regibus dominantur, vt nec respicere audeāt, regnum porro atq; aurum, & omnia huius generis hęc, de qua dicimus paupertas quasi pueriles ludos, trochos dico, pilas, aspernatur, atq; contemnit. Quid igitur hoc paupere melius excogitari poterit? Hic in cælo tamquam in pauimento ambulat. Quod si tale pauimentum domus eius est, cogita per te ipsum qualiter tectum sit. Sed non habet, inquies, equos atq; vehicula. Certe nec harum rerum opus est ei, qui nubibus vectatur, & cum Iesu conuersatur.

4 Hom. 25. variarum in Matth. IDEM dicit: De dignitatibus nō disputo, quæ a Deo ad benefaciendum omnibus conceduntur, sed de illis dico, qui inflati superbia dignitatum putant se immortales cū ipsa dignitate futuros, & non considerant conditionem suam, quia de terra sunt, & in puluerē redigentur. Attendis pauperē, & despicis, nec cogitas, quoniam homo est sicut & tu. Homo est chara possessio Dei, homo cuius causa firmatū est cęlū, extēsū mare, fundata est terra super aquas, propter quem sol oritur & incūbit, luna crescit & decrescit, astra micantia surgunt, propter quē diuersa animalia quadrupedia, volatilia, & natantia, propter quē terra producit herbā, & dat cibaria in tēpore suo omni animæ, propter quem mōtes, & colles, valles, & cāpi, propter quem fōntes, & flumina, propter quē tempora, & menses, & anni, propter quē angeli, archangeli, principatus, &c. Et quid multa loquar? propter quem vnigenitus filius Dei sanguinē suum fudit, & genus redemit humanū, & vt pauperes non despicerentur formā serui suscepit, & quia pauperes, & rusticanos, & piscatores elegit Dominus, quos etiā beatos appellat. Nam facilius esse dicit camelum per foramen acus transire, quā diuitē intrare in regnū cælorum. Princeps Apostolorū super quē Christus fundauit Ecclesiam vere immobilis petra, nonne pauper erat & despectus, & piscator? Sed & Iacobus, & Ioannes similiter pauperes erant, & transiens Saluator vidit eos consuentes retia sua, & non despexit, sed vocauit, & assumpsit eos. O eminentia paupertatis. In tantum pauperes erant, quod retia noua emere non valebant ad capiendum pisces, sed vetera consuebant. Et Petrus pro hamo piscatorio accepit claues regni cælestis. *Matt. 4.* *Ibid. 9.*

IDEM

5 Homil. 5. variarū in Lucam. IDEM dicit: Lazarus pauper quoniam sanctus erat nominatur, iste vero diues & superbus nec nomine quidē dignus habitus est. Infra: Mortuus pauper portabatur in humeris angelorū, ne saltem ambulans laboraret. Portabatur, post tantos labores, & portabatur ab angelis. Non sufficerat ad portandū pauperi vnus angelus? Sed propterea plures veniunt, vt chorum lætitiæ faciant, & portaretur ab angelis. Gaudet vnusquisque angelorum, tantum onus tangere, libenter talibus oneribus prægrauantur, vt adducant homines ad regna cælorum. Infra: Dixit Abraham diuiti: *Luc. 16.* recepisti bona tua in vita tua. Vide quid dicat bona tua, ceterum bona non sunt. Quæ putabas bona recepisti, non potes in terra regnasse, & hic regnare. Et Lazarus similiter mala. Si pauperes sumus, si frigore conficimur, si hospitium non habemus, gaudeamus, accipiamus mala in vita nostra. Infra: Habent ibi Moysem Lazarum, & Moyses Lazarus fuit, pauper fuit, nudus fuit, maiores diuitias ęstimans thesauro Ægyptiorum improperia, & paupertatem Christi.

6 Cōcione 2. de Lazaro. IDEM inquit: Vidistis in vestibulo diuitis Lazarum pauperem? videte eundem iam in sinu Abrahæ. Vidistis eum, cum a canibus circūlingeretur, videte eundem ab angelis stipatum. Vidistis, eum in paupertatem, videte nunc eundem in delicijs. Vidistis illum in fame, videte in multa rerum affluentia. Vidistis *Luc. 16.* illum certantem? videte coronatum. Vidistis labores? videte præmium. Quotquot estis diuites, vel pauperes. Diuites quidem ne putetis diuitias aliquid esse magni, si desit virtus. Pauperes verò ne iudicetis paupertatem vllū esse malum. Pauperes qui indigne molesteq. ferunt egestatem, quam impetrabunt veniam, cv hic in fame, penuriaq. solitudine, & aduersa valetudine vitam assidue trahens in ædibus diuitis, & ab omnibus despectus, ad hæc non habens alium, ad quem eadem perpessum respiceret, sic appareat philosophatus? Ab hoc discamus non pro beatis habere diuites, neque pro miseris habere pauperes, immo si verum fateri licet, ne diues ille est, qui multis diuitijs circumuallatus est, sed qui non eget multis. Nec is pauper est, qui nihil possidet, sed qui multa concupiscit. Ab hoc discite hunc esse finem paupertatis, & opulentiæ. Si quem videris multa concupiscentem, existimato illum omnium esse pauperrimum, etiam si possideat omnium opes. Rursum si quem videris non multis egentem, illum omnibus opulentiorem esse ducito; etiam si nihil possideat. Nam mentis affectu, non facultatum modo, paupertatem, & opulentiam æstimare consueuimus. Quemadmodum igitur cum, qui perpetuo sitit non dixerimus recte valere, etiam si iuxta fluuios, ac fontes accumbat. Quid enim prodest illa aquarum copia, cum affectio maneat insedabilis? Itidem & in diuitibus faciamus, eos, qui perpetuo concupiscunt sitiuntq. alienа, ne putemus vmquam esse sanos, nec vlla frui rerum copia: eos verò, qui quod habent suum, boni consulunt, quique sua sorte contenti sunt, nec alienas circumspectant facultates, etiam si fuerint omnium egentissimi, omnium opulentissimos ducere oportet.

7 Cōcione 4. de Lazaro, IDEM sic habet: Ex narratione diuitis, & Lazari plurimum fructus nasci video, tum diuitibus, tum pauperibus, tum his qui propter improborum fœlicitatem, tum illis, qui propter iustorum inopiam, & afflictionem conturbantur. Neque enim vlla res perinde solet hominum vulgus offendere ac perturbare, vt quod diuites praue viuentes multa fruuntur prosperitate: contra iusti, cum virtute vitam agentes ad extremam rediguntur inopiam. Verum hæc parabola sufficit ad præstanda remedia, diuites quidem redigens ad sobrietatem, pauperes verò in præsentibus malis consolans, & illos quidem admonens ne efferantur tollantq. cristas, quoties peruerse viuētes hic pœnas non dant, cum alibi eos maneat grauior cruciatus; hos verò consolans ne aliorum fœlicitate pertu bentur. Hanc parabolam inscribite diuites pariter ac pauperes, diuites, quidem in parietibus animæ vestræ: magis autem pauperes coram oculis mentis vestræ semper circumferte, & erit nobis documentū materiaq. totius philosophiæ. Sic enim nec huius vitæ læta poterunt nos inflare, neque tristia prosternere, sed non aliter quam afficimur picturis in pariete additis, erga hæc vtraque afficiemur. Quemadmodum enim conspicientes in pariete pictum diuitem ac pauperem, nec illi inuidemus, nec pauperem despicimus, eo quod quæ videmus umbra rerum est, non veritas; sic & diuitiarum & paupertatis, gloriæ & ignominiæ, aliarumq. rerum omnium siue tristium siue lætarum naturam, si pernouerimus liberabimur a turbatione, quæ ex harū vnaquaque in nobis gigni solet. Hæc enim omnia quauis vmbra fallaciora sunt, nec quicquā habent sublime, nec splendida, glorioſaq. attollere, nec humilia contemptaq. contrahere poterunt.

8 Hom. 30. in 1. ep. Pauli ad Cor. to. 4 IDEM ait: Non minus mendicus silens solo conspectu pro templi foribus sedens suadendo potest, quam qui populum moderamur & prædicamus. Quid enim aliud nos vobis inculcamus quotidie docendo, nisi vt non altum sapias ò homo? Res est subito inclinans, & omnigenis casibus quàm maxime obnoxia hominum natura, ad senectam iuuentus festinat, dilabitur gratia in deformitatem, ad imbecillitatem robur decrescit, sanitas in languorem deficit, in contemptum gloria, diuitiæ in pauperiem, honor in despectum abit, præcipiti flumini, nec vnquam consistenti, sed ad prona continuo, & per omnia ruenti nostra similia sunt. Hæc & his plura mendicus ille non verbis & oratione ad hoc concinnata, sed re ipsa, & vero vultu assidue contestatur. Quot igitur eorum putas, qui ad postes nunc templi miseri sedēt, floruerunt quondam, & magna gesserūt? Ex abiectis & contemptibilibus hominibus si

euaserunt reges sæpe, quid mirum si e magnis clarisq. viris, mendici contra facti sunt quidam? Non est, cur quis dubitet illorum plerosq. artibus, bello, opibus floruisse quondam, misereri vices illorum, & cum dolore etiam, sorti quemquam suæ metuere conuenit potius ne idem iam olim ipsi quoque periclitemur. Nam & nos homines fortunæ lubricitati æque omnis obnoxij sumus. Metuēda res paupertas esse videtur, & ipso etiam nomine horribilis. Equidem hanc, quia metuimus, hoc ipso vere iam pauperes sumus, etiam mille talenta possidentes. Neque enim qui nihil habet pauper est, sed paupertatem horrens.

9 Hom.17.in ca.8. 2. epi. ad Cor.

IDEM explicans verba illa; quæ de manna dixerat Deus, qui multum habuit, non abundauit, & qui modicum non minorauit dicit: Videre licet in sæcularibus hoc fieri non in solo manna. Nam cum omnes vnum ventrem impleamus, & vno tempore viuamus, & vnum corpus tegamus, nihil magis habet diues ex abundantia, neque ex paupertate minus pauper? Quid igitur times paupertatem, quid sectaris diuitias? Timeo, inquit, ne cogar transire ad aliorum fores, & mendicare à proximo. Audio autem multos etiam hoc cōtinuo orantes, & dicentes ne me sinas peruenire, vt hominum auxilio egeam, & valde rideo hoc audiens puerilis enim timor est. Nam quotidie, & in omnibus vt ita dicam aliorum opera opus habemus, atque adeo verba hæc sunt animæ incircunspectæ, & inflatæ, neque rerum naturam manifeste scientis. Non vides quod omnes mutua opera indigemus? Miles opificis, opifex negotiatoris, negotiator agricolæ, seruus liberi, Dominus serui, pauper diuitis, diues pauperis, qui nihil operatur eius, qui dat eleemosynam, qui expendit, eius qui accepit. Etenim qui accipit eleemosynam, maxime omnium vsui est. Nam si pauperes non fuissent, id quo abundamus saluti nostrę non ce deret, non habentibus nobis quo pecunias conijceremus, atque hic pauper, qui omnium videtur maxime inutilis, idem omnium est vtilis maxime. Si autem turpe est egere alterius opera reliquum est, vt moriamur, qui enim hoc timere voluerit viuere non poterit. Licet diues sis plurimorum eorumq. vilium opera indiges. Sic nam ignoras quid ores pecunias ideo petens ne aliquo indigeas, quemadmodū si quis in mare ingressus precetur, vt neq; nautarum, neque nauis, neque supellectilis variæ vsu habeat opus. Nam si vis paucissimis rebus opus habere ora pro paupertate, & si rogaueris pro re aliqua pro solo pane rogabis, vel velte. Si autem vis turbam fugere, licet ad portum paupertatis, qui fluctibus caret, confugere, amputa multam negotiorum turbam, & nō putabis hoc esse turpe, quòd egeas alio: ineffabilis enim sapientiæ Dei hoc opus est. Nam cū mutua opera indigeamus, & necessitas illa nō conciliaret amicitias nostras, si omnia sufficerent, nonne essemus indomitæ bestiæ? ita Deus subiecit nos nobis inuicem ob hanc necessitatē, vt quotidie alter alterum requirat, & si hoc frenū abstulisset, quis facile proximi amasset amicitiā? Nō igitur ingenuitatis est de his cōfundi, sed mollis ac sordidę & stultę animę. Etenim Deo visū est, vt mutua opera habeamus opus.

10 Hom.11.in ep. ad Heb.

IDEM sic habet: Si videres pauperem nō pertranseas, sed statim intellige quis fuisti, aut si tu esses in illo, quid nos velles omnes facere? Seruis necessaria das, quia seruiunt tibi bene. Si autem pauperi tribuas aderit tibi in die iudicij, & eruet te ex igne. Quid tale omnes serui faciunt? Quando Tabitha defuncta est, quis eam resuscitauit? Serui circunstantes, an pauperes? Frigus est, & iacet pannis circundatus pauper moriturus, dentes quatiens, & vultu, & habitu deprecans, tu autē calefactus, & ebrius pertransis. Et vtinam vsque ad hoc tantum esses. Sed confestim accusatio aduersus interpellantem. Quid nō operatur, inquis? quid vacās pascitur? dic mihi; tu per operationem habes, quæ habes? Nonne hæreditatem paternam suscipiens? Nonne audis Paulum dicentem: Postquam enim dixit, qui non operatur non manducet, vos autem bonū inquit, facientes ne deficiatis? Sed quid dicis? impostor est? quid dicis ò homo propter vnum panem, & vestimentum impostorem eum vocas? Sed confestim vendet illud, inquis. Tu autem cuncta tua bene disponis? Quid autem? num omnes ob segnitiem egent? Nemo per naufragiū, nemo per iudicia, nemo per furta, nemo per pericula, nemo per ægritudines, nemo per aliam calamitatem? Sed si audierimus aliquē talia deplorantem, maiora clamantē, & nudum cælos inspicientem, & capillos demittentē, & pannis circundatum, cōfestim eum impostorem, fallacem, irrisorem vocamus. Nō erubescis quem impostorem vocas? Noli dare, & noli accusare hominem. Sed habet, inquis, & fingit. Hoc tua est accusatio nō illius, scit enim cū crudelibus se habitare, cū bestijs magis quàm cū hominibus. Et quia nisi miserabile proferat verbum nullum ad miserādum adducit, & propter hoc cōpellitur, & habitū miserabiliorē sibi circūponere, vt tuā frāgat animā. Si videam° aliquē in habitu liberi interpellantem nos, iste inquis impostor est, & vt putetur ex generosis esse isto modo interpellat, si viderimus in cōtrario habitu & illū culpamus. Quid agāt de cetero? O crudelitas, & arrogātia? Quare inquis aliqui mēbra sua denudāt? Propter te, si misericordes essemus istis, eis artibus opus nō esset, si prima interpellatione persuasissent, non tanta cōmēta exquisissent? Quis est ita miser vt velit tantum clamare, vt velit ad confusionē venire, vt velit publice deplorare, cū nuda coniuge, cum filijs puluere conspergi? Hæc qua paupertate non sunt peiora? Sed pro his non solum misericordiā nullam a nobis accipiūt, magis autē a nobis accusantur. O inuerecundia pauperē inuerecundū vocas? Tu rapiēs non es inuerecūdus, ille autē pro pane deprecās inuerecundus iudicatur. In abūdātia constitutus iste, inquis, mendicat. Qua causa? dic mihi, quid est confusi-

confusibilius? Melius quippe est mori quā mēdicare quādiu ita supini sumus. Quid ergo omnes impostores sunt, nullus reuera pauper est? Etiam, inquis, & multi. Quid ergo vel eis non exibes auxiliū? Vt quid existis scrupulosus vitę eorum enucleator? Sed hę occasiones sunt, & Luce 6. excusationes. Omni petenti te da, & volentem a te mutuari non auerseris. Extende manum tuam non sit contracta. Non enim vitarum cōstituti sum° discussores, alioqui nullus hoc modo miserebitur. Quare quādo Deum rogas dicis, 12 peccatorū meorū ne memineris? Proinde etsi valde sit ille peccator, hoc ipsum, & in ipso considera, & noli reminisci peccatorū eius, tēpus est misericordiæ non scrupulosæ discussionis, misericordiæ non ratiocinationis. Nutriri vult si quidem vis tribue, si autem non vis dimitte sine increpatione, ne alij tuo exēplo attracti nec illis dent. Scitis enim, quoniam quæ mala sunt facile suspicamur, quæ vero optima nō itē. Efficiamur misericordes nō quomodocunque, sed quomodo pater noster cælestis, ipse adulteros fornicatores &c. omnes nutrit. Sic efficiamur etiam nos misericordes, si quisquā opus habuerit, & in necessitate fuerit, auxiliemur. Non dicebāt prisci hic impostor est quia si indifferenter omnibus demus, semper misere bimur, si autem cœperimus scrutari, nunquam misericordiam præstabimus. Siquidē auri talenta quæreret, & argenti, aut vestes pretiosas, & seruos, merito quis istum diceret deceptorē, si autem nihil horum, sed nutrimentum, & vestimentum, nunquid hæc deceptoris sunt? dic mihi. Quiescamus ab hac absurda curiositate, & diabolica. Si enim in clero electum se esse dicat, si sacerdotem nominet, scrutare, non enim sine periculo in talibus indiscussa cōicatio est. Gene. 18. Si pro nutrimento postulat, nihil examines. Quomodo Abraham hospitalitatem erga oēs transeuntes ostēdebat? Si scrutator fuisset circa refugientes ad se, nunquam angelos suscepisset hospicio. Fortasis enim non putans eos angelos esse, cum reliquis repelleret, sed quoniā omnes suscipiebat, suscipiebat & angelos.

13 Lib. 2. contra vitupe- ratores vitę monasticæ.

IDEM inquit; Si demonstrauero filium tuum diuitijs vltra omnes eminere, non illū in paupertate positum, beatum existimabis, quiescesq. tandem te lamentis ac suspirijs, adeo amaris conficere atque diris gemitibus abstinebis? Nempe absolutum eum curis illis ac malis reliquis, quæ solēt opes e vestigio subsequi, ne tu quidem ipse negabis. Idcirco illud solum addiscere cupis quonam modo ille diues sit, ac te ipso, qui tam multa possides, longe opulentior: hoc ego modo te docebo, ostendamq. te, si illi compateris, id pati, quod illum pati arbitraris, atque in extrema paupertate degere. Nempe enim tu eorum tantum, quæ possides Dominus es, ille vero omnium, quæ sunt in toto orbe terrarum. Sin vero tu minus credis, age te ad illum, adducamus ac persuadeamus, vt de monte descendens magis autem illic residens alicui ex his, qui & diuites valde & religiosi sunt, mandet, sibi mittat auri pondus quantum ipse vis, siue quia istud non pateretur, isti vel illi indigenti dare iubeat; videbis diuitem illum sibi deuotius, alacrius, promptius abaudientem, quàm faceret nutu tuo qui vis ex dispensansatoribus tuis. Nam hic quidē cum aliquid iubetur impēdere mœrens, tristis, demissus id facit, contra ille cum non impenderit tunc demum maxime trepidat atq; anxius est, ne forte in aliquo offenderit. At qui tu, si quidem villici tui sibi credita male absumpserint, alium non habes a quo petas, verum illorum peruersitate ex diuite cōtinuo pauper efficeris, at filius tuus nil eiusmodi metuit. Siue enim ille cui prius imperauerat diuitijs excidat, imperabit alteri, siue is quoq; aliquid tale passus fuerit, ad alterum se conuertet. Prius denique deficient fontium latices, atque siccabuntur, quàm qui nato tuo non obtēperet imperanti. Infra: Tantæ sunt virtutis opes, atq; copiæ adeoq. quam vestræ dulciores atq; amæniores, vt qui has habuerint, nūquam eas velle possint cum vniuersa terra cōmutare, ne si illa quidem aurū fiat, cū mari & fluminibus, & mōtibus: atq; si fieri id posset didicisses profecto ex ipso experimēto, quod non iactantiæ, & læuitatis verba loquimur, sed maiores quoque illi copiosioresq. diuitias negligerent, vt eas possent adipisci, nūquam prorsus istis illas commutarent. Et quid ego dico cōmutarent? Ne cū illis quidē has habere vellent. Et certe, si quis vobis vna cū pecunijs virtutis conferat opes, obuijs eas supinisq. manibus suscipietis. Adeo ipsi quoq; eas diuitias, & magnas, & admirabiles esse confitemini. Contra isti ne cum suis quidē opes vestras habere dignabuntur, adeo rem esse contēptibilem, ac penitus abiectā norūt atq; hoc rursum exemplis vestris perspicuū faciam. Quantum enim pecuniarum Alexandrum Diogeni daturum putas, si quidē ille voluisset accipere? Sed noluit. At illi visibus totis contendebat cunctaq. moliebatur, vt huius virtutibus propius accederet. Vis ne aliūde & tui inopiam, & nati tui copias agnoscere? proficiscere ad illum eiusq. pallium, quod solū habet, ab illo aufer. Educ item ex cellula, atq; ipsum eius tugurium destrue, ne sic quidem illum indignātem, aut dolore aliquo commotū, penitus iubebis, verum aget tibi gratias, idq. tanto magis quanto illum ad philosophiā amplius impellis. Abs te vero, si quis vel decem drachmas tulerit, ingemiscere, flere lamentariq. non desinis. Quis ergo diues existimandus est? quis beatus? is qui vel minimis mordetur, an qui mortalia cuncta simul despicit? Neque id tantum facias quod dixi, verum illū prouincia de turba; videbis lætum, atque ridentem alio commigrare. Enimuero ille quippe terræ marisq. Dominus, ita facile sicq. sine mœrore, & gemitum migrabit ad alia, vt facis tu cum per agros tuos incedis, & longe facilius. Nam tibi etsi per tua licenter incedas, tamen per aliena quoq; necessario incedendū est. At vero terrā ille omnē, vt propriā obābulat, eiq. potum vndiq. largissimum suppetunt stagna, fontes,

fontes, amnes, cibum verò & olera, & virentes herbæ. Nondum enim id dico quòd terram ipse omnem aspernatur habens in cælo ciuitatem. Sin autem sibi moriendum fuerit, lætius feret occubitum, quàm vos delitias vestras, atque ita mori magis optabit peregre, quàm vos in patria, & in lecto. Neque verò eum nudum poteris ostendere, donec amictus fuerit virtutis indumentis, neque fame vnquam perimes, quamdiu qui sit verus cibus agnouerit. Itaque ista quoque ratione non peccabit, qui diuites quidem pauperes, & inopes dixerit, illos verò etiam ad omnem copiam locupletes. Nam cui cibus, & potus, & domus, & requies vbique suppetit, nec modo in eiusmodi non ingemiscit, aut mœret, verumetiam, quàm vos in vestris, iucundius degit: liquet prorsus eum nobis omnibus diuitibus esse ditiorem, qui ista in domibus vestris tantũ inuenire potestis. Quocirca nec inopiam ille vnquam lugebit, quia nec capi aduersis vllis potest, nec in paupertatem aliquando decidere, neque subiectus sit incertis vllis casibus. Atqui in nobis contraria his penitus aspicimus. Non modo enim
16 nos non laudant diuitiarum gratia, verum hac maxime ex causa & oderunt, & execrantur, & inuident nobis atque insidiantur plurimi, hic verò quod veris diuitijs beatus sit, idcirco sũme admirationi omnibus est. Infra: Dionysium accepisti Ciciliæ tyrannum, audisti, & Platonem Aristonis filium? Quis horum igitur insignior fuit, aut clarior? quis ne vbique canitur, ac per cunctorum ora celebratur? Nõne philosophus tyranno amplius? atqui ille insulæ totius potiebatur, atque in delitijs degebat ingentibus copijs, lictorum agminibus stipatus, reliquo quoq; cum apparatu regio diutius vixit: hic autem academiæ in hortis morabatur, plantãs inserens, oleas comedens, atque vilissimam apponens mensam, omniq. splẽdore regij illius apparatus immunis. Quod cum sit profecto mirabile, id omnino mirabilius est, quod seruus effectus, atque ad tyranni sententiam venditus, in tantum abfuit, vt illo propterea aut abiectior appareret, aut vilior, vt ipsi quoque tyranno ex hoc & famam, & claritudinem tradiderit. Quid verò præceptor eius Socrates? Quanto is Archelao fuit illustrior, & glorioſior? at ille plurimis opibus ingentiq. gloria & splendore degebat, hic autem morabatur in Lycio, nihilq. præter vnum pallium habebat, quo & hyberno, & æstiuo tempore omnibusq. horis anni vtebatur, nudis sem per pedibus incedens, ac sine cibo toto die per seuerans, panemq. tantummodo in cibum sumens, atque is erat ei & pulmentum & esculentum, ne istam quidem mensam ex rebus suis & ex sua domo apponebat, sed ab alijs accipiebat, sicq, cum summa paupertate vitam degẽs adeo rege ipso fuit illustrior, vt cum eum ille frequẽter ad se inuitaret, noluerit Lycio dimisso ad illius opes proficisci. Ex ea quoque quæ nunc obtinet existimatione, quid potius, quid excellentius sit apparet. Namq; horum quidem nomina, & celeberrima sunt, & pluribus 17
nota, illorum verò obscura, & fere omnibus ignota. Diogenes verò rursus hic alius philosophus tanto, & his & eius modi regibus opulentior fuit semicinctijs amictus, vt cum Alexander Philippi filius exercitum in Persas duceret, omnibus dimissis ad illum pergeret visendum, rogaretq. cominus per se ipsum vlla ne re indigeret, & an aliquid iuberet? Cui ille nihilo se egere respondit. Sed enim in ipsa quoque reipublicæ administratione, si diligenter inspicias non illi eminent, aut excellunt, qui diuitijs ac delitijs, rerumq. omnium copia stipati degunt, verum qui in paupertate, & vilitate vitam ab omni fastu alienam ducunt. Nãque apud Athenienses Aristides ille, quem etiã mortuum sepeliuit ciuitas Alcibiade, cum his opib⁹, delicijs, generis nobilitate, orationis vi & copia, corporis specie, & robore ceterisq. eiusmodi vinceret, tanto fuit insignior, quãto vili aliquo pusione philosophus mirabilis. Apud Thebanos verò Epaminondas cum in concionem vocaretur, ac propterea proficisci non valeret, quòd vestem lauisset, nec aliam haberet, qua operiri posset, cunctis qui eo conuenerant ducibus insignior ac spectatior fuit. Age nunc ex ipso filio tuo rem istam excutiamus diligenter. Inuenimus enim illum sane non modo clariorem esse nunc quàm fuisset domi, verum ex illis ipsis rebus eam claritatem assecutũ, quibus illũ tu & vilem esse & ignobilem existimas. Nam si vis persuadebimus illi de monte descendere, atque in forum irrumpere. Aspicies protinus totius ciuitatis in illum ora conuerti, cunctosq. inuicem sibi eum demonstrantes, summa admiratione ac stupore & gaudio repletos, velut angelus aliquis è cælo descenderit, an parum tibi glorię videtur assecutus? Certe non eis modo, qui in regia versantur, sed ipso quoque cui diadema circumligatum est profecto erit illustrior, idq. assequetur ob indumenta illa vilissima, atque consciſa. Numquam enim ita miraculo ac stupori omnibus fuisset, si vestibus operiretur auratis, si ipsam gestaret capiti impositam coronam, aureoq. curru multorum officio inueheretur, vt modo est squalore ac sordibus obsitus, crassoq. amictus indumento, solus, & nudis pedibus incedens. Et si quis de filio tuo verba faciat, vtiq; irriserit paternas opes, omnemq. sęculi gloriam dederit pessum, omniq. mundana spe celsior euaserit, atque ad solitudines cõ migrans, tunica vili consciſa ac putri se induerit. Laudabunt omnes eius magnitudinem animi tantam, & tã illustrẽ. Iste igitur amictus multo melius ipsum, & spectatũ illustrẽq. facit, quã faceret regius. Siquidem ex illo nemo regem admiratur, ex hoc ita indutum omnes, & venerationi, & stupori habent. 18

IDEM dicit: Communes nobis preceptores, & calamitatum consolationem per terrarum orbem misit Deus pauperes. Et aliquid præter voluntatem passus? Sed tale nihil quale ille. Etrusi est oculus tibi? Sed illi duo. Lõ- 19 Ho. 28. ad populum.

go

go morbo laborasti? Sed ille incurabili. Amisisti filios? Sed ille & proprij corporis sanitatem. Magna mulctatus es mulcta? Sed nondum ad hoc es redactus, vt alterius indigeas. Deo gratias age. Illos vides in paupertatis camino, & ab omnibus quidem petentes a paucis autem accipientes. Infra: Propterea & ante Ecclesiam, & martyrum monumenta pro foribus pauperes sedent, vt nos ex huiusmodi spectaculo multum capiamus vtilitatis. Considera namque quod nobis terrenas ingredientibus regias, nihil huiusmodi cernere licet, sed viri & honesti & splendidi & diuites passim discurrunt. Ad veras autem regias, Ecclesiam dico & oratorias ædus, & martyrum templa, dæmonibus pressi, truncati, pauperes, senes, cæci, membra præferentes obtorta, vt tu docearis ex horum spectaculo, primum vt si quem fastũ extrinsecus trahens ingressus es, in illos respiciens tumore deposito, & contrito corde sic ingrediaris, vt cum senem videris, non in iuuenta altum sapias, & cum hi nunc senes iam fuerint iuuenes, vt in exercito, & potentia regia multum glorieris, cogites quod ex his aliqui fuerunt in regalibus aulis splendidi, cũ in corporis sanitate confidas, his vacans sensum tuũ
10 corripias. Nec ob hoc solum assident, verum vt & te misericordem faciant, & ad misericordiam flexus, Dei benignitatem admireris. Nã si Deus illos non erubescit, sed in vestibulis suis constituit, multo magis tu ne terrenis ædibus altum sapias, nec erubescas cum a paupere vocaris. Et si accesserit, & genua teneat, ne repellas, regiam enim custodiunt aulam, eos igitur pasce. Honor enim ad regem transit. Illic omnia fastus in terrenis dico aulis; hic omnia sunt humilitas, quoniam nihil humanũ ex ipsis prẽsertim vestibulis discis. Quòd diuitijs Deus nõ delectatur, ex ipsis pro foribus sedentibus doceris. Horum enim sedes, & collectio tantum non est admonitio ad omnium hominum naturam vocem emittens præclaram, & dicens, quod nihil humana sunt, sed fumus, & vmbra. Si bonum essent diuitiæ, ante propria Deus vestibula pauperes non collocasset, si vero diuites quoque suscipit, ne mireris, non enim proterea suscipit, vt diuites maneant, sed vt a tumore liberentur. Audi quid eis Christus dicat:
Matt. 6. Non potestis Deo seruire, & mammonæ, & rur
Ibid. 19. sum: Difficile diues ingreditur in regnum cæ-
Mar. 10. lorum, & iterum: Facilius est camelum per fo-
Luce 18. ramen acus intrare, quam diuitem in regnum cælorum. Proptrerea diuites admittit, vt hæc audiant verba, vt æternas concupiscant diuitias, vt cælestibus inhient. Sed quid miraris quod ad sua vestibula pauperes sedere non dedignabitur Deus, ad suam mensam vna cum rege eos vocat. Vnde quos Christus non erubescit, nec nos erubescamus, ne similes simus diuitii epuloni, qui pauperem, & vlceribus plenũ, & fame cruciatum in domum non recipiebat. Erubescimus Christum ipsius amicos habentes pudori. Dicente ipso: cum facis conuiuiũ voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos, & eris beatus, quoniam non habent quid tibi retribuant, retribuetur autem tibi in retributione iustorum.

IDEM sic habet; Nos reposita nobis tangere nõ audemus, innumeras videntes animas 21 Homil. 27. ad populũ. subuerti, dicimus enim: Rodat tinea, & non comedat pauper, absumat vermis, & nudus nõ induatur, omnia tempore cõsumantur, & Christus non pascatur, licet esuriat. At inquies, quis hoc dixit? Hoc est autem ideo valde malum, quod non verbis, sed operibus ista dicuntur. Furor est, & manifesta dementia, vestibus quidem arcas parare, ad Dei vero factum imaginem & similitudinem nudum, & tremẽtem præ gelu negligere. At inquies simulat tremorem, & infirmitatem. Non times ne fulmen, ab hoc verbo cælitus accensum in te feratur? Disrumpor enim ab indignatione, parcite. Non Christi times tribunal horrendum, & terribile? Nã etsi simulat ex necessitate, simulat & egestate, propter sæuitiam, & inhumanitatẽ tuam, quæ talibus personis supplicantibus ad misericordiam non flectitur. Quis enim tam miser & ærumnosus, vt nulla præmente necessitate pro solo pane velit ita deturpari, & plangere, talemq. pœnam sustinere? Igitur illius simulatio fertur inhumanitatis tuæ præco. Quoniam enim supplicans, & deprecans, & miserabilia fundens verba, gemens, & lachrymans totum circumiens diem, neque necessarium inueniebat alimentum, forte hanc artem cogitauit nõ sibi tantum quantum tibi dedecoris, & accusationis inferentem. Nam ille quidem misericordiam inuenire dignus est, quod in tantam deuenit necessitatem, nos autem innumeris digni supplicijs, quod pauperes talia pati cogimus. Si namque de facili flecteremur, nunquã ille talia subire maluisset. Et quid dico nuditatem, & tremorem? Hoc enim horribilius dicam, quòd & liberos immaturam agentes ætatem quidam excæcare sunt coacti, vt nostram penetrarent insensatam duritiem. Postquam enim videntes vndique circumeuntes, nec ab ætate, nec ab ærumna crudeles flectere potuerunt, his tot malis aliam grauiorem adiecere tragędiam, vt tamen soluerent, leuius esse putantes hoc communi lumine priuari, quàm cũ fame continuam habere pugnam, & miserrimam mortem sustinere. Quoniam enim paupertatis misereri non didicistis, sed gaudetis calamitatibus, vestram implent improbam libidinem, & sibi, & vobis gehennæ flammam acriorem incendentes.

IDEM ait; Paupertas magnum bonũ est. 22
Sed humilem facit, inquis, & infirmum. Hoc Homil. 18. in c. 10. ep. ad Hebręos to. 4.
quippe nobis opus est, multum namque nobis hoc conducit. Christus dixit: Beati pauperes spiritu, sed sapientia, inquit, pauperis pro nihilo habetur. Et iterum alter quidam dixit: diuitias, & paupertatem ne dederis mihi, & ex camino paupertatis libera me. Sed hæc dicebantur in veteri testamento, vbi multa ratio diuitiarum habebatur, vbi paupertatis plurimus erat contemptus, vbi hoc quidem male-

dictum

dictum erat, illud vero benedictio, sed nunc ne
quaquam est. Sed vis audire paupertatis præ-
dicamenta? Ipsam professus est Christus, & di
Matt. 8. & xit: Filius autem hominis non habet vbi ca-
Lucæ 9. put suum reclinet. Et iterum dicebat discipu-
Matt. 10. lis: Nolite possidere aurum, nec argentum,
2. Cor. 6. nec duas tunicas. Et Paulus scribens dicebat:
Tanquam nihil habentes, & omnia possiden-
Act. 3. tes. Et Petrus dicebat claudo: Argentum, &
aurum non est mihi. Et in ipso veteri testamẽ-
to, vbi in admiratione habebãtur, & erant qui-
dem mirabiles, nonne Helias præter melotam
nihil habebat? nonne Helisæus? nonne Ioan-
nes? Quid Iacob erat pauperius dic mihi? qui
Gen. 28. dicebat: Si dederit mihi Dominus panem ad
manducandum, & vestimentum quo induar?
Infra: Paupertas est manuductrix quædam in
via, quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, exer
citatio quædam magna, & admirabilis, portus
tranquillus.

23 HIERONYMVS dicit; Nudus Iesus,
In reg. mo- nudas quærit amicas, & sponsas. Quod si ipsum
nacharũ ad sequi temporale aliquid appetens, seu deside-
Paulam, & rans forte volueris, onerata grauedine nudum
Eustochiũ. sequi non poteris. Hinc beati pauperes spiritu
c. 3. to. 4. dicuntur, vt ex hoc saiatur, quod non sufficit
cuncta temporalia in mundo relinquendo ad
paupertatem monasterij accedere, si mens mi-
sera appetit quæ reliquit. Magis enim contem
plantur oculi Domini affectum, quam cẽsum.
Melius est enim in sæculo cum ceteris diuiti-
bus diuitijs insistere, quàm in monasterio pau-
per ipsas appetere. Propter quod hortor vos
charissimæ, vt hæc perpetuo in vestro mona-
sterio obseruatio maneat, quod nulla omnino
tangere, aut aliqualiter retinere audeat per
horam censum, vel obolum, aut aliquid quan-
tumcumq; minimum quamquam a matre, aut
sorore mittatur.

24 AVGVSTINVS exponens illa verba;
Cõcione 3. Saturabũtur ligna campi, & cedri libani, quas
in Psal. 103. plantauit, sic habet: Peruenit panis, & vinum,
to. 8. & oleum Christi ad Senatores, ad reges, & no-
biles. Cedri libani potentes in sæculo, ipsi satu
rabuntur. Satiati sunt ligna campi. Prius pau-
peres, & humiles satiati sunt, deinde etiam ce-
dri libani, sed quas plantauit ipse. Cedri reli-
giosi fideles, tales ipse plantauit, nam & impij
sunt cedri libani, quia conteret Dominus ce-
dros libani. Sunt modo cedri libani homines
fulgẽtes in pompis suis. Sunt cedri libani, quas
Matt. 15. plantauit Dominus, ipse satiabuntur, nam ar-
bor, quam non plantauit pater meus, eradica-
bitur. Ibi passeres nidificabunt, in cedris scili-
cet libani. Minuta volatilia dici solent passe-
res. Hi dimiserunt omnia, & secuti sunt Chri-
stum. Sed quid magnum dimiserunt. Alius se
cõuertit, dimisit cellam patris sui inopem, vix
vnum lectum, & vnam arcam conuertit se, ta-
men factus est passer, quæsiuit spiritualia. Be-
ne optime. Non illi insultemus, non dicamus,
Matt. 4. nihil dimisisti. Petrus vt sequeretur Dominum
Matt. 19. cum piscator esset, quid potuit dimittere? Vel
fratres eius Andreas, Iacobus, & Ioannes filij
Zebedæi, etiam ipsi piscatores, & tamen quid
dixerunt: Ecce nos reliquimus omnia, & secu-
ti sumus te. Non ei dixit Dominus: Oblitus 25
es paupertatem tuam, quid dimisisti, vt totum
mundum acciperes? Multum dimisit fratres
mei, multum dimisit. Quid? Non solum dimi-
sit quicquid habebat, sed etiam quicquid habe
re cupiebat. Quis enim pauper non turgescit
in spe sæculi huius? Quis non quotidie cupit
augere quod habet? Ista cupiditas præcisa est.
Ibat in immensum, accepit modum, & nihil di-
missum est. Prorsus totum mundum dimisit
Petrus, & totum mundum accepit Petrus. Qua- 1. Cor. 6.
si nihil habentes, & omnia possidentes. Ista fa-
ciunt qui parum habent, & veniunt, & fiunt pas
seres vtiles. Minuti videntur, quia non habent
altitudinem dignitatis sæcularis, nidificant in
cedris libani. Etenim cedri libani, nobiles, &
diuites, & excelsi huius sæculi, quoniam cum
timore audiunt: Beatus qui intelligit super Psal. 40.
egenum, & pauperem, attendunt res suas, vil-
las suas, & omnes superfluas copias, quibus vi
dentur excelsi, & præbent illas seruis Dei, dant
agros, dant hortos, ædificant monasteria, colli-
gunt passeres, vt in cedris libani nidificent.
Sed tamen fratres mei, ipsi passeres, si spiritua-
les sunt, quamuis nidificent in cedris libani, nõ
pro magno habere debent cedros libani, & pu
tare illos esse superiores, a quibus eorum neces
saria complentur. Passeres enim sunt, illi au-
tem cedri libani sunt.

BERNARDVS explicans verba illa; 26
Beati pauperes spiritu, ait: Vere apertum est In Serm. 1.
os eius, in quo sunt omnes thesauri sapientię, & omniũ san-
scientiæ reconditi. Et vere eius hæc doctrina, ctorum.
qui in Apocalypsi loquitur: Ecce noua facio Apo. 21.
omnia, qui per Prophetam ante prædixerat,
aperiam os meum, eructabo abscondita a con- Psal. 77.
stitutione mundi. Quid enim tam absconditũ:
quàm paupertatem esse beatam? Sic vos insen
sati filij Adam, diuitias quæritis, diuitias desi-
deratis vsque adhuc, cum iam beatitudo pau-
perum diuinitus commendata, prædicata mun
do, credita sit ab hominibus? Quærat eas pa-
ganus qui sine Deo viuit. Quærat Iudæus qui
terrenas promissiones accepit. Sed qua fron-
te, aut qua mente Christianus diuitias quærit,
postquam Christus beatos esse pauperes præ-
dicauit? Quousque filij alieni, quousque vani-
tatem loquetur os vestrum, vt beatum dicatis
populum, cui hæc sunt, hęc visibilia, hæc præsen
tia, cum filius Dei os suum aperiẽs, locutus sit
veritatem; beatos esse pauperes, & væ diuiti-
bus? Sed diligenter attende, quòd non simpli
citer pauperes nominat, propter plebeios pau
peres necessitate miserabili, non laudabili vo-
luntate. Spero quidem profuturam eis apud di
uinæ bonitatis misericordiam hanc ipsam af-
flictionis suæ miseriam, scio tamen Dominum
hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum,
sed de his, qui possunt dicere cum Propheta:
Voluntarie sacrificabo tibi. Attamen nec vo- Psal. 58.
luntaria quidem paupertas omnis laudem ha-
bet apud Deum, nam & philosophi omnia sua
reli-

reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus
curis, studio vanitatis possent vacare liberius,
& nolebant censu abundare terreno, vt abun-
darent magis in sensu suo. Hos discernit, quod
dictum est spiritu, idest spirituali voluntate.
Beati vero pauperes spiritu, spirituali scilicet
intentione, desiderio spirituali, propter solum
beneplacitum Dei, & animarum salutem, quo-
niam ipsorum est regnum cælorum, Et vere
fratres, si miserrimus ille e cælo deiectus est,
17 quoniam affectauit celsitudinem, altitudinem
concupiuit, sublimitatem præsumpsit, nonne
consequens est beatos esse, qui sponte in pau-
pertatis humilitatem se se deponunt, & iuxta
Domini promissionem ipsorum est regnum
cælorum, quod perdidit iste. Et attende quàm
sapienter ordinauerit sapientia contra pecca-
tum primum, remedium primum apponens.
Ac si apertius dicat: vis obtinere cælum, quod
perdidit superbus angelus, qui confisus est in
virtute sua, & in multitudine diuitiarum sua-
rum? Paupertatis vilitatem amplectere & tuũ
erit. Infra explicans illa verba: Beati e-
Matt. 5. stis, cum vos oderint homines &c. gaudete, &
exultate quoniam merces vestra copiosa est in
cælis ait; Quid sibi vult quòd eadem promis-
sio facta est pauperibus, & martyribus, nisi
Eccli. 31. quia vere martyrij genus voluntaria pauper-
tas est. Beatus vir ait, propheta qui post aurũ
non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris.
Quis est hic & laudabimus eum? Fecit enim
mirabilia in vita sua. Quid mirabilius, aut
quod martyrium grauius est, quàm inter epu-
las esurire, inter vestes multas & pretiosas al-
gere, paupertate premi inter diuitias, quas of-
fert mundus, quas ostentat malignus, quas de-
siderat noster iste appetitus? An non merito
coronabitur, qui sic certauerit, mundum abij-
ciens promittentem, irridens inimicum tentã-
tem, & quod gloriosius est, de semetipso triũ-
phans, & crucifigens concupiscentiã prurien-
tem? Pauperibus regnum cælorum promitti-
tur, quia paupertate emitur.

Pax & vnitas impiorum, & carnis, & diaboli abominabilis, diuisio autem commendabilis, & necessaria.

Cap. IIII.

1 Ho. 9. in ca. 13. Hier. ep. 2. ORIGENES exponens
verba illa; Dispergam eos
virũ a fratre suo, & patres,
& filios pariter ait Domi-
nus, & non concedam, ne-
que miserebor, vt non di-
spergam eos sic habet: Quã
do ait, homo ad proximum suum venite ædifi-
cemus ciuitatem, & turrem cuius caput per-
tingat vsque ad cælum, Deus locutus est dicẽs.
Venite descendamus, & confundamus ibi lin-
guas eorum. Quia in malo concordes erant
confusio linguarum efficiat, vt discordent.
Et post pusillum subinfert: Et dispersit eos Gen. 11.
Deus inde a facie omnis terræ. Populus quo-
que Israel antequam peccaret, in Iudæa erat,
post in vniuersum orbem dispersus est. Infra:
Mali cum simul fuerint, ea quæ mala sunt co-
gitant, & in pristina nequitia perseuerantes au
gent peccata peccatis, quomodo e contrario
boni, cum simul fuerint de honestis sermoci-
nantur, & ad bonum conueniunt. Dissoluitur
ergo & ad nihilum deducitur nequam cogita-
tio, cum nõ habuerit allocutionem alterius ne
quioris. Idcirco per dispensationem Dei pro-
uidetur pessimos a pessimis separari,

IDEM explicans verba illa; Iustificati er- 2
go ex fide pacem habeamus ad Deum dicit: Lib. 4. in c.
Pax dicitur vbi nemo dissidet, nemo discor- 5. ep. ad Ro
dat, vbi nihil hostile nihil barbarum geritur. manos. t. 3.
Nos ergo, qui aliquando fuimus inimici Dei
sequentes hostem, & tyrannum diabolum, nũc
si illius arma proiecimus pacem vtique habe-
mus ad Deum. Si quis ergo habet pacem ad
Deum, & reconciliatus est per sanguinem
Christi, vltra non cogitet ea, quæ inimica sunt
Deo. Vis autem audire quæ sunt ista, quæ ini-
mica sunt Deo? Paulus ipse te docet, qui ait:
Sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Rom. 8.
Dei non est subiecta. Si ergo carnaliter sapias,
vel vitam tuam cupiditatibus carnis exponas,
& affluentia delitiarum resoluas per sapiẽtiam
carnis inimicus efficeris Deo. Idem Iacobus
ait: Qui voluerit amicus esse sæculi huius ini- Iac. 4.
micus Dei constituitur. Igitur in quo hæc sunt
non potest habere pacem ad Deum, sed rur-
sum inimicitias suscitat illas pro quibus soluẽ-
dis Christus aduenit, vt Paulus ait de Christo
loquens: Ipse est enim pax nostra, &c. Soluens
inimicitias in carne sua. Quod si Christus ad- Eph. 2.
uenit, vt inimicitias solueret, pacem faceret,
ac dissidentes nos propter sepem malitiæ, quã
peccando texuimus, reconciliaret Deo pecca-
ti sepe resoluta; qui iterum ad peccata con-
uertitur, sine dubio rursus inimicitias reparat.
Habeamus igitur nos pacem, vt vltra non ad-
uersetur caro spiritui, nec legi Dei obsistat à le
ge membrorum. Nec intra nos metipsos, nec
extrinsecus ad inuicem habeatur vlla dissẽsio, 3
& tũc pacem habemus ad Deum per Christũ.
Illud enim certissime sciendum est, quia om-
nis in quo est malitiæ vitium, nunquam potest
habere pacem. Dum enim semper cogitat
quomodo lædat proximum suum, dum semper
nocendi artes requirit, nunquam mens eius in
pace consistit. Quod si requiras a me quomo-
do iustus potest habere pacem, qui impugna-
tur a diabolo, qui tentationum bella sustentat?
Ergo ipsum magis supra omnes ceteros habe-
re dixerim pacem. Vide enim Apostolus
quàm obseruanter scribat. Non dixit, iustifi-
cati pacem habeamus, & siluit; sed adiũgit: pa-
cem habeamus ad Deum, sciens quia bellum
contra diabolum pacem patrat ad Deum, &
tunc magis in pacem Dei veniemus, quando
aduersum diabolum persistimus contra pecca-
ta, & quãdo aduersus carnis vitia dimicamus. Iaco. 4.
Deniq;

Deniq; & Iacobus Apostolus ita dicit: Resistite diabolo, & fugiet a vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Vides & ipsum ita sensisse, quod tunc appropiet Deo, quando resistitur diabolo.

4 Hom. 56. in cap. 9. Ioan. to. 3.

CHRYSOSTOMVS explicans varias pharisæorum sententias de Christo Domino in curatione hominis cęci à natiuitate, & quòd schisma erat inter eos alijs dicentibus, quia bonus est, alijs non, sed seducit turbas dicit: Est diuisio bona de qua Christus dixerat, non veni *Mat. 10.* pacem mittere, sed gladium. Est & mala concordia, & discordia bona. Siquidem qui tur- *Gen. 11.* rim ædificabant concordes erant in malo suo, inde, etsi inuiti, ad bonum tamẽ dissenserunt. Et socij Core male conueniebant, ideo bene di- *Num. 16.* uisi sunt. Et Iudas cum iudæis praue consensit: est ergo bona discordia, & concordia mala. *Matt. 5.* Quamobrem ait: Si oculus tuus scandalizat te erue eum, & si pes abscinde eum. Quod si membrum male coniunctum abscindendum est, nõ brum male coniunctum abscindendum est, nõne longe magis praui amici? Dico hoc, vt malos fugiamus, bonos sequamur. Nam si membrum insanabile metu, ne reliqua corrumpat, incidimus, non quod illud negligamus, sed vt seruemus cetera; quanto magis in his, qui male nobis iuncti sunt, ita faciendum? Quod si eos meliores reddere possemus, & nobis non officeremus, omnia essent facienda, sin incorrigibiles sunt, & nos lædunt, abscindendi sunt à nobis. Grauis est conuersatio malorum, sed nõ tam cito contagium sequitur, aut detegitur, *1. Cor. 15.* vt prauorum hominum malitia. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Et propheta: egredimini de medio eorum, & se- *Hiere. 51.* gregamini. Nemo malum amicum sibi conciliet.

5 Lib. 5. in c. 19. Isaiæ. to. 4.

HIERONYMVS exponens verba illa; Ascendit Dominus super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum &c. & concurrere faciã Ægyptios aduersus Ægyptios, & pugnauit vir contra fratrem suum, & vir contra amicũ suũ, ciuitas aduersus ciuitatem, & regnum aduersus regnum, inquit: Si verba hæc ad tempus referamus Saluatoris, illud de Euãgelio sumamus exemplum: nolite putare quòd venerim *Matth. 5.* pacem mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladiũ. Veni enim diuidere virum ad uersus proximum suum, & filiam contra matrem suam, & nurum aduersus socrum suum, *Lucæ 12.* & inimici hominis domestici eius. Et rursũ in alio loco, erũt diuisi duo in tres, & tres in duo, pater contra filium, & mater contra filiam, & nurus contra socrum. Et disrumpetur spiritus Ægypti in visceribus eius, non eadem cunctis volentibus, cum alij conuersi fuerint ad Christum alijs repugnantibus.

6 Lib. 12. in c. 41 Isaiæ. to. 4.

IDEM explicans verba illa; Triturabis montes, & comminues, & colles quasi puluerẽ pones, vno verbo dicit: Hoc facit Dominus, quando qui male fuerant congregati, diuidunrur in bonum suum.

7 In ca. 12. ep. ad Roman. to. 3.

AMBROSIVS explicans verba illa; Si fieri potest, quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes ait: Omnibus pacificos vult esse, qui diuinam seruãt iustitiã. Viderit si quis hanc pacem spreuerit, vt tali viro inimicus, cum aut reprehendi forte ab illo non vult, aut inuidet bonis eius: quòd ad illum tamen pertinet non discordat à bene agẽtibus. Hic est enim impacificus, qui prætermissa voluntate legis, suum ius sequitur: quã- *Psal. 119.* quam dicat Dauid, cum his qui oderũt pacem eram pacificus, sed hoc necessitatis erat propter potentiam personarum, vt vel obsequijs humilitatis vincatur, quem sic extollit superbia, vt mandata legis spernat: potest fieri, vt de timore Dei pacificum sequis præbeat illi, qui odit pacem. Quando enim vicem malis reddere non vult, pacificus est, hoc est, de bono vincere malum, vt vel obsequijs vincatur, quem mandata legis non vincunt. Ergo si fieri potest, inquit, quod ex vobis est, vt bene agentes pacem habere videamini. Iam si nõ fuerit amator pacis, tu tamen vis esse pacificus, quãtum ad te pertinet. Si autem irreuerens, & blasphemus, quis sit, & pacem habere, cum illo nõ possis non vtique tibi adscribendum erit, quia Ioannes Apostolus eos, qui negant Christum in carne venisse, nec salutare permisit. Nos ergo parati simus, si fieri potest, vt cum omnibus pacem habeamus, alijs vero repugnantibus fiat impossibile non ex nobis, si de nobis tantũ querela non deponatur.

8 Lib. 19. de ciuit. Dei ca. 24. to. 5.

AVGVSTINVS ait; Populus est cœtus multitudinis rationalis rerum, quas diligit cõ cordi communione sociatus. Populus autem tanto est melior, quanto in melioribus, tantoq. deterior, quanto est in deterioribus concors.

9 In Psal. 84. to. 8.

IDEM exponens verba illa; Audiam quid loquatur in me Dñs Deus, quoniã loquetur pacem in plebẽ suã, & super sãctos suos, & in eos, qui conuertuntur ad cor, sic habet: Vox Dei pax est: ad pacem vocat. Eia dicit, quicumque non estis in pace, amate pacem. Quid enim vobis melius de me inuenire potestis, quàm pacem? Pax quid est? Vbi nullum bellum est, vbi non est contradictio, vbi nihil resistit, nihil aduersum est. Videte si iam ibi sumus, si non est conflictus, cum diabolo, videte, si non omnes sanctis, & fideles, cum principe dæmoniorum luctantur. Luctantur cum concupiscẽtijs suis, quibus ille suggerit peccata, & non consentiendo quòd suggerit, etsi non vincunt, tamen pugnant. Nondum est ergo pax vbi pugna est. Aut date mihi hominem, qui nihil tentationis patitur in carne sua, & possit mihi dicere, quia iam pax est. Nihil quidem tentationis forte patitur in illicitis voluptatibus, saltem suggestiones ipsas patitur, vel suggeritur illi quod respuit, vel delectat vnde contineat. Sed ecce iam nihil delectat illicitum, vel contra famem & sitim pugnat quotidie. Pugnat ergo quotidie fames, & sitis, pugnat contra nos lassitudo carnis, pugnat delectatio soni, pugnat oppressio. Vigilare volumus, dormitamus, ieiunare volumus, esurimus, & sitimus, stare volumus, defatigamur, sedes, lassaris, deambulas, & multum deambulando etiam lassaris. Qualis est ergo ista
10 pax, quam hic habent homines tantis resistentibus molestijs, cupiditatibus, indigentijs, lassitudinibus? Non est ista perfecta pax. Erit autem in superna ciuitate, vnde amicus non exit, quo amicus non intrat, vbi nullus tentator est, nullus seditiosus. Qui conuertuntur ad cor Dei, hi fruuntur pace, hanc loquitur Dominus in plebem suam, & super sanctos suos. Infra: Iustitia, & pax osculatæ sunt. Fac iustitiam, & habebis pacem, vt osculentur se iustitia, & pax. Si enim non amaueris iustitiam, pacem non habebis. Amant enim se duo ista, iustitia, & pax, & osculantur se, vt qui fecerit iustitiam, inueniat pacem osculantem iustitiam. Duæ amicæ sunt, tu forte vnam vis, & alteram non facis. Nemo est enim, qui non vult pacem, sed non omnes volunt operari iustitiam. Si ergo vis pacem, ama iustitiam, quia duæ amicæ sunt, iustitia, & pax. Si amicam pacis non amaueris, non te amabit ipsa pax, nec veniet ad te. Fur es, adulter, &c. inimicus es amicæ meæ, dicit tibi pax, quid me quæris? Amica sum iustitiæ, quemcumque inuenero inimicum amicæ meæ, non ad illum accedo. Vis venire ad *Psal. 36.* pacem? Fac iustitiam, ideo alius psalmus dicit tibi: Declina a malo, & fac bonum, inquire pacem, & persequere eam. Hoc est, ama iustitiam, & tunc quære pacem. Iam enim nondum illam quæres, quia & ipsa occurret tibi, vt osculetur iustitiam.

11 In Psal. 143 Gal. 5.

IDEM exponens verba illa; Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prelium, inquit: Graue bellum est, quo caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Sicut in domo maritus, & vxor, si aduersus se dissentiant, molestus, & periculosus labor, si maritus vincatur, & vxor dominetur, pax peruersa; si autem vxor marito dominanti subijciatur, pax recta. Caro tua, coniux tua, famula tua opus est, vt subijciatur, etsi pugnas, vt prosis pugna. Hoc enim expedit inferius subijci superiori. Agnosce ordinem, quære pacem. Tu Deo, tibi caro. Quid iustius? Quid pulchrius? Tu maiori, minor tibi, serui tu ei, qui fecit te, vt tibi seruiat, quod factum est propter te. Non enim hunc ordinem nouimus, neque hunc ordinem commendamus, tibi caro, & tu Deo, sed tu Deo, & tibi caro. Si autem contemnis tu seruire Deo, nunquam efficies, vt tibi caro seruiat. Qui non obtemperas Domino, torqueris a seruo. Primo ergo dicas, me subdo Deo, deinde illo docente te, & adiuuante prœlieris, & dicas: Benedictus qui docet manus meas ad prœlium, &c.

12 Serm. 166. de tẽpore, qui est sermo primus

IDEM ait; Pacificos esse oportet Dei filios, corde mites, sermone simplices, affectionibus cohærentes? Sed hæc pax cum bonis, & cum iniquis, & sceleratis, qui pacem inter se habent in peccatis suis. Pax Christi ad salutem sempiternam proficit, pax quæ in diabolo est, ad perpetuam perditionem venit. Pax cum bonis, & bellum cum vitijs semper habendum est, mala siquidem impiorum hominum odio habenda sunt.

Dei præcepta seruantibus custodienda est, non post Octauas Paschæ de pace. to. 10.

IDEM loquens de pace sic habet; Sed dicet quis seruorum Dei: Ecce diuites video, superbos, elatos, impios, vnum tamen apparet, quia pacem habent ad inuicem. Quid ergo? Nunquid gaudere debeo de eorum nequam concordia, an tristari? O monache scias, quòd sicut multum nocet discordia inter bonos, ita valde dolendum est, dum pax est inter malos. Tunc enim augentur omnia pessima, quæ fieri, vel cogitari possunt inter homines, quando mali pacifice viuunt, quando vero discordant, tunc mundus aliqualiter tranquillatur. Nam sicut concordia malorum contraria est concordiæ bonorum, ita optandum est, quod boni pacem habeant, & mali discordes sint. Nam per discordiam, mali aliquando optimi efficiuntur cognoscentes quid sint, & quid erunt. Nam dum tribulantur, & eorum facies *Psal. 82.* ignominia replentur, aliquando quærunt nomen Domini, quod tamen tempore pacis nunquam amabile erat in corde eorum. 13 Serm. 2. ad fratres in eremo.

GREGORIVS explicãs illa verba Iob 41. cap. Corpus illius quasi scuta fusilia compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur, sic habet: Verba hęc de reprobis intelligenda sunt, quia in iniquitatibus suis, dum vicissim superba se defensione protegunt, sanctæ exhortationis spiracula ad se nullatenus intrare permittunt. Quorum pestiferam concordiam adhuc apertius subdidit, dicens: Vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Qui enim diuisi corrigi poterant, in iniquitatum suarum pertinacia vniti perdurant. Nam sicut esse noxiũ solet, si vnitas desit bonis, ita pernicioſum est, si non desit malis. Peruersos quippe vnitas corroborat, dum concordat, & tanto magis incorrigibiles, quanto vnanimes facit. De hac vnitate reproborum per sapientiam dicitur, stupa *Eccli. 21.* collecta synagoga peccantiũ. De hac Nahum *Nahũ. 1.* propheta ait: Sicut spinæ inuicem se complectuntur, sic conuiuium eorum pariter potantium. Conuiuium namq; reproborum est, delectatio corporalium voluptatum, in quo nimirum conuiuio pariter potant, qui delectationis suæ illecebris se concorditer inebriant. Igitur quia membra istius Leuiathan, id est, iniquos omnes, quos Dei sermo squamarum compactionibus comparat, ad defensionem suam par culpa concordat, bene dicitur, vna alteri adhærebit, & tenentes se nequaquam separabuntur. Tenentes enim se separari nequeunt, quia eo ad defensionem suam vicissim constri- 14 Lib. 32. Moral. cap. 24. to. 2.

&i sunt,quo se sibi per omnia similes esse meminerunt.

15 BERNARDVS sic ait; Sciendum quòd
Serm. 5. in Assump. B. Mariæ. alia est vnitas sanctorum, quam ex scripturis iam commendauimus, alia est facinorosorum, quæ ex eisdem scripturis improbatur. De hac enim scriptum est: Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum,aduersus Dominum,& aduersus Christum eius. Conuenerunt enim pharisæi contra Iesum,vt eum interficerent. Quàm vero pertinax sit ista reproborum vnitas docet ipse Dominus,qui de corpo-
Iob 41. re diaboli ad beatum Iob loquitur dicens: Corpus illius quasi scuta fusilia compactũ squamis se prementibus. Vna vni coniungitur,& ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit,& tenentes se nequaquam separabuntur. Talis vnitas, immo vero peruersitas solet esse nonnullorum fratrum tepide,ac remisse cõuersantium, quibus si quid honestatis, aut insigne cuiusquam bonæ conuersationis persuadere velis, promptiores sunt maiori dispendio, ac difficultate grauiori resistere, quàm facili compendio assequi velle quod rectum esse constiterit. Peruersa,& execranda talis vnitas. Hac ergo a cordibus, & sermonibus nostris exclusa, illam,quæ bona est, & tantum bonorum est, prosequamur.

16 IDEM ait; Pax est triformis,ficta,vt in Iu-
In lib. sent. da,inordinata,vt in Adam & Eua, vera, quam Christus reliquit discipulis suis:

17 IDEM ait: Videas ambulare seorsum,cõ-
Serm. 24. in Cantica. de concordia malorum. uenire sibi, & sedere pariter,moxq. laxare proces linguas in detestandum susurrium. Vna vni coniungitur,nec spiraculum incedit in eis. Ineunt familiaritatem ad maledicendum,concordes ad discordiam. Conciliant inter se inimicissimas amicitias, & pari consentaneæ malignitatis affectu celebratur odiosa collatio. haud secus egere quondam Herodes, & Pilatus, de quibus narrat Euangelium, quia facti sunt amici in illa die,hoc est, in die Dominicæ
1. Cor. 11. passionis. Conuenientibus sic in vnum,non est Dominicam cœnam manducare,sed magis propinare,& bibere calicem dæmoniorum. In concilium eorum non veniat anima mea,& in cœtu eorum non sit gloria mea. Vide alia supra libro 11. cap. 5.

Pax iustorum,& vnitas multas habet vtilitates, sicut & diuisio multa nocumenta. Cap. V.

1 Hom. 13. in c. 23. Leuit. to. 1. ORIGENES sic habet; Oleũ offerri iubetur a populo, & oleum non qualecumque, sed mundum, & non ex quibuscumque seminibus (vt fieri in diuersis regionibus mos est) sed de oliuis expressum, in quibus iudicium pacis ostenditur. Neque enim accepta esse possunt Deo opera tua, nisi in pace peragantur, sicut & Iacobus Apostolus dicit: Fructus autem iustitiæ in pace seminatur. Idcirco credo etiam Dominus discipulis suis tradebat fidele depositum, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. De hac ergo oliua oleũ prẽmamus operum nostrorum, ex quo lucerna Domino possit accendi, vt non in tenebris ambulemus. Qui diligit fratrem in charitatis luce perdurat, & cum fiducia potest dicere: ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, & filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ.

2 IDEM dicit; Non est dictum de communi numero bellatorum, quòd nemo ex eis dis-
Hom. 26. in in c. 21. Numerorum. sensit, sed de ijs dictum est, qui summa bellatorum nominati sunt. In istis enim qui tales sunt, nulla dissentio, nulla discordia. Isti sunt, de quibus dictum est: Erat autem credentium cor vnum, & anima vna. Isti sunt, qui offerunt munera Deo, quæ offerre non possent positi in dissensione. Isti sunt, qui præ-
Matth. 5. ceptum illud diligenter obseruant: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quòd frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum. Quo scilicet leuet manus suas ad Deum sine ira, & disceptatione. Isti ergo sunt, qui dicunt: collegimus summam virorum bellatorum nostrorum, & non dissensit ex nobis quisquam, & obtulimus munus Domino. Discenda igitur nobis magnopere est consonantia disciplinæ, quia tanquam in musicis, si harmonia chordarum fuerit consonanter aptata sonum suauem modulati carminis reddidit. Si vero sit aliqua in fidelibus dissonantia ingratissimus sonus redditur, & carminis dulcedo corrumpitur, ita & hi qui Deo militant, si dissensiones, & discordias inter se habeant, ingrata erunt omnia, & nihil acceptum Deo videbitur, etiam si multa bella conficiant, etiam si spolia multa deferant, & multa munera offerant Deo. Dicetur enim ad eos: depone munus tuum ad altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, vt possis & tu inter eos,qui summa sunt virorum bellatorum numerari,& dicere, quia non dissensit ex nobis quisquam.

3 BASILIVS interrogatione 266. dispu-
In lib. reg. breuiit. to. 2 tat de intelligentia illius loci,in quo Dominus
Mar. 9. dixit Apostolis: Habete in vobis sal, & pacifi-
Colos. 4. ci estote inter vos, & item illud Apostoli explicans: Sermo vester semper in gratia sale sit cõditus, inquit. Ex contextu, & serie vtriusque capitis sensu perspicuus est. Etenim ex verbis Domini nihil aliud docemur, quam vt nullam causam demus mutuæ disiunctionis, mutuve disidij, sed vt ad vnitatem spiritus nos semper conseruemus in vinculo pacis: in verbis autem Apostoli docemur disponere sermones ad ædificationem fidei.

4 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa

Ho. 8. in 1. ep. ad Cor. to. 4. illa capitis 2. Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis,dicit. Si ædificatio estis,non oportet disipari, siquidem non esset ædificium. Si cultura estis,separari non opus est, sed vna cõcordia sæpe muniri. Pacem enim,& vnitatem hæc duo nomina significant a Christianis amplectendam. Infra: Vt Christo vniamur, multa mouere nos debent,quia ipse est caput, nos corpus. Ipse fundamentum,nos ædificium, ipse vitis,nos palmites, ipse sponsus, nos sponsa,ipse pastor, nos oues, via ille, nos viatores, nos templum, ille inhabitator, ipse primogenitus,nos fratres,ille heres,nos coheredes,ipse vita,nos viuentes, ipse resurrectio, nos qui resurreximus, ipse lux, nos illuminati. Quibus nominibus intelligere nos vult cohærentiam ad Christum necessariam,vt viuamus.

5 IDEM explicans illa verba; Loquimini
Serm. 14. in c. 4. epist. ad Ephesios. veritatem vnusquisque cum proximo suo,quoniam sumus inuicem membra,ait. Vide quomodo ad pacem illos vrgeat per exemplũ corporis. Num pedẽ,inquit,fallit oculus,aut oculum pes? Vtpote sicubi fouea profunda fuerit,quę superne insperfis arundinibus,humoq. tecta solidæ telluris speciem ipsa superficie ingerat oculis, nunquid vtetur hic pede, & cognoscet quale sit ibi solum, num subsit vacuũ, an resultet, & repercutiat? Non fallit hic pes, sed verum indicat. Quid vero si serpentem viderit oculus, an malam bestiam, num fallit pedem? An non mox periculum annunciat? Et pes illud ex oculi iudicio cognoscens vltra non progreditur. Et denique vnum quodque membrum prouidet bono alterius. Lingua vbi amarum sentit, proijcit, ne stomachum seducat. Ita & nos siquidem sumus membra, non debemus mentiri inuicem, amoris istud est indicium, contrarium inimicitiæ. Infra: Non detis locum diabolo. Oportet omnes pariter esse mutua compactione obturatos, & simul illi resistere. Iubemus itaque, vt solutis inimicitijs, quas quisque erga proximum haber,in vnum inuicem conuertamini. Nam ita
6 non poterit vnquam locum habere diabolus, quemadmodum si inimicitias inter vos aueritis,hinc innumera mala generantur. Et quẽadmodum quamdiu lapides bene cõpacti sunt, nihilq. vacuum inter se habent, firmi, & infracti perstant. Si vero vel foramen acus dumtaxat quod vtrimque penetret, aut scissura, quæ capilli locum habeat, fieri contigerit,omnia dissoluuntur, ac pereunt, ita & diabolus donec compacti quidem, ac bene compositi fuerimus, nihil suorum omnino poterit inferre. Quamprimum vero vel modicum nos relaxare,ac diuidere poterit,non aliter quã quasi quidam torrens toto impetu infunditur. Nã vbique illi solis initijs opus est. Si vero per diuisionem nactus fuerit initium nocendi, omnia sibi ipsi subinde suapte ingenio vestigat, & amplificat. Posteaquam vero delationibus apertę sunt aures,fit vt qui mentiantur,fidelio res putentur. Habent enim illi inimicitiã om

7 nia damnantem,non veritatem recte iudicantem,& discernentem,& quemadmodũ existente amicitia, mendacia videntur etiam quæ vera de malis dicuntur, ita regnante inimicitia, vicissim vera videntur quę falsa sunt. Alius animus, aliud tribunal. Quomodo igitur furorem subigemus? Quomodo flammam hanc extinguemus? Si cogitauerimus nos hoc pacto non de hoste vindictam sumere, sed de nobis ipsis. Si considerauerimus qua lætitia diabolum exhilaremus, hostem illum nostrum,cuius gratia iniuriam membro nostro facimus. Hostis esto, sed diaboli, nõ mẽbri tui. Propterea Deus ira nos armauit, non vt aduersum corpora nostra stringamus, & impellamus gladium, sed vt in ipsum diaboli pectus immergamus. Huc intro poteris capulo tenus abdere ferrum. Quin, si voles,& capulum ipsum,nec vnquam inde gladium euellas,sed alium insuper addas. Hoc vero tunc erit quando nobis ipsis parcentes,pacifice inuicem animati fuerimus.

IDEM inquit; Sunt quidam instar eorum
Serm. 15. in eandẽ epist. canum,qui clanculum mordentes, prætereuntem quidem nec allatrant, nec quicquam erga illum rancoris ostendunt, blandientes,man suetudiniſq. speciem ostendentes, sicubi nacti fuerint incautos, dentes in clanculum infigunt. Isti peiores sunt illis, qui ex aperto inimicitiam in se suscipiunt, & profitentur. Quoniam igitur & homines canes sunt, neque inclamantes quidem, neque irascentes, neque molestiæ quicquam minantes, occulte vero dolos concinnentes, & innumera mala fabricantes, factisq. se se vlciscentes, & illos notare voluit Apostolus, cum dixit: Omnis amaru-
Eph. 4. lentia, & tumor, & ira,& vociferatio, & maledicentia tollatur a vobis cum omni malitia. Non est quod verbis quidem parcas, factis vero vlciscare. Ego linguam ideo castigaui, vociferationemq. illius amputaui, ne flammam vehementius incendat. Si vero sine vociferatione etiam eadem facis, incendiumque, & carbones interne nutris, quæ vtilitas erit silentij? An ignoras, quòd eiusmodi incendia omnium sint nocentissima, quæ cum intus nutriantur, non quibusuis circumstantibus apparent? Et vulnera quæ in conspectum extra cutem non exeunt? Et rogi illi,qui interna cò burunt? Ita & peior est reliquis ea ira,quę mẽtẽ depascitur. Euellamus ergo radicitus amarulentiam, ex animo enim amarulento nihil plane fit boni, nihil sani.

8 HIERONYMVS loquens de malo gra-
In epist. ad Fabiolã, in qua 24. mãsiones peregrinationis Iudæorũ explicantur. to. 3. nato dicit: Huius arboris fructus in scriptura dupliciter accipitur, aut in Ecclesiæ gremio, quæ omnem turbam credentium suo cortice tetigit, aut in veritate, & consonantia virtutum, iuxta illud quod scriptum est: Multitudinis autem credentium cor erat vnum, & anima vna, sicq. diuisi sunt singuli gradus,vt omnes eadem compage teneantur.

9 IDEM exponens verba illa; Nũquid am-
Li. 1. in c. 3. Amos. to. 5. bulabunt duo pariter nisi conuenerit eis,ait:

Hoc impletum est, quia fecit Dominus pacẽ inter homines, & copulauit vinculo charitatis, vt cum fuerint duo simul postulent a patre, & impetrent quicquid rogauerint. Et sicut duæ virgæ Ezechielis copulẽtur. Cum autem duo redacti fuerint in vnum adhærebunt Domino, & fiet vnus spiritus. Isti duo qui sibi consentiunt, & in via Christi pariter ambulabant nullius aduersariorum possunt impetum pertimescere. Quod si discordia separentur, statim eos leo rugiens inuadet, de quo subdit: numquid rugiet leo in saltu, nisi habuerit prædam: & non solum leonis patebunt morsibus qui sunt diuisi, sed & dabit catulus leonis vocem de cubili suo. Tertia pœna est eorũ, quos discordia separauit, vt perdant alas, quibus prius sublimiter ferebantur, & de cælis in terram corruant, & teneantur ab aucupe, ideo dicit, numquid cadet auis in laqueum terræ absque aucupe? Quarta pœna est discordantium, vt capiantur laqueo, qui non in cælo positus est, sed in terra. Quinta pœna eorum, qui reliquere pacem, quæ exuperat omnem sensum, & quam Dominus pergens ad patrem Apostolis dereliquit, dicens: Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis, vt in ciuitate Domini constituti, tubæ sonitu terreantur.

Ezec. 7.

Ioan. 14.

10 In c. 1. Aggæi proph. IDEM sic habet; In Genesi, cum in primo die dictum sit, & in tertio, & in quarto, & in quinto, & in sexto post consummationem operum singulorum: & vidit Deus, quia bonũ est, in secundo iuxta Hebraicum, & Aquilam, & Symmachum, & Theodotionem non habetur. Neque enim poterat secundus dies, qui numerum facit, qui ab vnione diuidit, quòd bonus esset Dei sententia comprobari. Hæc dicit explicans verba illa, quòd in vna die mẽsis factum est verbum Domini in manu Aggei, vt ad vnionem sic reuertatur.

11 Lib. 3. in c. 14. Zach. IDEM exponens verba illa; In die illa apprehendet vir manum proximi sui, & conseretur manus eius super manum proximi sui, sic habet: Nos ista referamus ad Ecclesiæ beatitudinem, quòd cuncti, qui in ea fuerint, admirentur subiectionem hostium, & suam felicitatem, & vnusquisque apprehendat manum proximi sui, vt conserant dexteras, & multa fide & necessitudine copulentur. Et sic erit ruina equi, & muli, & cameli, & asini, & omnium iumentorum, &c.

12 Li. 1. in c. 1. Prou. to. 7. IDEM exponens verba illa; Sapientiam, atque disciplinam stulti despiciunt. Audi fili mi disciplinam patris, aduertit quòd sapientẽ singulari numero, stultos describit plurali, nõ solum, quia plures sunt sapientibus stulti, sed quia sapientium cœtus omnis vniformitatem seruat, mali autem sunt diuisi.

13 In Psal. 75. to. 8. IDEM explicans illa verba; Factus est in pace locus eius, dicit: Non est vmbraculum Domini, nisi vbi pax est: vbi zelus, atque discordia, ibi non est protector Deus. Locus Dei non est nisi in anima, quæ pacem habet. Quæ ergo anima non habet pacem, sciat se non esse locum Dei. Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. Hæc est Saluatoris hereditas. Ibi in Hierusalem, quæ interpretatur pax, confregit potentias, arcum, scutum, gladium, & bellum.

Ioan. 14.

14 In c. 11. Matt. to. 9. *Eccls. 4.* IDEM explicans verba illa; Mittit duos ex discipulis suis ad ferendum pullum, ait: Bini vocantur, & bini mittuntur discipuli Christi, quoniam charitas non consistit cum vno, vnde dicitur: Væ soli, & reliqua. Duo educunt hebræos de Ægypto. Duo deportant botrum de terra sancta. Duobus vectibus arca Domini portatur, & inter duos cherubin Deũ cognoscimus.

15 Li. 1. in c. 2. epist. ad Ephesios. *Psal. 119.* IDEM exponens illa verba de Christo Domino, ipse est pax nostra, dicit: Quomodo sapientia sapientes facit, & iustitia iustos, & sanctificatio sanctos, sic & ipsa pax nos facit esse pacatos, vt dicamus, cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Si autem Christus credentium pax est, quicumque sine pace est, consequenter non habet Christum.

16 Lib. 2. de ordine. to. 1. AVGVSTINVS docens qua ratione omnia appetant vnitatem, ait: Lapis, vt esset lapis omnes eius partes, omnisq. natura in vnum solidata est. Arbor non esset, si vna non esset. Membra cuiuslibet animantis, & viscera, & quicquid est eorum, e quibus constat, certe si vnitatis patiantur diuortium nõ erit animal. Amici quid aliud, quam esse vnũ conantur? Et quanto magis vnum, tãto magis amici sunt. Populus vna ciuitas est, cui est periculosa dissensio. Quid est autem dissentire, nisi vnum sentire? Ex multis militibus fit vnus exercitus. Nonne quæuis multitudo eo minus vincitur, quo magis in vnum coit? Quid amor omnis? Nonne vnum fieri vult cum eo quod amat? Voluptas ipsa non ob aliud delectat vehementius, nisi quòd amantia sese corpora in vnum coniunguntur. Dolor vnde pernicios us est? Quia id quod vnum erat dissidere nititur.

17 Lib. 12. de ciuita. Dei. c. 22. to. 5. IDEM dicit: Hominum genus ex vno est ad commendandam cõcordiam propagatum. Neque enim vmquam inter se leones, aut dracones qualia homines bella inter se gesserunt, Viues ibidem: facilius bestias eiusdem generis capiat aliquis locus sine dissidio & pugna, quã homines. Lupus enim est homini homo, sicut Græco prouerbio dicitur. Plinius libro sexto, Denique cetera animantia in suo genere probe degunt. Congregari videmus, & stare contra dissimilia. Leonum feritas inter se non dimicat, serpentum morsus non petit serpentes, nec maris quidem beluæ, ac pisces, nisi in diuersa genera sæuiunt. Et hercle homini plurima ex homine sunt mala. Est Dicæarchi liber, inquit Cicero de interitu hominum, Peripatetici magni & copiosi, qui collectis exteris causis eluuionis, pestilentiæ, vastitatis, belluarum etiam repentinæ multitudinis, quarum impetu docet quædam hominum genera esse consumpta. Deinde comparat quanto

plures deleti sunt homines hominum impetu, id est, bestijs seditionibus, quàm omni reliqua calamitate.

18 Lib. 19. de ciuit. Dei c. 11. IDEM inquit, Possumus dicere finem bonorum nostrorum esse pacem, sicut æternam dicimus vitam, præsertim quia ipsi ciuitati Dei dicitur: Lauda Hierusalem Dominum, lauda Deum tuum Sion, &c. qui posuit fines tuos pacem. Infra: Tantum est pacis bonum, vt etiam in rebus terrenis, atque mortalibus, nihil gratius soleat audiri, nihil desiderabilius concupisci, nihil postremo possit melius inueniri. Viues: pax videtur maximum hominibus bonum, bellum maximum malum, inquit Xenophon. Hanc pacem dixit Democritus esse summam fœlicitatem, ceteræq. philosophorum nationes, eam esse vitam beatam consenserunt. Infra: Sicut nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est, qui pacem habere nolit. Quandoquidem & ipsi qui bella volunt, nihil aliud quàm vincere volunt, ad glorioſam ergo pacem bellando cupiunt peruenire. Nam quid est aliud victoria, quàm subiectio repugnantium? Quod cum factum fuerit, pax erit. Pacis igitur intentione geruntur bella ab his etiam, qui virtutem bellicam student exercere, imperando, atque pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis homo belligerando pacem requirit, nemo autem bellum per pacem. Nam & illi qui pacem, in qua sunt, perturbari volunt, non pacem oderunt, sed eam pro arbitrio suo cupiunt commutari. Non ergo vt sit pax nolunt, sed vt ea sit quàm volunt. Infra:

Cap. 12.

19 Ipsæ sæuissimæ feræ genus proprium quadam pace custodiunt. Quæ enim tigris non filijs suis mitis immurmurat, & pacata feritate blãditur? Quis miluus quantumlibet solitarius rapinis circumuolet, non coniugium copulat, nidum congerit, oua confouet, pullos alit, & quasi cum sua matrefamilias societatem domesticam quanta potest pace conseruat? Quãto magis homo fertur quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem, pacemq. cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam, cum etiam mali pro pace suorum belligerent, omnesq. si posset facere velint, vt vni cuncti, & cuncta deseruiant, quo pacto nisi vt in eius pacem, vel amando, vel timendo consentiant? Infra: Quod terrenum corpus in terram nititur, & vinculo, quo suspensum est, renititur, in suæ pacis ordinem tendit, & locum, quo requiescat, quodammodo ponderis voce poscit, iamq. exanime, ac sine vllo sensu, a pace tamen naturali sui ordinis non recedit, vel cum tenet eam, vel cum fertur ad eam. Infra: Viues in

Cap. 13.

cap. 13. Ostendit Augustinus omnia bona pace constare: quod si ita est, omnia mala in discordia, & dissensione sita erunt. Quo magis demiror esse homines tam peruersæ naturæ, vt dissidia bellum pugnas non secus ac vitas, & animas suas diligant, pacis nomen, ceu maximum, & pernicios issimum malum exhorreant digni profecto, qui intrinsecus, & extrinsecus sentiant, & perpetiantur, quod tantopere expetunt bellum, & vt re optata in sempiternum fruantur post vitam æternum, & ingens manet bellum.

20 Lib. 3. contra Parmenianũ. to. 7. IDEM dicit; Nihil aliud appetit satanas venenosissima versutia sua, nisi vt corrumpat, atque disrumpat vinculum pacis, & charitatis, quo conseruato inter Christianos, vires eius omnes inualidę sunt ad nocendum, & muscipulæ insidiarum comminuuntur, & consilia euanescunt.

21 Enarratione in Psal. 214. to. 8. *Eph. 4.* IDEM explicans verba illa; Pax super Israel, ait: Hereditas nostra pax est. Per hanc vos salutamus, hanc vobis annunciamus, hanc suscipiunt montes, & colles iustitiam. Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum. Quia filij sumus, habebimus hereditatem, quæ pax est. Et videte quia exheredati sunt, qui non amant pacem. Non autem amant pacem, qui diuidunt vnitatem. Qui amant pacem, sunt heredes, de quibus dicitur: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Quia Christus filius Dei pax est, ideo venit colligere suos, & secernere ab iniquis, qui oderunt pacem, qui volunt conscindere vnitatem, qui non credunt paci, qui falsam pacem annunciant in populo, & non illam habent. Quibus respondetur, cum dixerint, pax vobiscum, & cum spiritu tuo. Falsa dicunt, & falsum audiunt. Quibus dicunt, pax vobiscum? Quos separant a pace orbis terrarum. Et quibus dicitur, & cum spiritu tuo? Qui dissensiones amplectuntur, & odiunt pacem. Si enim in spiritu eorum esset pax, nonne vnitatem diligerent, & relinquerent dissensionem? Falsum ergo pronunciant, & falsum audiunt. Nos verum pronunciemus, & verum audiamus, simus Israel, & amplectamur pacem.

Matt. 5.

22 In Psal. 127 IDEM explicans verba illa; Filij tui sicut nouellæ oliuarum, inquit: Filij debent esse pacifici, beati pacifici, quia filij Dei vocabuntur. Quia ergo in oliua fructus est pacis, oleum enim pacem significat, quia charitatem significat, sine charitate nulla pax est. Et manifestum est, quod qui diuiserunt pacem, non habent charitatem. Pacificos columba portauit ad arcam, portans oliuam cum fructu, quia non habent sola verba pacem sonantia, sed & fructum charitatis.

Gen. 8.

23 In Psal. 131 IDEM explicans verba illa; Si dedero somnum oculis meis, donec inueniam locum Domino, ait: Primi credentes, qui omnia relinquebant, facti sunt locus Domino. Et vt noueritis, quia vnus locus factus est Domino in omnibus scriptura dicit: Erat illis anima vna, & cor vnum in Domino. Multi autem ne faciant locum Domino sua quærunt, sua diligunt, potestate sua gaudent, priuatum suum concupiscunt. Qui autem vult facere locum Domino non de priuato, sed de communi debet gaudere. Beati qui sic faciunt locum Domino, vt priuato suo non gaudeant. Talem enim describebat iste qui dicebat: Si introie-

Act. 4.

ro in tabernaculum domus meę. Priuatum hoc erat, sciebat priuato se impediri ne faceret locum Domino, & ea commemorat, quæ ad seipsum pertinebant. Non introibo in tabernaculum domus meæ, donec inueniam. Quid? Cum inueneris locum Domino, intrabis in tabernaculum tuum? An ipsum erit tabernaculum tuum, vbi inueneris locum Domino? Quare? Quia ipse est locus Domini, & cum eis qui fuerint locus Domini vnum eris.

24 In Psal. 132. IDEM exponens verba illa; Ecce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum, sic habet. Sonus iste tam dulcis est, quàm dulcis est charitas, quæ facit fratres habitare in vnum. Iste dulcis sonus monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in vnum concupierunt. Iste versus fuit tuba ipsorum, sonuit per orbem terrarum, & qui diuisi erant, congregati sunt in vnum. Hanc vocem audierunt qui habebant cor vnum, & animam vnã in Domino. Ex voce huius psalmi appellati sunt & monachi. Monos enim vnus dicitur. Infra: Et nõ vnus quomodocũque, nam & in turba est vnus, sed vna cum multis
Act. 4. dici potest monos. Qui ergo sic viuunt in vnũ, vt vnum faciant hominem, vt sit illis vere cor vnum, & anima vna, multa corpora, sed non multæ animę, multa corpora, sed nõ multa cor-
Ioan. 5. da recte dicitur monos, id est, vnus solus. Vnde & ille vnus sanabatur in piscina, vt vnitatem significaret necessariam ad salutem. Infra: Quoniam illic mandauit Dominus benedictionem. Vbi mandauit? In fratribus qui habitant in vnum, non corpore solum, sed corde, ibi benedicunt Dominum, qui habitant concorditer. Nam in discordia non benedicis Dominum, ore benedicis, & corde maledicis.

35 In Psal. 148 IDEM explicans illa verba; Qui posuit fines tuos pacem, ait: Quomodo exultatis omnes. Hanc amate fratres. Multum delectamur quando clamat de cordibus vestris pacis dilectio. Quomodo nos delectauit? Nihil dixeram, nihil exposueram, versum pronunciaui, & exclamastis. Quãta pulchritudine intellectus pacis corda vestra percusit? Quid iam ergo loquar de laude pacis? Præuenit omnia verba mea vester affectus non implebo. Differamus omnes laudes pacis ad illam patriam pacis. Ibi eam plenius laudabimus, vbi plenius habebimus. Inchoatam a nobis si sic amamus, perfectam quomodo laudabimus? Hierusalem visio pacis est, & omnes qui habent, & amant pacem, benedicuntur in ea, & ipsi intrant, cum clauduntur portæ, & firmantur vectes. Hanc quam nominatam sic amatis, ipsam sectamini, ipsam desiderate, ipsam in domo, ipsam in negotio, ipsam in vxoribus, in filijs, in seruis, in amicis, & inimicis, diligite. Quid agit pax in huius regionis incertis, cum adhuc nemo videt cor alterius? Quid agit? De incertis non iudicat, incognita non confirmat. Procliuior est ad bene credendum de homine, quàm ad male suspicandum. Non se multum dolet errare, cum bene credit etiam de malo.

IDEM explicãs verba illa; Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, dicit: Pax finem temporis non habebit, sed omnis pię nostræ intentionis, actionisq. finis ipsa erit. Propter hanc sacramentis imbuimur, propter hãc mirabilibus sermonibus, & operibus Domini erudimur, propter hanc spiritus eius pignus accepimus. Hac pace in pressuris omnibus cõsolamur, hac a pressuris omnibus liberamur, propter hanc omnem tribulationem fortiter sustinemus, vt in hac fœliciter sine vlla tribulatione regnemus. 26 Tract. 104. in c. 17. Io. l. to. 9.

IDEM inquit; Dixit Dominus ad Abraham: Sume mihi vaccam triẽnem, & capram, & arietem, turturem quoque, & columbam. Qui tollens vniuersa hæc, diuisit ea per mediũ, & vtrasq; partes contra se altrinsecus posuit, aues autem non diuisit. In turture, & columba spirituales possunt significari, vt in illis tribus animalibus carnales intelligi. Ergo diligenter attendite, quia illa tria animalia diuisisse in duas partes dicitur Abraham, & contra se inuicem posuisse. Aues, scriptura inquit, non diuisit. Quare hoc? Quia in Ecclesia Catholica carnales diuiduntur, spiritales omnino non diuiduntur. Quare carnales & diuisi, & contra se positi sunt? Quia omnes luxuriosi, & amatores mundi contra se inuicem diuisiones, & scãdala habere non desinunt. Isti ergo diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur, aues autem, id est spiritales, non diuiduntur, quia est illis *Act. 4.* anima vna, & cor vnum in Deo. Est in illis vnum velle ac nolle. Et quando carnales qui diuiduntur grauibus vitiorum cõpedibus prẽmuntur in mundo, spiritales diuersarum virtutum pennis eleuantur in altum, & duabus pennis dilectionis Dei, & proximi eleuantur in cælum, non diuisi ab amore Dei, & proximi. 27 Serm. 54. de tempore in quo sacrificiũ, quod obtulit Deo Abrahã explicatur. to. 10. *Gen. 15.*

IDEM sic ait; Fœlices pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Meritum Christianæ virtutis vilescit in cunctis, si vnitatem non habet pacis, nec peruenit rd vocabulum filij, nisi per nomen pacifici. Pax est, quæ expoliat hominem seruitute, dat nomen ingenuum, mutat cũ conditione personã ex famulo, liberum filiũ facit ex seruo, amicum facit ex Deo, patrem reddit ex Domino. Filius Dei esse incipit, qui pacificus esse cœpit. Non vult filius dici, qui pacificus nõ vult inueniri, negat sibi patrem Deum, qui heres pacis esse nequiuit. Quanta est huius pacis retributio hereditatem possidere cum Christo? Pax concordia fratrum, sicut scriptũ est, in tribus placuit spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo, & hominibus, concordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier bene secum consentientes. Concordia ergo fratrum voluntas Dei est, iucunditas Christi, perfectio sanctitatis, morum custodia, atque in rebus omnibus laudabilis disciplina. Pax suffragium precum facilis, atque impetrabilis. Pax dilectionis mater est, concordiæ vinculum, ac puræ mẽtis indicium manifestum. Pacem meã do vobis dixit Christus, vnde seruare mandatum, est pacẽ in omnibus custodire. Nam diuidere 28 Serm. 169. de tempore Domini ca in Rogationibus de pace.

dere vnitatem, non est magistrũ sequi, sed eius mandatum calcare. Sequi enim Christum, est habere pacem. Pacem relinquo vobis, in pace vos dimisi, in pace vos inueniam. Proficiscens voluit dare, quod desiderabat rediens in omnibus inuenire. Quid ergo facturus est homo cũ venerit Deus & quæsitum non inuenerit, quod donauit? Qua excusatione vsurus, qui pacem seruare non potuit? Plantare pacem radicitus Dei est, euellere penitus inimici. Amor fratris ex Deo est, odium ex diabolo constat. Custodienda omnibus viribus pax est, quoniã Deus semper in pace est. Procul sint contentiones, procul lites, & odia, & maledicta, ne zizania superseminetur in medio tritici, & securo iam rustico spe longi laboris elusus in ipsa messis maturitate subducatur.

29 Serm. 196. de tempore IDEM explicans verba illa Lucæ 12. Domine dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem, dicit: Quis me constituit diuisorem inter vos? Non venit Christus diuidere, sed vni-
1. Cor. 1. re, vnde dicebat Paulus: Obsecro vos fratres, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, nolebat esse diuisor. Vnusquisque vestrum dicit, ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ. Diuisus est Christus? Videte ergo quàm mali sunt homines, qui volunt esse diuisi, cum Christus noluerit esse diuisor.

30 Serm. 2. ad fratres in eremo, qui est de pace. IDEM sic habet; O si sciretis quanta sit virtus pacis. Tanta est virtus eius, quod in pacis dignitate Apostolus omnes epistolas suas scribebat, dicens: pax vobis. Hanc salutandi formam nobis primitus donauit Christus di-
Lucæ 24. Ioan. 14. cens: pax vobis. Hanc pro testamento Christus Apostolis dereliquit tanquam summum bonum, sine quo nullus viuere debet. Qui pacem cordis, oris, & operis non habet, Christianus dici non potest. Qui in hac non sperat, in lubrico vitam, & pedem ponit, in tempestate nauem collocat, in præcipitio se illaqueat, in arena semen seminat. O pax eremitarum mater, monachorum soror, tu patriarcharum vinculum, prophetarum vehiculum, tu Apostolorũ refugium, tu martyrum solatium. O pax Dei ædificium, te non possunt destruere principum fulmina, insultus dæmonum te in nullo lædere possunt. O pax sine te reges non regunt, sine te regna non valent. Nunquid sine te ieiunia, orationes, eleemosynæ, ceteraq. bona nobis prodesse possunt? O monache habeto pacem in cunctis, nam si fratri irasceris, si proximũ odis, tibi contradicis in oratione Dominica, clamat enim monachus: dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, quo iure, qua fronte tibi petis dimitti, qui proximo rancorem non dimittis? Habete pacem cum omnibus, omnium tamen vitia odientes.
Gen. 4. 2. Reg. 15 Habete in corde, in ore, & in opere pacem. Nã si Cain pacem habuisset in corde, non irruisset in fratrem suum. Si Absalon pacem habuisset
Matt. 24. Psal. 132. in ore, non impugnasset fratrem suum. Si Iudas habuisset pacem in opere, non fugisset ad laqueum. O quàm bonum, o quàm iucundum, o quàm diuinum est habitare fratres in vnum, vt vnum sit cor, vna voluntas, vna omnium anima, & vna forma viuendi, nam diabolus intrare non potest domum, vel mentem, in qua pax dominatur. O quàm iucundum est habitare fratres in vnum. Tanta enim est eminentia istius virtutis, quod de ea propheta prius miraretur, quàm ostenderet quid esset, vel quid vtilitatis haberet. O quàm grandem admirationẽ præposuit, quando dixit: ecce. O quàm mirabilem vtilitatem prædicauit, quando subiunxit: Quàm bonum, & quàm iucundum. Sed scire debetis fratres, quod quædam sunt bona, quæ non sunt iucunda, quædam iucunda, quæ non sunt bona: verbi gratia, bona sunt ieiunia, vigiliæ, macerationes, & similia. Hæc enim bona sunt, sed non iucunda, quia caro in his nõ iucundatur, sed læditur. Iucunda quippe sunt comessationes, ebrietates, sed non bona. Hæc agentes, lætantur cum malefecerint, & exul- *Prou. 2.* tant in rebus pessimis. O monache vix poteris inuenire in præsenti vnum, quod sit bonum, & iucundum. Cupis tamen illud inuenire? Persequere pacẽ, & amplectere eam, hęc est enim sola virtus, quæ habet bonum, & iucundũ. Hæc est illa bonitas, quæ nos habitare facit vnius *Psal. 33.* moris in domo, vt simul viuere, simulq. mori semper optemus. O pax tu mentis serenitas, animi tranquillitas, amoris vinculum, charitatis consortium. Hæc est illa summa fœlicitas, *Psal. 67.* quæ bella compescit, iras comprimit, discordes sedat, inimicos concordat, cunctis placet, a cunctis optatur, sed a cunctis malis illa quæ bona est pax fugitur, & oditur, vt mors. Beatus qui te habet, maledictus qui te odit, & qui te impedit, & frangit inter homines, quoniã Antichristus est, & filius perditionis. O pax tale bonum es in rebus creatis tam mirificum, tam gloriosum, quod nihil dulcius solet audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil vtilius possideri. Spiritus enim humanus sicut nunquam viuificat membra, nisi fuerint vnita, sic Spiritus sanctus nunquã nos viuificat, nisi pace vniti fuerimus. Omnes homines pacem amant, sed ament & iustitiam, iustitia enim & pax ipsę se osculantur, sed si amicam pacis non amaueris, nunquid ipsa pax te amabit, & tecum habitare volet? Absit. Amate igitur pacem, diligentes iustitiam. Hæc enim pax, hominibus bo- *Psal. 85.* næ voluntatis datur ab Angelis. Nunquid hominibus prauę voluntatis pacem offerunt Angeli? Absit. 31

IDEM ait; Charitatem non habent, qui in vnitate nõ sunt, sicut dicit Apostolus Iudas: Hi sunt, qui se ipsos segregant animales spiritum non habentes. Qui se ipsos segregant, quia coagulum non habent charitatis. Christus dixit: Quoties volui congregare filios tuos, quẽ- *Matt. 23.* admodum gallina congregat pullos suos sub alis, & noluisti? Colligere non diuidere. Quia *Ioan. 10.* habeo alias oues, quæ non sunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile, & vnus pastor. Merito non audiuit fratrẽ contra fratrem interpellantem, & dicentem: Do- *Luc. 12.* mine dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem. 32 Serm. 6. inter varios Augustini,

ditatem. Et Dominus. Dic homo: Quare enim vis diuidere nisi, quia homo? Cum enim
1.Cor. 1.
dicit alius, ego sum Pauli, alius ego vero Apollo, nonne homines estis? Dic homo: Quis constituit me diuisorem hæreditatis inter vos? colligere veni non diuidere. Ideo enim dico vobis, cauete ab omni cupiditate. Cupiditas enim cupit diuidere sicut charitas colligere.

33 In serm. 5. assūptionis beatę Mariæ.
BERNARDVS dicit: Vnitas sanctorū alia est, quæ iustificat, alia quæ glorificat, vna meritum, & alia præmium. De prima dictum est, quia multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. (Act. 4.) De secunda autem. Qui adhæret Deo vnus spiritus est. (2. Cor. 6.) Vnitas quæ in hac vita habetur est decus suauitatis, de qua scriptum est: ecce quàm bonum, & quàm iucūdum habitare fratres in vnum. Cuius vnitatis, cum descripsisset propheta pulchritudinem, non tacuit vtilitatem, quoniam illic, inquiens, mandauit Dominus benedictionem, & vitam. Hic scilicet benedictionem, & in futuro sæculo vitam æternam. Ipsa est vnitas, quam summa diligentia obseruandam tradidit Apostolis dicens, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. (Eph. 4.) Vnitas ad proximum seruatur per conformitatem. Si ergo Deus noster vnus est dicēte Moyse, audi Israel Dominus Deus tuus vnus est, (Deut. 6.) sed & ille, cum sit vnus, & idem atque in seipso perfectus, nec vllo indigens, inest ei tamen benignitas erga nos, & amor ex beneuolentia in nos veniens, debemus, & nos quisque sibi vnus esse per integritatem virtutis, & vnū cum proximis per vinculum dilectionis.

Infra: Vnitas, quam habet quis ad proximum, duobus modis habetur, dum & nos per dilectionem tendimus in alterum, & alterius quoque vicissim in nobis recipimus affectum. Et hæc etiam duobus modis impeditur, obstinatione, & suspicione. Obstinatio non permittit nos ad alterius cor ingredi, nec suspicio patitur credere nos ab alijs amari. Ita fit, vt dum nec nos alium obstinati diligimus, nec nos ab alijs diligi suspiciosi putamus, vnitas, quæ cum proximis habēda est, impediatur. Verum huic duplici morbo duplex charitas medetur, illa scilicet, quæ non suam quærit, & iterum illa quæ omnia credit. Habeat obstinatus charitatem, non quærentem quæ sua sunt, & alios diligat. Habeat suspiciosus charitatem omnia credentē, & ab alijs se diligi sine dubio credat.

34 Lib. 2. de cōsideratione ad Eugeniū. Cant. 6.
IDEM explicans verba illa; Vna est colūba mea, formosa mea, perfecta mea, vno verbo dicit: Vnitatem omnibus commendauit: Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, sed diuisionem recedētes ab vnitate.

Plura vide libro 1. ca. 12. & 13. & libro 3. cap. 2.

Peccata multa & varia causant nocumenta in anima in qua sunt.

Cap. VI.

1 Hom. 16. in Genesim. to. 1.
CHRYSOSTOMVS explicans verba illa Genesis cap. 3. Comederunt & aperti sunt oculi amborum, & cognouerunt, quòd nudi essent ait: Non esus ex eo ligno oculos eorum aperuit: nam & ante esum videbant. Sed quia gustus ille inobedientiæ erat argumentum, & præuaricatio mandati a Deo traditi, ob quam causam postea ablata est gloria, quæ illos circundabat, quia se indignos tali honore fecerant. Propterea scriptura, inquit, comederunt, & aperti sunt oculi amborū, & cognouerunt, quòd nudi essent. Nudati propter peccatum supernæ gratiæ amictu, & sensibilis suæ spoliationis sensum acceperunt, vt per erubescentiam, quæ inuadebat ipsos, certo scirent, in quantum periculum se adduxisset mandati Dominici præuaricatio. Qui enim antea fruebantur tanta fiducia, & neque sibi conscij erant se se nudos esse, nec nudi erant, quandoquidem superna ipsos gloria quouis vestimento honestius tegebat, post esum autem, hoc est, post præuaricationem præceptorum in tantam humilitatem redacti sunt, vt ob intolerabilem erubescentiam, vestem tunc quærerent. Mandati præuaricatio vestem illam nouam, & admirabilem gloriæ ac supernam beneuolentiam expoliauit. Et consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi metipsis succinctoria. Obsecro dilecte cogita quomodo, & à quanto fastigio in profundum præcipitium deiecit illos diaboli consilium. Nam tanta gloria dudum circundati nunc folia ficus consuunt. Hoc diabolicæ deceptionis lucrum est. Hoc machinabatur illius consultatio, vt non solū maiora non conferret, sed & denudaret, & destitutos ab his, quæ habebant ostenderet. Tantum malum est peccatum, vt non solum nos à superna gratia alienos faciat, sed ad multam confusionem, & humilitatem deducit, & cum nos priuat a bonis, quæ iam posidebamus, omnem etiam fiduciam aufert.

2 Hom. 19. in Genesim.
IDEM in exordio dicit: Quemadmodum incurabilia vulnera, neque austeris medicamentis cedunt, ita & anima semel captiuata si se peccato cuipiam obnoxiam fecerit considerare non vult, quæ sibi sunt vtilia etiam si quis innumera inculcet illius auribus, nihil proficiet, sed quasi mortuæ essent aures nullam ex admonitione suscipit vtilitatem, non quia non potest, sed quia non vult. Hoc & in Cain factū est nunc. Oportebat conscium peccati sui in emendando postea occupatū esse. At ille quasi ebrius affectioni, & vulneri priori aliud vlcus coniungens, & medicinam tanta diligentia adhibitam non admittens, sed destinatam cędem in opus perducere festinans a dolo & malitia exorditur, & fallacibus verbis fratrem decipit. Tam efferus, & pecuinus est homo, qui in peccatum declinauit. Nam sicut magnum, & venerandum est rationale hoc animal, & maxime quando in virtutis viam contendit, ita quando in malum declinat truculentarum bestiarum imitatur crudelitatem, & multis nominibus illarum superat ferociam. (Gen. 3.) Dixit egrediamur in campum. Quæ insania? quę rabies? Esto excæcatus mente fraternæ affectionis nul-

3
lam rationem habeas, neque naturam agnoscas, cur aduersus illum ad bellum te instruis, qui nulla te iniuria affecit? Quid iam habes, quod parentibus obijcis, quos tanta mæstitia affligere deliberas? Has illis retributiones reddis suę educationis? Quæ diaboli ars in hoc te flagitium impulit? An gratia Domini ad illum ipsum aduersum te extolli fecit? An non quod tibi dixit, quia ad te conuersio illius, & tu ipsius dominaberis de fratris subiectione, qui tibi illum subiecit, accipiendum est? Et cum essent in campo surrexit Cain contra fratrem suum, & occidit illum. Horrendum facinus, abominabile opus. O audacem mentem, & abominabilem, & miserabilem. Quomodo non cogitauit naturam, quomodo non expendit, antequā odoriretur nefas, operis finem? quomodo ferre potuit post facinus, vt videret corpus fratris spiritum efflans super terram? quomodo potuit videre corpus mortuum, & a spectaculo non statim perijt? Post blande alloquitur illum Deus, vt ipsum ad pœnitentiam trahat, non proficit hoc, & ideo comminatione maxima vtitur; qua etiam abusus est, & in tantum impulit malum peccatum quod in frátrem commiserat, vt nec blanditijs, nec terroribus ad sanam redierit mentem, sed in hoc sæculo, & in futuro, maledictus grauitatis peccati cunctis in exemplum formidabile fuit.

4 Hom. 20. in Genesim. Gene. 4.
IDEM explicans; Cain egressus est a facie Dei, inquit: Egressus dicitur a facie Dei, hoc est nudatus eius præsidio propter abominabile facinus. Et habitauit in terra Naid e regione Edem. Docet quomodo non procul a paradiso versatus sit, vt e regione illius consistens continuo memor esset tum eorum, quæ patri suo ob præuaricationem obtigerunt, tum magnitudinum eorum, quæ ipse perpetrauerat, propter quæ tanta sibi, neque patris correptione emendato, pœna irrogata sit.

Infra: Loquens de Lamech, qui Cain occidit, & narrans homicidium vxoribus suis dixit, quoniam septies vltus est de Cain, de Lamech autem septuagies septies. Comparat peccatum suum peccato Cain dicens: Qua enim venia fuerit dignus, qui alterius pœna emendatior non fit, Quia virum occidi in vulnus mihi, & adolescentem in cicatricem mihi, duplex narrans homicidium, in quo non tantum nocui illis quos occidi, quantum me ipsum: vnde dignus fuerim septuagies septies pœnā luere. Nam licet cædem ille operatus sit, & fratris, attamen nullo unquā antea conspecto, qui hoc fecerat, neque alio viso, qui pœnam dederat eiusmodi facinoris, & a tanta ira tentato, quæ vtraque mihi pœnas augent. Quia & ante oculos habens quod ab illo perpetratum, & pœnam videns sic immedicabilem esse, cautior factus non sum. Propterea licet septuagies septies magis quàm ille punirer, attamen, neque sic dignam luerem pœnam. Quis obsecro talem ad confessionem adegit? nullus alius, quam conscientia, & incorruptus ille iudex. Nam simul ac in peccatum declinauerat, & o- 5
pere perfecerat malum conatum, statim insurrexit conscientia inclamansq. & ostendens peccatorum magnitudinem, omnibus se ipsam pœnis obnoxiam fecit. Ita enim se habent peccatum, vt priusquam fiat, & ad opus perueniat obtenebret, & decipiat mentem, postquam autem consummatur, manifeste suam nobis absurditatem proferat, & ostendat. Vnde breuis illa, & absurda voluptas continuum menti dolorem inserit, cōscientiæq. fiduciam aufert confusione captam perfundens. Misericors enim Deus eiuscemodi accusatorem nobis assistere voluit, vt nunquam soli relinquamur, sed indesinenter ille congrediens clamet, & pœnam exigat delictorum. Scortator enim, vel adulter etiam si omnium obliuisci queat, nunquam tamen sic in solitudine versatur, quin habens acrem illum accusatorem, suspitiones timeat, vmbras tremiscat, & eos qui conscij sunt, & qui non sunt, perpetuaq. in animo eius tempestas est, ac reciprocantes, & contrarij fluctus. Insuper neque somnus ei suauis, sed terrore, & formidine plenus, neque cibus voluptatem præbet, neque amicorum colloquia talem refocillare, vel liberare ab urgente anxietate possunt, sed quasi carnificem gestaret se lancinantem, & flagellātem continuo, ita post absurdum facinus obambulat nullo conscio sustinens intolerabiles pœnas illas, & iudex sui ipsius factus, & accusator.

IDEM explicans verba illa; Postquam audisset Propheta Dominum præcipientem, vt prædicaret Niniuitis, descendit in Ioppem, vt fugeret in Tharsis a facie Domini, inquit: Quo fugis propheta? Non audisti quod Dauid ait, quo ibo a spiritu tuo, & quo a facie tua fugiā? In terram? Sed Domini est terra, & plenitudo eius. Ad inferos? & ibi virtus tua, non deerit. Ad cælum? Ibi quoque te esse cognosco. Et in mare? & eo tendit dextera tua. Sicut hi, quos nimia ebrietate confusos ad prçcipitium casus aliquis attulerit, cæca quadam caligine deferuntur, nec pedis tentatione suo gressui prospiciunt, potius nimietate turbati, sic & ij, qui peccatorum mole opprimuntur, improuisa cupiditate, propria præcipitantur insania. Cum nauem fuisset ingressus turbantur maria, fluctus eleuantur, & profundi pelagi arena monstratur. Et sicut fidele mancipium, cum seruum fuga lapsum nonnullis etiam communi Domino pretiosis ablatis, omni animositate contra eius retentores insistet, nec ante derelinquit nisi, cum prȩsentauerit Dño, sic & mare conseruū agnitū nō alieno patrocinio, nullius postulato subsidio, sed propria virtute cōmotum,

6 In ho. de Iona Prophe. Psal. 138. Psal. 23.

tũ,vt sibi redderetur exposcit.Nauis prophetę corpore grauabatur, non corporis magnitudine, sed peccati. Nihil enim graue æque, & onerosum inuenies,quam peccatum. Et ideo
Zach. 5. Zacharias plumbo peccatum figurauit,&
Psal. 37. Dauid naturam ait: Iniquitates meæ superauerunt caput meum, sicut onus graue grauatæ sunt super me. Peccatum naufragium præparabat, & Ionas somno premebatur, sed sopor ille tristitia fuit,non requies.

7 IDEM ait: In peccatis miseram vitam a-
Hom. 28. in Matth. to. 2. gentes, nihil a mortuis differunt, immo vero maxime differũt, cum sint illis multo deteriores. Nec enim mihi dices non clausisse hunc oculos, nec sepulchro iacere, nec institis ligatum detineri,nec postremo vermibus esse proiectum, cum multo peioribus hic, quam qui obierunt vexetur. Non deuorant vermes, sed perturbationes animi omni feroci bestia truculentius exagitant, atque lacerant. Clausi oculi sunt mortuorum nihil prorsus cernẽtes, hic vero mille sibi morbos oculis cernendo quotidie contrahit. Ille iacet in monumento ad peccãdum iam immobilis, hic in sepulchro malo a se ipso intrusus, ingenti peccatorum mole obruitur. Sed corpus, dicet quispiam, huius pingue ac floridum, nõ tabe corruptum videmus. Magna vero res si corpore iam pridem integro, anima corrupta atque deperdita est: & ille post mortem male olet,ille vero per totam vitam os habens, vel ipsis cloacis spurcitius intolerabilem spirat fœtorem. Quare tanto discrimine hoc melior est ille, quãto naturali solum corruptioni subiectus,corruptionem,quæ omnibus est debita,patitur, hic vero antequam ad illa perueniat, quæ non effugiet, peccatorum vndique fœdissimam sibi putredinem colligit, mille indies corruptionis vias excogitans. Sed phalerato, inquit, equo fertur magnifice. Ego vero, inquam, meliorem
8 illum esse,qui in vrna quasi in lectulo quiescit, quodq. decentius est,nemo putrescentem cernit,sed tegitur vrna dissolutum corpus,hic autem fœtentem animam in corpore quasi in sepulchro circumagit. Certe si posses animam hominis peccatis inuolutam oculis cernere, non dubitares multo melius esse in sepulchro iacere, quam delictis irretitum detineri,& lapide potius,quam graui peccatorum pondere premi: qui quoniam quantis malis vexentur, ignorant, non dubitent tamen propinqui eo-
Ioan. 11. rum, veluti cum Maria ad Lazarum faceret Iesum adire,tunc etiam si putridum oleat,etiam si quatriduanus sit, non desperes tamen, sed adeas,& lapidem inde remoueas; primo enim statim vt in sepulchro iacentem institis ligatum inspicias. Consideremus potentem hominem,& imprimis huius caput quasi ebriosi caput opertorijs pluribus, atque vinculis alligatum, sic vndique obrutum,vt sensibus extinctis nihil audiat,nihil videat,nihil prorsus sentiat. Deinde manus inspicite,videteq. ventri annexas, sicut mortuorum non quidem institis, verum quod turpius est durissimis auaritiæ vinculis, quæ vinctas non sinit ad liberalitatem porrigi, sed insensibiles ad huiusmodi officia reddit. Vultus, & pedes similiter irretitos videte: videte varijs eos curis alligatos, ac idcirco nõ posse Dei Ecclesiam adire. Diabolus tales componit, vt non homines, sed ligna arida esse videantur. Nam vbi non oculi, non manus, non pedes, non alia membra suis officijs funguntur, quomodo hunc hominem putabis,præsertim cum anima etiam eius peccatorum fœditate obruta,idolum magis,quàm anima esse videatur?

9 IDEM explicans verba illa; Et tenebræ
Homil. 4. in Ioan. to. 3. eam non comprehenderunt, dicit: Peccatum tenebræ, & vorago quædam profunda. Sicut enim in tenebris, nec amicus, nec inimicus agnoscitur, sed omnia penitus ignorantur, itidem & in peccato vsu venit. Quippe qui lucro inhiat,nullam amici,inimicive intelligit differentiam,& latrones similiter in omnes bellum gerunt, & omnino quicumq; se vitiorum sordibus coinquinant nihil ad rerum differentias dignoscendas ab ebrijs, insanientibusq. differunt. Et quemadmodum noctu amoto lumine,lignum,plumbum,ferrum, argentum, lapides pretiosos, & alia omnia eodem modo, & videmus,& dijudicamus,ita qui sordide,& vitiose vitam viuit, neque modestiæ vim, neque sapientiæ discernit pulchritudinem. In tenebris enim, vt iam dixi, pretiosi etiam lapides nullam speciem, nullum præ se ferunt fulgorẽ, non sua,sed caligantium oculorum culpa. Neque hoc duntaxat nobis, dum sub impia vitiorum tyrannide viuimus, molestum est, verum etiam illud quod formidine propterea angimur, & veluti qui per obscuram noctem iter faciunt, vt nihil metuendum sit, metu tamen coactiuntur,sic qui scelus aliquod admittũt, etsi nemo id videat,nemo reprehendat,omnia tamen formidant, omnia suspicantur, quippe qui perpetuis conscientiæ stimulis agitantur, omnia formidolose circumspiciunt. Propulsemus igitur tam grauem, tam molestam vitam, cuius angorem mors sequitur perpetua. Adde quod in hac vita nihil ab insanientibus hi differunt, qui terrenas res, & breui duraturas tamquam in somnis suspicantur, videntur diuitijs affluere,cum nullis affluant,in delicijs esse,cum non sint,neque ante se deceptos intelligunt, quàm ab insania liberentur, quàm somnum discutiant.

10 IDEM inquit: Peccatum grauius est dæ-
Hom. 41. in Act. Apost. mone,nam ille quidem humiles facit. Dæmon non prohibet regnum cælorum assequi, licet cooperetur,inuitus quidem, peccatum autem eijcit. Infra: Non in hoc solum lædimur a peccato quòd peccamus, sed & aliud grauat, quod anima recipit habitum, sicut in corpore per exemplum clarius videre licet. Sicut enim qui febre laborat,non in hoc solũ leditur quod ægrotat, sed etiam quòd post morbũ infirmior fit, licet a morbo diuturno ad bonã valetudinem redeat. Ita sane & de peccato dicendum licet sanemur adhuc tamẽ egemus magna fortitudine.

titudine. Nam vnumquodque peccatum vbi patratum fuerit, & ad finem peruenerit relinquit in anima venenum. Nonne peccantes deterius affecti sumus,quàm dæmonio vexati?sed quod non spumamus, nec pupillas distorquemus, neque manus, vtinam in corpore, hoc pateremur, & non in anima.

11 IDEM ait: Quamuis quispiam locuples,
Ho. 9. in 1. ep. ad Cor. to. 4. sit & generosus est tamen inter abiectos abiectissimus, cum a peccato vincitur. Quemadmodũ enim si Rex quispiam barbarorum seruus fiat omnium est miserrimus,sic qui in peccato viuit. Barbarum namque peccatum est, animam enim sub tyrannidem redigit. Nihil enim tam præter rationem est, quam peccatum. Nihil tam stultum, nihil tam fatuum, nihil tam vehemens, omnia euertit, omnia confundit,perdit: Innumeris manibus nostris insidiatur cogitationibus,& inopinantes aggreditur, omnia dilacerat, more canum clanculum mordentium. Infra: Peccatum feras ex hominibus facit, immo dæmones. Quippe qui incredibilis pleni sunt immanitatis,neque in illis cælestis regni amor est, neque gehennæ metus,nullus hominum pudor,nulla misericordia, nulla humanitas, sed impudentia,temeritas, futurorum omnium contemptus, & quæ de futuro iudicio dicta sunt fabulas arbitrantur, & minas illas risus ducunt: Hi peiores feris sunt, eo quòd feræ natura tales sunt, hi autem naturalem mansuetudinem habentes, præter naturam in immanitatem se vertere conantur. Vnde ait Propheta, homo
Psal. 48. cum in honore esset non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus. Rursum dæmon, cum hominibus, non cum eiusdem generis dæmonibus certat, peccator autem consanguineum, & familiarem pro viribus malo afficere conatur, neque naturæ eum pudet.

12 IDEM explicans verba illa; Qui & illu-
Hom. 11. in tide ep. ad Cor. minabit abscõdita tenebrarum. Recte inquit, peccator. Tenebræ circundant me, & parietes:nisi enim in tenebris animus esset,non sane
Eccli. 23. Dei timore abiecto tanta duceretur licentia. Nam nisi prius rationalis pars caligaret, non tam licenter peccata in nos impetum facere potuissent. Quamobrem ne dicas, nemo me videt,est namque qui ad animam vsque & spiritum articulos, & medullas penetrat. Te autem ipsum non vides, neque potes nebulas expellere, sed tanquam muro vndique circundaris, & sic nequis cælum suspicere. Nam quemadmodum latrones, cum quid pretiosum rapere volunt, extincto lumine id aggrediuntur, sic in peccatoribus corupta ratio. Etenim in nobis rationis lumen est semper ardens. Quòd si spiritus iniquitatis vehementiori impetu aggressus extinxerit, quàm primum animam obscurauit, expugnauitq. & quicquid in ea conditum est compilat. Quippe quæ cum a libidinis cupiditate capta est sicut nebula, & caligine corporei oculi, sic ab illo mentis prouidentia præoccupata, nihil intueri potest vlterius, non præcipitium, non gehennam, non formidinem. Et tanquam paries sine ostio oculis obiectus non sinit iustitiæ radium mentes nostras illustrare. Et quemadmodum cæci licet in ipso meridie sub dio versentur, nullam tamen lucem accipiunt, itidem, & hi quamuis innumera vndique dogmata eorum insonent auribus, animo hoc affectu præoccupato omnibus rationibus obstruunt auditum.

IDEM exponens verba illa; Quanto ma- 13
Ho. 20. in c. 10. ad Heb. gis putatis deteriora mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit,& sanguinẽ testamenti pollutũ dũxerit, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit,sic habet: Sicut enim ea quæ conculcamus nullius momenti pendimus, sic & qui peccant in Christum,nullius momenti existimãt, & sic peccant. Factus es corpus Christi, & tradis te ipsum diabolo, vt conculces Christum, Christus voluit solidari apud te, tu autem eum conculcas per crapulam, per ebrietatem.

IDEM ait: Peccata elongãt nos a Deo vo 14
Serm. 11. in epi. ad Philippenses. luntate, & animo, non loco. Vehementer Deũ fugimus. Quo fugis miser? Quo fugis vitam, & salutem tuam? Si Deum fugis, ad quem confugies? Si lucem fugis, quo respicies? Si vitam fugis, vnde postea viues? Cum peccamus fugimus a Deo, fugitiui in alienam terram discedimus. quemadmodum ille, qui bonis paternis consumptis abijt in terram alienam, qui male consumpta paterna substantia, in fame viuebat. Largitus est nobis Deus multa bona in baptismo, si ista consumpserimus,fame postea laborabimus. Morbus hic grauis, & febris erat vehemens,& decumbebamus non in lecto, sed in ipsa malitia, in prauitate, veluti in stercore proiecti, vlceribus ac fœtore pleni, squalidi, idola magis, quàm homines, princeps mundi ridens insultabat nos. Consumpsimus omnia, & cum inter alienos simus, & siliquas comedamus, non *Lucæ 15.* tamen dicimus reuertamur ad patrem nostrum, & dicamus, peccauimus in cælum, & coram te.

IDEM ait: Homines qui Deum bla- 15
Ho. 3. de incõprehẽsibili Dei natura. to. 5. sphemant, & pro nihilo putant, ipsi lædunt salutem, & perimunt, Verissima namque illius sententia est, qui blasphemis, inquit, hominibus, lapidem, qui sursum iaciunt in *Eccli. 27.* excelsum in ipsorum caput iaciunt, & contundunt. Quemadmodum enim, qui lapidem illo iaculatur, corpus cæleste non attingere, nedum lacerare potest, plagam autem suo capite excipit, cum lapis eodem vnde iaculatus est redeat, ita qui beatam illam blasphemat substantiam, vt nunquam offendere eam potest,cum longe potior,atque excelsior, sit, quàm vt affici aliquo possit detrimento; sic ferrum aduersum animam suam acuit, & 16
Ep. 4. ad Damasũ Papã inqua exponit parabolã filij prodigi Luc. 15 parat, cum se ingratum Domino bene merenti exhibet.

HIERONYMVS explicans illa verba; Et non post multos dies collectis omnibus adolescen-

lescentior filius profectus est in regionem longinquam inquit: Si Deus cælum tenet palmo, & terram pugillo, & Hieremias dicit: Deus appropinquans, & non Deus de longinquo, per Dauid quoque, quia nullus absque eo locus sit, prædicatur, quomodo filius peregre proficiscitur, & a patre discedit? Recedunt, qui peccantes, cum Domino esse non merentur, recedunt autem affectu, non locorum spatijs. Recessit ergo iunior filius. Et Cain egressus a facie Domini habitauit in terra Naid, quod interpretatur fluctuatio. Quicumque à Deo recedit statim sæculi fluctibus quatitur, & mouentur pedes eius. Nam postquam moti sunt homines ab oriente & a vero lumine recesserunt, tunc aduersus Deũ impietatis suæ ædificauere turrim volentes superbia, & curiositate in ipsius cæli alta penetrare. Et vocatus est locus iste Babel, ideſt confusio. Et ibi dissipauit substantiam suam viuendo luxuriose, cumq. consumpsisset omnia, facta est fames valida in regione illa. Veritatem in iustitia detinens, & pro Deo idola colens naturæ bona vniuersa consumpsit, & consumptis omnibus cœpit egere virtutibus, derelicto fonte virtutum. Facta est fames valida in regione illa. Omnis locus quem patre incolimus absente, famis, penuriæ, & egestatis est. Adhæsit vni ciuium regionis illius, ideſt diabolo principi huius mundi, rectori tenebrarum. Et misit illum, vt pasceret porcos, immolans ei animam suam. Et cupiebat implere ventrem de siliquis & nemo illi dabat. Id quod in Ezechiele per increpationem dicitur ad Hierusalem. Et factum est in te peruersum vltra mulieres, quæ ante fornicationem tuam, & post te sunt fornicatæ in eo quod dedisti mercedes, & mercedes tibi non sunt datæ, videmus in filio minóre completum. Substantiam suam in regione principis perdidit, & post perditas facultates missus ad porcos, egestate contabuit. Dæmonum cibus est ebrietas, luxuria, & vniuersa vitia. Hæc blanda sunt, & lasciua, & sensus voluptate demulcent, statimq. vt apparuerint ad vsum sui prouocant. Quibus ideo luxuriosus adolescens non poterat saturari, quia semper voluptas famen sui habet, & transacta non satiat, & satanas, cum aliquem sua arte deceperit, & proprium ei imposuerit iugum, vltra ad abũdantiam vitiorum non procurat, sciens esse iam mortuum, sicut multos idololatras videmus panis miseria, & egestate confectos. Hi sunt in quibus propheticus Sermo completur. Omnibus meretricibus dantur mercedes, tu autem dedisti mercedem omnibus amatoribus tuis.

17

18 In ep. 1. quæ est ad Detriadem virginẽ. to. 9.

IDEM ait; Dominus quandiu recentioris adhuc naturæ vsus viguit, nec humanæ rationi velut quandam caliginem longus vsus peccandi obduxit, sine lege dimissa est natura, ad quam Dominus nimijs iam vitijs obrutam, & quadam ignorantiæ rubigine infectam, limam legis admouit, vt huius frequenti admonitione expoliretur, & ad suum posset redire fulgorem. Neque vero alia nobis causa benefaciendi difficultatem facit, quàm longa consuetudo vitiorum, quæ nos infecit a paruo, paulatimq. per multos corrupit annos, & ita postea obligatos sibi, & addictos tenet, vt vim quodammodo videatur habere naturæ. Omne illud tempus quo ad vitia eruditi sumus, quo mali etiam esse studuimus, cum ad incitamenta nequitiæ innocentia prostultitia duceretur, nunc nobis resistit contraq. nos venit, & nouam voluntatem impugnat usus vetus.

19 Lib. 2. in c. 3. Isai. to. 4.

IDEM explicans verba illa; Et dixit Dominus pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo &c. ait: Multi secundum tropologiam mulieres animas arbitrantur, quæ si extento collo ambulauerint, & se erexerint in superbiam, omnia perdant ornamenta virtutum, quæ sub lunulis torquibusq. & monilibus, atque armillis mitrisq. & ceteris huiusmodi describuntur. Decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & crinem earum nudabit. Hoc & nobis accidet quorum peccata celantur, cum impletum fuerit illud, quod scriptum est, nihil occultum quod non reueletur. Quandiu enim protegimur crine, & veste ignorantiæ, & homines nos putant sepulchra dealbata, qui intus sumus plenioſsibus mortuorum, videmur aliquid habere munditiæ, cum autem patuerit, quod occultum est, auferetur vniuersa cæsaries, & fœda caluities omnibus apparebit. In illa die auferet Dominus ornamentum calciamentorum &c. varias virtutes. Et mutatoria, & pallia, & linteamina. Mutatoria illa sunt de quibus dicitur, Ibunt de virtute in virtutem, & linteamina, vt loti in Domino delicijs affluamus. Hæc autem omnia perdiderunt filiæ Sion, quia ambulauerunt extento collo. Infra: Et erit pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus. Cætere peccata pœnitens loquitur. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Et pro zona funiculus, quia funibus peccatorum suorum unusquisque constringitur. Igitur pro bono odore virtutum, filiæ Sion habebunt putredinem peccatorum. Et pro cingulo veritatis de quo Apostolus ait: Accincti lumbos mentis vestræ in veritate, mendacij funiculis ligabuntur. Et pro crispanti crine caluitium. Pro continuis, & longis, & ascendentibus orationibus, quæ per crines significantur, habuerunt caluitium mentem vndique obstrusam, & ad tacendum ab orationibus firmatam. Infra: Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Hoc si de animæ statu intelligim⁹, quæ post virtutes peccauerit, bona accipientes opera quæ hostili gladio conciderunt, & fortes quosque perisse in prælio, quia iustitia iusti non liberabit eum inquacumque die aberrauerit. Et mærebunt, atque lugebunt portæ eius & ipsa vrbs desolata in terra sedebit. Quia quicumque locum dederit diabolo, & non

non omni custodia seruauerit cor suũ, lugeant portæ eius, & absente sponso semper in luctu sit, ac de excelsis corruens in terræ puluere sedeat.

21 Lib. 6. in c. 15. Isaiæ.

IDEM explicans illa verba; Ad torrentẽ salicum ducent eos, inquit: Peccatores ducuntur ad vallem salicũ, vt nullus in eis fructus remaneat. Hanc enim seminis harum arborũ dicunt esse naturam, vt qui illud in poculo hauserit liberis careat. Vnde & sancti, qui propter peccata in confusione huius mundi esse cœperunt, in salicibus Babyloniorum fluminum suspenderunt organa sua.

Nota.

22 Lib. 7. in c. 18. Isaiæ.

IDEM exponens verba illa; Et præcidentur ramusculi eius falcibus. Et relinquentur simul auibus montium, & bestijs terræ, & æstate perpetua erunt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ super illum hiemabunt, ait: Ramusculi, qui inutiles sunt, falcibus præciden

Ioan. 15. tur, dicente Domino: Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. Et quæ præcisa fuerint relinquentur auibus montium, & bestijs terræ. Auibus, quæ iuxta viam seminata populantur, & bestijs, quibus traditur anima non confitens Deum, ita vt qui a Domino præcisus fuerit, & abiectus, tam in æstate, quàm in hieme, hoc est, in prosperis, & in aduersis volucrum, & bestiarum mansio sit.

23 Lib. 17. in c. 64. Isaiæ.

IDEM exponens verba illa; Ciuitas sancti tui facta est deserta, Sion deserta facta est, Hierusalẽ desolata, domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostrę, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinam, dicit: Possumus hæc referre ad sancti viri animã, quæ recte appellari potest specula, & visio pacis, quando Deus habitauerit in ea. Si vero vitio nostro huiuscemodi Sion a Domino fuerit derelicta, statim patebit incendio ignitarum diaboli sagittarum. Omnes enim adulterantes quasi clibanus corda eorum. Et expulso pudicitiæ frigore, libidinis in templo Dei flamma grassabitur, vt quicquid in nobis glorioſum prius & inclytum fuit, corruat, deleatur, & pereat. Et impleatur illud quod in psalmo dicitur: Combusserunt igni sanctuarium

Psal. 73. tuum, prophanauerunt in terra tabernaculum nominis tui, quod solus potest ille restinguere, de cuius ventre fluunt aquæ viuentis flumina.

24 Li. 1. in c. 1. Lamẽt. Hieremiæ.

IDEM exponens verba illa; Quomodo sedet sola ciuitas, plena populo, facta est quasi vidua domina gentium, princeps prouinciarum, facta est sub tributo, sic habet: Hic plangitur anima fidelis hominis, quæ quõdam plena fuit numerositate virtutum, & imperabat diuersis affectibus, dominans concupiscentijs carnis, postea autem a malignis spiritibus flammis libidinis succensa, destituta angelorum solatio, & carens diuino consortio tot seruis, sceptris dedita, quot vitijs. Infra: Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem seruitutis. Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. Spiritualis Iuda ideo de terra sua migrauit, quia peccando Dominum irritauit, & iniquitatibus suis eum ad vindictam prouocauit. De quo ipse per Isaiam prophetam locutus est: Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Vnde inter gentes deputata, & sordibus eorum polluta libertatem perdidit, & in hostium suorum manus incidit, qui eam per diuersos errores ducentes nequaquam requiescere, vel paululum respirare concedebant. Viæ Sion lugent, eo quòd non sint qui veniant ad solemnitatem. Omnes portæ eius destructæ, &c. Viæ Sion lugent quando animæ quondam in arce mentis Deum speculantis actiones exteriores, post lapsum peccati turpes, atque lugubres apparent, eo quòd non pristino more affectus eius ad interna gaudia celebranda concurrant. Sed quinque sensibus corporeis, qui portarum nomine hic notantur desidia destructis, pareat aditus varijs delictis, Ecclesiasticum quoq; officium vilescat, & continentiæ virtus mollescat. Vnde Spiritus sancti suauitate priuata, tota in amaritudine vitiorum versatur. Facti sunt hostes eius in capite, inimici illius locupletati sunt. Animæ deceptę hostes fiunt in capite, quando maligni spiritus eius gaudent dominatione, qui spoliantes eam virtutibus, paruulos cogitatus eius per varia desideria huc, illucq. trahendo, nullam quietem eam in animo habere permittunt. Et egressus est a filia Sion omnis decor eius. Filia Sion reliquit decorem suum, quando per incuriam cogitationum, virtutum perdidit ornamentum. Infra: Abstulit omnes magnificos meos Dominus de medio mei. Ab anima enim diabolica fraude decepta post quam eam inimicus intus captiuam a statu rectæ fidei, & bonæ conuersationis in confusionem erroris abduxerit, sanctorũ prædicatorum doctrinam, & exempla ab aspectu cordis eius per obliuionem aufert, quatenus eam spoliatam virtutibus facilius in terra aliena possideat, ne per recordationem sani dogmatis, & melioratione vitæ ad statum pristinum reuertatur. Torcular calcauit Dominus virgini filiæ Iuda, ideſt animæ virtutibus infecundæ, & bonis operibus vacuæ, nec fidei fructum gignenti. Dominus torcular calcat, quando eam pro sterilitate sua, & otiositate inimica, pœnas condignæ vindictæ luere fecit. Expandit Sion manus suas, non est qui consoletur eam. Anima hominis credentis, quæ quondam erat speculum Dei, & supplantatrix vitiorum, cum pro malis meritis traditur spiritualibus nequitijs frustra forinsecus quærit cõsolatorem, quæ spiritualem interius perdidit consolationem.

25

26 In c. 2. Lament. Hier.

IDEM exponẽs verba illa; Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiã Siõ, proiecit de cælo in terrã inclytam Israel, & nõ est recordatus scabelli pedum suorũ in die furoris sui, ait: Anima peccatrix, quæ quondam habuit lumen scientiæ, & speculum diuinæ con

tẽplationis, quando pedes Domini; hoc est, vestigia præceptorum eius in cordis illius secreto consistebant, nunc propter cæcitatẽ cordis, & nequitiam prauæ actionis de culmine virtutum in fœditatem terrenorum desideriorum prolapsa, iusto iudicio Dei spreta, atq; derelicta ab hostibus conculcatur. Et propheta merito eius deflet ruinam, quia a summo honore ad maximam deuoluta est miseriam; per quam omnium iam despectui patet, & irrisioni. Præcipitauit Dominus, nec pepercit, omnia speciosa Iacob. Destruit Dominus speciosa Iacob, cum decorem animæ diabolica arte deceptæ spernit, & polluit honorem regni, & principatum eius, quem habuit in perceptione baptismatis, ita vt iam non mereatur cum ceteris fi-
1. Pet. 2. delibus ab Apostolo Petro audire: Vos estis genus electum, quando diuersis seruit vitijs, & obtemperat hostis antiqui suasionibus malignis, de quo & subditur. Confregit in ira furoris omne cornu Israel. Auertit retrorsum dexteram suam a facie inimici, & succendit Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro. Non solum vniuersum regnum Iudæorum Dominus destruxit, & terram eorũ in manus hostium ad deuastandum tradidit, sed & Hierusalem mysticam, quando a Domino recesserit, & dijs alienis in diuersis sceleribus seruierit, defensione cælestis auxilij priuatam, flammæ libidinis, & furori hostium ad succendendum tradidit. Auertit retrorsum dexteram, ideſt filium suum, per quem & solatium, & defensionem fidelibus suis præstat. Sed quando offenso illo non meremur ab inimicis liberari, quasi traditi videmur, cum defensorem nullum habemus. Tetendit Dominus arcum suum, quasi inimicus, firmauit dexterã suam, quasi hostis, & occidit omne, quod pulchrum erat visu in tabernaculo filiæ Sion. Tetendit arcum iudicij sui cõtra nos, & dextera potentiæ suæ quicquid ornatus scientiæ, vel virtutum visi sumus habere, totum dissipat, & exercet in nobis vindictam indignationis suæ, eoquòd noluerimus intelligere misericordiam & beneficentiam immensæ clementiæ suæ. Factus est Dominus velut inimicus, præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit in filia Iuda humiliatũ & humiliatam. Sicut mœnia in vrbibus pro ornamento, munitiones vero in defensionem, ita alia sunt dona, quæ nos muniunt, alia quæ ornant. Prophetiæ quippe doctrina, genera linguarum, curationum virtus, quasi quædam mœnia mentis sunt, quæ etsi quisquam non habeat, stare munitus per fidem & iustitiam potest, quamuis ornatus virtutum altitudine minime videatur: fides vero, spes, & charitas, non nostra mœnia, sed munitiones sunt, quæ si habere negligimus, hostiũ insidijs patemus. Rectus vero ordo seruatus est, vt prius mœnia, &
28 post munitiones dissipare dicerentur: quia cũ peccatrix anima relinquitur, prius ab ea virtutum dona (quæ ad manifestationẽ spiritus data fuerunt) & post fidei, spei, atq; charitatis fundamenta destruuntur. Quæ cuncta Dominus a fidelibus ablata, quando perfidi sunt, dat alijs, atq; ex his, quæ ab illis abstulit, mentes instorũ ornauit. Vnde & scriptum est: Speciei domus diuidere spolia. Infra: Et dissipauit quasi hortum tentorium suum, demolitus est tabernaculum suum. Videndũ nobis est, ne propter iniquitates nostras habitaculũ pectoris nostri deserat inhabitator Spiritus sanctus, respuat sacerdotium, & despiciat ordinem regiminis nostri, fiamusq. sicut hortus dissipatus, vbi nullus virtutum gignitur fructus. Metuendum igitur ne tanta suauitate, & iucunditate priuati in amaritudinem, & fœditatem perueniamus sempiternam. Dicit enim Paulus Corinthijs: Ne- 1. Cor. 3.
scitis quia templum Dei estis? Si quis autẽ templum Dei violauerit, disperdet illũ Deus. Templum Dei enim sanctũ est, quod estis vos. Repulit Dominus altare suum, maledixit sanctificationi suæ, tradidit in manus inimici muros turrium eius. Repulit Dominus altare suum, quando peccatis nostris exigentibus, quasi ingratam despicit aram cordis nostri, & auertit faciẽ suã a nobis, vnde salui fieri debueramus, Psal. 79.
sicut scriptum est: Ostende nobis faciem tuã, & salui erimus. Nec preces nostras attendit, neq; oblationes recipit. Maledicit sanctificationi suæ, quando Christianum nomen, in quo gloriabamur, & quod in sacro baptismate suscepimus pollutum duximus, quia facinora nostra, & praui actus nostri hoc promeruerũt. Tradidit in manus inimicorum nostrorum omnia arma nostra, & munitiones, in quibus confidebamus, quoniam in omni cõuersatione nostra ad nihilum redacti sumus, neq; prepositos, neq; defensores iã vtiles habere meremur. 29
Infra: Defecerunt præ lachrymis oculi mei, cõturbata sunt viscera mea, effusum est in terra iecur meũ super cõtritione filiæ populi mei, cũ deficeret paruulus & lactens in plateis oppidi. His verbis deflenda est ruina animarum quondam fideliũ, quæ pretioso sanguine Christi redemptę, & vnda baptismi a sorde peccatorum ablutæ, iterum nunc in cœnum, & sordes vitiorum deuolutæ sunt, ita vt hi, qui innocentiã, & simplicitatem paruulorum videbãtur imitari, in plateis mundi, & sæculi desiderijs ab hostibus spiritualibus enecentur. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te, filia Hierusalem? Cui exæquabo te, & consolabor te virgo filia Sion? Animæ Christianæ, cuius a statu rectæ fidei, & celsitudine virtutum immensa ruina fuit, nullius est miseriæ coæquanda, quæ ex consortio diuino, & societate sanctorum angelorum, in malignorum spirituum decidit dominiũ, qui eam varijs vitijs, atque sceleribus captiuatam huc, illucque per sæculi vndantes luxus, ac casus vertendo, in foueam perditionis propellunt, in barathrumque gehennæ perpetuo puniendam præcipitare contendunt. Infra: Vocasti quasi ad diem solemne, qui terrerent me de circuitu, & non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur: quos educaui, & nutriui, inimicus meus consumpsit

sumpsit eos. Quasi ad diem solemnem hostes vocati sunt, cum maligni spiritus in die iudicij ad puniendos peccatores exultantes conueniunt. Gaudent illi de ruina animarum, quia non ignorant ad suppletionem supernæ ciuitatis, vnde illi corruerant, creatum esse humanum genus, & ob hoc se priuatos æterna fœlicitate conspicientes, homines ne paradisum habeant, toto nisu per inuidiam præcipitare festinant. Hoc tamen non sine grandi dolore sancta Ecclesia sustinet, cum filios suos, quos baptismate genuit, & sacramentis diuinis imbuit, sub inimicorum manu per diuersa scelera quotidie cadere videt.

30 IDEM explicans verba illa; Et adduxit me in Hierusalem in visione Dei iuxta ostium interius, quod respiciebat Aquilonem, vbi erat statutum idolum zeli ad prouocandam æmulationem, inquit: Statuam idoli Baal posi-
Lib. 3. in ca. 8. Ezechie. tam in templo narrat historia. Pulchreq. appellatur idolum zeli, quia ad æmulationem, & zelum Dominum prouocat, iuxta illud quod
Deut. 32. in Deuteronomio dicitur: Ipsi me prouocauerunt ad zelum in eo, quod non erat Deus, & ego prouocabo eos ad zelum in gente, quæ non est. Ibiq. erat gloria Dei Israel secundum visionem, quam videram in campo, non quòd
Isa. 28. delectaretur tali vicinia, sed vt sui præsentia idolum zeli templumq. deleret. Vnde in Isaia scriptum est, quod lectus angustus nequaquam duos capiat, & pallium breue vtrumque operire non possit, significante scriptura illud
2. Cor. 7. Apostoli. Qui consensus Christo, & Belial, templo Dei, & idolo? Infra: Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuersa idola domus Israel depicta erant in pariete in circuitu per totum. Possumus in nostri templi parietibus idola monstrare depicta, quando omnibus vitijs subiacemus, & pingimus in corde nostro peccatorum conscientiam, imaginesq. diuersas.

31 IDEM exponens verba illa; Ad te Domine clamabo, quia ignis comedit speciosa deserti, & flamma succendit omnia ligna regionis,
In c. 1. Ioel. propheto. 5. sed & bestiæ agri, quasi area sitiens, imbrem suspexerunt: ad te quoniam exiccati sunt fontes aquarum, & ignis deuorauit speciosa deserti, dicit: Verba hæc ad iustum quondam virum referri possunt, qui cum declinauerit, & fecerit malum, nequaquam ei virtutes pristinæ proderunt, sed iudicabit eum Dominus in quibus inuenerit. Flamma, quæ succendit omnia, ligna regionis illa credenda est, quæ imittitur ardentibus diaboli sagittis, vt nihil in nobis bonarum frugum remaneat, sed cuncta incendio consummantur. Omnes enim adulterantes quasi clibanus corda eorum. Et exiccati
Hier. 2. sunt fontes aquarum, quos ceruus desiderat, & de quibus Dominus loquitur? Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ. Siccatis autem in nobis fontibus aquarum, qui arentia quæque irrigant, atque refrigerant, consequenter quicquid in nobis pulchrum fuit ignis ardore consumptum est, de quo Dominus dicit in Euan-
Lucæ 10. gelio: Videbam sathanam, quasi fulgur è cælo cadentem.

IDEM explicans illa verba; Et timuerũt 32
nautæ, & miserunt vasa quæ erant in naui in
In c. 1. Ione. mare, vt alleuiaretur ab eis, inquit: Arbitrantur nauem solito onere prægrauari, & non intelligunt, totum pondus esse fugitiui prophetæ. Infra: Et Ionas descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. Conscius erat fugę, & peccati, quo Domini præcepta neglexerat, & tempestatem ignorantibus ceteris contra se sæuire cernebat, ideo descendit ad interiora nauis, & tristis absc̃oditur, ne quasi Dei vindices fluctus aduersum se videret intumescere. Quod autem dormit non securitatis est, sed mœroris. Præterea somnus prophetæ, & grauissimus sopor hominem significat erroris sopore torpentem, cui non sufficerat fugisse a facie Dei, nisi quadam vecordia mẽs illius obruta ignoraret iracundiam Dei, & quasi securus dormiret, & profundissimum somnum ronchanare sonaret.

IDEM explicans illa verba; Et accuba- 33
bunt in medio eius greges, omnes bestiæ gen-
In ca. 2. Sophoniæ. tium: & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in fenestra, coruus in super liminari, quoniam attenuabo robur eius. Hæc est ciuitas glorioſa, quæ dicebat in corde suo, ego sum, & extra me non est alia amplius. quomodo facta est in desertum cubile bestiæ? omnis qui transit per eam, sibilabit, & mouebit manũ suam, sic habet; Hoc in his, qui auditores sunt legis, & non factores intelligi potest, qui frustra speciosos se esse iactent, cum habitẽt in eis greges vitiorum, scilicet multitudo, & bruta animalia corpori seruientia, & omnes bestiæ terræ, quæ corda eorum comedunt, & camaleontes, qui non habẽt vnum colorem, sed diuersis peccatis, nũc auaritia, nunc luxuria, nunc crudelitate, nunc libidine, nunc tristitia, nunc exultatione per momenta mutantur. Et èritij in præsepibus eorum, animal spinosum, & plenum sentibus, & vulnerans quicquid contigerit. Sed & bestiæ cubabunt in foraminibus, ideſt in cordibus eorum, & corui, immundę aues, in portis eorum, vel in aure, vel in ore, quo aut loquantur semper, aut audiãt mala. Omnis qui transibit per eam, sibilabit, & mouebit manus suas. Quòd si de angelis intellexerimus, ita interprerabimur. Cum transierint per eam angeli, & non transierint in ea, vt prius facere consueuerãt, stupebunt, & mirabuntur, & non eam fulcient, & sustentabunt ruentem manu sua, sed leuabunt manus, & pertransient. Vel certe, cum sibilo attollent manus, & quasi plangentes in morem lugentium concrepabunt. Si autem de diabolo intelligamus, dicemus per animam, de qua Christus recesserit, & quę prius templum Dei fuerat, & esse desinit, transire serpentem, & sibilare in ea, & venena suæ malitiæ euomere.

AVGVSTINVS; Hæc iussisti Domine, 34

Lib. 1. Confes. c. 12. to. 1

& sic est, vt pœna sua sibi omnis inordinatus animus sit.

35
In Psal. 16. to. 8.

IDEM explicans verba illa; De absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Non solum peccantes pœna consequetur visibilis, de qua dixi, Domine a paucis diuide eos in vita eorum, sed etiam de peccatis, quæ tanquam tenebræ absconduntur a lumine veritatis tuæ, adimpleta est memoria eorum, vt obliuiscantur Deum. Saturati sunt porcina (vel filijs, vt nostra lectio habet) saturati sunt immunditia conculcantes margaritas sermonum Dei.

36
In Psal. 37.

IDEM exponens verba illa; Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. In his verbis malum peccati, ait, exprimit, & in sequentibus, dicens: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Habeat aliquis sanum olfactum animæ, sentit quomodo puteant peccata. Cui putori peccatorum contrarius erat odor ille, de quo dicit Apostolus: Bonus odor Christi sumus Deo in omni loco, his qui salui fiunt. Sed nisi ad nos oleant mala nostra nunquam istis gemitibus confitemur, Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ.

2. Cor. 2.

37
In Psal. 39.

IDEM exponens verba illa; Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem, dicit. Est aliquid quod videamus, quid reprimit, vt non videamus? Nonne iniquitas oculum tuum, ne istam lucem videre posses premebat? Fortasis humor irruês premebat, fortasse fumus, puluis, aliquid iniectum, eleuare oculum saucium non poteras ad istam lucem. Quid ergo? Cor saucium leuabis ad Dominum? Nonne prius sanandum est, vt videas? Grauatur oculus multis peccatis. Quid enim ait? Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui, vt viderem. Remoueantur ergo iniquitates, dimittantur peccata, leuetur pondus ab oculo, sanetur quod saucium est, adhibeatur mordax præceptum, quasi collyrium.

38
In lib. soliloquiorum. to. 9.

IDEM sic habet; Nunc igitur toties nihil factus sum, quoties a te separatus sum, quia bonum quod tu es, oblitus sum, & ideo malus effectus sum. Væ mihi misero, vt quid hoc non cognoscebam, quia te deserens, nihil fiebam? Si ergo nihil fui, cum sine te fui, quasi nihil fui, & quasi idolum quod nihil est, quod quidem aures habet, & non audit, nares habet, & non odorat, oculos habet, & non videt, os habet, & non loquitur, manus habet, & non palpat, pedes habet, & non ambulat, & omnia lineamenta habet membrorum sine sensu eorum. Cum igitur fui sine te, non fui, sed nihil fui, & ideo cæcus eram, surdus, & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malũ fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebã, nec tenebras meas videbam, quia eram sine te vera luce, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum. Væ mihi, vulnerauerunt me, & non dolui, traxerunt me, & non sensi, quia nihil erã, quia sine vita eram. Ideo Domine lux mea, inimici mei fecerunt quæcumque voluerunt, percusserunt, nudauerunt, polluerunt, corruperunt, vulnerauerunt, & occiderunt me. Inimici mei Domine considerauerunt me, & videntes me sine te, despexerunt me. Diuiserunt sibi vestimenta mea virtutum, quibus ornaueras me, sub pedibus suis conculcauerunt me, fœcibus peccatorum polluerũt templum sanctum tuum, posuerunt me desolatum, & mœrore confectum. Ibam post eos cæcus, & nudus, & illaqueatus, funibus peccatorũ trahebant me post se in circuitu de vitio in vitium, & de luto in lutum, & ibam sine fortitudine ante faciem subsequentis. Seruus eram, seruitutem amabam. Cæcus eram, cæcitatem desiderabam, Vinctus eram, & vincula non horrebam. Amarum dulce, & dulce amarum credebam. Miser eram, nec cognoscebam, & hoc quia sine verbo eram, sine quo factum est nihil, per quod omnia conseruantur, sine quo omnia anihilantur. Infra: Heu miseria super miseriam, cum misera anima mea a te refugit, cum quo semper abundat, & gaudet, & sequitur mundum, cum quo semper eget, & dolet. Mundus clamat, deficio, tu Domine clamas, re ficio, & miseria mea praua magis sequitur deficientem, quàm reficientem.

39
Lib. 11. Moral. cap. 15. to. 2.

GREGORIVS explicans verba illa Iob 13. cap. Quare lacero carnes meas dentibus meis, dicit. Dentes in sacra scriptura aliquando sancti prædicatores, aliquando vero inimici accipi sensus solent, vt Hieremias propheta testatur, dicens: Fregit ad numerum dentes meos. Per dẽtes etenim cibus frangitur, vt gluttiatur. Vnde non immerito in dentibus internos sensus accipimus, qui singula quæ cogitãt quasi mandunt, & comminuunt, atque ad ventrem memoriæ transmittunt. Quos Propheta ad numerum fractos dicit, quia iuxta mensuram vniuscuiusque peccati intelligentiæ cæcitas generatur in sensibus, & secundum quod quisque egit exterius, in eo obstupescit, quod de internis, atque inuisibilibus intelligere potuit. Vnde etiam recte scriptum est: Omnis homo quicunq; comederit vuam acerbam obstupescent dentes eius. Quid namque vua acerba, nisi peccatum est? Vua quippe acerba est, fructus ante tempus. Quisquis enim præsentis vitæ delectationibus satiari desiderat, quasi fructus ante tempus comedere festinat. Qui igitur vuam acerbam comedit, dentes eius obstupescunt, quia qui præsentis mundi delectatione pascitur, interni eius sensus ligantur, vt iam spiritualia mandere, id est, intelligere nequeant: quia vnde in exterioribus delectati sunt, inde in intimis obstupescunt, & dum peccato anima pascitur, panem iustitiæ edere non valet, quoniam ligati dentes ex peccati consuetudine iustum, quod intus sapit, edere nequaquam possunt.

Threm. 3.

Ezec. 18. & Hiere. 31.

40
In serm. Rogationũ de tribus panibus.

BERNARDVS sic habet; Ego quidẽ amicũ venientẽ ad me, aliũ intelligo, quàm meipsum. Ad me ergo de via venit amicus cum transitoria deserẽs ad cor redeo, sicut scriptum est: Redite præuaricatores ad cor. Deinde tunc vere sibi quisque amicus est, cum de via redit quoniam qui diligit iniquitatem, odit animã suam. A die itaque conuersionis meæ, de via ad me venit amicus. Venit de regione lõginqua, vbi pascere porcos, & ipsorum siliquas insatiabiliter esurire solebat. Venit fame laborans, confectus inedia, attenuatus ieiunio. Venit necesse habens inuenire amicum, sed heu me pauperem elegit hospitem, & vacuum ingreditur habitaculũ. Quid faciam huic amico misero & miserabili? Omnino enim nõ habeo, quod ponam ante illum. Fateor amicus est, sed ego mendicus. Quid venisti ad me amice in necessitate tanta? Non sum medicus, & in domo mea non est panis. Sed clama, fuscita amicum tuum, qui potens est, & diues, vt commodet tibi tres panes, charitatis, veritatis, & fortitudinis. His tribus egere me fateor. Deficit quippe ratio mea præ ignorantia veritatis, languet & voluntas præ inedia affectionis, infirmatur caro præ inopia fortitudinis. Nam & ratio minus intelligit quæ agenda sunt, & voluntas minus diligit intellecta, & ad hæc etiam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, vt non quęcumque volumus illa faciamus. Aruit cor meum etiam & corpus meum, quia oblitus sum comedere panem meum. Neque enim paterer hunc defectum, si iugiter exercitata esset ratio in inquisitione veritatis, voluntas in desiderio charitatis, caro in operatione virtutis. Commoda ergo amice mihi tres panes, vt intelligam, vt diligam, vt faciam voluntatem tuam.

Isa. 46.

Psal. 10.

41
Serm. 15. in Psal. Qui habitat.

IDEM ait: Graue onus iniquitas sedens super talentum plumbi. Sub hac gemebat sarcina, qui dicebat: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Psal. 37.

42
In serm. de Cantico Ezechiæ regis.

IDEM exponens verba illa; Domine vim patior, dicit: Domine non sponte, sed inuitus retrahor, & arceor a tui contemplatione. Peccata mea hoc faciunt, nec est culpa naturæ, sed meæ pessimæ consuetudinis. Respondе nihilominus pro me, sanguine tuo delens peccata mea. Nam quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim. Ad quem me videlicet alium vertam, aut quis alius respondebit pro me, cum ipse non alius hanc mihi difficultatem, immo quasi quandam impossibilitatẽ fecerim, hoc est, quod patior peccãdo meruerim. Quamobrem vnum est quod facere possum, recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Nempe non sum dignus vt valeam te recogitare cum dulcedine, faciã quod possum cogitabo meipsum in amaritudine animæ meæ. Recogitabo autem tibi, quia tibi soli peccaui. Infra: Neq; mors laudabit te. Hi vtique, qui necdum conuersi sunt, lætantur potius cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. A mortuo quippe, quasi qui non sit, perit confessio.

Prou. 2.

Eccli. 17.

43
Serm. 81. in Cantica.

IDEM inquit: Interueniente peccato patitur homo quandam vim, sed a voluntate non a natura, vt ne sic quidem ingenita libertate priuetur. Peccato enim factum est, vt corpus quod corrumpitur, aggrauet animam, sed amore non mole. Nam quod surgere anima iam per se non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato, ac vitioso amore languescens & iacens, amorem pariter iustitiæ non admittit. Ita nescio quo prauo, & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato in deterius mutata necessitatem facit, vt nec necessitas cum voluntaria sit excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. Est vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens, vnde se se rea voluntas nec excutere iam per se, nec excusare; tamen vllatenus de ratione queat. Inde querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis huius. Domine, inquit, vim patior, respondе pro me. Sed rursus sciens, quod non iuste causaretur aduersus Deum, cum voluntas propria in causa foret intulit: Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerim? Premebatur iugo non alio tamen quam voluntariæ cuiusdam seruitutis, & erat pro seruitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis, Voluntas enim est, quæ se cum esset libera, seruam fecit peccati, peccato assentiendo, voluntas nihilominus est, quæ se sub peccato tenet voluntarie seruiendo. Quia qui facit peccatum, seruus est peccati. Anima miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam, ac male libera necessitate, & ancilla tenetur & libera, ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem. Miser ego homo, quis me liberabit a calumnia huius pudendæ seruitutis? Miser, sed liber. Liber, quia homo, miser, quia seruus. Liber, quia similis Deo, miser, quia contrarius Deo. O custos hominum, quare me posuisti contrarium tibi? Posuisti, cum non prohibuisti. Alioquin ipse me posui, & factus sum mihimetipsi grauis. Iustissimè quidem, vt hostis tuus, hostis sit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi, ego qui tibi, etiam mihiipsi contrarius sum. Quis me liberabit de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis, & iniqui? De re hac plura dicenda erunt in in capitibus sequentibus potissime cap. 13. & 19.

Ioan. 8.

Iob 7.

Peccata condonata iterum patrare, & ipsis assuescere, neq; illa statim detestari multa habet inconuenientia, quæ sancti explicant in reincidentia, & obduratione. Cap. VII.

1 ORIGENES ait: In lege præcipitur, ne liceat Hebræum puerũ, si forte in seruitutẽ deuenerit, amplius quã sex annis seruire, septimo vero anno dimitti eum lex liberum iubet. Si Christianus es, & in peccatum decidisti, sufficiat tibi sex annis seruitus, in septimo anno obserua ne seruias, sed festina ad libertatem tuam. Septenarius numerus legem significat mandatorum. Senarius numerus mundi huius tenet figuram. Donec ergo, quæ huius mundi sunt sapis, necesse est te seruire peccato. Cum vero ad septenarium numerum, ideſt ad legis scientiam veneris, tunc require libertatem tuam, & redi ad nobilitatem paternam, ne si permanseris in malis tuis, & perseueraueris in peccatis defixa in aure nota, velut qui commonentis te Dei, & ad libertatem pristinam reuocantis verba nõ audias, eris peccati seruus in æternum. Si ergo in hac vita nemo esse vult seruus, sed quantum fieri potest & liber esse, & diues, & nobilis cupit, in illis æternis rebus ac nullo fine mutandis tolerabimus seruitutem. Emendationi ergo nunc operam demus, vt ex actibus & conuersatione nostra, ac moribus nobilitari mereamur, & spiritũ accipiamus adoptionis.

Hom. 19. in ca. 9. Iosue. to. 1.

2 IDEM sic habet; Si laueris te nitro, & multiplicaueris tibi herbam borith (siue poam, vt legit Origenes) maculata es in conspectu meo in iniquitatibus tuis, dicit Dominus. Et quomodo sunt quædam vulnera, quæ malagmatibus, & oleo, & alligaturis redduntur pristinæ sanitati, alia vero sunt istiusmodi, de quibus dicatur, non est malagma imponere, nec oleum, nec alligaturas, sed terra vestra deserta, ciuitates vestræ igne exustæ. Sic sunt quædã peccata quæ animã sordidant, & indigent homine, qui habeat poam, nitriq. sermonem, alia vero talia sunt, vt nõ possint supradicti sermonis virtute curari, neq; enim sordibus cõparantur, idcirco sciens differentias peccatorũ, per Isaiã Dominus dicit: Lauabit Dominus sordes filiorũ, & filiarũ Sion in sanguine. Emundabit de medio eorum in spiritu iudicij, & spiritu combustionis sordes, & sanguinẽ. Sordes spiritu iudicij, & sanguinẽ spiritu cõbustionis. Si peccasti, & peccatorũ sorde pollutus es, lauabit Dñs sordes filiorũ & filiarũ Sion, & sãguinẽ emũdabit de medio eorum, spiritu cõbustionis & pœnæ. Forsitã & Iesus baptizat Spiritu sancto, & igne. Non quia eundẽ in Spiritu sancto, & igne baptizet, sed quo sanctus baptizetur Spiritu sancto, & is qui post fidem & magisteriũ Dei, rursum ad scelera cõuersus est, cruciatu purgetur incendij. Beatus, qui lauacrũ accepit Spiritus sancti, & ignis lauacro non indiget. Miserabilis autem, & omni fletu dignus, qui post lauacrum spiritus baptizandus est igni vtrumq; si quidem habet baptisma Iesu. Exijt namq; virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Virga peccatoribus, flos iustis. Deus ignis peccatoribus, lux iustis. Et beatus qui habet partem in resurrectione prima. Si quis seruauerit lauacrum, in resurrectione prima habebit partem. Si quis vero in secunda resurrectione seruatur, iste peccator est, qui ignis indiget baptismo, qui combustione purgatur, vt eius peccata ignis consumat.

Hom. 13. in cap. 2. Hier. to. 2. *Hier. 2.*

3 IDEM exponens verba illa; Homo homo de domo Israel, qui posuerit cogitationes suas in corde suo, & pœnam suã ante faciem suam, & venerit ad prophetam, ego Dominus respõdebo ei in his, quibus detinetur mens eius, dicit: Ego respondebo ei, in quibus detinetur mens eius, vt ista videlicet curem, in quibus mens eius detinetur, vt nõ faciat declinare domum Israel. Et obfirmabo faciem meã in hominẽ illum. Considera quomodo in principio spoponderit clementer se respõsurum, ac deinde quomodo si rursus venerit, necdum curatus prioribus verbis, obfirmabo dixit faciẽ meam super hominem illum. Et ponam illum in desertum. Si enim non obedierit sermonibus cõmonitionis, sed in delicto perseuerauerit, ponã eum in desertum, & in exterminium, & tollam eum de medio populi mei, vt eradicetur ab eo & tradatur sathanæ.

Homil. 3. in c. 14. Ezech.

4 IDEM explicans hęc verba; Hæc dicit Adonai Dominus, si autem quattuor vindictas meas pessimas romphæam, & famẽ, & bestias pessimas, & mortẽ, seu pestem, immisero, ait: Quo? non super terrã, sed super Hierusalem. Terra enim si puniatur, sufficit ei vna correptio, si autem corripiatur Hierusalem, super quam inuocatũ est nomen Dei, quattuor ei cruciatus pariter inferuntur. Multo nobis vtilius fuerat diuino nõ credidisse sermoni, quàm post credulitatem adhuc rursum ad peccata cõuerti, quæ ante cõmisimus. Considera enim quomodo scriptura super terram sigillatim suppliciа dicat inferri, quando vero ad Hierusalem veniat, si autẽ & quattuor vindictas meas pessimas romphæam, & famem, & bestias pessimas, & mortem immisero in Hierusalem, nos indicans Hierusalem, qui peccantes quidem nos Hierusalem sumus, quæ destruitur, in præceptis vero permanentes Hierusalem dicimur quæ saluatur. Omnes lamentationes, quas legimus in Hierusalem, omnes querimoniæ, quibus eam plangit Deus, ad nos pertinent, qui gustauimus sermonem Dei, & postea mãdatis eius contraria fecimus. In his ergo quattuor supplicijs eorum peccata replicat, qui post receptam gratiam peccauerunt.

Hom. 44. in c. 12. Matth. to. 2. *Luc. 11.*

5 +CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Cum immundus spiritus exierit ab homine, &c. & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & ingressi habitant ibi, & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus, inquit: Hæc verba non ad illos solum, verũmetiã ad nosipsos dicta esse credamus. Nam si diuina luce illuminati, & a prima delictorũ miseria erepti rursus ad eandem malignitatem reuertimur, grauior punitio nos profecto expectabit. Ideo Christus quo[illegible]ralyticũ admonebat, dicens: Iam sanus [illegible]s es, noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid cõtingat. Vnde ad Hierusalem per Ezechielẽ Dominus dicit: Vidi enim te, ait, pollutam sanguine tuo, & ablui, atq; vnxi, & factum est tibi nomen in pulchritudine tua, & fornicata es cũ finitimis tuis, ideo grauiora nunc illi peccanti minatur. Qua ex re non supplicia tantummodo, verum etiam infinitam Dei longanimitatẽ, atq; misericordiã admirari debemus. Quoties enim ad eadẽ peccata lapsi sumus, & vsq; adhuc in clementia & misericordia sua perseuerat. Non tñ propter misericordiam suam nobis cõfidendũ est, magis quàm pertimescendũ. Nam etsi Pharao confestim prima percussione fuisset admonitus, neq; posteriores plagas habuisset, neque tandẽ cũ eo tãtus exercitus demersus perijsset.

Ioan. 5. *Ezec. 16.* *Exo. 7.*

6 IDEM dicit: Fleo non quòd paternarum rerũ sollicitudinẽ geras, sed quòd ex fraterno te deleueris numero, quòd negligẽdo calcaueris quicquid ante de pectore Christo spopõderas: propter ista formido nõ immerito. vt enim non obijcitur desertio militiæ nõ militanti, ita is qui semel esse cęperit miles, cũ deseruisse detegitur pœna dignus vltima iudicatur. Nõ est graue, Theodore charissime, cadere luctantẽ, sed iacere deiectũ, nõ est pernicioſum in prœlio vulnerari, sed post vulnus acceptũ desperatione curandi medelã vlceri denegare. Nullus se demergit, naue fluctibus semel mersa, ac totum onus perditũ desijt nauigare, sed rursus ad maria nuduſq. festinat, rursus immersa peruolat freta, & iterato felicius cursu, casus prioris damna compensat. Sæpe etiam athletas videmus post frequentes lapsus & deiectiones plurimas coronatos, militem quoque scimus post fugas multas virum fortem fuisse, & vicisse victores. Magnanimus esto, & vnde extuleras pedẽ reuoca. Neq; enim reprehenditur miles, cũ de prœlio reuertitur vulneratus, sed reprehensibile magis, ac semper turpe est arma deponere, & seruitutis iugum subire captiuum.

Epist. 6. ad Theod. monac. to. 5.

7 HIERONYMVS explicans verba illa; Quomodo facta est meretrix ciuitas fidelis, plena iudicij, iustitia requieuit in ea, nunc autem homicidę, inquit: Verba ista referri possunt ad animam sancti quondã viri, in qua prius Dei iustitia commorata est, si postea peccauerit, & pro hospite Deo homicidæ dęmones in ea fuerint commorati. Et argẽtum tuum versum est in scoriam. Quia iusti, & sancti viri, qui prius in vrbe versati sunt, postea in sordes versi sunt peccatorum. Et quia relinquere peccata nolunt, ait: Heu consolabor super hostibus meis, & vindicabor de inimicis meis.

Li. 1. in c. 1. Isaię to. 4.

8 IDEM exponens verba illa; Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere cum didiceritis malum, sic habet: Verba ista dicuntur aduersus eos, qui nimia cõsuetudine, & amore peccandi quodammodo peccatum in naturã conuertunt. Sed hoc quod hominibus impossibile est, Deo possibile est, vt nequaquam æthiops, & pardus suam videantur mutare naturam, sed ille, qui in æthiope operatur & pardo, dicente Apostolo: Omnia possum in eo, qui me cõfortat, Christo. Et disseminabo eos quasi stipulã, quæ vento raptatur in deserto. Quia nimia consuetudine malorũ non potuerunt mutare naturam, non vitio conditoris, sed studio inoliti sceleris, propterea quasi stipulam vẽto raptatã, dispergam eos in solitudine, iuxta illud, quod alibi scriptum est: Fiant tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ.

Philip. 4. *Psal. 1.*

9 IDEM exponens verba illa; Vt cõtereret sub pedibus suis omnes victos terræ, ait: Nõ plangit eos, qui peccare cœperãt, statimq. desierant. Non est enim iustus super terram, qui faciat bonum, & aliquando non peccet, sed qui longo funiculo peccata protraxerant. Vnde & in Numeris legimus vacam ruffam, cuius cinis expiatio est populi, non aliter immolari, & offerri ad altare Domini, nisi quę terrena opera non fecerit, iugumq. non traxerit, nec vinculis iugi Nabuchodonosor fuerit alligata. Et in Isaia propheta: Pro cingulo veritatis, filiæ Sion cinguntur funiculo. Achitofel quoque, & Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderunt, fune longissimo trahentes peccata sua periere suspendio.

Li. 2. in c. 3. lamẽ. Hier. *Eccls. 7.* *Num. 19.* *Isa. 3.* *2. Reg. 17* *Matt. 27.*

10 IDEM exponens illa verba; Ego sum Dominus Deus tuus, qui reddo peccata patrum super filios super tertiam, & quartam generationẽ his, qui oderunt me, dicit: Sunt qui hanc sententiam ad animam humanam referant, patrem in nobis, leuem punctum sensuũ & incentiua vitiorum esse dicentes, filium vero, si cogitatio peccatum conceperit, nepotes, si quod cogitaueris, atque conceperis opere perpetraueris, pronepotem autem, hoc est quartam generationem, si non solum feceris quod malum est, & scelestum, sed in tuis sceleribus glorieris, secundum illud, quod scriptum est: Impius cum in profundum venerit malorum, contemnit. Cham peccauit irridens nuditatem patris, & sentẽtiam filius eius suscepit Chanaan, vt intelligas peccata in ramis, non in radice puniri.

Lib. 6. in c. 18. Ezech. *Exo. 20.* *Gen. 9.*

11 IDEM explicans verba illa; Verumtamẽ vnusquisque non iudicet, & non arguatur vir, populus enim tuus sicut hi, qui contradicunt sacerdoti, & corrues hodie, & corruet etiam propheta tecum, inquit: In his verbis prouocantur ad iudicium Dei filij Israel, qui habitabant in terra, vt causas Dominicæ indignationis audirent, & pręterita peccata cognoscerent, propter quæ hostibus traderentur. Nunc quia in sceleribus perseuerant, & impudenti Deũ fronte contemnunt, audiunt. Non necesse est, vt veniatis ad iudicium, vt in vestris flagitijs arguamini, quia tantæ estis impudentiæ, vt nec conuicti quidem pudorem habeatis, & verecun-

Li. 1. in c. 4. Osee. to. 5.

verecundiam, sed contradicatis mihi, quasi si discipulus magistro, sacerdoti plebecula contradicat. Et quia tales estis, ideo hodie corruetis, idest ducemini in captiuitatem, & perdetis regnum Israel. Hodie significat vel præsens tempus, vel quod clara luce ducentur.

12 IDEM explicans verba illa; Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non cõuertam eum, sic habet: Iuxta tropologiam hoc possumus dicere, primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt, secundum cogitationibus acquieuisse peruersis, tertium quod mẽte decreueris opere complesse, quartum post peccatum non agere pœnitentiam, & in suo sibi complacere delicto.

Li.1.in c.1. Amos.

13 IDEM explicans verba illa; Virgo Israel cecidit, non adijciet, vt resurgat, dicit: Leuare planctum super Israel iubet Dominus prophetæ, super Israel, qui Dominum mente cernebat, & postea ei seruire desiuit, secundum illud, quod Ezechieli præcipitur, vt deuoret librum, in quo intus & foris scriptum erat lamentationes, & carmen, & væ. Scriptus est plãctus super eos, qui post peccatum agunt pœnitentiam, carmen super illos, qui nulla peccatorum sorde maculati, cantico & laude sunt digni, væ super eos, qui non agunt pœnitentiam, sed iuxta duritiam cordis sui thesaurizãt sibi iram in die iræ. Septuaginta verterunt, Israel cecidit, non adijciet amplius, vt resurgat. Quod sic intelligi debet, quòd postquam domus Israel sua voluntate corruerit, nequaquam pristinam recipiet dignitatem, postquã virgo Israel errauerit in terra sua, vltra inuenire non poterit suscitantem. Et considera verborum proprietates. Qui domus est, & numeratur in turba, cadere dicitur. Qui autem de numero virginum si errauerit, ob leue quoque peccatum non poterit suscitari, non quo non suscitetur, sed nequaquam suscitetur virgo Israel, & nequaquã resurgat domus Israel. Non est enim eadem gloria eius, qui semper secutus est Dominum, & eius qui aberrauerit a grege, & postea boni pastoris reportatus est humeris. Hæc dicimus, non quo iuxta Nouatum tollamus spem pœnitentiæ, sed quo timidiores faciamus eos, & idcirco sollicitos, qui aperta ianua pœnitentiæ, dum sperant futura, perdunt præsentia, & qui absque vulnere poterant permanere incauti, vulnus accipiunt, vt postea dolore crucientur. Infra: Quærite bonum, & non malum, vt viuatis, & erit Dominus Deus exercituum vobiscum. Odite malum, & diligite bonum. Grande peccatum est non solum facere malum, sed & diligere. Multi peccant, & expleto voluptatis ardore mordentur cõscientia sua, & pœnitet eos peccati sui. Qui autem non solum non dolet se feciſſe, quod malum est, sed in suo scelere gloriatur, iste implet illud quod scriptũ est: Peccator cum venerit in profundum impietatis contemnit.

Li.3.in c.2. Amos.

Ezec. 2.

Prou. 18.

14 In prologo in Ionã prophetam.

IDEM ait; Quod dixerat Tobias ad filiũ suum: Tolle filios tuos, & vade in Madian, scio enim quæ locutus est Ionas propheta de Niniue, quoniam subuertetur. Et reuera quantum ad historias tam Hebræas, quàm Græcas pertinet, & maxime Herodotum legimus Niniuẽ regnante apud Hebræos, Iosia, & Astyage rege Medorum fuisse subuersam. Ex quo intelligimus primo tempore ad Ionæ prædicationem acta pœnitentia Niniuitas veniam cõsecutos, postea vero in pristinis vitijs perseuerantes, Dei in se prouocasse sententiam.

15 Li.2.in c.7. Michæ.

IDEM exponens illa verba; Iram Domini portabo, quoniam peccaui ei, donec iustificet causam meam, sic habet: Hæc verba dicta sunt de pœnitentibus. Ceterum multo melius est non habere vulnera, & medico non egere. Curatio non beatitudo sanatorum est, sed solatium post dolorem. Igitur qui curatus est, caueat ne iterum peccet, & rursum ei aliquid deterius fiat. Legimus in Leuitico: In vibice & cicatrice combusturæ lepram solere generari, & mutare colorem pili, & ad priorem deformationem cicatricis, nouellam accedere fœditatem. Hoc propterea ne quis securus de pœnitentia, eo quod post peccatum possit dicere: iram Dei sustinebo, quoniam peccaui ei, donec iustificet causam meam peccet, & cauterio indigeat, & sanatus iterum vulneretur.

16 In c.20.Iob to.5.

IDEM explicans verba illa; Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient, inquit: Hoc ait quod a iuuentute sua, ex quo grauiora peccata committere cœperit, in ijsdem peccatis suis vsque in senectam permanserit, pro quibus nunquam voluerit pœnitere. Siue ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ, &c. Si quæ igitur virtutes sunt animi in impio homine naturales, ab adolescentia eius vitijs inolescunt, & resoluuntur ac defluunt, vt nihil in eis solidum, & forte maneat, & ideo in carnis eius puluere dormiant, quia repugnantibus vitijs atque vincentibus rigorem bonæ suæ naturæ amittent.

17 In c.38.Iob

IDEM exponẽs verba illa; De cuius vtero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit? in similitudinem lapidis aquæ durantur & superficies abysi constringitur, dicit: Non probabiliter glaciem egressam de ore Dei intelligere debemus, sed de illo mentis suæ secreto, & inscrutabili iudicio iustam ac districtam manasse sententiam. Egredi ergo glaciem dixit pro egrediente iudicio, quo secundum suum meritum quidam hominum percutiuntur plaga obdurationis, & corda eorum durissimo, atque insolubili quodam gelu, & frigidissimo constringuntur, vt non sentiant feruentis diuinæ charitatis calorem. De illis etiam, qui nimio obliuionis Dei frigore obriguerunt, & instar lapidum solidi, & nimium duri effecti sunt, sicut Pharao, & pharisæi dicitur. In similitudinem lapidis aquę durantur, & superficies abysi constringitur. In abyssо profundissimam obscuritatem mẽtis puto intelligendam, vt cõstringatur quodam gelu impietatis, vt saxo similis fiat, ita vt tali mente, non

non sit ad Deum vllus aditus respirandi, secundum illud, quòd Apostolus de Iudæis testimonium propheticum assumens locutus est, dicens: Dedit illis Deus spiritum compunctionis, oculos, vt non videant, & aures, vt non audiant vsque in hodiernum diem.

Rom. 11.

18 In capi. 14. Marci to.9.

IDEM exponens illa verba; Omnes vos scandalum patiemini, ait; Vno verbo omnes cadunt, sed non omnes iacent. Nunquid qui dormit non adijciet, vt resurgat? carnale est cadere, sed diabolicum iacere.

19 Lib.2.in ca.4.epi.ad Ephẽos.

IDEM explicans verba illa; Qui desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis in auaritia, inquit: Vtinam peccasse sufficeret, & vel sero agerent pœnitudinem, damnarentq. vitia in quibus iugiter inhiarunt, esset remedium resipiscere post errorem. Nunc vero desperãtes, & se in ritum irrationabilium bestiarum cęno, voraginiq. mergentes tradiderunt impudicitiæ operantes quicquid corpus voluit, mens desiderauit, libido suggessit. Et cum nihil omnino prætermiserint, quod immundum sit, hoc totum fecere in auaritia, dum nunquam luxuriando satiantur, nec terminum habet eorum voluptas. Quòd autem ait, qui desperantes, lectio Græca habet indolentes, siue indolorios. Hi sunt, qui postquam peccauerint non dolent, qui nequaquam sentientes ruinam suã feruntur in pronum, vt bestiæ. Pone mihi duos in vno vitio deprehensos, alterum, qui intelligat, plãgatq, quod fecit, alterum, qui delectetur in scelere, & non solum non doleat, sed in illo glorietur, & putet se quandam turpitudinem palmam, & victoriam consecutum, non ne tibi videtur ille dolere, & hic penitus non dolere? Infra: Deponite vos secundum priorem conuersationem veterem hominem, qui corrumpitur iuxta desideria erroris. Veterem hominem, quem præcipit deponendum, inueteratum à malitia arbitror appellari. Iste enim secundum priorem conuersationem, & desideria erroris semper errans, & in opere corruptionis helluans, corrumpitur, atque violatur. Et quia in desiderijs indesinenter versatur erroris, & nunquam cessat à vitio nequaquam corruptus dicitur, sed corrumpi, quod per singulos dies, horas, puncta, atque momenta corrumpitur, & violatur.

20 In ca.7.epi. Pauli ad Romanos to.3.

AMBROSIVS exponens illa verba; Nã velle adiacet mihi, perficere autem bonum nõ inuenio. Tam bona asserit, quæ iubet lex, vt naturaliter sibi placere dicat, & velit facere. Perficere autem bonum non inuenio. Et placet ergo quod a lege iubetur, & voluntas est faciendi, sed vt impleatur, potestas, & virtus deest, quia sic pressus est potestate peccati, vt non possit ire quo vult, neque valeat contradicere, quia potestatis eius alter est dominus. Homo enim iam consuetudine peccandi grauatur, & facilius succumbit peccato, quàm legi, quam scit bona docere, ac si velit bona facere, premit illum consuetudo adiutore inimico. Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod odi malum illud ago. Hoc est quod supra dictum est, quia vt captiuus per supra dictas causas illud cogitur facere, quod vult peccatum. Si autem quod nolo, hoc facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Hoc est quod iam supra memorauit, quia pressus, & subiugatus peccato, non suam, sed illius perficit voluntatem. Nunquid quia inuitum hominem dicit peccare, immunis debet videri a crimine, quia hoc agit, quod non vult pressus vi potestatis? Non vtique; ipsius enim vitio, & desidia hæc cœpta sunt. Quia enim mancipauit se per assensum peccato, iure illius dominatur. Primum enim suadet, vt victo iam dominetur.

21 Lib.meditationũ. to.9.

AVGVSTINVS dicit: Loquens de reincidentia. Vulnera vulneribus inflixi, quia scelera sceleribus addere non timui. Recenti cicatrices labe respersi, quia prisca flagitia nouis iniquitatibus reciprocaui, & quæ diuina solidauerat medicina, mea resoluit prurigo phrenetica. Cutis quæ superducta vulneribus morbum celauerat, sanie erumpente putruit, quia iterata iniquitas concessam misericordiam exinaniuit. Noui quippe scriptũ, In quacumque hora iustus peccauerit, omnes iustitiæ eius obliuiscentur. Si iustitia aboletur iusti ruentis, quanto magis pœnitentia peccatoris in idipsum reuertentis? Quoties canis redij ad vomitum, & quasi sus repetij volutabrum?

Eze.3. & 18.

1.Pe.2.

22 Lib.26. Moraliũ.ca.24. to.2.

GREGORIVS explicans verba illa Iob cap. 36. Igitur saluabit te de ore angusto latissime, sic dicit; Omnis qui vitæ viam deserens in peccatorum se tenebras deijcit, semetipsum quasi in puteum, vel foueam mergit. Si vero diutina perpetratione, etiam consuetudine iniquitatis opprimitur, ne ad superiora iam possit exurgere, quasi angusti ore putei coarctatur. Vnde Dauid propheta sub specie peccantium exorat dicens: Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum, neque vrgeat super me puteus os suum. Quẽ enim mali operis iniquitas a bona stabilitate commouit, quasi tempestas aquæ rapuit, sed si adhuc longa consuetudine non præualuit, nõ demersit. Iam in puteum cecidit, qui hoc, quod diuina lex prohibet, perpetrauit. Sed si adhuc longa consuetudo non deprimit, nequaquam os suum puteus coangustauit. Tanto ergo facilius egreditur, quanto minori consuetudine coarctatur. Vnde Hieremias propheta dum Iudæam iniquitatibus longa consuetudine obrutam fuisse conspiceret, in lamentis suis sub eius specie semetipsum deplorat dicens: Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. In lacum quippe vita labitur, cum labe iniquitatis inquinatur. Lapis vero superponitur, cum etiam dura consuetudine mens in peccato deuoratur, vt etsi velit exurgere, iam vt cumque non possit, quia moles desuper malæ consuetudinis premit. Sed quia diuinę potentiæ subiacet, & post angustiam prauæ consuetudinis ad bonæ actionis amplitudinem

Psal.68.

Thren. 3.

tudinē reuocatur, idcirco dicitur: Saluabit te de ore angusto latissime. Latissime quippe de ore angusto saluatur, qui & post iniquitatis iugum ad libertatem boni operis pœnitendo reducitur. Quædam namque quasi conclusionis angustia est, ab opprimente mala consuetudine exurgere velle, nec posse iam quidem desiderio ad superna tendere, sed adhuc actu in infimis remanere, præire corde, nec tamen sequi opere, atque in semetipso contradictorem perpeti semetipsum. Cum vero ita tendens anima manu gratiæ exaltantis adiuuatur, ab angusto ore ad latitudinem peruenit, quia victis difficultatibus opera bona perficit, quæ concupiscit. Dauid propheta cōclusionem angusti oris
Psal. 30. conspexerat, cum dicebat: Saluam fecisti de necessitatibus animam meam, nec conclusisti me in manus inimici. Latissime autem saluatum se nouerat, cum subdidit, dicens: Statuisti in loco spatioso pedes meos. In spatioso quippe loco pedes stabiliti sunt, quando & ad congruentia bona tendimus, & nulla difficultate præpedimur, nec difficultatibus angustamur.
Infra: Et non habente fundamentum super se. Nam sicut qui in puteum mergitur, putei profundo retinetur, ita & corruens quasi in quodam fundi loco consisteret anima, si semel lapsa in aliqua se peccati mensura retineret. Sed cum peccato in quo labitur non potest esse cōtenta, dū quotidie ad deteriora deijcitur, quasi in puteo quo cecidit, fundum non inuenit, quo figatur. Esset enim fundus putei, si fuisset
Pron. 18. mensura peccati, & terminus peccandi, vnde bene alias dicitur: Peccator cum venerit in profundum malorum, contemnit. Redire namque dissimulat, quia misereri sibi posse desperat. Sed cum desperando amplius peccat, quasi puteo suo fundum subtrahit, ne vbi retineri possit inueniat.

24 In Psal. 3. pœnitentia lem. to. 2.

IDEM explicans verba illa; Quoniam iniquitates meę supergressę sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me, ait. Cum diabolicis anima subesse suasionibus cœperit, quanto se hosti callido crebrius subijcit, tanto eum sibi intolerabiliorem facit, vt ei iam in nullo resistere valeat, cui in vno sui oblita assensum præstat. Solerter itaque vigilandum est, vt cum pulsare mentem culpa inchoat, peractam culpam quis finis sequitur, attendat, ne si malæ suasionis blandimenta non perspiciat, in nequissimæ tenebras perpetrationis nescius ruat. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Super curatum vulnus cicatrix obducitur, dum signum præteritæ plagæ in resarcita cura monstratur. Quæ nimirū cicatrix necessario corrumpitur, si caro sanata iterum vulneratur. Sed quid per vulnus, nisi peccatum exprimitur? Quid vero per cicatricem, nisi pœnitentiæ actio designatur? Qui enim per pœnitentiæ lamenta peccatum corripit, quasi cicatricem vulneri superinducit. Quòd si dimissæ nequitiæ mentem iterum ad delectationē pertrahunt, superinductæ vulneri cicatrices putrescunt. Cicatrices namq; putrescere, est sanata iam peccatorum vulnera rursum in tentationem serpere, atq; de eorum iteratione delectationem sentire. Cicatrices computrescere est, ex peccatorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ, dolorem iterum culpæ in occulto cordis per putridas cogitationes perpeti, & tandem per opus miserum, quasi effuso fœtore corrumpi. Quare autem hoc sibi contigit, ostendit, cum ait: a facie insipientiæ meæ. Sicut summa prudentia est aliquem post acceptam pœnitentiam sollicitæ sibi circumspectionis studio in posterum prospicere, ita miserabilis insipientiæ est in istius vitæ ambiguo quasi accepta securitate dormire. Per insipientiam ergo vulnus iam sanatum computruit, quia dum per studium vigilantiæ mens ingrata sibi in posterum prouidere noluerit, miserabilius ea, quæ prius abdicauerat, mala committit.

25 Serm. 2. de Resurrectione Domini.

†BERNARDVS ait; Væ tibi quicumque es canis reuersus ad vomitum suum, & sus lota in volutabro luti. Non eos loquor tantum, qui corpore, sed etiam, eos qui corde redeunt in Ægyptum sęculi huius oblectamenta sectantes, qui charitatem non habentes, mortui sunt. Quis enim magis mortuus eo, qui fouet ignem in sinu, peccatum in conscientia, nec sentit, nec expauescit, nec excutit?

26 Serm. 3. in festo Apostol. Petri & Pauli.

IDEM sic habet; Eorum qui peccant antequam Deum nouerint, antequam miserationes eius experti sint, antequā portauerint iugum suaue, & onus leue, priusquam deuotionis gratiam, & consolationes acceperint Spiritus sancti, eorum inquam copiosa redemptio est, & tales omnes nos fuimus. At eorum, qui post conuersionem suam peccatis, & vitijs implicātur, ingrati acceptæ gratiæ, & post missam manum ad aratrum retro respiciunt tepidi, & carnales facti, aut post agnitam viam veritatis, retro eunt, eorum vtique perpaucos inuenies, qui post hæc redeant in gradum pristinum, sed magis in sordibus positi sordescant adhuc. Super quos propheta deplorat: Quomodo ob- *Threm. 4.*
scuratum est aurū, mutatus est color optimus, & qui nutriebantur in croceis amplexati sunt stercora? Nec tamen si quis huiusmodi est, desperamus de eo, tantum vt resurgere velit cito. Quanto enim diutius permanebit, tato euadet difficilius. Beatus enim qui tenebit; & alli- *Psal. 136.*
det paruulos Babylonis ad petram. Etenim si creuerint, vix poterunt superari. Filioli hæc dico, vt non peccetis, sed etsi quis peccauerit, ad uocatum habemus apud patrem, qui potest, quod nos minime possumus: tantum qui cecidit non adijciat in malum, vt profundius cadat, sed magis vt resurgat, confidens quod nec ei negabitur venia, si tamen ex corde confitea-
tur peccata sua.

27 Serm. 3. in Cantica cāticorum.

IDEM dicit; Non ante a pedibus Domini surgas, quàm audias: consurge, consurge captiua filia Sion, consurge, excutere de puluere. Si dixerit mihi Iesus, dimittuntur tibi peccata tua, nisi ego peccare desiero, quid proderit? Exui tunicam meam, si reinduero eam quantum

tum profeci? Si rursus pedes meos, quos laueram inquinauero, nunquid aliquid lauisse valebit? Sordens omni genere vitiorum iacui diu in luto fecis, sed erit sine dubio reincidenti, quàm iacenti deterius. Denique qui me
Ioan. 5. sanum fecit, ipsum mihi dixisse recordor: Ecce sanus factus es, vade, iā noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Qui autem dedit voluntatē pœnitendi, opus est, vt addat & continendi virtutem, ne iterum pœnitenda, faciamq; nouissima mea peiora prioribus. Væ enim mihi etiam pœnitenti, si statim subtraxerit manum Deus, sine qua nihil possum facere, nec pœnitere, nec continere. Fateor, non sum omnino contentus priori gratia, qua iam malorum sum pœnitens, nisi & secundam accepero, vt videlicet dignos faciam pœnitentiæ fructus, & deinceps non reuertar ad vomitum.

28 Lib. 1. de cō federatione ad Eugeniū Papam tertium.

IDEM dicit; Vulneri vetusto, & neglecto callus obducitur, & eo insanabile, quo insensibile fit. Denique dolor continuus, & acerbus, diuturnus esse non patitur. Nam si non aliunde extunditur, necesse est cedat vel sibi. Enimuero cito aut de remedio consolationem recipiet, aut de assiduitate stuporem. Quid nō inuertat consuetudo? Quid non assiduitate duretur? Quid non vsu cædat? Quantis quod
Iob 6. præ amaritudine prius exhorrebant, vsu ipso male in dulce conuersum est? Audi iustū quid lamentetur super huiuscemodi: Quę prius nolebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Primum tibi importabile videbitur aliquid, processu temporis, si assuescat, iudicabis non adeo graue, paulo post & leue senties, paulo post nec senties, paulo post etiam delectabit. Ita paulatim in cordis duritiam itur, & ex illa in auersionem. Hinc tibi timeo semper, ne dilato remedio dolorem non sustinens periculo te irreuocabiliter desperatus immergas. Solum est cor durū, quod semetipsum non exhorret, quia nec sentit. Et cor cito aut sanitatem debet habere, aut insensibilitatem, vt in Pharaone vidimus. Nemo autem duri cordis salutem vnquam adeptus est, nisi quem forte miserans Deus abstulit ab eo iuxta Prophetam cor lapideum, & dedit cor carneum.

Peccata, quæ varios habent gradus, in exordijs expedit euellere, paulatim ne vsu homini infirmo sint insuperabilia. Cap. VIII.

1 Rom. 5. in c. 5. Luit. tot.

DIXIMVS de re hac in cap. anteriori, sed quia hæc capita multum sunt inter se cōnexa addenda sunt hæc, & in primis.

ORIGENES ait; Qui domos habent in vicis, quibus non est murus, istas domos, si forte alicui lapsus accideri, semper est recuperandi facultas, vt verbi gratia, dicamus: Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit, quæ non est blasphemia fidei, quæ muro Ecclesiastici, & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est, vendidisse domum, quæ in agro est, vel in vico, cui murus nō est. Hæc ergo venditio huiusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis huiusmodi pœnitudinem gerere. In grauioribus raro pœnitet homo, etiam si semper possit, dum viuit. Quòd si sacerdotalis fuerit ista domus, vel leuitica, vbicumque fuerit, siue in ciuitate, siue in agro semper habet redemptionem. Sacerdos mens Deo consecrata dicitur, & Leuita dicitur is, qui indesinenter adsistit Deo, & voluntati eius ministrat. Perfectio ergo in intellectu, & opere, in fide, & actibus sacerdos, & Leuita accipiendus est. Huic itaque perfectæ menti, si acciderit aliquandō domum, quam habet non manufactam sed æternam in cælis, vendere, & in manus alterius dare, sicut contigit aliquando Dauid magno patriarchæ, cum de tecto suo Vriæ aspexit vxorem, statim eam redimit, statim reparat, statim enim dixit, peccaui. Qui ædificat supra fundamentum fidei lignum, fœnum, stipulam, vendit domum suam emptori pessimo, diabolo, a quo vnusquisque peccatum peccati præmium consequitur, satisfactionem desiderij sui. Hoc si forte incurrerit aliquis, quod absit, cito reparet, dum tempus est reparandi, ne æternæ domus habitatione fraudemur.

2 Hom. 3. in in Psal. 36. to. 2.

IDEM exponens verba illa; Gladium euaginauerunt peccatores, ait. Si mihi, qui fidelis dicor, certamen sit cum aliquo, & ad iracundiam prouocatus, abiecta mansuetudine proferam verba furiosa, & spiritum mendacijs, & tumidis, venenatisque sermonibus retegam, merito ego tamquam peccator euaginasse gladium dicor. Bonum igitur quidem primum est, ne habere quidem gladium peccati, secundum vero est saltem non eum euaginare, sed recondere in vagina. Si enim non proferatur gladius de vagina, neque exerceatur, acies eius obtunditur, & erugine consumitur, & si semper cesset ab opere, exterminabitur. Hoc enim Dominus etiam pollicetur, vt exterminet romphæam, id est, peccatum, ita vt vltra non sit peccator. Sed si quidem verbo Dei præuenimus hoc opus, & in hac vita positi faciamus in nobis, interire peccatum, vt nunquam omnino a nobis nec per cogitationem, neque per opus, neque per verbum peccati gladius proferatur, non indigebimus pœnæ ignis æterni, nec illis supplicijs, quæ peccatoribus imminent, subiacebimus.

3 Lib. 4. in c. 5. epistolæ ad Rom. to. 3.

IDEM dicit; Non puto, quod otiosa sit apud Paulum varietas ista verborum, quod aliquando infirmos, aliquando impios, aliquando peccatores nominat, pro quibus Chri-

stum

stum mortuum dicit. Per hæc namque nomina omne peccati colligitur genus. Aut enim ignorans Deum quis, & volens seruare mandata, vincitur fragilitate carnis, & illecebris præsentis vitæ decipitur, & infirmus appellatur: aut sciens, volensq. contemnit mandatum, & odit disciplinam Dei, proijcit sermones eius post se, & peccator nominatur. Quòd si interdum etiam hi qui sub lege sunt, & Deum colere videntur, impij in scripturis diuinis nominantur, idcirco quòd relinquentes Deum patrum suorum, deos gentium colunt.

4 IDEM explicans illa verba psalmi 136. Beatus qui tenebit, & allidet paruulos suos ad petram, dicit. Iusti ex hostibus, & vitijs prodeuntem capturam, hoc est, omnes quos vitios cęperint, deperdent, vt ne infans quidem, id est, recens obortum aliquod malum reliquũ fiat. Paruuli enim Babylonis, qui confusio interpretatur, nuper enati, & pullulantes in anima sunt cogitatus quidam confusiores a vitijs prodeuntes, quos qui ita tenuerit, atque peruicerit, vt diuinæ doctrinæ firmitate istorum capita conterat, profecto petræ illisurus est Babyloniæ paruulos, vt inde beatior demum euadat.

Lib. 7. contra Celsũ. no. 4.

5 BASILIVS explicans verba illa; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, inquit. Tria nobis digna obseruatione proponit, ne quando abierimus in consilio impiorum, non consistendum in via peccatorum, non sedendum in cathedra pestilentiæ. Rerum naturam secutus hunc dictis ordinem imposuit. Primum enim consilium inimus, deinde consilium firmamus; postremo in his quę consulimus, permanemus. Beatus igitur qui nullam in animum induxit de Deo ambiguitatem, nullum incentiuum habuit luxuriæ, qui circa præsentia non est lapsus in pusillanimitatem videns iustorum pœnas, & malorum prosperitatem. Beatus & ille, qui in via peccatorum non stetit. Hoc non stetit, quid sibi vult? Oriuntur prauæ ex carnis affectibus cogitationes animis nostris ingenitæ. Revera namque vbi mandatum venit, hoc est, cognitio bonorum, si prauæ cogitationi non fueris dominatus, sed rationem permiseris ab affectionibus captiuari, reuixit quidem peccatum, at mens morti succumbit, delictis mortificata. Beatus igitur, qui non stetit, hoc est, diu non est immoratus in via peccatorum, sed superiore ratione ad rempublicam, & sodalitatem studiosam se recepit. Duæ namque sunt inter se contrariæ viæ, vna spatiosa, & ampla, altera angusta, & arcta. Totidem item duces, quorum vterque ad se viatorem arripere conatur: dux vnus diabolus est, & alter angelus. Beatus ergo est, qui videns carnis oblectationem, risus, ebrietatem, voluptatem in peccatorum via, in iustorum autem itinere lachrymarum copiam, ieiunium, luctus, preces, virginitatem, ab eius abstinens illecebris ad exitium minime sinit se reuolui, sed per patientiam, salutis spem retinens in ambarum viarum electione, non eam ingreditur, quæ ad peiora contendit. Et in cathedra pestilentiæ non sedit. An putare debemus cathedram dici stabilem, ac firmam in iudicio prauo conuersationem? Quæ nobis prorsus vitanda est, quòd diuturna exercitatio peccatorum, præsertim studio si fit, & certa destinatione, animabus solet habitum ingignere vix vmquam desiturum, & ægerrime mobilem. Animæ enim morbus, vbi vetustuit iam, mali item exercitatio simul atque occaluit diuturnitate, vix vllam admittit medelam, aut certe immedicabilis fit, cum in his, vt in plerisque alijs consuetudo mutetur, & abeat in naturam. Optandum igitur fuerit, vt ne attingamus quidem malum. Secundus proinde erit nostrę nauigationis cursus, si a prima mox qualicumque experientia mali quasi bestia intentante plagam pestilentem, ac virulenta refugerimus, iuxta quod a Salomone de leui, & improba muliere scriptum est: Ne applices oculum tuum ad eam, sed resilito, nec moreris. Iam enim ipse quosdam noui, qui per ætatis teneræ florem, ad obscęnas carnis affectiones delapsi, per consuetudinem quoque mali istis immortui sunt peccatis. Quemadmodum enim sues, qui se in cœno se obuoluunt, continuo sibi lutum augent, sic hi fœditatem ex voluptate singulis diebus affricant sibi, & aspergunt. Beatitudinis igitur est, nihil cogitasse, aut proposito destinasse exequi, quod sit malum. Si autem per inimici insidias, impietatis consilia iniueris, in peccato noli persistere. Id demum si accidat, caue ne insideas malo. Ne igitur sedeto in cathedra pestilentię. Sed quando intellexisti cathedram hic diuturnã in peccatis significari moram, vide quàm merito eam dicat pestilentiam. Dicunt rerum huiusmudi periti pestem ea esse natura, vt si vnius hominis, aut iumenti corpus attingat ad quosque proximos quasi partito serpit, vt vno contaminato, mox ad alium vis morbi perueniat. Tales itaque sunt operarij iniquitatis, alius in alium suum transmittit morbum, proinde coægrotant simul, etiam pereunt. Hi demum pestilentiæ vocantur, qui dum proprium morbum in omnes transfundere contendunt, multos gloriantur; ac gestiunt reddere sibi similes, vt per malorum communionem, multorumque societatem propriam diffugiant infamiam. Nam neque ignis arentem, & suscipiendæ flammæ idoneam nactus materiam cohiberi potest, quo minus vniuersam corripiat, maxime si contigerit vis venti flammam prouehentis, neque possibile peccatum, quod in vno fuerit ad vicinos omnes non transire, si spiritus, ac ventus iniquitatis eum accenderit. Iure tales animarum pestilentiæ in terris dicantur, in huius autem cathedræ pestilentia sedere

Homil. 1. in Psal. 1. to. 1.

sedere non debemus, nec diu in malis manseris consilijs.

8 IDEM inquit: Cum tria sint infirmorum genera, nolite ei similes esse, quod incurabile est, nec in animi morbo, cum ijs vobis conueniat, qui corpore laborant, quorum qui modice ægrotant ad medicos ipsi accedunt, qui vero grauius, medicos ad se vocant, at qui incurabili melancholia occupantur, neque ad se venientes medicos admittunt. Quod videre est, ne & vobis vsu veniat, si ab illis, qui iudicio recto valent, abhorreritis.

Homil. 24. quæ est ad adolescẽtes quomodo ex gẽtilium doctrinis proficiant.

9 HIERONYMVS sic dicit: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris. Vult nos loco mouere hostis, & de gradu decedere, sed solidanda vestigia sunt, quia curatio quiescere facit peccata maxima. Qui versiculus hunc habet sensum. Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, omni custodia serua cor tuum, & cum Dauid cane, Ab occultis meis munda me Domine, & ad peccatum maximum, quod opere perpetratur, nequaquam peruenies, sed incentiua vitiorum statim in mente iugulabis, & paruulos Babylonis allides ad petram, cauteq. Domino promittes, Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor a delicto maximo. Hoc est, quod alibi sacra Scriptura testatur: Peccata patrum reddam in filios in tertiam, & quartam generationem, vt cogitationes nostras, mentisque decretum non statim puniat, sed reddat in posteris, idest in malis operibus, & delictorum perseuerantia. Hæc dixi, vt claudas cubiculum pectoris, ne exterminator Ægypti in te locum reperiat, sed primogenita, quæ apud Ægyptios pereunt, in tua mente saluentur.

In epist. 8. quæ est ad Demetriadem virg. de seruãda virginit. to. 1.

Exec. 18.

10 IDEM dicit: Audi Apostolum Ioannem dicentem: Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Qui vero peccauerit ad mortem, quis orabit pro eo? Cernis, quod si pro peccatis minoribus deprecemur, impetremus veniam, si pro maioribus difficilis impetratio sit, & inter peccata, & peccata, magnam esse distantiam. Vnde & de populo Israel, quia peccauerat peccatum ad mortem dicitur ad Hieremiam. Noli orare pro populo hoc, nec assumas pro eis deprecationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.

Lib. 2. aduersus Iouinianum. to. 2. 1. Ioan. 5.

11 IDEM explicans verba illa; Cum abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinẽ Hierusalem lauerit de medio eius in spiritu iudicij, & spiritu compunctionis, vno verbo, ait. Nota quòd sordes filiarum Sion lauerit in spiritu iudicij, sanguinem autem Hierusalem spiritu combustionis, quod enim leue est, lauatur, quod graue exuritur. De quo iudicij spiritu, & cõbustionis Ioannes Baptista in Euangelio loquebatur: Ego baptizo vos aqua, qui post me venit, ipse vos baptizabit Spiritu sancto, & igne.

Li. 2. in c. 4. Isaię. to. 4.

12 IDEM exponens verba illa Isaiæ cap. 14. De radice colubri egredietur regulus, & semen eius absorbens volucrem, dicit: Abiecto iugo Dei, & contrita Domini disciplina, primum in cogitationibus nostris semen colubri radicatur: secundo de semine pessimo nascitur regulus, qui rex serpentium est, & afflatu suo, atque conspectu homines occidere dicitur, siue genimina aspidum, de quibus Propheta in psalmo dicit: Venenum aspidum sub labijs eorum: quæ peccata sunt varia, & de cogitationum pessimo thesauro in mala opera prorumpunt. Cumque regnauerint in hominibus alienis, qui a Deo alieni sunt, statim egrediuntur serpentes pennati, vt non sufficiat eis cogitasse, & fecisse, quæ mala sunt, nisi patrocinium quoque malorum operum quæsierint, & diuersas finxerint hæreses. Ego puto serpentes esse pennatos, qui se exaltant, & eleuant contra scientiam Dei, & ponunt in cælum os suum, vel qui absorbent volucres, hoc est, qui venenato ore singulos quosque volare cupientes, & ad excelsa consurgere suis faucibus deuorant.

Lib. 6. in c. 14. Isaiæ.

13 IDEM exponens verba illa; Onus in Arabia. In saltu ad vesperam dormietis, sic habet: Arabia in lingua nostra vesperam sonat, quæ noctis & tenebrarum principium est, omnisque, qui habet principium peccatorum, versatur in vespera. Qui autem venit ad summum in media nocte consistit. Vnde & in Ægypto primogenita in media nocte cæduntur. Et Apostolus Petrus antequam gallus cantet, ter Dominum negat, quod media nox intelligitur. Postquam autem nox præcessit, & cœpit dies appropinquare, superatis mediæ noctis tenebris, & gallo lucis nuncio resonante, fleuit amare, & intellexit peccatum suum.

Lib. 8. in c. 21. Isaię. Exo. 12. Matt. 26.

14 IDEM exponẽs verba illa; Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, ait: Narrans septuaginta viros de senioribus Israel stare ante picturas, pulchre dicit vnum nomine Iezoniam stetisse in medio eorum quasi principem sceleris eorum, atque sacrilegij, qui omissa religione Dei colebant idola, & in templo non adorabant Deum, cuius erat templum, sed picturas parietum. Diciturq. quòd stabat Iezonias in medio stantium presbyterorum, quia & princeps, & hi, quorum princeps erat, firmo in sceleribus stabant gradu, nec fluctuabant in malo, sed robustissime persistebant.

Li. 3. in c. 8. Ezechielis.

15 IDEM explicans illa verba; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, inquit: Beatus qui non cogitauit,

In Psal. 1. to. 8.

Universidad de Deusto Biblioteca

gitauit, non fecit, non docuit mala, & in via peccatorum non ſtetit. Non dixit, & in via peccatorum non ambulauit. Hoc quippe impoſsibile eſt, quia nullus abſque peccato, nullum ſine peccato dicit, ſed in via peccatorum non ſtetit; hoc eſt, qui non perſeuerauit in delicto, ſed per pœnitentiam ad meliora conuerſus eſt . . Infra : Impius dicitur tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ. Puluis licet de terra ſit, tamen deſiuit eſſe terra. Tam infelix erit impius, vt nec terrenus quidem ſit puluis, nihil habet ſolidum, huc, illucq. diſpergitur, numquam in vno loco eſt, quocumque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur, quocumque impium aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur. Iter impiorum peribit. Quam clementer, non impij peribunt, ſed impietas.

16 *Li.3.in c.5. epiſt. Pauli ad Gal.to.9* IDEM exponens verba illa; Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis, dicit: Qui ſpiritu opera carnis mortificauerint, & ſeminauerint in ſpiritu, vt de ſpiritu metant vitam ęternam, quotienſcumq; voluptatem carnis ſenſerint titillare, non perficiunt deſiderium eius, quod quidem ſi expletum fuerit, blandiri videtur ad tempus, ſed ſpiritu refrænare, & ſecundum ſententiam hiſtorici, animi imperio corporis ſeruitio magis viuere. Illi ambulare, & ſpiritu, & deſideria carnis nō perficere dicuntur, qui ſpiritualiter egrediuntur Ægyptum.

17 *Lib.5. quæſtionũ, qui eſt in librũ Deute.to.4.* AVGVSTINVS explicans verba illa; Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus, cap. 32. quæ Auguſtinus ſic tranſtulit: Peccauerunt non ei filij vituperabiles, ſeu commaculati aut vitioſi, & dicit: Quomodo intelligendum eſt, quod peccauerunt non ei, cũ in pſalmo dicitur: Tibi ſoli peccaui. (*Pſal.50.*) Et in Hieremia: Tibi peccauimus patientia Iſrael Domine. Et iterum in pſalmo: Sana animam meam, quia peccaui tibi. (*Pſal.40.*) Et vtrum hoc ſit peccare Deo, quod peccare in Deum. Vnde ait Heli ſacerdos: (*1.Reg.2.*) Si in Deum peccauerit homo, quis orabit pro eo? Peccare in Deum eſt in his peccare, quæ ad Dei cultum pertinent. ſic enim peccabant filij Heli, quibus hoc pater eorum dixit. Sic exiſtimandũ peccare etiã in homines, qui pertinent ad Deum. Nam hoc legitur Deum dixiſſe ad Abimelech de Sara, propterea peperci tibi ne peccares in me. (*Gen.20.*) Peccare autem in Domino, vel potius peccare in Dominum hi mihi videntur non immerito dici, qui pœnitentiam peccati ſui non agunt, vt glorificetur ignoſcẽs Dominus. Cauſam quippe reddens Dauid, cur dixerit, Tibi ſoli peccaui, (*Pſal.50.*) & malum coram te feci, ſubiecit dicens: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. Et quod dicit Hieremias: Tibi peccauimus patientia Iſrael Domine, Domino vtique ſuppliciter dicitur: In pœnitentia cum ſpe ſalutis, & veniæ. Et quod dictum eſt: Sana animam meam, quia peccaui tibi, hoc idẽ agitur, vt Deus ignoſcendo glorificetur, quia magna eſt miſericordia eius ſuper redeuntes ad ſe. Vnde & ipſe Dauid cum eum Deus argueret (*2.Reg.12*) per prophetam, non ſine ſpe propitiationis Domini reſpondit: Peccaui Domino. Medico enim vulneratus videtur quodammodo, qui vt ſanetur, ſe ſubdit manibus medici, vt in eo medicinæ opus impleatur. In hoc autem cantico præuidebat propheta futuros quoſdam, qui ſic fuerant peccaturi Deum offendendo magnis iniquitatibus ſuis, vt nec pœnitentiam agere vellent, & ad Deum redire, vt ſanarentur. De quibus etiam alibi dicitur: Quia caro ſunt ſpiritus vadens, & non (*Pſal.77.*) rediens. Poteſt etiam hoc ſic intelligi, Peccauerunt non ei, ſecundum id, quod non ei nocuerunt peccato ſuo, ſed ſibi.

IDEM exponens verba illa Matthæi c. 5. 18 *Lib.1.de ſermone Dom. in monte.* Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde ſuo, inquit: Conſiderandum eſt, quòd non dixit, omnis qui concupiuerit mulierem, ſed qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, ideſt hoc fine, & animo attenderit, vt eam concupiſcat: quod iam non eſt titillari delectatione carnis, ſed plene conſentire libidini, ita vt non refrænetur illicitus appetitus, ſed ſi facultas data fuerit, ſatietur. Nam tua ſunt, quibus impletur peccatum, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione. Suggeſtio ſiue per memoriam fit, ſiue per corporis ſenſus, cum aliquid videmus, aut audimus, aut guſtamus. Quod ſi frui delectauerit, delectatio illicita refrænanda eſt. Velut cum ieiunamus, & viſis cibis, palati appetitus aſſurgit, non fit niſi delectatione, ſed huic tamen non conſentimus, ſi eam dominantis rationis iure cohibemus. Si autem conſenſio facta fuerit, plenum peccatum erit, notum autem Deo in corde noſtro, etiam ſi facto non innoteſcat hominibus. Ita ergo ſunt iſti gradus, quaſi a ſerpente ſuggeſtio fiat, quæ quanto illabitur occultius, vt cogitationem contingat, tanto conuenientius ſerpenti comparatur: in appetitu autem carnali tamquam in Eua eſt delectatio: (*Gen.3.*) in ratione vero tamquam in viro conſenſio: quibus peractis tamquam de paradiſo, hoc eſt, de beatiſsima luce iuſtitiæ in mortem homo iuſtiſsime expellitur.

19 Delectatio ante conſenſionem, vel nulla eſt, vel tam tenuis, vt prope nulla ſit, cui conſentire magnum peccatum eſt, cum illicita eſt. Cum autem quiſque conſenſerit, committit peccatum in corde ſuo, ſi autem etiam in factum proceſſerit videtur ſatiari, & extingui cupiditas, ſed poſtea ſuggeſtio repetitur, maior accenditur delectatio, quæ tamen adhuc multo minor eſt, quàm illa, quæ aſsiduis factis in conſuetudinem vertitur, hanc enim vincere difficillimum eſt, & tamen etiam ipſam conſuetudinem, ſi ſe quiſque non deſerat, & Chriſtianam militiam non reformidet illo duce, atque adiutore ſuperabit, ac

ſic in priſtinam pacem reuertitur, vt vir Chriſto, & mulier viro ſubijciatur. Sicut ergo tribus gradibus ad peccatum peruenitur, ſuggeſtione, delectatione, & conſenſione, ita ipſius peccati tres ſunt differentiæ, in corde, in facto, in conſuetudine, tamquam tres mortes. Vna quaſi in domo, ideſt, cum in corde conſentitur libidini: altera iam prolata quaſi extra portam, cum in factum procedit aſcenſio: tertia cum vi conſuetudinis malæ tamquã mole terrena premitur animus, quaſi in ſepulchro iam putens. Quæ tria genera mortuorum Dominum reſuſcitaſſe legimus. Et fortaſſe conſiderat quas differẽtias habeat etiam ipſa vox reſuſcitantis, cum alibi dicit: Puella (*Matt.9.*) ſurge. (*Luca 7.*) Et, alibi: Adoleſcens, tibi dico, ſurge. Alibi infremuit in ſpiritu, & fleuit, & rurſus fremuit, & poſt deinde voce magna exclamauit: (*Ioan.11.*) Lazare veni foras. Hæc repetit tract.49. in Ioannem. to.9.

20 *In Pſal.1. to.8.* IDEM exponens verba illa; Beatus vir, qui non abijt in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, inquit: Conſiderandus eſt ordo verborum, abijt, ſtetit, ſedit. Abijt enim ille, cum receſsit a Deo: ſtetit, cum delectatus eſt peccato: ſedit, cum in ſua ſuperbia confirmatus redire non potuit, niſi per eum liberatus, qui neque abijt in conſilio impiorum, nec in via peccatorum ſtetit, nec in cathedra peſtilentiæ ſedit.

21 *In Pſal.10.* IDEM explicãs verba illa; Ignis, ſulphur, & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum, dicit: Hæc pœna eſt eorum, per quos blaſphematur nomen Dei, vt primo cupiditatum ſuarum igne vaſtentur, deinde malorum operum fœtore a cœtu beatorum abijciantur, poſtremo arrepti, atque ſubmerſi ineffabiles pœnas luant: hæc eſt enim pars calicis eorum, ſicut iuſtorum calix tuus inebrians quàm præclarus eſt.

22 *In Pſal.50.* IDEM ait: De longe vidit Dauid illam, in qua captus eſt. Mulier longe, libido prope. Alibi erat quod videret in illo vnde caderet. Attendenda eſt ergo hæc infirmitas carnis, (*Rom.6.*) recordanda ſunt verba Apoſtoli: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Nō dixit, non ſit, ſed non regnet. Ineſt peccatum, cum delectaris, regnat ſi conſenſeris. Carnalis delectatio præſertim vſque ad illicita & aliena progrediens frænanda eſt, non relaxanda, imperio domanda, non imperio collocanda.

23 *In Pſal.67.* IDEM explicans verba illa; Qui educit vinctos in fortitudine, ſimiliter eos, qui exaſperant, qui habitant in ſepulchris, dicit: Soluit grauia vincula peccatorum, quibus impediebantur ne ambularent in via pręceptorum: educit autem eos in fortitudine, quam ante eius gratiam non habebant. Similiter amaricantes (nos legimus eos, qui exaſperant) qui habitant in ſepulchris, ideſt, omnino mortuos, occupatos in operibus mortuis, hi enim amaricant reſiſtendo iuſtitiæ, nam illi compediti forſitan volũt ambulare, nec poſſunt, Deumq. precantur, vt poſsint, eiq. dicunt: De neceſsitatibus meis educ me. (*Pſal.24.*) A quo exauditi gratias agunt, dicentes: Dirupiſti vincula mea. (*Pſal.15.*) Iſti autem amaricãtes, qui habitant in ſepulchris in eo genere ſunt, quod alio loco Scriptura ſignificat, dicens: A mortuo velut qui non ſit, (*Eccls.17.*) perit confeſsio. Vnde eſt illud: Peccator, cum (*Prou.18.*) in profundum venerit malorum, contemnit. Aliud eſt enim deſiderare, aliud oppugnare iuſtitiam, aliud a malo liberari velle, aliud mala ſua defendere, potius quàm fateri, ab vtroq; tamen gratia Chriſti educit in fortitudine. Qua fortitudine, niſi vt aduerſus peccatum, vſque ad ſanguinem certent? Ex vtroq; enim genere fiunt idonei, quibus conſtituatur locus ſanctus eius, illi ſoluti, illi reſuſcitati, quia (*Luc.13.*) & mulieris, quam alligauerat ſathanas per decem & octo annos, iubendo, vincula ſoluit, & (*Ioan.11.*) Lazari mortem clamando ſuperauit. Qui fecit hæc in corporibus, facit & in moribus, educens vinctos, & eos, qui habitant in ſepulchris.

IDEM exponens verba illa; Non me demergat tempeſtas aquæ, neque abſorbeat me 24 *In Pſal.68. concione 1.* profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum, inquit: Magnus eſt puteus, profunditas iniquitatis humanæ, illuc quiſque ſi ceciderit, in altum cadet, ſed tamen ibi poſitus ſi confitetur peccata ſua Deo ſuo non ſuper eum claudit puteus os ſuum: vt eſt in alio quodam pſalmo ſcriptum: De profundis clamaui ad (*Pſal.129.*) te Domine, Domine exaudi vocem meam. Si autem factum fuerit in illo, quod in alia ſententia Scriptura dicit: Peccator cum in profundum venerit malorum, (*Prou.18.*) contemnet, clauſit ſuper eum puteus os ſuum. Quare clauſit os ſuum? Quia clauſit os illius, perdidit enim confeſsionem, vere mortuus eſt, impletumq. eſt in eo quod alibi dicitur: A mortuo, velut (*Eccls.12.*) qui non ſit, perit confeſsio. Metuenda iſta res eſt vehementer fratres. Si videris hominem feciſſe iniquitatem, merſus eſt in puteum. Quando autem illi dixeris iniquitatem ipſius, & dixerit, vere peccaui, fateor, non ſuper eum clauſit puteus os ſuum. Cum autem videris eum dicere, quid enim mali feci? factus eſt defenſor peccati ſui, clauſit ſuper eum puteus os ſuum, qua eruatur, non habet. Tu factus es peccati tui defenſor, quomodo erit Deus liberator? vt ergo ſit ille liberator, eſto tu accuſator.

IDEM explicans illa verba; Prodijt qua- 25 *In Pſal.72.* ſi ex adipe iniquitas eorum, dicit: Sunt aliqui mali, ſed macre mali, ideo mali, quia macri, ideſt exiles exiguitate quadam neceſsitatis affecti, & ipſi mali & damnandi. Ferenda eſt enim magis omnis nececeſsitas quam perpetranda aliqua iniquitas: tamen aliud eſt de neceſsitate peccare, aliud in abundantia. Pauper mendicus furtum facit, ex macie proceſsit iniquitas. Diues abundans rebus tantis, quare diripit alienas? illius iniquitas ex macie, huius ex adipe proceſsit. Ideo macro cũ dicis,

quare hoc feciſti? humiliter afflictus, & abiectus reſpondet, neceſsitas coegit me. Dic diuiti, quare hoc facis, & non times Deum? Si tamen tantus es, vt poſsis dicere, vide ſi vel dignatur audire, vide ſi non etiam in teipſo prodiet iniquitas ex adipe eius. Iam enim præceptoribus, & correptoribus ſuis inimicitias indicit, totum in contemptu Dei loquitur, quia pinguis eſt, quia deuotus ad victimam eſt. Prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorũ, ideo de eis præmiſerat, Circumamicti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Infra: Et de ijſdem dicitur iniquitatẽ in excelſo locuti ſunt. Loquuntur malignitatem homines, ſed cum timore. Iſti autem in excelſo, clare audientibus omnibus, ego facio, ego oſtendo, ſenties cum quo habes, viuere te non ſinam, ſuperbe vel cogitares ea non etiam effunderes, vel intra clauſtra cogitationis cupiditas mala coerceretur. Non ita facit, ſed prodijt quaſi ex adipe iniquitas horum, iniquitatem in altum locuti ſunt.

26 In Pſ. 108. IDEM exponens verba illa; Et intrauit maledictio ſicut oleum in oſsibus eius, inquit: Oſtendit impium cum delectatione mala facere, & comparare ſibi maledictionem. Modo quippe maledicta delectant, ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſsibus eius. Tamquam in oſsibus autem oleum eſt maledictio, cum homines inde fortes ſe putãt, quia licet eis mala tamquam impune committere. Fiat ei ſicut veſtimentum quo operitur. Operitur iniquitate tamquam pallio, qui in conſpectu hominum de iniquitate gloriatur. Et ſicut zona, qua ſemper præcingitur. Maxime homines ideo præcinguntur, vt ad operandum ſint aptiores, ne veſtis ſinibus præpediatur. Ergo maledictione ſe præcingit, qui malum non repentinum, ſed diſpoſitum aggreditur, & ita diſcit malum facere, vt ſemper paratus ſit. Hoc opus eorum, qui detrahunt mihi apud Dominum. Non dixit merces eorum, ſed opus. Manifeſtum eſt enim quod indumento, & opertorio, & aqua, & oleo, & zona ipſa opera deſcribebat, quibus æterna maledictio comparatur.

27 In Pſ. 129. IDEM explicans verba illa; De profundis clamaui ad te Domine, ait: Profundum nobis eſt vita iſta mortalis, quiſquis ſe in profundo intellexerit, clamat, ſuſpirat, gemit, & donec de profundo eruatur, & veniat ad eum, qui ſedet ſuper Cherubin. Idoneus eſt homo ad caſum, non eſt idoneus ad reſurrectionem ſuam, ſemper in profundo eſt, niſi liberetur, ſed cum de profundo clamat, ſurgit de profundo, & ipſe clamor non eum permittit multum in imo eſſe. Valde enim in profundo ſunt, qui nec clamant de profundo, dicente Scriptura: Peccator cum venerit in profundum malorum contemnit. Iam videte fratres, quale profundum ſit vbi contemnitur Deus. Cum viderit ſe quis quotidianis peccatis obrutum, aceruis quibuſdam, & mollibus quibuſdam iniquitatum premi, ſi dictum illi fuerit, vt Deum roget, irridet. Quibus modis. Primo ait: Si Deo diſpliceret facinora, ego viuerem? ſi curaret Deus res humanas, ad tanta ſcelera, quæ feci, non ſolum non viuerem, ſed & bene mihi non eſſet. Solet enim hoc illis euenire, qui multum in profundo ſunt, & proſperantur in iniquitatibus ſuis, & tanto magis in profundum merguntur, quanto magis videntur eſſe felices, fallax enim felicitas eſt maior infelicitas. Deinde & hoc ſolent homines dicere: Iã quoniam multa feci, & damnatio imminet, hoc perdo, quòd non facio quicquid poſſum. Quomodo ſolent deſperati latrones dicere: Sic me occiſurus eſt iudex pro decẽ homicidijs, quomodo pro quinque, quomodo pro vno, quare iam non faciam? Quicquid mihi occurrerit facio: hoc eſt, peccator, cum venerit in profundum malorum contemnit.

28 Trac. 44. de verb. Dom. in Io. to. 10. IDEM explicans tria genera peccatorum in tribus mortuis, quos Dominus ſuſcitauit, de quibus iam diximus, ſed de Lazaro loquẽs, ait: Conſuetudo malorum facit vt homines iraſcantur cum reprehenduntur, intantum, vt Sodomitę quondam dicerent viro iuſto reprehenderi nequiſsimam voluntatem, habitare veniſti, non leges dare. Tanta ibi nefandæ turpitudinis conſuetudo erat, vt iam nequitia eſſet iuſtitia, & prohibitor potius reprehenderetur, quàm factor. Tales conſuetudine maligna preſsi, tamquam ſepulti ſunt, vt de illis dicatur, quod de Lazaro dictum eſt, iam fœtet. Moles illa impoſita ſepulchro, ipſa eſt vis dura conſuetudinis, qua premitur anima, nec reſurgere, nec reſpirare permittitur. Dictum eſt autem, quatriduanus eſt. Revera ad iſtam conſuetudinem, de qua loquor, quarto quodã progreſſu peruenit anima. Prima eſt enim quaſi titillatio delectationis in corde, ſecunda conſenſio, tertia factum, quarta conſuetudo. Sunt enim qui res illicitas obuias cogitationibus ſuis prorſus ita abijciunt, vt nec delectentur. Sunt qui delectantur, & non conſentiunt. Nondum perfecta mors eſt, ſed quodammodo inchoata. Delectationi accedit conſenſio. Iam eſt illa damnatio. Poſt conſenſum in factum proceditur. Factum in conſuetudinem vertitur, & fit quædam deſperatio, vt dicatur, quatriduanus eſt, iam fœtet. Gen. 19.

29 Serm. 76. ad frat. in eremo. IDEM dicit: Primum quidem cogitationibus malis repugnandum eſt, vt cum aliquid carnale, aut ſordidum ſuſurrauerit aduerſarius, prius quam ſauciet mẽtem ſagitta, deleatur, & excutiatur. Sicut enim veſtimentum candidum, ſi fuerit ſanguine aſperſum, ſi mox fuerit lotum, candorem ſuum recipit, ſi autem inſederit, & incoxerit macula, vix lauatur: ſic & humana mens, ſi ſurgentem cogitationem mox deleuerit, poterit ſuum retinere candorem, ſi autem diutius reſidere permiſerit, vix cum magno labore purgatur. Hæc eſt autem prima victoria ſecreti certaminis noſtri, quod Dominus expectat, & Angelus, cum cogitationibus malignis mens humana fideliter occurrit, & bonis operibus malos ſuperat

perat cogitatus, & ſerpentis caput obſeruat homo.

30 Lib. 4. Moraliũ. c. 25. n. 2. GREGORIVS explicans illa verba Iob ca. 3. Quare nõ in vulua mortuus ſum? Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? dicit: Quattuor modis peccatum perpetratur in corde, quattuor conſummatur in opere. In corde namq; ſuggeſtione, delectatione, cõſenſu, & defenſionis audacia perpetratur. Fit enim ſuggeſtio per aduerſarium, delectatio per carnem, conſenſus per ſpiritum, defenſionis audacia per elationem. Vnde & illam primi hominis rectitudinẽ antiquus hoſtis ijs quattuor ictibus fregit. Nam ſerpens ſuaſit, Eua delectata eſt, Adam conſenſit, qui etiam requiſitus confiteri culpam per audaciam noluit. Modo etiam ſerpens ſuadet, quia occultus hoſtis mala cordibus hominum latenter ſuggerit. Eua delectatur, quia carnalis ſenſus ad verba ſerpentis mox ſe delectationi ſubſternit. Conſenſum vero Adam mulieri præpoſitus præbuit, quia dũ caro in delectationem rapitur, etiam à ſua rectitudine ſpiritus infirmatus inclinatur. Et requiſitus Adam confiteri culpam noluit, quia vi delicet ſpiritus quo peccando à veritate diſiũgitur, eo in ruinæ ſuæ audacia nequius obdurator. Eiſdem etiam quattuor modis peccatum conſummatur in opere. Prius namque latens culpa agitur, poſt modum vero etiam ante oculos hominum ſine confuſione reatus aperitur, dehinc & in cõſuetudinem ducitur, ad extremum vero, vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſeræ deſperationis enutritur.

31 Hos itaque peccati modos, qui vel in corde latenter fiunt, vel patenter opere perpetrantur beatus Iob conſiderat, & humanum genus in quot peccatorum gradibus lapſum ſit, deplorat, dicens: Quare non in vulua mortuus ſum? Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Primo enim vulua conceptionis fuit lingua malæ ſuggeſtionis, ſed peccator in vulua moreretur, ſi moriturum ſe homo in ipſa ſuggeſtione cognoſceret. Qui tamen ex vtero egreſſus eſt: quia poſtquam in peccato eum ſuggerens lingua concepit, foras mox etiam delectatio rapuit. Poſt egreſsionem vero exceptus eſt genibus, quia cum ad delectationem carnis prodijt, nimirum culpam per conſenſionem ſpiritus, ſubiectis cunctis ſenſibus, quaſi ſuppoſitis genibus conſummauit. Sed genibus exceptus, etiam uberibus eſt lactatus. In conſenſu enim culpæ multa caſſæ fiduciæ argumenta ſubſecuta ſunt, quæ natam in peccato animam virulẽto lacte nutrierunt, & ne aſpera mortis ſuppliciа metueret, hanc blandis excuſationibus fouerunt. Vulua peccantis eſt hominis culpa latens, quæ occulte peccatorem concipit, & reatum ſuum adhuc in tenebris abſcondit. A vulua de vtero exitur, cum peccator, quæ in occulto commiſerit, hæc etiam in aperto committere non erubeſcit. Quaſi enim ab occultationis ſuæ vulua proceſſerãt, de quibus pro-

Iſai. 3.

pheta dicebat, Et peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Quare exceptus genibus? Quia nimirum peccator, cum iam de iniquitate ſua non confunditur, in iniquitate eadem etiam adminiculis peſsimæ conſuetudinis roboratur. Quaſi genibus peccator fouetur, vt creſcat, dum culpa conſuetudinis firmatur, vt vigeat. Cur lactatus vberibus? Quia dum prodire culpa in vſum cœperit, nimirum ſe, vel falſa ſpe diuinæ miſericordiæ, vel aperta miſeria deſperationis paſcit, vt eo nequaquam de correptione redeat, quo vel factorem ſuum pium ſibi inordinate ſimulat, vel hoc quod fecit inordinate formidat. Beatus igitur vir humani generis lapſus aſpicit, & quibus præcipitijs merſum ſit in foueam iniquitatis, intendit dicens, Quare nõ in vulua mortuus ſum? Ideſt in ipſa occulta perpetratione peccati, cur à carnis vita mortificare me nolui? Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Ideſt poſtquam ad apertam iniquitatem exij, cur me tum ſaltem perditum non cognoui? Periſſet quippe in ſuo iudicio, ſi ſe perditum cognouiſſet. Quare exceptus genibus? ideſt, cur poſt apertam culpam etiam me adhuc in illa conſuetudo ſuſcepit, vt valentiorem ad nequitias redderet, & prauis me vſibus ſuſtinens foueret? Cur lactatus vberibus? Ideſt poſtquam in culpæ conſuetudinem veni, cur me ad atrociorem nequitiam, vel falſæ ſpei fiducia, vel lacte miſeræ deſperationis enutriui? Cum enim culpa in vſum venerit, & iam animus, etiam ſi appetat, debilius reſiſtit, quia quot vicibus prauæ frequentationis aſtringigitur, quaſi tot vinculis ad mentem ligatur. Sciendum quoque eſt, quod tres illi modi peccantium iuxta deſcenſus ſui ordinem facilius corriguntur, quartus vero iſte difficilius emẽdatur. Vnde Dominus puellam in domo, iuuenem extra portam, in ſepulchro autem Lazarum ſuſcitauit. Adhuc quippe quaſi mortuus iacet in domo, qui latet in peccato. Iam quaſi extra portam educitur, cuius iniquitas vſque ad inuerecundiam publicæ perpetrationis aperitur. Sepulturæ vero lapide premitur, qui in perpetratione nequitiæ etiam uſu conſuetudinis preſſus grauatur. Sed hos ad vitam miſera tus reuocat, Quartum vero mortuum redemptor noſter nunciante diſcipulo agnoſcit, nec tamen ſuſcitat, quia valde difficile eſt, vt is, quem poſt vſum malæ conſuetudinis etiam ad vltimum adulantium linguę excipiunt, à mentis ſuæ morte reuocetur. De quo & bene dicitur, ſine mortuos ſepelire mortuos. Mortui enim mortuos ſepeliunt, cum peccatores peccatorem fauoribus premunt. Quid eſt enim aliud peccare, quàm occumbere, & ſepelire, quàm abſcõdere? Sed qui peccantem laudibus proſequuntur, extinctum ſub verborum ſuorum aggere abſcondunt. Erat autem, & Lazarus mortuus, ſed tamen non a mortuis ſepultus.

32

33

Lucæ 9.

34 Lib. 13. Moraliũ. ca. 12. IDEM exponens verba illa Iob cap. 17. Prędam pollicetur ſocijs, & oculi filiorum eius

deficient, inquit: Possunt per socios fortasse intelligi crudelissimi quique, & omni malitia iam repleti, per filios vero hi qui adhuc deceptorijs promissionibus illusi, augendæ prauitati nutriuntur, vt illos iam velut ex merito malitiæ diabolus quasi socios habeat, qui iam non habent in perditione quo crescant, istos autem quasi filios, quos promissionibus lactat, vt ad peiora proficiant. Sed oculi filiorum eius deficient, quia prauorum intentiones cadunt, cum omne quod hic appetunt, deserunt, & illic quod doleant sine fine patiũtur.

35 IDEM exponens illa verba Iob cap. 18. Et calcet super eum quasi rex interitus, dicit. Si interitus nomine non aperte diabolus, sed peccatum debet intelligi, ex quo contingit reprobos ad interitum trahi, talis nimirum interitus quasi rex calcat mentem, cum eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito tentatio deesse peccati, sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud dominanti seruire. Iniquus autem quisque quia resistere peccati suasionibus nescit subiugari autem eius dominio non pertimescit, recte de eo dicitur, Calcet super eum quasi rex interitus. Huius quippe interitus regnum a discipulorum cordibus repellebat Apostolus cum dicebat, Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Non enim ait non sit, sed non regnet, quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest. Quia ergo cum quælibet culpa cor iniqui pulsauerit, resistens illud non inuenit, sed suo dominio substernit, dicitur recte. Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi rex interitus. De tabernaculo ergo suo fiducia eius euellitur, quando peruersus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat, repentina morte disipatur. Et calcat super eum quasi rex interitus, quia vel hic vitijs premitur, vel mortis suæ tempore, per hoc quod ad supplicia rapitur, potestati dæmonis subiugatur. Quod idcirco in reproborum mentibus agitur, quia & cum occasio perpetrandi peccati deest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus desunt. Et cum semper diabolum sequantur in opere, valde tamen se illi obligant in cogitatione. Prius ergo culpa in cogitatione est, postmodum vero in opere. Vnde filiæ Babylon dicitur. Descende sede in puluere virgo filia Babylon, sede in terra. Cum enim semper puluis terra sit, non tamen terra semper est puluis. Quid ergo per puluerem nisi cogitationes debemus accipere? Quæ dum importune ac silenter in mente euolant, eius oculos excæcant. Et quid per terram nisi terrena actio designatur? Et quia reproborũ mens prius ad praua cogitanda deijcitur, & postmodum ad faciẽda, recte filia Babylon, quę ab internæ rectitudinis iudicio descẽdit, per feruentem sententiam dicitur, vt prius in puluere & post in terra sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset.

Lib. 14. moral. cap. 9.

Rom. 6.

Isa. 47.

36 IDEM exponens illa verba; Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius, inquit. Quid radicum nomine quæ in occulto sitæ sunt, & germen in aperto ferunt, nisi cogitationes accipimus, quæ dum non videntur in corde visibilia opera producunt? Vnde & messis nomine eadem aperta operatio signatur, quæ videlicet ex latenti radice producitur. Et quia omnis iniquus prius in cogitationibus tentationum arescit & postea a bonis actibus deficit recte per Baldath dicitur. Deorsum radices eius siccentur, sursum autem atteratur messis eius. Quia dum prauus quisque cogitationes suas in infimis rebus ponit, & sempiternæ viriditatis gaudia appetere negligit, quid aliud quàm radices suas deorsum siccare permittit? Cuius sursum messis atteritur, quia omnis eius operatio a superno iudicio quasi nihilum deputatur, etiam si ante humanos oculos bona videatur. In imo itaque radices sunt, & superius messis, quia hic prius bonas cogitationes mittimus, vt quandoque bonorum operum fructũ percipere in æterna retributione mereamur. Sed iniquus quisque cum bonas cogitationes deserit deorsum siccantur radices eius, sursum vero messis eius atteritur: quia qui hic sterilis persistit, post hanc vitam ad nulla præmia vocatur.

Cap. 10.

37 IDEM explicans verba illa; Adhæsit os meum carni meæ, ait vno verbo. Adhærent ossa carni, id est ratio subiecta est delectationi: Sicut in paradiso suggessit serpens, delectata est Eua, consensit Adam, sic quando peccamus, suggerit diabolus, delectatur caro, consentit spiritus.

In Psal. 5. pœnitentiæ lem. to. 2.

Peccata venialia acriter quandoque punit Deus, quare licet perfecte vinci non possint, cauenda tamen sunt.

Cap. IX.

1 CHRYSOSTOMVS inuehitur acriter contra eos, qui adierunt spectacula die hesterna. & dicit. Arbitror multos ex his, qui heri nos destituerant, & ad iniquitatis spectacula discessserant hodie præsentes esse. Optarim autem istos qui sunt palam nosse, vt eos à sacris vestibulis arceam, non vt perpetuo foris maneant, sed vt correcti denuo redeant. Sic faciunt parentes quando filios delinquentes vident, a domo & mensa excludunt, vt meliores effecti reuertantur ad paternum contubernium. Idem sane faciunt & pastores, dum oues scabiosas a sanis segregant. Has ob res cupiebamus & istos nosse, sed quamuis eos oculis dignoscere non valeamus, Dei Filius eos prorsus agnoscet, correptaq. illorum conscientia facile persuadebit, vt sua sponte, volentesque redeant. Infra: Quapropter

Homil. 3. de Dauid, & Saule. to. 1.

pter hortor rogoq. vt prius confessione, ac pœnitentia aliisque remedijs omnibus sese a peccato ex theatricis spectaculis contracto perpurgent, atque ita diuinos audiant sermones. Tanti facit Chrysostomus spectaculis astare, vt omnia peccata etiam quæ minima videntur cauenda doceat.

2 IDEM vt doceat quod minima contemnere non debemus inquit: Qui parum abest cum præcesserit, aberit longius. Etenim si corpus parum ab ense diuidatur corrumpitur, & ædificium si parum fatiscat dissoluitur, & si vel minimum palmes a radice abscindatur, inutilis redditur. Cum igitur parum peccauerimus, vel desidia torpuerimus, nolimus vt exiguum despicere. Si quidem id neglectum quam primum in immensum euadet, sic & vestis quæ scindi cœperit neglecta, tota discinditur, & tectum paucarum tegularum casu contempto, totam domum diruit. Hæc nos reputantes numquam paruum contemnamus, ne procidamus in maiora. Sed sine peccato esse non possumus, vnde scriptum est: Quis gloriabitur castum se habere cor vel quis confidet purum esse a peccatis? Hoc dico non vt pigriores vos faciam, sed vt in desperationẽ prohibeam incidere.

Homil. 8. in primã epist. Pauli ad Corint. to. 4.

Prou. 20.

3 HIERONYMVS sic habet. Quis hic præsumptionis spiritus, qui tantam in animo nostro operatur audaciam, vt cum sanctos homines de leuibus etiam culpis videamus esse punitos, & nos quotidie in maioribus & pluribus delinquentes, æternos in media damnatione fore credamus? Quamquam leue numquam fit, Deum etiam in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati respicit, sed ad personę contemptum. Propter quod homini non solum intendendum est, quale sit quod iubetur, sed quantus sit ille qui iubet. Excluditur hoc loco vulgaris illa sententia qua mihi, suo iudicio religiosi & qui sapientes sibimet videntur, dicere solent, Sufficit nobis vt non criminalia peccata & maiora faciamus, facilis est enim omissio minorum delictorum. Hi consuetudinem diuinæ legis ignorant, quæ sæpe peccatum ostendit, quod nobis non videtur esse peccatum. Saul & Iosaphat reges fuerunt populi Israel? & dum misericordiam his, quos Deus oderat, præstiterunt, Dei offensam in opere pietatis incurrunt. Quis in tactu arcæ diuinæ imitatus Ozam hominum sententia damnaretur? Episcopus Ephesiorum angelus in Apocalypsi nuncupatur, qui causa nominis Christi passionum multarum merita intra conscientiam retinebat, quia in ipsis passionibus a primo conuersationis feruore tepuerat cum calorem paululum temperasset, ad pœnitentiam reuocatur, dicente scriptura, Noui opera tua & patientiam tuam & quia potes sustinere malos, sed habeo aduersum te pauca, quia charitatem tuam pristinam reliquisti. Memento vnde excideris & age pœnitentiam. Consideremus quantus casus sit temere contemnentis, cum tanta ruina esse dicitur in negligentia obsequentis, vel quam damnationem excepturos credimus esse indeuotos, cum tantam reprobationem deuotus exceperit? Tepidum discipulum non amat Christus.

In epist. ad Amicũ quẽ instituit in scientia diuinæ legis. to. 9.

Apoc. 2.

4 AVGVSTINVS vt ostendat quæ ad humilitatem conseruandam mouere nos debent, docet nullum hominem quandiu viuit immunem esse a peccato, & ait: Quis gloriabitur castum se habere cor, aut quis gloriabitur mundum se esse a peccato? Nemo mundus in conspectu tuo, nec infans, cuius est vnius diei vita super terram. Vnde Dominus omnes fideles a spiritualibus vsque ad carnales, ab Apostolis vsque ad vltimos pœnitentes tamquam a summis cælorum vsque ad terminos eorum docuit orare: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Cum autem hanc orationẽ omnes baptizati dicunt præpositi, & plebes, pastores, & greges, satis ostenditur in hac vita, quæ tota tẽtatio est, neminem se tamquam ab omnibus peccatis immunem debere gloriari. Vnde Ioannes ait: Si dixerimus quia peccatũ non habemus ipsi nos seducimus & veritas in nobis non est. Tunc in ore virginum, quæ sequuntur agnum quocumque ierit, non inuenietur mendacium, cum confessæ fuerint peccata sua. Sed ne per occasionem huius sententiæ quisquam cum mortifera securitate peccaret, tamquam mox delendis facili confessione peccatis continuo subiecit, Filioli hæc scribo vobis vt nõ peccetis, sed & si quis peccauerit aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum. Sed quoniam etiam satagentibus vigilantibusq. ne peccent, subrepunt quodãmodo ex humana fragilitate peccata quãuis parua, non tamen nulla, & eadem ipsa sunt magna & grauia, si eis superbia incrementum & pondus adiecerit.

Lib. de sancta virginitate. to. 6.

Prou. 20.

Iob. 25.

Matt. 6.

1. Ioan. 1.

Apoc. 14.

1. Ioan. 2.

5 IDEM dixerat; Per gratiam Dei & liberũ arbitrium esse posse hominẽ sine peccato, sed disputans an de facto talis sit docet quod non. Scriptura enim dicit: Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Et ideo misericordia Dei opus est, quæ superexaltat iudicio. Et quod propheta cum diceret, Dixi pronũciabo aduersum me delictum meũ Domino, & tu dimisisti impietatem cordis mei, continuo subiunxit: Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore oportuno. Nõ ergo omnis peccator, sed omnis sanctus, vox enim sanctorũ est, Si dixerimus quia peccatũ non habemus, nos ipsos seducimus & veritas in nobis nõ est. Vnde per hoc quod scriptũ est, Qui natus est ex Deo nõ peccat, & non potest peccare, quia semen eius in ipso manet: & si quid est aliud huiusmodi, non contradicitur his quæ diximus: Si dixerimus quia peccatum nõ habemus, veritas in nobis non est. Qui hæc coarctant, minus aduertunt scripturas. Non enim ex qua hora quis-

Libro 2. de peccatorũ meritis & remiss. to. 7.

Psal. 142.

Iaco. 2.

Psal. 31.

1. Ioan. 1.

1. Ioan. 3.

quisque baptizatur, omnis vetus infirmatas eius absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et inquantum quisque spiritalia sapit, qui iam sapit in tantũ renouatur. Cetera vero in spe facta sunt, donec etiã in re fiãt vsq; ad ipsius corporis renouationem in meliorem statũ immortalitatis, & in corruptionis, qua induemus in resurre-
Matt. 19. ctione mortuorum. Nam & ipsam Dominus regenerationem vocat, dicẽs, In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos iudicantes duodecim tribus Israel. Si autem in ipso animo, qui est interior homo perfecta renouatio fieret in ba-
2. Cor. 4. ptismo, nõ diceret Paulus, Licet is qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renouatur de die in diẽ. Profecto enim qui de die in diem adhuc renouatur, nondum totus est renouatus, & in quantum nondum est renouatus, in tantum in vetustate est, & adhuc filij sunt sæculi. Ex hoc autem quòd in nouitate sunt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quãtumcumque illud est, quod spiritaliter sapiunt, eiq. cõgruos mores agũt, filij Dei sunt. Intrinsecus enim exuimus veterem hominem, & induimus nouum, quoniam ibi deponimus mendacium, & loquimur
Eph. 4. veritatem, induimus nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Et quia hoc perfecte non fit in
Rom. 8. baptismo, docet Paulus, cũ ait, Sed & nos primitias spiritus habentes intra nos ipsos gemimus adoptionem filiorũ Dei, expectantes redemptionem corporis nostri. Spe enim salui facti sumus. Adoptio ergo plena filiorum redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque spiritus nunc habemus, vnde iam filij Dei re ipsa facti sumus, in ceteris vero spe, quia nondum plene innouati, nondum salui, nondum perfecte filij Dei, sed filij sæculi. Proficimus ergo in renouationem, iustamq. vitã, per quod filij Dei sumus, & per hoc peccare non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud per quod adhuc filij sæculi sumus, per hoc enim & peccare adhuc possumus. Ita fit vt & qui natus est ex Deo non peccet. Et si dixerimus quia peccatum non habemus nos ipsos seducimus. Consumetur ergo quod filij carnis & sæculi sumus, & perficietur
1. Ioan. 3. quod filij Dei & spiritus renouati sumus. Vnde Ioannes charissimi filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit similes ei erimus. Nunc ergo ei & similes esse iam cœpimus, primitias habẽtes spiritus, & adhuc dissimiles sumus per reliquias vetustatis. Proinde in quantum similes, in tantum regenerante spiritu filij Dei, in quantum autem dissimiles, in tantum filij carnis & sæculi. Illinc ergo peccare nõ possumus, hinc vero si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, donec totum trãseat in adoptionem, & non sis peccator & quæras locum eius, & non inuenias.

7 In psal. 39. to. 8. IDEM explicans verba illa; Multiplicatę sunt super capillos capitis mei, dicit. Quis numerat capillos capitis sui? Multo minus peccata, quę excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt. Præcauisti ma- Nota.
gna, iam non facis adulterium, iam non facis homicidium, non rapis res alienas, non dicis falsum testimonium, moles istæ sunt peccatorum. Magna precauisti, de minutis quid agis? An non times minuta? Proiecisti molem, vide ne arena obruaris.

8 Tract. 12. in cap. 3. Ioan. nis. to. 9. IDEM inquit: Minuta plura peccata si negligantur occidunt. Minutę sunt guttæ, quę flumina implent, minuta sunt grana arenæ, sed si multa arena imponatur, premit, atq; opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruẽs. Paulatim per sentinam intrat, sed diu intrando, & non exhauriendo mergit nauim. Quid est autẽ exhaurire, nisi bonis operibus agere, vt non obruant peccata gemẽdo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo?

9 Lib. 50. homiliarũ homi. 16. to. 10 *1. Cor. 3.* *Dan. 7.* IDEM de venialiter peccantibus intelligit, si cuius opus arserit, detrimentum patietur, ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem, per fluuium igneum, de quo propheticus sermo cõmemorat, Et fluuius igneus currebat ante eum, per fluuium igneum & vada feruentibus globis horrenda transibunt. Quãta fuerit peccati materia, tanta & pertranseũdi mora. Quantum exegerit culpa, tantum sibi ex homine vendicabit quædam flammæ rationabilis disciplina. Et quia sermo diuinus quodam loco ænęæ ollæ animam peccatricem *Ezec. 24.* comparat, dicens; Pone ollam super prunas vacuam, donec concalescat æs eius, & omne stagnum eius defluat. Illic sermones otiosi, & cogitationes malæ, & multitudo læuium peccatorum, quæ puritatem nobilis naturæ infecerant, exundabunt, illic stagnum vel plumbum diuersorum subrepentium delictorum, quę diuinam imaginem obscurauerant consumentur, quæ omnia hic ab anima separari per eleemosynas & lachrymas compendiosa transactione potuissent. Ideo fratres conuertamus nos ad meliora, dum in nostra sunt potestate remedia, hic extinguamus mortem moriendo peccatis.

Peccata præterita recordare debemus, quæ sicut & aliena, quæ videmus, multas vtilitates afferunt nobis.

Cap. X.

1 Homil. 1. in psal. 37. to. 2. ORIGENES inquit. Iste psalmus qui modo lectus est docet, quod si quando præoccupauerit nos inimicus, & ignitis iaculis suis vulnerauerit animam nostram, conuenit in memoriam reuocare delictum, vt per recordationem culpæ stimulatum cor, & concitatum pro delicto suo interim refrænet ac reuocet, ne quid tale vltra committat. & propterea puto superscriptum esse ipsum psalmum. Psalmus Dauid in recordationem. Quid sit autem in recordationem per totum ipsius psalmi corpus enarrat, vbi peccati mala recensentur.

2 Hom. 2. in Psal. 50. to. 1 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Et peccatum meum coram me est semper dicit. Vidisti regem exomologesim. i. confessionem facientem, & ait: peccatum meum coram me est semper. O ingenuitas animæ, o mentis integritas. Non est oblitus peccati sui, & iniquitatis, quamuis concessum sibi fuerit, ille tamen in conscientia sua, tanquam in imagine adulterium, & homicidium depictum habebat. Et per singulos dies videbat putredinẽ, & ideo dicebat: & peccatum meum coram me est semper. Ego illud video, ne id consideres. Ego illud scribo, tu quasi Dominus dele. Vide enim quid sit, si tu memor sis, Deus nõ erit me-
Isa. 43. mor, si tu oblitus fueris, Deus eius memorabitur. Ego sum, inquit Dominus, qui deleo iniquitates tuas. Tu vero memor eorum esto. Vt quid ergo vis, vt memor sim? Vt gratior, inquit, sit misericordia mea, vt sentias quid tibi concesserim. Si enim semper memor fueris cumuli peccatorum tuorum, eris memor & magnitudinis beneficentiæ Dei. Concessit tibi, sed tu ne obliuiscaris, & non erit memor, sed tu semper recordare. Tales erant sancti, virtutes suas nõ meminebant, sed peccatorum suorum memoriã reuocabant. Non sic nunc homines peccata sua obliuiscuntur, sed celare cupiunt. Si quippiam autem boni fecerint, in medium proferunt, & omnibus probare festinant. Fecisti aliquod bonum, cela illud, vt Dominus tuus videat, & ipse laudet. Fecisti malum, memor esto, vt Dominus tuus illud obliuiscatur. Habeto codicem conscientiam, & scribe quotidiana peccata, & profer ea in medium, & reminiscere peccata tua, & reminiscens ea, effunde lachrymas, & poteris ea delere.

3 Homil. vlt. in 2. epist. ad Cor. to. 4 *2. Cor. 11.* IDEM eleganter ostendit quanta cum difficultate, & anxietate, & trepidatione sancti redigant in memoriam, & narrent præclara sua gesta, quæ relaturus Paulus se millies insipientem nominauit, & stultum, & enarratis ipsis dicit: Delirans hæc loquor, factus sum insipiens, vos me coegistis. Ea sanctis consuetudo, quod
2. Cor. 12. perperam, & malefecerunt, quotidie ante oculos proprios ponunt, & deplorant: quod autẽ ingenuum, & eximium abscondunt, & obliuione transmittunt. Talis est Paulus, peccata sua nemine impellente perpetuo versat, excan-
1. Tim. 2. tatque, siquidem aliquando dicit; Christus Iesus venit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. Item, qui prius blasphemus, & contumeliosus, &c. Et rursum:
1. Cor. 15. Postremo omnium tamquã abortiuo visus est & mihi, ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniã
Ephes. 3. persecutus sum Ecclesiam Dei. Et rursum: Mihi minimo omnium sanctorum data est gratia hæc. Non Apostolorum tantum, sed generatim omnium fidelium postremum se asserit. Ideo salutem accepi, vt in me primum ostenderet Christus Iesus omnem longanimitatem ad exprimendum exemplar ijs, qui crediturí essent in se in vitam æternam. Post tantam gratiam, post tam eximia virtutis opera primum se peccatorem nominat, & hæc de se nota facit, non solum eius ætatis hominibus, sed & omnibus posteris. Preconia vel vrgente necessitate grauatur, vel potius refugit enarrare. Reuelationem autem relaturus dicit: Scio hominem ante annos quatuordecim raptum vsque ad tertium cælum. Vides quod per annos quatuordecim eam tacuit, quam tanto post tempore, necessitate cogente, reuelauit. At nos contraria ratione prorsus nitimur. Ne vnius qui- 4
dem diei, qua peccauimus, tenemus memoriã, immo referentibus, indignamur, grauiterque succensemus. Ceterum si quid benefecimus, quantulumcumque fuerit, latissime prosequimur, recensentibus illud habemus gratiã, eos putamus amicos nobis. Sed & Christus diuersum præcepit, benefactorum obliuionem, memoriam peccatorum. Quod nobis clarum fecit in parabola pharisæi, cui publicanum præ- *Lucæ 18.*
posuit. Quemadmodum enim illum delictorum memoria iustificauit, ita hunc memoria suorum operum destruxit. Quarum rerũ Deus Iudæos admonens dicit: Ego sum is, qui ex- *Isa. 43.*
tinguo iniquitates tuas, & non meminero, tu vero memineris. Talis erat Apostolis consuetudo, talis prophetis, atque iustis omnibus. Qua propter Dauid peccati sui perpetuo me- *1. Reg. 17.*
minit, virtutis nunquam, nisi compulsus necessitate: sicut fecit quando pugnaturus cum Goliath præclara gesta sua regi Saul narrauit, quę si tacuisset, causa publica periclitaretur, cum ei licentiam rex concederet cum illo congrediendi, nec ad singulare certamen idoneum putasset. Samuel etiam tot annos præfectus populo Iudaico, nihil tamen vnquam de se eximium prædicauit, cum tanta essent in ipso laude digna, sed compulsus necessitate ea propalauit *1. Reg. 12.*
populo, quando regem postulauit. Et vt Paulus ostenderet quàm esset in se laudando moderatus, dixit: Vtinam sustineretis modicum quid *2. Cor. 11.*
insipientiæ meæ. Paululum tolerandam insipientiam dixit, quia breuius peruolitant encomiorum suorum narrationẽ. His discamus exemplis virtutum obliuionem, tenacemq. vitiorum memoriam fouere.

5 Hom. 5. de pœnit. to. 5. IDEM inquit; Decet autem nos purgatos a peccatis eadem ante oculos habere peccata, quamquam Deus multum de clementia ignoscat peccatum. Pro tuæ tamen animæ stabilitate, & salute habe ante oculos peccatum: etenim præcedentium memoria, futurorum continentia fiet. Et qui in prioribus morsus est, in secundis firmiorem ostẽdit sententiam. Propterea Dauid: peccatum meum, inquit, *Psal. 50.*
coram me est semper, quia ante oculos habens præcedentia, in futura minus deflues.

6 Hom. 6. de pœnit. IDEM dicit; Tribus de rebus permisit Deus sanctum Dauid ruere. Primum, quo iustos propria de vita roboraret. Sum religiosus, eremita sum, neque dicam, multum virtute,

virtute, officioq. profeci multis insignitus sum meritis, ieiuno, vigilo, oro, illachrymor, induor cilicio, corpus meum austeritate contrui, non iam diaboli impetus formido. Noli errare homo, ne mente in sublime tollaris, haud plura feciſti, quàm Dauid? Audi ipsum dicentem: Genua mea infirmata sunt a ieiunio, & corona mea infirmata est propter oleum. Et iterum: Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio, & humiliabam in ieiunio animam meam. Audi eum de vigilia dicentem: Media nocte surgebam ad confitendum tibi, audi eum de lachrymis dicentem: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectũ meum, lachrymis stratum meum rigabo. Audi eum de austeritate: Quoniam cinerem tanquam panem manducabam, & potum meum cum fletu miscebam. Et quid memoror, quæ de propheta sunt? Audi Dei testimonium dicens: Inueni Dauid filium Ieſſe, virum secũdum cor meum. Et post tamen tot gesta, post tot celeberrima officia, tales in errores delatus concidit. Neque ergo confidas, sed quotidie roboreris, quotidie Apostoli disciplina id accipiens: Qui se existimat stare, videat ne cadat. Secunda causa est, quo peccatores minus suis de rebus desperent: sed si peccauerit quis, quotidie confiteatur peccatum. Nihil enim desperatione deterius, quia qui desperat, se se maius in malum stimulat. Quid maius cæde, & adulterio? Et tamen postquam hæc patrauit Dauid, dicebat: Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Ne ergo desperet homo, in memoriam reuocet peccata aliena grandia, a quibus Deus homines liberauit, latronem, Paulum, Dauid, &c.

Psal. 108.
Psal. 34.
Psal. 118.
Ibidem.
Psal. 101.
Act. 13.
1. Cor. 10.
Psal. 31.

7 Hom. de pœnit. & cõfeſ.

IDEM ait; Memor esto peccatorum tuorum, & emendationis capias argumentum. Hæc vt audiuit Paulus, quod Deus peccatorum non sit memor, dicente Isaia: Ego sum, qui deleo iniquitates tuas, & nunquam memorabor, ipse continuo memor fuit, sic dicens: Non sum dignus, qui vocer Apostolus, quoniã persecutus sum Ecclesiam. Condonata fuerant peccata a Deo, sed memoria peccatorum condonatorum non euanuit apud Paulum. Et ea quæ Dominus deleuit, illa ipse inuulgauit. Audiuerat enim prophetam dicentem: Ego nõ memorabor, tu autem memor esto. Et quid dico, quod non confundit peccatorum memoria? Non ita claros nos reddit bonorum operum memoria, sicut memoria peccatorum: immo nos bonorum operum memoria non solum claros non facit, sed & confusione replet, & cõdemnabiles efficit. Peccatorum autem memoria implet nos fiducia, iustitiaq. multa. Quis hoc dicit? Pharisæus, & publicanus. Nam hic, dictis peccatis, redijt domum iustificatus, ille autem, dictis bonis operibus, descendit publicano inferior. Vides quãtum damnum sit meminisse operum, quanta vtilitas non obliuiſci peccatorum? Et valde merito, quia qui bona opera commemorat, arrogans efficitur, homines q. alios contemnit, id quod pharisæo accidit. Peccatorum autem memoria mentem humiliat, & humiliter sapere facit, & per humilitatem conciliat ei gratiam Dei. Vis aliunde discere, quod maximum bonum opus sit meminisse peccatorum? Audi beatũ Iob. Sicut enim de alijs gloriabatur, ita & de confessione peccatorum, sic dicens: Si autem & peccans sponte declinabam multitudinem populi mei, vt ne annunciarem peccata mea. Quod autem dicit, hunc sensum habet: Numquã me societas conseruorum ad pudorem duxit. Quæ enim vtilitas ex ignorantia hominum, si iudex sciat omnia? Quod autem damnum, si homines sciant delicta, quando ille absoluere vult a pœna, licet omnes condemnent, iudex tamen liberum pronunciet? Infra: Peccata nostra continuo memoremus. Non enim sufficit dicere, peccator sum, sed operæpretium est, & speciatim peccatorum reminiſci. Sicut ignis, qui in spinas inciderit, facile ipsas absumit, ita & cogitatio, quæ continua in seipsa omnia versat peccata, quæ a iuuentute fecit vsque ad senectutem, ea exuit.

Iob. 31.

8 Hom. 41. ad populũ Antiochenum.

IDEM sic habet; Pœnitentem numquam oportet obliuioni peccatum tradere. Sed Deũ quidem rogare, ne eius meminerit, ipsum vero numquam ipsius obliuiſci. Si nos eius non recordamur, Deus ipsius non obliuiſcitur, si nos eius meminerimus, Deus obliuiſcetur: nos ipsos accusemus, ita placabimus iudicem. Magnum est bonum agnoscere peccata, & eorum semper meminisse. Nil ita corrigit peccatum, sicut perennis memoria, nihil tam segnem facit hominem ad malum. Scio quod resilit conscientia, nec a malorum memoria vellet flagellari, sed animam comprime, & ei chamum impone. Tamquam in frẽnis equus indignatur, nec quod peccauerit sibi vult persuadere, hoc autem totum est satanicum. Coram iudice cõfitere peccata tua deprecans, etsi non lingua, saltem memoria, & ita pete tibi misericordiam exhiberi. Si peccata iugiter habeas in memoria, numquam in proximum irę memoriam seruabis, non dico, si tibi persuaseris te peccatorem esse. Non ita potest hoc animam humiliare, sicut ipsa per se peccata, & per species ruminata. Non eris mali memor, hæc semper in memoria gerens, non irasceris, non conuiciaberis, non altum sapies, non rursus in eadem cades, eris ad bona fortior. Vides quot ex peccatorum memoria nascantur bona? Scribamus igitur in mentibus nostris. Scio quod anima tam amaram non æquefert memoriam, sed cogamus eam, & constringamus. Melius est nunc eam ipsa morderi memoria, quam per illud tempus supplicio. Si nunc eorũ sis memor, & ea continue Deo proferas, & pro ipsis deprecẽris, ea cito delebis: si nũc ex vero fueris oblitus, tunc & inuitus coram omni mundo eorum commonefies, ipsis in medium se ferentibus, & coram omnibus ostentantibus, & amicis, & inimicis, & Angelis. Non enim ad solum Dauid dicebat: Quæ tu feciſti occulto, ego faciam

Luc. 18.

2. Reg. 12.

ciam omnibus manifesta, verum & ad omnes nos. Redarguam enim te, sub omnium oculis tua ponens peccata. Quòd enim nisi nunc ea iugi memoria deleuerimus, hoc est verum & illo die nostra cunctorũ peccata propalãtur.

9 In epiſt. ad Algaſiã q. 8 to. 3.

HIERONYMVS sic habet. In tricesimo septimo psalmo cuius titulus est, in cõmoratione, vt doceat nos, semper peccatorũ nostrorum memores esse debere, & agere pœnitentiam, tale quid legimus, non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. Quoniam iniquitatem meam annunciabo & cogitabo pro peccato meo.

Psal. 37.

10 In epiſt. de laude virginitatis. to. 4

IDEM inquit: Magis parcendum fuerat Adam peccanti, quam tibi: quia nouellus erat adhuc & rudis, & nullius ante peccantis, & propter peccatum suum morientis, retrahebatur exemplo: quod in te non contingit, qui alienis peccatis & pœnis visis non emendaris.

11 Lib. 5. in capu. 16. Ezechiel. to. 5.

IDEM exponens verba illa; Et suscitabo tibi pactum meum tecũ, & scies quia ego Dominus vt recorderis, & confundaris, & non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua, cum placatus fuero tibi in omnibus quę feciſti, ait: Dominus dicit: Sanctorum est aperire os iuxta Apostolum qui ait, Os meum patet ad vos ò Corinthij. Peccatori autem dicitur, peccaſti? quiesce. Ex quo intelligimus etiam cum per misericordiam Dei receperimus pristinã gloriam, postquam placatus fuerit nobis Dominus in omnibus quæ fecimus, memoriam prẽteriti nos habere peccati, & semper os claudere, quia non ex operibus nostris, sed ex Dei gratia saluati sumus.

2. Cor. 6.

12 In pſal. 76. to. 7.

IDEM explicans verba illa; Anticipauerũt vigilias oculi mei turbatus sum, & nõ sum locutus, inquit. In hebræo aliter habet: Prohibebam suspectum oculorum meorum, constupebam, & non loquebar. Quod dicit, hoc est, considerans peccata mea oculos ad cælum erigere non audebam, peccatori enim dicit Deus. Vt quid tu enarras iustitias meas? Propter hoc stupebam, timebam, loqui non poteram.

Psal. 49.

13 Lib. de Cain & Abel ca. 10. to. 4.

AMBROSIVS sic habet: Qui in Cain septies se vindicauit propter fratricidium, in Lamech septuagies septies vindicatur, quia grauior culpa eius est, qui nec post damnationem se correxit alterius. Cain impetu quodã improuido ante peccauerat, Lamech vtique quod in altero reprehensum aduerterat cauere debuerat.

14 In pſal. 50. to. 2.

AVGVSTINVS explicans verba illa; Quoniam iniquitatem meam ego cognosco & delictum meum coram me est semper, ait. Nõ posui post dorsum meum quod feci, non intueor alios oblitus mei, non affecto stipulã eijcere de oculo fratris mei, cũ sit trabes in oculo meo. Peccatum meum ante me est, nõ post me. Fuit enim post me quando ad me missus est propheta, & de oue pauperis similitudinẽ mihi posuit. Tunc peccatum eius nondũ erat coram eo, post dorsum erat quod fecerat. Suã iniquitatem nondum agnoscebat, & ideo alienæ nõ ignoscebat, sed diuiti qui tulit ouẽ pauperis indignabatur. Sed propheta ad hoc missus abstulit a dorso peccatũ, & ante oculos posuit, vt videret illam sententiam tam seueram in se esse prolatam. Quando mulierem deprehensam in adulterio Iudæi statuerunt ante Iesum, dixit: Qui sine peccato est vestrum primũ in illam lapidem mittat, vt videntes peccata sua adulteram non lapidarent, sed illam solam cum Domino reliquerunt. qui enim propria videt peccata alienis non monetur. Infra: Auerte faciem tuam a peccatis meis & omnes iniquitates meas dele. Bene rogat ipse enim non auertit faciem a peccatis suis dicẽs, Quoniam peccatum meum ego cognosco, & peccatum meum coram me est semper. Merito rogas vt Deus auertat faciem a peccato tuo, si tu inde non auertis faciem: si vero peccatũ tuum in dorso ponis, Deus ibi faciem ponit. Tu peccatum tuum ante faciem tuã conuerte, si vis vt inde Deus faciem suã auertat, & sic securus rogas, & exaudit, & faciẽ auertit a peccatis tuis ille, quem rogas ne auertat faciem suam a te.

Ioan. 8.

15 In pſal. 75.

IDEM exponens verba illa; Quoniam cogitatio hominis cõfitebitur, & reliquiæ cogitationis diem festum agent tibi, dicit. Prima cogitatio, posteriores, reliquiæ cogitationis. Quæ est cogitatio prima? Vnde incipimus, bona illa cogitatio vnde incipies cõfiteri. Iã vero cõfessio ipsa. i. prima cogitatio facit in nobis reliquias cogitationis, & ipsæ reliquiæ cogitationis solẽnia celebrabunt tibi. Quæ est cogitatio quæ confitebitur? Quæ dãnat vitã priorẽ, cui displicet quod erat, vt sit quod nõ erat, ipsa est prima cogitatio. Sed quia sic debes recedere a peccatis prima cogitatione confessus Deo, vt nõ tibi recedat de memoria quia peccator fuiſti, per hoc qđ peccator fuiſti solẽnia celebras Deo. Adhuc intelligendũ est. Prima cogitatio cõfessionẽ habet, & recessionẽ a vetere vita, sed si oblitus fueris a quibus peccatis liberatus sis, non agis gratias liberatori, & nõ celebras solemnia Deo tuo. Ecce prima cogitatio cõfitens Sauli Apostoli, iã Pauli, qui primo Saulus fuit, quãdo audiuit vocem de cælo, cum persequeretur Christũ, & fureret in Christianos, & vellet, vt vbicumq; inuẽtos adduceret, necandos, audiuit vocẽ de cælo, Saule, Saule, quid me persequeris? Et circũfulsus lumine, facta sibi cæcitate in oculis, vt intus videret, emisit primam cogitationem obedientię cum audiret, ego sum Iesus Nazarenus, quẽ tu persequeris: Domine, ait, quid me vis facere? Et hæc cogitatio confitentis iam Deum appellat, quem persequebatur. Quomodo reliquiæ cogitationis solemnia celebrabãt in Paulo audiſtis cũ ipse Apostolus legeretur, Qui prius fui blaſphemus, & persecutor, & cõtumelioſus. Vt non esset blaſphemus, fuit prima cogitatio confitens, vt autem cõmemoraret quid illi donatum est, reliquiæ cogitationis erant, per ipsas reliquias cogitationis solemnia celebrabat in memoriam reducẽs peccata præterita iam dimiſſa.

Act. 9. 16

1. Tim. 2.

missa. Etenim fratres mei, ecce innouauit nos Christus, donauit omnia peccata, & conuersi sumus. Si obliuiscamur, quid nobis donatum est, obliuiscimur munus Saluatoris, quasi quotidie ergo nos innouet, qui prima gratia sua nos innouauit. Prima cogitatio fuit confitentis recedere à peccato, modo sint reliquiæ cogitationis, si id non recedat a memoria, vulnus te habuisse, si oblitus fueris, non tibi erunt
2. Reg. 12 reliquiæ cogitationis. Dauid ex omnium persona dicit corripente Nathan propheta, Peccaui. Hæc fuit prima cogitatio confitentis.
Psal. 50. Cogitatio hominis confitebitur tibi. Quæ erant reliquiæ cogitationis quando ait, & peccatum meum ante me est semper? Prima cogitatio vt recederet a peccato iam transiit, sed reliquiæ cogitationis solemnia celebrabunt, cum ait, peccatum meum coram me est semper. Quisquis ergo liberatus fuit a peccato, meminerit illius & sint in illo reliquiæ cogitationis.

Peccatis & peccatoribus mundus plenus in malum Reipublicæ, quia non considerat quod peccata secreta, & quæ videntur dulcia erunt patentia, & amara.

Cap. XI.

1 Homil. 7. in cap. 6. Ioso. to. 1.

ORIGENES explicans diuinam vltionem in populum factã propter peccatum illius qui tulerat de anathemate Hiericho pallium, ait: Sed illud nõ ocioſe transcurrendũ est, quòd vno peccante ira super omnem populũ venit. Hoc modo accidit quando Sacerdotes qui populo præsunt, erga delinquentes benigni volũt videri & verẽtes peccantiũ linguas, ne forte male de eis loquãtur, sacerdotalis seueritatis immemores nolũt implere quod scriptum est: Peccãtem coram omnibus argue, vt & ceteri timorem habeant. Et iterum auferte malum ex vobis ipsis. Et dum vni parcũt, vniuersæ ecclesiæ moliuntur interitum. Polluitur enim ex vno peccatore populus. Sicut ex vna oue morbida grex vniuersus inficitur, sic etiã vno, vel fornicante vel aliud quodcũque sceleris committente plebs vniuersa polluitur. Et ideo obseruemus nos inuicẽ, & vniuscuiusq; cõuersatio nota sit maxime sacerdotibus & ministris. Nec putẽt se recte dicere, quid hoc ad me spectat, si alius male agit? Hoc est dicere caput ad pedes, quid ad me pertinet si dolent? Si male habent pedes mei, nõ mea interest, dũmodo caput in sanitate perduret. Aut si dicat oculus manui, nõ indigeo opera tua, quid ad me pertinet, si vulnerata es? Hæc diximus quia videmus in scripturis sanctis referri, quòd propter vnũ peccantem anathema facti sunt filij Israel ita vt vincerentur ab hostibus.

2 Homil. 22. in primam epist. Pauli ad Cor. to. 4

CHRYSOSTOMVS vt ostẽdat peccato nullã inesse voluptatem, ait: Tunc scelle matitiam amariorem inueniemus, cum virtutis dulcedinem degustauerimus. Si quidem etiã nũc iniucũda & grauis, & molesta malitia est, quòd neque ipsi eius cultores contradicunt. Verum cum eã abiecerimus, tũc apertius eius aspera præcepta intelligemus. Ad quã si multi concurrunt nihil mirum. Nam & pueri sæpe numero minus suauia eligunt, negligũt autem potiora, & aduersa laborantes valetudine pro caduca gratia perpetuam & certiorem lętitiam perdiderunt, hoc amantium infirmitatis, & amentiæ est, nõ ipsius rerũ naturæ. Quid enim aliud est voluptas, quàm curarum, formidinis, ignominię vacatio & omnibus inuictum esse? & quisnam in voluptate est, dic quæso? Num insanus, num furens, & multis agitatus cupiditatibus & qui communi sensu caret, an qui his omnibus fluctibus liber tanquã in portu philosophia conquiescit? Nonne perspicuũ est hũc esse in voluptate, sed hoc virtutis proprium esse apparet. Vitium autem nomen tantum voluptatis habet, revera autẽ omni caret voluptate, & antequam fruatur insania est, non voluptas, postea vero quam eam consecutus quis est, quamprimum & ipsa extinguitur. Si igitur neque in principio, neque postmodũ huiusmodi videre voluptatẽ licet, vbi apparet & quomodo? Vt autem apertius quod dico intelligas exemplum sermoni nostro adducamus. Amauit quispiam mulierem pulchrã, hic quousque amore suo non potitur furentibus & insanientibus similis est. Cum potitus est, cupiditas illa extinguitur. Quòd si nec in amoris principio lætatur (insania enim ideſt) neque in fine (coitu enim furor ille dissoluitur) vbi iam eam voluptatem inueniemus? in virtutis autem exordio omni caremus perturbatione, & nullus voluptatis est finis.

3 Homil. 5. in epist. ad Hebræos.

IDEM sic dicit; Quia cõtra vitia pugnandum est homini Christiano dixit Paulus: State succincti lumbos vestros. & intulit, in veritate. Quare in veritate? Illusio quippe est, & falsitas, cupiditas, propterea dixit propheta: Quoniã lumbi mei impleti sunt illusionibus. Non est voluptas ista res, sed vmbra voluptatis. Succincti, inquit, lumbos vestros in veritate, hoc est, in vera voluptate, in temperãtia, in honestate. Vera enim voluptas nusquã reperitur in peccato, sed imaginaria & ficta, in virtute autem vera.

Ephes. 6.
Psal. 37.

4 Lib. 6. in cap. 14. Isai. to. 4.

HIERONYMVS explicans illa verba; Ab aquilone enim fumus venit, & non est qui effugiat agmen eius. Et quid respondebitur nũcijs gentis, quia Dominus fundauit Sion, sic habet: Fumus iste ardentibus diaboli iaculis suscitatur. qui noxius est oculis, & contrarius lumini, & ab aquilone oritur, a quo in Hieremia, Olla succenditur, & a quo exardescunt mala super omnes habitatores terræ: qui non possunt dicere, Aduena ego sum apud te, & peregrinus sicut omnes patres mei, sed in terra habitant. Vnde & in prouerbijs legitur: Aquilo ventus durus. Nomine autẽ alio dexter vocatur, qui cum per se durus sit & sinister, vocatur

Hier. 1.
Prou. 25.

vocatur dexter ab his, qui ponunt dulce amarum, & amarum dulce, qui ponunt tenebras lucem, & lucẽ tenebras, & nullus est, qui fumi huius agmen effugiat. Nemo enim absq; peccato. Cumq. Philistæa corruerit, & fumus eius vniuersa penetrarit, ita vt eum nullus possit effugere, quid dicetur Angelis, qui singulis prẽsunt gentibus admirantibus, & scire cupientibus cur sola Sion in specula, & in sublimibus collocata amaritudinem fumi huius euaserit? Quid
1. Cor. 3. igitur dicetur eis? Nempe hoc, quod sequitur, Quod Dominus fundauerit eam, & ipse sit fundamentum eius, quia fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus.

4 Lib. 3. in c. 13. Hier.

IDEM exponens verba illa; Dices ad eos sermonẽ istũ: Hęc dicit Dominus Deus Israel, Omnis lagũcula implebitur vino, inquit. Ostẽdit in his verbis nos vas esse fragile, iuxta Apo
2. Cor. 4. stolũ dicentem: Habemus thesaurum istum in
Rom. 7. vasis fictilibus, nec posse fieri, vt non illud impleatur in nobis, quod scriptum est: Non habitat in carne mea bonũ. Hac autẽ ebrietate, qua obliuiscimur præceptorũ Dei, & vitijs, atq; peccatis omnis impletur humana conditio, dicẽte
Psal. 142. propheta: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Quia quod nobis interdũ mundum videtur, illius oculis sordidum deprehenditur, non solum vulgus ignobile, viliſq. plebecula: sed reges Ecclesiarum de stirpe siue filij Dauid, sacerdotes ipsi, & prophetæ, qui videntur habere scientiam scripturarum, & omnes habitatores Hierusalem pro varietate peccatorum complentur. Vnde ait: Ecce ego implebo omnes habitatores terrę huius, & reges, qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitatores Hierusalẽ ebrietate, docẽs quod nullus sit, qui pro qualitate peccati hac ebrietate careat.

5 Lib. 1. in c. 4. Osee. to. 6

IDEM exponẽs verba illa; Nõ est veritas, non est misericordia, nõ est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidiũ, & furtum, & adulterium inundauerũt, & sanguis sanguinẽ tetigit, inquit. Plena malis est terra, & pro veritate mendacium, & pro misericordia maledictum, homicidium, furtum, adulterium. Non dixit est, sed vt delictorum abundantiã demonstraret, intulit, Inundauerunt, & pro scientia Dei, quę nõ est in terra, Sanguis sanguinem tetigit, siue sanguinẽ sanguini miscuerũt, vt augerent peccata peccatis, & nouis vetera cumularent. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea in bestia agri, & in volucre cęli. Sed & pisces maris congregabuntur. Quia mala inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit, ideo lugebit terra cum habitatoribus suis, vt etiam iram Domini bruta animalia, & muta elementa sentiant.

6 In c. 5. Proverb. to. 7

IDEM exponens verba illa; Ne intẽderis fallaciæ mulieris. Fauus enim distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Nouissima autem illius amara, quasi absynthium dicit. Recte sapientia huius mundi, atque concupiscentia eius fallax mulier dicitur, quæ per nitorem gloriæ temporalis, & peccati dulcedinem animas reproborum, dum demulcet, a Deo meretricari facit, & de vana spe præsentis sæculi deceptos fallit. Nouissima autem illius, &c. Potio absynthij intus amarescit in viscеribus, gladio foris membra feriuntur. Vt igitur ostendat iniquos in vltima vltione, & interius impleri, & extrinsecus pœnis circũdari perpetuis, & amaritudine illos absynthij torquendos, & gladio assęuerat esse truncandos.

7 In c. 20. Iob

IDEM exponens verba illa; Cum dulce fuerit in ore eius malũ, abscondet illud sub lingua sua, sic habet: Dulcia mala sunt impio, blasphemia, & cetera oris peccata. Abscondet sub lingua sua, dicens: Vbi est ei labor, & dolor, & defendet, atque celabit, vt ait scriptura: Qui contegit iniquitatem suam non prosperabitur. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Panis scilicet tota vita huiusmodi hominis est delectatio peccatorũ, dulcedo illecebrarum, & suauitas, quæ amara illi, & mortifera postmodum erit. Quod autẽ dixit in ventre eius, hoc ait, quod etiã in corde suo pro iniquitatibus suis amaros dolores, acerbos, & nimios conscientia torquente patiatur. Diuitias, quas deuorauit, euomet, & de ventre illius extrahet eas Deus. Quia Deus pœnas illatis criminibus reddet. Nõ videat riuulos flumi nis, torrẽtes mellis, & butyri. Hoc est, amœnitatẽ, & dulcedinẽ paradisi, affluẽtiamq. bonorũ.

8 Lib. de fuga sęculi cap. 5 to. 1.

AMBROSIVS in fine dicit; Et non mediocris causa cur sęculum fugere debeamus, vt perueniamus a malis ad bona, ab incertis, ad fidelia, & plena veritatis, a morte ad vitam. Fugiamus malitiam sęculi huius, in quo ipsi dies mali sunt. Quis non fugiat malitiæ locum, officinam impietatis, quæ interire nesciat? Denique non otiose signum positum est supra Cain, ne quis eum occideret, vt significaretur, quod non extinguatur, & auferatur a terris malitia. Versatur itaque in terris malitia, & ideo rogamus voluntatem Dei fieri in terris, sicut fit in cœlis, vt & hic sit innocentia. Itaque malitia quoniam illic iam locum non habet, hic circuit, hic sæuit, seseq. infundit, non mundano illo mersa diluuio non Sodomitano exusta incendio. Denique grauius postea in seminarijs pullulauit, vsque in ipsum parricidales; ac sacrilegas inijciens manus vniuersorum auctorem salutis.

9 Lib. 1. quæst. ad Simplicianũ. to. 4.

AVGVSTINVS explicans verba illa Pauli ad Rom. 7. Peccatum fefellit me occasione accepta per mandatum, ait: Peccatum non legitime vtens lege, ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est, & ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quàm plures, atque maiores pœnarum amaritudines consequuntur. Quia ergo ab hominibus nondum spiritalem gratiam percipientibus suauius admittitur, quod vetatur, fallit peccatum falsa dulcedine.

10 Lib. 20. contra Faustũ Manic. to. 6

IDEM sic habet; Agnoscenda est paucitas illa, quam Dominus præcipue commendat in ingenti, atque innumerabili multitudine toto orbe diffusa, quæ tamen paucitas

sanctorum, atque fidelium, quod sæpe commendandum est, tamquam granorum in comparatione multitudinis palearum, paucitas dicitur. Et adhuc in hoc paruo numero fidelium multi Christiani Catholici vocantur, & sunt adulteri, raptores, auari, ebriosi, & quicquid aliud sanæ doctrinæ aduersatur.

11 IDEM explicans verba illa; Multiplicati sunt super numerum, inquit. Est numerus, sunt super numerum. Numerus certus est pertinens ad illam cælestem Hierusalem. Nouit enim Dominus qui sunt eius, Christianos timentes, Christianos fideles, Christianos præcepta seruantes, Dei vias ambulantes, a peccatis abstinentes, ipsi ad numerum pertinent. Sed numquid soli sunt? Sunt & super numerum. Nam etsi modo pauci sunt, pauci in comparatione multitudinis malarum frequentiarum. Quantis turbis implentur Ecclesiæ, stipantur parietes, pressuris se vrgent, prope se suffocant multitudine. Rursus ab eis ipsis curritur ad amphytheatrum. isti mali sunt, & isti sunt super numerum. Quanti fideles agglomerantur, quantæ turbæ currunt? Multi vere conuersi, & multi falso conuersi, & pauciores sunt vere conuersi, plures falso conuersi, quia multiplicati sunt super numerum.

12 IDEM exponens verba illa; Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, dicit. Dirumpere vincula, remisisti peccata. Sed non vis modo dirumpi vincula tua, quia non sentis, vincula tua etiam delectant te, & voluptati sunt, senties in fine, cum dicetur: Ligate illi manus, & pedes, & proijcite illum in tenebras exteriores, ibi erit fletus, & stridor dentium. Infra: Sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium. Aspis ita aures claudit, vnam terra, alteram cauda. In cauda posteriora vtique intelliguntur. Ergo non in præterita, quo iam tergum oportet ponere, vt in ea, quæ nobis promittuntur intēdamus, ergo nec ex præterita vita nostra, nec ex præsenti delectari debemus. Hoc enim Apostolus monet, dicens: Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis. Reuocat a recordandis cum delectatione præteriris, & cum quadam concupiscentia fruendis, ne redeamus corde in Aegyptum. Quid de præsentibus? Quomodo iubet etiam ipsa contemni? Non respicientibus, inquit, quæ videntur, sed quę non videntur. Quę enim videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Obliuiscere ergo prēterita, quibus male vixisti, contemne præsentia, quibus temporaliter viuis. Si enim præsens vita te delectat, aurem in terra posuisti, si tuis præteritis etiam retro labentibus delectaris, aurem de cauda obturasti. Debes ergo in luce ambulans, & exultans dicere: Quæ retro sunt obliuiscēs, & in ea, quæ sunt priora extendens meipsum. Non dixit, quæ retro oblitus, & ex præsentibus delectatus. Infra: Priusquam intelligerēt spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos. Augustinus legit: Priusquam producat spinas vestras rhamnus, tamquā bibentes, tamquā in ira combibit eos. Rhamnus spinarum genus est, densissimæ quædam spinæ esse dicuntur. Primo herba est, & cum herba est mollis, & pulchra est, ibi sunt tamen spinæ, postea processuræ. Modo ergo delectant peccata, & quasi nō pungunt. herba est rhamnus, & modo tamen est spina: priusquam producat spinas rhamnus, priusquam miserarū delectationum, & voluptatum manifesta tormenta procedant, interrogent se qui aliquid amant, & ad id peruenire non possunt, videant, si non cruciantur desiderio, & cum peruenerint ad id, quod illicite desiderant, attendant, si non cruciantur timore. Videant ergo hic pœnas suas, antequam veniat illa resurrectio, cum in carne resurgentes, non immutabuntur. Omnes enim resurgemus, sed non omnes immutabimur. Habebunt enim corruptionem carnis, in qua doleant, non in qua moriantur. Tunc spinę illius rhamni, ideſt, dolores omnes, & cōpunctiones tormentorum producentur. Quales spinas patiētur, illi qui dicturi sunt, Hi sunt quos aliquādo habuimus in derisum? Spinę cōpunctionis, & pœnitentię, sed serę, & infructuosæ sunt, sicut spinarum sterilitas. Non vis illas pati spinas? Hic compungere spinis pœnitentiæ, vt facias, quod dictum est in psalmo: Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina. Sed etiam modo priusquam producat spinas rhamnus supercecidit ignis, qui eos non permittit videre solem, qui eos adhuc viuentes in ira Dei cōbibit, ignis concupiscentiarum malarum, bonorum vanorum, & quicquid eos premit, ne cognoscant veritatem. Ergo ille ignis concupiscentiarū malarum combibit rhamnū, priusquam producat spinas eorum, ideſt, occultat eorum malam vitam, priusquam pariat eorū vita manifestos in fine cruciatus: sed in ira Dei occultat rhamnum ignis iste, qui supercecidit, ne videant solem. Non.n. parua pœna est, quòd modo non vident solem, nec spinas pœnarum credūt ex hac vita mala sibi posteaprocessuras. Vos enim, inquit, rhamnus estis, quē rhamnū, ideſt, vosipsos viuentes, ideſt, adhuc in vita constitutos, priusquam in futuro iudicio spinas pœnarum nostrarum manifestas producat, nunc in ira combibit, ideſt, quasi absorbendo apparere non sinit. Quare autem non dixit viuentes, sed tamquam viuentes, nisi quia falsa est hæc vita impiorum? Neque enim viuunt, sed viuere sibi videntur.

14 IDEM inquit; Videte illud, quod putatur dulce modo satis esse in breuitate temporum, quàm amarum erit in ignem æternum, quàm graui, & perpetua pœna punienda erit breuitas delectationis. Delectatio occidit, & præterijt, vulnerauit, & transiuit, miserum fecit, & abijt, infelicem reddidit, & reliquit.

15 GREGORIVS explicās illa verba Iob 30. cap. Et radix iuniperorum erat cibus eorū, sic habet. Illud mali comedūt, vnde in extremo vitæ suppliciorū aspera proferuntur. Qui dum frugem

frugem diuini eloquij non concupiscunt, sed ad rerum temporalium ambitum seruiūt, nequaquam pane tritici, sed radice iuniperi satiantur. Ipsa quippe eos ab imis, atq; infimis oborta occupant, quæ illos more iuniperi post modum ex duritia tribulationū, velut ex asperitate foliorum pungant. Contemnentes namque Deum hic minime sentiunt, quantū sit malum quod agunt. Adhuc enim iuniperi radicem comedunt, sed huius radicis quàm sint rami asperi non attendunt: quia nimirum prava actio modo quasi ex radice delectat in culpa, sed postmodum quasi ex ramis pungit in pœna. Qui de conuallibus ista rapientes cum singula reperissent, ad ea cum clamore currebant. Mali semper in oblectatione infima, quasi in conuallibus conuersantur, & dum quodlibet lucrum etiam paruum inueniūt, cum clamore currunt, & pro eo litigant. Qui blandimenta hic transitoriæ consolationis quærūt, herbas comedunt. Et quoniam soli auaritiæ deseruiunt, radice iuniperi replentur. Dicunturq. isti habitare super glaream, ideſt minutos lapillos torrentium. Glarea namque est vita præsens, quæ indesinenter ad terminum suum ipso defectu mutabilitatis, quasi impulsu fluminis ducitur. Super glaream itaque habitare est fluxui vitæ præsentis inhærere, & ibi intentionem ponere, vbi gressum nequeat fixe stando solidare.

Peccata acriter punit Deus etiam in hoc sæculo, illaq. sunt causa malorum temporalium. Cap. XII.

1 Homil. 4. in cap. 7. & 8. Iuda. to. 1.

RIGENES sic habet: Quod aquæ fluminum in Ægypto vertantur in sanguinem satis conuenienter aptatur. Vt is fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, auctoribus sceleris poculum sanguinis redderet, & cruorem polluti gurgitis, quem parricidali cæde maculauerāt, potando sentirent: & hac pœna puniret Deus Ægyptiorum peccata.

2 Hom. 20. in cap. 25. Num.

IDEM narrat consilium, quod dedit Balaam propheta regi Balach, vt vincere posset Israel, ipsum inducendo ad peccādum, dicens: Populus hic non proprijs viribus, sed Deum colendo vincit, & pudicitiam conseruando. Si vis eum vincere, primo eorum pudicitiam deijce, & sponte vincentur. Sed aduersum hæc non virtute militum, sed mulierum decore pugnandum est, nec armatorum vigore, sed mollicie feminarum. Procul hunc amoue armatorum manum, & electā congrega speciem puellarum, forma vincit armatos, ferrum pulchritudo captiuat, vincentur specie, qui non vincentur prælio. Captiuantur ergo Israelitæ nō ferro, sed luxu, & fornicantur in mulieres Madianitas, & ira Dei insurgit super eos. Nos ergo primo ipsæ historiæ textus ædificet, vt discamus ex hoc, quoniam aduersus nos militat fornicatio, aduersus nos iaculantur tela luxuriæ.

IDEM exponens verba illa; Armate ex vobis viros, & belligerate aduersum Madian, reddere vindictā in Madian a Domino, mille ex tribu, & mille ex tribu ex omnibus tribubus Israel mittite ad belligerādum, sic habet: Recordare præterita, audi præsentia. Filij Israel dudum sexcenta millia fuerant armatorum, qui processerant aduersum Madian, & hi omnes victi sunt, quoniam peccatum erat in ipsis. Nunc Madianitæ, qui fuerant victores, qui sexcenta millia fugauerant, vincuntur a decem millibus, vt scias, quia non in multitudine, nec in numero militum vincit Israel, sed iustitia, & pietas est in eis, quæ vincit. Propterea denique, & in benedictionibus eorum dicitur, Quia si seruauerint legem Domini vnus ex ipsis persequatur mille, & duo vertant decem millia. Vides ergo, quia multo plus valet vnus sanctus orando, quàm peccatores innumeri præliando. Oratio sancti penetrat cælum, quomodo non & hostem vincat in terris? Et ideo omnimode studendum est quærere primo, & custodire iustitiam Dei. Quam si obtinueris, & seruaueris, omnes tibi hostes ipsa subijcient, si fueris indutus loricam iustitiæ, & accinctus veritatem, si galeam salutis acceperis, & gladium spiritus, & ante omnia scutum fidei, in quo possis omnia iacula maligni ignita extinguere. Talibus enim instructus armis vniuersa diabolica castra, omnemq. eius fugabis exercitum, & cum fiducia cantabis. Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si insurgat in me prælium, in hoc ego sperabo. Congrediūtur ergo duodecim millia aduersum Madianitas, & interficiunt, inquit, omne masculinum eorum, & reges eorum, & Balaam filium Beor interfecerunt gladio cum reliquis vulneratis eorum. 3 Hom. 25. in c. 31. Num.

BASILIVS hom. in diuites auaros, quam prædicauit, quando magna existente siccitate, fames Cęsareæ inualuit, cuius exordiū est: Leo rugiet, quis non timebit, Dominus Deus locutus est, & quis non prophetabit? Proœmiū faciamus sermonis huius, initiū, & vatem, Amos coadiutoré assumamus ad vsum eorum, quæ dicēda proposuimus, qui & ipse olim talibus afflictionibus cōsuluit, quales nos hodie turbāt, vt quid vtile nobis sit, consilium ac sentētiam nostram exponamus. Nam & ipse propheta in superiorum temporum calamitate, maiorum pietatem populo deferente, ac legem, & mandata negligente, & ad idolorum se se cultū impudentissime conuertente, factus est pœnitētię prœco, ad cōuersionem illos adhortatus, & futurorū suppliciorum grauitatē minatus. Mihi quoq; vtinam aliquo vsq; zelo veteris historiæ liceat vti, exitū vero, & excessum, qui ob eorū peccatū secut' est, videre nequaquā cōtingat. Populus.n. ille sicut equus indomitus adhuc durus, ac frænū mordens, minimeq. mādatis obtēperans a recta excedens via, ac cōtra aurigā contēptis habenis insultans per abrupta & cō- 4 Hom. 8. to. 1

fragosa se se præcipitē dedit. Vnde dignā suæ contumaciæ pœnam merito luit. Quod ne nobis eueniat, obsecro. Cælum nunc fratres dilectissimi videmus solidū, nudum, ac sine nubibus serenitate sua, & puritate nos contristans, quàm antea iam desiderauimus, qñ profundis coopertum nubibus, & procellosos nos reddebat, & sole priuabat. Terra vero iam exiccata ad extremū aspectu est horrida, & ad agriculturam sterilis & infœcunda, deinde ob siccitatē scissa, hiatus patefecit maximos, vt in imis visceribus solis excipiat radios. Fontes plurimi, & perennes nos deseruerūt. Fluminū quoque magnorum cursus desierunt. Minutissimi paruuli pedes illos permeāt, & mulieres onustæ totos penetrant, & transeunt, nostrorum multos potus quoq; destituit, ac demū in magnā nos Deus viuendi difficultatē constituit. Israelitæ noui Moysen quærentes nouū, baculumq. illū prodigiorum productorē desiderāt, vt rursus diruptæ petræ vsum sitienti populo præbeant, nubes quoq; subitæ, & admirabiles inauditū mannę cibū mortalibus irrorent. Timendum sane nobis, ne malorum exēplum infamis calamitate posteris nostris existamus. Vidi campos steriles, & arentia rura dudū sine fructibus, lachrymansq. mœstas edidi querelas, quòd pluuia nobis nulla data est, ex quo nec sata nascuntur, & eodē modo, quo ea aratrum occultauit, permanent. Aut si forte nata,
5 statim tenera æstu sunt absumpta. Coloni per campos sedent manibus genua cōplexi, qui habitus lugentis est, & aruorum tristi aspectu cō territi, suos, boumq. labores perditū iri vehementer dolent, ac lachrymantur. Dicatur igi-
Amos 4. tur & ad nos ab ipso propheta. Et ego, inquit, trium mensium pluuiam ante vindemiæ tēpus a vobis prohibebo, & pluam super ciuitatem vnam, & super ciuitatem vnam non pluam. Et pars vna inundabitur, & pars altera, super quam nō pluam, aresçet. Conuenient duæ, aut tres ciuitates, vt bibant aquam, & non implebuntur, quia non conuersi estis ad me, dicit Dominus. Discamus igitur his verbis, quòd ob auersionē nostram, ac negligentiam has nobis calamitates inflixit Deus, non extinguere nos quærens, sed emendare, castigareq. cupiēs, more piorum patrum erga desides, & iuniores filios, qui irascuntur quidem, & excitantur erga adolescentes filios, non mali aliquid eis facturi, sed officiosa castigatione ex ignauis diligētes reddituri, & ad officium deducturi. Aspicite quæso nunc, quemadmodum nostrorum pōdus peccatorū anni, temporumq. naturas mutauerit, statutasq. semel rerum formas in aliena temperamenta, nouasq. mixturas deduxerit. Hiems solitum humorem cum sicco nō retinuit, sed in glaciem tota abijt, niuis & imbris penitus expers. Vernum tempus alteram quidem sui officij partem ostendit, caliditatē dico, humiditatem vero nullam illi coniunxit, æstus vero immēsus, & frigora naturę leges prętereuntia, ac in nos damnumq. nostrum coniurata mortales ad victum, vitæq. simul trahunt discrimina. Quæ igitur fratres charissimi, huius tantæ confusionis, contrarietatisq. causa? vnde talis rerum, temporumq. nouatio? vestigemus aliquantulum, mente, rationeq. vrētes diligenter pensitemus. An non est, qui cuncta gubernet? An optimus opifex Deus dispensationis suæ oblitus est? An virtutem ac potentiam suam amisit? Aut eadē quidem est adhuc potentia prędituſ, in austeritatem vero mutatus, excellentem suam erga nos bonitatem & prouidentiam in odium humani generis conuertit? Nemo profecto sapiens hoc dicet. Sed illæ potius sunt causæ cur nobis consueta gubernatio sublata sit, quòd cum ex Deo accipiamus alijs non damus. Hac de causa Deus omnipotens manum non aperit, quoniam fraternitatis charitatem occlusimus. Ob hoc & campi steriles, quoniam charitas friguit. Supplicantium vox frustra clamat, & in aera euanescit ac dissipatur. Nam & nos rogantes minime audimus. Sed quæso quales sunt nostræ preces? qualis oratio? viri præter paucos mercaturis vacant, vxores ipsorum ministrę ad officium mammonæ sunt. Pauci admodum mecum ad orandum relinquuntur, & hi tædio affecti, oscitantesq. ac continuo huc, illucq. se vertētes, denique obseruantes, quando is, qui psalmos canit versus expleat, vt tāquam e vinculis ac aliqua custodia e templo liberentur. Pueri autem parui quid ex hac calamitate publica degustant? qui libellos in scholis relinquentes, & nobiscum conclamantes remissionem potius, ac vacationem a discendi labore, nostram communem tristitiam existimant, & cura se aliquantulum assiduitateq. studij leuari, & in libertatem venire, propterea putant. Adultorum vero hominum multitudo, ac vulgus peccatis obnoxium per vrbem remissi ac temere discurrunt gaudētes & hilares, qui horum causam malorum in proprijs gerunt animabus, calamitatemq. hanc ipsi nobis excitant, & causantur. Infantes postremo insontes, & minime sentientes ad confessionem in templo conueniunt, nec causam dant ipsi de rebus tristibus, neque rursus ab ijs nos liberare valent. Tu in medium prodi. Tu inquam peccatis oneratus humi procidens clama, suspira. Mitte infantes, quæ dat ætas, puerilia facere. Quamobrem accusatus ac reus absconderis, & eum, qui culpa vacat in iudicium pro te statuis? Oportet quidem, & illos adesse, sed tecum omnino, non solos. Nonne vides Niniuitas pœnitentes, ac flentes ob ea, quæ ipsi admiserunt, ad Ionæ ex cœti ventre exeuntis exclamationes, monitioneſve, nō solum infantes in mediū attulisse, sed ipsos ante omnia in peccatis, & delicijs cōstitutos parentes vitā exuētes pristinā se ieiunijs, & abstinētia afflictasse? Loco deinde auctarij, & infantes addidisse, ac pati, simulq. flere coegisse, vt luctus omnē etatē occuparet, & sensu prędituſ, & sensu carentem, hanc coactā, illam voluntariā? Ex quo misericors Deus ipsos fastum, luxumq. ponentes, & humilia sentientes animaduertens, & minas
7 remisit,

remisit, & pœnas, quas daturus erat, auertit, & loco calamitatis hilaritatem publice tribuit. O sapientem, & officiosum luctum! Nam neque ratione carentia a tristitia immunia esse permiserunt, sed ipsa bruta ieiunare, ac questus edere coegerunt. Vitulus enim a bucula separatus dulci caruit vbere. Agnus paruulus iam sub vlnis maternis non erat. Matres alia, alia fœtus stabula tenebant. Voces inter se miserabiles edebant, vicissimq. conclamabant. Nati sitientes, ubera materna desiderabant. Matres vero naturali quadam pietate, misericordiaq. commotæ natos mugitu vocitabant. Infantes vicissim sitientes, & esurientes, vehementissimo eiulatu prope rumpebantur. Senex apud illos lamentabatur, & caniciem suam vellicabat, adolescens, & iuuenis vehementius plorabat, pauper ingemiscebat, dives oblitus delitiarum, afflictionem illam castigationis loco exercebat. Rex ipse Niniuitarum splendorem, ac gloriam suam in pedorem mutauit, purpura, coronaque, ac sceptro positis, saccum sumpsit, cinere caput inuoluit, throno relicto, humi consedit, peculiari, ac regali relicta lautitia, vna cū populo lamentabatur, quasi vnus e numero multorum factus, quoniam communem omnium Dominum iratum conspexit. Hæc erat seruorum sensatorum sapientia, talis erat peccatis obnoxiorum pœnitentia. Nos autem peccata velociter quidem, promptoq. animo admittimus, pigre vero postmodum, ac sero pœnitentiam agimus. Quisnam orans, aut supplex lachrymam ex ore mittit, vt imbrem terris tempestiuum prouocet? Quis scelera relinquens sanctum Dauid imitatur, qui lachrymis stratum rigauit? Quis hospitum lauit pedes, aut puluerem ex itinere aspersum abstersit, vt in hac siccitatis calamitate Deum exorare valeat? Quis orphanum aliquem paruum aluit, vt nobis Dominus frugem telluris daret? Scinde libellum æris alieni iniustum, vt sic peccatum soluatur. Dele grauissimorum fœnerum nomina, vt terra solitum tibi fœnus reddat. Per paucos mala, ærumnæq. ad vniuersum populum sæpe perueniunt, & vnius ob noxam tota quandoque gens euertitur. Achan sacrilegium admisit, ac totus est afflictus exercitus. Zambri cum scorto Madianitide concubuit, ac Israel pœnas dedit. Igitur filij charissimi omnes priuatim, ac publice nostras conscientias examinemus præsenti siccitate, veluti pedagogo cuipiam, vnumquemq; nostrum proprij delicti admonenti attendamus. Dicamus & nos sensate cum beato Iob: Manus Domini est, quæ tetigit me. Potissime autem hanc calamitatem proprijs peccatis ascribamus. Cum Deum res insolitas præter naturam, & anni tempora ostendentem videris, sic tecum loquere, sic existima. Num deest Domino facultas fructus edendi, ac homines nutriendi? Quonam modo? Cum sit Dominus cęli, ac totius dispositionis rerum, & tempora, ac anni tempestates dispenset, simulq. omnia gubernet, & quasi chorum quemdam probe ordinatum anni tempestates, ita inter se mutua successione disposuerit, vt varietate sua varijs nostris, ac differentibus vsibus subsidio sint, & iam pro temporis ratione humectetur tellus, deinde succedat æstus, & postea frigus suam anni portionem obtineat, & postremo effecerit, vt siccitatis vsu non careamus. Palam igitur cum sit, inquis, eum posse rebus adesse, easq. vti vult, administrare, potentiæ bonitatem esse coniunctam, quis dubitet? Quæ enim necessitas, si bonus non esset, eum ad creandum hominem impulisset? Quis, inquam, tam vehemens impulsor conditorem minime volentem humum sumere, & ex luto tantam excitare pulchritudinem coegit? Quin si Deo insitam bonitatem recte consideres, vel hoc tempore (quamquam duro) minime deficientem videbis. Quis, dic mihi, prohibet hanc, quam admireris siccitatem, non potius esse orbis incendium, ac conflagrationem? Solem insuper a via solitaria errantem, & terrenis propinquantem corporibus omnia cremare? Ignem denique de cælo descendentem mortales omnes ob eorum scelera iure punire? Quamobrem te homo, te inquam considera, tuamq. pensita conscientiā. Fames miserabilis est afflictio. Humanarum calamitatum caput est fames, cuiusuis mortis genere duriorem afferens finem. In alijs namque periculis, vel ensis cuspide cito interibis, vel ignis impetus breuiter vitā extinguit, aut ferarum dētibus membra statim discerpta intereunt, quæ quidem dolorem morienti minime protrahunt. At famis diuturnius malum, ocyus torquet, lenius tabescit, sensim occidit. Naturalem namque humorem absumit, calorē refrigerat, innatam, ac vegetam corporis habitudinem deterit, vires paulatim debilitat, ossibus caro velut aranearum tela cohæret. Coloris flos sanguine deficiente, refugit, & pallor, ac liuor insurgit. Vox tenuis, & imbecillis. Oculi infirmi in suis cauis, non secus thecis reconditi, quàm in putaminibus nuces visuntur. Ossa tantum pelle operta. Qui his non prouidet, quomodo inter immanissimas feras non connumerabitur, vt execrandus, ac hominum interfector? Quid fames non cogit? Naturæ leges sæpe peruertere multis suadet, & hominum corporibus, ac propinquorum vesci. Mater quem peperit natum impulit in ventrem male recondere. Quam tragediam Iudaica cōmemorat historia a Iosepho graui auctore cōscripta inter Iudaicas calamitates, quę ob grauia ipsorum scelera eis euenerunt.

CHRYSOSTOMVS sic habet: Mala 10
in quę inciderunt Iudei in deserto propter pec- Homil. 1. in
cata illis euenerunt, nec potuit Moysi depre- c. 6. Isa. to. 1
catio iustam Dei sententiam immutare, quominus totus ille populus in deserto prosterneretur. Et quid commemoramus hoc toti popu- 2. Esdr. 10
lo peccanti accidisse, cum & paucorum inobedientium peccata, immo vnius, iuste imperantium gratiam superent? Atque hoc rursus ex eodem populo Israelitico perspicias licebit, qui Moysę rempublicam administrante, cum

in terram alienigenarũ irrupiſſent, pugnamq. cum illis commiſiſſent, quomodo quidam illorum inſanientes in eorum mulieres totius populi cladem, exitiumq. inuexerunt. Hoc autem
Ioſue 6. quod dicam in vno accidit Achan, qui cum variam ex anathemate ſtolam ſuſtuliſſet, etiam aduerſus populum iram Dei ſuccendit. Itaque cum vniuerſus populus ſeruaret hoc præceptũ, vnius præuaricatio in vniuerſam multitudinẽ
Ioſue 7. concitauit iram Dei. Peccauerunt, inquit, filij Iſrael peccatum magnum, & ſuffurati ſunt, & ſumpſerunt ex anathemate, & ſumpſit Achan filius Charmi ex anathemate, & indignata eſt ira Domini filijs Iſrael. At qui vnus erat, qui peccauerat. Vides quomodo vnius peccatum toti populo vindictam accerſit? Quomodo Deum aduerſum multitudinem hoſtem reddi-
Ioſue 8. dit? Fugit enim populus a facie virorũ Geth, & occiderunt ex illis viros triginta ſex, & expauit cor populi, & factum eſt velut aqua. Vnus peccarat, & in vniuerſum populũ mors, ac trepidatio irruit. Infra: Flente Ioſue, eo quod vidiſſet ſuorum & necem, & fugam, ait ei Dominus: Peccauit populus tuus, tranſgreſſus eſt pactum meum, nec poterunt ſtare filij Iſrael contra faciem hoſtium ſuorum, donec ſuſtuleritis anathema ex vobis ipſis. Hæc ſcientes cogitemus moleſtias a noſtris peccatis inuehi. Nec enim principum modo negligentia, ſed multo magis noſtra delicta, mala accerſierunt.

11 IDEM explicans verba illa, quæ Chriſtus
Hom. 37. in c. 5. Io. to. 3. Dominus dixit paralytico: Ecce ſanus factus es, iã noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat, dicit. Res profecto grauis eſt peccatum, vt nonnũquam vi, & exuperantia ſua corpora quoq; inficiat. Sed cũ, grauiter ęgrotãte anima, nullo dolore afficiamur, paruo corporis morbo ſumma diligentia medicinã perquiramus, ideo Deus ob animi peccata corpus flagellat, vt deterioris partis ſupplicio melior ad quæ-
1. Cor. 5. rendum remedium conuertatur. Ita Corinthiũ fornicatorem Paulus corrigit interitu carnis, & ſectione corporis animi morbum coercens, tamquam optimus medicus, qui cum hydropiſim, vel ſplenem potionibus, & leuioribus medicinis ſanare non poſsit, extrinſecus ferro, & igne vtitur. Hanc artem Chriſtus in paralytico exercuit, quod ſignificans dixit: Ecce ſanus factus es, iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Vbi admonemur, quod ex peccatis morbi generantur frequenter.

12 HIERONYMVS explicans verba illa;
Lib. quæſt. Hebraic. in Gen. to. 3. Maledicta terra in operibus tuis, ſic inquit. Opera hic non ruris colendi, vt plerique putant, ſed peccata ſignificant, vt in Hebræo habetur: & Aquila non diſcordat, dicens: Maledicta humus propter te. Hoc eſt, propter peccata tua maledictionem acipit terra, vt tribulos, & ſpinas producat terra loco fructuum.

13 IDEM explicans verba illa; Dominum
Lib. quæſt. Hebraic. in libros Reg. formidabunt aduerſarij eius, & ſuper ipſos in cælis tonabit, ait: Super aduerſarios ſuos Dominus in cælis tonabit, ſicut eſt illud in libro Ioſue: Cumq. fugerent a facie Iſrael, & eſſent 1. Reg. 2.
in deſcẽſu Bethoron, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo, & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percuſſerant filij Iſrael. Infra: Explicat ea verba, quæ dixit Abſalon Dauid patri ſuo: Poſt quadraginta autem annos dixit Abſalon ad regem: Vadam, & reddam vota mea, quæ voui Domino in Hebron. Quadrageſimus agebatur annus ex eo tempore, quo Saul Nobe ciuitatem cum ſacerdotibus octoginta quinque propter Dauid interemit. Et idcirco hic idem quadrageſimus annus ponitur, vt monſtretur diuinam vltionẽ ſuſcitari ſuper Dauid, eo quod Achimelec ſacerdotem fefellerit, & propter eum tot ſacerdotum cædes facta fuerit.

IDEM explicans verba illa; Et conſurgam ſuper eos, dicit Dominus exercituum, & perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen, & progeniem, dicit Dominus, ſic habet. Babylonem fuiſſe potentiſsimam, & in campeſtribus per quadrum ſitam, ab angulo vſque ad angulum muri ſexdecim millia tenuiſſe paſſuum, ideſt, ſimul per circuitum quadraginta octoginta ſtadia refert Herodotus, & multi alij, qui Græcas hiſtorias conſcripſerunt. Arx autem, ideſt, capitolium illius vrbis, & turris, quæ ædificata eſt poſt diluuium, in altitudine quatuor millia dicitur tenere paſſuum. Deſcribunt ibi templa marmorea, aureas ſtatuas, plateas lapidibus, auroq. fulgentes, & multa alia, quæ pene videantur incredibilia. Hoc totum narrauimus, vt oſtenderemus, quod ad iram Dei omnis potentia puluis ſit, & fauillæ, & cineri comparetur. Si liceret introire barbaras nationes, & videre tantæ vrbis extrema veſtigia, videremus poſſeſsionem eritij, & vere completum eſſe, quod nunc Iſaiæ vocibus canitur: Scopabo eam in ſcopa terẽs. Exceptis enim muris coctilibus, qui propter beſtias concludendas poſt annos plurimos inſtaurantur, omne in medio ſpatium ſolitudo eſt: vt videas Deum non ſolum in alio ſæculo, ſed & in hoc punire acriter peccata.

IDEM exponens illa verba; Vſque quo lugebit terra, & herba omnis regionis ſiccabitur, propter malitiam inhabitantium in ea? inquit. Quicquid in mundo, vel bonorum accidit, vel malorum, non abſque prouidentia, & fortuito caſu accidit, ſed iudicio Dei. Terra nunc ſterilis eſt, herba ſiccatur. Vis noſſe rationem? Malitiæ habitatorum eius hoc faciunt, ita vt animalia ſuper herbam, & volatilia cæli conſumantur, quia in vſu hominum hæc creata ſunt omnia. Quod autẽ dicit, vſque quo, illud ſignificat permanere iram Dei, quia animus peccantium non flectebatur ad pœnitentiam. Vnde ſubdit: Conſumptum eſt animal, & volucre, quoniam dixerunt, non videbit noniſsima noſtra.

IDEM exponens verba illa; Pedes eorum ad malum currunt, inquit. Non ſolum currunt ad malum, quòd temporaliter operẽtur, ſed etiam ad malum, quod perpetuo paſſuri ſunt

ſunt: impij properant quoties ad patrandum aliquod ſcelus feſtinant. Nam quantum videntes ad facinus implendum ducuntur, tantum non videntes ad tolerandum pro facinore pœnam propinquant.

17 IDEM exponẽs ea verba; Egeſtas a Domi
In c. 3. Proverb. to. 8. no in domo impij, inquit. Iuxta exemplũ purpurati diuitis, qui & in hac vita ſpiritualibus egebat bonis, & in futura ad tantã venit inopiam, vt de digito Lazari quondam pauperis, vnam aquæ guttam requireret. Habitacula autem iuſtorum benedicentur. Quia iuxta litteram ſæpe contingit eos, qui aliena diripiunt, ad vltimum inopia conſumi. At illos, qui ſua largiuntur, etiam bonis abundare terrenis.

18 IDEM explicans verba illa; Auferatur
In c. 38. Iob Prou. 20. ab impijs lex ſua, & brachium excelſum confringetur, dicit: Lux impiorum eſt huius mundi gloria, & felicitas, quæ mundo prætereunte, tranſibit, ſicut & Salomon ait: Lumen impiorum extinguetur, & eorum virtus, & potentia, quæ brachij nomine dicta ſunt, illico conterentur.

19 IDEM exponens illa verba; In operibus
In Pſal. 9. to. 8. manuum ſuarum comprehenſus eſt peccator, ſic habet. Quia vnuſquiſque peccator ipſe ſibi ſecum portat, & funes, & vincula, & tormenta, vnde ſuſtineat mala. Nam ab alijs non eſt neceſſe præparari, vnde torqueatur, cum ipſe ſibi præparet quæ ad pœnam pertinent.

20 AVGVSTINVS dicit; Omne quod di-
Lib. de Geneſi ad Litteram. to. 3. citur malum, aut peccatum eſt, aut pœna peccati. Pœna peccati eſt, cum ipſis creaturis non ſibi ſeruientibus cruciatur anima, cũ Deo ipſa non ſeruit, quæ creatura illi obtemperabat, cum ipſe obtemperabat Deo. Itaque non eſt ignis malus, ſed tamen vritur imbecillitas noſtra ex merito peccati. Infra: Sicut in cantando interpoſitiones ſilentiorum certis, moderatiſq. interuallis, quamuis vocum priuationes ſunt, bene tamen ordinantur ab his, qui cantare ſciunt, & ſuauitati vniuerſæ cantilenæ aliquid conferunt. Et vmbrę in picturis eminentiora quæque diſtingunt, ac non ſpecie, ſed ordine placent. Sic vitiorum noſtrorum non eſt auctor Deus, ſed tamen ordinat, & ea perpeti cogit, quæ merentur.

21 IDEM explicans qua ratione in anathe-
Lib. 6. quæſt. in Ioſue. to. 3. mate Hiericho vno peccãte tam multi puniti ſunt, dicit. Non enim aliquod durum quamtum attinet ad vniuerſi mundi adminiſtrationem contingit mortalibus, cum moriuntur, quandoque morituri, & tamen apud eos, qui talia metuunt, diſciplina ſancitur, vt nõ ſolum quiſque curet in populo ſeipſum, ſed inuicem ſibi adhibeant diligentiam, & tamquam vnius corporis, & vnius hominis alia pro alijs ſint membra ſollicita, ne temporaliter puniantur. Viſibiles igitur afflictiones hominum, ſiue mortes, quoniam his, quibus ingeruntur & obeſſe, & prodeſſe poſſunt, nouit Dominus in occulto prouidentiæ ſuæ, quemadmodum iuſte quibuſque diſpenſet, etiam cum aliorum peccata in alijs videtur vlciſci. Pœnas vero inuiſibiles, quę non niſi nocent, & prodeſſe non poſſunt, ita nullus Deo iudice pro alienis peccatis luit, ſicut homine iudice luere nullus, niſi pro ſua culpa iſtas viſibiles debet.

22 IDEM dicit; Ingentia ſupplicia peccato-
Lib. 1. cõtra aduerſariũ legis, & prophetarum. to. 6. ribus exhibẽda, his verbis explicat Deus: Exacuam, vt fulgur gladium meum, inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus manducabit carnes de ſanguine vulneratorum. Pœ-
Deut. 32. nas etiam impiorũ ſignificat per vuam fellis, & botrum amaritudinis, & furorem draconum, atq; aſpidum. Has pœnas, dicit Deus, collectas eſſe apud ſe, & ſignatas in theſauris ſuis, reddendas in tempore, cum lapſus fuerit pes eorum. Vbi theſauros vocat occultas diſpoſitiones Dei, qui diſponit reddere vnicuique ſecundum opera eius. Vnde Apoſtolus dicit:
Rom. 2. Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius.

23 IDEM inquit; Qui dicunt Adam ſic crea-
Lib. 1. de peccatorũ meritis, & remiſ. contra Pelagianos. to. 7. tum, vt etiam ſi non peccaret, moreretur non pœna culpæ, ſed neceſsitate naturæ, profecto illud, quod in lege dictum eſt: Qua die comederitis, morte morientini, ad mortem animæ, & non corporis referre conantur. Quid
Gen. 2. ergo reſpondebunt, cum legitur hoc Deum primo homini, etiam poſt peccatum increpando, & damnando dixiſſe: Terra es, & in
Gen. 3. terram ibis? Neque enim ſecundum animam, ſed quod manifeſtum eſt, ſecundum corpus terra erat, & morte eiuſdem corporis erat iturus in terram. Quamuis enim ſecundum corpus, terra eſſet, & corpus in quo creatus eſt, animale geſtaret, tamen ſi nõ peccaſſet in corpus fuerat ſpiritale mutandus, & in illam incorruptionem, quę ſanctis promittitur ſine mortis periculo tranſiturus. Proinde ſi non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperueſtiendus immortalitate, vt abſorberetur mortale a vita, ideſt, ab animali in ſpirita-
2. Cor. 5. le tranſiret, vt Paulus poſtulabat.

Peccata comparantur in ſacris litteris varie, vt explicentur damna, quæ inferunt homini. Cap. XIII.

OVIA de re hac multa diximus in cap. 6. in hoc pauca reſtant adnotanda. In primis.

1 ORIGENES expli-
Homil. 15. in Gen. to. 1 cans verba illa Geneſ. 45. Quia Ioſeph filius tuus viuit, inquit. Ego hæc non communiter dicta ſuſcipio. Si enim (verbi cauſa) ponamus, quia potuiſſet vinci a libidine, & peccaſſet cum vxore domini ſui, non puto, quod patri ſuo diceretur, quia filius tuus Ioſeph viuit. Anima enim quæ peccat, ipſa moritur. Sed & Suſanna eadem docet, cum dicit: Anguſtię mihi ſunt vndique, ſi enim

si enim hoc egero, hoc est, si peccauero, mors mihi est. Vides ergo & ipsam mortem in peccato posuisse. Sed & ad primum hominem a Deo prolata sententia eadem continet, cum dicit: Qua die manducaueritis ex eo, morte moriemini. Statim enim, vt preuaricatus est mandatum, mortua est anima, quæ peccauit. Vnde peccatum mors est, & morti comparatur.

2 Hom. 6. in c. 15. Exod. IDEM exponens verba illa; Descenderũt in profundũ quasi lapis, dicit. Quare descenderunt in profundum quasi lapis? Quia non erãt tales lapides, de quibus suscitari possent filij Abrahæ, sed tales qui amarent profundum, & liquidum diligerẽt elementum, id est, qui amaram, & fluxam præsentium rerum caperent voluptatem. Vnde & ipsis dicitur: demersi sunt quasi plumbum in aquis validissimis, seu vehementibus. Peccatores graues sunt. Denique & iniquitas super talentum plumbi sedere monstratur, sicut Zacharias propheta dicit: Vidi, inquit, mulierem sedentem super talentũ plumbi, & dixi. Quæ est hæc? Et respondit, iniquitas. Inde est ergo quòd & iniqui demersi sunt in profundum, sicut plumbum in aquam validissimam. Sancti autem non demerguntur, sed ambulant super aquas, quia leues sunt, & peccati pondere non grauantur. Denique Dominus, & Saluator noster super ambulauit. Ipse est enim, qui vere peccatum nescit. Ambulauit & discipulus eius Petrus, licet paululum trepidauerit. Non enim tantus erat, ac talis, qui nihil omnino de specie plumbi in se haberet admixtum. Idcirco Dominus ait ei: Modicæ fidei, quare dubitasti? Idcirco igitur qui saluus fit, per ignem saluus fit. Vt si quid forte de specie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat, & resoluat. Quòd si aliquis ad iudicium totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc, quod scriptum est: Demergetur tamquam plumbum in aqua validissima.

Zach. 5.

3 Lib. 2. in c. 5. Isa. to. 4. HIERONYMVS exponens verba illa; Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum, sic habet. Quòd vincula dicantur esse peccata crebrius legimus. E quibus illud est: Funibus peccatorum suorum vnusquisque constringitur.

Prou. 5.

Ioan. 1.

Et Dominus arguens populum delinquentem, qui peccatis peccata sociarat, fecit flagellum de funiculis, ostendens eis quomodo domum Dei fecissent, speluncam latronum. Conuiua quoque cœnæ Dominicæ vestem non habens nuptialem, vinctis pedibus, ac manibus, eijcitur in tenebras exteriores. Et Dominus venit, vt his qui erant in vinculis, diceret: Exite: ipse enim soluit compeditos, quos Hieremias vinctos terræ numcupat. Nec plangit eos, qui peccare cœperint, statimq. defierint, non enim est iustus super terram, qui non peccet, sed qui longo funiculo peccata protraxerint. Vnde & in Numeris legimus, vaccam rufam, cuius cinis expiatio populi est, non aliter immolari, & offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, iugumq. non traxerit, nec vinculis iugi Nabuchodonosor fuerit alligata. Et in hoc eodẽ propheta, Pro cingulo veritatis filię Sion cinguntur funiculo. Achitophel quoque & Iudas, quorum alter Dauid, alter Dominum prodiderunt, fune longissimo trahentes peccata sua, periere suspendio. Quod autem iuxta Hebraicum, & omnes alios interpretes, appellantur funiculi vanitatis, hoc significat, quod facientibus, peccatum facile texitur, & tam inane, & futile est, vt aranearum fila texuntur, sed cũ inde voluerimus exire, solidissimis vinculis nectitur. Plaustrum autem plenum, oneratumq. peccatis, facilius intelligunt, qui meminerint scriptum in Zacharia: Iniquitatẽ sedere super talentum plumbi, & Aegyptios, qui graui peccatorum sarcina premebantur, quasi plumbum in mare rubrum esse demersos. Et in alio loco peccator loquitur: Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.

Zach. 5.

Exo. 15.

Psal. 37.

Mat. 22.

Psal. 145.

Eccl. 7.

Num. 19.

4 Lib. 6. in c. 31. Hier. IDEM exponens verba illa; Omnis homo, qui comederit vuam acerbã, obstupescent dentes eius, inquit. Obseruandum, quod vitia, atque peccata vua acerba dicantur, vt comedentium dentes obstupescant, & non possint eius suauitatem sentire, de quo dicitur: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Tales panem de cælo comedere non valent, sed obstupescunt dentes eorum, non ciborum austeritate, sed vitio dentium.

Psal. 33.

5 Lib. 1. in c. 5. Prou. to. 1. IDEM exponens illa verba; Iniquitates suæ capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur, inquit. Distat inter peccatorem, & impium, quòd peccator appellatur omnis, qui vel in paruis, vel in magnis sceleribus decidit. Impius autem, qui vel nunquã fidem recepit, vel enormitate scelerum ab ea, quam accepit, anathema factus est: vel Catholici publicis flagitijs inuoluti, qui funibus peccatorum suorum constringuntur, cum incessabili augmento suæ prauitatis intereunt. Qui enim funem facit torquendo semper, & inuoluendo fides fidibus auget. Talis est fortitudo operum malorum, in quibus praua prauis nectentes non aliud, quàm quo se arctius obligent, agunt.

6 Lib. 16. Moral. cap. 27. to. 2. GREGORIVS explicãs illa verba Iob 24. cap. Ad nimium calorem transeat ab aquis nuium dicit. Idcirco iniquitas frigori comparatur, quia peccantis mentẽ torpore constringit. Vnde scriptum est: Sicut frigidam facit cisterna aquam suam, sic frigidam fecit malitiã suam. Quo contra charitas calor est, quia videlicet mentem accendit, quam replet. De quo scriptum est: Abundauit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Et sunt nonnulli, qui dum iniquitatum suarum frigora declinãt, ad sanctitatis habitum veniunt. Hi cum adhuc ad iniquitatis opera vacarent, aquæ nuium fuerunt, sed cum carnalia facta deserentes, in fide, ad quam perducti sunt, plus appetunt perscrutari, quã cupiunt, amplius profecto calent, quàm calere debuerunt. Bene ergo de hoc peruerso quolibet, prophetantis dũtaxat, nõ optantis

Hiere. 6.

Matt. 24.

Rom. 13.

tis sententia dicitur, ad nimium calorem trãseat ab aquis niuium. Dicente Paulo: Non plus sapere quàm oporteat sapere, sed sapere ad sobrietatem. Ne fortasse nimius calor interimeret, quos prius aquæ niuium, id est torpẽtium actionum frigora morituros tenebant.

7 Lib. 36. Moraliũ cap. 6. IDEM exponens verba illa Iob cap. 40. Si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, sic habet: Aliquando Deus rebus insensatis propter infirmitatem nostram alta condescensione se comparat: sicut per prophetam dicit: Ecce ego stridebo super vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Quia enim fœnum est vita carnalium, sicut scriptum est, Omnis caro fœnum, in eo quod Dominus vitam carnalium patitur, more plaustri fœnum se portare testatur. Cui sub fœni onere stridere, est pondera, & iniquitates peccantium cum querela tolerare.

Amos 2.

Isa. 40.

8 In 2. Psal. pœnitẽtialẽ to. 2. IDEM explicans verba illa; Conuersus sum in ærumna mea dum configitur spina, inquit: Per spinam omne peccatum ideo accipitur, quia dum cõfert delectationem, quasi pungendo lacerat mentem.

9 In 7. Psal. pœnitẽtialẽ Psal. 6. IDEM exponens illa verba; Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, ait: Viuebam olim Deo mortuus sæculo, nunc è contrario mortuus Deo, mundo viuo. Quid est enim peccatum nisi mors? Hinc etenim scriptũ

Hiere. 9.

est, Non est in morte, qui memor sit tui. Et iterũ: Intrauit mors per fenestras nostras. Mors namque est, quæ animam à Deo separat, sensuũ internorum intercludit officia, lucis adimit claritatem.

Ad peccata cauenda, & punienda multa nos debent mouere, maxime autem quòd vnum peccatum sæpe est alterius causa, & pœna. Cap. XIIII.

1 In lib. Moraliũ sententiarũ to. 2. BASILIVS docet quòd sæpenumero propter præcedẽtem in alicuius animo impietatem, eum Deus loco supplicij ea facere permittit, quæ flagitiosissima sunt. Hoc dicit Paulus narrans philosophorum peccata: Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea quæ non conueniũt. Et alibi: Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittit illis operationem erroris, vt credant mendacio.

Rom. 1.

2. Thes. 2.

2 In regula 2. probat. IDEM probat vnum peccatum esse causã aliorum peccatorum in anima, sicut regula 11. cap. 4. probauerat vnum peccatum esse præcedentis pœnam, & ait: Quòd qui præter animi sui voluntatem trahitur ad peccatum, is intelligere debet se ab alio prius à se commisso peccato constrictum teneri, cui inuitus cum seruiat, ab eo ad ea etiam pertrahitur, ad quæ minime vult. Vnde inquit Paulus: Scimus quòd

Rom. 7.

lex spiritualis est, ego autem carnalis sum venundatus sub peccato, quod enim operor non intelligo, non enim quod volo hoc ago, sed quod odi illud facio. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Nam velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio.

3 In Serm. de institutionibus monachorum. IDEM sic ait: Homo ad imaginem, & similitudinem Dei fuerat factus, imaginis autẽ dignitatem illam ac decorem peccatum, animo ad vitiosas cupiditates depresso, deformauit. At enim Deus, qui hominem creauit, vera vita est. Itaque qui Dei similitudinem amisit, is vitæ etiam amisit commercium. Qui autem a Deo disiunctus est, is sine dubio intra beatæ vitæ limites esse non potest. Agedum igitur ad eam, in qua ab initio eramus, & a qua propter peccatum alienati sumus, redeamus gratiam, nosq. rursum ad diuinæ imaginis speciem conformiter exornemus, abiectisq. prorsus omnibus vitiosis animi affectionibus sedulo operã demus, vt ortus nostri autori similes efficiamur. Qui enim in seipso, quantum in ipso sit naturæ diuinę liberrimam affectuum tranquillitatem imitatus fuerit, hic defœdatam prius in animo suo Dei imaginem restituit pristino nitori. Qui vero eo modo quo diximus Deo se similem effecerit, is prorsus diuinæ etiam vitę similitudinem acquisiuit, perpetuo deinceps in assidua vsque beatitudine permansurus. Si igitur vitiorum vacuitas ea est, per quã amissam Dei imaginem recuperamus, & similitudo, quæ cum Deo nobis est, vitæ nobis æternitatem largitur, haud dubie ceteris omnibus ceterarũ rerum studijs omissis, in hoc vnũ toto pectore debemus incumbere, vt videlicet animus noster nullius vnquam vitij opprimatur tyrannide, illudq. diligẽter curare, vt neutrobi mens nostra euariet, neque propter vllos tentationum impetus, se in terram patiatur prosterni, vt hoc modo in diuinæ beatitudinis societatem venire possimus.

4 In lib. cuius titulus est regulę breuiores in respõsione 174. interrogationis. IDEM dicit: Quemadmodum per morbum in corpore fit appetitus deiectio, & ciborum insuaue fastidium, sic in animo per peccatum circa expletionem iustificationis diuinæ pigritia, ac lenitudo ingeneratur ad diuina facienda. Vnde peccata hac de causa summopere cauere debemus.

5 In homi. de Adã, & Eua to. 1. CHRYSOSTOMVS probat vnum peccatum esse præcedentis pœnam, & dicit: An non est peccatum, & pœna peccati vbi legitur, Dominus enim immisit eis spiritum erroris, vt faciant, quæ non conueniunt, sicut seducitur ebrius? An non est peccatum, & pœna peccati? vbi Deo dicit propheta: Quid errare fecisti nos de via tua, obdurasti corda nostra, vt non timeremus te? An non est peccatum, & pœna peccati vbi dicitur Deo. Ecce tu iratus es, & nos peccauimus, propterea erauimus, & facti sumus sicut immundi omnes? An non est peccatum, & pœna peccati vbi legitur de gentibus quas debellauit Iosue, quia per Dominum factum est confirmari cor eorũ,

Rom. 1.

Isa. 63.

Ibid. 64.

vt obuiam

Ios. 10. & Eccli. 49. vt obuiam irent ad bellum Israel, vt exterminarentur? An non est peccatum, & pœna peccati quod non audiuit Roboam rex plebem bene monentem? quia sicut scriptura loquitur, erat conuersio à Domino, vt statueret verbum suum, quod ei locutus est in manu prophetæ. An non est peccatum, & pœna peccati in quo scriptum est, Amasiam regem Iuda noluisse audire regem Israel bene monentem ne procederet ad bellum? Sic enim legitur: Et nō audiuit Amasias, quia à Deo erat, vt traderetur in manus eius, quoniam quæsierat Deum Edom. Et multa alia commemorare possumus, in quibus liquido apparet occulto Dei iuditio fieri peruersitate cordis vt non audiant, quod verum dicitur, & inde peccetur, & sit ipsum peccatum præcedentis etiam pœna peccati. Nam credere mendatio, & non credere veritati vtique peccatum est. Venit tamen ab ea cæcitate cordis: quia occulto iuditio Dei (sed tamen iusto) etiam pœna peccati monstratur, quale est illud, quod ad Thessalonicenses scribit Apostolus. Pro eo quod dilectionem veritatis non receperunt, vt salui fierent, & ideo mittit illis Deus operationem erroris, vt credant mendatio. Ecce peccati pœna peccatum est.

3. Reg. 12. & 2. Paral. 10.

2. Par. 25

2. Thess. 2.

6 HIERONYMVS inquit; Non est exhortatio vehementior ne peccemus, quàm qua nos scriptura diuina filios Dei vocat. Quis enim non erubescat, & metuat tanto patre agere aliquid indignum, vt qui dicitur Dei filius ipse efficiatur vitij seruus. Vnde Paulus ait: Sicut filij Dei immaculati, vt simus immaculati. Neque enim cōuenit in filijs Dei, quia ipse est fons iustitiæ, peccati maculam reperiri. In medio nationis prauæ atque peruersæ, hoc est dicere, quamuis infinita vos cingat peccantiū multitudo, & innumera sint exempla vitiorū, vos tamen ita cælestis natiuitatis memores esse debetis, vt inter malos viuentes omne malū vincatis. Inter quos lucetis, ait, sicut luminaria in mundo. Nec vero vitiorum tanta dulcedo est, vt ea debeamus perferre virtutibus, cū nec in omnibus sit delectationis illecebra, & a plerisq. ea etiam, quæ videntur dulcissima, respuantur. Infra: Multa sunt vitia, quæ cum nihil habeant iucunditatis tamē multum amaritudinis habent, cumque ad vitandum multo sint faciliora, raro, a quibus vitētur, inuenies. Quid oro te inuide delectationis præstat inuidia, quem secreris quibusdam conscientiæ vngulis liuor ipse decepit, & alienam felicitatem tormentum eius facit? Quid vero alter ab odio mercedis accipit, nisi horribiles animæ tenebras, & confusæ mentis horrorem? qui vultu semper animoq. mœrente, voto quo alteri vult nocere se ipsum cruciat? Quid autem iracundo furor suus cofert, quem sæuissimis exagitatum stimulis conscientiæ ita ab omni consilio ac mente deturbat, vt dum irascitur insanire credatur? Similiter curre per singula, inuenies tot animæ tormenta quot vitia, quæ vtique eo facilius vinci possunt, quo nulla alliciunt nos voluptate. Sed nos, proh pudor, quadam delectatione peccati, cum in quibusdam ostendimus quandam vim naturæ nostræ, in alijs omnino torpescimus, & qui voluptates corporis virtutum amore contempsimus, rursum amore vitiorum tormenta suscipimus, atque ita malis nostris cedimus, vt ea nec putemus posse deponi. Quænam hæc quæso noua viuendi ratio est? Res difficiles, & laboris plenas securus aggredior, vitia vincens carnis, & vuluptates eius, & faciliora non posse fieri credo? Vinco maxima, vincendus a paruis. Excelsa & ardua indefessus exupero, cum venitur ad plana deficio. Libenter fugio, quod delectat, & nolo vitare, quod cruciat. Verum hæc eorum sunt, qui Dei voluntate contempta, id solum petunt, quod laudem facilius inuenit, quod cito exit in famam, morum vero bona, quæ secretiora sunt, negligunt. Respice obsecro ad ipsam, qua apud Deum illustrata es dignitatem, quæ per baptismum in Dei filio renata es, rursumq. per consecrationem virginitatis sponsa Christi esse cœpisti. Ex vtroque hic tuus honor te ad sollicitudinem tui propositi admoneat. Pretiosior quæque vestis timidior custoditur à macula. Multo quæsita auro gemma maiori sollicitudine possidetur, & generaliter grandi cura magna quæque seruātur. Vnde & tu si te ipsam bene custodire cupis, debes honorem tuū semper, pretiumq. cogitare. Tanto enim se vnusquisque negligentius vtitur, quanto se existimat viliorem. Non ob aliam causam magis nobis in scripturis diuinis tam frequenter filiorum Dei nomen imponitur, vt illud quod dicitur per prophetam: Ego ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios, & filias, dicit Dominus. Et Apostolus, Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi. Et beatus Ioannes ait: Charissimi nunc filij Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus, scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, vt qui habet hanc spem in eo sanctificet se, sicut ille sanctus est. Vult nobis cælestis doctrinæ dignitatem, qua donati sumus, frequenter ingerere, & honorem nostrum peccandi pudorem facere.

Epi. 1. quæ est ad Demetriadem virginē de custodia virginitatis. to. 9.

Phil. 2.

7

Eph. 5.

1. Ioan. 3.

8 IDEM exponens verba illa; In tenebrosis collocauit me quasi mortuos sempiternos, circumædificauit aduersum me, vt non egrediar, aggrauauit compedem meum, inquit: In calle meo tenebras posuit. Ea pœna etenim culpæ est videre bonum, quod agere debeat, & tamen implere non posse: & rursum ex grauiore pœna culpę est, quod agere debeat, nec videre. Vnde contra hæc vtraque psalmistæ voce dicitur, Dominus illuminatio mea &c. contra ignorantiæ enim tenebras illuminatio, contra infirmitatem vero salus est Dominus, quando & ostendit, quid debeat ad agendum appeti, & vires præbet, vt quod ostenderat possit impleri.

Li. 2. in c. 3. Lamentationū Hie. t. 5.

Psal. 26.

9 AVGVSTINVS sic habet; Homo per peccatum in hæc incidit mala, vel vt non videat, qualis esse debeat, siue videndo, & non valendo

Li. 3. de lib. arbitrio. to. 9.

lendo esse qualem debere esse se videt; Pœnam hanc esse peccati quis dubitet? Nec mirandum est, quod vel ignorando non habet liberum arbitrium ad eligendum quid recte faciat, vel resistente carnali consuetudine, videat quid recte faciendum sit, & velit, nec possit implere. Illa est enim peccati pœna iustissima, vt amittat vnusquisque quo bene vti noluit, cum sine vlla posset difficultate, si vellet. Id est autem, vt qui sciens recte non facit, amittat scire, quid rectum sit, & qui recte facere, cū posset, noluit, amittat posse, cum velit. Nam sunt reuera omni peccanti animę ista duo pœnalia, ignorantia, & difficultas. Sed approbare falsa pro veris, vt erret inuitus, & resistente atque torquēte dolore carnalis vinculi, non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.

10 Lib. de natura, & gratia contra Pelagianos to. 7.

IDEM dicit: Cogitandum est præuaricatorem legis quàm digne lux deserat veritatis, qua destertus vtique fit cœcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatusq. non surgat. An nulla pœna est eorum de quibus dicit Apostolus: Quia cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerūt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum? Vtique ista obscuratio vindicta, & pœna iam fuit, & tamen per hanc pœnam, ideſt per cordis cæcitatem, quę fit deserente luce sapientiæ in plura, & grauia peccata collapsi sunt. Dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt. Grauis hæc pœna est, & ex hac pœna vide quo ierunt. Et mutauerunt, inquit, gloriam incorruptibilis Dei in similitudinē imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Ista fecerunt ex peccati pœna, qua obscuratum est insipiens cor eorum. Et propter hæc tamen, quia licet pœnalia etiam ipsa peccata sunt, adiungit, & dicit: Propterea tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam. Ecce quemadmodum Deus grauius condemnauit tradens illos in desideria cordis eorum in immunditiam. Videte etiam ex hac pœna quid faciant, vt contumelijs, inquit, afficiant corpora sua in semetipsis. Et quia pœna est ista iniquitatis, cum sit & iniquitas, euidentius commendat dicens: Qui mutauerunt veritatem Dei in mendaciū, & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius, quàm creatori. Propter hoc, inquit, tradidit illos in passiones ignominiæ. Ecce quoties vindicat Deus, & ex eadem vindicta plura, & grauiora peccata consurgunt. Nam fœminę eorum, inquit, mutauerunt naturalem vsum in eum vsum, qui est contra naturam, similiter autem & masculi relicto naturali vsu fœminæ exarserunt in appetitum suum in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes. Atque vt ostenderet sic esse ista peccata, vt etiam pœnæ sint peccatorum, his adiunxit. Et mercedem mutuam, quam oportuit, erroris sui in semetipsis recipientes, & sicut non probauerunt Deum habere in notitia tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate malitia, auaritia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles &c. Et licet Deus ad ista non cogat, dignos tamen deserit. Deserti quippe, vt dixit, luce iustitiæ, & per hoc contenebrati, quid pariant aliud quàm hæc omnia, quæ commemoraui, opera tenebrarum, do nec dicatur eis, si dicto obaudiant, surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus.

11

GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 6. Inuolutæ sunt semitę gressuum eorum, inquit: Sæpe nonnulli contra quædam se vitia vehementer accingunt, sed quædam subigere negligunt, cumque se contra ista non erigunt, & illa contra se reparant, quæ subegerunt. Alius namque iam carnē à luxuria edomuit, sed tamen adhuc mentem ab auaritia non refrenauit. cumque à terrenis actibus non recedit, erūpente occasionis articulo etiam in luxuriā labitur, quam iam subegisse videbatur. Peruersis itaque inuolutæ sunt gressuum semitæ, quia etsi deuicta vna nequitia pedem leuant, regnante tamen altera, hunc in ea etiam, quā deuicerāt, implicant. Aliquando vero inuolutis gressuum semitis, & nulla culpa deuincitur, & alia per aliam perpetratur. Nam sæpe furto, negationis fallacia iungitur, & sæpe culpa fallaciæ periurij reatu cumulatur. Sed cū culpa culpæ adiungitur, quid aliud, quam inuolutis semitis, atque innodatis vinculis prauorum gressus ligantur? Vnde bene contra peruersam mortem sub Iudæę specie per Isaiam dicitur, erit cubile draconum, & pascua struthionum, & occurrent dæmonia onocentauris, & pilosus clamabit alter ad alterum. Quid namque per dracones nisi malitia, quid vero struthionum nomine nisi hypocrisis designatur? Sthrutio quippe volandi speciem habet, sed vsum volandi non habet: quia & hypocrisis cunctis intuentibus imaginem de se sanctitatis insinuat, sed tenere vitam sanctitatis ignorat. In peruersa igitur mente draco cubat, & sthrutio pascitur, quia & latens malitia callide tegitur, & intuentium oculis simulatio bonitatis ante fertur. Onocentauri sunt, qui subiecti luxurię vitijs, inde ceruicem erigunt, vnde humiliari debuerant. Onocentauris autem dæmonia occurunt, quia maligni spiritus valde eis ad votum deseruiunt, quos de his gaudere conspiciunt, quæ flere debuerunt. Vbi apte subiungitur, & pilosus clamabit alter ad alterum. Pilosi nomine cuiuslibet peccati asperitas designatur. Pilosi apud latinos incubi vocantur, quorum nimirum forma ab humana effigie incipit, sed bestiali extremitate terminatur. Sic sunt peccata, quæ etsi quando quasi ab obtentu rationis incipiunt, semper tamen ad irrationales motus tendunt, & quasi homo in bestiam desinit, dum culpa per rationis imaginem inchoans, vsque ad irrationalem effectum trahit. Nam sæpe edendi delectatio

Lib. 7. Moraliū ca. 11. to. 2.

Isaiæ 34.

13

ctatio seruit gulæ, & seruire se simulat indigentiæ naturæ. Pilosus autem alter ad alterum clamat, cum perpetrata nequitia, ad aliam perpetrandam malitiam prouocat, & quasi quadam cogitationis voce commissa iam culpa, culpam adhuc, quæ committatur, inuitat. Pilosus clamat, alter ad alterum, quando peruersam mentem culpa subsequens ex occasione culpæ precedentis illaqueat, sicq. fit, vt semper se gressuum semitæ deterius inuoluant, dum mentem reprobam culpa per culpam ligat, cum peccatum vnum alterius sit causa.

14 IDEM exponens illa verba Iob cap. 34. Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur, sic habet: In nocte iniquus conteritur, cum peccatorum præcedentium confusione damnatus veritatis lumen non inuenit, & quid deinceps agere debeat, non agnoscit. Omne quippe peccatum, quod citius pœnitendo non tergitur, aut peccatum est, & causa peccati, aut peccatum, & pœna peccati. Peccatum namque, quod pœnitentia non diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. Vnde fit, vt non solum peccatum sit, sed peccatum, & causa peccati. Ex illo quippe vitio culpa subsequens oritur, ex quo cæcata mens ducitur, vt peius ex alio ligetur. Sed peccatum, quod ex peccato oritur, nõ iam peccatum tantumodo, sed peccatum est, & pœna peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, vt præcedentis peccati merito etiam in alijs cadat. Non ergo immerito pœna peccati dicitur, quod iusta desuper irrogata cæcitate, ex precedentis peccati vltione perpetratur. Quid videlicet agitur, dispositione superius ordinata, sed inferius iniquitate confusa, vt & præcedens culpa sit causa subsequentis, & rursum culpa subsequẽs sit pœna precedentis. Quod bene in infidelibus, & lubricis Paulus quasi quoddam semen erroris aspexerat, cum dicebat: Qui cum cognouissent Deum non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, sed quod ex huius erroris semine pullulauit, illico adiungit dicens, Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis. Quia enim cognoscentes Deum intelligendo commiserunt, cæcantur etiam ne intelligant, quod committunt. Et qui intelligentiam suam sequi nolunt in peccato, & causa peccati, & ipsũ lumen intelligentiæ perdunt in peccato, & pœna peccati. Prioris ergo peccati merito peccatorum subsequentium fouea tegitur, vt qui malum sciens perpetrat, deinceps iuste in alijs etiam nesciens cadat. Hoc quippe agitur, vt culpæ culpis feriantur; quatenus supplicia fiant peccantium ipsa incrementa vitiorum. Nam quia omnipotens Deus ad pœnitentiam tempus indulget, quod tamen humana malitia ad vsum suæ iniquitatis intorquet, nimirum iusto Dei iudicio augeri culpa permittitur, vt ad feriendum altius quandoq; cumuletur. Hinc enim rursum de quibus Apostolus dicit: Vt impleant peccata sua semper. Hinc 1. Thess. 2.
voce angelica Ioanni dicitur. Qui nocet noceat adhuc, & qui in sordibus est sordescat adhuc. Hinc Dauid ait; Appone iniquitatem Psal. 68.
super iniquitatem eorum, vt non intrent in iustitiam tuam. Hinc rursum de Domino ab eodem psalmista dicitur: Immissiones per an- Psal. 77.
gelos malos, viam fecit semitæ iræ suæ. Cor quippe Dominus prioribus meritis aggrauatum iuste permittit etiam subsequentibus malignorum spirituum persuasionibus falli, quod cum digne in culpa trahitur, reatus eius in pœna cumulatur. Vnde & iræ suæ Dominus viam de semita fecisse perhibetur. Latior enim est via quàm semita. Ex semita vero iræ suæ viam facere, est iræ causas districte iudicando dilatare, vt qui illuminati agere recte noluerunt, iuste cæcati adhuc faciant vnde Gen. 15.
amplius puniri mereantur. Hinc per Moysen dicitur: Nondum completa sunt peccata Amorrhæorum. Hinc per eundem Moysen Do- Deut. 32.
minus dicit: De vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha, eorum vua fellis, & botrus amaritudinis in ipsis. Furor draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis, in die vltionis reddam eis. Quàm multa eorum mala narrauit, & tamen ilico adiungit, in tempore quo lapsus fuerit 16
pes eorum. Ecce atrocissima illorum facinora describuntur, & tamen ad vltionis diem adhuc subsequens lapsus aspicitur, quo eorum culpæ cumulentur. Habent iam quidem vnde feriri mereantur, sed sustinetur tamen adhuc peccatum crescere, vt peccantes possit atrocior pœna cruciare. Iam meretur supplicium peccatum, & causa peccati, sed expectatur adhuc, vt augmentum supplicij subroget peccatum, & pœna peccati. Plerumque vero vnum atque idem peccatum, & peccatum est, & pœna & causa peccati. Quod melius ostendemus, si res ipsas ad medium deducamus. Effrenata enim ventris ingluuies in feruorem luxuriæ plenitudinem carnis instigat. Perpetrata autem luxuria sæpe, aut periurio, aut homicidio tegitur, ne humanarum legum vltione puniatur. Ponamus ergo ante oculos quod quidam voracitatis sibi frena laxauit, qua voracitate superatus, adulterij facinus admisit, deprehensus autem in adulterio, latenter virum adulteræ ne ad iudicium traheretur occidit. Hoc igitur adulterium inter voracitatem, & homicidium positum, de illa videlicet nascens, hoc generans, peccatum est, & pœna & causa peccati. Peccatum profecto est per semetipsum, pœna vero peccati est, quia culpam voracitatis iunxit, causa autem peccati est, quia subsequens etiam homicidium genuit. Vnum ergo idemq. peccatum est, & pœna præcedentis, & causa culpæ subsequentis. Igitur quia peccatis præcedentibus excæcatur oculus cordis, ipsa cæcitas, quæ peccantis animum ex anteactæ culpæ damnatione confundit merito nox vocatur, quia per hãc ab oculis delinquentis lumen veritatis absconditur. Bene itaque dicitur: Nouit enim opera eorum, & idcirco inducet noctem, & conterentur, quia, vt dixi, præcedentia mala faciunt, vt ad peccandum iterum tenebris subsequentibus inuoluantur, vt eo iam lumen iustitiæ videre non possint, quo illud, & quando poterant videre noluerunt. Inducere autem noctem Dominus, dicitur: Non quod ipse tenebras inferat, sed quod obscura corda peccantium misericorditer non illustret, vt hoc ipsum, in nocte cæcasse, sit a cęcitatis tenebris liberare noluisse.

17 IDEM exponens verba illa Ezechielis cap. 3. Sed & si conuersus fuerit iustus a iustitia sua, & fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, dicit: Qui peccatorem diu expectat, vt redeat, non redeunti, atque contemnenti ponit adhuc, vbi grauius impingat. Peccatum enim quod per pœnitentiam citius non deletur, causa est, & pœna peccati. Vnde propheta dicit: Maledictum & mendacium, & homicidium inundauerunt super terram, & sanguis sanguinem tetigit. Sanguis enim sanguinem tangit, quando peccato peccatum additur, vt ante Dei oculos adiunctis iniquitatibus anima cruentetur. Ponere autem offendiculum Dominus dicitur: Quia non vult a peccato liberare, sicut de Pharaone dicitur: Ego indurabo cor eius. Obdurare cor peccantis Dominus dicitur, cum ab obduratione non liberat. Plura dicimus de re hac, sed quæ iam adnotauimus in hoc capite.

Peccata excusare non debemus, sed flere, & erubescere, in quibus mali gloriantur eorum damna contemnentes.

Cap. XV.

1 ORIGENES dicit: Non declinet cor tuum in verba mala ad excusandas excusationes in peccatis, cũ hominibus operantibus iniquitatem. Et in Prouerbijs, dicitur: Occasiones accipit piger, & dicit, leo est in via, in plateis autem homicidæ. Inuenimus ergo tales esse peccatores accusantes omnia magis, quàm semetipsos, & occasiones sibimet excusationum fingentes, cum dicunt, Zabulus me supplantauit, mulier me seduxit, ille occasionem mihi præstitit, vt peccarem, cum vtique oporteret meminisse præcepti dicentis; Dic tu peccata tua prior, vt iustificeris. Non enim emendant excusationes, neque hic, neque in futuro, si male fecerimus. Sed & illud in excursu contingere necessarium videtur. Mirum quippe continet sensum, quia scriptum est: Iustus ipse sui accusator sit in principio sermonis sui, cum tamen iniustus non sit sui accusator, sed aliorum. Sicut & zabulus accusator est quidem, accusator autem non sui, sed aliorum, & fratrum. Interim omnes necesse est accusari, sed si quidem iustus fuero, non expecto, vt alius me accuset, sed ipse mei accusator existo. Plenius tamen velim discutere, quomodo potest iustus sui accusator esse. Certum est, quia donec quis peccat, & permanet in delictis, neque iustus est, neque accusator est sui, non enim accusat, quod agit: cum vero pœnituerit a delictis, tunc iustus efficitur, & non alterius, sed sui accusator existit.

2 BASILIVS explicans verba illa: Factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones, inquit; Postquam enim, qui meam quærebant animam, inuenerunt eam, deinde inuentæ illuserunt, malis insuper meis insultabant suis subsannantes cachinnis. Ad hæc totà die vanitates loquebatur. Insuper cum me desertum ab amicis conspicerem, verecundiæ plenus non potui quiequam dicere, ideo quasi surdus non audiebam. Sed ille ego, qui quondam vir fueram dicendi peritissimus, & præsenti sapientia sermonis instructissimus, factus sum sicut surdus, & sicut mutus non aperiens os suum. Nullus, inquit, mihi sermo ad excusationem suppetebat, quo respondere possem. Non habebam, quæ inimicis depromerem semel ab eis victus, sed eram veluti homo non audiens, nec habens in ore suo redargutiones. Arguebat ipse, & non redarguebam, nec fiduciam loquendi habebam verecundia coopertus. Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus. Nihil aduersus inimicos dicebam vtique ab eis superatus, non tamen ob hanc calamitatem spem a me abieci. Quin potius meum ipsius collegi denuo animum, cum a peccato perinde ac a morte desilijssem, confessionis medicina meum ipse vlcus curans.

3 IDEM sic habet; Si inspexerimus in animi affectionem eius, qui peccat, & modum peccati, sine dubio intelligeremus etiam modum obiurgationis. Vt enim idem peccatum esse videatur, & cuiuslibet de vulgo, & religiosi viri, inter eos tamen dissimilitudo est non mediocris. Qui enim religiosus est, is, cum de mercunda gratia Dei solicitus sit, in eaque re elaboret, non de industria, sed casu aliquo, & præter animi sui sententiam labitur, caditq. Qui vero de vulgo est, & in vtramuis partem nihil pensi habet, is, cum nullam neque sui, neque Dei rationem habeat, neque quicquam omnino referre existimet, peccet, ne an recte agat grauissimis ac perniciosissimis duobus malis laborat, videlicet, quod aut Deum contemnit, aut tollit penitus. Si quidem hæc sunt duo, a quibus peccandi initia animus sumit, sicut testantur diuinæ literæ in quibus scriptum est: Dixit iniustus, vt delinquat in semetipso, non est timor Dei ante

Psal. 52. ante oculos eius, & illud: Dixit insipiens in corde suo non est Deus, corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis. Igitur aut contemptor factus est, atque ea re peccat, aut ipsum Deum esse inficiatur, atque ob eam causam in studijs suis corrumpitur, licet verbo confiteri videatur. Confitentur, *Tit. 1.* enim se nosse Deum, factis autem negant,

4 HIERONYMVS exponens illa verba; Dabis eis scutum cordis laborem tuum, inquit; Scutum cordis contra Dominum habuit primus ille peccator, qui requirenti Domino cur lignum vetitum tetigisset, non ad se culpam reddidit, sed ad mulierē, quam ei dederat, se accepisse respondit, vt quasi reatū suum oblique in auctorem suum relideret, qui ei mulierem dederat, quæ talia persuaderet. Hoc *Gen. 3.* scutum etiam requisita mulier tenuit, quando neq; ipsa ad se culpam retulit, sed serpentis illud pertuasionibus replicauit, dicens: Serpens decepit me, & comedi, vt ipsa quoque oblique reatum suum in Creatorem duceret, qui illuc intrare serpentem persuasurum talia permisisset. Serpens vero iam non requiritur, quia nec eius pœnitentia quærebatur. Hi autem quorum pœnitentia quæsita est, scutum nequissimæ defensionis contra iustissimæ correptionis verba protulerunt. Vnde nunc vsque in vsum peccantium trahitur, vt culpa, cum arguitur, defendatur, & vnde finiri reatus debuit, inde cumuletur.

5 IDEM explicans illa verba; Vsque quo peccatores Domine, vsque quo peccatores *In psal. 93. to. 8.* gloriabuntur, dicit: Impatientia humana non vult Dei habere patientiam. Miseri nos, qui volumus nobis Deum esse patientem, & inimicis impatientem. Si quando peccamus, patientem cupimus Deum, si quando aliquis in nos deliquerit, in ipsum non volumus esse patientem Deum. Vsque quo peccatores gloriabuntur? Non eis sufficit peccare, sed etiam in peccatis gloriantur. Prima infelicitas est peccare, secunda infelicitas, immo nouissima, non agere pœnitentiam. Isti ergo peccatores, non solum, non flectunt ceruicem, sed libere post peccatum suum gloriantur,

In psa. 140. IDEM exponens verba illa; Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis, ait: O infelicissimum humanum genus, qui peccata excusamus, dicentes: Victus sum a natura, cum in potestate nostra sit, & peccare, & Domino adiuuante non peccare, semper excusamus nos metipsos, & dicimus: Ego nolebam peccare, caro me vicit: Illa mulier venit ad me, ipsa misit, ipsa me tetigit, ipsa mihi illud dixit, ipsa me vocauit, & pro quo debueramus pœnitentiam agere, & dicere, Domine peccaui, excusamus, & iungimus peccata peccatis.

6 *Li. de instit. virginis ad Eustebiū. ca. 4. to. 4.* AMBROSIVS vt ostendat, quod Adam excusationem non habuerit in lapsu suo, inquit: Sane negare non possumus, quod errauerit mulier. Quid miraris tamen, si infirmior lapsus est sexus, cum sit lapsus, & fortior? Mulier excusationem habet in peccato, vir non habet, Illa, vt scriptura, asserit a sapientissimo omnium serpente decepta est, tu a muliere, idest, illam creatura superior decepit, te inferior. Te enim mulier decepit, illam malus licet, tamen Angelus. Si tu inferiori non potuisti resistere, quomodo illa potuit superiori? Adde illud, quod & prior culpam fatetur. Etenim quæ se dicit esse seductam, testatur errorem. Erroris igitur medicina confessio est. Ille mulierem suam accusauit, ista serpentem, hoc est, nec accusata crimen retorsit, sed ipsum accusatorem suum maluit, si posset, absoluere, quàm ligare.

7 IDEM docens: Qualem excusationem corruptæ afferre soleant, ait: Dictura es forsan, non potui sustinere, quia carnem fragilem circumferebam. Respondebit tibi beata Tecla cum suis innumerabilibus socijs. Et nos eadem carne amictæ suimus, non tamen plenum propositum castitatis nostræ aut fragilitas carnis potuit mutilare, aut sæuitia tyrannorum per uaria tormenta potuit deijcere. Revera non potest caro corrumpi, nisi mens fuerit ante corupta. Remanebit ergo in crimine anima, quæ carnem præcedit in voluptate. Sed dicis: Nolui hoc malum, sed violentiam passa sum, Respondebit tibi fortissima illa Susanna, cuius tu nomen fallaciter baiulas, ego etenim inter duos presbyteros posita, inter duos vtique iudices populi, iter syluas paradisi sola constituta vinci non potui, quia nec volui. Tu ab vno ineptissimo adolescente, & in media ciuitate, quomodo vim potuisti perferre, nisi quia vltro voluisti violari? Quis denique tuas voces audiuit? Qui obluctationes sensit? *Cap. 9.* Infra: Corruptorem obiurgans, dicit: Nec tibi de multitudine peccantium similium blandiaris, & dicas, non solus hoc ego egi, multos habeo socios: sed recogita, quia multitudo sociorum impunitatem non facit criminum. Nam Sodoma, & Gomorra in totis quinque ciuitatibus innumerabiles vtique habitabant populi, & omnes pariter qui libidinose corpora sua tractauerunt, igneis imbribus conflagrati sunt: solus autem Loth de illo ineuitabili incendio euasit, qui ab illa turpitudine se alienum præstiterat.

8 IDEM vbi docet: Quod nulli nostram adscribere debeamus culpam, nisi nostræ voluntati, qua vel peccato, vel iustitiæ seruimus, & quòd carnem iniuste, quasi infirmam accusemus, sic habet; Non est, quod cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Voluntarium sibi militem legit Christus, voluntarium seruum sibi diabolus auctionatur. Neminem ingo seruitutis astrictum possidet, nisi se prius peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quasi

quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma iustitiæ. Affectus igitur non caro est auctor culpæ, caro autem voluntatis ministra. Non ergo vendat *Rom. 6.* nos voluntas. Clamat Apostolus, nescitis quoniam cui exhibuistis vos seruos ad obediendum, serui estis eius cui obedistis, siue peccati in mortem, siue obeditionis ad iustitiam? Ergo si aut peccato seruimus, aut iustitiæ, confideremus, in qua parte seruitus tolerabilior, fructus vberior.

9 *Libro 1. de Genesi ad literā. to. 3.* AVGVSTINVS dicit: Et dixit Adam, mulier, quam dedisti mihi, hæc mihi dedit de ligno vetito: numquid dixit peccaui? Superbia habet confusionis deformitatem, & non habet confessionis humilitatem. Hæ interrogationes ideo scriptæ sunt, vt aduertamus, quo morbo superbiæ laborent homines hodie, non nisi in creatorem conantes referre, si quid egerint mali, tamen sibi velint tribui, si quid egerint boni. Mulier, inquit, quam dedisti mihi, idest quam dedisti, vt esset mecum, hæc mihi dedit de ligno, & edi, quasi adhoc data sit, vt non ipsa potius obediret viro, & ambo Deo. Et dixit Dominus Deus mulieri: Quid hoc feciſti? Et dixit mulier. Serpens decepit me, & manducaui. Nec ista confitetur peccatum, sed in alterum refert. Ex his *Psal. 40.* natus est, nec tamen imitatus eos, qui dicit: Ego dixi Domine miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Serpens, inquit, seduxit me, & manducaui, quasi cuiusquam suasio præcepto Dei debuerit anteponi.

10 *Li. de vera & falsa pœ. to. 4.* IDEM inquit: Sentiat homo culpam, nec velit excusare, ne augeat crimen, vt Adā cui non sufficiebat peccasse, sed ampliauit crimen culpando vxorem, & culpam transferens in auctorem. Istud peccatum multoties incurritur, sed neglectum ignoratur. Non itaque peccantes dicamus, No aliud potui, cum me constituisti furem, quia Deus fecit me pauperem, nec mirum, si deditus sum fornicationi, quia talis creatus sum naturæ, & fragilitatis. Fragilitas enim vi cogit, vt voluntas committat criminalia. Errat qui fallitur, natura enim talis est, vt quisque possit resistere malo, cui se subijcit ex arbitrio. Sunt autem, qui defendunt culpam in Dei prouidentia reputantes Dei ordinationi, & necessitati, quod relictum est voluntati, & arbitrij libertati. Sciuit enim Deus quid facturus esset, qui peccat, sed non ordinauit peccatum, qui nullum relinquit impunitum. Sed dicit quis non sentit culpam suam, Nihil boni possum habere, aut facere nisi inspirante gratia. Si ipse itaque me nō conseruat, ego quid ex me mihi possum, quam habeo culpam? Si ego sine eo possem vitare crimen, me sentirem culpabilem. Idcirco culpa nostra est, quia fugimus gratiam, quam possemus habere perpetuam, semper inuita recedit, & nunquam aliquem sponte nea deserit. Non tamen ita Deus vult hominem non peccare, vt eum velit bonē statuere, si enim auferret libertatem, humana dignitas non remaneret. Semper Deus quod suum est inspirat, si est qui recipiat.

11 IDEM explicans verba illa; In te Domine speraui non confundar in æternum dicit: Illam confusionem perhorresco, quæ est in æternum. Nam est quædam confusio temporalis vtilis perturbatio animi respicientis peccata sua respectione perhorrescentis, horrore erubescentis, erubescentia corrigentis. Vnde ait, Apostolus: Quam gloriam habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Ergo erubescere illos dicit iam fideles non de præsentibus donis, sed de præteritis peccatis. Hanc confusionem non formidet Christianus, immo, si hanc non habuerit, æternam habebit. Quæ est æterna confusio? Quando fiet istud, quod dictum est: Et traducent eos ex aduerso iniquitates eorum. Et fit traducentibus ex *Sap. 5.* aduerso iniquitatibus omnis grex malus, ad sinistram tanquam hædis ab ouibus separatis, & audient, Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius. Esuriui & non dedistis mihi manducare &c. Cum cœperint illis *Matt. 25.* ista numerari, confundentur, & hæc confusio in æternum erit. Hanc timens, iste, qui pauet, vel cuius ad Deum est mentis excessus, hoc rogat, in te Domine speraui, non confundar in æternum, in tua iustitia libera me. Nam si attendas ad iustitiam meam, damnas me.

12 IDEM exponens illa verba; Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem, sic *In psal. 58.* ait: Quis ad suam conscientiam rediens, verba hæc non contremiscat, cum nullus sit absque iniquitate? Sed hoc duobus modis intelligi potest, siue quia omnino nulla peccata impunita relinquit Deus, siue quòd est quædam iniquitas, quam qui operantur, omnino eorum Deus non miseretur. Iniquitas omnis parua, magna ne sit, puniatur necesse est, aut ab ipso homine pœnitente, aut a Deo vindicante. Ergo fratres puniamus nostra peccata, si quærimus misericordiam Dei. Non potest Deus misereri omnium operantium iniquitatem, quasi blandiens peccatis, aut non eradicans peccata, prorsus aut punis, aut punitus. Vis non puniat? Puni tu. Nam illud fecisti, quod impunitum esse non possit, sed ut tu puniatur potius, vt scias, quod in illo psalmo *Psal. 54.* scriptum est: Præueniamus faciem eius in confessione. Quid est, Præueniamus faciem eius in confessione? Antequam ipse attendat, vt puniat, tu præueni confitendo, & punit. Non ille inueniat quod puniat, quia cum tu punis iniquitatem, facis æquitatem, & ideo tui miserebitur Deus, quia iam te operantem æquitatem inuenit Deus. Quid est operantem æquitatem? Quia hoc in te odisti, quod ille odit, vt incipias placere Deo, dum hoc in te punis, quod displicet Deo. Nam non potest impunitum relinqui peccatum, quia verum est: Non miserearis omnium, qui operantur iniquitatem. Sed videamus iam alium modum, quo hæc sententia possit intelligi. Est quā-

dam iniquitas, quam qui operatur non potest fieri, vt misereatur ei Deus. Ipsa est defensio peccatorum. Quando quisque defendit peccata sua, magnam iniquitatem operatur: Hoc defendit, quod Deus odit. Et videte quàm peruersè, quàm inique, si quid boni fecerit, sibi vult imputari, si quid mali, Deo: Nam hoc modo defendunt homines peccata sua ex Dei persona, quod peius est. Nemo est, qui audeat dicere bonum est adulterium, furtum, fraus, periurium, sed quomodo ea defendunt? Si Deus noluisset, id non fecissem. Quid vis faciam fato meo? Ergo ad hoc peccatum tuum defendis, vt Deum accuses. Ideo excusatur reus, vt culpetur iudex. Prorsum talem iniquitatem operantium non miseretur Deus.

13 In Psa. 138. IDEM explicans illa verba; Quoniam tenebræ non obscurabuntur à te, dicit. Tu noli obscurare tenebras tuas, & Deus illas non obtenebrat, sed magis illuminat, quia illi dictum est in alio psalmo: Tu illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. Qui autem obscurant tenebras suas, quas Deus non obscurat? Homines mali, homines peruersi. Cum peccant vtique tenebræ sunt, dum non confitentur peccata sua, quæ fecerunt, sed insuper defendunt, obtenebrant tenebras suas. Ergo iam, si peccasti in tenebris es, sed confitendo tenebras tuas, merebéris illuminari tenebras tuas. Defendendo autem tenebras tuas, tenebraberis tenebris tuis. Et quando euades à duplicibus tenebris, qui in simplicibus laborabas?

14 Lib. 4. Moral. c. 19. t. 2. GREGORIVS explicãs illa verba Iob cap. 3. Sit nox illa solitaria, nec laude digna, dicit: Sunt nonnulli, qui non solum nequam deflent, quod faciunt, sed etiam laudare, & defendere non desinunt. Et nimirum dum defenditur culpa, geminatur. Contra quod recte per quendam in Ecclesiastico dicitur: Peccásti, non adijcias iterum. Peccatum quippe peccato adijcit, qui male gesta etiam defendit, & noctem illam solitariam non relinquit, qui culpæ suæ tenebris etiam patrocinia defensionis adiungit. Hinc est, quòd primus homo de erroris sui nocte requisitus: eandem noctem esse solitariam noluit, quia dum requisitione ad pœnitentiam vocaretur, ei adminicula excusationis adiunxit dicens: Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi: scilicet excessus sui vitium in autorem latenter intorquens: ac si diceret, Tu occasionem delinquendi præbuisti, qui mulierem dedisti. Hinc est, quòd huius erroris ramus in humano genere ex illa nunc vsque radice protrahitur, vt quod male agitur, adhuc etiam defendatur. Dicatur ergo, sit nox illa solitaria, nec laude digna: aq si aperte exoret dicens: Culpa quam fecimus, sola remaneat ne dum laudatur, & defenditur, in conspectu nos nostri iudicis multipliciùs adstringat. Peccare quidem non debuimus, sed vtinam alia non iungentes, vel ea, quæ fecimus, sola deseramus.

15 Lib. 12. Moraliũ. cap. 8. IDEM explicans verba illa Iob cap. 15. Quanto magis abominabilis, & vilis homo, qui habet, quasi aquas iniquitatem, ait: Hoc quod comeditur, cum mora glutitur, quia manditur, vt glutiatur. Quod autem bibitur, tanto ad glutiendum moram non habet, quanto nullam, & ad mandendum necessitatem habet. Culpa ergo, quia ab stulto homine sine vlla retractatione perpetratur, quasi aqua iniquitas bibitur. Quia enim illicita sine timore facit, quasi potum iniustitiæ sine obstaculo glutit.

16 Expositiõ in 1. psa. pœ. IDEM explicans verba illa primi psalmi pœnitentialis: Erubescant, & conturbentur vehementer omnes inimici mei, conuertantur, & erubescant valde veciter, inquit: Ergo quia propter peccata, quæ perpetraueram erubui, erubescens vero, vt ea diluerem in gemitu meo laboraui, exaudita veniam impetraui. Et vtinam meo exemplo erubescat quicumque quod ad imaginem, & similitudinem Dei sit factus intelligit, & qualiter illam peccando fœdauit, agnoscit. Si se circumspiciens consideret, & decorem quem perdidit, & obscœnitatem, qua se velut quodam tęterrimo colore perfudit, de operum suorum qualitate, nisi sit lapis, erubescit. Nobilis anima, si quas aliquando peccati notas admiserit, verecundiam tamen a se funditus non repellit. Nam & illud verum est apertæ desperationis indicium, si verecundia non sequitur peccatum. Vnde sub Iudææ specie contemnentia animæ dicitur: Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Qui enim neglecto Dei timore peccata peccatis accumulat, profecto vt meretrix frontem obdúrat. Sed quia minus est de antacta vita erubescere, nisi quis etiam studeat, ea quæ admisit pœnitendo corrigere, subiungit. Et conturbentur vehementer. Quisquis peccati sui modum considerans, sibi iratus, contra sei ipsum grauiter, quod egit puniendo inuehitur, per compunctionis lachrymas vehementer conturbatur. Quia vero per dolorem pœnitentiæ peruenitur ad cõuersionem vitę, protinus additur: Conuertantur. Ille nimirum ad Deum conuertitur, qui tam cogitatus suos, quàm etiam operationes ad Deum semper dirigere conatur. Addit secũdo, erubescãt, id est erubescãt se peccasse, erubescãt conuersionem distulisse, & hoc faciant valde velociter. Dies enim Domini sicut fur in no- cte ve- niet.

Hiere. 3.

Peccata

Peccata iustorum, Sacerdotum, Prælatorum, & Regum, nimis grauia sunt, quæ multum flere debent homines. Cap. XVI.

1 Hom. 12. ex varijs tomi primi, quæ est in cap. 1. Prou. to. 1. Matt. 13. BASILIVS exponens verba illa; Et intelligens gubernacula posidebit, inquit: Vis aliam enarrẽ nauigationem, ad quam gubernationis virtus nobis necessaria fuerit. Regnum cælorum simile est homini mercatori. Omnes enim angelicam viam ambulãtes mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cælestium negotiantes. Quamobrem suam quisque, & mercem, & thesaurum suscipiens omni studio securus hanc vitam pertrãsire conetur. Plures namque ab ipsa iuuentute multa congregantes, instantibus deinde malignorum spirituum incitamentis, tempestatis onus, arte gubernationis deficiente, ferre non valuerunt, sed omnium iacturam fecerunt. Ex quo circa fidem alij naufragium fecerunt: alij autem pudicitiam, quam vsque a pueris thesaurizauere, voluptate deinde pestilenti, velut procella quadam irruente perdiderũt. O miserabile spectaculum, o sortem lugẽdam! post ieiunia multa, post durum vitę genus, post longas ad Deum preces, post vberes effusas lachrymas, denique post annorum viginti, seu triginta abstinentiam ob indulgentiam, inconsiderãtiamq. nudum omnibus, ac tot laborum mercede priuatum reperiri, & similem omnino fieri mercatori cuidam diuiti, qui de multitudine commeatuum gloriatus, vento secundo nauem impellente, timendas tuto per mare currens præterit procellas. Naufragio deinde prope portum superueniente, omniũ possessione acernatim, simulq. destitutus apparet. Itaque mille laboribus, sudoribusq. parta, vno tantum dæmonis impulsu facile amittes, peccato velut acerbo quodam turbine depressus. Ex quo sic de virtute omni simul periclitanti, naufragantiq. opportuna vox illa: Veni in profundum maris, tempestas demersit me. Quamobrem vitæ clauum tuto moderare, oculum rege, ne per eum, siue auditum, siue linguam in cõcupiscentiæ fluctus incidas, aut noxium aliquid accipias, ne te iræ tempestas, ac furor euertat, ne aliquid eorum quæ tacenda sunt loquaris, ne formidinum terrores vrgeant. Fluctus enim sunt animi perturbationes, quibus si virtute occurres, ac illis te sublimiorem reddes, tutus vitæ gubernator fueris. Si autem per imperitiam, & inconstantiã quodlibet eorum præterieris velut nauigium aliquod compagibus dissolutũ, ac fractum, vndis omnibus obnoxium, iactatus, in peccatorum pelagus facile corrues. Sed hæc gubernationis scientia, quemadmodum tibi adesse poterit, attende. Mos est naucleris in cælum aspicere, interdiu in solem, noctu in arcton, vel aliud semper apparens astrum, ac per hoc rectam in pelago viam commentari. Tu quoq; oculos ad cælum attollens secundum eum, qui ait: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis, habitantem in cęlo iustitiæ solem aspice, ac velut astra quædam splendentia Dei mandata obseruans, lumina vigilantia retine. Ne dederis somnum oculis tuis, & palpebris tuis dormitationem, vt idoneum itineris cursum ex diuinis præceptis habeas. Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis. Nam si numquam ad claui moderationem constitutus obdormieris, & adiumentum eorum, quæ agẽda sunt, a spiritu acceperis, auris spiritualibus, ac pacificis tuto nauigabis; donec incolumis ad portum euadas illum trãquillum, ac sine fluctibus, diuinam scilicet voluntatem.

3 In epist. ad monac. qui excciderat. to. 2. Isa. 48. IDEM sic habet: Salutis gaudium non dicimus, quoniam in istiusmodi impijs gaudere non licet. Adhuc enim adduci nequeo, vt credam, & in cor meum admittam absurdum illud, & vehementer audax facinus, quod designasse diceris, si tamen res habet vt videtur. Admiror enim quomodo tanta interierit sapientia, quomodo tam exacta vitæ prioris disciplina pessum ierit! vnde tanta offusa cæcitas, quomodo reiecta omni consideratione talem ac tantam animarum perditionem induxeris? Si enim hoc vere patrasti, & animam tuam inferni profundo tradidisti, & omnium eorum, qui impium hoc facinus audient, firmitatem dissoluisti, fidem contemptim abiurasti, boni propositi certamen a scopo auertisti. Quapropter tui gratia doleo. Quis enim sacerdos, cum audierit, non tuo nomine plorabit? Quis ecclesiasticus non lamentabitur? Quis laicus non mœrebit? Quis religiosus nõ lugebit? forsan & sol obscurus fuit, cum delinqueres, & caderes, & virtutes cæli in perditione tua commotæ sunt. Et insensati lapides insaniam tuam deflerunt. Plorarunt & inimici propter iniquitatis tuæ exuberantiam. O grauem cæcitatem! O immanem crudelitatẽ! Deum non timuisti, homines non es reueritus, nullam amicorum rationem habuisti, sed simul omnia facto naufragio perdidisti, simul omnibus spoliatus es. Quocirca iterum miser tui gratia doleo. Qui omnibus regni Dei vigorem annunciabas, regno Dei excidisti. Qui doctrinæ timorem omnibus incutiebas, non habuisti timorem Dei ante oculos tuos. Qui vitæ sanctimoniam prædicabas, sceleſtus deprehenderis. Qui paupertatis gratia cohonestabaris, pecuniarum raptor inuentus es. Qui supplicium quantum a Deo immineret peccãtibus per doctrinam ostendebas, supplicium ipse tibi accersiuisti. Quomodo te lugebo? Quomodo cecidit lucifer, qui mane oriebatur, & super terram contritus est. Ambæ prorsus aures tinnient cuicumque audituro. Quomodo Nazaræus auro splendidior, fuligine factus est obscurior? Quomodo filius Sion præclarus, factus est vas inutile? cuius diuinarum

4

scripturarum commentationem omnes commemorabant, illius hodie memoria cum sonitu perijt. Qui multæ erat intelligentiæ, multifariam etiam deliquit. Qui namque per doctrinam tuam adiuti fuerant, e perditione tua damnum acceperunt. Ego lamentans, & tristis incedens vndique consternatus, ac cinerem tamquam panem manducans, & saccum super plagam meam induens, huiusmodi tibi encomia recenseo, immo magis funeralem sermonem adornans absque vlla consolatione, aut recreatione persoluo. Aufugit enim ab oculis meis consolatio, nec est fomentum quod vulneri adhibeatur, nec oleum, nec ligatura. Est enim plaga mea dolorosa, vnde sanabor? Si qua spes igitur salutis tibi reliqua est, si qua vel modica Dei recordatio, si quod futurorum bonorum desiderium, si quis metus suppliciorum, quæ impœnitentibus reposita sunt, resipisce velociter. Leua oculos tuos ad cælum, cessa a malitia tua, excute, qua circumfusus es, ebrietatem, obluctare ei, a quo prostratus es, erigere fortiter ex humo, recordare boni pastoris, ille namque te insequitur, vt velut e lupi faucibus eruat, etiam si duo tantum crura, aut auriculæ portio supersint. Resili ab eo, qui te vulnerauit. Memor esto miserationum Dei, quòd ille vino, & oleo medeatur.

5 CHRYSOSTOMVS inquit: Veniat in mentem vobis octo millia Leuitarum Iudæos alere solitos fuisse, & cum his viduas, & parentibus orbos, nunc autem agros, domos, locationes, vehicula, equos, mulos, multaq. alia huiusmodi propter vos, & vestram crudelitatem Ecclesia possidet. Oportebat enim hunc Ecclesiæ thesaurum vos retinere, ac Ecclesiam non paruos ex nostra deuotione consequi fructus. Modo autem duo quædam mala committuntur. Nam & vos quasi nihil dare debeatis, nihil confertis, & Dei sacerdotes a sacerdotio aliena pertractant, coegistis eos eorum, qui sæcularia gerunt negotia, curam, & gubernationem imitari, vnde vniuersa commiscentur, atque turbantur. Cum enim & nos eadem solicitudine teneamur, quis propitium faciet Deum? Propterea os aperire non possumus, quia non melius Ecclesia, quam sæcularia gubernantur. Non audistis, quia nec quidem has pecunias, quæ absque labore fuerunt collectæ, distribuendas putauerunt Apostoli? Modo autem in procuratores, dispensatores, caupones redacti sunt Episcopi: immo vero istos etiam cura, & solicitudine sæcularium rerum superarunt. Cumq. oporteat ipsos animarum habere curam nostrarum, hoc prætermisso illa solicite curant, quæ publicanis quæstoribus, atque villicis curanda sunt: de his quotidie cogitant, & peruigilant. Hoc non frustra deploro. Nunc proh dolor vindemiæ, ac messis Dei, sacerdotes & vēditioni, ac emptioni fructuum assistunt: & illi quidem, qui figuræ, ac vmbræ cultum habebant, quamuis corporalior eis administratio esset iniun-

Hom. 86. in Matth. to. 2. *Deut.* 12. & 14.

1. *Cor.* 16. & *Heb.* 10.

cta, omnium tamen harum rerum erant immunes, nos vero qui ad penetralia cælorum vocamur, quique ad vera sancta sanctorum ingredimur, mercatorum rursus, & caponum curas suscipimus: vnde & magna scripturarum oritur negligentia, ingens in orando segnities, & ceterorum omnium contemptus.

6 IDEM sic habet: Vere magna confusio est sacerdotum, & omnium clericorum, quando laici inueniuntur fideliores eis, ac iustiores. Quomodo autem non sit confusio esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse, confusio est? Infra: Parabolam duorum filiorum, quorum alter dixit patri dicēti, Fili vade operari in vineam meam, & dixit, nolo, & iuit; alter vero dixit, eo domine, & nō iuit, applicat & sacerdotibus, & sæcularibus, dicens, quòd ostendit Dominus per eam, quoniam meliores sunt populares, qui a principio sęcularem, & carnalem profitentur vitam, quàm sacerdotes, qui ab initio profitentur se Deo seruire. Quoniam populares quidem, vel satiati actibus suis malis, aliquando compuncti conuertuntur ad Deum, & incipiunt operari iustitiam Dei: sacerdotes vero impœnitibiles constituti numquam desinunt peccare in Deum. Duos ergo filios, dicit, laicorum conditionem, & ordinem sacerdotum. Prior filius populus est, prior enim creatus est, deinde sacerdotes, qui regunt populum, qui propter populum creati sunt. Nam & mundum Deus ante creauit, & postea hominem, qui regeret mundum, sic homines prius creauit, & postea sacerdotes, qui regerent illos. Prior filius dicenti patri, vt iret in vineam, respondit, nolo: populares enim per hoc, quod sæcularem suscipiunt vitam, denegare videntur obedientiam Deo: sacerdotes autem magis videntur obedientiam promittere Deo, præcipue per hoc ipsum, quod specialiter in ministerio Dei constituuntur. Nam qui doctor populi constituitur, sine dubio profitetur se talem fore, qualem esse oportet doctorem. Quis e duobus fecit voluntatem patris? At illi responderunt, primus. Et verum est, quia melior est laicus, qui in prima facie carnalem vitam profitetur, revera autem complectitur spiritualem, quàm sacerdos, qui in prima quidem facie profitetur vitam spiritualem, revera autem amplectitur vitam carnalem. Laicus enim in die iudicij stolam sacerdotalem accipiet, & a Deo chrismate vngetur in sacerdotium, sacerdos autem peccator spoliabitur sacerdotij dignitate, quam habuit. Sæcularis homo post peccatum facile ad pœnitentiam venit, nam occupatus negligentia sæculari, dum scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in scripturis posita sunt, noua videntur: ideoque cum audit aliquid de gloria sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi nouum aliquid audiens expauescit, dumque aut bona concupiscit, aut mala timet compunctus, ad pœnitentiam cito de-

Hom. 40. ex imperfecto in c. 21. Matthæi.

Matt. 21.

7

to decurrit. Nihil autem imposibilius, quàm illum corrigere, qui omnia scit, & tamen contemnens bonum, diligit malum. Quidquid enim illic terribile est vsu vilescit. Propterea clericus, qui semper meditatur scripturas, aut omnino obseruaturus est, & erit perfectus, aut si semel cœperit illas contemnere, numquam excitatur in illis, vt timeat. Quis aliquando vidit clericum cito pœnitentiam agentem? Sed etsi deprehensus humiliauerit se, non ideo dolet, quia peccauit, sed confunditur, quia perdidit gloriam suam. Putasne Dominus quasi crudelis clericis pœnitentiam denegauit, dicens in Euangelio: Si sal infatuatum fuerit, in quo condietur? Sed quasi naturalem rem esse considerans, quia non est, qui doceat illum errantem, qui errantes alios corrigebat, ideo addidit, & dicit: Amen dico vobis, quia publicani, & meretrices præcedunt vos in regnum Dei, idest, non dico populares, qui secundum rationem verbi vitam suam dispensant, sed publicani, & meretrices, qui desiderijs mundialibus, & voluptatibus carnalibus se ipsos mancipauerunt, præcedunt vos in regnum Dei, quia illi conuersi desiderant esse, quod non erant, vos autem denegatis in opere, quod videmini profiteri in verbo, & estis tamquam arbores folia sine fructu habentes, non pascentes dominum suum, sed deludentes.

Marc. 9. *Luc.* 14.

8 IDEM dicit: Ante prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata, longe maiori supplicio expianda a sacerdotibus, quàm dum a priuatis fiunt, mandat, vt tantundem pro sacerdotibus, quantum pro vniuerso populo sacrificium offeratur. Quod quidem quid aliud significat, quàm sacerdotis vulnera maiori medicamento, atque auxilio indigere, atque adeo tanto, quanto coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigent? Porro maiori nequaquam indigerent, nisi ea grauiora forent. Atqui grauiora certe fiunt, non natura ipsa, sed sacerdotis, qui ea commiserit conditione, ac dignitate. Ceterum, quid nos hic de viris verba facimus, qui ministerium pertractantes sacris operarentur? cum & sacerdotum filiæ, quibus nihil ipsis cum sacerdotio commune est, propter dignitatem paternam eorundem peccatorum pœnam, multo acerbiorem sustineant. Peccatum quidem par, æqualeque, tum quod illæ, tum quod priuatorum hominum filiæ commiserint, mœchatio enim vtrumque, at pœna illis irrogata multo seuerior. Cernis quàm abunde Deus declaret longe maius se se supplicium a principe, quàm a subditis exigere? Neque enim, qui in filiam, propter eius patrem grauius, quàm in alias quasuis, animaduertit, a patre certe, qui ipse auctarij, & maioris pœnæ in filiam irrogandæ auctor sit, parem eandemq. cum multis pœnam exiget, sed multo sane grauiorem. Id quod vel maxime consentaneum est. Non enim damnum inde exoriens

Lib. 6. de sacerdotio. to mo 5. *Leui.* 4. 6. 1. *Reg.* 4.

in illum tantum recidit, verum & infirmorum, & eorum item omnium, quorum oculi in illum conuersi sunt, animos tentat.

9 IDEM in vltimis verbis in exordio epistolæ, sic habet: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Quod in tempore quidem nunc dixerim, longeque tempestiuius, quàm tunc propheta ille, tametsi multas ciuitates deflere, aut vniuersas gentes, consilium non est. Animam tuam deploro, numerosissimis adeoque amplissimis populis adæquatam dignitate, immo multis nominibus digniorem. Quandoquidem vnus iste melior est, qui Dei voluntatem amplectitur, quàm sunt decem millia transgressorum. Melior nimirum, & tu pridem fuisti infinitis Iudæorum millibus. Qua de causa nemo mihi vitio verterit, si ex propheta luctum acerbiorem assumam, altioremque dolorem ostendam. Equidem nec ciuitatem aliquam euersam lugeo, nec viros iniustos in ius victoris coactos. Quinimmo sacram animam lugeo destitutam esse, deploratamque, ac templum demolitum, atque extinctum, cui Christus nuper præfuit, hoc est, ornatum cogitationis istius, quem modo exussit diabolus. Quis honestus, & clarus non ingemuit, qui incidit in ploratum prophetæ, qui animaduertit barbaram manum sancta sanctorum prophanasse, & subiectis ignibus perdidisse omnia, Cherubim, arcam, tabulas lapideas, vrnam auream. Atqui damnum istud illo est tanto perniciosius, quo illorum significatio pretiosior, quæ ad tuam ipsius animam pertinet. Tu es illo sanctius templum, quod neque auro, neque argento, sed ex gratia spiritus resplenduit, & in vicem Cherubim, atque arcæ, Christum, & huius patrem, simul atque consolatorem habuit conuersantem intra ipsum. At non amplius habet, vastum nunc est desertum, ac deformis nuditas a pulchritudine, ac decore pristino, quando diuinum ac incredibile ornamentum detractum est. Desertum plenum periculis, ac sine custode. Ibi nec ianua, nec pessulum, omnia omnibus patent corruptoribus animæ. Si superbia, si scortatio, si habendi libido aditum captat, nemo prohibebit. Principio quemadmodum cælum est in accessum omnibus, ita fuit puritas cogitationis tuæ.

In epist. 5. quæ est ad Theodorū lapsum. *Hiere.* 9.

10 HIERONYMVS explicat de sacerdotibus, & prælatis verba hæc; Ego autem dixi forsitan pauperes sunt, & stulti, ignorantes viam Domini, iudicium Dei sui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis, ipsi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei sui. Et ecce magis hi, simul confregerunt iugum, ruperunt vincula, idcirco percussit eos leo de silua, lupus ad vesperam vastauit eos, pardus vigilans super ciuitates eorum, dicit. Pauperes hic, & optimates, non inopia dicit, & diuitijs, sed populum principibus comparat. Et est sensus, cernens infidelis populi pertinaciam, & quod

Li. 1. in c. 5. Hiere. to. 4.

& quod indurata facie noluerit recipere disciplinam, hac mecum ratione tractabam. Forsitan vulgus ignobile Dei non potest nosse doctrinam, & idcirco excusabile est, quia propter imperitiam Dei nō valet scire mandata. Pergam igitur ad sacerdotes, & ad eos, qui præsunt populo, & loquar eis: ipsi enim voluntatem Domini cognouerunt, & sciunt iudicium Dei sui. Hoc autem dicit sermone dubitantis. Et ecce magis simul cōfregerunt iugum. Quos magistros putabam inuenti sunt peiores esse discipulis, & quanto in his maior auctoritas, tanto maior insolentia peccatorum. Infra: Qui magni putantur in Ecclesia, quia confringunt iugum, & rumpunt vincula, idcirco traduntur in ignominiam passionum, vt faciant, quæ non conueniunt.

11 IDEM explicans illa verba; Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum, sic habet: Quid auro, quod metallis ceteris præeminet, nisi excellētia sanctitatis, quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reuerentia religionis exprimitur? Quid per sanctuarij lapides, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo dicitur? Profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus cōmutatur, cum quorundam, qui agere religiose credebantur, existimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit. Sanctuarij quoque lapides in plateas disperguntur, cum causa secularium foras lata itinera expetunt hi, qui ad ornamenta Ecclesiæ internis mysterijs, quasi in secretis sanctuarij vacare debuerāt. Ad hoc quippe sanctuarij lapides fiebant, vt intra sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarij lapides in ornamento Pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarij lapides dispersi per plateas iacent, cum personæ sacrorum ordinum, voluptatum suarum latitudini debitæ terrenis negotijs inhærent. Et notandum, quòd non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit: quia cum terrena agunt, summi videri appetunt, vt & lata itinera teneant ex voluptate delectationis, & tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis. Nihil quoque obstat, si sanctuarij lapides eosdem ipsos, quibus cōstructum sanctuarium existebat, accipimus, qui dispersi in capite platearum iacent, quando sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio inseruiunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Sæcularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, numquam vero ex amore requirenda, ne cum mentē diligentium aggrauant, hanc suo vitam pondere ad ima de cælestibus mergant. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Ad eundem sensum hæc sententia pertinet, ad quem superior, quod filij Ecclesiæ, qui inclyti fuerunt Christiana religione, & ornati sapientiæ fulgore, & decore virtutum, nunc emolliti carnalibus desiderijs, & terrenis cupiditatibus tabefacti, vasis testeis comparentur, quæ Dominicæ correptionis virga in futuro examine conterens franget, & ad nihilum rediget, taliter vt non inueniri possit fragmen testæ, quo igniculus ferri possit de incendio. Infra: Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. Nunc in Ecclesia propter peccata prophetarum, & iniquitates sacerdotum eius, portarum spiritualis Hierusalem patet introitus, quando propter ignauiam prædicatorum, & negligentiam sacerdotum Dei, qui non curant populo annunciare viam Domini, & compescere eum a peccatis, hostis mali genus per sensus exteriores aditum intrandi in animam inuenit, & occasionem habet per diuersas fraudes eam seducendi. Vnde scriptū est: Causa ruinæ populi, sacerdotes mali. Qui merito dicuntur effundere sanguinem iustorum, quia dum simplicibus, qui forte per innocentiam iusti esse possent, si rectitudinem viarum Domini scirent, subtrahunt verbum solatij, rei dicuntur esse sanguinis effusi, vt Ezechiel late docet.

Li. 3. in c. 4. Lamēt. Hieremiæ.

Thren. 2.

Ezec. 3.

12

13 IDEM exponēs verba illa; Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorum stantium ante picturas, & vnusquisque habebat thuribulum in manu sua, & vapor nebulæ de thure cōsurgebat, inquit: Quando viderimus plebem pessimam congregatam, de qua scriptum est, Odiui ecclesiam malignantium, & peiores plebe præpositos, nequioremq; principē, qui præfectus est plebi, atque presbyteris, dicamus Iezoniam stantem ante picturas, & singulos habere thuribula in manibus suis, non Dei maiestatem, sed proprias sententias adorantes, & nequaquam odorem bonæ fragrantiæ ad Deū, sed fœtorem ad idola peruenire. Certe vides fili hominis, quæ seniores domus Israel faciūt in tenebris, vnusquisque in abscondito cubiculi sui: dicunt enim, non videt Dominus nos, dereliquit Dominus terram. Hoc sic intelligi potest, quod nonnulli principes Ecclesiarum faciant in tenebris, quæ dictu quoque turpia sunt.

Li. 3. in c. 8. Ezech.

Psal. 25.

14 IDEM exponens verba illa; Audite hæc sacerdotes, & attendite domus Israel, & domus regis auribus auscultate, quia vobis iudicium est, quoniam laqueus facti estis speculationi, & rete expansum super Thabor, dicit: Speculatores vos posui, & principes in populo, & in excelso dignitatis culmine constitui, vt populum regeretis errantem, vos autem facti estis laqueus, & non tam speculatores, & principes, eipes, quàm venatores expellandi. Expanditis enim rete super montem Thabor. Et victimas declinastis in profundum, vt nullus ageret pœnitentiam, nec prorsus eleuaret caput. Prohibuerunt & reges, & sacerdotes ire populum ad templum Hierusalem, idcirco in profundum victimas declinasse dicuntur.

Li. 1. in c. 1. Osēæ. to. 6.

15 IDEM exponēs illa verba; Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata caluitium tuum, sicut aquila, quoniam captiui ducti sunt ex te, ait: O anima humana! O vrbs quondam sanctorum mater, quæ prius eras in paradiso, & fruebaris delicijs arborum diuersarum, & habebas speciosissimam comā, nunc quia proiecta es de sublimibus, & deducta in Babylonem, & venisti in locum captiuitatis, & perdidisti comam tuam, radere, & assume habitum pœnitentis, & quæ prius quasi aquila volabas in excelsis plange filios, plange sobolem tuam, quæ ex te deducta est captiua. Et quomodo aquila, quæ regina est auium certo tempore amittit plumas, & remanet implumis, sic anima deponit omnem gloriam, qua antea fuerat circumdata, vt plangat filios, hostium potestati subditos, peccatisque obnoxios.

Lib. 1. in c. 1. Michēæ.

16 IDEM exponens illa verba; Principes eius in medio eius, quasi leones rugientes, iudices eius lupi vespere, non relinquebant in mane. Prophetæ eius vesani, viri infideles, sacerdotes eius polluerunt sanctum, iniuste egerunt contra legem, sic habet, quòd de Ecclesia nostra dicitur: Principes eius in ea sicut leones rugientes; scio offensurum me esse plurimos, quod super episcopis, & presbyteris hæc interpreter, cum & presbyteri mali, qui Susannam violare cupierunt, ceteros presbyteros, qui bene vixerunt, non condemnent, & mali principes, quos describit sermo propheticus, non sint bonis principibus contumeliæ. Stulto enim flagellato, insipiens sapientior erit: si autem insipiens sapientior fit, quanto magis ille, qui sapiens est? Sed iudices eius, ac principes cupientes munera, vendente sq. iustitiam, recte appellantur lupi vespertini. Quod autem sequitur, Prophetæ eius viri contemptores, nullum moueat, quòd super doctoribus interpretantes, eosdem & prophetas dicamus, & contemptores. Sacerdotes eius polluerunt sanctū: nostri sacerdotes non indignentur, nobis hæc exponentibus, sed Dominum deprecentur, & studiose agant, ne de sacerdotibus, qui violant sancta Domini, esse mereantur. Non enim dignitas, & nomina dignitatum, sed opus dignitatis, & principes, & iudices, & prophetas, & sacerdotes saluare consueuit. Qui episcopatum, inquit, desiderat, bonum opus desiderat. Videte quid dixerit, bonum opus desiderat, non dignitatem. Si autem despecto opere, solam aspexerint dignitatem, cito corruit turris in Siloe, & excelsa cedri fulmine feriuntur, & erecta cervix frangitur, & cycnus extento collo, & in sublime se tendens inter immundas volucres computatur.

17 AVGVSTINVS dicit; Quare angelus in via volebat Moysen occidere? Idcirco ergo sic infestum Angelum in se vidit Moyses, & paratum ad vindictam, quia viri sublimis culpa, graue peccatum est. Quāto enim persona eius supplicior est, tanto magis leue delictum eius. Quod ergo a summo viro, vtpote a ductore populi fit, acerbissimum est peccatum. Et ideo quia per negligentiam circumcisionem filiorum prætermiserat, Angelus in Moysen sæuiebat.

Lib. quæst. veteris, & noui testamenti. to. 4.

18 IDEM dicit; Si sacerdotibus grande periculum est aliena peccata non arguere, quanto periculosius erit propria noluisse corrigere, atque ea non solum non emendasse, verum etiam defendisse, & defendendo cumulasse.

in lib. quinquagintahomil. homil. 16. to. 10.

19 BERNARDVS inquit; Dilatata videtur Ecclesia, ipse etiam cleri sacratissimus ordo, fratrum numerus super numerum multiplicatus est. Verum, cum multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quàm numeri accessisse. Curritur passim ad sacros ordines, & reuerenda, ipsis quoque spiritibus angelicis, ministeria homines apprehendunt sine reuerentia, sine cōsideratione. Neque enim signū regni occupare cælestis, aut illius timent imperij gestare coronam, in quibus auaritia regat, ambitio imperat, dominatur superbia, sedet iniquitas, luxuria etiā principatur, in quibus & pessima forte appareat iuxta parietes abominatio; si iuxta Ezechielis prophetam parietem fodiamus, vt in domo Dei videamus horrendum. Siquidem post fornicationes, post adulteria, post incestus, nec ipsę quidem apud aliquos ignominiæ passiones, & turpitudinis opera desunt, vtinam non fierent, quæ vsque adeo non conueniunt, vt nec Apostolum hæc scribere, nec nos dicere oporteret, vt nec dicētibus crederetur, quod humanum aliquando occupauerit animum tam abominanda cupido. Exustæ sunt ciuitates olim, & in lacum horribilem solum omne redactum est. Amputata sunt hydræ capita quinque; sed heu innumera surrexerunt. Quis reædificauit vrbes flagitij, quis turpitudinis mœnia dilatauit? Væ væ inimicus hominum sulphurei illius incendij reliquias infelices circumquaque dispersit, execrabili illo cinere Ecclesiæ corpus aspersit, & ipsorum quoque ministrorum eius nonnullos sanie fœtidissima aspersit. Heu genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis quis inter tua illa primordia tam diuina, & spiritualibus affluentem charismatibus Christianæ religionis ortum credere posset, posse talia in te aliquando reperiri? Ingrediūtur cum hac macula tabernaculum Dei viuentis inhabitant cum macula templum sanctum Domini polluentes, iudicium multiplex accepturi, quod & tam grauissimas conscientias, gerunt, & nihilominus sese ingerunt in sanctuarium Dei. Tales enim non modo non placant Deum, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: Non requiret. Irritant

Serm. de cōuersione ad clericos. c. 29.

Ezech. 8.

Gen. 19.

20

ritant plane, & infensum reddunt sibi, vereor ne in his, quibus eum repropitiare debuerant. Vtinam magis turrim inchoaturi sedentes cõputarent, ne forte sumptus nõ habeant ad perficiendum. Vtinam qui continere non valent, perfectionem temerarie profiteri, aut cælibatui dare nomina vererentur. Sumptuosa siquidem turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt. Esset autem sine dubio melius nubere, quàm vri, & saluari in humili gradu fidelis populi, quàm in cleri sublimitate & deterius viuere, & districtius iudicari. Multi enim, non quidem omnes, sed tamen multi, certum est nec latere queunt præ multitudine, nec præ impudentia quærunt, multi vtique libertatem in qua vocati sunt, in occasionẽ carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, & in omne flagitium effluentes.

21 Epistola ad Fulconem, qui accepto religionis proposito, exciderat. *Lucæ 16.*

IDEM inquit; Quid facis in vrbe, qui clau strum elegeras? Quid tibi cum sæculo, qui sæculũ spreueras? Funes ceciderunt tibi in præclaris, & tu opibus inhias terrenis? Si vis habere hæc simul & illa, breuiter tibi respondebitur: Memento, quia recepisti bona in vita tua. Recepisti, inquit, non rapuisti, ne etiam de hoc tibi frustra blandiaris, quod tuis cõtentus aliena non rapias. Verumtamen quæ sunt illa tua? Beneficia Ecclesiæ? Recte, quia surgis ad vigilias, vadis ad missas, horis chorum nocturnis, diurnisq. frequentas. Benefacis. Sic Ecclesiæ præbendam gratis non accipis. Dignum est, vt qui altario deseruit, de altario viuat. Cõceditur ergo tibi, vt si bene deseruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, vt de altario superbias, vt inde compares tibi frena aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia, griseaque, pellicea a collo, & manibus ornatu purpureo diuersificata. Denique quicquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum non *1. Tim. 6.* est, rapina est, sacrilegium est. Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti simus. Nota, quibus tegamur, non quibus lasciuiamus, non quibus superbiamus, non quibus mulierculis, vel similari, vel placere studeamus.

22 Epistola ad Henricum Senonensé Arphiep. *1. Tim. 2.*

IDEM dicit; Cernitur in nonnullis sacerdotibus vestium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. Quibus ego si rememorem illud Apostolicum: Non in veste pretiosa, vereor ne indignentur, dum nimirum indignum ducant in se assumptam sententiã, quam prius in viliorem sexum, & ordinem prolatam fuisse recognouerint. Quasi vero non eodem vtantur medici ferro secandis regibus, quo & popularibus hominibus aut capiti fiat iniuria, si ipsis forpicibus capilli excrescentes detondeãtur, quibus & vnguium fuerint resecata superflua. Attamen si dedignantur pari cum mulierculis non quidem a me, sed ab Apostolo feriri sententria, dedignentur & cum ipsis eadem inuolui culpa. Horreant murium rubricatas pelliculas manibus circumdare sacratis, & sacrãtibus tremenda mysteria. Non Christi stigmata sunt hæc, muliebria potius noscuntur esse insignia, quę illæ sumptuosius, & curiosius præparare cõsueuerunt, cogitantes nimirum, quæ sunt mundi, quomodo placeant viris. Verum tu sacerdos Dei altissimi, cui ex his placere gestis mundo, an Deo? Si mundo, cur sacerdos? Si Deo, cur qualis populus, talis & sacerdos? Nam si placere vis mundo, quid tibi prodest sacerdotium? Non enim potes duobus dominis seruire. Qui autem voluerit amicus esse hu *Iacobi 4.* ius sæculi, inimicus Dei constituitur. Et propheta: Dissipauit ossa eorum, qui hominibus *Psal. 52.* placent, confusi sunt, quoniam Deus spreuit eos. Si vero quod addidi, placere intendis, non mundo, sed Deo, cur qualis populus & sacerdos? Enimuero si sacerdos pastor est, & populus oues, dignum est, vt in nullo appareat pastor ouibus dissimilis. Si instar mei, qui ouis sum, pastor meus & ipse incuruus graditur, vultum gerens deorsum, & terram semper respiciens, in quo discernimur? Magna videtur præsumptio, si ouis cum sim, in ipsum pastorem meum lupas sæuissimas, vanitatẽ, & curiositatem irruere cernens infremuero, quo ad meũ 23 forte balatum cruentis bestijs a quopiam occurratur, & succurratur perituro. Quid faciẽt de me, qui ouicula sum, quæ & in ipsum pastorem tanta feritate insiliunt? Equidem si non vult, vt clamem pro se, numquid non & pro me balare licebit? Sed etsi ego sileo, ne in cælum ponere videar os meum, sua cuique non loquitur conscientia? Dicite pontifices non non quidem in sancto, sed in freno quid facit aurum? Hoc me etiam tacente, etsi non curia regum, tamen penuria pauperum clamat. Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt. Dicite pontifices, in freno quid facit aurum? Numquid a freno aurum repellit frigus, siue esuriem? Nobis frigore, & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo deniq; mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis? Annuli, catenulæ, tintinnabula, & cluuatę quædam corrigiæ, multaq. talia tam speciosa coloribus, quàm ponderibus pretiosa, mulorum dependent cerui cibus, fratrum autem lateribus, nec semicinctia miserantes apponitis? Huc accedit, quod hæc omnia nec negotiationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec iure hereditario possidetis, nisi forte in corde vestro dixeritis: Hereditate possideamus sanctuarium Dei. Et hæc pauperes modo *Psal. 82.* quidem coram Deo tantum, cui corda loquuntur; nec enim aperte audent causari aduersum vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potius supplicare. Ceterum in futuro stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt.

IDEM

24 Lib. 2. de cõsideratione. ad Eugeniũ tertium. *Malac. 2.*

IDEM inquit; Inter sæculares nugæ sunt in ore sacerdotis blasphemię. Interdum tamen si incidant ferendæ fortasis, referendæ numquam. Magis interueniendum caute, & prudẽter nugacitati. Prorumpendum sane in serium quid, quod non modo vtiliter, sed libenter audiant, & supersedeant otiosis. Consecrasti os tuum Euangelio, talibus iam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est. Labia sacerdotis, ait, custodiunt scientiam, & legem requirunt de ore eius, non nugas profecto, vel fabulas. Verbum scurrile, quod faceti vrbani nomine colorant, non sufficit peregrinari ab ore, procul & ab aure relegandum. Fœde ad cachinnos moueris, fœdius moues.

25 Serm. ad pastores in Synodo.

IDEM sic habet, Confusi estis in actibus vestris, quoniam Deus spreuit vos. Fidem habetis, sed ad opera vos inuito, vos maxime, qui estis vicarij Christi, qui estis pastores animarum, qui alios debetis instruere, non destruere. Multi sunt Catholici prædicando, qui hæretici sunt operando. Quod hæretici faciebant per praua dogmata, hoc faciunt plures hodie per mala exempla, seducunt scilicet populum, & inducunt in errorem, & tanto graniores sunt hæreticis, quanto præualent opera verbis. Dicite ergo archidiaconi, presbyteri, dicant etiam Pontifices, in vestimentis *1. Cor. 6.* quid facit tantus ornatus? In cibis tam superfluus apparatus? Esca ventri, & venter escis, Deus autem hunc, & has destruet. Quis obsecro laicorum auidius quærit temporalia clericis, & ineptius vtitur acquisitis. Cum tantum fastum videant laici in supellectili clericorum, nonne per eos potius inuitantur ad mundum diligendum, quàm negligendum? Medice cura te ipsum. Si mundum prædicas contemnendum, contemne tu prius, & ad id efficacius alios inuitabis. Da voci tuæ vocem virtutis, consonet vita verbis, & statim *Heb. 4.* erit in ore tuo viuus, & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti. Non sic profecto est, sed sicut populus, sic & sacerdos, sicut & laicus, sic & clericus. Vterque cupit, vterque diligit mundum, & ea, quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore, sed clerici sine labore volunt possidere totum mũdum. 26 Quomodo sæculares non expenderent substantiam suam viuendo luxuriose etiam in præsentia sacerdotum, quomodo non intenderent vanitatibus, & lenocinijs huius sæculi, quomodo non essent insolentes, & elati, cum tantum fastum, tantam insolentiam videant clericorum? De patrimonio crucis Christi *Trem. 4.* non facitis codices in Ecclesijs, sed impinguatis canes, adornatis equos. Et vere in capitibus omnium platearum dispersi sunt lapides sanctuarij. Lapides sanctuarij ideſt, sacerdotes sunt in capitibus, ideſt, in introitu latarum viarum: docent enim populos per praua exempla ingredi vias latas, quæ ducunt ad mortem, & mergunt in profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat. Capita populi sunt *Isa. 1.* sacerdotes. Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Languent prælati Ecclesiæ in cupiditatibus suis. Quia ergo languor est in capitibus, mœror oboritur in cordibus. Corda sunt Ecclesiæ viri religiosi, qui honorem suum intelligentes non respiciunt in vanitates, & insanias falsas, nec comparantur iumentis insipientibus, nec similes fiunt illis, qui plorantes plorant in nocte huius aduersitatis, vbi apud prælatos Ecclesiæ inualescit cupiditas, & charitas refrigescit. Et merito clamat sancta Ecclesia hodie: Ecce in pace amaritudo mea *Isa. 38.* amarissima. Ecclesiam incipientem persecutus est diabolus per tyrannos, proficientem persecutus est per hæreticos, iam lætam, & florentem persequitur per prauitatem desideriorum. Infra: Habent prælati claues Ecclesiæ, vt aperiant, & claudant. Habent & regalia, quia domini sunt vrbium, & oppidorum, sed quod datum est illis in adiutorium, factum est illis in scandalum.

Peccatoris status miserandus maxime, & flendus, qui varijs comparationibus in Scriptura sacra explicatur.

Cap. XVII.

DIXIMVS multa de re hac in capite 6. vltra quæ. 1

ORIGENES exponens verba illa; Et venit Aaron, & omnes presbyteri de Israel mãducare panem in conspectu Dei, ait. Omnia quæ faciunt sancti, in conspectu Dei faciunt. Peccator autem a conspectu Dei fugit. Denique scriptum est: quia Adam postquam peccauit, fugit a conspectu Dei, & interrogatus respondit: Audiui vocem ruam, & abscondi me, quia eram nudus. Sed & Caim post- *Gen. 3.* quam pro parricidio condemnatus a Deo est, exijt a facie Dei, & habitauit in terra Naim. Exijt ergo a facie Dei, qui indignus est conspectu Dei. Sancti autem manducant, & bibunt in conspectu Dei, & omnia quæ agunt, in conspectu eius agunt. Ego amplius adhuc locum præsentem discutiens, video, quia qui pleniorem scientiam Dei accipiunt, & plenius diuinis imbuti sunt disciplinis; isti etiam si malũ faciunt, corã Deo faciunt; & in conspectu eius faciunt, sicut ille, qui dixit: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Quid ergo plus habet, qui malum corã Deo facit? Illud profecto quod continuo pœnitet, & dicit: peccaui. Qui autem discedit a conspectu Dei, nescit conuerti, & peccatum pœnitendo purgare.

Hom. 11. in c. 17. & 18. Exod. to. 1.

IDEM dicit; Si vulnus corpori infligatur, aut os confringatur, aut iunctura neruorum resoluatur, sub vnius horæ spatio huiusmodi vulnera solent corporibus accidere, & plurimis postmodum cruciatibus, ac doloribus exactis multo vix tempore sanari: quanti enim tumores in loco, quanta tormenta generantur? 2

Hom. 8. in c. 13. & 14. Numerorũ.

Iam

Iam vero si accidat, vt in eodem vulnere, vel in eadem fractura iterum & sæpius quis vulneretur, frequentiusq. frangatur, quantis hoc pœnis curare, & quantis potest cruciatibus medicari? Quanto autem tempore, si tamen potuerit, ad sanitatem perducitur, & vix aliquando ita curabitur, vt vel debilitatem corporis, vel fœditatem cicatricis effugiat? Transi nunc ab exẽplo corporis ad animæ vulnera. Anima quoties peccat, toties vulneratur: & ne dubites peccatis eam velut telis, & gladijs vulnerari, audi Apostolum monentem, vt sumamus scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea extinguere. Vides ergo peccata, ma ligni esse jacula, quæ in animam diriguntur. Patitur autem & anima non solum vulnera iaculorum, sed & fracturas pedum, cum laquei parantur pedibus eius, & supplantantur gressus eius. O si possemus per vnumquodque peccatum videre, quomodo homo noster interior assidue vulneratur! Vulneratur per linguam anima, vulneratur & per cogitationes, & concupiscentias malas, frangitur autem & conteritur per opera peccati. Quæ si omnia videre possemus, & vulneratæ animæ sentire cicatrices, certum est, quod vsque ad mortem resisteremus aduersus peccatum. Sed nunc sicut hi, qui vel dæmone repleti, vel mente alienati sunt, non sentiunt si vulnerentur, quia naturalibus sensibus carent, ita & nos vel cupiditatibus sæculi amentes effecti, vel vitijs inebriati, sentire non possumus quanta vulnera, quantas contritiones animæ peccando conquirimus, & ideo consequentissima ratio est pœnæ, deest curæ, ac medicationis tempus extendi, & per vnumquod que vulnus pro qualitate plagæ medendi quoque spacia propagari.

3 IDEM sic habet: Ieiunasti aliquanto tempore, tale est, quale si interim ex Aegypto discesseris. Transisti mare rubrum, secutus es Moysen mandata legis obseruans. Sed iam te a Moyse susceptit Iesus, qui te etiam circumcidat secundo in loco, qui dicitur collis præputiorum. Circumcidendus igitur tibi est non solum idolorum cultus, quem in initijs abiecisti, sed denuo tibi etiam auaritia circumcidenda est, vt sic circumciso secundo populo Iesus dicat: Hodie abstuli a vobis opprobrium Aegypti. Donec peccamus, donec regnant in nobis vitia passionum, etiam si relictis simulachris abscessisse videamur ex Aegypto, opprobrium tamen Aegypti ablatum non est a nobis. Si ergo secundam hanc circumcisionem acceperis vitiorum, & abscideris a te omne vitium iræ, superbiæ, inuidiæ, ceterorumq. similium, tunc a te Aegypti abstergentur opprobria, & translatus in terram repromissionis hereditatem regni cælestis accipies per verum Iesum.

4 IDEM exponens verba illa; Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere feci sti sicut araneam animam eius, inquit. Anima quæ peccat crassior efficitur. Talis namque est natura peccati, propter quod scriptum est: Incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit, ita e contrario virtus subtilem reddit animam, & vt extorqueam quodammodo vocabuli nouitatem, omne, quod in ea corporeum est, abstergit, & perimit, & purius eam incorpoream reddit. Quod autem crassescat, & vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris, indicatur ex eo, quod scriptum est: Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores, & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus præparet, docet: Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam animam eius. Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne quicquid est crassioris materiæ, quo circumdatur anima, vt excenuet, & elimet prudentiam carnis, & ita demum animam ad subtilem rerum cælestium, & inuisibilium reuocet intellectum.

5 IDEM explicans verba illa; Tibi dabo claues, &c. & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam, inquit. Vnumquodque peccatum, per quod descenditur ad inferos, porta est inferorum. Et hoc scire debemus, quoniam sicut portæ singulæ ciuitatum nomina propria habent, sic vnaquæque porta inferorum secundum speciem vniuscuiusque peccati proprium nomen habet. Vt puta, vna porta dicitur fornicatio, per quam omnes fornicatores ingrediuntur in tartara. Altera cupiditas pecuniarum. Vnde prophera gratias agens Deo dicit: Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudes tuas in portis filiæ Sion. Ex hoc dicemus, quia forte possibile non est, aliquem omnes laudes Dei annunciare, nisi exaltatus fuerit de portis mortis, & factus fuerit in omnibus portis Sion. Portæ autem Sion contrariæ intelligendæ sunt portis mortis, vt siquidem porta mortis luxuria, porta autem Sion castitas, porta mortis iniquitas, porta autem Sion iustitia, porta mortis insipientia, porta Sion sapientia. Propter quas omnes dicebat propheta: Aperite mihi portas iustitiæ, & ingressus in eas, confitebor Domino. Sicut ex parte bona multæ dicuntur portæ, post multas autem est vna secundum quod dicitur: Aperite mihi portas iustitiæ, vt ingressus eas, confitear Domino, hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam, Dominus ergo est porta singularis, sic in parte mala multæ quidem sunt portæ inferorum, & mortis, vnaquæque videlicet potestas, aduersus quam colluctatio nobis est, super omnes autem alias ipse malignus porta est mortis, & inferorum.

6 HIERONYMVS sic ait; Cum venerit impius in profundum malorum, contemnit. Quod ostendit Isaias dicens: Vocauit Dominus Sabaoth in die illa ad flerum, & planctum, & decaluationem, & accinctione cilicíorum, ipsi

Prou. 18. ipsi autem fecerunt lætitiam, & exultationem mactantes vitulos, & occidentes oues, vt comederent carnes, dicentes, comedamus, & bibamus cras enim moriemur. De quibus, &
Ezec. 33. Ezechiel loquitur; & tu fili hominis, dic domui Israel. Sic locuti estis, dicentes, errores nostri, & iniquitates nostræ super nos erunt, & in ipsis contabescimus, & quomodo salui esse poterimus? Dic eis, viuo ego dicit Dominus, nolo mortem impij, sed vt conuertatur a via sua. Et iterum, Reuertimini recedentes a via vestra, quare moriemini domus Israel? Nihil tam offendit Deum, quàm desperatione meliorum hærere prioribus. Licet ipsa desperatio incredulitatis indicium sit. Qui enim desperat salutem, non putat futurum iudicium. Quod si metueret, vtique bonis operibus se iudici præpararet. Audiamus per Hieremiam loquentem Deum, conuerte pedem tuum a via aspera, & guttur tuum a siti. Et iterum, numquid qui cadit non resurget? aut qui auersus est non reuertetur? Et per Isaiam. Quando conuersus ingemueris tunc saluus eris, & scies vbi fueris. Scire non possumus ægrotationis mala, nisi cum sanitas fuerit consecuta. Et quantum boni virtus habeat, vitia demonstrant, clariusq. fit lumen comparatione tenebrarum. Domine in voluntate tua præstitisti decori meo fortitudinem. Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Postquam enim fœditatem delictorum meorum virtutum decore mutaui, infirmitatem meam tua gratia roborasti. Ecce audio pollicentem: Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non reuertar, donec deficiant, vt qui te ante fugiebam, & inimicus eram, tua comprehendar manu. Non cesses a persequendo, donec deficiam a via mea pessima, & reuertar ad virum meum pristinum, qui mihi dabit linteamina mea, & oleum, & similam, & cibabit me pinguissimis cibis. Qui idcirco obsepsit, atque præclusit vias meas pessimas, vt eam inuenirem viam, quæ dicit in Euangelio: Ego sum via veritas, & vita. Audi prophetam loquentem, qui seminant in lachrymis, in gaudio metent. Euntes ibant, & flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Et loquere cum eo.
Hiere. 2. Lauabo per singulas noctes lectum meum, in lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterũ: Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus. Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte. Et in alio loco, Deus Deus meus ad te de luce vigilo, sitiuit anima mea ad te, quàm multipliciter tibi caro mea. In
Hier. 8. terra deserta, & inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi. Quamquam enim sitierit te anima mea, tamen multo te plus carnis meæ labore quæsiui, & tibi in sancto apparere non potui, nisi prius in terra deserta a vitijs, & inuia aduersarijs potestatibus, & absque humore, & rheumate vllius libidinis commo-
Psal. 29. rarer. Fleuit & Dominus super ciuitatem Hierusalem, quia non egissent pœnitentiam, & Petrus trinam negationem amaritudine abluit lachrymarum, impleuitq. illud propheticum. Exitus aquarum deduxerunt oculi 8
Hier. 9. mei. Plangit & Hieremias populum pœnitentiam non agentem, dicens: Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo populum istum per diem, & noctem? Cur autem plangat, & defleat sequenti sermone demonstrat. Nolite flere mortuum, neque plangatis eum. Flete planctu eũ, qui egreditur, quia non reuertetur vltra. Nequaquam igitur Gentilis plangendus est, atque Iudæus, qui in Ecclesia non fuerunt, & semel mortui sunt, de quibus Saluator dicit: Dimitte mortuos sepelire mortuos suos, sed eos plange, qui per scelera, atque peccata egrediuntur de Ecclesia, & nolunt vltra reuerti ad eam damnatione vitiorum. Vnde & ad viros Ecclesiasticos, qui muri, & turres Ecclesiæ nuncupantur, loquitur sermo propheticus, dicens; Muri Sion proferte lachrymas implentes illud Apostoli: Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus, vt dura corda peccantium vestris lachrymis prouocetis ad fletum, ne perseverantes in malitia audiant. Ego plantaui te vineam frugiferam, quomodo versa es in amaritudinem vitis alienæ? Et iterum, ligno dixerunt pater meus es tu, & lapidi, tu genuisti me, & verterunt ad me dorsa, & non facies suas. Et est sensus noluerunt ad me conuerti, vt agerent pœnitentiam, sed per cordis duritiam in iniuriam meam sua terga verterunt. Quamobrem, & Dominus loquitur ad Hieremiam, vidisti quæ fecerunt mihi habitatio Israel? Abierunt super omnem montem excelsum, & subter omne lignum frondosum, & fornicati sunt ibi. Et dixi postquam fornicata est, & fecit hæc omnia, Ad me reuertere, & non est reuersa. O clementia Dei, ò nostra duritia, dum & post tanta scelera nos prouocat ad salutem, & nec sic quidem volumus ad melora conuerti. Si reliquerit, inquit, vxor virum suum, & alij nupserit, & voluerit postea reuerti ad eum, numquid suscipiet eam, & non detestabitur? Et tu reliquisti me, tamen conuertere, & suscipiam te, dicit Dominus.
Lucæ 18.

9 IDEM dicit: Quis consolabitur, te virgo filia Sion, quia magna facta est sicut mare contritio tua? Effunde cor tuum sicut aquam coram facie Domini, extolle ad eum manus tuas pro remedio peccatorum tuorum. Accipe igitur lamentum, & primo quidem nullo die quinquagesimus psalmus prætermittatur, qui in negotio tali cantatur, vsque ad versiculum illum: Cor contritum, & humiliatum Deus non spreuit, gemitu lachrymisq. percurre. Insuper hanc lamentationem, non sine compunctione cordis in conspectu Dei iudicis funde. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, vt defleam

vulnera animæ meæ? conuersi sunt dies festi mei in luctum, cantica mea in lamentationem. Recesit sonus hymnorum, & lætitia psalmorum, & successit dentium stridor, & fletus oculorum. Obmutui, & humiliata sum, & silui a bonis, & dolor meus per singulos dies renouabitur. Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescit ignis. Timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ. Abyssus circundedit me, extremo demersit caput meum in scissura inferni. Heu me, quia facta sum sicut Sodoma, & combusta sicut Gomorra. Quis miserebitur cineri meo? Durius offendi quã Sodoma, quia legẽ nescies illa deliquerat, ego accepta gratia peccaui. Si homo peccet in hominem, erit qui interueniat, ego peccaui in Dominũ quem propitiatorem inueniam? concepi dolorem, & peperi iniquitatem. Lacum fodi, & incidi in foueam,
10 quam operata sum. Ideo cõuersus est dolor in caput meum, & in vertice meo iniquitas mea descendit. Immunditia mea ante pedes meos, non fui memor nouissimorum, & cecidi miserabiliter, nec est, qui consoletur me. O quam acerbus fructus luxuriæ, amarior felle, crudelior gladio. Quomodo facta sum in desolationem? subito defeci, perij propter iniquitatem meam, velut somnium surgentium. Ideo in ciuitate Domini vilificata est imago mea, deletum est de libro nomen meum. Facta sum sicut nycticorax in domicilio, sicut passer vnicus in ædificio, nec qui consoletur me inuenio. Considero a dextris, & video, nec est, qui cognoscat me. Perijt fuga a me, & non est, qui requirat animam meam. Facta sum sicut vas perditum. Audiui vituperationẽ omnium circũhabitantiũ. Væ diei illi, in quo me infelicem genuit vterus, & lux ista crudelis accepit. Oportuerat me potius fuisse non natam, quàm sic in gentibus fabula fierem. Propter me confusio, & improperium factum est famulis Domini, & eum digne colentibus. Lugete me montes, & flumina, quia fletus filia ego sum. Lugete me bestiæ syluarum, reptilia terræ, & volucres cæli, & omnes animæ, quæ vita fruimini. Nunc vos beatæ feræ, & volucres, quibus nullus metus de inferis est, neque post modum reddituræ estis rationem. Nobis manet pœna crudelis tartari, quia habentes sensum delinquimus. Ideo non est pax peccatoribus. Meum peccatum, & mea iniquitas non sunt similia offensis hominum, quia horribilis est hæc impietas, carne polluere virginem, & castitatem professam. Mentita sum in Dominum altissimum, ideo non est mihi fiducia inuocandi eum, quia obstructum est os loquentium iniqua. Nam malum meum propheta cecinit, quod qui elongant se a Domino peribunt. Et si adhæsit lingua mea faucibus meis,
11 & in puluerem mortis deducta sum: verumtamen clamabo ad Dominum. Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, nec est sanitas in carne mea. A vultu iræ tuæ non est pax ossibus meis, a facie peccatorum meorum. Quoniã iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me. Computruerunt, & deterioraverunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Miserijs afflicta sum, & curuata in finem rugiebam a gemitu cordis mei. Cor conturbatum est, deseruit me fortitudo mea, & lumen oculorum meorum, & ipsum non est mecum. Deus repulisti me, & destruxisti me, ostendisti mihi dura, potionasti me vino compunctionis. Expulsa sum ab oculis tuis, iam non adijciam, vt respiciam ad templum sanctum tuum, facta sum inexterminium. Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem? Numquid mortuis facies mirabilia? Tu ab inferis animas reuocas, & soluis compeditos, tu Deus erigis elisos, mortuos suscitas. Erraui sicut ouis perdita, quære famulam tuam, ne lupus crudelis glutiat me. Propter iniquitatẽ corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius. Memento Domine quod puluis sum. Vide humilitatem meam, & laborem meum, & remitte mihi, vt refrigerer, priusquam abeam, & amplius non ero.

12 Lib. 7. in c. 21. Isa. to. 4. IDEM explicans verba illa; Onus deserti maris, sicut turbines ab Aphrico veniunt, de deserto venit, de terra hostili, dicit: Septuaginta interpretes sic verterunt. Sicut tempestas de deserto transeat, de deserto veniens, de terra horribili. Turbines, atque tempestates de deserto veniunt, & de terra horribili, vbi non est habitator Deus, & vbi vniuersa terrena sunt. Propterea repleti sunt lumbi mei dolore, angustia possedit me, sicut angustia parientis. Ideſt, lumbi mei agentes pœnitentiam, nequaquam vt prius voluptate, sed dolore sunt pleni, nec vltra dicam, lumbi mei impleti sunt illusionibus. Angustia enim possedit me, & tribulatio, sicut solet tenere parturientem. *Psal. 37.*

13 Lib. 1. in c. 2. Lament. IDEM exponens verba illa; Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terram iecur meum, super contritione filiæ populi mei, cum deficeret paruulus, & lactens in plateis oppidi, ait: Videns propheta nimiam contritionem gentis suæ, templumq. incensum, & ciuitatem deuastatam, nulliq. sexui, vel ætati hostes in nece parcere, ingenti dolore turbatus fletu maximo deplorat, ita vt oculi præ lachrymis deficiant, & omnis iucunditas desiderij vertatur in anxietatem cordis. Quid enim magis dolendum fuit, quàm quod natio antiqua, & semen patriarcharum, atque amicorum Dei diuinis legibus erudita, & prophetarum oraculis sæpius confortata in tantam apostasiam venerit, vt Dei sui oblita propter immanitatem scelerum traderetur in manus hostium, Dei nomẽ blasphemantium? Sed & nunc pari modo deflenda est ruina animarũ quondam fideliũ, quę pretioso Christi sanguine redemptæ, & vnda baptismatis a sorde peccatorum ablutæ, mysticaq.

sticaq. vnctione consecratæ, iterum nunc in cænum, & sordes vitiorum deuolutæ sunt, ita vt hi, qui innocentiam, & simplicitatem paruulorum videbantur imitari in plateis mundi, & sæculi desiderijs ab hostibus spiritualibus enecentur.

14 Lib. 2. in ca. 3. Lamentationum. IDEM explicans illa verba; Eradicationem, & abiectionem posuisti me in medio populorum, inquit: Eradicationem, & abiectionem a Domino patitur anima peccatrix, in medio populorum constituta, quando a malignis spiritibus ita virtutibus spoliatur, & radice fidei tenuatur, vt iam non honori, sed pateat omnium irrisioni, & ipsi inimici dominentur illius, & deceptæ insultent, quia iuxta merita sua pœnas quas ei scriptura sacra prædixit, & laqueum perditionis sustinere cogatur. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri. Aperuerunt tunc inimici os suum super peccatores, quando eos diuersis laniatibus, & cruciatibus deuorare festinant debitores. Nec eis in aliquo miserantes parcunt, sed in formidinem pœnarum, & laqueum perditionis præcipitare studeant. Vnde nunc propheta interitum populi sui multipliciter plorauit, & nunc Sancta Ecclesia animarum peccantium ruinam incessanter plangit, sicut in sequenti sententia demonstrat, dicens: Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in contritione filiæ populi mei. Diuisiones aquarum deducere se ab oculis perhibet propheta in contritione filię populi sui, qui & peruersitatem cordis illius defleuit, & ruinam in peccatis, & contritionem in deuastatione. Sic & nunc electorum turba pro anima in peccatis perdita multiplices gemitus fundit, qui in diuersis facinoribus eam errasse conspicit, & si quomodo eam a cœpta nequitia reuocare possit, toto nisu, & labore contendit.

15 Lib. 5. in c. 16. Ezech. IDEM explicans illa verba; Et Samaria dimidium peccatorum tuorum non peccauit, sed vicisti eam sceleribus tuis, & iustificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis, quas operata es, sic habet: Non simpliciter iustas Sodomam, & Samariam esse decernit, sed comparatione deteriorum, quomodo & publicanus, de quo supra diximus, non absolute iustus dicitur, sed comparatione peioris. Et tamen cum tales sint Sodoma, & Samaria, ne dimidium quidem peccauerunt comparatione Hierusalem. Seruus enim, qui scit voluntatem Domini sui, & non facit eam vapulabit multis. Et potentes potenter tormenta patiẽtur. Porro quod pro delicijs otiũ in Hebraico continetur, sciendum ad illum sensum pertinere. In desiderijs est omnis animа otiosi, quòd videlicet semper aliquid sit agendum, ne ager pectoris nostri cessante manu malarum cogitationum sentibus occupetur. *Lucæ 12.*

16 Lib. 7. in c. 23. Ezech. IDEM exponens verba illa; Nasum tuum & aures tuas præcident, & quæ remanserint gladio concident, &c. dicit: Quicquid de Hierusalem dicitur, ad animam referri potest, quæ virtutibus Dei iuncta complexui, postea adulterauit in vitia, & recessit ab eo, & patefactis vniuersis sceleribus eius denudata est, atque turpata, & ostensa omnibus, vt a scelere suo aliquando desistat, nec glorietur in nominis dignitate, sed pro tali conscientia, & recordatione Ægypti, oculos vltra ad cælum non audeat tollere. Vnde & nasus ei præciditur, & aures amputantur, quia odorem bonæ fragrantiæ verterat in fœtorem, & audierat iudicium sanguinis. Surdum quoque Deus, & mutum fecit, ne lingua eorum pertranseat vsque ad terram, & tactus omnis auferretur in his, qui vitam penitus perdiderunt. Et hæc fient, vt igni cuncta purgentur, & pereat Ægypti fornicatio, nec vltra oculos suos ad mala possit attollere.

17 In c. 1. Abdiæ. to. 5. IDEM explicans verba illa; Quomodo bibisti super montem sanctum meum bibent omnes gentes iugiter, & bibent, & absorbebunt, & erunt, quasi non sint, inquit: Qui enim perit ei, qui est, & qui dicit, ad Moysen, qui est misit me ad vos, secundum regulam scripturarum, non esse dicitur. Vnde & in Esther legimus: Ne tradas Domine regnum tuum his, qui non sunt. Peccatores ergo dicuntur, non esse. *Esther 14.*

18 Lib. 2. in c. 7. Zachar. IDEM exponens illa verba; Et noluerunt attendere, & verterunt scapulam &c. Septuaginta interpretes, sic verterunt. Et noluerunt attendere, & dederunt dorsum contemnens, & aures suas aggrauauerunt, vt non audirent & cor suum posuerunt inobediens. Dederunt ait, dorsum contemnens, vt ex habitu corporis videas eos diuina imperia respuentes. Solemus enim quando rugata fronte, & nare contracta contemnimus admonentes, dorsum vertere, iuxta illud, quod scriptum est: Verterunt ad me dorsa, & non facies suas, & aures, inquit, suas aggrauauerunt, ne audirent, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas, quæ non audiet vocem incantantium. Ingrauauerunt enim aures suas, vt non audirent, & cor suum posuerunt, vt non acquiescerent legi Dei. Vnde Isaias ad eos comminans loquitur: Incrassatum est cor populi huius, & auribus suis graviter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne forte viderent oculis suis, & audirent auribus, & corde intelligerent, & conuerterentur, & ego sanarem eos. Porro quod dicitur iuxta hebraicum, Et cor suum posuerunt adamantem, duritiam cordis ostendit, & cor lapideum, quod noluerint verba Dei suscipere. Infra: Et dispersi eos per omnia regna quæ nesciunt, & terra desolata est ab eis eo, quod non esset transiens, & reuertens, posuerunt terram desiderabilem in desertum. Possumus hæc ad eos referre, qui in Ecclesia delinquentes proiecti sunt de terra confessionis, quia noluerunt audire Dominum, & verterunt ad eum scapulam recedentem, & posuerunt cor, vt adamantem. Et facta est super eos indignatio Domini, & di-

sperſi ſunt, per omnia regna vitiorum, & deſolata eſt terra eorum, vel anima, vel corpus, non habens habitatorem Dominum, nec in ſe ſpiritum reuertentem. Et terra quondam deſiderabilis, quæ erat hoſpitium trinitatis, verſa eſt in deſertum, habitationemq. draconum, & dæmonum.

19 Lib. 3. in c. 30. Pro. v. 7.

IDEM exponens verba illa; Tria ſunt difficilia mihi, & quartum quod penitus ignoro: viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adoleſcentia, inquit: Sicut viam aquilæ in cælo cognoſcere non poſſumus, &c. Sic adoleſcens, qui viam veritatis deſerit, difficile eſt cogitatu, quo ſe per omnes horas, & in quot cogitamenta vecors vaga mente declinet. Talis eſt via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os ſuum, dicit: Non ſum operata malum. Adulteræ quoque mens in ſimilitudinem eorum, quæ commemorauit, inſtabilis ſemper, & vaga eſt, quæ vbi admiſſum turpitudinis ſuæ celare potuerit, negat ſe aliquid patraſſe facinoris.

20 In c. 41. Iob

IDEM explicans illa verba; Corpus illius, quaſi ſcuta fuſilia, & compactum ſquamis ſe prementibus. Vna vni coniungitur, & ne ſpiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit, & tenentes ſe nequaquam ſeparabuntur, dicit: Corpus diaboli omnes conſortes eius, quos tanta conſenſione atque conſpiratione, Deus dicit, illi adiunctos, vt indiſſociabili connexione ſint eidem copulati: quos etiam ſquamarum nomine appellauit, quæ ita denſatæ ſint, & ſtricte ſibi inuicem cohærentes, vt nullum illis ſit ſpiraculum reſpirandi ad Deum, eo quod ab illa ſui connexione nequaquam ad ſanitatem pœnitentiæ relaxentur.

21 Ep. 18. li. 5. epi. quæ eſt ad Horontianũ. to. 5.

AMBROSIVS ait: Deſtructa eſt anima per peccatum, quaſi infirmior, & omnis munitio eius facta erat via tranſeuntium, & in curſus paſſionum luxuriæ delitijs reſoluta, ac contrita erat, ac relegata a facie Domini. Turris eius ſqualida erat, quæ poſita eſt (vt Iſaiæ cantico legimus) in medio florentis vineæ. Squalet etenim, quando vitis areſcit, & ouis ſua errat. Nihil enim ſqualidius iniquitate, nihil ſplendidius iuſtitia. Dicit Micheas. Cur comprehenderunt te dolores parturientis, vt parturires iniquitates, & pareres iniuſtitias? Nullus enim maior eſt dolor, quàm is, qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam, neque vllum grauius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum. Deprimit animam, curuat vſque ad terram, ne ſe erigere poſsit. Grauia fili, grauia nimis delictorum pondera. Denique illa in Euangelio mulier, quæ curuata erat, ſpeciem prætendens animæ laborantis, a Chriſto potuit ſolo erigi. Huic ergo animæ dicitur: Viriliter age, & appropinqua filia Sion, vt parturias. Dolores enim parturientis tribulationem operantur, tribulatio patientiam, patientia probationem, probatio ſpem.

Iſa. 5.

Cap. 4.

Luc. 13.

Rom. 5.

IDEM explicans illud Iſaiæ cap. 20. Qui nudus, & diſcalciatus ibat per populos prædicans, & dicit: Sed forte aliquis dicat. Non igitur erat turpe, vt vir nudus omnino iret per populos, cum ei & virilis ſexus, & muliebris occurreret? Non ipſa ſpecies offendebat oculos omnium, & maxime mulierum? Non ne ipſi nos inſpicere nudos plerumq. reueremur? Acquieſco ego, ſed conſidera, quæ figura ſit facti huius, quid væ prætendat ſpecies huiuſmodi. Eo quod ira nudi ambulabunt pueri iudæorum, & virgines in captiuitatem deducti: Sicut puer, inquit, meus Iſaias vadit nudus, & excalciatus. Potuit quidē hoc, & ſermone exprimere, ſed exemplo acerbare maluit, vt ſpecies ipſa plus incuteret horroris, & quod in prophetæ corpore auerſabantur, in ſe pertimeſcerent. In quo igitur horror grauior turpitudinis, in corpore prophetæ, an in perfidorum peccato, quod tantam meritis ſuis errumnam incidit captiuitatis? Quid ſi in prophetico corpore nihil opprobrij? Ille enim corporalibus non intendebat, ſed ſpiritualibus. Neque attendit vtrum nudus an veſtitus ſit. Deniq. & Adam ante peccatum nudus erat, ſed nudum ſe neſciebat, quia erat indutus virtutibus. Poſtquam vero peccatum commiſit, nudum ſe eſſe vidit, & texit. Noe nudatus erat, ſed non erubeſcebat, quia erat plenus iucunditatis, & ſpiritalis lætitiæ. Deniq. qui eum riſit, vt nudum, ipſe manſit perpetuæ obnoxius opprobrio turpitudinis. At vero Ioſeph, ne turpiter nudaretur, veſtem reliquit, & nudus aufugit. Quis igitur turpis, illa, quæ veſtem alienam tenuit, an is qui ſuam exuit?

28 Lib. 6. epiſt. ep. 36. ad Sabinum Epiſcopum.

23 Li. de Noe, & arca c. 10. to. 1.

IDEM explicans illa verba; Omnia quę ſunt in terra morientur. Diſputans quid mutata deliquerint animantia, vt ſubijcerentur pœnæ, & ingruente diluuio morerentur: & ad hęc multa reſpondens, ait: Altior & profundior interpretatio illud attexit, quod vbi anima mole paſſionum curuatur graui, & quaſi diuerſarum cupiditatum mergitur æſtu, terrenæ omnes cogitationes, & concupiſcentiæ in præceps ruunt. Quia peccator vnuſquiſq; quo grauiora flagitia commiſerit, eo fit inſolētior. Namque vſu & exercitatione improbitas augetur, & impunitate nutritur audacia. Recedit itaque ab omni reſpectu honeſtatis, & in eo terrena omnia moriuntur læthalis peccati acerbitate, quę vera, & perpetua morte peccatorem deleat. Nemo enim grauius moritur, quam qui peccato viuit. Moriuntur in eo paſſiones ſingulę, moritur viſus, qui peccatum annunciat, qui mulieri fallaci intendit, qui capitur alieni vultus decore, quem oculi meretricis ligauerint, quem aſpectus illaqueauerit fornicariæ. An non videtur mori, qui ſibi lifornicariæ. An non videtur mori, qui ſibi libidinis telum impreſſerit, qui ſpōtaneus in fobidinis telum impreſſerit, qui ſpōtaneus in fo-ueam mortis irruerit? Moritur & auditus, cū refert crimina, cum ſolicitantis adulteri ſermonem annunciat, cum inſerit animis verba meretricis, quæ ſeducit iuuenem multo blandimento ſermonis, laqueis autem labiorum ſuorum illigat eum. Moritur ex ſilentio, ſi non confiteatur Deo. Moritur multiloquio, quia ſcriptum eſt: Ex multiloquio nō effugies peccatum. Moritur per iracundiam, cum prætergreditur menſuram vltionis. Omnis namque poſtremo ſenſus moritur, ſi miniſter ſit iniquitatis.

Gen. 6.

24 In lib. cuius tit. eſt, Apologia ſancti Dauid. c. 9. in fi. *Pſal. 50.*

IDEM exponens verba illa; Et delictum meum contra me eſt ſemper, dicit: Inſipiens delectatur erroribus ſuis, & nouis vetera obūbrando peccatis ſe exiſtimat adiuuari, ideoq. exultat in crimine. At vero ſapiens aduerſum ſe iudicat eſſe delictum ſuum, & tamquam hoſtiles acies, ita lapſus culparum ſuarum aduerſantium modo ſibi arbitratur obſiſtere. Quidquid perſonuerit, quidquid increpuerit, culpa ei propria ſemper occurrit, quidquid fuerit dictum, aut lectum, in ſe dictum putat, quidquid intenderit, ſe nutu, ſe oculis, ſignari putat. Si epuletur, ſi cogitet, ſi oret, ac deprecetur, ante oculos eius ſemper eſt error proprius, & momentis omnibus culpa pulſat conſcientiam, nec quieſcere, nec obliuiſci ſinit, velut grauis cēſor exagitat ſe terrore perpetuo. Omnia igitur aduerſa habet, qui ipſe ſibi diſplicet, ipſe ſui accuſator, ipſe ſui teſtis eſt, nec inuenit quo fugiat, qui ipſe ſe perurget, & ſtimulat. Sed hoc bonæ mentis eſt, vulnus ſentire peccati. Nam qui expertes doloris ſunt, non ſentiunt vulneris acerbitatem, quod eſt immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, ſicut doloris ſenſu non carent, ita etiam non carent ſanitatis profectu. Vbi enim doloris ſenſus, ibi etiam ſenſus eſt vitæ. Vnde & ille, qui errorem ſuum non agnoſcit, inſanit, furit, deſipit: qui autē agnoſcit, vtique reſipiſcit, non reſpuit remedia ſanitatis, ſe ipſe reſtringit, pœnitet eum culpæ, de ipſa ſemper cogitat, & cogitando ſe ipſe condemnat. Iuſtus enim in principio ſermonis accuſator eſt ſui. Fauere ſibi neſcit rigorem iudicij, etiam circa ſe nouit inflectere, recordationem lapſus proprij perhorreſcit, & commiſſum erubeſcit errorem, omnem eius memoriam pauet, metuit, reformidat, grauem ſibi ſe iudicat. Magna vis obnoxiæ conſcientiæ, magna ſupplicia, timebant Adam & Eua, & cum Domini vocem in paradiſo ambulantis audirent, cupiebant ſe abſcondere, quos nemo quærebat. Cain quoque metuebat, ne omnis eum, quicumque inueniret, occideret. Ita in ſe ipſe ferebat ſententiam, quod dignus eſſet cui nullus ignoſceret. Vnde bene ait, Et delictum meum contra me eſt ſemper, hoc eſt, ſine interuallo aliquo recordatio, & ſpecies ipſa mei me erroris impugnant. Conſidera quomodo nos cōfundat, cum aliquid deliquimus, quomodo incurſet oculos, quomodo in memoriam ſemper percurrat. Quem commiſi puduit, neſcit poſtea tale aliquid committere, vnde ſimiliter erubeſcat.

Prou. 18. 25

Gen. 3.

26 In lib. cuius tit. eſt, Expoſitio quarundā propoſitionum ex ep. Pauli ad Rom. to. 4.

AVGVSTINVS explicās verba illa ad Rom. 7. Peccatum occaſione accepta per mandatum fefellit me, & per illud occidit, ait: Hoc ideo dictum eſt, quia deſiderij prohibiti fructus dulcior eſt, quamuis mortifera iſta dulcedo ſit. Inde eſt quod apud Salomonem fallacis doctrinæ imagine ſedens mulier, & inuitans, vt ad ſe veniant inſipientes, ſcribitur dicere: Panes occultos libenter edite, & aquam furtiuam dulcem bibite. Iſta dulcedo eſt occaſio per mādatum inuenta peccati, quæ cum appetitur vtique fallit, & in maiores amaritudines vertit. Infra: Venundatus ſub peccato dicitur homo, quia vnuſquiſque peccando animam ſuam vēdit diabolo, accepto tamquam pretio dulcedine temporalis voluptatis. Vnde & Dominus redemptor noſter dictus eſt, quia hoc modo quo dictum eſt venditi eramus.

Prou. 9.

27 Lib. contra Adimātum Manichæi diſcipulum. to. 6.

IDEM explicās illa verba Ioannis 8. Vos ex patre diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis perficere, inquit: Tribus modis in ſcripturis ſanctis filiorum nomen accipitur. Vno ſecundum naturam, alio ſecundum doctrinam, vt filius eius in ea re quiſque appelletur, a quo aliquid didicit, ſicut filios ſuos appellat Apoſtolus, qui ab illo didicerunt Euāgelium. Tertio ſecundum imitationem, ſicut filios Abrahæ nos vocat Apoſtolus, qui eius fidem imitamur. Duobus ergo modis peccatores filij diaboli vocantur, vel quod ab ipſo impietatem didicerunt: ſicut de ipſo diabolo Apoſtolus dicit: Qui nunc operatur in filios diffidentiæ, vel quod eum imitantur.

1. Cor. 4.

Galat. 4.

Epheſ. 2.

28 In Pſ. 143. to. 8.

IDEM explicans verba illa; Homo vanitati ſimilis factus eſt, dicit: Homo peccando vanitati ſimilis factus eſt. Nam quādo eſt primum conditus, veritati ſimilis factus eſt, ſed quia peccauit, recepit digna, vanitati ſimilis factus eſt.

29 Ser. 244. de temp. to. 10.

IDEM dicit: Cum ad imaginem Dei facti ſumus, quoties aliquid turpe, aut loquimur, aut facimus, toties Dei imaginem ſordidamus. Non hoc de nobis Deus meretur, vt in nobis imago ipſius per malas concupiſcentias iniuriam patiatur. Infra: Si in tabula aut lignea, aut lapidea faceres imaginem tuam, & aliquis impudens homo vellet illam imaginem aut lapidibus frangere, aut aliquibus ſordibus inquinare, velim ſcire ſi contra eum non moueretur animus tuus? Rogo te ſi imaginem pictam in tabula mortua ſic zelaueris, putas qualem iniuriam patitur Deus, quando in nobis imago ſua per peccatum ſordidatur? Et ideo ſi nobis non parcimus propter noſmetipſos, parcamus nobis vel propter imaginem Dei, ad quam facti ſumus.

30 Serm. 46. in Cantica.

BERNARDVS explicans verba illa; Lectulus noſter floridus, ait: Miror valde impudentiam aliquorum, qui inter nos ſunt, qui cum omnes nos ſua ſingularitate turbauerint, ſua impatientia irritauerint, ſua rebellione cō tempſerint, ſua inobedientia coinquinauerint, audent nihilominus ad tam fœdum concupiſcentiæ ſuæ lectulum totius puritatis Dominū inuitare. At cum extenderitis, ait, manus veſtras, auertam oculos meos. Quid enim? Le-

ctulus non est floridus? magis autem & putridus est, & tu illucregē gloriæ trahis? Ad pausandum hoc facis, an ad causandum & irritandum? Centurio vetat illum intrare sub tectum
Matt. 8. suum propter suam indignitatem, cuius tamen fidem in vniuerso redolet Israele, & tu ad te compellis intrare tantorum sordens spurcitia vitiorum? Clamat Apostolorum princeps:
Luc. 5. Exi a me Domine, quia homo peccator sum, & tu dicis intra ad me Domine, quoniam sanctus sum? Emunda conscientiam tuam ab omni inquinamento iræ, & disceptationis, & murmuris, & liuoris, & quidquid omnino aduersari cognoscitur, aut paci fratrum, aut obedientiæ seniorum de cordis habitaculo eliminare festines. Deinde etiam circundare tibi flores bonorum quoque actuum, & laudabilium studiorum, atque odoramenta virtutum, idest quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Ad istiusmodi lectum secure vocabis sponsum, quoniam cum introduxeris eum veraciter poteris dicere & tu, quid lectulus noster floridus, redolente nimirum conscientia pietatem, pacem, mansuetudinem, iustitiam, obedientiam, hilaritatem, humilitatem. Qui his caret peccator lectulus fœtidus est, quem sponsus abhorret.

Peccatores inter desperationem, & præsumptionem medium statuant, quos contemnere non debent iusti.

Cap. XVIII.

1 Homil. 2. in ps. 38. to. 1. ORIGENES exponens verba illa; Amoue a me plagas tuas, vel flagella tua, ait: Si quando vides temetipsum post peccatum affligi, & cruciari in corde, & a proprijs cogitationibus accusari, si quando notari te vides a conscientia tua, & eius verberibus flagellari, spem tibi emendationis, ac salutis præsume. Vicinior namque tibi conuersionis est via, quàm illis, qui nec peccasse se quidem sentiunt, nec in delictis suis contristantur, nec flagella conscientiæ patiuntur. Tu ergo si videris te flagellari, & cruciari in cogitationibus tuis, & spem salutis de proximo attendens dicito de his, qui peccauerunt quidem similiter, tamen similiter non pœnitent pro delictis, Quia in laboPsal. 72. ribus hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur, propterea tenuit eos superbia. Tu ergo si cruciaris, & affligeris in corde tuo, dic ad Dominum. Multa quidem flagella peccatorum, sed sperantes in Domino misericordia circundabit. Ostendimus igitur dupliciter hominibus flagella præparari, siue sensibiliter extrinsecus, cum vel languoribus, vel damnis, vel diuersis afflictionum generibus flagellamur, siue etiam cum ex recordatione delicti perurgentis, conscientiæ stimulis terebramur in corde. Ad vtrumque ergo conuenit dici, Amoue a me plagas tuas. Sed fortasse aliquis dicit, esto, quia pro his cruciatibus, qui extrinsecus inferuntur, commoda huiuscemodi videatur oratio, quæ cessasse supplicat cruciatus, numquid & cordis stimulum ac mentis respectum videbitur inhibere? Mēsura in omnibus quæritur, multo magis in flagellis mensura percommoda est. Si enim fuerint vltra mensuram, nocebunt tibi etiam ipsa, quæ bona sunt, & quid de flagellis dicam? Mel, inquit Salomon, inueniſti, manduca quantum sufficit, ne forte satiatus euomas. Quòd si in melle mensura vtilis est, quanto rectius requiretur, & seruabitur in flagellis? Propter quod & Apostolus verens nimia flagella cordis eius, qui deliquerat, & nimium tristabatur, dicebat, ne forte abundantiore tristitia absorbeatur, qui huiusmodi est. Vnde ne desperatione pereat, spe subleuari debet.

2 Li. 3. in epi. Pau. ad Roman. to. 5. IDEM in expositione capitis tertij, sic habet: Per omnem pene textum huius epistolæ ab Apostolo Paulo digestus dum eius sermo nunc aduersus gentes dirigitur, nunc pro gentibus tēperatur, & rursum aduersum iudæos, & iterum de iudæis, aut etiam pro iudæis ponitur nunc laudans, nunc vituperans, vt nec ex toto confidant, nec etiam desperent. Infra: explicans illa verba Apostoli: Quia nō est iustus quisquam non est intelligens, non est requirens Deum, ait: Non iustificabitur in conspectu Dei omnis viuens, quia donec quis viuit in corpore pronunciari nō potest iustus, sed cum exierit de corpore, & de vitæ huius agone discesserit, sicut & scriptura dicit: Ne beatificaueris hominem ante mortem, quia nescis quæ erunt eius nouissima. Et iterum dicit Ecclesiastes: Et laudaui homines defunctos, qui iam mortui sunt, magis quàm viuos, qui adhuc viuunt. Habet adhuc & aliam scripturæ sententiam, quæ dicit, quia quicumque ille minimus est in regno Dei, maior sit eo, qui in corpore est, etiam si Ioannes ille sit, quo maior inter natos mulierum non fuit.

3 Hom. 29. in Gen. to. 1. CHRYSOSTOMVS inquit: Ostendit nobis sacra Scriptura, & iustos sæpe lapsos, & peccatores magnam agentes pœnitentiam, quo vtrinque sufficiens nobis esset securitas, & neque qui stetit confidentior sit, videns iustos cecidisse, neque qui in peccatis est, desperet, videns tot qui resipuerunt, & ad summum virtutis apicem peruenire potuerunt. Itaq; nullus tametsi multorum bonorum operum sibi conscius præsumptuosus sit, sed anxius, & solicitus, & audiat beatum Paulum 1. Cor. 10. admonentem, & dicentem: Qui stare sibi videtur, videat ne cadat. Nullus item, qui in profundum ipsum malitiæ descendit, salutis suæ spem abijciat, sed ineffabilem Dei misericordiam cogitans, audiat iterum Deum per Hieremiam prophetam dicentem: Num qui Hiere. 86. cadit, non resurgit, & qui auersatur, non reuertitur?

Ezec. 18. uertitur? Et iterum: Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Hæc secum quisque expandat, suisq. congrua vulneribus pharmaca imponat.

4 Hom. 68. in Matth. to. 2. IDEM sic habet: Nemo vestrum desperet, etiam si ad extremum prauitatis sit delapsus, facile quippe est vel ab ipso improbitatis barathro se ipsum recipere. An non audistis quomodo illa meretrix, quæ omnes impudicitia superauit, vniuersos rursus continentia, & virtute reliquit? non dico illam, de qua in Euangelio scribitur, sed hanc, quæ nostra memoria ex Phœnice omnium ciuitatum iniquissima fuit. Hæc enim pueris nobis apud nos erat, & cum prima in theatro esset, nomen eius vbique ferebatur, non in vrbe nostra solummodo, sed ad Cilicas vsque, & Cappadocas. Hæc multorum patrimonia exhausit, hæc multos parentum orbos tenebat, non eleganti corporis forma solū, verumetiam cū magicis cantibus, & herbis retia tenderet, hæc reginæ quoque fratrem attraxit, tanta cupidinis tyrannide pollebat, sed subito nescio quare, immo vero certissime scio, voluntate namq; cōmutata, & Dei gratia hoc modo impetrata, omnia illa sprenit, & calcauit, ita diaboli officina proiecta, facile ad cælum ascendit, & quamuis nihil erat ea petulantius, dum in scena versaretur; postea tamen continentiæ magnitudine multas antecelluit. Cilicium enim induta per totam reliquam vitam hoc se pacto exercebat. Hæc cum ineffabili sacramento communicasset, & condigne suscepta gratia vixisset vniuersis per gratiam matulis detersis, naturæ demum concessit. Mirabilem enim philosophiam post baptismum ostendit, nec vmquam amantibus antea, eamq. sequētibus, ac diligenter quærentibus visa est, sed postea-
Matt. 20. quā semel seipsam inclusit multos annos quasi vincta in carceribus peregit, sic erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. Nemo ergo, qui male vixit desperet, nemo qui virtutem colit, confidat, ac dormitet, ne meretrix quædam eum anteuertat. Ille autem non desperet, vt dixi, cum ante primos etiam possit vo-
Hier. 3. litare. Audias quid Deus ait ad Hierusalem: Dixi postquam fornicata es cum amatoribus multis, ad me conuertere, & non es conuersa. Certe cum iam ad amandum Deum ferueuter redierimus, nō sicut homines solet improperare. Præterea nec quando pœnitentiam agimus, quia longo tempore ab eo abfuerimus exprobrat, sed si solum, vt decet conuertamur, ac ei valde inhæreamus, & carnes nostras timore suo affligamus, confestim nos amplectitur, fouet, & præcipua charitate prosequitur, quarum rerum multa non solum in nouo, verumetiam in veteri testamento videre licet exemplā. Quis enim Manasse deterior fuit? sed facile conuersus propitium sibi
4. Reg. 21. & 2. Para. 33. Deum largis reddidit lachrymis. Quis Salomone felicior? sed cum negligentia dormitasset, decidit in profundum. Verum has ambas in eius patre mutationes possum ostendere, qui modo diligenti pœnitentia in sublime 3. Reg. 11. & 2. Esd. 3 scandebat, modo negligentia in infima labebatur. Quis Iuda beatior? sed factus est proditor. Quis miserior Paulo? sed vas electionis constitutus est. Quis Matthæo peior? sed Apostolus est cōnumeratus. Quis Simone laudabilior? sed factus est omnium abiectissimus. Quas multas huiusmodi mutationes, & olim, & nuper factas, & nunc quotidie fieri nō ignoramus. Quas ob res sæpius mihi illud dicendum esse video, nec illi, qui vixit in scena desperandum esse, nec huic, qui versatur in Ecclesia, omnino confidendum. Ad hunc enim ait: Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. Cor. 10. Ad illum vero, Numquid qui cadit, non resurget? Et iterum: Dirigite dissolutas manus, & genua paralytica. Et rursus ad pro- Hiere. 8. Isa. 35. bos: Vigilate, ait. Ad illos autem; Surge, qui Matt. 24. dormis, & suscita te a mortuis. Nam alijs Eph. 5. quidem conseruanda sunt, quæ acquisierunt, alijs autem necesse est, vt commutati id fiant quod non sunt. Nam, vt alteris conseruare sanitatem opus est, sic alteris ab ægrotatione seipsos liberare. Multi quippe a morbo diligentia conualuerunt, & multi ex sanitate in morbum negligentia inciderunt. Ideo ad illos quidem dicit: Ecce sanus factus es, noli pec- Ioan. 5. care, ne deterius tibi aliquid contingat. Ad hos autem, Vis sanus fieri? tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Etsi triginta & octo annos iacueris, nihil tamen prohibet, si volueris sanus fieri, adest enim nunc etiam Christus clamans, Tolle lectum tuum, modo velis tu surgere, modo non desperes. Non habes hominem, sed habes Deum, non habes, qui te valeat in piscinam immittere, sed habes eum, qui potest facere ne tibi piscina opus sit. Nullus vetat si volueris in fontem gratiarum descendere. Adeamus igitur alacri animo. Nam Iacobi 2. & Raab meretrix erat, sed saluata est. Latro truculentissimus fuit homicida, sed paradisi ciuis effectus est. Nec Iudæ profuit, quòd magistrum discipulus sequebatur, sed perijt, latro autem in cruce probum se discipulum fecit. Hæc considerans non despera, sed misericordia Domini fretus excita teipsum, viam solummodo facere incipias, & cito peruenies.

7 Homil. 13. imperfecti in Matth. IDEM exponens verba illa Matthæi capitis 5. Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos, inquit: Caute posuit dicens super iustos, & iniustos, non super iniustos, & iustos. Quia omnia bona Deus non propter omnes homines dat super terram, sed propter paucos sanctos. Contentus est enim magis, vt peccatores contra meritum suum bonis Domini fruantur, quàm vt iusti contra meritum suum a bonis eius fraudentur. Similiter & quando Dominus a peccatoribus irritatur, castigationem suam nō propter homines bonos mittit, sed propter solos peccatores, tamen æqua-

liter

liter & iustos tangit, quemadmodum & peccatores. Nam quemadmodum in bonis non separat peccatores a iustis, sic nec in malis separat iustos a peccatoribus. In bonis peccatores a iustis non separat, ne separati cognoscant se ie abiectos esse, & desperent, in malis iustos a peccatoribus non separat, ne separati cognoscant se electos esse, & glorientur, maxime cum nec malis bona prosint, sed noceant magis, nec bonis, mala noceant, sed prosint magis.

8 Hom. 38. in 1. epist. Pau. ad Corint. to. 4. IDEM dicit: Nemo malus desperet, nemo bonus nimium sibi fidat, sed hic trepidus, ille alacris esto. Nam nec deiecti animi vir adhærere diu virtuti potest, nec qui insistere modo studiose volet, effugere vitia non valet. Vtriusque rei exemplum fuerit beatus ille Da
4. Reg. 24 uid, qui cum paululum remisisset, lapsus est vehementer, compunctus vero ad culmen prioris gratiæ statim resiliuit: vtrumque vero æque perniciosum est, & remittere animum, & prorsus desperare. Hoc ab ipso cæli fastigio momento subuertit, illud surgere iacentem non
Sup. 10. finit. Hinc Paulus ad illum quidem, Qui stare videtur, videat, inquit, ne cadat, ad hunc
Psal. 94. vero, Hodie si vocem eius audieritis, inquit,
Heb. 12. ne obduretis corda vestra. Et rursum: Manus remissas, & genua soluta roborate. Adulterum, cum primum peccati pœnituisset, recipit statim ne nimia tristitia consumeretur.

9 Serm. 18. in epist. ad Romanos. Isaiæ 1. IDEM sic habet; Si qui squalidam habemus, ac sordidam mentem, non ideo desperemus. Si enim, inquit, fuerint peccata vestra rubicūda velut color phœniceus, velut nix alba erunt, & si fuerint velut coccinum, quasi lana alba erunt. Innumera tibi sunt perpetrata mala, delictaque? Quid hoc? Nondum enim ad infernum vsque deuenisti, in quo nemo confitebitur. Nondum solutum est theatrum, sed adhuc intro in ipsa stas cauea, potesq. vel in extrema lucta omnes reuocare cōflictus. Nondum es eo loci, vbi diues ille est,
Lucæ 16. vt audiendum tibi sit illud: Quoniam magnū chaos inter nos, ac vos est. Nondum aduenit sponsus, vt timendum sit, quis tibi de suo daturus est oleo. Adhuc licet, vt emas, ac recondas. Multi sunt, qui vendant, nudi scilicet, esurientes, ægroti, quiq. in carceribus sunt. Pasce illos, istos vestibus indue, iacentes visita, quæ si feceris, adcurret oleum vberiore copia, quā soleant aquarum fontes.

10 Hom. 5. de pœnit. to. 5. Hiere. 8. IDEM ait: Grauis iustis vbique videtur Deus, peccatoribus quominus pius atq; ad clementiam velox. Peccantem & cadentem reluat, & inquit ad eum: Numquid cadens non adijcet, vt resurgat, aut auersus non reuertetur? Vt quid auersa est auersione impudica impudens filia Iudæ? Ad peccatorem, dicit:
Ezec. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Ad iustum autem dicit: Si fecerit homo omnem iustitiam omnemq. veritatem, & auersus peccauerit, non recordabor iustitiæ eius, sed in peccato suo morietur.

Sic varie fratres, & differēter excogitat Deus, non ipse quidem mutatus, sed vtiliter diuidēs bonitatis suæ dispensationem. Cadentem & peccatis obnoxium, si terruerit, spe periclitari eum compelleret, iustum vero, si laudat, suæ vim virtutis debilitat, atque veluti iam beatum de industria, studioq. pigritare, præparabit. Propterea fratres peccatoris quidem miseretur, & ei blanditur, iustum vero terret. Psal. 88.
Terribilis est super omnes, qui in circuitu eius sunt. Et qui nam fuerint hi? Sancti. Deus enim inquit; Dauid glorificatur in consilio sanctorum suorum, magnus, & terribilis est super omnes, qui in circuitu eius sunt. Si cadentem intuetur, clementiæ manum protendit, si stantem, timore iustitiæ iustiq. iudicij concutit, atque hunc timore quidem confirmat, illum vero per clementiam excitat. Vis & opportunam eius nosse bonitatem, simulq. benignam, & accommodatam seueritatem? Peccatrix mulier illa omni cōuoluta delicto, tot peruersorum operum, & delictorum rea, de pœnitētia salutem sitiens surrepsit Saluatoris conuiuio. Subintroiuit mulier illa 11
peccatrix, Saluatorisq. pedes tetigit, lachrymis rigauit, & capillis tersit: hanc tot plenam peccatis eluat ille pius, ac clemens, dicens: Luc. 7.
Dimittuntur tibi peccata tua, Et Maria soror Num. 12.
Moysi paruo ex murmure, lepra damnatur. Isaiæ 1.
Peccatoribus, dicit: Si fuerint peccata vestra, sicut coccinum, veluti niuem dealbabo. Et tenebras in lucem transfert pœnitētiæ mutatione, totq. malorum aceruum, bonitatis voce soluit. Ambulanti vero in iustitia, dicit: Quicumq. dixerit fratri suo stulte, reus est gehen- Matt. 5.
næ ignis. Vni verbo tantam imposuit mulctam, ac omnibus peccatis obnoxiam tanta liberalitate donauit. Atque aliud considera fra
ter, quoniam quidem peccata quasi debita describuntur, peccatoribus quidem, & ipsam principalem sortem elargitur Deus, & debita dimittit, a iustis vero etiam vsuras exigit. Et
Matt. 18. accessit ad eum, qui debebat decem millia talenta, & dixit iudici: Patientiam habe in me, & omniam reddam tibi. Non immoratus ipse clemens, piusq. Deus, vt redderet, sed in confessione debiti solutionem fecit, & debitori quidem decem millium talentorum vniuersa dimisit, & ipsam etiam priorem sortem, a iustis vero, & vsuras repetere promittit. Quare,
Lucæ 19. inquit, non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens vtique cum vsuris exegissem illam? Hæc dico, non quasi Deo odiose se fe ad iustos habente, Deo enim nihil iusto acceptius. Sed quod Paulo ante diximus, solatur peccatorem, quo eleuet, iustum, quo statuat, terret. Impij pauperes sunt, iusti autem diui-
1. Cor. 1. tes. Vnde Paulus: Gratias ago Deo, quoniam in omnibus diuites facti estis in ipso, in omni sermone, & in omni doctrina. De impijs vero beatus Hieremias dicit: Fortasis pauperes sunt, quapropter non potuerunt audire verbum Domini. Quasi pauperum igitur miseretur

retur Deus peccatorum, & quasi diuitibus, & iustis expetit, illis quidem ipsa præ inopia donans, his vero accuratius rationem diuitiarum pietatis exigens.

12 Hom. 10. de pœnit. IDEM inquit; Intelligendum est non modo a redeuntibus non auerti Deum, sed hos non minori cum iucunditate, quàm ipsos proficiētes recipere, vt sic neque malis obruti spe sternamur, neque bonis abundantes confidamus, sed & proficientes timeamus, ne per confidentiam labamur, & labentes, pœnitentiam non recusemus. Duo enim hæc, stantem confi-
1. Cor. 10. dere, & desperare iacentem, perditio animarū
Ibidem. 9. est. Quare stantes roborans Paulus dicit: Qui se putat stare, videat ne cadat. Et iterum: Ti-
2. Cor. 12. meo, ne alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Iacentes erigens, & ad vlterius excitans studiū, testificabatur Corinthijs sic scribens: Ne forte multos desleam, qui ante peccauerunt, & nō egerunt pœnitentiam. Quare & eosdem exo-
Psal. 94. rans Dauid dicit: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione. Quo & hodie dicitur, ne corruamus spe, sed bonas in Domino spes habentes, & pelagus clemētiæ suæ cognoscentes omnem conscientiam excutiētes malā, multa cum spe, propositoq. adhærentes virtuti, hic vniuersa deponamus peccata, vt multa cum fiducia tribunali Christi astemus.

13 Hom. 77. ad populū Antiochenum. Matt. 19. Act. 8. IDEM volens ostendere, quod stantē confidere non oportet, neque lapsum desperare, dicit: Iudas prius regni filius erat, & cum duodecim audijt discipulis: Sedebitis super sedes duodecim, sed postea factus est gehennæ filius. Ethiops autem cum barbarus esset homo, & eorum, qui veniunt ab Oriente, & Occidente, iunctis cum Abraham, Isaac, & Iacob, coronis
Matt. 20. potietur. Hoc & inter nos agitur quotidie, ait enim: Multi erunt nouissimi primi, & primi nouissimi. Hoc autem dicebat, vt nec illi torperent, tamquam redire non possent, nec hi confiderent tamquam stent immoti. Hoc & su-
Matt. 3. perne Ioannes exclamans, aiebat: Potest Deus ex lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ne nimis confidamus stantes, multi postquam in ipsum ascenderunt verticem cæli, & omnem exhibuere tolerantiam, & in desertis morati sunt, nec in somnijs quidem viderunt mulierē, quod paululum torpuerint, supplantati sunt, & ad ipsum malitiæ barathrum deuenerunt, alij rursum illinc ascenderunt in cælum, ex scenaque ad angelicam migrauere conuersationem, & multa fecerunt signa.

14 Epist. 34. ad Fabiolam. to. 1. HIERONYMVS dicit; Vidit Iacob scalam de terra vsque ad cælum, & ascendentes per eam angelos, & descendentes, & desuper innitentem Dominum, vt lassis manum porrigeret, vt ascendentes suo ad laborē prouocaret aspectu. Vnde & vocatur locus ipse Bethel, idest, domus Dei, in qua quotidie ascenditur, & descenditur. Et sancti enim corruunt, si fuerint negligentes, & peccatores pristinum recipiunt gradum, si sordes fletibus lauerint. Hoc ideo dixi, vt non te terreant descendentes, sed prouocent ascendentes. Numquam exemplum a malis sumitur. 15

IDEM exponens illa verba; Et vocabit Dominus exercituum in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluicium, & ad cingulum sacci. Ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinū, comedamus, & bibamus, cras enim moriemur, & reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum. Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus, ait. Captiuitate presente, & obsessa Hie-
Hier. 34 ruſalem, cum ferrum, fames, sitis vrgeret vrbem, Hieremias ad pœnitentiam populū prouocabat, & e contrario reges, ac principes, & vulgus miserabile desperatione pereuntium se tradebat epulis. Nihil autem sic offendit Deum, quàm post peccata, erecta ceruix, & ex
Amos 1. desperatione contemptus. Quod & per Amos loquitur: Super tres, & quattuor impietates non auersabor eum, quod & cogitauerit, & fecerit, & non egerit pœnitentiam, insuper & docuerit malum. Vnde & nunc dicitur: Si dimittetur iniquitas hæc vobis, donec moriamini.

16 Lib. 1. in c. 2. Ezech. IDEM explicans verba illa; Et filij dura facie, & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te, sic habet. Magnæq. clementiæ est ad tales Deum mittere, nec desperare eorum, & confidentię prophetalis, quod ad tales quoque ire non timeat. Indomabili corde, & dura facie, iuxta illud debemus accipere, quod peccatori dicitur: Neruus ferreus collum tuum, & Isaiæ 47.
frons tua ænea.

17 Lib. 13. in c. 43. Ezech. Prou. 24. IDEM docet, quod Salomon post tā grandia scelera egerit pœnitentiam scribens prouerbia, in quibus ait: Nouissime ego egi pœuitentiam, & respexi, vt eligerem disciplinam, vt hæc considerans, peccator non desperet.

18 Lib. 29. Moral. c. 11. to. 2 GREGORIVS explicās illa verba Iob 33. Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis, aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, & in diem pugnæ, & belli, sic habet. Quia dixerat, indica mihi, si nosti omnia, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit, vt ducas vnumquodque ad terminos suos, & intelligas semitas domus eius, in quibus verbis id significauerat, quod videmus multos quotidie, qui iustitiæ luce resplendent, & tamen ad finem suum nequitiæ obscuritate tenebrantur, & multos cernimus peccatorum tenebris obuolutos, & tamen iuxta vitæ suæ terminum repente reddi luci iustitiæ liberos, & ideo dixerat, indica mihi, si habes intelligentiam, in qua via habitet lux, & tenebrarum quis locus sit? Ac si diceretur: Sicut, qui de malis conuertantur ad bona, vel qui de bonis ad mala redeant, nescis, ita etiam nec de te, quid tuis meritis exigētibus agatur, intelligis. Quia ergo indicauerat his verbis, vel bonos ad malum, vel malos ad bonum posse conuerti, illico secutus adiunxit: Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis in diem pugnæ,

gnæ, & belli? In niue, vel grandine frigida, vel dura accipimus corda prauorum. Sed quia omnipotens Deus sanctos suos de talibus eligit, & quàm multos electos adhuc inter prauorum vitam repositos habeat nouit, apte in niue, vel grandine thesauros habere se perhibet. Et plerosq; in vita frigida diu latenter respicit, quos ad medium, cum iubet, producit, & iustitiæ nitore candidos per supernam gratiam ostendit. Quos ad diem belli, pugnæq. præparatos, diu intra suæ præsentiæ sinum tegit, sed cum repente eos eduxerit, resistentia aduersariorum pectora illorum verbis, ac redargutionibus, quasi quibusdam grandinibus percutit.

Psal.17. Vnde alias scriptum est: Præ fulgore in conspectu eius nubes tuansierunt, grando, & carbones ignis: quia prædicatores sancti vniuersa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando, & carbones ignis vocati sunt, quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt. Ipsa quoque libera sanctorum increpatio natura grandinis conuenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium, & terrentes feriunt, & blandientes infundunt. Nam quemadmodum

Psal.144. feriant, propheta testatur, dicens: Virtutem terribilium tuorum dicent, & magnitudinem tuam narrabunt. Et quemadmodum blandientes rigent, secutus adiunxit: Memoriam abundantiæ suauitatis tuæ eructabunt, & iustitia tua exultabunt. In niue ergo, vel grandine habentur thesauri, quia plerique iniquitatis torpore frigidi, a superna gratia assumpti in sancta Ecclesia iustitiæ luce fulgescunt, & prauam aduersariorum scientiam doctrinę suæ ictibus tundunt. Nix quippe, vel grando fuerat Saulus per frigidam insensibilitatem, sed nix, & grando cõtra aduersariorum pectora factus est, vel cãdore iustitiæ, vel districti eloquij correptione. O ad quãta aduersariorũ pectora ferienda, hanc in manu sua grandinem sumpsit, per quã tot sibi resistentia candor prostrauit! Nemo itaque de suis operibus extollatur, nemo desperet eos, quos adhuc frigidos videt, quia thesauros Dei in niue de grandine non videt. Si ergo ad ista dona, vel iudicia occulta recurrimus, nullos omnino desperantes, nec illis nos in corde nostro præferimus, quibus pro tẽpore prælati sumus, quia etsi iam videmus quamtum præcessimus, nescimus quamtum cũ currere cœperint, procedamur. Bene ergo ad beatum Iob dicitur: Numquid ingressus es thesauros niuis, aut thesauros grandinis aspexisti, quæ præparauit in tempus hostis in diem pugnæ, & belli? Ac si aperte diceretur: Nulli te de operibus tuis præferas, quia de his, quos intueris, adhuc per culpam frigidos, quantos operatores iustitiæ, & defensores rectæ fidei sim facturus, ignoras.

Ibidem.

19 IDEM exponens verba illa Iob 40. cap. quæ dixerat de Leuiathan: Aut Armilla perforabis maxillam eius? dicit. Armilla Dominus maxillam diaboli perforat, quia ineffabili misericordiæ suæ potentia, sic malitiæ antiqui hostis obuiat, vt aliquando eos etiam, quos iam cepit, amittat, & quasi ab ore illius cadunt, qui post perpetratas culpas, ad innocentiam redeunt. Quis enim ore illius semel raptus, maxillam eius euaderet, si perforata non esset? An non in ore Petrum tenuit, cum negauit? An non in ore Dauid tenuit, cum in tantam se luxuriæ voraginem mersit? Sed cum ad vitam vterque per pœnitẽtiam redijt, Leuiathan iste eos aliquomodo, quasi per maxillæ suę foramina amisit. Vnde Dominus non solum nos in os Leuiathan ire prohibuit, sed ab ore etiam redire concessit, qui spem peccatoris non abstulit, quia maxillam eius, vt euadendi viam triburet, perforauit, vt saltem post morsum fugiat, qui incautus prius morderi nequaquam metuebat. Vbique ergo nobis occurrit superna medicina, quia & dedit homini præcepta, ne peccet, & tamen peccanti dedit remedia, ne desperet. Vnde cauendum summopere est, ne quis delectatione peccati, Leuiathan istius ore rapiatur, & tamen si raptus fuerit, non desperet, quia si peccatum perfecte lugeat, adhuc foramen in maxilla eius inuenit, per quod euadat. Iam dentibus teritur, sed adhuc si euadendi via quæritur, in maxilla eius foramen inuenitur. Quisquis ergo nondum captus est, maxillam eius fugiat, quisquis vero iam captus est, in maxilla foramen quærat. Ante culpam ergo homo iustitiam metuat, post culpam tamen de pietate præsumat, neque ita iustitiam timeat, vt nulla spei consolatione conualescat, neque ita confidat de misericordia, vt adhibere vulneribus suis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam, sed quẽ præsumit sibi pie parcere, semper etiã cogitet & districte iudicare. Sub pietate itaque eius spes peccatoris gaudeat, sed sub districtione illius pœnitentis correctio cõtremiscat. Spes igitur præsumptionis nostræ habeat etiam morsum timoris, vt ad corrigenda peccata iustitia iudicantis terreat, quem ad fiduciam veniæ gratia parcentis inuitat. Hinc enim per quemdam sapientem dicitur: Ne dixeris, miserationes Domini multæ sunt, peccatorum meorum non memorabitur. Pietatem namque eius protinus, & iustitiam subdit, dicens: Misericordia enim, & ira ab illo. Diuina itaque clemẽtia maxillam Behemoth istius perforans, vbique humano generi, & misericorditer, & potenter occurrit, quia nec libero admonitionem præcauendi tacuit, nec capto remedium fugiẽdi subtraxit. De statu suo Dauid cadente, nemo superbiat, de lapsu etiam suo Dauid surgente, nemo desperet. De maiorum nos lapsu scriptura terruit, sed de reparatione roborauit, ne desperemus. Infra: Vt ea quæ dixit, probet, adducit locum Deuteronomij: Non accipies loco pignoris, superiorem, aut inferiorem molam. A debitore pignus accipitur, cum a peccatore iam peccati confessio tenetur. Superior autem, & inferior mola, est spes, & timor. Spes quippe ad alta subuehit, timor autem cor inferius premit. Sed mola superior, & inferior, ita sibi necessario iunguntur, vt vna sine altera inutiliter habeatur. In peccatores itaque pectore, & incessanter debet spes, & formido coniungi, quia incassum misericordiam sperat, si non etiam iustitiam timeat, incassum iustitiam metuit, si non etiam de misericordia confidat. Loco igitur pignoris mola superior, aut inferior, tolli prohibetur, quia qui peccatori prædicat, tanta dispensatione componere prædicationẽ debet, vt nec derelicta spe timorem subtrahat, nec subtracta spe in solo eum timore derelinquat. Mola enim superior, aut inferior tollitur, si per prædicationis linguam in peccatoris pectore, aut timor a spe, aut spes a timore diuidatur, quod facere Dominus prohibet.

Deut. 24.

21

22 IDEM exponens verba illa; Ne proijcias me a facie tua, ait: A facie Dei proijcitur, cui spes veniæ post peccatum negatur. Qui enim peccauerit in Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Quis est autem qui peccat in Spiritum sanctum, nisi qui non credit remissionem peccatorum? Remissio enim peccatorum opus Spiritus sancti est. An non in Spiritum sanctum Cain peccauit, quando dixit, maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear? Et quia de venia ideo desperauit, ideo dixit, Ecce eijcis me a facie tua. Vides quomodo ille, qui in desperationis foueam labitur, a facie Dei proijciatur. Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Attende qualiter postulat, ne spem veniæ post peccatum amittat. Vbi Spiritus sancti præsentia est, ibi desperatio esse non potest. Infra: Solet quibusdam contingere, vt dum se purgatos per satisfactionem reputant, ab internæ mentis custodia animum resoluant. Qui quidem ipsa sua elatione depressi, eo deterius corrigunt, quo sibi de indulgentia blandientes, vanæ spei securitatem promittunt. Inde est, quod propheta exorat, dicens: Lætetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Non dicit, lætetur, vt securum sit, sed lætetur, vt timeat. Ac si aperte dicat, ita me correctum facito gaudere de venia, vt tamen numquam desinam esse suspectus de culpa.

In Psalm. 4. pœnit. to. 2.

Gen. 4.

Psal. 85.

23 BERNARDVS dicit: In Paulo dicente: Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum, hoc consolationis & fiduciæ accipite fratres, vt ad Dominum iam conuersos non nimis cruciet præteritorum conscientia peccatorum, sed tãtum humiliet vos, sicut & ipsum. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Misericordiam etiam consecutus est Petrus, qui non ignorans, sed apertos habens oculos peccauit. Infra: Quid enim? Peccasti in sæculo? Numquid amplius Paulo? Quod si in ipsa religione, numquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modo salutem, sed & sanctitatem consecuti sunt. Et tu ergo fac similiter, quoniam propter te Scriptura eos vocat viros misericordiæ, vtiq; propter multam misericordiam, quam consequi meruerunt.

Serm. 3. in festo Apostol. Pet. & Paul.

1. Tim. 1.

1. Cor. 15.

Eccli. 44.

IDEM inquit; Venit adolescens in regionem non suam, venalis factus est omnibus, qui prætergrediuntur viam. Vinctusq. in desperationis carcere, vbi in circuitu impij ambulant, in mola illa impiæ circuitionis cogitur molere. Non obliuiscitur pater ille potentissimus, atque ditissimus, & dulcissimus. Mandat amicis, sollicitat seruos, omnesq. suscitat ad requirendum eum. Vnus seruorum timor ad imperium Domini filij fugitiui vestigia prosequens, in profundo carceris inuenit filium regis carnalibus peccatorum sordibus obsitum, vinculis, & catenis malæ consuetudinis ligatum, miserum & amentem, in miserijs securum, & ridentem. Quem verbis, & verberibus vrgens, vt exiret, & rediret, tanta miserum confusione deiecit, vt sicut morti iam vicinus iaceret, & adhæreret in terra venter eius. Egressus e vestigio alius, cui nomen spes, vidensq. filium regis a timore non erutum, sed obrutum, non adiutum, sed deiectum, accessit leniter, & suscitans de terra inopem, & de stercore erigens pauperem, leuansq. caput eius, & coacta in vnum consolationis veste, oculos eius detergens, & faciem; heu, inquit, quanti mercenarij in domo patris tui abundant panibus, tu autem hic fame peris? Surge obsecro, & vade ad patrem tuum, & dic ei: Pater fac me sicut vnũ de mercenarijs tuis. Ego sum spes tibi a patre tuo transmissa, te adiuuatura, te non defertura donec te introducam in domum patris tui, & in cubiculum genitricis tuæ. Et o, inquit ille, dulce leuamen laborum, dulcis consolatio miserorum, vides carceris mei profundum immane, vides vincula, quæ tamen ad ingressum tuum iam maxima ex parte dirupta sunt, vides concaptinorum meorum immanem multitudinẽ, fortitudinem, velocitatem, astutiam, & quis tibi locus hic? At spes, ne timeas, inquit, qui nos adiuuat misericors est, qui pro nobis pũgnat misericors est, pluresq. sunt nobiscum, quàm cum illis. Super hæc omnia adduxi tibi a patre missum equum desiderij, cui cum insederis me duce ab his omnibus securus proficisceris. Equo desiderij impositus filium regis, sed frenum defuit, tanta erat festinatio fugiendi. Illico equus currit infrenis, trahit spes ante, timor autem retro verberibus vrget, & minis.

In serm. de filio prodigo.

24

25

Peccatores propensione grandi se, & iustos in malum præcipitare conantur, de quorum ruina gaudent, virtutem autem si operantur, vel id faciunt ficte verbis Deo mentientes, vel statim eam relinquunt.

Cap. XIX.

1 Lib. 16. in c. 58. Isa. to. 4.

HIERONYMVS exponés verba illa; Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & quæ iudicium Dei sui nõ dereliquerit, dicit: Iudæis hæc verba conueniebant, & illis, qui per singulos dies currebant ad synagogas, & Dei legem meditabantur scire cupientes quid Abraham, Isaac, & Iacob, & quid ceteri sanctorum fecerint, & libros prophetarum, ac Moysi memoriter reuoluentes decantabant diuina mandata, quibus rectissime illud aptabitur: Quærent me mali, & non inuenient. Sic enim

Matt. 7. scriptum est: Omnis qui quærit inuenit, quicumque non inueniet, male quæsisse conuincitur. Dominus enim inuenitur ab his, qui eum quærunt in bonitate, & ostenditur illis, qui nõ sunt ei increduli. Cum igitur iustitiam, iudiciumq. reliquerint Dei, frustra legis iactant scientiam, cum sanctus non in notitia scripturarum, sed in operibus glorietur, dicés: Viam mandatorum tuorum cucurri quãdo dilatasti cor meũ. Rogant me iudicia iustitiæ, & appropinquare Deo volũt. Est alia temeritas iudæorum, quasi fiducia bonæ conscientiæ, iudicium postulant iustum, & imitantur sanctorũ verba

Psal. 25. dicentium: Iudica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum. Et iterum:

2 Proba me Domine, & tẽta me, vre renes meos & cor meum. Et appropinquare Deo desiderant, cum hoc non in loco sit, sed in affectu, nec mentis otiosæ, sed laboriosi operis. Appropinquat enim Dominus appropinquantibus sibi, & his, qui iuste quod iustum est persequuntur,

Psal. 72. & possunt dicere: Mihi autem adhærere Deo bonum est. Si enim omnipotẽs Deus pater est veritatis, atque iustitiæ, quicumq; est mendax & iniustus appropinquare Deo non potest, de

Psal. 5. quo scriptum est: Non habitabit iuxta te malignus, neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Quare ieiunauimus, & non aspexisti &c. In quibus verbis, & in sequentibus docet virtutẽ non ficte, & exterius tantum, sed pia mente, rectoq. animo operandam esse, vt Deo placeat. Quando enim sic homo virtutem operatur, audit. Tunc erumpet quasi mane lumen tuũ, & sanitas tua cito orietur. His verbis illi arguuntur, qui Deo mẽtiuntur, & opera virtutum exteriora interno spiritu vacua Deo offerunt, quæ tamẽ ipse nec acceptat, nec respicit.

3 Lib. 18. in c. 66. Isaiæ. IDEM explicans verba illa; Qui sanctificabantur, & mundos se putabãt in hortis, post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abominationem, & murẽ, simul consumentur, dicit Dominus, ait: Arguit firmo diuinus populos iudæorum, immo scribas, & pharisæos, quos & Dominus arguebat, dicens: *Luc. 16.* Vos estis, qui iustificatis vosmetipsos corã hominibus, Deus autẽ scit corda vestra, quoniam quod in hominibus excelsum est, abominatio est apud Deum. Vnde increpabat eos, atq; dicebat: Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ *Matt. 23.* qui mundatis quod foris est calicis, & paropsidis, & intus pleni estis immunditia. Et iterũ: *Psal. 61.* Qui estis sepulchra dealbata, intus autem pleni estis ossibus mortuorũ, qui ore suo benedicebant, & corde suo maledicebãt, qui Domino loquebantur pacifica, & molliebant verba sua super oleum, ipsi autẽ erant iacula, de quibus *Isa. 29.* rectissime dicebatur: Populus hic labijs me honorat, cor vero eius longe est a me. Comedunt autem carnem suillam, & abominationẽ, & murẽ, qui non sunt sancti corpore & spiritu.

4 Lib. 8. in c. 25. Ezech. IDEM explicans illa verba; Dices filijs Ammõ, hæc dicit Dominus Deus, pro eo quod dixistis, euge, euge super sanctuariũ meũ, quia pollutum est, & super terrã Israel, quia desolata est, & super domũ Iuda, quia ducti sunt in captiuitatem. Idcirco ego tradã te filijs orientalibus in hereditatẽ, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua, ipsi comedẽt fruges tuas, & ipsi bibent lac, daboq. ciuitatẽ tuã in pascua camelorũ, & filios Ammon in cubile pecorũ, & scietis, quia ego Dominus. Pro eoquod plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es ex toto affectu super terrã Israel, idcirco ego extendã manum meam super te, & tradã te in direptionem gentiũ, & interficiam te de populis, & perdam te de terris, & conteram, & scies, quia ego Dominus, sic habet: Hoc super vnumquemq; sanctorũ intelligi potest, ad quorũ ruinam gaudent sæculi homines, si multi temporis perdiderunt pudicitiam, dum mali consolationem suorum scelerũ putant, si plures habeant consortes criminũ, atq; supplicij, & hoc nemo faciat nisi fuerit filius Ammõ, hoc est, filius populi, qui in declinatione generatus est. Propterea ipse Dominus non per angelos, neq; per alia ministeria extendens manũ suam ad percutiendum, tradet terram Ammon in direptionẽ, nequaquam camelis, & omnium gregibus, sed manifestis gentibus, vt de populorum numero penitus eradicetur, & pereat, & redigatur ad nihilum, & postquã contrita fuerit, tunc iurelligat, quod ipse sit Dominus, qui cuncta dijudicet, & in omnes terras habeat potestatem. Quæ omnia illis euenient, quia iustorum ruinam cum gaudio susceperunt.

5 Lira. in c. 5. Osee. to. 5. IDEM exponens verba illa; Facti sunt principes Iuda quasi assumẽtes terminũ, super eos effundã quasi aquam irã meam, dicit: Ducta Ephraim, & Israel in captiuitatẽ, & redacta terra eorũ in solitudinem, principes Iuda, qui flere debuerant, & suum populũ cohortari vt recederent ab idolatria, ne & ipsi similia sustinerent, cœperunt gaudere atq; lætari, quòd pateret sibi terra eorum ad possidendũ latius, & facti

& facti sunt, quasi assumentes terminos Israel regnum suum, & possessionem dilatare cupientes. Quamobrem dicit Dominus, & super ipsos principes Iuda venient Babylonij, & ita eos, quasi aquæ impetus, occupabunt, non suis viribus, sed indignatione mea. Dicit quoque & ad principes Ecclesiæ, quod non debeant exultare, & hæreticorum perditionem

Rom. 11. suam salutem æstimare, sed potius plangere, quod illi perierint. Vnde & Apostolus Paulus docet Ecclesiasticos viros, ne glorientur super fractione Iudaicorum ramorum, sed potius timeant, ne & ipsi frangantur. Et in alio loco:

2. Cor. 11. Quis, ait, scandalizatur, & ego non vror? Alioquin super tales principes, qui in aliorum miserijs gloriantur, & idcirco se stare putant, si alij corruant, effundet Dominus quasi aquã iram suam.

6 Lib. 2. in c. 3. Habacuc. IDEM exponés verba illa; Mẽtietur opus oliuæ, dicit: Hoc ait quia fructus, quos afferre debuerant, in operibus demonstrantur: mentietur autem opus oliuæ, aliud promittentis, &

Exo. 24. aliud facientis, dicentes ad Moysen: Omnia quęcumque dixerit nobis Dominus faciemus, & nolentes in eum credere, qui a Moyse prædicatus est.

7 Lib. 1. in c. 1. Prou. IDEM explicans verba illa; Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne ac quiescas eis, inquit: Duobus modis lactant peccatores, quos decipiunt, quia aut ad faciendum scelera blandimentis alliciunt, aut facta iam fauoribus quasi laudabiliter acta sustollunt. In vtroque autem sapientia suos auditores, ne talibus acquiescant, hortatur.

8 In c. 3. Prouerb. Luca 11. IDEM exponens illa verba; Noli prohibere bene facere eum, qui potest, inquit: Non debes prohibere bona opera, quæ proximus intendit facere, ne audias a Domino cum Pharisæis: Ipsi non introistis, & eos qui introibant prohibuistis.

9 Lib. 2. in c. 11. Prouerb. in fine. IDEM explicans verba illa; Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientię, dicit: Promittunt se nonnulli obedire veritati, sed vbi tentatio terrens, siue blandiẽs impedimentum præstiterit, deserunt quidem cœpta, sed tamen conscientia promissi, quasi gladio punguntur.

10 Lib. 2. in c. 3. Prouerb. IDEM exponens illa verba; Vult, & non vult piger, anima autem operantium impinguabitur, inquit. Recte pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo. Delectant prędia, cum pollicẽtur, deterrent certamina, cum iubentur, de quo la

Iacob. 1. cobus ait: Vir duplex animo inconstans est in

Eccli. 2. omnibus vijs suis. Et filius Sirach: Væ peccatori terrã ingredienti duabus vijs, qui autem iussa operantur Domini, ideo faciunt, quia animã illorum perfecta supernorum dulcedine reficitur, iuxta eum, qui Dominum obsecrat dicens: Sicut adipe pinguedinis repleatur anima

Psal. 26. mea. Vel certe anima operantium impinguabitur, quia qui pijs pro Domino laboribus insudant, cælesti, & immarcesibili post labores corona donabuntur.

11 In c. 15. Prouerb. IDEM explicans verba illa; Labia sapientium disseminabunt scientiam, cor stultorum dissimile erit, ait. Potest hoc ita intelligi, quia cor stultorum etiam sibimetipsi dissimile erit, dum mutabilitate diuersarum cogitationum varium se exhibet, & nunquam idem quod fuerat manet, cui contra de Anna,

1. Reg. 1. cum Domino intenta mente supplicaret, dicitur: Vultusq. eius non sunt amplius in diuersa mutati. Infra: Iter pigrorum quasi sepes spinarum. Pigros dicit eos, quos piget operari iustitiam, qui cum viam Domini appetunt, eos, velut spinæ obsistentium sepium, sic formidinum suarum oppositæ suspiciones pungunt. Quod quia electos præpedire non solet, adiunxit: Via iustorum absque offendiculo. Iusti quippe in conuersatione sua, quodlibet eis aduersitatis obuiauerit, non impingunt, quia temporalis aduersitatis obstacula æternæ spei, & internæ contemplationis saltu transiliunt.

12 In c. 16. Prouerb. IDEM exponens illa verba; Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam, sic habet. Locus hic de omni fautore malorum accipi: Quoniam laudatur pec-

Psal. 9. cator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit, benedicitur.

13 Lib. 2. in c. 22. Prouer. IDEM explicans verba illa, Dicit piger leo est foris, in medio platearum occidendus sum, inquit. Dicit sæpe in animo suo is, qui ad agenda bona opera piger est, ad confitendam fidem, quam corde tenet, timidus, Non audeo fidem, quam noui, foras profiteri, ne me persecutor impius, quia fidelem audit, perimat. Timeo ad exercendas virtutũ actiones in publicum progredi, ne forte me, vel antiqui hostis aduersitas grauior tentet, vel etiã homo quilibet peruersius cum suorum turba derideat, conuitijs confundat, iniurijs afficiat, aut sicut multos iustorum, qui ab eius vita discordant, tormentis, & morte consumat. Leo, inquit, foris, in medio platearum, occidendus sum. Quod est aperte dicere, & verba, & opera virtutum vbi ostendi foris cœperint, statim persecutio, vel hominum, vel immundorum spirituum comitatur, nec valeo tẽtationibus resistere, sed in pijs boni propositi vincor incœptis.

14 In Psal. 1. to. 1. IDEM exponens verba illa; Non sic impij, non sic, sed tamquam puluis, quem proijcit ventus a facie terræ, inquit. Qui impius est, pulueri comparatur. Puluis licet de terra sit, tamen desinit esse terra. Tam infelix erit impius, vt nec terrenus quidem sit puluis. Videtur quidem habere terræ substantiam, sed habet suam substantiam, nihil habet solidum, sed quod habet, ad pœnam habet. Huc illucq. dispergitur, numquam in vno loco est, quocumque ventus traxerit, illuc eius impetus dirigitur. Sic & impius, qui semel Deum negauerit, quocumque illum aura diaboli traxerit, illuc errore perducitur.

15 In Psal. 34. IDEM explicans illa verba; Non supergaudeant mihi inimici mei: ne quando dicant

in cordibus suis: euge euge animę nostræ, nec dicant, deuorauimus eum, dicit. Non patefiat vltra os eorum ad me deuorandum, ne dicant, deuorauimus eum. Deuorat homo, quod in os mittit. Sed in hoc dicit deuorare, quia peccatores volunt illos sanctos deuorare, ideſt, vt vnum corpus efficiantur. Qui & gratulantur malis meis.

16 In Psal. 77. IDEM explicans verba illa; Et dilexerũt eũ in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei, cor autem eorum non erat rectum cum eo, nec fideles habiti sunt in testamento eius, inquit, Exo. 24. Dilexerunt eum in ore suo, cum dicerent: Omnia quæcumque præceperit Moyses faciemus. Et lingua sua mentiti sunt ei, dicentes Moysi: Omnia quæcumque dixerit Dominus, faciemus. Cor autem ipsorum non erat rectum cũ eo. Nam & Dominus testimonio vtens Isaiæ Isa. 29. prophetæ, dicebat: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est a me.

17 Lib. de vera & falsa pœnitẽtia. to. 4 AVGVSTINVS dicit; Sunt multi, qui vt peccent, non solum non vincuntur, sed vltro se peccato offerunt, nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem, & pertractant secum, quàm multiplici actione vitij delectabiliter peccent.

18 In Psal. 14. to. 8. IDEM exponens verba illa; Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua, sic habet. Requiescet in monte sancto Domini, qui loquitur veritatem in corde suo. Nonnulli enim in labijs habent veritatem, & in corde non habent. Tamquam si aliquis dolose ostendat viam, sciens in ea esse latrones, & dicat: si hac ieris, a latronibus tutus eris: & contingat, vt vere non ibi latrones inueniantur, verum ille locutus est, sed non in corde suo, aliud enim putabat, & nesciens verum dixit. Ergo parum est verum loqui, nisi etiam in corde ita sit. Qui non egit dolum in lingua sua. Lingua agitur dolus, cum aliud ore profertur, aliud pectore tegitur. Ad nihilum deductus est in cõspectu eius malignus. Ista perfectio est, vt nihil in hominem valeat malignus, iustum a virtutis statu deijciens in peccata.

19 In Psal. 51. IDEM explicans verba illa; Tota die iniustitiam cogitauit lingua tua, sic habet. Tota die, ideſt, toto tempore, sine lassitudine, sine interuallo, sine pausatione. Et quando non facis, cogitas, vt quando aliquid mali abest a manibus, a corde non abſit. Aut facis malum, aut dum non potes facere, dicis malum, aut quando nec hoc potes, vis & cogitas malum. Tota die ergo, ideſt, sine intermissione.

20 Serm. 212. de tempore to. 19. IDEM explicãs illa verba Prouerbiorum 13. Pauper non suffert minas, inquit. Pauper, scilicet inanis iustitia non habens intus spiritus plenitudinem, ornamenta spiritalia, supellectilem spiritualem, totumq. illud, quod oculis non videtur, sed mente plus cernitur. Non habens hæc intus, non suffert minas. Quãdo ei dictum fuerit ab aliquo potente, dic hoc verbum contra inimicum meum, dic falsum testimonium, vt ego quem volo, opprimam, & domem, forte tentat. Non facio, non mihi adduco peccatum. Tantum negat quousque diues minari incipiat. Sed quia pauper est, non suffert minas. Pauper est, non habet diuitias interiores, vt omnes minas sæculi contemnat.

21 Lib. 7. Mor. to. 2. GREGORIVS explicãs illa verba; Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, Iob 6. inquit. Omne quod inuoluitur in semetipsum replicatur. Et sunt nonnulli, qui seducentibus vitijs obuiare quasi tota intentione deliberant, sed irruente tentationis articulo, in deliberationis proposito non perdurant. Alius namque prauo vsu superbiæ inflatus, cum magna esse præmia humilitatis considerat, aduersum semetipsum se erigit, & quasi tumorẽ turgidi fastus deponit, exhibere se quibuslibet cõtumelijs humilem promittit. Sed cum repente hunc vnius iniuria verbi pulsauerit, ad cõsuetam protinus elationem redit, sicq. ad tumorẽ ducitur, vt nequaquã, quia humilitatis bonum concupierat, recordetur. Alius auaritia æstuãs augendis facultatibus anhelat, is cum præterire omnia velociter conspicit, vagantem per concupiscentias mentem figit, decernit iam nihil appetere, & adepta tantummodo sub magni moderaminis freno posidere. sed cum repente fuerint oculis oblata, quæ placeant, in ambitione protinus mens anhelat, & oblita continentia, quam secum pepigerat, cogitationum se stimulis per desideria acquisitionis inquietat. Alius luxuriæ tabe polluitur, & lõga iam consuetudine captus tenetur, quanta autem castitatis sit munditia conspicit, & a carne vinci turpe deprehendit. Restringere ergo voluptatum fluxa deliberat, sed vel obiecta oculis specie, vel ad memoriam reducta, 22 cum subiecta tentatione concutitur, protinus a pristina præparatione dissipatur. Alius vero iracundiæ flammis accenditur, eiusq. stimulis ad inferendas proximis contumelias effrenatur, cum vero nulla furoris animam occasio pulsat, quanta sit mansuetudinis virtus, quanta patientiæ altitudo considerat, seq. etiã contra contumelias patienter parat, sed cum parua quælibet commonitionis occasio nascitur, repente ad voces, & contumelias medullitus inflammatur. Cumq. furori plene satisfecerit, quasi post exercitium in tranquillitatem reddit, & tunc se ad silentij claustra recolligit, cum linguæ, non patientia, sed procacitatis suę satisfactio frenum ponit. Vix igitur, vel sero post conuitia illata se cohibet, quia & a cursu sæpe spumantes equos, nõ præsidentis dextera, sed campi terminus coercet. Bene ergo de reprobis dicitur: Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, quia recta quidem deliberando appetunt, sed ad consueta semper mala replicantur, & quasi extra se tensi ad semetipsos per circuitum redeunt, qui bona quidem cupiunt, sed a malis nequaquam redeunt. Esse quippe humiles, sed tamen sine despectu, esse contenti proprijs, sed sine necessitate, esse casti, sed sine maceratione carnis, esse patientes, sed sine contumelijs volunt, cumq. adipisci virtutes quærunt,

quærũt, sed labores virtutũ fugiunt, quid aliud quã exhibere belli certamina in cãpo nesciũt, & triũphare in vrbibus de bello concupiscunt.

23 Lib. 12. Moralium. ca. 22. IDEM exponens verba illa Iob cap. 15. Tetendit aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus Deũ erecto collo, & pingui ceruice armatus est, dicit: Inter peccatores sunt nonnulli, qui etsi qua aliquando agere contra omnipotentis Dei iudicium nituntur, ipsa impossibilitate explendæ suæ voluntatis fracti ad semetipsos respiciunt, atque ad eum, quem contemnere voluerant, conuertuntur, & qui discedere longe poterant, si quod vellent implere valuissent, per hoc aliquando saluantur, quia quod nequiter voluerunt, implere nequiuerunt. Et sunt nonnulli, qui hoc quod peruerse contra Deum appetunt, iusto Dei iudicio implere nequius permittuntur. Et cum eos malitia accendit, potentia roborat, tanto iam semetipsos in errore cognoscere nequeũt, quanto in rebus affluentibus extra se semper per potentiam trahuntur. Hi sunt, qui contra Deum manum tendunt, hoc est in operatione praua despectis Dei iudicijs perseuerãt, & contra omnipotentem iniquus iste roboratur, quia prosperari in mala sua actione permittitur, quatenus & peruersa faciat, & tamen feliciter viuat. De quo adhuc subditur: Cucurrit aduersus Deum erecto collo. Erecto collo contra Deum currere, est ea, quæ creatori displicent, cum audacia perpetrare. Cucurrit, ideſt, in malo opere obstaculum de aduersitate non habuit. Et pingui ceruice armatus est. Pinguis ceruix est opulenta superbia, affluentibus rebus, quasi multis carnibus, fulta. Potens igitur iniquus pingui ceruice contra Deũ armatur, quia rebus temporalibus tumens contra præcepta veritatis, quasi de magnitudine carnis erigitur. Quid enim paupertas nisi quædam macies, & quid rerum abũdantia, nisi pinguedo est vitæ præsentis? Pingui ergo ceruice se contra Deũ erigit, qui tẽporalẽ abũdantiã in superbiam assumit? Operuit faciem eius crassitudo, quia desiderata terrenarum rerum abundantia oculos mentis præmit.

24 Lib. 20. Moralium. ca. 15. IDEM explicans illa verba Iob cap. 30. Et mandebãt herbas, & arborum cortices, sic habet: Quid per herbas, nisi tenera, ac terrę proxima bene inchoantium vita? Et quid per arborum cortices, nisi exteriora opera eorũ, qui iam sublimia appetũt, designãtur? Praui nãq; cum recta incipientes aspiciunt, aut ridendo, aut quasi consulẽdo contradicunt. Cum vero iam quosdã pensant ad summa proficere, quia eorum profectus funditus dissipare nequeunt, a quibusdã illos suis operibus diuertunt. Herbas itaq; eis, & arborum cortices mandere, est, vel studia bene inchoantium, vel operationes quorundã iam more arborum ad superiora tẽdentiũ pestiferis persuasionibus, quasi quibusdã malitiæ suę dentibus dissipare. Herbas mãdunt reprobi, cum infirmorum initia irridẽdo cõsumunt. Arborum quoque cortices mandunt, cũ manu peruersi consilij a vita recte credentium tegmen bonorũ operum subtrahunt. Hos autem, in quibusdam actibus velut arbores expoliant, illos vero velut herbas (quia despicientes trahũt) quasi quæ calcant comedũt. Quorundam iam fortitudinem in alta resurgẽtem ex parte demoliuntur, quorũdam vero teneritudinem adhuc in imis positã penitus conterunt. Dicatur igitur. Mandebant herbas, & arborum cortices, quia prauis irrisionibus, in nonnullis exteriora opera, in nonnullis autem per spem virentia corda dissipabant.

Peccatores obdurati, insensibiles, & stulti, nec prosperis, nec aduersis corrigũtur, quos Deus non punit in ipsorũ malum. Cap. XX.

DE re hac præter ea, quæ adnorauimus lib. 4. ca. 5. late, & in hoc lib. 14. cap. 7.

1 Hom. 13. in psal. 48. to. 1. BASILIVS exponens verba illa; Non videbit interitum, cum viderit sapientes moriẽtes, simul insipiẽs & stultus peribũt, inquit: Sapientes vocat eos de quibus Hieremias ait: Sapientes sunt, vt faciant mala bene autem facere nescierunt. Vel certe sapientes dicit discipulos principũ huius sæculi, qui abolentur, qui dicentes se esse sapientes stulti facti sunt, quoniam sapientia huius mundi stultitia est apud Deum. Quamobrẽ Iaco. 4. cum stultos reddat hęc sapientia, ideo astruit perditurum esse sapientiam sapientium, & reprobaturum prudentiam prudentum. Deinde ait: Simul insipiens, & stultus peribũt, & relinquent alienis diuitias suas, & sepulchra eorum domus illorum in æternum. Supra vno nomine generali sapiẽtes appellauit, quos nunc subdiuidens insipientes, & amentes vocat. Sapiẽtes, qui tales sunt secundum ipsorum opinionẽ stultos, & insipientes, dicit: Insipiens, dicitur, is qui priuatus prudentia minus solers est, aut perspicax ad obeũda communis vitę istius officia. Itaque eos vocat consuetudo prudentes, siue sapientes, qui incommoda, & noxia ab vtilibus in rebus humanæ vitæ discernere nouerint, iuxta id quod est in Euãgelio dictũ. Quia Lucæ 16. filij huius sęculi prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Non enim absolute prudẽtiores, sed secũdũ conuersationẽ, & cõsuetudinẽ vitę huius, qua in carne agitur. Hi nãq; dispẽsatores, aut villici iniquitatis dicũtur, quod prudẽter cõsulãt dispẽsandis suæ ipsorum vitæ cõmodis. Atqui demẽs, sine stultus dicitur, qui his destituitur, quorũ cognitio mentẽ hominis præcipue adornat, vt sunt Dei patris notitia, verbi incarnatio, & a Sãcto Spiritu illuminatio procedẽs, quã sane sẽsatã mẽtẽ habẽt, qui possũt cũ Paulo dicere: Nos mẽtẽ seu sẽsũ Christi habemus. Sed sacræ scripturę inualuit cõsuetudo, vt promiscue his vtatur verbis, & insipiens, & stultus ad vnũ cõem finẽ, hoc est, perditionẽ

Lucæ 12. demergunt. Vnde diuiti dictum est in Euangelio: Stulte hac nocte auferēt animā tuam a te. Et apud prophetam Ephraim dicitur colūba insipiens, quæ Ægyptum inuocabat, & ad Assyrios ibat. Horum itaque domus, nēpe insipientis ac stulti, sepulchra sunt in æternum. Horū corpora sepulchra sunt, in quibus animæ peccatis præmortuæ peccatis sepultæ sunt. Mortuus nāq; ratione peccati, non in domo, sed in sepulchro ob animam mortuam habitat.

Infra: Homo cum in honore esset non intellexit, cōparatus est iumentis insipientibus, similis factus est illis. Nunc quidem, dum perinde ac equus vsque ad insaniam deperit fœminas, vxori adhinniens proximi, nūc rursus quasi lupus rapax ex insidijs, dum appetit aliena, nonnumquā vulpis malitioſę astutiæ assimilatur, per dolum aduersus fratrem concinnatū. Fuit reuera exuperans quædam magnitudo amentiæ istius, & pecuinæ absurditatis a ratione prorsus abhorrentis, quod ne senserit quidem initio suæ creationis ad imaginem sui conditoris factum se esse, & neque cogitarit, quot quantaque in sui vnius gratiam dispensata sint mysteria.

2 In hac ipsa homilia. IDEM exponens verba illa; Hæc via illorum scandalum ipsis, sic habet: Qui omnia nostra moderatur, ac dispensat Deus nobis per malitiæ viam incedentibus occurrit, offendicula obijciens, quæ nos a peccato remorentur, & abarceant, vt a vita pecuina, & rationis expertę auocati, postea in ore nostro complaceamus corde credentes ad iustitiam, & ore confitentes ad salutem. Persecutor erat Paulus, depopulabatur, ac vastabat Christi Ecclesiam, prono ad explēdam iniquitatem cursu vires exercebat. Postea in ore suo complacuit, dum per synagogas annūtiaret, quoniam hic est Christus.

3 In c. 3. Malachię. to. 5. HIERONYMVS explicans illa verba; Inualuerūt super me verba vestra, dicit Dominus, & dixistis: Quid locuti sumus cōtra te, ait. In lectione septuaginta interpretū, sic scriptū est: In grauastis super me verba vestra, dicit Dominus: quia quando verba blasphemiæ dicūtur contra Dominū, ingrauata dicuntur. Etenim iuxta Zachariam, iniquitas sedet super talentum plumbi, & quod contra Deum dicitur, graui blasphemiarum mole deprimitur. Qui non intelligentes verba grauissima, & blasphemiam suam, interrogāt. Quid locuti sumus cōtra te? Nō cognoscētes mala quæ cōtra Deum perpetrant.

4 Lib. 2. in ca. 16. Pro. t. 8. IDEM exponens verbā illa; Qui attonitis oculis cogitat praua, mordens labia sua perficiet malum, sic dicit: Grauius est perficere malum, quàm facere. Non solum autem ille perficit malum, qui per membra sui corporis peruersum quid operatur, & noxium, verum etiā ille qui fixa intētione malum patrare disponit, Solent enim superbi indignantes labia mordere, solent attonitos habere oculos, & præsentia non videre, dum aliquandiu taciti sedula mente pertractant. Vnde datur conijci, quòd attonitis oculis praua cogitare dicat eum, qui sic mala quæ facit, inquirit, vt, quę se in futurū retributio malorū operum sequatur, non videat.

5 Lib. 1. offic. ca. 15. to. 4. AMBROSIVS dicit: Dubitatur, cur peccatores abundent opibus, & diuitijs, epulēturque iugiter sine mærore, sine luctu, iusti autem egeant, & afficiātur, aut coniugum amissione, aut liberorum. Quibus satisfacere debuit illa Euāgelij parabola: Quòd dives byssō, & purpura induebatur, & epulas copiosas exhibebat quotidie, pauper autē plenus vlceribus de mēsa eius colligebat reliquias. Post obitum vero vtriusq; pauper erat in sinu Abrahæ requiem habens, dives in supplicijs. Nonne euidens est, meritorum, aut premia aut supplicia post mortem manere? Et recte, quia in certamine labor est, post certamen, alijs victoria, alijs ignominia. Nunquid priusquā cursus conficiatur, palma cuiquam datur, aut defertur corona? Merito Paulus: Bonum, inquit, certamen certaui, cursum consumaui, fidem seruaui, de reliquo repositа est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dñus in illa die iustus iudex. In illa die inquit, non hic reddet. Hic autē in laboribus in periculis in naufragijs, quasi athleta bonus decertabat, quoniā sciebat quoniā per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei. Ergo non potest quis premium accipere, nisi legitime certauerit. Nec est gloriosa victoria, nisi vbi fuerint laboriosa certamina.

Lucæ 16. 2. Tim. 4

6 Vbi supra cap. 16. IDEM ait: Dices, cur impij lætantur? cur luxuriantur? cur etiam ipsi non mecum laborant? Quoniam, qui non subscripserint ad coronam, non tenentur ad laborem certaminis. Qui in stadium non descenderint, non se perfundūt oleo, non obliniunt puluere. Quos manet gloria, expectat injuria. Vnguentati spectare solēt, nō decertare, non Solem, æstus, puluerem, imbresq. perpeti. Dicant ergo & ipsis athletæ, venite, nobiscum laborate. Sed respōdebūt spectatores, nos hic interim de vobis iudicamus, vos autem sine nobis coronæ (si viceritis) gloriam vendicabitis. Isti igitur, qui in delitijs, qui in luxuria, rapinis, quæstibus, honoribus studia posuerunt sua, spectatores magis, quàm præliatores sunt. Habent lucrum laboris, fructum virtutis non habent. Fouent otiū astutia, & improbitate aggerant diuitiarum aceruos, sed exoluent (ferām licet) nequitiæ suæ pœnam. Horum requies in inferno, tua vero in cælo. Horum domus in sepulchro, tua in paradiso. Vnde pulchre vigilare eos in tumulo Iob dixit, quia sopore quietis habere non possunt, quem ille dormiunt, qui resurrexit. Noli igitur, vt paruulus sapere, vt paruulus loqui, vt paruulus cogitare, vt paruulus vendicare ea, quæ sunt posterioris ætatis. Perfectorum est corona. Infra: Qua causa ille dies fuerit, qui erat improbus, & raptor alieni, qua causa potens alius, qua causa ille abundauerit liberis, ille fultus honoribus, reuelabitur. Fortasse, vt dicatur raptori, dies eras, qua causa aliena rapiebas? Egestas non compulit, egestas non coegit. Nonne ideo te diuitem feci, vt excusationem habere non possis? Dicatur etiam

Iob 21.

7

etiam potenti, cur non affuisti viduæ, orphanis quoq; iniuriam patientibus? Numquid tu infirmus eras? Numquid non poteras subuenire? ideo te feci potentem, vt non inferres violentiam, sed repelleres. Nonne tibi scriptum est: Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate? Dicatur etiam abundanti liberis: Honoribus cumulaui te, salubritatem corporis concessi tibi, cur non secutus es præcepta mea? Nonne ego tibi liberos dedi, honores contuli, salutem donaui? Cur me negabas? Cur tenebas dona mea, despiciebas mandata mea? Deniq; de Iuda proditore hæc colligere licet, qui & Apostolus inter duodecim electus est, & loculos pecuniarum, quas pauperibus erogaret, commissos habebat, ne videretur, aut quasi inhonorus, aut quasi egenus Dominum prodidisse. Et ideo vt iustificaretur in eo Dominus, hæc ei contulit, vt non quasi iniuria exasperatus, sed quasi præuaricatus gratiam, maiori esset offensæ obnoxius.

Psal. 81.

8 Libro 2. de Cain, & Abel. c. 10. IDEM exponens verba illa Genesis 4. Qui occiderit Cain septuplum punietur, sic habet. Qua ratione signū super Cain posuit Dominus, ne occidatur parricida, cum prospectū non fuerit, ne innocens occideretur. Nec tamen magna concedit Dominus, sed in eo ipso imprudentiam insipientis vlciscitur. Qui cum esset perpetuis supplicijs obnoxius, non remitti sibi pœnam popoſcit, sed vitam corporis huius obseruandam putauit, in qua plus ærumnæ est, quàm voluptatis. Mors enim vna est in secessione animæ, & corporis, & in fine istius vitæ. Quæ simul vt venit, omnes corporis dolores auferre, non augere consueuit. Metus vero, qui hanc vitā viuentibus frequenter ingruunt, mæstitiæ, dolores, gemitus, diuersiq. cruciatus grauitatum, & ægritudinum vulnera, plurimas etiam mortes generi humano inferunt, vt ista mors remedium esse videatur, non pœna. Non enim peremptoria est, per quam non adimitur vita, sed ad meliora transfertur. Nam si nocentes moriuntur, qui gradū a peccatis reuocare noluerunt, vel inuiti tamen finem non naturæ, sed culpæ adipiscuntur, ne plura delinquant, quibus vita fœnus est delictorum. Si autem bonæ spei compotes sunt, migrare magis, quàm

9 deficere credendi sunt. Inseritur hoc loco dogma de incorruptione animæ, quod ipsa vera, & beata vita sit, quam vnusquisque bene conscius viuit multo purius, ac beatius, cum huius carnis anima nostra deposuerit inuolucrum, & quodam carcere isto fuerit absoluta corporeo, in illum superiorem reuolans locum: vnde nostris infusa visceribus compassione corporis ingemuit, donec commissi gubernaculi munus impleret, vt carnis huius irrationabiles motus, rationabili ductu regeret, & coerceret. Redarguuntur itaque hoc in loco, qui vnicam hanc vitam putant esse, quæ sit in hoc sæculo, omnia plena lapsus, plena mæroris sunt, & redarguuntur simplici serie gestorū. Ecce enim iustus, innocens, pius, propter gratiam deuotionis odia fratris incurrens, immaturus ad-

huc æui sublatus est parricidio, & iniquus, sceleratus, impius, etiam fraterna cæde pollutus, longæuam duxit ætatem, duxit vxorem, posteritatem reliquit, vrbes condidit, & hoc meruit diuina permissione. Nonne in his aperte vox Dei clamat: Erratis, qui putatis hic esse omnem viuendi gratiam? Non intelligitis, non aduertitis senectutem hanc miseriarum esse veteranam, processionemq. ætatis, ærumnarum stipendia, circumsonari nos quotidianis naufragijs, tundi fluctibus, in scopulosis habitaculis degere, & in his delectari, sicut illud nō tam æternum animal, quàm immortale malum. Ergo & isti Cain longæuitas, indulta vindicta est, eo quod vixit metu, & prolixum spatium multo cucurrit, & infructuoso labore, qua pœna nihil grauius, quàm vt quis ipse malorum sibi causa pœnarum sit.

10 Lib. 3. de libero arbitrio. to. 1. Rom. 1. AVGVSTINVS sic habet; Commemorans Paulus philosophorum peccata, dixit: Dicentes esse sapientes, stulti facti sunt. Superbia autem auertit a sapientia. Auersionem autem stultitia consequitur. Stultitia quippe cæcitas quædam est, sicut dicit: Et obscuratum est insipiens cor eorum. Vnde autem hæc auersio, nisi dum ille, cui bonum est Deus, sibi ipse vult esse bonum suum, sicuti sibi est Deus? Itaque ad meipsum, inquit, anima mea cōturbata est.

11 Epist. 5. quę est ad Marcellinū. to. 1 IDEM dicit; Cui licentia iniquitatis eripitur, vtiliter vincitur. Quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impunitas, & mala voluntas velut hostis interior roboratur. Sed peruersa, & aduersa corda mortalium, felices res humanas putant, cum tectorum splendor attenditur, & labes non attenditur animorum, cum theatrorum moles extruuntur, & effodiuntur fundamenta virtutum, cum gloriosa est effusionis insania, & opera misericordiæ derident-

12 Epistola 87 quæ est ad Felicitatē, & Rusticū. tur, cum ex his quæ diuitibus abundant, luxuriantur histriones, & necessaria vix habēt pauperes. Hæc si Deus pollere permittat, tūc indignatur grauius. Hæc si impunita dimittat, tūc punit infestius. Cum vero euertit subsidium vitiorum, & copiosas libidines inopes reddit, misericorditer aduersatur. Misericorditer enim, si fieri posset, etiam bella gererentur a bonis, vt licentiosis cupiditatibus domitis hęc vitia perderentur, quę iusto imperio vel extirpari, vel deprimi debuerunt.

IDEM inquit; Quantū diligat Deus speratēs in se, & quid eis in posterum seruet, hinc maxime ostendit cum infidelibus, & desperatis, & peruersis, quibus in mala voluntate vsq; in finem perseuerantibus ignem cum diabolo æternum minitatur, in hoc tamen sæculo bona tanta largitur, qui facit solem suum oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos. Quam multa enim habeant impij in hac vita munera, & dona gratuita ab illo, quem contemnunt, enumerare quis poterit? Inter quæ illud magnum, quod exemplis interpositarum tribulationum, quas huius sæculi dulcedini tamquam bonus medicus miscet, admo-

net eos, si attendere velint fugere ab ira ventura, & cum in via sunt, ideſt, in hac vita, concordare cum ſermone Dei, quem ſibi aduerſarium habent male viuendo. Quid ergo non miſericorditer præſtatur hominibus a Domino Deo, a quo etiam tribulatio beneficium eſt? Nam res proſpera donum eſt conſolantis, res autem aduerſa donum eſt admonentis Dei.

13 Epiſt. 121. ad Probam de orando Deum. IDEM inquit; Nonnullis impatientibus Dominus Deus, quod petebant, conceſsit iratus, ſicut contra Apoſtolo negauit propitius. Nam legimus Iſraelitæ quid, & quomodo rogauerint, & acceperint, ſed expleta concupiſcentia, impatientia eſt grauiter caſtigata. Dedit & regem petentibus ſecundum cor eorum, ſicut ſcriptum eſt, non ſecundum cor ſuum.

Num. 11.

1. Reg. 8.

14 In Pſal. 9. to. 8. IDEM exponens verba illa; Conuertantur peccatores in infernum, ſic habet. Conuertantur, dentur in manus ſuas cum eis parcitur, & illaqueentur delectatione mortifera.

Rom. 1. Omnes gentes, quæ obliuiſcuntur Deum, quia cum non probauerunt Deum habere in notitia, dedit illos Deus in reprobum ſenſum. Quia non in finem obliuio erit pauperis, qui videtur nunc in obliuione eſſe, cum peccatores felicitate huius ſæculi florere exiſtimantur, & iuſti laborare. Sed patientia, inquit, pauperum non peribit in finem. Quapropter nunc patientia opus eſt ad perferendos malos, qui iam voluntatibus ſeparati ſunt, donec etiã vltimo iudicio ſeparentur. Deſpicis in opportunitatibus, in tribulationibus, ideſt, opportune deſpicis, & facis tribulationes ad inflammandos animos deſiderio aduentus tui. Infra: Quoniam exaceruauit Dominum peccator, ſecundum multitudinẽ iræ ſuæ non quæret. Nemo gratuletur homini, qui proſperatur in via ſua, cuius peccatis deeſt vltor, & adeſt laudator. Maior hæc ira Domini eſt. Irritauit Dominum peccator, vt iſta patiatur, ideſt, vt correptionis flagella non patiatur. Irritauit enim Dominum peccator: ſecundum multitudinem iræ ſuæ non exquiret. Multum iraſcitur Deus, dum non exquirit, dum quaſi obliuiſcitur, & non attendit peccata, & per fraudes, & ſcelera ad honores, diuitiaſq. peruenitur. Non eſt Deus in conſpectu eius, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Quamtam pœnam patitur, qui ſecundis rebus peccatorum ſuorum eo perducitur, vt non ſit Deus in conſpectu eius. Et contaminentur viæ eius in omni tempore, ideſt, cogitationes, & conſilia eius immunda ſint. Animus enim male ſibi conſcius, dum ſibi videtur nullam pœnam pati, credit quòd non iudicet Deus, & ſic auferuntur iudicia Dei a facie eius, cum hæc ipſa ſint magna damnatio.

15 Expoſ. 2. in Pſal. 26. IDEM ſic habet; Habemus hic felicitates diuerſas generis humani, & miſer quiſque dicitur, quando illi ſubtrahitur, quod amat. Vere autem felix eſt, non ſi habet, quod amat, ſed ſi id amat, quod amandum eſt. Multi enim miſeri ſunt, magis habendo, quod amãt, quàm carendo. Amando enim res noxias miſeri, habendo ſunt miſeriores, & propitius Deus, cum male amamus, negat, quod amamus, iratus autem dat amanti, quod male amat. Habes euidenter dicentem Apoſtolum: Tradidit illos Deus in concupiſcentias cordis eorum, in immunditias, vt contumelijs afficiant corpora ſua in ſemetipſis, eo quod commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm creatori. Dedit ergo quod amabant, ſed damnando. *Rom.* 1.

16 In Pſal. 48. IDEM explicans illa verba; Simul inſipiens, & ſtultus peribunt, dicit. Quis eſt inſipiens? Qui non intelligit in quo malo ſit. Tu vero intellige in quo malo ſis modo, & proſpice, vt in bonis ſis in poſterum. Intelligendo in quo malo ſis, non eris inſipiens, proſpiciendo tibi in futurum, non eris ſtultus, & imprudens.

17 In Pſal. 91. IDEM explicans verba illa; Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, ait. Non moueat iuſtum, quod qui faciunt mala in iſto ſæculo florent. Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes Dei. Vbi eſt cogitatio Dei? Ad præſens habenas laxat, ſed poſtea aſtringet. Noli gaudere ad piſcem, qui in eſca ſua exultat, nondum traxit hamum piſcator, nam iam ille hamum habet in faucibus, & quod tibi videtur longum, breue eſt, omnia cito tranſeunt. Quid eſt longa vita hominis ad æternitatem Dei? Vis eſſe longanimis? Vide æternitatem Dei, nam attendis ad dies tuos paucos, & diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? Vt damnentur omnes impij, & coronentur omnes pij. Iſtis diebus tuis vis hæc omnia impleri? Implet ea Deus in tempore ſuo. Quid enim dictum eſt de temporalibus? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius vt flos agri, fœnum aruit, & flos decidit. Omnia ergo areſcunt, & decidunt, verbum autem Domini manet in æternum. Dic ergo illis: Nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Si iam Chriſtianus es, & bene eruditus, dicis: Deus iudicio ſuo reſeruet omnia. Boni laborant, quia flagellantur, vt filij, mali exultant, quia damnantur, vt alieni. Duos filios habet homo, alterum caſtigat, alterum dimittit. Facit vnus male, & non corripitur a patre, alter mox, vt ſe mouerit colaphis cæditur, & flagellatur. Vnde ille dimittitur, & ille cæditur, niſi quia huic cæſo hereditas ſeruatur, ille autem dimiſſus exheredatus eſt? Videt eum non habere ſpem, & dimittit eum, vt faciat, quod vult. Puer autem, qui flagellatur, ſi cor non habuerit, & ſtultus fuerit, gratulatur fratri ſuo, qui non vapulat, & gemit de ſe, & dicit in corde ſuo: Tanta mala facit frater meus, quicquid vult facit contra præcepta patris mei, & nemo facit illi durum verbum, ego mox, vt me mouero, cædor. Stultus eſt, attendit quod patitur, & non attendit, quod illi ſeruetur. Ideo cum dixiſſet, & nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ, ſubiecit ſtatim: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc. Quæ ſunt, quæ non cognoſcit ſtultus? Cum exorti fuerint peccatores, ſicut fœnum. Quid eſt ſicut fœnum? Virent, cum hiems eſt, ſed æſtate areſcent. Attendis florem fœni, quid citius tranſit? Quid lucidius? quid viridius? Non te delectet viriditas ipſius, ſed time ariditatem eius. Tu autem altiſſimus in æternum es Domine. Expectans deſuper ex æternitate tua, quando tranſeat tempus iniquorum, & veniat tempus iuſtorum. Quoniam ecce inimici tui peribunt. Qui florent modo, poſtea peribunt. *Pſal.* 9.

19 Serm. 12. de verbis Domini ſecundum Matt. to. 10. IDEM ſic habet; Nihil eſt, quod ſic quiſque cogitare debeat, niſi, vt in ſemetipſum oculos conuertat, in ſe diſcat, ſe inſpiciat, ſe diſcutiat, ſe quærat, & ſe inueniat, & quod diſplicet necet, quod placet optet, & plantet. Bona vis habere, & bonus non vis eſſe. Non vides te erubeſcere debere de bonis tuis, ſi domus tua plena eſt bonis, & te habet malum? Quid eſt enim, quod velis habere malum, dic mihi? Nihil omnino. Non vxorem, non filium, non filiam, non ſeruum, non ancillam, non villam, non tunicam, poſtremo non caligam, & tamen vis habere malam vitam. Rogo te præpone vitam tuam caligæ tuæ. Omnia quæ circa iacent oculis tuis elegantia, & pulchra, chara tibi ſunt, & tibi ipſe vilis es, & fœdus. Si tibi poſſent reſpondere bona, quibus eſt plena domus tua, quæ habere optaſti, quæ perdere timuiſti, nonne & tibi clamarent, ſicut tu nos bona vis habere, ſic & nos volumus bonum habere dominum? Tacita voce interpellant contra te Dominum tuum, ecce bona tua tanta dediſti huic, & ipſe malus eſt. Quid ei prodeſt, quod habet, quando eum, qui omnia dedit, non habet.

20 Serm. 37. de verbis Domini in Euang. ſecundum Lucã. IDEM ſic habet; Sæculi lætitia, eſt impunita nequitia. Luxurientur homines, fornicentur, ebrioſitate ingurgitentur, tupitudine fœdentur, nihil mali patiantur, & videte ſæculi gaudium. Iſta mala, quæ commemoraui, non caſtiget fames, non aliquis timor, non morbus, non vlla aduerſitas, ſed ſint omnia in rerum abundantia, in pace carnis, in ſecuritate malæ mentis, ecce vide ſæculi gaudium. Magnæ miſericordiæ eſt nequitiæ impunitatem non relinquere, & ne cogatur in extremo gehennæ damnare, modo flagello dignatur caſtigare. Nam vis noſſe, nulla pœna quanta ſit pœna, non tamen iuſto, ſed peccatori, cui eſt temporalis pœna, ne ſuccedat æterna. Vis ergo noſſe, nulla pœna, quanta ſit pœna? Pſalmum interroga: Irritauit Dominum peccator. Exclamauit vehementer, attendit, conſiderauit, exclamauit, irritauit Dominum peccator. Quare obſecro? Quid vidiſti? Qui autem hoc exclamauit vidit peccatorem impune luxuriantem, male facientem, bonis abundantem, & exclamauit: Irritauit Dominum peccator. Quare hoc dixiſti? Quid enim vidiſti? Præ magnitudine iræ ſuæ non requiret. Intelligite fratres miſericordiam Dei, quando caſtigat mundum, non vult damnare mundum. Præ magnitudine iræ ſuæ non exquirit. Ideo non exquirit, quia multum iraſcitur. Magna eſt ira eius. Parcendo ſæuit, ſed iniuſte ſæuit. Si ergo aliquando ſæuit parcendo, bonum eſt nobis, vt ſubueniat caſtigando. Eſt ſæueritas, quaſi ſæua veritas.

21 Serm. 25. de verbis Apoſtoli Pauli. IDEM inquit; Dicamus impijs: Vbi ſunt deliciæ veſtræ, propter quas ambulatis per vias prauas? Non dicimus, vbi erunt, cum hæc vita tranſierit, ſed modo vbi ſunt? Cum heſternum diem hodiernus abſtulerit, & hodiernum craſtinus ablaturus ſit, quid eorum, quæ diligitis, non tranſcurrit, & tranſuolat? Quid non fugit pene antequam capitur, cum ex ipſo hodierno die nulla poſſit, vel hora retineri? Ita enim ſecunda excluditur a tertia, ſicut prima excluſa eſt a ſecunda, ipſius horæ vnius, quæ præſens videtur, nihil eſt præſens, omnes enim partes eius, & omnia momenta fugitiua ſunt. Propter quid peccat homo, ſi non cæcatur? Cum peccat, vel cum peccaret, attendat, poterat videre, quia voluptas tranſitura ſine prudentia deſideratur, vel cum tranſierit, cum pœnitentia cogitatur. Nos irridetis, quia ſperamus æterna, quæ non videmus, cum vos eis, quæ videntur, temporalibus ſubditi, neſciatis qualis vobis dies craſtina illuceſcat. Quam ſæpe bonum ſperantes, malum inuenitis, nec ſi bonus fuerit, eum ne fugiat, tenere poteritis. Nos irridetis, quia ſperamus æterna, quæ cum venerint, non tranſibunt, quia nec ipſa veniunt, ſed ſemper manent. Nos autem ad illa veniemus, cum per viam dominicam iſta, quæ tranſeunt, tranſierimus. A vobis vero temporalia nec ſperari aliquando deſinunt, & tamen crebro ſperata vos fallunt: nec ceſſant vos inflammare ventura, corrumpere venientia, torquere tranſeuntia. Nonne ipſa ſunt, quæ concupita inardeſcunt, adepta vileſcunt, amiſſa vaneſcunt? Vtimur eis & nos ſecundum peregrinationis noſtræ neceſsitatem, ſed non in eis gaudia noſtra figimus, ne illis labentibus ſubruamur. Vtimur enim hoc mundo, tamquam non vtentes, vt veniamus ad eum, qui fecit hunc mundum. Dicunt mali: Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Illi ſe adhuc cras dicunt morituros, veritas autem illos iam, cum iſta dicunt, inuenit mortuos. Cauete imitari eos, qui cras ſperando, moriuntur, & hodie bibendo, ſepeliuntur, ſed ſicut dicit Apoſtolus: Ne corrumpant bonos mores veſtros colloquia mala. *1. Cor.* 7. *1. Cor.* 15.

22

Pœni-

Pœnitentiæ vis, eiusq. effectus, & necessitas multiplex, & ingens, quam differre non debemus.

Cap. XXI.

1 Hom. 7. in c. 49. Gen. to. 1.

ORIGENES explicās benedictionem Iacob dictā Iudæ: Iuda te laudabunt fratres tui, manus tuæ in ceruicibus inimicorū tuorum, inquit. Iudas confessio interpretatur. Qui ergo pecc ata sua confessus pœnitentiam egerit, collaudatur a fratribus suis. Lætitia enim, & gaudium est angelis in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente. Ab ipsis ergo, tamquam a fratribus (vnius etenim patris, & filij sunt Angeli, & homines) collaudantur. Manus eius in ceruicibus inimicorum suorum: Qui enim ante exhibuerat membra sua seruire iniquitati ad iniquitatem, nunc ea exhibens seruire iustitiæ in sanctificationem, iam fugientium se inimicorum suorum, idest, dæmonum terga vexat, & cædit. Sic enim pugnat, nō quasi aerem cædens, sed dæmones fugans, quique ob nimios profectus, velut Dei iam in se participium habens, etiam adorari dicitur a filijs patris sui.

2 Homil. 9. in c. 16. & 17. Num.

IDEM sic habet; In Sodomis quidē, quando minus decem requirebantur, per quos vix, si forte reperti essent, saluari possent ij, qui habitabant Pentapolim Sodomorum: nunc autem etiā duo, si tamen inueniantur tales, qualis Moyses fuit, & Aaron sufficere possunt, vt gens Israelitarum tota saluetur. Quid ergo dicemus amplius esse in his duobus? Quæ tanta virtus, quod meritum, quo sexcenta millia, & eo amplius liberentur ab interitu vastatoris? Ego arbitror, quod in Moyse lex significetur, quæ docet homines scientiam, & amorem Dei; in Aaron supplicandi Deo, & obsecrandi eum forma consistat. Si ergo accidat aliquando indignari nobis, & iam vltionis sententia procedat a Deo, redeat autem lex Dei in cor nostrū commonens nos, & docens conuerti ad pœnitētiam, satisfacere pro delictis, supplicare pro culpis, cessabit continuo iracundia, indignatio conquiescet, propitiabitur quasi Moyse, & Aaron intercedentibus pro nobis. Si vero aliquādo oriatur indignatio Dei, & veniat pro peccatis nostris sæua correptio, indurentur autem corda nostra, ne conuertamur ad Dominum, neve humiliemur in conspectu eius, vt in confessione supplicationum motus eius, & iracundiam mitigemus, sed e cōtrario dicamus: Non est cura Deo de vita mortalium, nec pertinent hæc ad eum, reliquit nos olim, nec ad notitiam eius ista perueniunt. Si talia cogitemus in cordibus nostris, & hæc de ore nostro procedant, certum est non esse in nobis Moysen, & Aaron, legis scilicet scientiam, & fructus pœnitentiæ, per quos interitum imminentis exitij possumus euadere.

3 Homil. 2. in Psal. 38. to. 2.

IDEM explicans verba illa; Propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabescere fecisti sicut araneam animam eius, dicit. Talis est natura peccati, vt incrasset animam, sicut scriptum est: Incrassatum est cor populi huius. Sicut autem peccatum incrassescere facit, ita e contrario virtus subtilem animam reddit, omneque, quod in ea corporeum est, abstergit, & perimit, & purius eam incorpoream reddit, Quod autem crassescat, & vt ita dicam, carnea efficiatur anima peccatoris indicatur ex eo, quod scriptum est: Non permanebit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt. Carnem sine dubio nominat animas crassiores, & peccatrices. Si ergo incrassescat anima, vt efficiatur caro, quid remedij Deus pręparet, docet: In increpationibus, inquit, pro iniquitate erudisti hominem, & tabescere fecisti, sicut araneam animam eius. Est ergo opus Dei, vt tabescere faciat, & consumat omne quicquid est crassioris materiæ, quo circumdatur anima, vt extenuet, & elimet prudentiam carnis; & ita demum animam ad subtilem rerum cælestium, & inuisibilium reuocet intellectum. Talia quædam inuenimus sub sacramento non minimo apud Ezechielem prophetā designari, (Ezech. 24) cum in lebetem, vel cacabum carnes immitti dicūtur, & decoqui, & dicitur, quia coctæ sunt, & detabuerunt, vel decoctæ sunt carnes, & excoctum est ius. Scripta sunt hæc ijsdem sermonibus pro eo, quod lebetes, vel cacabi nos suscipient flammis succensi, in quos inijciemur nos, qui animas nostras incarnauimus, vel incrassauimus, si non prius, dum in hoc mundo sumus, præuenimus per pœnitentiam, vt tabescant carnes nostræ, & crassitudo animæ nostræ ad subtilitatem deducatur araneæ. Si hinc, adhuc carnes fuerimus ingressi, & mittemur in illos cacabos, qui succēduntur lignis, vel fœno, vel stipula, idest, operibus nostris, quæ super posuerimus fundamento Christi. Tale est illud (vt opinor) quod Hieremias dicit: Vidi, inquit, lebetem, vel cacabum ardentem, & facies eius a facie aquilonis. Vel iterum, cum virgam vidit nuceam. Requiramus ergo de ista sententia, quod propterea simul virgam ostendit, & cacabum igne succensum: vt si quidem disciplinam accipias per virgam, & emenderis pœnitentiam agens, cacabo non indigeas succenso. Si vero permanes indisciplinatus, & virga non emendaris pœnitens, & tali virga correptus, qualem dicit Paulus: Quid vultis, in virga veniam ad vos, an in charitate, & spiritu mansuetudinis? Si ergo tali virga non emendaris, in cacabum mitteris, & cacabus succendetur. Propterea ergo vidit Hieremias simul vtrumque, & virgam, & cacabum succensum, vt metuentes vtrumque, alterum videamus ex altero.

4 Homil. 1. in c. 6. Isaiæ.

IDEM exponens illa verba; In anno, quo mortuus est Ozias, vidi Dominum, &c. inquit. Quamdiu Ozias rex vixit, non potuit visionem videre Isaias propheta. Erat enim

Ozias

Ozias peccator, & faciens malum ante conspectum Domini, ingressus est templum, & sancta sanctorum, & ob hoc lepra perfusus in fronte est, ita vt extra ciuitatem vadens inter immundos computaretur. Talem igitur principem animæ oportet mori, vt visionem Dei videre possimus. Neque enim frustra scriptum est: Et factum est in anno, quo mortuus est Ozias rex, vidi Dominum. Vnicuiq; nostrum viuit Ozias, siue Pharao, & non suspiramus, Ægyptia opera facientes. Si autem moritur, tūc suspiramus, vt in Exodo scriptum est: Si Ozias viuit, non videmus gloriam Dei, si autem moritur, tunc videmus statim vt moritur Ozias gloriam Dei, hoc sit, vt regnet in nobis sermo (Psal. 2.) eius, qui dixit: Ego autem constitutus sum rex (Rom. 6.) ab eo. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore. Miserabilis ille homo, in quo peccatū regnat, qui tali se tradit regi, despiciens regnum Dei, & subijciens se voluptati. Propterea voluptatis amator non est amator Dei. (2. Tim. 3.) De quibus Paulus dicit: Amantes voluptatem magis quàm Deum, habētes quidem speciem pietatis, virtutem autē eius abnegantes. Quando homo conuertitur ad Deum, & agit pœnitentiam, tunc moritur Ozias, & videtur Deus sedens in solio eleuato, &c.

6 Hom. 12. in c. 17. Hier.

IDEM explicās verba illa; Peccatum Iuda scriptum est stylo ferreo, in vngue adamantino exaratum super latitudine cordis eorū, dicit. His verbis explicat Hieremias, quantæ sit difficultatis peccatorum remissio. Et etiā scriptum stylo ferreo in vngue adamantino dicitur, vt in die iudicij omnibus sit patens, & ab omnibus legatur, nisi virtute pœnitentiæ deleatur. Si enim attramento scriptum esset in anima peccantis, facile deleri posset. Quia autem in vngue adamantino est scriptum, sola pœnitentia, quæ efficacissimū est remedium, potest aboleri.

7 Hom. 13. inter varias huius tomi. to. 1.

BASILIVS docens baptismum differendum non esse, ac subinde nec pœnitentiam, dicit: Vide ne longiorem tibi vitam pollicendo spe decidas, nescis quid crastina sit aduectura, ne tibi quæ non tua sunt in tua putes esse potestate. Ad vitam te homo vocamus, quid vocationem fugis? Ad bonorum participationē inuitatus, quid Dominum tam egregium negligis? Regnum cælorum præparatur. Ipse, qui vocat minime fallax, via facilis, non tempore, non sumptu, non negotio tandem opus. Quid moraris? Iugum inquam bonum, ac leue est, minime obterens colla, non vincit, sed probat ceruicem sponte ferentem. Subde cor indomitum, sis Christi iumentum, ne ab hoc immunis iugo, neve inconcessam quærens vitæ libertatem a feris deprehendaris. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Mellis namque suauitas melius ignorantibus nunciari, quàm per degustationem, non poterit, quòd sensus omni sermone sit efficacior. Ad circuncisionem minus Iudæus cōpellitur, quoniam omnis anima, quæ die octaua non circūcidetur, de populo pelletur. Tu autem circuncisionem non manufactam, quæ per pœnitentiam in expoliatione carnis perficitur, differre quæris? Si non fueris per pœnitentiam complantatus similitudini mortis eius, quomodo resurrectionis socius eris? Nonne vides, quod 8
ligni viam gladius igneus custodit, infidelibus quidem formidandus, credentibus vero propitius, ac amœne coruscans? Et versatilem illū fecit Dominus, quando fidelem conspexerit, ensis terga ostendit, pœnitentia vero carentibus, os, aciemq. intentat. Helias currus, equosq. igneos minime expauit, verum itineris superni desiderio incensus contra formidolosa est ausus, ac hilaris, gaudensq. flāmantes ascendit currus, cum adhuc esset in carne. Tu vero igneos currus minime visurus, sed lotus lachrymis in cęlum penetrare potens, cunctaris, nec vocationi obtemperare maturas? Si aurum Ecclesia distribueret, non profecto (Simile.) diceres, Cras mittam, cras dabis, verum tuam sedulus portionem velociter peteres, differri autem ægreferres. Quoniam vero non materiæ alicuius fucum, sed animæ purgationem tibi rex munificus pollicetur, moras, excusationesq. nectis, impedimenta, causasq. affers. Debebas ad hoc donum accurrere. O rem admirandam! renouaris, nec conflaris, refingeris, & renouaris, nec contereris, curaris, & tamen hanc gratiam non expendis? Si enim ho- (Simile.) minum seruus esses, ac libertas omnibus proponeretur, nonne ad constitutum diem instructus venires, aduocatos pretio conductos, & iudices sollicitares, vt omni conatu libertatem reciperes? Quin alapam quoque, extremam seruorum plagam pro liberatione omnis in futurum infamię ac probri libenter subires. Postquam vero te seruum non hominum, sed peccati, ad libertatem præco vocat, vt te a seruitute soluat, & angelorum consortē, ciuemq. faciat, præterea Dei filium per gratiam factū cælestium heredem bonorum constituat, nondum esse tempus hæc bona excipiendi causaris? O iniquas excusationes! O infamem, va- 9
namq. occupationem! Quousque tandem voluptates, quousque vani affectus? Longo nimis tempore mundo viximus, reliquum vt & nobis ipsis viuamus. Quis fidelior tibi consiliarius, quàm Deus? quis bono vtilior? quis Creatore familiarior? O sermonem nefandum! sanari, curariq. non vacat, ne lucem mihi ostende, ne ad regem, regnumq. me ducas. Enimue- (Simile.) ro si publicis tributis obnoxius esses, debitorū autem remissio reis circumquaque nunciaretur, deinde quispiam te hoc publico munere priuare conaretur, doleres, clamaresque, communis gratiæ parte per iniuriam priuari. Postquam vero non solum præteritorum remissio, sed etiam futurorum dona palam proponuntur, non audis, sed ipse te lædis, quantum nec inimici forte læderent. Consultum ne tibi, ac vtiliter cogitatum existimas, si quis ius immunitatis tuum, ac huiuscemodi remissionem tibi abstulerit, ære quoque alieno te premi patiatur? Maxime cum scias, quod mille talen-

torum

torum forte debitor remissionis munus facile consequeris, nisi tu te tibi ex inhumanitate in proximum tuum gratiam abstuleris. Sciscitare aliquantulum conscientiam, ingredere in promptuarium animæ secretius, præteritorum memoriam apud te parumper excita. Si enim plura sunt peccata, multitudine ne terrearis. Vbi delictum abundauit, superabundabit & gratia, si eam receperis. Plus enim debenti plus remittitur, vt vehemẽtius amet. Si autem parua, nec admodũ læthalia fuerint delicta, quid de futuro sollicitaris, qui generose præterita dispositi, cum adhuc impius esses? Nunc vero tu te cõsidera, in examine, trutinaq. tuam esse positam animam hinc ab angelis, inde a dæmonibus abstrahi, meditare. Quibus cordis lancem inclinabis? Quid apud te vincet, carnis ne voluptas, an vitę sanctitas? Præsentium oblectatio, an futurorum desiderium? Iuuenis es? ætatem freno pœnitentiæ retine. Flos abest ætatis? vide ne senectutis viaticum desit, ne aciem & propugnaculum per inconsiderantiam, atque ignauiam amittas, neu de vndecima hora sicut de prima cogita. Quandoquidem, & illi, qui iam primum incipit viuere, morte ante oculos habere continuo est opus. Si quis medicus commentis, ac machinis quibusdam te iuuenem e sene reddere se receperit, ad eam profecto diem omni studio venire curares, in qua ætati floridæ te restituendum videres. At nunc cum anima tua, quam omni scelere contaminatam reddidisti, per pœnitentiam renouari nuncietur, tantum despicis beneficium, nec vltro properas, aut id pollicenti fis obuiam? Num non tanti muneris rem miram videre desideras? Quomodo vetus homo, ac secundum desideria erroris corruptus, rursus in pubertatem, ætatisq. florem reconcinnetur? Pœnitentia igitur est captiuorum & æris alieni remissio, peccati mors, animæ regeneratio, amictus splendens, cæli iter, regni cælestis reconciliatio, adoptionis gratia. Tantis itaque ac talibus bonis, miser, potiorem ducis voluptatem? Noui enim tuam cunctationem, atque pigritiam. Ipsa enim facta, etsi taces, contra clamant. Mitte, inquis, supersede, interim carne, ætatisq. flore abutar, in luto voluptatum porcorum more volutabor, manus sanguine fœdabo, alienum auferam, dolose ambulabo, peierabo, mẽtiar. Tunc denique cum satur ero malis desistam, ac pœnitebo. Si ergo res honesta est peccatum, hoc vsque ad extremum custodi. Si patranti turpis ac nocens, quid in eo perseueras, quod perniciosum est? Nullus enim bilẽ euomere quærens, maiorem eam ex mala intemperantique dieta reddere cogitabit. Corpus namque malis, grassantibusq. purgari humoribus, ne morbus conualescat, est opus. Videtur nauis aliquo vsque impositorum onera, & grauitatem ferre, si vero modus excedatur plus æquo grauata periclitabitur. Vide ne & tu similia patiaris, maiora continuo admittẽdo, quàm ea, quæ remittenda tibi per pœnitentiam promittebantur, & antequam sperãtum contingas portum, naufragium facias. Vide ne liberationis spe, malorum tibi aceruum congerens, peccatum quidem cumules, veniam autem non apprehendas. Cunctatio ad pœnitentiam nihil aliud clamare videtur, quam in me ante regnet peccatum, deinde aliquando regnet etiam Dominus. Adsint mihi membra iniustitiæ, & iniquitatis arma, deinde assumam aliquando etiã arma iustitię Deo. Sic & Cain sacrificia offerre solebat, primum quidem pro voluptate propria, deinde illius præbitori, ac Creatori Deo. Quando facultas ætasq. viget, te libidinibus tradis. Quando vero membra languent, tunc Deo potissimũ offerre studes, cum scilicet ob ingruentem, & inualidam senectam his vti non amplius licet, quo maxime tempore pudicitia seu temperantia vocari non potest, sed lasciuiendi potius & luxuriandi adempta facultas. Mortuus enim minime coronatur: nec iustus aliquis dicitur, cui malefacere non licet. Dum itaque potestas adest, dum corpus valet, dum ratio viget, peccato dominare. Si ætate prohibitus a peccato desistis, debilitati gratias agẽdum. Optione, non necessitate bonos laudamus. Quis tibi vitæ terminum fixit? quis senectutis meram terminauit? quis apud te tam fidedignus futurorum sponsor? Non vides pueros sæpenumero ab vbere raptos, non ætati floridos mori vides? Nullum certum terminum habet hæc vita. Quid expectas beneficio febris pœnitere, quando nec salutaria verba loqui, nec item audire commode poteris, morbo caput occupante? Non manus in cælum tollere, non in pedes erigi, non genua adorando flectere, non commode doceri, non secure, ac libere confiteri, non cum Deo conuenire, non cum aduersario decertare, dubitantibus etiam præsentibus, num gratiam sentias, an sine sensu, quæ agantur accipias. Chananæam imitare, qui habes animam immundo spiritu occupatam. Magnus enim dæmon, peccatum. Qui dæmonium patitur, miseri cordiam inuenit, qui autem peccat odium sibi contrahit. Itaque quamuis extra gratiam sis, clama, dic, miserere mei, non labia mouendo, sed mente vocem emittens. Vbi prompta voluntas, nihil est quod impediat. Qui vocat, benignus, qui ministrat, paratissimus: gratia abunde expolita, modo impedimentum cesset. Vnus est prohibens, qui nobis ad salutem obstruit viam. Ille inquam, torporem, ac desperationem nobis injicit, nos ad opus sanctũ exurgamus. Ille vana spe corda nostra deludit. An non hodie peccare, cras vero iuste agere, pietatẽ differre nos cohortatur? Idcirco Dominus, eius occurrẽs insidijs, Hodie, inquit, si vocem meã audieritis, nolite obdurare corda vestra. Ille vero ait: Mihi hodie, cras Deo. Dominus contra. Hodie vocem meã audite. Nosce obsecro inimici dolos, vt omnino statimq. a Deo auertaris, consulere non audet. Nouit enim hoc graue admodum Christianis.

Verum

Verum artibus insidiosis aggreditur. Serpens est, & ad decipiendum argutus. Intelligit enim quemadmodum nos homines præsens libenter recipimus tempus, omnisq. actio humana in præsens cõtendit, atque spectat. Quamobrem hodiernum tempus nobis furatur astute, & spem facit crastini. Postquam crastinum venerit, rursus malus diuisor sibi hodiernum, crastinum vero Domino dari petit. Sic continuo diem de die trahens, voluptate præsenti, & spe frugis nostram subducit latenter vitam. Certa pro incertis relinque spem firmam ne vana commutes. Vide ne te tuorum consiliorum pigeat, cum te sera nihilq. tibi profutura pœnitentia ceperit. Disce prudentiam virginum exemplo. Illę oleum in vasis non habentes quãdo sponso ire obuiam oportuit, tunc necessaria deficere senserunt, ideo fatuas eas Euangelium vocat, quoniam dum tempus ferendi erat olei, id prodigendo comedendoq. absumentes extra fores sunt eiectæ, ac a sponsi pulchritudine prohibitæ. Ne igitur, & tu frater annum de anno, mensem de mẽse, diẽ de die trahas, & oleũ luminis nutrimẽtum negligens in diem, quam non expectas, quandoq. incidas, ac te benefaciendi occasio vita deficiente destituat, & morbo præualente in animi angustia constitutus a medicis domesticisq. deseraris. Quando inquam extrema erit anxietas, febrisq. ardore vi scera adurentur, dolebis miser, dolebis corde penitiore, nec habebis, qui condoleat, sed tantum tacito, inexplicatoq. murmure mussitabis, apud te dicens, quàm contempta est mea stultitia. Quis stupidum ac lęthali somno oppressum admonebit? Propinqui? At hi mœrebunt. Alieni? At hi despicient. Amici? At hi talia memorando te turbare verebuntur. Scilicet, & medicus decipiet, nec tu vitam omnino desperabis, cum natura maxime omnibus desideretur. Mors irruet, te rapientes statim aduolabunt. Quis liberabit? Deus tibi despectus. At inquis, me tunc exaudiet: tu vero nũc non ipsum audis. Ne miser decipiaris, nemo te inanibus seducat verbis, aderit tibi repentinum exitium, ac interitus similis procellæ te euertet. Veniet angelus tristis per vim tuam rapiens tot peccatis irretitam animam, teq. demum magnopere cruciatum, & absque voce querentem, præcluso lamentis vocis organo, ad nigra tartara deducet. Heu quantum te ipsum afflictabis, quantum præteritorum pœnitentia consiliorum suspirabis! Me miserum dices, cur peccatorum grauissimam hanc sarcinam, cum licuerit, ac tam facile fuerit, non abieci? Me miserum qui hasce peccatorum sordes non ablui, quot peccatis sum commaculatus! O praua mea consilia! Ob breuem peccati voluptatem in æternum crucior? Ob carnis modicas delicias æterno tradar igni? O iustum Dei iudicium! vocatus eram, nec audiebam, docebar, nec attendebam. Homo si gehennam metuis, si regnum affectas, ne vocationem sperne, ne vanas innecte causas, ad excusationem nulla idonea causa, nulla ratio. In titulo huius concionis sic habet: Interpres exhortatio ad baptismum, quæ & ad pœnitentiã quadrare videtur.

IDEM sic habet: Nolumus eum qui deliquit, peccato spe pœnitentiæ immorari, sed magis iacentem erigere studebimus. Pœnitentiæ expectatio iacentem surgere, & amplius non delinquere hortatur. Infra: Non est subuersa Niniue, quia pœnitentiam egit. Quis magis impius quam Achab, sed lata sententia saccũ induit, maiestatem exuit, & pepercit illi Deus. Manasses qui in templo Dei quadriformia collocauit idola, vt necesse esset cuiuis vn delibet templum ingresso ante idola procumbere, vbi pœnitentiam egit a captiuitate reuocatus est. Cuius gratia gaudent, qui in cælis sunt? Vnius peccatoris, inquit, pœnitentis gratia Angeli lętantur. Deus illum, cum gaudio complectitur. Cępit filius prodigus pœnitere, properauit ad patrẽ, & dixit, Peccaui in cælum, & coram te: & statim filium pœnitentẽ complectitur.

IDEM dicit: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur a nuptijs, vt cum venerit, & pulsauerit confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes &c. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. De temporibus autem, & momentis fratres non indigetis, vt scribamus vobis. Ipsi diligenter scitis, quod dies Domini, sicut fur in nocte, ita venit. Et paulo inferius. Igitur non dormiamus, sicut ceteri, sed vigilemus, & sobrij simus.

IDEM inquit: Si qua spes igitur salutis tibi reliqua est, si qua vel modica Dei recordatio, si quod futurorum bonorum desiderium, si quis metus suppliciorum, quę in pœnitentibus posita sunt, resipisce velociter. Leua oculos tuos ad cælum. Redi ad mali conscientiam. Cessa a malitia tua. Excute, qua circumfusus es, ebrietatẽ. Obluctare ei a quo prostratus es. Erigere fortiter ex humo. Recordare boni pastoris, qui te insequitur, vt velut e lupi faucibus eruat. Etiam si duo tãtum crura, aut auriculæ portio supersint, resili ab eo qui te vulnerauit. Memor esto miserationum Dei, quod ille vino, & oleo medeatur. Ne desperes salutem. Resume memoriam eorum, quæ scripta sunt. Quoniam qui cecidit, inquit, resurget, & qui auersus est, reuertetur, qui percussus est curabitur, qui captus est a bestia victor euadet. Qui commissum fatetur, non abijcitur. Non vult enim ita Deus mortem peccatoris, quemadmodum, vt conuertantur, & viuat. Ne tamquam in malorum profundum delapsus contempseris. Tempus adhuc est patientiæ diuinæ, tempus lenitatis, tempus curationis, tẽpus correptionis. Lapsus es? Exurge. Peccasti? quiesce. Ne stes in via peccatorum, sed resili. Quamprimum enim conuersus ingemueris, seruaberis. Noli rationibus humanis impeditus reditum ad me detrectare. Ne diffidas.

Recogita

Recogita dies antiquos, est adhuc salus, est correctio. Confide, ne despera. Nondum occlusæ sunt ianuæ: audit sponsus. Ne dominetur peccatum. Ad pugnam redi, ne moram nectas.

18 CHRYSOSTOMVS docens pœnitentiam non differendam, ait: Erit tempus, quando nihil proficiet nostra correptio. Licet innumera deliquerimus, possibile tamen est, vt reparemur, quando adhuc hic sumus. Et senex quidem recogitet, quod paruo post tempore hinc emigraturus sit, quando satis per ætatem suam delitijs vacarit. Recogitet, quod possit in breui hoc tempore hoc totum abluere. Item adolescens expendat etiam ipse quam incerta mors, & quod sepe adolescētes ante senes mortui sunt. Nam, vt ne mortem nostram difficiliorem faciamus, incerta relicta est, vnde & sapiens quis admonet dicens: Ne moreris conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diē, nescis quid paritura sit superuentura dies, periculum enim & metus est in differendo, salus vero certa, ac secura, si nulla sit dilatio. Virtutem igitur cole: sic enim licet iuuenis moriare, secure discesseris. Quod si ad senectutem peruueneris, cum multa abundantia salutem habiturus es, duplicemq. festiuitatem, nempe abstinens a vitæ malitia, & virtutem colens. Ne dicas, erit aliquando tempus quando conuerti licebit. Verba enim hæc Deū valde exasperant. Cur nam, cum ipse tibi infinita sæcula promisit, tu in præsenti vita laborare non vis, quæ parua, & momentanea est, sed sic marcidus ac dissolutus agis, quasi hac breuiorem aliam quandam inquiras? Multi cum iam alijs damnum fraudulenter facerent subito perierunt, & ad manifestum iudicium abierunt. Sed multis, inquit, dedit Deus priuilegium, vt in vltima senectute confiterentur. Quid igitur? Nunquid & tibi dabit? Fortasse dabit, inquit: Cur dicis forrasse? Contigit aliquoties? Cogita quod de anima deliberas, proinde etiā de contrario cogita, & dic: Quid autem si non det? Quid autem, si det, inquit? Det quidē ipse, veruntamen hoc illo certius, & vtilius. Nā si iam cœperis, totum lucrifeceris, siue priuilegium assequare, siue non assequare. Tu autem in bellum egressus non dicis, Non est opus, vt de rebus meis disponam, fortasis redibo. Neque de nuptijs deliberās dicis, Accipiam vxorem pauperem, multi enim & sic prēter spem ditati sunt. Neque domum extruēs, Subijciam fundamēta putrida, multæ enim, & consistentūt domus sic ædificatæ. De anima autem agens apprehendis magis putrida dicens: fortasis & sæpius euenit, & contingit aliquādo, teq. incertis tradis. Incertum quidem est, inquit, sed fido Dei misericordiæ, misericors enim est Deus. Scio & ego, sed misericors ille Deus & illos de quibus dixi hinc abstulit. Quid autem si etiam multum temporis acceperis, & similiter idem manseris? Qui enim talis, etiam in senectute segnis erit. Nam quæ est illa ratiocinatio, etiā post octoginta annos nonaginta inquirere, & post nonaginta centum, & post centum negligentior eris, sicq. vita omnis frustra consumetur, & euenient etiam tibi ea quæ de Iudæis dicta sunt, Quòd defecerint in vanitate dies eorum, & vtinam in vanitate solum, & non in malitia.

Hom. 22. in ep. 2. Pauli ad Cor. t. 4.

Eccls. 5.

19

IDEM exponens verba illa; Accedamus, cum fiducia ad thronum gratiæ, vt accipiamus gratiam, & misericordiam in opportuno auxilio, dicit: Sedes gratiæ est in qua Deus nunc sedet, non sedes iudicij: vt inueniamus gratiā in auxilio opportuno, benedixit in opportuno auxilio: si enim nunc, inquit, accedas, accipies & gratiam, & misericordiam, opportune quippe accedes. Si autem tunc accesseris, nequaquam, intempestiua quippe erit accessio tunc. Non enim erit tunc sedes gratiæ. Vsque tunc sedebit rex gratiam largiens, cum autem venerit finis, tunc surget ad iudicium. Exurge, inquit, Deus, iudica terram. Accedamus cum fiducia, scriptum est enim. Tempore opportuno exaudiui te, & in die salutis auxiui te. Modo tempus est donorum, nemo de se ipso desperet: tunc est desperationis tempus, cum thalamus fuerit clausus, cum intrauerit rex videre discumbentes.

20 Ho. 7. in c. 4. ep. ad Hebræos.

Psal. 73. Isa. 49.

21 Ho. 5. ad populū Antiochenū. to. 5.

IDEM inquit: Niniuitarum laudans pœnitentiam sententia postquam lata fuit, tunc inualida facta est. Ex contrario sæculariter iudicantium. Apud hos enim si causa in mediū profertur, rata fit sententia. In Deo autem contrarium proferri sententiam eam inualidā facit: Nisi enim prolata fuisset, non vtique peccatores audissent, neque egissent pœnitentiam, sine pœnitentia vero pœnam non repulissent, nec fuissent illa salute potiti. Quomodo enim non mirabile, quod quando Iudex sententiam tulerit, per pœnitentiam rei sententiam soluerunt? Non enim vrbem fugerunt, sed manentes sententiam repressere, discedens vnusquisque a via sua mala.

22 Ho. 22. quæ est de pœn.

IDEM ait; Non sic insanus amator dilectam suam amat, vt Deus pœnitentem animā. Athleta sepe lapsus postea victor effectus est. Et miles vulneratus, & curatus circa finem non vulneratis probatior apparuit. Mercatorum multi ad inopiam redacti rursus effecti sunt diuites, & naufragium passi rursum post naufragium negotiati reuixerunt. Nunquid enim nobis Deus ignem parauit? Non sed diabolo, & angelis eius. Tantum ne nobis ipsis ignem accendamus. Infra: Habes puteum, ex cordis profundo tristitiam hauri, geminas commoue pupillas, & lachrymarum profunde fluenta, secundum peccatorum proportionem sit tibi lachryma. Si magnus est lapsus tuus, maior sit lachrymarum tuarum torrens. Vnde peccatum processit, oriatur fons medicinæ. Vbi peccatum, illic fiat, & solutio. Ne hic sit peccatum, & in cælo pœnitentia. Infra: Si conuersi non fueritis, Deus gladium suum vibrauit. Interim non cædit, vibrat tantum, vt splendorem conspicatus, & territus, ad pœnam non perueniās.

Matt. 25.

Non

Non cædit gladius, sed terret, vt ipsius timor ad pœnitentiam te suscitet. Arcum suum tetendit, & parauit illum. Tetendit, non immisit sagittam, vt te forma terreat.

23 In epi. 6. ad Theodorū monac.

IDEM dicit; Ne quæso, ne vsque adeo in expugnatione tui, ac læsione permaneas. Vt autem satis durum videtur, ac barbarum his, qui deuoluti fuerint ad profundum imi gurgitis cœnum, si tamen casus prioris crimina emendent, salutare correctis remedium denegare, ita rursus haud tutum est hac spe hominem vitia nutrire, vt dicat, datio post ista succurrit, nunc interim voluptatibus vitæ istius fruar, postea autem per exigui temporis castitatem mercedes transactorum quoque adipiscar annorum. Memini namque te sæpe dixisse his, qui in studijs tibi sæcularibus posito tam pernicioſa suadebant, etiamsi in isto, aiebas, breuis temporis spatio bonum terminum vitæ minime fuero consecutus, quemadmodum ad illum ipse qui dixit: Nolo differas conuerti ad Deum, neque diem ex die protrahas, nescis enim quid pariat superuētura dies. Huius animi, huiusq. consilij recipe, ac recordare obsecrationem, & constringe vinculis furem. Hoc enim nomine excessum de hoc sæculo nostrum Christus appellat, quod ignorantibus veniat, & nescientibus nobis repentinus assistat.

Eccli. 5.

Matt. 24. Luc. 12. et 1. Thess. 5.

24 Ep. 30. quæ est ad Oceanū, epitaphi Fabiolæ, to. 1.

HIERONYMVS sic habet; Fabiola, quia persuaserat sibi, & putabat a se virum iure dimissum per diuortium Ecclesiæ, nec Euangelij vigorem nouerat. Vnde transiuit ad secundas nuptias, & dum multa diaboli vitat vulnera, vnum incauta vulnus accepit. Post mortem secundi viri in semet reuersa, quo tempore solent viduæ negligentes iugo seruitutis excusso agere se liberius, adire balnea, volitare per plateas, vultus circumferre meretricis, saccum indueret, vt errorem publice fateretur, & tota vrbe spectante Romana, ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine pœnitentium, Episcopo, presbyteris, & omni populo collachrymantibus, sparsum crinem, ora lurida, & squalidas manus sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? Quas inueteratas maculas hæc lamenta non abluant? Petrus trinam negationem trina confessione deleuit, Aaron sacrilegium, & conflatum ex auro vituli caput, fraternæ correxere preces. Dauid sancti, & mansuetissimi viri homicidium pariter, & adulterium, septem dierum emendabat fames. Iacebat in terra, volutabatur in cinere, & oblitus regiæ potestatis lumen quærebat in tenebris. Illumq. tantum respiciens, quem offenderat, lachrymabili voce dicebat: Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Et: Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Quē tam impiū legimus inter reges, quàm Achab, de quo sacra Scriptura dicit: Non fuit alius talis vt Achab, qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Domini? Hic cum propter sanguinem Naboth correptus fuisset ab Helia, & audisset iram Domini per prophetam: Occidisti insuper, & possedisti, & ecce ego inducam super te malum, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnem suam, ieiunabatq. in sacco, & ambulabat demisso capite. Tunc factus est sermo Domini ad Heliam Thesbitem dicens: Nonne vidisti Achab humiliatum coram me? Quia ergo humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius. O felix pœnitentia, quæ ad se Dei trahit oculos, quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutauit. Hoc idem & Manassem in Paralipomenon, & Niniuem fecisse legimus in propheta, & publicanum in Euangelio. E quibus primus non solum indulgentiam, sed & regnum percipere meruit. Alter impendentem Dei fregit iram. Tertius pectus verberans pugnis, oculos non leuabat ad cælum. Et multo iustificatior recessit publicanus humili confessione vitiorum, quàm pharisæus superba iactatione virtutum. Non est loci huius, vt pœnitentiam prædicem, & quasi contra Montanum, Nouatumq. scribens dicam, illam hostiam Domino esse placabilem, & sacrificium Deo spiritum contribulatum. Et malo pœnitentiam peccatoris, quàm mortem. Hoc vnum loquar, quod Fabiola non est confusa Dominum in terris, & ille eam non confundetur in cælo. Aperuit cunctis vulnus suum, & decolorem in corpore, cicatricem flens Roma conspexit. Dissuta habuit latera, nudum caput, clausum os (vt quondam leprosi.) Non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysi separata consedit, vt quam sacerdos eiecerat, ipse reuocaret. Descendit de solio deliciarum suarum, accepit molam, fecit farinam, & discalciatis pedibus transiuit fluenta lachrymarum. Sedit super carbones ignis. Hi ei fuere in adiutorium. Faciem, per quam secūdo viro placuerat, verberabat, oderat gemmas, linteamina videre non poterat, ornamenta fugiebat. Sic dolebat quasi adulterium commisisset, & multis impendijs medicaminum vnum vulnus sanare cupiebat. Recepta sub oculis omnis Ecclesiæ communione quid fecit? Scilicet in die bona malorum non oblita est, & post naufragium rursum tentare noluit pericula nauigandi.

25

26 Lib. 2. Apologiæ aduersus Ruffinū. to. 2.

IDEM dicit; Solet Origenes pœnitudinem interna cordis vrentem ignem vocare. Vnde ad Babylonem scriptum est: Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorio. Et in psalmo pœnitens audit. Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Sagittæ potentis acutæ cū carbonibus desolatorijs, vt linguam dolosam sagittæ præceptorum Dei vulnerent, atq; confodiant, & peccatorum in ea solitudinem faciant. Illud quoque testimonium, in quo Dominus loquitur: Ignem veni mittere super terram, & quid volo, nisi vt accendatur, sic interpretatur Origenes: Omnes cupio agere pœnitentiam, & excoquere Spiritu sancto vi-

Psal. 50.

Q q tia,

tia, atque peccata. Ipse enim sum, de quo scribitur, Deus ignis consumens est.

27 IDEM docens, ignorantiam non semper excusare a peccato, cum Iob quotidie pro filijs sacrificium offerret, ne forte per ignorantiam in cogitatione peccauerint, addit: Qui ligna cædit, si securi ac ferro fugiente de ligno homo fuerit occisus, pergere iubetur ad vrbem fugitiuorum, & tamdiu ibi esse, quamdiu sacerdos maximus moriatur, ideſt redimatur sanguine Saluatoris, aut in domo pœnitentiæ, quæ imitatur baptismatis gratiam per ineffabilem clementiam Saluatoris, qui non vult perire quemquam, nec delectatur mortibus peccatorum, sed vt conuertantur, & viuant.

Lib. 1. aduersus Pelagianos.

28 IDEM exponens verba illa; Sedebo in lateribus Aquilonis, inquit: Iste est Aquilo ventus durissimus, a quo suos Dominus vult liberare captiuos, & reducere in ciuitatem sanctam, dicens: Dicam Aquiloni da, & Austro noli prohibere, adduc filios meos de terra longinqua. Illud autem quod huic potest esse contrarium, mons Sion, latera Aquilonis, ciuitas regis magni, facile soluitur. Hi enim, qui quõdam erant in lateribus Aquilonis durissimi, postea per pœnitentiam, in ciuitate Dei esse cœperunt.

Lib. 6. in ca. 14. Isa. to. 4.

Psal. 47.

29 IDEM explicans verba illa; Recordata est Hierusalem afflictionis suæ, & præuaricationis omnium desiderabilium suorum, quæ habuerat a diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hostili, dicit: Non solum Hierusalem illa terrena doluit se perdere iucunditatem suam, & deliciarum affluentiam inter hostes constituta, sed etiam hæc mystica, & maximo dolore torquetur, cum in pœnis constituta iam sero dolet se tunc negligentem fuisse, quando per bona opera, & rectam conuersationem potuit sibimetipsi subuenire. Non enim cum sanctis angelis exultat, sed in inferno cum dæmonibus cruciata, infructuose præterita peccata deplorat, iuxta illud, quod Scriptura sacra teste, impij in inferno dicturi sunt: Ergo errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non est ortum nobis, lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles, viam autem Domini non ignorauimus. Transierunt illa omnia tamquam vmbra mortis, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Tunc & ipse spiritus maligni deridẽs otium, quod negligentes inutiliter duxerunt per præsentis vitæ spatium.

Li. 1. in c. 1. Lam. Hier.

Sap. 5.

30 IDEM exponẽs illa verba; Matribus suis dixerunt, vbi est triticum, & vinum, cum deficerẽt in plateis ciuitatis vulnerati, cum exhalarent animas suas in sinu matrum suarum, dicit: Frustra tunc auditores negligentes quærunt a doctoribus suis triticum, & vinum verbi gratiæ spiritualis, cum in terrenis negotijs, & voluptatibus sæculi ad effectum venerint præsentis vitæ, & sub ipso magistrorum nutrimine tempus indultum perdiderunt in praua conuersatione. Non enim tunc tempus est remedij, sed vltionis; quando districtus iudex veniet singulorum actus, & vitam discutere per discretionem iusti examinis.

In c. 2. Lam.

IDEM explicans verba illa; Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri, & auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum, inquit: Si egerint gentes pœnitentiam, & sanctificeatus fuero in medio eorum, ait Dominus, tunc omnis gentilium turba cognoscet, quòd eos ego tollam de terris, in quas dispersi erant, & effundam super illos aquas doctrinæ, & sermonis Dei, & mundabo illos ab omnibus inquinamentis suis, & ab vniuersis idolis, quę in suo corde simulauerant. Et dabo eis cor nouum, quod per peccatum perdiderant, & spiritum rectum innouabo in cordibus eorum. Et auferam cor lapideum, cor videlicet incredulũ, & dabo cor carneum, molle, & tenerum, quod Dei præcepta suscipiat, ita vt ambulẽt in præceptis meis, & faciant iudicia, quæ prius neglexerant. Et rursus: Sit populus Dei, & Dominus eis vertatur in Deum, quem prius offenderant. Tunc saluabuntur ab vniuersis inquinamentis suis, & multiplicabitur eis frumentum, de quo efficitur cælestis panis, & non patientur vltra famem sermonis Dei, & multiplicabitur in eis lignum sapientiæ, & genimina in eorum pectore complebuntur.

31 Lib. 11. in c. 36. Ezech.

IDEM inquit, exponens illa verba; Ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Hieremiã prophetam, vt complerẽtur desolationis Hierusalem septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum rogare, & deprecari in ieiunijs, sacco, & cinere. Prædixerat Hieremias septuaginta annos desolationis tẽpli, post quos rursus veniret populus in Iudæam, & ędificaretur templum & Hierusalem: quæ res Danielem non facit negligentem, sed magis prouocat ad rogandum, vt quod Deus per suam promisit clementiam, per horum impleat preces, ne negligentia, & superbia pariant offensam. Denique in Genesi legimus centum viginti annos pœnitentiæ constitutos ante diluuium, qui quia tanto tempore, hoc est centum annis noluerunt agere pœnitentiam, nequaquam expectatur, vt & viginti alij compleantur, sed infert ante, quod postea fuerat comminatus. Vnde & ad Hieremiam dicitur ob duritiam cordis populi Iudæorum: Ne ores pro populo hoc, quia non audiam te. Et ad Samuelem: Vsquequo luges Saul, cum abiecerim eum? In cinere igitur, & sacco postulat impleri, quod promiserat Deus, non quod esset incredulus futurorum, sed ne securitas negligentiam, & negligentia pareret offensam.

Gen. 6.

Hiere. 7.

1. Reg. 16

32 In c. 9. Dan.

IDEM exponens illa verba, in quibus loquens de Iacob dicit: In fortitudine sua directus est cum angelo, & inualuit ad angelum, & confortatus est, fleuit, & rogauit eum, in Bethel inuenit eum: Si quis igitur flet, & agit pœnitentiam, & Dominum deprecatur inueniet eum dolore cordis sui. Et cum eum inuocauerit, sibi audiet respondentem. Cumq. esses victoriam cõsecutus, fleuisti, & rogasti Angelum Domini, & peccatorum veterum recordatus, inuenisti eum in Bethel, hoc est, in domo Dei, in domo doloris, & lachrymarum, & pœnitentiæ. O itaque vir Ecclesiastice, qui vocaris Iudas, & confitens, conuertere quotidie per pœnitentiam ad Dominum tuum. Et si forte peccaueris, imitare prophetam dicentem: Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et spera in Deo tuo semper, siue appropinqua Deo tuo iugiter, vt omni tempore in virtute proficiens, appropinques Deo tuo.

33 Lib. 3. in c. 12. Osee. to mo 5.

Psal. 6.

34 IDEM exponens verba illa; Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eruca, sic habet. Vos, quos iuste post pœnitentiam voco filios Sion, & Ecclesiæ, lætamini, atque gaudete, quia fecit vos nouis virtutum frugibus abundare, & saturari, atque inebriari frumento, vino, & oleo. Et annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, erucaq. consumpserant, Deus vobis perire non passus est. Tunc comedetis fructus iustitiæ, & saturabimini, & laudabitis nomen Domini Dei nostri, qui fecit vobiscum mirabilia. Si autem post pœnitentiam tantam vbertatem Deus rerum omnium pollicetur; quid respondebit Nouatus negans pœnitentiã, & reformari posse peccatoces in pristinum statum, si digna fecerint opera pœnitẽtiæ? In tantum enim Deus recipit pœnitentes, vt vocet eos populum suum, & habitaturum se in eorum medio repromittat. Vnde ab eo loco, quo legimus: Cõuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu vsque ad eum locum, vbi ait: Quare dicunt in populis, Vbi est Deus eorum? Cohortatio Domini est. post pœnas, atque supplicia, ad pœnitentiam prouocantis. Rursum ab eo loco, qui sequitur: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo, & respondens Dominus, dixit, vsque ad eum locum, vbi scriptum est: Et non confundetur populus meus in æternum repromissio futurorum est, quæ bona, postquam egerint pœnitentiam, debeant præstolari.

Lib. 3. in c. 7. Amos.

35 IDEM explicans illa verba; Domine Deus propitius esto obsecro, quibus verba hæc addunt Septuaginta. Pœniteat te Domine super hoc, & hoc non erit, dicit Dominus, inquit: Quod nobis ad meliora conuersis, & ipsum pœniteat sententiæ suæ, vt nec iusto reddat præmia, quæ promisit, si declinauerit ad iniquitatem, nec peccatori pœnas, quas comminatus est, si conuersus fuerit ad salutem. Dicitur ad eum, qui acturus est pœnitentiam: Ne dederis somnum oculis tuis, neque dormitationem palpebris tuis, vt libereris, quasi damula de cassibus, & sicut auis ex laqueis. Qui si Domini primum mandata contempserit, & postea in angustijs constitutus euigilare cœperit, suscitat Dominus dormientem sibi, & dicit: Exurge, quare obdormis Domine? E contrario, qui thesaurizat sibi iram in die iræ, Deum iratum sentiet. Quòd si egerit pœnitentiam, ira vertetur in misericordiam, & cũ perturbationibus nostris, atq; virtutibus, in vtramque partem pœnarum, atque clementiæ Dominus commutabitur.

Prou. 6.

Psal. 43.

36 Lib. 1. in c. 1. Habacuc.

IDEM explicans verba illa; Leuiores pardis equi eius, & velociores lupis vespertinis, & diffundentur equites eius, equites namq; eius de longe venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedẽdum, inquit. Quicumque egerint pœnitentiam, & dereliquerint dæmones, quibus quasi equi prius ad sedendũ terga præbebãt, & velocitate luporum, & pardorum vespere equites suos abiecerint, & eliserint, & vacuo, leuiq. dorso ad eum portandum venerint, qui super pullum asinæ mansuetus, & pauper ascendit; hi quasi de longe properantes, & non contenti cursu, & impetu, assument volatum, & venient quasi aquila, vt sermonis Dei vescãtur carnibus, & famem tanti temporis saturent.

37 In c. 2. Sophonię.

IDEM exponens illa verba; Congregamini gens non amabilis, dicit. Septuaginta interprẽtes sic verterunt. Congregamini, & colligamini gens inerudita, antequam fitis, sicut flos pertransiens diem, antequam veniat ira Domini super vos, antequam super vos irruat dies iræ furoris Domini. Populus ad pœnitentiam prouocatur, & dicitur ei: Agite pœnitentiam, antequam fiat, quod prophetatum est: antequam super vos furor Domini compleatur. Conuenite in Ecclesiam, sociamini vobs charitate, & pace. O gens inerudita, quæ noni vis Dei recipere disciplinam, nec habere scientiam mandatorũ eius, sed diuitijs, & corporis sanitate, & pulchritudine huius sæculi, carnis quoque voluptatibus delectaris, quæ transit quasi flos, qui in vna die marcescit. Propterea dico vobis: Conuenite, sociamini, ne cum iudicij tempus venerit, & omnis gloria vẽstra transierit, tunc velitis agere pœnitentiam, quando locus non erit pœnitentiæ, sed pœnarum, & angustiæ.

38 In c. 1. Aggæi.

IDEM exponens verba illa; Hæc ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit, Nondum venit tempus domus Domini ædificandæ, sic ait. Diligenter attende, quod non Zorobabel, vel Iesus dicant: nondum venit tẽpus domus Domini ædificãdæ, sed populus, qui adhuc sub Dario rege constitutus, necdum iugũ seruitutis excusserat, semperque, qui captiuitate detinentur, & egressi sunt de Hierusalem, differunt, & morantur ędificare templum Dei, & dicunt: nondum venit tempus domus Domini ædificandæ. Et tu quando videris aliquem egressum de Ecclesia, qui traditus fuerat sathanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus fieret, cogitare, atque disponere, vt ędificet templũ per pudicitiam, quod per libidinẽ ante destruxerat, & tamen diem de die trahere, dic ad eum: Vere & tu de populo es captiuorum, & tu dicis: Nondum venit tempus domus

1. Cor. 1.

Domini ædificandæ. Qui semel decreuit instaurare templum Dei, huic omne tempus aptum est ad ædificandum, nec rex diabolus potest impedire, nec hostes per circuitum, nec pietas simulata parentum, affinium, liberorum: statim, vt conuersus inclamaueris nomen Domini, dicet: Ecce adsum. Et nunc hæc dicit Dominus exercituũ: Ponite corda vestra super vias vestras. Nõ sit aliud loquentis tempus, & aliud facientis, præcepta mea statim in opus vertite. De his autem, qui ædificationem hanc dixerunt, dicit statim: Seminastis multum, & intulistis parum, comedistis, & non estis satiati, bibistis, & non estis inebriati, operuistis vos, & non estis calefacti, & qui mercedes congregauit, misit eas in sacculum pertusum. Quia inter multa opera peccatorũ, aliqua operãtur bona.

39 IDEM exponens illa verba; Vsque quo piger dormis, quando consurges a somno tuo? Paululum dormies, paululum dormitabis, paululum conseres manus, vt dormias. Et veniet tibi quasi viator egestas, & pauperies quasi vir armatus, inquit. Vsquequo, ait, dormis in vitijs, quando potes resurgere ad bene operandum, qui noxio torpore depressus semper dicis: paululum adhuc iacebo, & sic postea pœnitendo resurgam. Fit namque, vt te semper differente opus bonum, repente iudex, qui mala facta tua puniat, adsit. Hoc est enim dicere, & veniet quasi viator egestas, & pauperies, quasi vir armatus. Egestas namque, & pauperies pœna est vltima, in qua damnati nil diuitiarũ merentur. Quæ quasi viator veniet, quia improuisa, & subitanea: quasi vir armatus, quia deuinci perpetuo non potest. Si vero impiger fueris, venit vt fons messis tua, & egestas longe fugiet a te. Fructus terreni, quos metimus, non fonti comparantur, sed cisternæ, quia ad tempus pascunt colligentem, & in tempore deficiunt. At qui impiger fuerit pro cælestibus laborare diuitijs, huius messis, vt fons adueniet, quia mercedem laborum indeficientem percipiet. Et egestas longe fugiet, quia satiabor, ait psalmista, dum manifestabitur gloria tua.

Lib. 1. in c. 6. Prouerb. no. 8.

Psal. 16.

40 IDEM explicans verba illa; Mœror viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur, sic habet. Hoc dicit, quia nimirum necesse est, vt prius peccatorem mœror pœnitentiæ salubriter humiliet, & ita postmodum per iudicium sacerdotis sermo datæ reconciliationis lætificet.

Lib. 2. in c. 12. Prouer.

41 IDEM exponens illa verba; Ne glorieris in crastinũ, ignorans quid superuentura pariat dies, dicit. Hoc ait, ne securus sit aliquando homo de futuro rempore, quia etsi te hodie Domino seruire conspicis, qualis esse in futuro possis, & quomodo vitã finire, prorsus præuidere non vales. Beatus enim homo, qui semper est pauidus.

Lib. 3. in c. 27. Prouer.

42 IDEM exponens illa verba; Pro hac orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno, inquit. Tempus opportunum ad exorandũ, pro peccatis hæc vita est, in qua sancti orant, quia nemo est a peccatis immunis, orantque vt peccata per pœnitentiã dimittantur. Quod si fecerint, audient: Verumtamen in diluuio aquarum multarum ad eum non approximabunt. Multi fluctus diluuiorum in iudicio impios vallabunt, qui sanctis, & his, qui pœnitentiam, dum viuerent, egerunt, non nocebunt.

In Psal. 31. no. 7.

43 AMBROSIVS exhortatur peccatores ad pœnitentiam, & ait. Fleamus ad tempus, vt exultemus in æternum. Timeamus Dominum, præueniamus eum, confitendo peccata nostra. Corrigamus lapsus nostros, emendemus errorem, ne & de nobis dicatur: Heu me anima mea, quia perijt timor tuus a terra, & qui corrigat in hominibus non est. Dic iniquitates tuas, vt iustificeris. Adhuc reo culpæ iustificationis præmia proponuntur. Ille enim iustificatur, qui proprium crimen sponte agnouerit. Denique iustus in exordio sermonis accusator est sui. Nouit omnia Dominus, sed expectat vocem tuam, non vt puniat, sed vt cognoscat, non vult, vt insultet tibi diabolus, & celantem peccata tua, arguat. Præueni accusatorem tuum. Si te ipse accusaueris, accusatorem nullum timebis. Si te detuleris ipse, etsi mortuus fueris, reuiuisces. Infra: Veni foras, dicit Dominus Lazaro, Exi foras. Delictũ proprium prode, vt iustificeris, ore confessio fit ad salutem.

Lib. 2. de pœnit. c. 7. to. 4.

Isa. 43.

Prou. 13.

44 IDEM dicit; Eos qui pœnitentiam differunt satis ipse Dominus admonuit, dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnũ cælorum. Nescimus qua hora fur veniat, nescimus an proxima nocte a nobis reposcatur anima. Adam post culpam statim Deus de paradiso eiecit, non distulit, sed statim separauit a delicijs, vt ageret pœnitentiam, statim tunicam vestiuit pelliceam, non sericam. Quid enim quòd differas? An vt plura peccata committas? An quia Deus bonus est, ideo tu malus, & diuitias bonitatis eius, & patientiæ contemnis? Sed bonitas Domini magis ad pœnitentiam te debet adducere. Ideo ad omnes sanctus Dauid dicit: Venite adoremus, & procidamus ante Deum, & ploremus ante Dominum nostrum, qui fecit nos. De peccatore autẽ sine pœnitentia mortuo, quia nihil aliud superest, nisi grauiter mœrere, nisi flere, habes plorantem ipsum, & dicentẽ: Filius meus Absalon.

Eodem lib. c. 11. de nõ differendo pœnit.

Matt. 3.

Psal. 94.

2. Reg. 19.

45 IDEM dicit; Si agat homo pœnitentiam ex toto corde, vbi Deus videt, saluabitur, sicut vidit cor Dauid, quando increpatus a prophetа grauiter post cõminationes terribiles Dei, exclamauit, dicẽs: Peccaui, & mox, vt audiuit, abstulit peccatum suum. Quantum valent tres syllabæ, peccaui! In quibus flamma sacrificij cordis eius ad cælum ascendit. Ergo qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus fuerit a ligamento, quo erat constrictus, & a Christi corpore separatus, & bene post pœnitentiam vixerit, ad Dominum vadit, & a populo diaboli separabitur. Qui autẽ positus in vltima necessitate ægritudinis suæ acceperit pœnitentiã, & mox recõciliatus fuerit, & vadit, ideſt, exit de corpore, fateor vobis, nõ illi negamus, quod petit,

Lib. cuius titulus est ad pœnitentiã agendã exhortatio.

2. Reg. 12.

tit, sed nõ præsumo dicere, quia bene hinc exit. Non præsumo, non polliceor, non dico, non vos decipio, non vobis promitto. Fidelis bene viuens, securus hinc exit. Agens pœnitentiam dum sanus est, & reconciliatus, si postea bene vixerit, securus est. Sed dicis: Quid est si bene vixerit? vel in hoc nos instrue. Illud nescire te dicis, an ille, qui infirmus, & impotens est peccare, si pœnitentiã accipit, & mox transit, facinora sua relaxantur in die iudicij. Hinc nullam securitatem nobis das. Quid est bene viuere post pœnitentiam doce nos? Dico vobis, abstinere vos ab ebriositate, a concupiscentia, a malo eloquio. Non solum post pœnitentiam ab istis intus homo obseruare se debet, sed & ante pœnitentiam dum sanus est, quia nescit si possit ipsam pœnitentiam accipere, & confiteri Deo, & sacerdoti peccata sua. Ecce quod dixi post pœnitentiam, dico ante pœnitentiam melius. Agens vero pœnitentiam ad vltimum, & reconciliatus si exierit, an securus hinc exeat, ego non sum securus. Pœnitentiam dare possum, securitatem dare non possum. Quod dico attendite, ne aliquis me male intelligat. Numquid dico damnabitur? Non dico, sed nec liberabitur dico. Vis te frater a dubio liberari, vis quod incertum est euadere, age pœnitentiam dum sanus es. Si enim agis veram pœnitentiam dum sanus es, & inuenerit te nouissimus dies, securus es. Ergo curre, vt reconcilieris. Si sic agis, securus es. Quare securus? Vis dicam tibi? Quia egisti pœnitentiam eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem tunc agere vis ipsam pœnitentiam, quando peccare iam nõ potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. Sed vnde scis, inquit, si forte Deus mihi misereatur, & dimittat mihi peccata mea? Bene dicis frater vnde scio, & ideo tibi do pœnitentiam, quia nescio. Nam si scirem nihil tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem. Duæ res sunt, aut ignoscetur tibi, aut non tibi ignoscetur. Quid horum futurum tibi sit nescio, sed do consiliũ, Dimitte incertum, tene certum. Et dum viuis, age pœnitentiam veram, vt cum veneris in iudicium Dei, non a Deo confundaris, sed ab eo in regnum inducaris.

46

47 In c. 2. epi. 2. Pauli ad Cor. 10. 5. IDEM explicans verba illa; Ita vt e contra magis donetis, & consolemini, ne quomodo abundãtiore tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est, sic habet: Afflicto homini peccati proprij causa subuenire præcipit, quia pœnitẽtia, si de vero animo est, hoc est, si correptus statim in animo doleat, protinus habet fructũ. Denique in Regum libro habetur, quia Achab, cum arguisset eum propheta, commotus animo statim veniam meruit. Et Dauid in causa Vriæ Æthei correptus, quia cognouit se peccasse, delictum eius deletum est. Itaque & Apostolus illum, qui incestum commiserat habens vxorem patris sui, obiurgatum & abiectum, dolentem reuocari iubet, ne diu videns se contristatum sperni, desperans de se, daret animum ad mundum fruendum, quasi qui locum apud Deum iam non haberet, hoc est, maiori tristitia absorberi, desperantem de se conuerti ad admittenda peccata, quibus grauatus absorbeatur a secunda morte. Hæc enim vera pœnitentia est, iam cessare a peccato. Sic enim probat dolere se sibi, si de cetero desinat. Infra: Ne possideamur a Sathana, nec enim ignoramus astutias eius. Hoc dicit, quia consolatio debet subsequi fratrem delictum flentem, ne diu contristatus, & contemptus a charitate Ecclesiæ, incipiat desperare de se, & videns qui semper in insidijs est subtilis diabolus, mentem eius vilem effectam, accedat & suggerat ei, vt vel præsentibus fruatur, qui de spe futuri præmij deiectus est, & pereat frater possessus a diabolo, cui ad hoc pœnitentia data erat, vt conuersus reformaret se, sicut dicit in Ezechiele propheta: Nolo mortem morientis, quantum vt reuertatur, & viuat. Et iterũ: Conuertantur, inquit, & replantabo eos.

Ezech. 18

48 AVGVSTINVS ait: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, laudet te cor meũ, & lingua mea, & omnia ossa mea dicant, Domine quis similis tibi? Quis igitur ego, & qualis ego? Quid non mali ego, an facta mea, & si non facta, dicta mea, aut si non dicta, voluntas mea fuit? Tu autem Domine bonus, & misericors, & dextera tua respiciens profunditatem mortis meæ, & a fundo cordis mei exhauriens abyssum corruptionis. Et hoc erat totum, nolle quod volebas, & velle quod nolebas. Sed vbi erat tam annoso tempore, & de quo imo, altoq. secreto euocatũ est in momento liberum arbitrium meum, quo subderem ceruicem leui iugo tuo Christe Iesu adiutor meus, & redemptor meus? Quàm suaue mihi subito factum est carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eijciebas enim eas a me vera, & tu summa suauitas, eijciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni, & sanguini. Iam liber erat animus meus a curis mordacibus ambiendi, & acquirendi, & volutandi, & garriebam tibi claritati meæ, & diuitijs meis, & saluti meæ Domino Deo meo. Quoniam Deo conuersus per pœnitentiam, vt libro 8. cap. 1. dixerat, displicebat ei quidquid agebat in sæculo, & oneri mihi erat valde, non iam inflammãtibus cupiditatibus, vt solebant spe honoris & pecuniæ, ad tolerandam illam seruitutem tam grauem. Iam enim me illa non delectabant præ dulcedine tua, & dulcedine domus tuæ, quam dilexi.

Lib. 9. confes. c. 1. to. 1.

Psal. 25.

49 IDEM dicit: Pœnitentia vitia fugat, virtutes exornat, mentem munit & roborat, omnia redintegrat, omnia lætificat. Ignorans se, per hanc se recognoscit, quærens se, per hanc se inuenit. Hæc est, quæ homines ad angelos ducit, & creaturam reddit creatori. Ista ouem perditam monstrauit quærenti, & decimam drachmam obtulit anxianti. Hæc dissipatorẽ filium ad patrem reduxit, & vulneratum a latronibus, custodi curandum reseruauit. In hac omne bonum inuenitur, per hanc omne bonũ

Lib. de vera & falsa pœnit. to. 4.

Luc. 15.

Luc. 10.

conseruatur, fugat tenebras, inducit lucem, excoquit omnia, ipsa ignis consumens. Super hoc bonũ innixus, fortis esse poteris ad omnia bona. Infra: Vt ostenderet Dominus pœnitentiam non sterilem esse, sed digne fructificare, dixit: Facite fructus dignos pœnitentiæ.

Matt. 3. *Osee 6.* Qui enim maluit misericordiam, quàm sacrificium, non expectabat mortẽ peccatoris, sed

Ezec. 18. vt conuersus viueret. Quis autẽ conuerti potest, vt viuat, nisi qui erat in regione longinqua? Scimus, quia deleuit Dominus peccatum Dauid, aut quia dolebat peccasse, aut quia gemebat, & stratum suum lachrymis rigabat, & tamquã panem cinerẽ manducabat. Conuertimini per pœnitentiã, sperate de venia, etiã si

Rom. 5. maxima sit iniquitas, quia vbi abundauit peccatum, superabundauit ibi & gratia. Nullum peccatũ poterit remanere ante pœnitentiam. Si sine ea anima saluaretur, non diceretur, Peccasti, quiesce. Qui ergo nunc quiescit, dolere oportet, quod nõ prius quieuit. Sicq. saluatur, quia dolet, sicq. liberatur, quia pœnitet. Ex dolore enim dictũ est, Peccaui, quid faciam tibi? quasi dicat, adeo doleo peccasse, quod mihi tã graue est, quod non velim contra me te nõ vindicare. Quæro enim in me quid supplicij possim excogitare, quod tibi possit sufficere. Nihil mihi graue, si me a peccato potest liberare. Relinquitur ergo pœnitere volẽtibus, inuenire veniam. Infra: Instant perfidi, & dicũt

50 Dominum incitatorẽ mali, si semper pœnitentibus subueniret, & etiam ei placere peccata, quibus semper præsto est gratia. Errant autẽ, immo constat, ei peccata multũ displicere, qui semper presto est ea destruere. Si enim ea amaret, non ita ea semper destrueret, sed cõseruaret, atque vt sua munera foueret. Semper destruit peccata, quæ inuenit, ne soluatur quod creauit, ne corrumpatur quod amauit. Medicum se vocat Dominus, & non sanis, sed male habentibus opportunum. Sed qualis hic medicus, qui malum iteratum nescit curare? Medicorum enim est centies infirmum visitare, cẽties curare. Qui ceteris minor esset, si alijs possibilia ignoraret. Infra: Diabolus, & omnis nequitia minor est, quã Dei misericordia. Ipse enim si posset sperare, & culpam in se sentire, quod non inuenit in se, præsumeret in Dei bonitate. Infra: Docens pœnitentiã non differendam, ait: Nullus expectet quando iam non possit peccare. Arbitrij enim quærat libertatem, vt dolere possit commissa, nõ necessitatem. Qui prius itaque a peccatis relinquitur, quam ipsa relinquat, ea nõ libere, sed quasi ex necessitate condemnat. Licet enim latro veniam meruisset in fine de omni suo crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem. Tunc enim baptizatus est, qui tunc primum in cruce Christum confessus est. Pœnitentia enim si in extremo vitæ hiatu aduenerit, sanat, & liberat in ablutione baptismi, ita quòd nec purgatorium sentiunt, qui in fine baptizantur. Illi autem, qui cum potuerunt, numquam cõuerti voluerunt, confitentes, cum iam peccare nequeunt, non sic facile acquirunt, quod volunt. Oportet enim, vt pœnitẽtia fructificet ad hoc, vt mortuo vitam impetret. Quẽ ergo sero pœnitet, oportet non solum timere Deum iudicẽ, sed & iustum diligere. Non solum timeatur pro pœna, sed amet-

51 tur pro gloria. Debet.n. dolere de crimine, & de omni eius prædicta varietate. Quod quãuis licet de eius salute Augustinus potuit dubitare, credo quidẽ illi, qui dixit: Quacumq; hora *Ezec. 33.* peccator ingemuerit, & conuersus fuerit, vita viuet. Dixit cõuersum, non tantũ versum vita

52 viuere. Versum quidẽ puto, qui dolet de crimine, conuersum, qui dolet de animi eius, quam exposuimus, varietate. Vertitur a peccato, qui iam vult dimittere peccatũ, conuertitur, qui iam totus & omnino vertitur, qui iam non tantum pœnas non timet, sed ad bonũ Dñi contendere festinat. Quæ cõuersio si contigerit alicui etiã in fine, desperandũ non est de eius remissione. Sed quoniã vix vel raro est tam iusta cõuersio, timendũ est de pœnitente sero. Quem enim morbus vrget, pœna terret, ad veram vix veniet satisfactionẽ, maxime cum filij, quos illicite dilexerit, sint præsentes, vxor, & mundus ad se vocẽt. Multos enim solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniã Deus semper potens est, semper etiã potest in mortem iuuare, quibus placet. Cum itaq; opus sit non hominis, sed Dei fructifera pœnitẽtia, inspirare eam potest quãdocumq; vult sua misericordia. Sed quoniã multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosissimũ est & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitẽtiæ remedium. Sed magnum est, cui Deus tũc inspirat. Si quis est igitur, qui verã tunc quærat pœnitentiam, expectet Dei clementiam, maiorem sentiens Dei bonitatẽ sua nequitia. Sed si etiã sic conuersus euadat, vita viuat, & non moriatur, non promittimus, quod euadat omnẽ pœnam. Nam prius purgãdus est igne purgationis, qui in aliud sæculum distulit fructum conuersionis. Studeat ergo quilibet sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat talẽ pœnam tolerare. Pœnitere est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille pœnam tenet, qui semper punit quod commisisse dolet.

In Psalm. 50. 52 IDEM exponens verba illa; Irascimini, & nolite peccare, quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini, ait: Irascimini dicit, hoc est, agite pœnitentiam, idest irascimini vobismetipsis de peccatis præteritis, & vlterius peccare desinite. Quæ dicitis, in cordibus vestris, subauditur dicite. In cubilibus vestris compungimini. Corda sunt cubilia de quibus Dominus monet, vt intus oremus *Matt. 6.* clausis ostijs. Compungimini autem ad pœnitentiæ dolorẽ refertur, vt seipsam anima puniens compungat, ne in Dei iudicio damnata torqueatur.

In Psal. 118. 53 IDEM explicans verba illa; Confessio, & magnificentia opus eius, inquit. Quid magnificentius, quàm iustificare impium? Sed opus fortasse

fortasse hominis præuenit istam magnificentiam Dei, vt cum fuerit peccata confessus, iu-

Luc. 18. stificari mereatur. Descendit enim de templo iustificatus, qui ad cælum oculos leuare nõ audebat, sed percutiens pectus suũ aiebat: Deus propitius esto mihi peccatori. Hæc est magnificentia Domini, iustificatio peccatoris. Hæc est magnificentia Domini, quoniam cui

Luc. 7. plurimum dimittitur, plurimum diligit. Hæc

Rom. 5. magnificentia Domini, quoniam vbi abundauit gratia. Confessio & magnificentia opus

Rom. 9. eius, quia cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Ideo subdit: Iustitia eius manet in sæculum sæculi, vt intelligas quod iniquitas apud Deum non est, quando vni parcit, & non alteri.

Tract. 11. in Ioan. to. 9. 54 IDEM docens peccatorum remissionem differendam non esse, ait: Festinandum est ad onus deponendum. Quia si ferret homo aliquã sarcinam grauem vel lapidis, aut ligni, aut alicuius etiam ligni, si frumentum portarent, si vinum, siue pecuniam, currerent vt deponerent. Nunc onera, quia portant sarcinam peccatorum pigri sunt currere, currendum est, vt deponatur hæc sarcina, quæ premit, & mergit.

In libro qui dicitur, Speculum peccatoris. Psal. 2. 55 IDEM ait: Spiritus sanctus peccatoribus per prophetam præcipit, dicens: Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus. O quàm terribilis est sententia, & nimis metuenda his, qui disciplinam non apprehendunt. Ex hac Spiritus sancti sententia patet, quod peribunt. Hinc est, quod Dominus per

Leuit. 23. Moysen ait: Omnis anima, quæ non fuerit afflicta die hac, peribit de populo meo. Anima, inquit, quæ non fuerit afflicta, subaudi per disciplinam, per morum correctionem, per pœnitentiæ satisfactionem, per cordis contritionem, per conscientiæ purificationem. Et dicebat, die hac in præsenti tempore gratiæ, sed die huius vitæ, quoniam, qui non suscipit modo tempus pœnitentiæ, post mortem non inuenit locum indulgentiæ. Peccator ergo modo apprehendat disciplinam, ne pereat, sapiat, & no uissima prouideat.

Lib. de honest. mulierum. 56 IDEM sic habet; Dicunt aliqui: Iuuenis homo sum, faciam quod me delectat modo, & postea pœnitentiam agam. Quomodo si dicat, percutio me crudeli gladio, & postea vadam ad medicum. Heu miser, nescis quod vnius horæ puncto vulnus accipitur, sed vix longo tempore ad sanitatem pristinam reuocatur? Qui enim fornicans dicit, pœnitẽtiam me acturum, quare non timet, ne eum subitanea febricula, vel aliquo casu subita mors superueniens rapiat, & pereat dilatio, & succedat æterna damnatio?

Serm. 58. de tẽp. qui est de pœnitẽt. to. 10. 57 IDEM dicit; Si quis templũ Dei in se violando destruxerit, cito de malo iniquitatis suæ consurgat, ne consuetudine peccandi in ipsis ruinis suis sepeliat. Vt de indulgentia diuina nemo diffidat, Dominus per prophetã con-

Ezec. 18. & 33. solatur, dicens: Nolo mortem peccatoris, sed vt cõuertatur, & viuat. Et illud: Impietas impij non nocebit ei, in quacumq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Sed ista tam magna misericordia tunc nobis prodest, si non tardamus conuerti ad Dominum, nec crimina criminibus superaddimus. Nemo nec post centũ peccata, nec post mille crimina de misericordia diuina desperet. Sic tamen non desperet, vt sine vlla mora Deum sibi repropitiari festinet, ne forte si consuetudinem peccandi fecerit, non possit de diaboli laqueis liberari. Dauid enim, qui rex & propheta diuino munere *2. Reg. 11.* fieri meruit, homicidium commisit, nec tamen *& 12.* se ad hoc reseruauit, vt in senectute sua ad pœnitentiæ medicamenta confugeret, sed statim cilicio prostratus conspersus cinere, cum ingenti rugitu pœnitentiam agens, impleuit illud quod dixerat: Lauabo per singulas noctes *Psal. 6.* lectum meum, lachrymis meis stratum meum rigabo. Et iterum: Cinerem tamquam pa- *Psal. 101.* nem manducabam, & poculum meum cum fletu miscebam. Et quia pœnitentiam agere, 58 mortifera securitate non distulit, cito in se Dei miserationem ita reuocauit, vt non solum regnum non amitteret, sed etiam sancti Spiritus donum recipere mereretur. Achab rex sacrilegus post ingentia flagitia, statim vt ab Elia correptus est, statim scissis vestibus ci- *3. Reg. 21.* licio indutus est, & inclinato capite pœnitentiam egit. Considerate fratres, quia & ipse quamlibet sacrilegus non reseruauit, vt post longa tempora pœnitentiam ageret, sed statim sacrificium cõtriti & humiliati cordis offerre Deo non distulit. Manasses quoque rex *4. Reg. 12.* tam sacrilegus, & impijssimus fuit, sed tamen in captiuitatem ductus cum grandi humilitate pœnitentiam agens, ita gratiam Dei obtinuit, vt mereretur inter Dei amicos, postmodum numerari. Meretrix quoque illa, quæ pe- *Lucæ 7.* des Domini lachrymis lauit, & capillis suis exterfit, vbi cælestem medicum venisse cognouit, vltro se ingessit in domum, vbi rogata non fuerat. Nec ipsa se ad hoc reseruauit, vt in fine vitæ suæ pœnitentiam ageret, sed dum adhuc peccare poterat, sic Deo inspirante voluit peccata deserere, vt illam de adulterijs suis non necessitas subtraheret, sed voluntas.

GREGORIVS inquit; De reprobis di- 59 citur, Percusserunt fœdus cum morte, & in- *Lib. 6. in li. 1. Reg. ca. 2.* ferno. Cum morte quidem fœdus percutere, *Isa. 28.* est mala audacter perpetrare, & ea semper agenda promittere. Mala quippe indesinenter faciunt, sed diligendo quod faciunt, quasi a mortis amicitia, se numquam recedere pollicentur. Hi quippe in mortis fœdere quanto insensibiliores fiunt, viscera matris Ecclesiæ tanto acrius miserando quatiuntur.

BERNARDVS sic exorditur, Multi- 60 plicatæ sunt infirmitates eorum, postea acce- *Serm. 38. ex paruis. Psal. 15.* lerauerunt. Quid dissimulãt homines in vita sua agere pœnitentiã, & extrema de confessione præsumunt? Quomodo sub vnius horæ articulo reuocari posse æstimãt omnia animæ mẽbra, cuius cõcupiscentiæ, & desideria per totũ mundum sparsa sunt, & vbiq; terrarum velut

quodam

quodam viſco tenentur? Non dico, ait Dominus, quin & talium ſaluem aliquos, potens ſum enim in momento omnia reuocare, ſed non cõgregabo conuenticula eorum de ſanguinibus, ideſt, qui in ſanguine perſeuerant, donec multiplicatis infirmitatibus deſerãtur a peccatis, antequam deſerant ea, non magna talium conuenticula congregabo. Si bene memini, in toto canone ſcripturarum vnum latronem inuenies ſic ſaluatum. Noli ergo huic tam periculoſæ expectationi credere temetipſum. Et quidem ſpiritus, non modo vbi vult, ſed quando vult ſpirat, nec ei difficile eſt de ſubito dare contritionem cordis perfectam, quam vix multo tempore alij conſequuntur. Sed vnde ſcis, quod tunc tibi ita ſubuenire velit, quem tu interim ſic repellis? Benignus quidem eſt ſpiritus ſapientiæ, ſed non liberabit maledictum a labijs ſuis. Audi quis ille ſit, Maledictus qui peccat in ſpe.

Sap. 1.

61 In ſerm. ſuper illa verba Matt. 19. Ecce nos reliquimus.

IDEM ait; Vocat te ad pœnitentiam magni conſilij angelus, quid aliena conſilia præſtolaris? Deduc me Domine, & deducar, fortior eſto, & inualeſce. Noui ego quænam ſint, quæ oportet fieri cito. Ab ore putei gehennæ eripior, & indutias petam, & retardabor, & cunctabor exire, ſi forte interim fiat aliquid? Abſcondi ignem in ſinu meo, & exuſto iam latere, iam nudatis viſceribus, iam ſanie defluente, diu mihi & deliberandum eſt, an expergiſcar, an excutiam, an abijciam illum? Magnum omnino eſt quod offertur, ſed eo vtique libentius & feſtinantius ſuſcipiendum, & obuijs arripiendum manibus cum feruore & hilaritate. In Euangelio legimus promittenti cuidam ſequi Dominum, ſed defunctum prius patrem ſepelire volenti reſponſum ab eo, vt ſineret mortuos ſepelire mortuos ſuos. Alteri quoque tantum ſuis, qui in domo erant vale dicere cupienti: Nemo, inquit, mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei.

Matt. 8.

Lucæ 9.

Pœnitentia qualis futura vt proſit, Deoq. ſit grata, quæ in ſanctis olim miranda erat. Cap. XXII.

1 Homil. 5. in ca. 7. Leuit. to. 1.

ORIGENES docẽs quod in ſacrificijs præſtandum erat ſacerdoti pectuſculũ, & brachium dextrum, inquit. Si ſacerdos per verba, & doctrinam, & multam ſollicitudinem ſuam, & laborem vigiliarũ conuertere potuerit peccatorem, & docere eum, vt meliorem viam ſequatur, a malis actibus deſinat, & conuertatur ad bonos. Qui talis effectus fuerit, offerat hoſtiam ſalutarem pro eo quod ſalutem conſecutus ſit. In qua hoſtia pars efficitur ſacerdotis pectuſculum, & brachium dextrum, vt ſit indicium quod pectus eius, & cor, quod ante mala cogitabat ſacerdotis labore conuerſum recepit cogitationes bonas, & ita mundatum eſt, vt etiam Deum poſsit videre. Similiter & in brachio illud indiciũ eſt, quod mala eius opera, & ſiniſtra, quæ ſunt vtique praua conuertit in dextram, vt eſſent ſecundum Deum: & hoc eſt dextrum brachium, in quo pars eſt ſacerdotis.

2 Homil. 8. in c. 12. & 13. Leuit. vbi ritus, & ſacrificia leproſi exponuntur.

IDEM ait: Veſtimenta leproſi diſſuta ſint, & caput eius reuelatũ, & os eius adopertum. Per quæ deſignat eum, qui in anima leproſus eſt, ideſt, qui in peccatis confixus eſt non oportere aſſumere ſibi tegumenta, & turpitudines operire peccati. Sicut enim is, cuius veſtimẽta diſſuta ſunt, nudam, atque intectam gerit turpitudinem corporis, ita oportet eum, qui peccatis aliquibus obſæptus eſt, mala ſua, & flagitia nullis verborum aſſumentis, nullis excuſationis velaminibus operire, vti ne fiat ſepulchrum dealbatum, quod de foris quidem apparet hominibus ſpecioſum, intus autem plenum eſt oſsibus mortuorum, & omni immunditia. Infra: Iubet vt leproſi omnis pilus radatur, ideſt omne quidquid emortui operis animæ poſitæ in peccatis exortum eſt. Hoc enim nunc pili nomine iubetur abijcere. Peccator enim omne, quod ei ſiue in conſilio natum eſt, ſiue in verbo, ſiue in opere, expedit, ſi vere purificari vult, vt eradat, & abijciat, nec reſidere aliquid patiatur. Sanctus ſeruare debet omnem capillum, & ſi poſsibile eſt, nec aſcendere debet ferrum ſuper caput eius, nec abſcindere aliquid de cogitationibus ſuis ſapientibus, aut dictis, aut operibus poſsit. Inde denique eſt, quod & Samueli ferrum dicitur nõ aſcendiſſe ſuper caput, ſed & omnibus Nazareis qui ſunt iuſti. Hinc & diſcipulorum Domini etiam capilli capitis dicuntur eſſe numerati, hoc eſt, omnes actus, omnes ſermones, omnes cogitationes eorum ſeruantur apud Deũ, quia ſanctæ ſunt. Peccatorũ vero omne opus, omnis ſermo, omnis cogitatio debet abſcindi, & hoc eſt, quod dicitur, vt omnis pilus corporis eius radatur, & tunc erit mundus. Purificatus ingredi adhuc non poteſt domum ſuam, ſed manere extra eam ſeptem diebus, & radat omnem pilum capitis, & barbæ, & ſuperciliorum: quaſi non ſufficeret quod prius omnem pilum raſerat, nunc additur, vt omnem pilum capitis, & barbæ, & ſuperciliorum radat. Idem namque videtur dictum in eo, quod dixerat, omnem pilum radendum. Sed non mihi videtur inanis eſſe iſta repetitio. Vult enim peccatorem poſtea quam fuerit mundatus, poſtquam remiſsionem per pœnitentiam acceperit peccatorum, de purgatione capitis admonere, & barbæ, & ſuperciliorum: velut ſi diceret ei: Ecce ſanus factus es, vide ne vltra capitis contrahas culpam, aliter de diuinis ſentiẽs dogmatibus, quam Eccleſia docet. In barba vero, vt meminerit ſemper virilis ætatis depoſuiſſe peccata, & conuerſus fiat ſicut infans. In ſupercilijs autem arrogantiam deijciat. Iubet etiã vt aſſumat duos agnos. Primus agnus, qui

3

qui pro delicto eſt, mihi videtur virtutis ipſius formam tenere, quam aſſumpſit is, qui erat in peccatis, per quam potuit a ſe propellere affectum peccandi, & malorum veterum pœnitudinem gerere. Secundus vero agnus figuram tenere illius iam recuperatæ virtutis, per quã abiectis, & procul fugatis omnibus vitijs integrum ſe, & in integro obtulit Deo, & dignus extitit diuinis altaribus. Quis autem, quæ poſt agnos aſſumitur, quantum conijcere in tam difficilibus locis valemus, fœcunditatem puto quod deſignet eius, qui conuerſus eſt, a peccato, & totum ſe obtulit Deo, qua poſt omnia in bonorum operum fœtibus vtitur, & innocentiæ fructibus pollet. Prima ergo hoſtia eſt, qua peccata ſoluuntur: ſecunda qua anima conuertitur ad Deum: tertia eſt fœcunditatis, & fructuum, quos in operibus pietatis is, qui dicitur conuerſus, oſtendit. Poſtea imponere debet ſãguinem, & oleum ſuper auriculam dextram, eius, qui purificatur, & ſuper manum dextram, & pedem dextrum. Vides quomodo vltimæ, & ſummæ purificationis eſt aurem purificari, vt purus, & mundus ſeruetur auditus. Et manum dextram, vt munda ſint opera noſtra, nec aliquid immundum his admiſceatur, & ſordidum. Sed & pedes purificandi ſunt, vt ad opus bonum tantummodo dirigantur, nec vltra lapſus iuuentutis incurrant. Septies autem reſpergit ſacerdos contra Dominum ex oleo. Poſt omnia etenim, quæ pro purificato celebrata ſunt, poſtquam conuerſus, & reconciliatus eſt Deo, poſt immolatas hoſtias, ordinis erat, vt & virtutem ſeptemplicem ſancti Spiritus in uitaret ſecundum eum, qui dixerat. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me. Vel certe quoniam peccatorũ corda Dominus in Euãgelio teſtatur a ſeptem dæmonibus obſideri, competenter ſepties ante Dominum ſacerdos in purificatione reſpergit, vt expulſio ſeptem ſpirituum immundorum de purificati corde, ſepties excuſſo digitis oleo declaretur, vt non ſolum purificationem conſequi poſsit is, qui conuertitur a peccato, ſed & Spiritu ſancto repleri.

4

5 Ho. 1. expo. in Cantica Cãticorũ to. 2.

IDEM exponens verba illa; Nigra ſum, ſed formoſa dicit: Intelligamus quomodo nigra ſit, & formoſa ſponſa. Si tu non egeris pœnitentiam, caue ne anima tua nigra dicatur, & turpis, & duplici fœditate turperis, nigra propter peccata præterita, turpis propter hoc, quia in iiſdem vitijs perſeueras. Si vero pœnitentiam egeris, nigra erit anima tua propter antiqua delicta, propter pœnitentiam vero habebit aliquid, vt ita dicam, æthiopici decoris.

6 Ho. 4. expo. in Cãtica

IDEM explicans illa verba; Surge amica mea &c. ſurge propera in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, dicit: Vocat ſponſus ſponſam bis, vt veniat, & hortatur, vt exeat, non ſolnm extra domum, ſed extra ciuitatem. Ideſt non ſolum extra carnis vitia efficiatur, ſed extra omne quicquid corporeum, & viſibile continetur in mundo. Euocatur ergo anima extra murum, & vſque ad promurale perducitur, cũ abijciens, & relinquens ea, quæ videntur, & temporalia ſunt, contendit ad ea, quæ non videntur, & æterna ſunt. Oſtenditurq. ei iter ſub velamine petræ agendũ, vt tuto incedat, & ad illud perueniat ſecretum, vbi reuelata facie gloriam Domini contempletur. Merito autem velamen iſtud petræ tutum creditur, quia & Salomon de ea dicit, in Prouerbijs, quòd veſtigia ſerpentis non poſsint deprehendi ſuper petram. Tria ſunt mihi impoſsibilia &c. viam ſerpentis in petra. Serpentis, ideſt, diaboli veſtigia in hac petra, quæ eſt Chriſtus, inueniri non poſſunt, quia ſolus eſt, qui peccatum non fecit. Huius ergo petræ vero velamine anima tute peruenit ad promuralem locum, ideſt ad contemplandum incorporalia, & æterna.

7 Hom. 16. in pſ. 114. to. 1.

BASILIVS explicans verba illa; Et in diebus meis inuocabo, inquit: Nos cum vel vna orauerimus die, vel hora vna breuem aliquam ſuper peccatis noſtris triſtitiam paſsi, ſecuritatem nobis promittimus, perinde ac quidpiam confeciſſemus, quod ex æquo reſponderet diluendæ noſtræ omni malitiæ. At hic ſanctus confeſsionem ſe omni vitæ ſuæ tempori commenſuratam oſtenſurũ dicit. In omnibus, inquit, diebus meis inuocabo. Deinde ne putes quod in rebus huius vitæ ſecundis, & ei admodum bene cedentibus, nomen Domini tantum inuocet, narrat calamitatum magnitudinem, in quibus conſtitutus, nominis Dei ſit oblitus: Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me. Dolores proprie de parturientibus dicuntur. Nihil igitur mediocre ſe paſſum eſſe dicit, ſed vſque ad ipſos mortis dolores fuiſſe tentatum, & ad periculum vſque deſcenſus ad inferos fuiſſe deductum. Sed videte quæſo athletæ huius magnanimitatem. Poſtquam enim circundederunt me dolores mortis, & pericula inferni inuenerunt me, tantum abfui vt inter haſce tentationes conciderem animo, vt multo pluribus perferendis me voluntarium obtulerim, vt tribulationem, & dolorem haud inuitus inueni, ita ab illis non ſum inuitus apprehenſus: in his quidem quæ retro mihi contigerunt, pericula inferni inuenerunt me. Hic vero, tribulationem, & dolorem ego inueni. Quoniam enim illic imperterritus inuentus ſum, & animo infracto aduerſus ea, quæ tentator inuexit, vt luculentam ac prædiuitem meam erga Deum charitatem declararem, tribulationi tribulationem, & dolori dolorem adieci. Non quod ipſe confiderem mea met virtute poſſe tot obluctari, ac reſiſtere doloribus, ſed quia nomen Domini inuocaui. Simile & huic illud Apoſtoli dicentis: In his omnibus ſuperamus, ſiue ſuperuincimus propter eum, qui dilexit nos. Vincit enim is, qui neceſsitate quapiam illatis non cedit, aut frangitur: at ſuperuincit qui vel ſua ſponte ad ſe quoque accerſit dolores præmoleſtos, & acres, quo ſuæ edat ſpecimen patientiæ. Qui autem vſque ad mortem in aliquo peccato conſtitutus fuerit, dicat: circundede-

8 *Rom. 8.*

cundederunt me dolores mortis. Omnis enim ait scriptura, qui facit peccatum ex diabolo natus est. Cum enim, ait, essem operarius peccati, iam a morte gestabar in vtero, tunc quoque a periculis inferni sum inuentus. Quomodo ergo me ipsum curaui? Postquam videlicet tribulationem, & dolorem inueni per pœnitētiam. Mihi enim ipsi afflictionem ex pœnitentiæ fonte prodeūtem excogitaui, quę magnitudini responderet admissi per me peccati, vt maiore cum fiducia nomen Domini inuocarē. Quæ autem erant, quæ dixi? O Domine libera animam meam. In hac enim captiuitate detineor. Tu pro me redemptionis præmium tribue, & libera animam meam. Misericors Dominus, & iustus. Vbique scriptura miserationibus Dei iustitiam coniungit, nos plane erudiens quemadmodum nec misericordia Dei sine iudicio, neque iudicium sine misericordia sit. Sed cum miseretur etiam cum iudicio miserationes suas ijs, qui digni sunt, admensuret, & cum iudicat, commensuratum quoque nostræ infirmitati iudicium inferat. Et Deus noster miseretur. Miseramur eos, qui ex magnis diuitijs in extremam inciderūt paupertatem. Item eum qui ex optima corporis habitudine in vltimam debilitatem deiectus est, & ex grandi pulchritudine in maximam fœditatem deuenit. Quoniam itaque & nos quandoque in paradisi statione nobilitati eramus, & ob ruinam postea inglorij, & humiles facti sumus, Deus noster miseratur nos, animaduertens
Gen. 3. quales ex qualibus facti simus. Idcirco & Adā misericordię voce reuocabat dicens: Adam vbi es? Non enim qui cuncta nouerat, quærebat edoceri, quin id volebat potius, vt ille secum recogitaret qualis ex quali esset factus. Vbi es? Quasi dicat, in quam incidisti ex tanta sublimitate ruinam?

9 Lib. Moral. sententiarū regula 1.c.3
IDEM ait: Pœnitentiam agentes oportet amare flere, & reliqua quæ sunt pœnitentiæ signa edere ex corde. Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat priusquam gallus cā-
Matt. 26. tet ter me negabis, & egressus foras fleuit ama-
1.Cor.76. re. Et Paulus. Sed qui consolatur humiles cōsolatus est nos Deus in aduentu Titi, non solum autem in aduentu eius, sed etiam in consolatione, qua consolatus est in vobis referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum. Et Paulo inferius. Ecce enim hoc ipsum, quod secundum Deum contristati estis, quantam in vobis operatur sollicitudinem, sed defensionē, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam? in omnibus vos exhibuistis incontaminatos esse negotio. Et alibi, Multiq. credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos, multi autem ex eis, qui erant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram om-
Act. 19. nibus. Et statim cap. 4. docet, quòd pœnitentibus illud satis non sit ad salutem, si tantummodo recesserint a peccatis, sed opus esse ipsis, vt fructus pœnitentiæ dignos ferant, & ait:
Matt. 3. Videns autem Ioannes multos Pharisæorum, & Sadducęorum venientes ad baptismū suum, dixit eis. Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo *Ibidem.* fructus dignos pœnitentiæ, & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham. Dico *Matt. 7.* enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam enim securis ad radicem arboris posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.

10 In lib. cuius titulus est regulę breuiores in respon. 10. interrogatio.
IDEM quæsierat, Anima quę in peccatis multis misere volutata fuerit, quo timore, & quibus lachrymis recedere debet a peccatis, & qua spe, quave affectione accedere ad Deū, & respondet. Primum quidem ea, male actam vitam suam odisse debet, eiusque memoriam *Psal. 118.* abhorrere, & detestari. Scriptum est enim: Iniquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi. Deinde etiam timoris quidem magistram sibi asciscere comminationem æterni iudicij, supplicijq. lachrymarum autem locum agnoscere, locum pœnitentiæ opportunum, eo modo quo docuit Dauid in sexto psalmo; firmissime credens purgationem peccatorum suorum factam per sanguinem Christi in magnitudine misericordiæ, & multitudine miserationum Dei, & vt ille qui dixit. Quòd si fuerint peccata vestra, vt coc- *Isaia 1.* cinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra sicut vermiculus, velut lana alba erunt. Tunc enim nacta facultatem ac potestatem placendi Deo illud dicit; Ad vesperum demo- *Psal. 29.* rabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Et illud. Conuertisti plantum meum in gaudium mihi, & dirupisti saccum meum, & circundedi- *Ibidem.* sti me lætitia, vt cantet tibi gloria mea. Atq; ita ad Deum accedens canit ac dicit, exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me, nec delectasti inimicos meos super me.

11 Epist. 5. quę est ad Theodorū lapsū. to. 5.
CHRYSOSTOMVS inquit: Monachus quidam post multos sudores eremiticæ conuersationis, qui cum socio vixit plane Angelicam vitam, ad senectam vsque perseuerās, is aliquando ex versutia diaboli velut oscitans ac remissior factus accessum dedit maligno ad incitandam concupiscentiam, & lapsus est, cum muliere se commiscendo. Qui nunquam vidit mulierem ab eo tempore, quo se ad monasticam vitam contulit, neq; alia perpetrauit mala. Moxq. animo perculsus, compunctusq. super temere perpetratis, ad montem venit, cum socio, eoq. loci constitutus vir ille, se casa quapiam conclusit, & eius domunculæ ianua obserata, alter ipsi panem, & aquam quotidie præbuit, quærentibus autem de se iussit, vt responderet, se somnum capere. Perseuerauitq. ibi per omnem vitam, in ieiunijs, in precationibus, in lachrymis repurgans animā a sorde peccati. Tempore autem non ita multo peracto magna siccitas viciniam inuasit, omnes incolæ, cum frustra plorarenr, quispiā ex eis per somnum mandatum accepit, vt abiret ad virum illum inclusum hortaturus eum, quo velit orare ac dissoluere siccitatem. De-

duxit

12 duxit illos socius ad virū illum, & pariete demolito (quia ianuam obstruxerat) intrauerūt omnes, mox aduoluti pedibus exposito mandato suo rogarūt, vt ferret suppetias aduersus ariditatē. Ille primū resistere, asserens abesse se a tāta impudētia, nam vt subito factum est peccatum, ita semper ante oculos conseruauit: tādem commemorantes omnia, quæ sibi contigerant, persuaserunt, vt oraret. Vt primū autem orauit, mutata est siccitas. Infra: Docet pœnitentiam sic agendā, vt ad peccata pristina nō redeamus. Corrūpit pœnitentiam, iterum ijsdem malis institisse. Vnus ædificans, ait, scriptura, & alter destruens, quid prodest illis, nisi
Eccls. 34. labor? Qui baptizatur a mortuo, & iterum tāgit mortuum, quid prodest lauatio eius? Haud secus homo, qui ieiunat de peccatis suis, & per-
Ibid. 26. git, eademq. denuo cōmittit, qui huius preces exaudiet? Et rursum, quis diuertit, inquit, a iustitia ad peccatum, eum Dominus præparabit
Prou. 26. in gladium. Et sicut canis reuersus ad vomitū, sic imprudens, qui per propriā malitiā ad peccata reflectitur.

13 Epist. 27. ad Eustochiū epitaphiū Paulæ matris suæ. t. 1.
HIERONYMVS sic habet: Mollia etiā in grauissima febre lectuli strata non habuit, sed super durissimam humū stratis ciliciolis, quiescebat, si tamen illa quies dicenda est, quæ iugibus pene orationibus dies noctesq. iungebat, illud implens de psalterio. Lauabo per singulas noctes lectum meū, lachrymis meis stratum meum rigabo. In qua fontes crederes lachrymarum, ita leuia peccata plangebat, vt illam grauissimorum criminum crederes reā. Cumq; a nobis crebrius moneretur, vt parceret oculis, & eos seruaret Euangelicæ lectioni, aiebat. Turpanda est facies quam contra Dei præceptum purpurisso, & cerussa, & stibio sepe depinxi. Affligendum corpus, quod multis vacauit delicijs. Longus risus perpeti compensandus est fletu. Mollia linteamina, & serica pretiosissima asperitate cilicij commutanda. Quę viro, & sæculo placui, nunc Christo placere desidero. Infra: Fateor in hac re pertinacior fuit, vt sibi nō parceret, & nulli cederet admonenti. Referam, quod expertus sum. Mense Iulio feruentissimis æstibus incidit in ardorē febris, & cū medici persuaderent ob refectionem corporis vino opus esse tenui, & parco, ne aquā bibēs in hydropē verteretur, & ego clā beatū Papam Epiphaniū rogarē, vt eam moneret, immo compelleret vinum bibere: illa vt erat prudēs, & solertis ingenij statim sensit insidias, & subridens, meum esse, quod ille diceret intimauit. Quid plura? Cum beatus pontifex post multa hortamenta exisset foras, quærenti mihi quid egisset respondit. Tantum profecit, vt seni homini pene persuaserit, ne vinum bibam. Hæc refero, non quod inconsideranter, & vltra vires sumpta onera probem, monente scriptura, super te onus ne leuaueris, sed quod mentis eius ardorem, & desiderium fidelis animæ ex hac quoque probare velim perseuerantia.

14 In ep. 58. in qua narratur vita, & conuersatio mirāda Pauli primi eremitę.
IDEM referens ingressum Antonij ad visendum Paulū ait: En quem tanto labore quæsisti, putridis senectute membris operit inculta canicies? Narra mihi queso, quomodo se habeat humanum genus? An in antiquis vrbibus noua tecta consurgant, quo mundus regatur imperio, an supersint aliqui qui dæmonum errore rapiantur? Magno temporis spatio contextis palmorum folijs tegebatur. Postea autem diebus Paschæ, & Pētecostes semper Pauli tunica vestitus est Antonius. Et concludit in fine epistolę. Obsecro quicumq; hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris, cui si Dominus optionem daret, multo magis eligeret tunicam Pauli, cum meritis suis, quām regum purpuram cum pœnis suis.

15 Lib. 2. aduersus Iouinia. to. 2.
IDEM dicit: Aliud est pœnitētem esse, & lachrymis veniam deprecari, aliud semper esse cum patre. Vnde & per Ezechielem ad reportatam ouem, & perditum quondam filium loquitur pastor, & pater. Et suscitabo pactum *Ezech. 16* meum tecū, & scies, quia ego Dominus, & recordaberis, & confunderis, vt non sit tibi vltra aperire os præ confusione tua, cum placatus fuero tibi in omnibus, quæ fecisti. Vt nihil minus iusto habeant pœnitentes, sufficit eis pro omni pœna sola confusio. Vnde & in alio loco dicitur ad eos. Et recordabimini viarum ve- *Ezec. 20.* strarum pessimarum, & omnium scelerū quibus polluti eratis, & displicebitis vobis in conspectu vestro, in omnibus malitijs vestris, quas fecistis, & scietis, quia ego Dominus, cum bene fecero vobis propter nomen meum, & non secundum vias vestras malas, neque secundum scelera vestra pessima.

16 In ep. ad Susannā. lapsā. to. 9.
IDEM ait: Secundum conscientiæ molem exhibenda est pœnitentię magnitudo, pœnitentia autem non verbo agenda est, sed facto. Hæc autem sic agitur, si tibi ante oculos proponas de quanta gloria lapsa fueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & te ipsam positam credas prope ipsas tenebras exteriores, vbi erit fletus oculorum, & stridor dentium sine fine. Cum hæc certa fide conceperis, nec aliud esse remedium constitutum post baptisma, quā pœnitentiæ solatium, quātumuis laborem, & indecorum subire contende, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Ergo hęc tecum cogitans, & mente contractans, facti tui ipsa iudex esto crudelior. In primis omnis cura vitæ huius intermittenda est tibi, & quasi mortuam te existima sicut es, quomodo possis reuiuiscere cogita. Deinde lugubris tibi accipienda est vestis, & mens, & membra singula digna castigatione punienda. Amputentur crines, qui occasionem luxuriæ præstiterunt. Defluant oculis lachrymæ, qui masculū non simpliciter aspexerunt. Pallescat facies, quæ quōdam errubuit impudice. Totum denique corpus iniurijs, & ieiunijs maceretur cinere aspersum, & cilicio pehorrescat, quia male sibi de pulchritudine placuit. Cor vero sit liquescēs tanquā cera in ieiunijs, inquietans seipsū, & cogitationibus ventilās quare sit ab inimico subuersū. Sensus etiā crucietur, quia in membra corporis, cū haberet dominationē, malū gessit imperiū.

imperiũ. Talis actio pœnitẽtię, si fuerit perseuerãs, audebit hic sperare, si nõ gloriam, certe pœnæ euacuationẽ. Dicit enim Deus: Cõuertimini ad me, & cõuertar ad vos. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu dirũpite corda vestra, & non vestimenta vestra, quia Deus pius, & misericors est. Sic conuersus ille magnus Dauid, iustificatus est. Sic Niniue peccatrix illa ciuitas incumbentem sibi euasit interitum. Peccator ergo, si sibi non pepercerit, a Deo illi parcetur, & si futuras pœnas gehennæ perpetuas in hoc paruo vitæ spatio compensauerit, se ipsũ ab æterno iudicio liberabit. Grandi plagæ alta, & prolixa opus est medicina. Grande scelus grandem habet, necessariam satisfactionem. Tu, quæ iam ingressa es agonem pœnitentię, insiste misera fortiter, inhære tanquam naufragus tabulę, sperãs per ipsam te posse de profundo criminum liberari. Inhære pœnitentiæ vsque ad exitum vitæ tuæ, quæ Deo peccasti, ab illo solo quære remedium.

Ioel 2.

17 IDEM exponens verba illa; Quærite Dominũ, dum inueniri potest, inuocate eũ, dũ prope est. Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & conuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, inquit: Non satis est quærere Dominũ, & dum pœnitentię tẽpus est inuenire, atque inuocare eũ, dum prope est, nisi reliquerit impius vias suas pristinas, & cogitationes antiquas, quibus a Domino declinauerat. Tunc enim reuertemur ad Dominũ, qui miserebitur nostri, & ad clementissimũ patrẽ, qui multus est in misericordijs, & facilis ad ignoscendum, cũ cogitationes, & vias pristinas reliquerimus, vt postea mereamur audire. Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata.

Lib.15. in c. 55. Isa. to. 5.

Psal. 31.

18 IDEM explicans illa verba; Deduc, quasi torrentem lachrymas per diem, & per noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui, dicit: Omni tempore lachrymas per compunctionẽ cordis effundere debemus, qui auctorẽ nostrũ nostris offensum iniquitatibus non ignoramus. Non dissoluamur pigra inertia, nec per desidiã, & vanam securitatẽ cesset a lachrymis oculi nostri pupilla, præoccupemus faciem eius, lauemus per singulas noctes lectũ nostrum, lachrymis stratum nostrũ rigemus, misericordię operibus insistamus, & misericordiã pauperibus largiter tribuamus, & pro peccatis commissis misericordiam Domini deprecemur. Consurge lauda in nocte, in principio vigiliarum, effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Consurgit in nocte, qui in tribulatione præsentis vitæ torporem a se excutit negligentiæ. Laudat in principio vigiliarũ, qui in omni conuersatione sua strenuũ se adhibet, & cautũ. Sed effundit sicut aquã cor suũ ante conspectũ Domini, qui ex intimo affectu cordis producit lachrymas compũctionis. Sacrificiũ enim Deo spiritus cõtribulatus, cor contritum, & humiliatũ Deus non spernit.

Lib.1. in ca. 2. Lament. Hieremię.

Psal. 50.

19 IDEM exponens verba illa; Ponet in puluere os suum, si forte sit spes, ait: Ille in puluere ponit os suum, qui humiliter sentiẽs fragilem se cognoscit, & de puluere se factum iterum in puluerẽ reuersurum fatetur, cui & spes erit futuræ resurrectionis, qui cum semper pœnitentia castigando carnem macerat, spiritum remissionis, & futuræ gloriæ per Domini misericordiam habere debebit. Vnde Iob agebat pœnitentiam in fauilla, & cinere. In fauilla enim, & cinere pœnitẽtiã agere est, contẽplata summa essentia nihil aliud quàm fauillam cinerẽq. se cognoscere. Vnde & ciuitati reprobę Dñus in Euangelio dicit: Si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitẽtiam egissent. In cilicio quippe asperitas, & compunctio peccatorum, in cinere autem puluis ostẽditur mortuorum. Et idcirco vtrũque hoc adhiberi ad pœnitentiam solet, vt in compunctione cilicij cognoscamus, quid per culpam fecimus, & in fauilla cineris perpendamus, quid per vitium facti sumus. Considerentur ergo in cilicio pungentia vitia, consideretur in cinere per mortis sententiam subsequens iusta pœna vitiorum. Quia enim post peccatum carnis contumeliæ surrexerunt, videat homo in asperitate cilicij superbiendo quid fecit, videat in cinere vsque quo peccando peruenit. Potest quoque cilicio ipsa in reprehensione, atque pœnitentia dolorum compunctio designari. Nam hoc, quod ait beatus Iob: Ipse me reprehendo, quasi quodam cilicio pungitur, dum in mente sua asperis redargutionum stimulis confricatur. In cinere autem agit pœnitentiam, quia ex primo peccato quid per iustum iudicium factus sit, solerter attendit, dicens, ago pœnitentiam in fauilla, & cinere.

Lib.2. in ca. 3.

Iob 42.

20 IDEM explicans illa verba; In omni facie confusio, & in vniuersis capitibus caluitium, sic inquit: Rubor vultus pudoris inditiũ est, & conscientia peccatorum lucet in facie, spesq. salutis est, quando delictum sequitur verecundia. Vnde ad eam, quæ corde duro in suis peccatis gloriabatur, dictũ est. Facies meretricis facta est tibi, noluisti erubescere. Caluitium quoque capitis luctus est signum, quãdo perdit decorem cæsaries, & pulchritudinem comarum amittimus. Deniq. & ad Hierusalem dicitur, Pro ornamento capitis tui habebis caluitium propter opera tua. Et alius propheta. Omnia, inquit, capita in omni loco attondentur, & omnis barba radetur. Micheas quoque ad eandem Hierusalem. Decaluare, ait, & tondere super filios deliciarum tuarum, dilata caluicium tuum sicut aquila. Et super mortuis iubetur fieri caluitiũ. Soli autem sancti, hoc est Nazaræi non radunt capita sua. Neque enim habent mortis opera, nec immundi sunt, quia Nazaræi, ideſt sancti Domini sunt.

Lib.2. in ca. 7. Ezechię.

Hiere. 3.

Isai. 3.

Hiere. 49. Mich. 1.

21 IDEM exponẽs verba illa; Ergo & tu porta confusionẽ tuã, quæ vicisti sorores tuas peccatis tuis &c. Ergo & tu cõfundere, & porta ignominiã tuã ait. Secũda post naufragiũ tabula est, cũ peccaueris erubescere, & nõ illi subiacere increpationi, quæ contra Hierusalem dicitur, facies meretricis facta est tibi, nescis erubescere, septuaginta verterũt, Et tu sustine tormentum tuum. Portat autem tormentum suũ, qui propria torquetur conscientia, & in isto sæculo sustinet propria voluntate cruciatum, ne ęterna tormenta sustineat. Ergo & tu confundere &c. Cõfusionẽ sequitur ignominia, ignominiam correptio, correptionẽ consolatio, cõsolationẽ salus, iuxta illud Apostoli. Tribulatio operatur patiẽtiam, patientia probationẽ, probatio spem, spes autẽ non confundit. Haud dubium quin in futurum, quia in præsentiarum sua per confusionem peccata deleuit. Tale quid & illud Euangelij sonat. Est confusio, quæ ducit ad mortem, & est confusio, quæ ducit ad vitam. Spiritus quoque sanctus peccatores hortatur in psalmis. Confundantur, & reuereantur omnes inimici mei, conuertantur retrorsum, & confundantur valde velociter. Non igitur mirum, si prouocetur Hierusalem ad confusionem, & ignominiam, quæ in tãtum peccauit, vt sorores suas iustificaret, cui deinceps dicitur, & tu, & filiæ tuæ reuertimini in antiquum statum. Grandis profectus post confusionem, & ignominiam reuertit ad antiquum statum.

Lib. 5. in c. 16. Ezech.

Rom. 5.

Psal. 39.

22 IDEM explicans illa verba; Et dicit ad eos, vnusquisque offensiones oculorum suorum abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui, ait: Precipit exeuntibus primum de Ægypto, vt obliuiscantur idolorum, quibus multo tempore seruierunt, immo abijciant ea ab oculis suis, vt ne aspectu quidem digna habeant, & quibus multo tempore polluti sunt, vltra non acquiescant. Sed & nobis, quando eximus de Ægypto, iubetur, vt offensiones oculorum nostrorũ abijciamus, ne scilicet his delectemur, quibus antea delectabamur in sæculo.

Lib.6. in ca. 20. Ezech.

23 Lib. 1. in c. 2 Osee. to. 5.

IDEM exponens verba illa; Et erit in die illa, ait Dominus, vocabit me vir meus, & non vocabit me vltra Baali; & auferam nomen Baali de ore eius, & non recordabitur vltra nominis eorum, dicit: Lingua Hebræa, & Syra vxores viros suos vocant Baalim, ideſt vir meus. Quod ergo Dominus dicit, vocabis me vir meus, hoc est vocabis me Baali. Dicit autem hic non vocabis me Baali, quasi dicat tantum odi idolorum nomina, vt etiam, quod bene dici potest, propter ambiguitatem, & vbi similitudinem nequaquam vellim dici, sed appellari me magis vir meus, quàm Baali, ne dum aliud loquitur, alterius recordetur, & virum nominans, idolum cogitet. Et percutiam eis fœdus in die illa. Quando omnia religionis aduersæ vocabula fuerint ablata de populo Dominum confitente, & vocauerit me, inquit, vir meus, nequaquam Baali, ideſt idolũ meum, tunc percutiam eis fœdus. Ex his colligę, quòd ad agendam pœnitentiam relinquenda sunt ea, quibus antea mundo, & vanitati seruiebat homo, vestium superfluitas, ciborum abundantia, vultus compositio, odorum suauitas &c.

IDEM explicans verba illa; Conuertere Israel ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in iniquitate tua, tollite vobiscum verba, & conuertimini ad Dominum, ait: Pereunte Samaria, & viris eius, & paruulis, & pregnantibus occisis, totus Israel ad pœnitentiam prouocatur, vt qui infirmatus est, siue corruit in iniquitatibus suis, reuertatur ad medicum, & recipiat sanitatem, vel stare incipiat, qui corruerat, doceturq. quomodo debeat agere pœnitẽtiam. Tollite, inquit, vobiscum verba, ideſt preces, & delictorum confessionem, & conuertimini ad Dominum tam verbis, quàm operibus, & dicite ei. Omnem aufer iniquitatem, nihil in nobis languoris pristini, & ruinæ derelinquas, nec rursus mali seminis pullulent rediuiua plantaria, & accipe, inquit, bonum, nisi enim tuleris mala nostra, bonum tibi, quod offeramus, habere non possumus. Et reddemus vitulos labiorum nostrorũ, quia sacrificium Deo spiritus contribulatus.

Lib. 3. in c. 14. Osee.

24

IDEM exponens illa verba; Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, & fletu, & planctu, dicit: Conuertimini ad me in toto corde vestro, & animi pœnitentiam ieiunio & fletu, & planctibus indicate, vt nunc ieiunantes, postea saturemini, nunc flentes, postea rideatis, nunc plangentes postea consolemini. Et quia consuetudinis est, vt in tristibus, atque aduersis scindatis vestes, idcireo ego præcipio vobis, vt nequaquam scindatis vestimenta, sed corda quę plena sunt peccatis. Cumque hoc feceritis redite ad Dominum Deum vestrum, quem vobis priora peccata alienum fecerant, nec desperetis veniam scelerũ magnitudine, quia magna peccata, magna delebit misericordia, qui non humanam imitatur impatientiam, sed longo tempore nostrã præstolatur pœnitentiam, & præstabilis, siue pœnitens super malitijs, vt si nos egerimus super peccatis pœnitentiam, & ipsum pœniteat comminationis suæ, & mala, quæ comminatus est nobis, non inferat. Malitiam autem in hoc loco non contrariam virtuti debemus accipere, sed afflictionem, iuxta illud quod alibi scriptum est. Sufficit diei malitia sua. Similiter, quia supra dixerat benignus, & misericors, patiens, & pœnitens super malitijs, ne forsitan magnitudo clementiæ nos faceret negligentes ex persona prophetæ iungit, & dicit. Quis scit si conuertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem? Ego, inquit, hortor, quod meum est ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clementem. Sed quia profundum diuitiarum, & sapientiæ, & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius quàm præsumo, dicens. Quis scit, si conuertatur, & ignoscat? Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, vt in tempore ieiunij vocationis, & cœtus sanctificationis Ecclesiæ, & pœnitentiæ non seruiat sponsus, & sponsa operi nuptiali, quibus, & lege permissum est, vt ad bella non procedant. Ergo qui in castigatione victus, &

In c. 2. Ioel.

25

Matt. 6.

ieiunio dicit se agere pœnitentiam, egrediatur de cubili suo.

26 In c. 3. Ionę IDEM explicans verba illa; Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum: & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis a maiore vsque ad minorem, sic habet: Primum credunt viri de Niniue, qui ad ętatem Christi peruenerant, prædicantq, ieiunium, & vestiuntur saccis. Dignus, & victus, & habitus pœnitentiæ, vt qui offenderant Deum luxu, & ambitione, eorum damnatione placet, per quæ prius offenderant. Saccus, & ieiunium arma sunt pœnitentiæ, auxilia peccatorum. Ante ieiunium, & sic saccus, ante quod occultum est, & postea quod palam. Et si e duobus necessarijs vnum est subtrahendum, magis ieiunium absq. sacco, quàm saccũ eligam absq, ieiunio. Sed & ordo pulcherrimus: Præcipit Deus prophetę, propheta prædicat ciuitati, prius viri credunt, & illis ieiunium prædicantibus, omnis ætas sacco induitur. Viri non prædicant saccum, sed tantum ieiunium. At vero hi, quibus pœnitentia præcipitur consequenter ad ieiunium saccum copulant, vt inanis venter, & habitus luctuosus Dominum deprecentur.

27 Lib. 3. in c. 12. Zachar. IDEM explicans verba illa; Et planget terra: familiæ, & familię seorsum: familiæ domus Dauid seorsum, & mulieres eorum seorsum, ait: Hoc significat, quod tempore tribulationis, & luctus non debeamus seruire coniugijs, & operi nuptiarum. Vnde & in Ioel, captiuitate propinqua dicitur ad Iudęos. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Et impendēte diluuio imperatur Noe: *Gen. 7.* Ingredere in arcam tu, & filij tui, & vxor tua, & vxores filiorum tuorum. Et postea finito diluuio dicit ad eum: Egredere tu, & vxor tua, & filij tui, & vxores eorum: vt qui in arca impendente discrimine fuerant separati, redditi mundo generationi, & liberis deseruirent. *Hoc idē aduertit Ambros. lib. de Noe, & arca. c. 21. & 4.* Igitur & nunc tribus domus Dauid, & tribus domus Natham, & tribus domus Leui, & tribus domus Semei a suis vxoribus separantur, vt plangant vnigenitum, & primogenitum Dominum Iesum.

28 In ps. 31. t. 7 IDEM exponens illa verba; Conuersus sum in ærumna mea, dum configitur spina, dicit: Conuersus sum in ærumna mea, hoc est, in assidua tribulatione flagellorum tuorum. Dũ configitur mihi spina, stimulus conscientiæ peccatricis, dum pungit me conscientia peccati; Delictum meum cognitum tibi feci. Sed confessus sum, & patefeci omnia. Scio enim te cito remittere delicta, cum tibi fuerint integre reserata, & ideo dixi, cōfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Non enim aduersus Dominum, sed aduersus me hanc pronunciaui, vt iustificarer. In persona illorum dicit propheta hæc verba, qui conuertuntur, sicut ille filius, qui peregre profectus est, & dixit, Ibo ad patrem meum. Dixit in corde, vbi Deus videtur.

29 In psal. 27. IDEM explicans verba illa; Non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum, inquit: Nullam quietem indulsi, vel ossibus, vel membris meis, donec ea pœnitēdo purgarem. Iniquitates meæ sicut onus graue grauatę sunt super me. Non est enim mihi leue peccatum meum, sed recognosco, quia graue mihi iudicij pondus imposuit, & super verticem capitis mei excreuit. Sicut pondus grande, sic peccata mea super me. Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meę a facie insipientię meæ. Porcorum mos est cœno, aut stercoribus pro bonis odoribus vti, nec intelligũt se in his sordidissime volutari. Nam mihi fœtent, & computrescunt vulnera peccatorum, desideranterq. expeto medicum. Computruerunt autem a facie insipientiæ meæ, idest, quia nolebam agere pœnitentiam insipiens factus. Miser factus sum, & curuatus sum vsque in finem. Vsque dũ confitendo purgarer. Quia sine confusione, & mœstitia non dimittuntur peccata. Tota die contristatus ingrediebar. Indignum me esse iudicans, qui vel oculos ad cælum leuare auderem, sed percutiens pectus meũ aiebam, Deus propitius esto mihi peccatori. *Luc. 18.* Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, & non est sanitas in carne mea: Illis illusionibus se profitetur esse infirmatum, atque repletum, quibus diabolus humanum genus allicit, vt delinquat. Incuruatus, & humiliatus sum nimis, ad pœnitentiam. Rugiebam a gemitu cordis mei, petens cum luctu remissionem. Gemitus cordis propter peccata est. Et gemitus meus a te non est absconditus. Quicquid deliqui, quicquid mali gessi, omnia tibi cum gemitu reserauí, sciens quia tibi non occultantur occulta. Et lumen oculorum, & ipsum non est mecum. Quia postposito veritatis lumine in tenebras decideram peccatorum.

30 In psal. 101. IDEM exponens illa verba; A voce gemitus mei adhæsit os meum carni meæ, inquit: Discant qui agunt pœnitentiam, quomodo debeant eam agere. Ita enim exicaui me metipsum, vt sine carne essem, & pelles meæ cohererent ossibus meis. Caruem pro pelle dixit. Et præmiserat, Et ossa mea sicut cremium aruerunt. Ossa dicit ipsam fortitudinē. Si ergo quod est in me forte hoc aruit, & infirmum factum est, quantò magis quæ per naturam infirma est caro. Quia oblitus sum comedere panem meum: idest, in tātum mihi venit memoria peccatorum meorum, & talem pœnitentiā egi, vt etiam obliuiscerer manducare. Similis factus sum pelicano solitudinis. Pelicani esca venenata sunt animalia, hoc est serpentes, lacerti, &c. Illi ergo similis factus sum, qui est in solitudine, qui comedit venenata animalia, hoc est esca mea, quasi venenum erat mihi. Quia cinerem tanquam panem manducabam. In cinerem intingebam panem meum, & sic comedebam. Si ergo propheta hoc dicit, nos quid facimus? Et poculũ meũ cum fletu miscebā. Nihil mihi erat suaue, neq; panis, neq; poculũ. Et hæc omnia faciebā a facie iræ indignationis tuæ, considerās futurum iudicium.

31 Li. 2. de pœnitētia c. 5. to. 1. AMBROSIVS dicit: Qui agit pœnitentiam non solum diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, vt non ei imputetur peccatum, sicut Dauid, dicit: *Psal. 5.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Ergo tegamus lapsus nostros posterioribus factis, mundemus fletibus, vt audiat nos Dominus ingemiscentes, sicut audiuit lachrymantem Ephraim, *Hier. 31.* quemadmodum scriptum est, dicente Deo, Audiens audiui Ephrem lachrymantem. Et ipsa verba Ephrem lamentis expressit, dicens. Castigasti me, & castigatus sum, sicut vitulus non sum edoctus. Vitulus enim ludit, & præsepe deserit, & ideo Ephraim sicut vitulus non est edoctus, longe positus a præsepi, quia præsepe Domini deseruit, & Hieroboam secutus vitulos adorauit. Ideoq. agens pœnitentiam, dicit. Conuerte me, & conuertar, quia tu Dominus meus, quia in nouissimo captiuitatis meæ pœnitentiam egi, & postquam cognoui, ingemui super dies confusionis, & subiectus sum tibi quia accepi opprobrium, & demonstraui te.

32 In c. 6. eiusdem libri. IDEM ait: Aduertimus quomodo agenda sit pœnitentia, quibus sermonibus, quibus fletibus; vt peccati dies confusionis appellet. Et ideo subijciamus nos Deo, vt non subditi simus peccato, & delictorum nostrorũ memoriam recēsentes tamquam opprobrium erubescamus, non velut quamdam gloriam prædicemus, sicut quidam expugnata pudicitia, oppressa iustitia gloriantur. Infra: Audiant qui agunt pœnitentiam, quomodo agere debeant, quo studio, quo affectu, qua mentis intentione, qua intimorum concussione viscerum, qua cordis conuersione. Vide inquit, Domine, quia tribulor, venter meus turbatus est a fletu meo, conuersum est cor meum in me. Cognouisti intentionem animi, fidem mentis agnosce, & habitum corporis. *Thren. 2.* Sederunt, inquit, in terra, tacuerunt seniores filiæ Sion, & imposuerunt terram super caput suum, pręcinxerunt se cilicio, deduxerunt in terram principes. Virgines Hierusalem defecerunt in lachrymis, oculi mei caligauerunt. Turbatus est venter meus, effusa est in terra gloria mea. *Ionæ 3.* Sic fleuit, & Niniue populus, & denunciatum excidium ciuitatis euasit. Tanta est enim pœnitentiæ medicina, vt mutare videatur suam Deus sententiam. In te est igitur, vt euadas, vult se rogari Dominus. Ipse nos flere vult, vt euadere possimus, *Luc. 23.* sicut habes scriptum in Euangelio: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete. Fleuit Dauid, & meruit, *1. Reg. 24.* vt mortem populi pereuntis diuina remoueret misericordia, quid erubescis tu peccata tua flere, *Ezec. 2.* cum Deus prophetas iusserit flere pro populis? Denique & Ezechiel iussus est flere Hierusalem, & accepit librum in cuius capite scripta erant lamentatio, & melos & væ, duo tristia, & vnum delectabile. Quoniam ille saluus erit in futurum, *Eccl. 7.* qui in hoc sæculo plus fleuerit. Cor enim sapientium in domo luctus, & cor stultorum in domo epularum.

IDEM arguit eos, qui in ornatu pœnitent pretioso, dicens: 33 In c. 9. eiusdem libri. Videas eos mutata veste incedere, quos lugere, & gemere oportebat, quia vestem illam oblationis, & gratiæ sordidarunt, feminas autem margaritis onerare aures, curuare ceruices, quas bene Christo non auro inclinarent, quæ se ipsas flere debebant, quòd margaritam, quæ de cælo est, perdiderunt. Et in capite 10. *Cap. 10.* Fleat pro te mater Ecclesia, & culpã tuam lachrymis lauet, videat te Christus mærentem, vt dicat, Beati tristes, quia gaudebitis. Amat, vt pro vno multi rogent. Denique in Euangelio motus viduæ lachrymis, quia plurimi pro ea flebant, filium eius resuscitauit. Ideo citius exaudiuit Iesus Petrum, vt Dorcas resurgeret, quia pauperes mortem mulieris ingemiscebant. Ideo ipsi Petro statim dimisit, quia amarissime fleuit. 34 Et ideo, si tu amarissime fleas, Christus ad te respiciet, culpa discedet. Vsus doloris ablegat luxuriam criminis, erroris delicias. Ita dum dolemus admissa, admittenda excludimus, & fit, quædam de condemnatione culpæ disciplina innocentiæ. Nihil ergo te reuocet a pœnitentia, hæc tibi communis, cum sanctis est, vtinamq. imitanda talis qualis sanctorum deploratio. Dauid manducabat sicut panem cinerem, & potum suum lachrymis temperabat. Ideo nunc amplius gaudet, quia amplius fleuit. Per exitus aquarum descenderunt, inquit, oculi mei. Ioannes multum plorauit, & reuelata sibi dicit Christi mysteria. At vero illa mulier, quæ cum esset in peccatis, & deberet flere gaudebat, & veste purpurea, atque coccinea operiebatur, & auro se multo, & pretiosis lapidibus ornabat, æterni fletus luget ærumnam. Merito reprehenduntur, qui sæpius agendam pœnitentiam putant, quia luxuriantur in Christo. Nam si vere agerent pœnitentiam, iterandam postea non putarent. Facilius autem inueni, qui innocentiam seruauerint, quàm qui congrue egerint pœnitentiam. An quisquam, illam pœnitentiam putat, vbi acquirendæ ambitio dignitatis, vbi vini est vsus, vbi ipsius copulæ coniugalis vsus? Renunciandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus est suspirijs, sequestrandus orationibus, viuendum ita, vt vitali huic moriamur usui, se ipsum sibi homo abneget, & totus mutetur. Sicut quendam adolescentē fabulæ ferunt post amores meretricios peregre profectum, & abolito amore, regressum postea veteri occurisse dilectæ, quæ vbi non interpellata admirata putauerit non recognitam, rursus occurrens dixerit, ego sum, responderit ille. Sed ego non sum ego. Vnde bene Dominus ait. *Matt. 16.* Qui vult post me venire abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Etenim qui mortui, & sepulti sunt Christo, non debent iterum velut viuentes de hoc mundo decernere.

35 In oratione funebri de obitu Theodosij imperatoris.to.3

IDEM ait: Quia humilem se præbuit Theodosius vbi peccatum obrepsit, veniam postulauit, conuersa est anima eius in requiem suam. Infra: Dilexit virum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret. Strauit omne, quo vtebatur, insigne regium, defleuit in Ecclesia publice peccatum suum, quod ei aliorum fraude obrepserat. Gemitu & lachrymis orauit veniam. Quod priuati erubescunt, non erubuit imperator publice agere pœnitentiam, neque vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam, tamen quia hostes in acie strati sunt, abstinuit a consortio sacramentorum, donec Domini circa se gratia filiorum exprimeretur aduentu.

36 In apologia sancti Dauid.c.8.to.4

IDEM explicans psalmum: Miserere mei Deus, ait: Magnus psalmus, quo docemur, quemadmodum agenda pœnitentia sit. In quatuor versibus prioribus frequenter reppettit peccatum suum, & commemorat. Quis nostrum, etiamsi confiteatur delictum suum, non perstringendum potius, quàm repetendum putet? quis secundo repetat, aut tertio? Vide quot versibus propheta peccatum suum resonet, quam nullus versus sine confessione delicti sit. Congesit omnia simul, iniquitates suas, & iniustitiam personando, iungens delicta peccatis, atque ea sepe repetendo, merito magnam misericordiam posscit. Nec solum magnam misericordiam, sed etiam multitudinem miserationum. Quod ergo peccatum talis non diluat deploratio? Ille pro vno peccato miserationum multitudinem deprecatur, nos pro pluribus peccatis vix semel eius misericordiam credimus obsecrandam. In multum laua me ab iniustitia mea, & a delicto meo mũda me. Nõ tã sæpius quã plenius lauari petit, vt conceptam sordem possit eluere. Grandis enim squalor, & macula non exiguo, sed multo aufertur lauacro. Infra:

Cap. 9. Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, & delictum meum contra me est semper. Non mediocre est, vt agnoscat vnusquisque peccatum suum. Qui enim potest agnoscere, potest declinare, potest quid sequatur eligere. Pleriq; in suis lapsibus gloriantur, & putant ea laudi

Psal. 50. esse, quæ criminis sunt: Si alienum coninquinauit thorum, & pudicæ fœminæ expugnauit affectum, alius necem hominis, latrocinij insidias, rapto viuere, putat esse virtutis. Ex

37 his nullus potest dicere, quoniam iniquitatem meam ego agnosco. Sed ille qui potest dolere, quod fecerit, condemnare, quod deliquerit, quem sua vitia compungunt. Delictum meum contra me est semper. Insipiens delectatur erroribus suis, & nouis vetera obumbrando peccatis se existimat adiuuari, ideoq. exultat in crimine. At vero sapiens aduersum se iudicat esse delictum suum, & tanquam hostiles acies, ita lapsus culparum suarum aduersantium modo sibi arbitratur obsistere. Quicquid personuerit, quicquid increpuerit, culpa ei propria semper occurrit, quicquid fuerit dictum, aut lectum, in sedictum putat, quicquid intenderit, se nutu, se oculis signari putat. Si epuletur, si cogitet, si oret, ante oculos eius semper est error proprius, & momentis omnibus pulsat culpa cõscientiam, nec quiescere, nec obliuisci sinit, velut grauis censor exagitat se terrore perpetuo. Omnia igitur aduersa habet, qui ipse sibi displicet, ipse sui accusator, ipse sui testis est, nec inuenit quo fugiat, qui ipse se purget, & sti mulat. Sed hoc bonæ mentis est, vulnus sentire peccati. Nam qui expertes doloris sunt, non sentiunt vulneris acerbitatem, quod est immedicabilis ægritudinis. Qui autem aliquo dolore punguntur, sicut doloris sensu non carent, ita etiam non carent sanitatis profectu. Vbi enim doloris sensus, ibi etiam sensus est vitæ. Vnde & ille qui errorem suum non agnoscit, insanit, furit, desipit, qui autem agnoscit, vtique resipiscit, non respuit remedia sanitatis, se ipse restringit, pœnitet eum culpæ, de ipsa semper cogitat, & cogitando se ipse cõdemnat. Iustus enim in primordio sermonis accusator est Prou. 18. sui. Iustus fauere sibi nescit, rigorem iudicij 38 etiam circa se non nouit inflectere, recordationem lapsus proprij perhorrescit, & commissum erubescit errorem, omnem eius memoriã pauet, metuit, reformidat, grauem sibi se iudicat, seipsum arbitrum refugit, nec se se sibi audet committere, quod nullũ putat sibi esse grauiorem, quàm eum, quem latere non possit, fallere non queat, fugere, ac vitare non reperiat. Magna vis obnoxiæ conscientiæ, magna suppliacia. Timebant Adam, & Eua, & cũ Domini vocem in paradiso ambulantis audirent, cupiebant se abscõdere, quos nemo quærebat. Cain quoque metuebat, ne omnis eum quicumque inueniret, occideret. Ita in se ipse ferebat sententiam, quod dignus esset, cui nullus ignosceret. Vnde bene ait: Et delictum meum contra me est semper, hoc est, sine interuallo aliquo recordatio, & species ipsa mei me erroris impugnant. Quem commisi pudet, nescit postea Cap. 10. aliquid tale committere, vnde similiter erube scat. Infra: Tibi soli peccaui. Peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur, qui sciret maioribus vinculis se teneri, quia maiora deberet, quoniam plus ab eo exigitur, cui plus commissum est. Tibi soli peccaui, qui me ad virtutis studia prouocasti, qui me erudisti in lege tua. Tibi soli peccaui, quem abscondita cogitationum nõ fallunt, vt iustificeris in sermonibus tuis. Sermones Dei pleni veritatis sunt, quibus dicit: Quia non est homo, qui non peccet. Ergo si dixerimus, quia iniquitatem fecimus, iustificamus Deum in sermonibus suis: si autem dixerimus, quia non peccauimus, mendacem facimus Deum. Quantum igitur crimen, vt homo peccatorem se neget? Iustificatur Dominus, dum eius prædicatur iustitia, & ab eo venia postulatur. Simul & ipse iustificat confitentem, & iustificatur in sermonibus suis, sicut dictũ est: Isa.53. Dic iniquitates tuas, vt iustificeris.

AVGV-

39 Lib.de vera & falsa pœnitẽt.in fin. to.4.

AVGVSTINVS huius est sententiæ; Nullum peccatum est adeo paruum, quod non crescat neglectum. Non enim considerandum est, quod fecerit, sed quem offenderit, quàm bonus est, quàm benignus, qui illum sua pietate, & dulcedine creauit ex nihilo, qui eum absque merito perduxit ad baptismum, & educauit, & nutriuit vt filium, ad cuius commodum creauit cælum, & terram, & omnia, quæ in eis sunt, ex nihilo, cui seruiunt omnia tamquam filio, cui misit Angelum in auxilium, propter quem fortem, & callidum debellauit hostem eius antiquum, propter quem tanta passus est, vt eum mereretur habere filium, cum quo dignaretur habere consortium. Talem Patrem offendere, contra eius voluntatem aliquid committere, quàm est crudele? Vnde qui se cognoscunt, sicut semper peccant, ita semper plorant, vt totam vitam suam, quæ est tẽtatio super terram, plorent tota vita sua. Infra: Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse. Omnis pœnitentia est de male vsa libertate. Requirit diabolus filios in seruiturem, quorum patris, scilicet Adam, emit libertatem. Sed quoniam pœnitentia non omnis est bona, dicamus aliqua, quæ separant veram a falsa, sterilem a fructuosa. Sunt enim quos peccasse pœnitet propter præsentia supplicia. Displicent enim latroni peccata, quando agitur de pœna. Desit vindicta, reuertitur ad crimina. Hæc pœnitentia sterilis est, quæ nõ purgat conscientiam, nec lauat crimina. In hac nulla est spes veniæ. Huic concordant, qui confitentur inuiti non amore boni, sed vt fugiant damnum sæculi. Vtilis erit pœnitentia, si sit spontanea, Dominum quærens, quem amisisse doleat, ad illum anxians, præter quem non est vita. Totum hominem Dominus sanauit in sabbatho, quia corpus ab infirmitate, & animã ab omni contagione liberauit, indicans, pœnitentem debere simul dolere de omni crimine orto in anima, & in corpore. Recte pœnitens quicquid sordium post purificationem contraxit, oportet, vt abluat saltẽ lachrymis mentis. Sed satis durus est, cuius mentis dolorem oculi carnis nequeunt declarare. Sed sciat culpabiliter se durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati lachrymis non ostendit. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lachrymis ostẽdat, repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem. Infra: In omnibus dolens, aut sæculum derelinquat, aut saltem illa, quæ sine admixtione mali non sunt administrata. Ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reseruans sui, vt omnia eo iubente paratus sit facere pro reparanda animæ vita, quæcumque faceret pro vitanda corporis morte, & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, vt Deus. Abstineat a multis licitis, qui per libertatem arbitrij commisit illicita. Continue dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim

40

est pœnam tenere, vt semper puniat in se vlciscendo, quod comisit peccando. Ille igitur pœnam tenet, qui semper punit, quod commisisse dolet.

41 In lib. super exodiũ epi. ad Roman.

IDEM ait: Hoc iustum est apud Deum, vt ij, quos peccatorum suorum pœnitet, eo tempore, quo nondum pœnarum manifestus terror apparet, misericorditer separentur ab eis, qui defensiones peccatorum suorum pertinaciter exquirentes, nulla pœnitentia corrigi volunt. Ea est humanæ iustitiæ disciplina non in se amare, nisi quod Dei est, & odisse quod proprium est, nec approbare peccata sua, nec in eis alium improbare, sed se ipsum, nec putare satis sibi esse, vt sua peccata displiceant, nisi etiam vigilantissima deinceps intentione vitentur, nec in eis vitandis vires suas existimare sufficere, nisi diuinitus adiuuetur.

42 Ser.7. de tẽpore, qui est tertius natiuitati

IDEM dicit: Videte qualis debet esse pœnitentia, quia multi assidue dicunt se esse peccatores, & tamen adhuc illos delectat peccare. Accusatur anima, non sanatur, pronunciatur offensa, non pellitur. Penitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei, Quando sic pœnites, vt tibi amarum sapiat in anima, quod ante dulce fuit in vita, & quod te prius oblectabat in corpore, ipsum te cruciat in mente, iam tunc bene ingemiscis ad Deum, & dicis, Tibi soli peccaui, & malum coram te feci. Bene tibi soli peccaui, quia nullus homo Psal. 50. sine peccato. Da Domine misericordiam misero, qui tandiu perpeciisti crimino so. Dic illi in fletu cordis, aspice ad infelicem pietas immensa, respice crudelem misericordia publica. Qui tandiu suspendisti gladium vltionis, dele numerositatem criminum, multitudine misericordiarum. Ista est filioli vera pœnitentia, quando sic conuertitur quis, vt non reuertatur, quando sic pœnitet, vt non repetat. Qui pœnitentiam accepistis in Ecclesia, & agitis, perseuerate in fletu, & plangite. Non cadunt in terram lachrymæ vestræ, quia verax ille, qui per prophetam dixit; Posuisti lachry- Psal. 55. mas meas in conspectu tuo,

43 Serm.41.de sanctis, qui est quartus de animab⁹ purgatorij.

IDEM ait: Pro capitalibus criminibus addendæ sunt lachrymæ, rugitus, & gemitus, continuata longo tempore, ac protracta ieiunia, vltro nos ipsos a communione Ecclesiæ remouentes, in luctu, & in tristitia multo tempore permanentes, & pœnitentiam etiam publicam agentes. Quia iustum est, vt qui cum multorum destructione se perdiderit, cum multorum ædificatione se redimat. Vel sic lugeamus extinctam nostram animam, quomodo alienã carnẽ mortuã plangimus. Si autem vxor, aut filius, aut maritus mortui fuerint, in terram se collidunt homines, capillos trahendo, pectora tundendo, in luctu, & pœnitentia, vel in lachrymis non paruo tempore perseuerant. Rogamus fratres exhibeamus nos animæ nostræ, quod illi exhibent alienæ carni. Carnem quã non possumus suscitare plangimus, & animam nostrã mortuã non plãgimus, quam possumus per pœnitentiam ad statum pristinum reuoca-

re. Corpus mortuum plangimus, quod amamus, animam vero mortuam, quam non amamus, non dolemus, non plangimus.

44 GREGORIVS explicãs illa verba Iob
Lib. 4. Mor. c. 20. to. 2. 3. cap. Maledicant ei, qui maledicunt diei, dicit. Maledicant ei, qui maledicunt diei, quia nimirum illi veraciter mala transacta per animaduersionem pœnitentiæ corrigunt, qui iam ad bona fallentia nulla delectatione rapiuntur. Nam quos adhuc noxia alia delectant, falsum est, quod cernitur, quia perpetrata alia deplorant.

45 IDEM exponens illa verba Iob 10. cap. Si
Lib. 9. Mor. c. 31. to. 2. peccaui, & horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris, inquit. Ad horam Dominus peccatori parcit, cum reatum culpæ concessis protinus fletibus diluit. Sed ab iniquitate nostra mundos nos esse non patitur, quia volentes quidem culpam fecimus, sed nonnunquam nolentes eius memoriam cum delectatione toleramus. Sæpe namque hoc quod a conspectu iam iudicis fletu interueniente deletum est, ad animum redit, & deuicta culpa ad delectationem rursus inserpere nititur. Quod caute conspiciebat,
Psal. 37. qui dicebat: Computruerunt, & deteriorauerunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meæ. Quid namque cicatrices, nisi sanationes sunt vulnerum? Laxatas ergo nequitias ad delectationem memoriæ redire conspexerat, qui cicatrices deflebat, cicatrices quippe computrescere, est sanata iam peccatorum vulnera, rursus in tentationem serpere, atque ex eorum suggestionibus post superductam cutem pœnitentiæ fœtorem culpæ iterum, doloremq. sen-
Deut. 23. 46 tire. Vnde bene per Moysen dicitur: Si fuerit inter vos homo, qui nocturno pollutus sit somnio, egredietur extra castra, & non reuertetur, priusquam ad vesperum lauetur aqua, & post Solis occasum regredeitur in castra. Nocturnum quippe est somnium tentatio occulta, per quam tenebrosa cogitatione turpe aliquid corde concipitur, quod tamen corporis opere non expletur. Sed somnio nocturno pollutus egredi extra castra præcipitur, quia videlicet dignum est, vt qui immunda cogitatione polluitur, indignum se cunctorum fideliũ societatibus arbitretur, culpæ suæ meritum ante oculos ponat, & ex bonorum se æstimatione despiciat. Pollutum ergo extra castra exire est, turpi impugnatione laborantem sese ex continentium comparatione despicere. Qui ad vesperam lauatur aqua, cum defectũ suum conspiciens, ad pœnitentiæ lamenta cõuertitur, vt fletibus abluat omne quod in animo occulta inquinatio accusat. Sed post occasum Solis ad castra redeat, quia deferuescente tentationis ardore, necesse est, vt iterum fiduciam erga societatem bonorum sumat. Post aquæ quippe lauationem occumbente sole ad castra reuertitur, qui post lamenta pœnitentiæ frigescente flamma cogitationis illicitæ ad fidelium merita præsumenda reparatur, vt iam se a ceteris longe esse non æstimet, qui mundum se per obitum intimi amoris gaudet.

47 IDEM explicans verba illa; Et lumen il-
Li. 27. Mor. c. 11. lius super terminos terræ, termini terræ sunt fines hominum peccatorum. Et sæpe contingit, vt plerique Deum deserant, & vitæ suæ tempora in desiderijs carnalibus expendant, sed tamen superna gratia respecti, in extremis suis ad Deum redeunt, quæ sint iudicia æterna cognoscunt, cunctaque, quæ se egisse peruerse meminerint, fletibus puniunt, atque hæc vere se insequi rectis operibus ostendant. Quibus subsequente iustitia profecto totum dimittitur, quod ante deliquerumt. Hinc Anna dixit: Dominus iudicabit fines terræ, quia ni-
1. Reg. 2. mirum anteactam vitam Deus non iudicat, quando posteriora peccatorum respectu supernæ pietatis illustrat. Hinc Moyses ait: Pri-
Exod. 13. mogenita asini mutabis oue. Per asinum quippe immunditia, per ouem vero innocentia designatur. Asini ergo primogenita oue mutare, est immundæ vitæ primordia in innocentiæ simplicitatẽ conuertere, vt postquam illa peccator egit, quæ vt immũda Dominus respuit, ea iam agenda proferat, quæ Dei sacrificio imponat. Quia ergo post praua opera peccator conuertitur, & ab actionum suarum tenebris iuxta finem aliquando reuocatur, recte nunc dicitur, & lumen illius super terminos terræ. Sed graui luctu afficit eadem gratia, quæ post facinora mentem replet. Nam male
48 gesta ad memoriam reducit. Vnde fit, vt peccatum omne, quod egisse reminiscitur quotidianis fletibus insequatur, & quo magis valet iam quod iustum est cernere, eo ardentius appetit iniustum sese gemitibus punire. Vnde subiungitur cap. 12. Post eum rugiet sonitus. Quem enim Dominus illustrando repleuerit, eius vitam proculdubio in lamentum vertit, & dolet homo, quod fuit, quia bonum iam incipit videre, quod non fuit, odit qualem se fuisse meminit, amat qualem se esse debuisse cognoscit, & solam iam pœnitentiæ amaritudinem diligit, quia caute considerat in quantis voluptatibus sua delectatione peccauit. Bene ergo dicitur. Post eum rugiet sonitus, quia cum mentem Deus ingreditur, constat ptoculdubio, quod mox pœnitentiæ gemitus sequatur, vt ei iam salubriter flere libeat, quæ prius de iniquitatibus flenda iucunditate gaudebat. Tonabit voce magnitudinis suæ, capite 13. Voce enim magnitudinis suæ Deus tonat, cum se nobis bene iam per lamenta præparatis, quàm sit magnus in supernis insinuat. In terra positi sonum de superioribus audimus, quia terrena cogitantes superni terroris sententiam repente pertimescimus, & mens bene iam de summis sollicita trepidat, quæ prius in infimis male secura torpebat.

49 IDEM dicit; Nuper in parte Campaniæ
Lib. 3. Dial. c. 16. vir valde venerabilis Marcius nomine in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisq. annis in specu angustissimo inclusus fuit, quem multi ex nostris nouerunt, eiusq. actibus præsentes

sentes extiterunt. De quo multa ipse a Papa Pelagio prædecessore meo narrante cognoui. Qui mox, vt se in prædicti montis foramine contulit, ex petra eadem, quæ in semetipsa concaua angustum specũ fecerat, aquæ stilla prorupit, quæ illi in vsu quotidiano sufficeret, & nec plus adesset, nec necessitati deesset. Diabolus serpentem ingressus ab eadem habitatione eijcere facto terrore conatus est. Sed vir sanctus omnino imperterritus eius ori manum, vel pedem extendebat, dicens: Si licentiam accepisti, vt ferias, ego non prohibeo. Cumq. hoc continue per triennium gereretur, die quadam antiquus hostis tanta hac fortitudine victus infremuit, seq. per montis latus in præcipitium serpens dedit, omniaq. arbusta loci illius flamma ex se exeunte concremauit.

Infra: Hic cum primum se in eundem montem contulit, necdum clauso specu habitans, catena sibi ferrea pedem ligauit, eamq. saxo ex parte altera affixit, ne ei vltra liceret progredi, quàm catenę eiusdem quantitas tendebatur. Quod sanctus Benedictus audiens, ei per discipulum suum mandauit: Si seruus Dei es, non teneat te catena ferri, sed catena Christi. Ad quam vocem eandem compedem soluit, sed nunquam postmodum solutum tetendit pedem vltra locum, qui hunc tenere ligatum consueuerat, atque in tanto spatio sine catena coercuit, in quanto & antea ligatus mansit.

50 IDEM explicans verba illa; Facietis si-
Lib. 3. c. 4. expos. in c. 6. lib. 2. Reg. militudines murium, qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam, si forte releuet, &c. Quid aliud in hoc verbo dubitationis accipitur, nisi quia difficilis ostenditur reconciliatio criminosorum? Vnde & per Io-
Ionæ 3. nam dicitur: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus? Quia ergo si forte releuat manum dicitur, commoueri ad pœnitentiæ lachrymas cum magna fortitudine debemus, quia etsi ij, qui pœnitentiam austeram faciunt, vix fiduciam salutis inueniunt, negligentes salui fieri quando possunt? Quæ profecto reconciliationis difficultas, si in pœnitentium æstimatione tenetur apud omnipotentem Deum, nequaquam inuenitur, quia & dum Niniuitæ pro difficili reconciliatione graui pœnitentia se
Ioel 2. deijciunt, Dei misericordiam facile meruerunt. Et cum prophetæ Ioelis voce acri se Deo populus lamento prostraret, egit profecto, vt qui videbatur ad placandum difficilis, eius iram leuigaret. Nam statim in eo scriptum est: Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. Manus itaque releuatur, cum mens in pœnitentia valide compuncta ad consecutæ misericordiæ donum diuina aspiratione sustollitur.

51 BERNARDVS de expositione illorum
Serm. 3. In vigil. Nat. Domini. verborum; Hodie scietis, quia veniet Dñs, ait. Scientia ista in primo gradu operatur pœnitudinem, & dolorem, vt risum in luctum, gaudiũ in mœrorem conuertat, & incipiant sibi displicere, quæ vehementer ante placuerant, & illa specialiter horreas, quę specialiter appetebas. Sic enim scriptum est: Quia qui addit scientiã, addit & dolorem, vt veracis, & sanctæ scientiæ sit dolor subsequens argumentum. In secundo vero gradu operatur correctionem, vt iam nõ exhibeas membra tua arma iniquitatis peccato, sed coerceas gulam, iugules luxuriam, superbiam deprimas, & facias seruire corpus sanctitati, quod iniquitati ante seruierat. Pœnitudo enim sine correctione non proderit, sicut sapiens ait: Vnus ædificans, & vnus destruens, quid prodest eis, nisi labor? Vnus orãs, & vnus Eccli. 34. maledicens, cuius vocem exaudiet & Deus? Qui enim baptizatur a mortuo, & iterum tangit eũ, nihil proficit lauatio eius, sed iuxta Saluatoris sententiam verendum est, ne ei aliquid Ioan. 5. deterius contingat. Sed quia hæc diutius haberi non possunt, nisi circa se multa circumspectione mens indefessa vigilet, & attẽdat. In tertio gradu operatur sollicitudinem, vt iam sollicitus incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel leuissima re tremendæ illius maiestatis offendatur affectus. In pœnitudine accenditur, in correctione ardet, in sollicitudine lucet, vt interius, & exterius renouetnr. Hinc iam respirare incipit a tribulatione malorum, & dolore, & timoris magnitudinem spirituali lætitia temperare, ne suorũ enormitate scelerum abũdantiori tristitia absorbeatur. Hinc etsi timet a iudice, sperat a Saluatore, cum iam in animo eius timor, & lætitia obequitant, & obuient sibi.

52 IDEM quomodo debeamus conuerti ad
Serm. 2. in cap. ieiunij. Dominum de expositione loci Ioelis 2. Cõuertimini ad me in toto corde vestro in ieiunio, & fletu, & planctu, & scindite corda vestra, dicit. Conuertendum docet hominem ad Deum in toto corde suo: corporis namque conuersio, si sola fuerit, nulla erit. Forma siquidem conuersionis est ista, non veritatis, vacua virtute, gerens speciem pietatis. Miser homo, qui totus pergens in ea, quæ foris sunt, & ignarus interiorum suorum, putans aliquid se esse, cum nihil sit, ipse se seducit: Sicut aqua effusus sum, ait Psal. 21. psalmista in persona hominis huiuscemodi, & dispersa sunt omnia ossa mea. Et alius propheta: Comederunt alieni robur eius, & ignora- Osee 8. uit. Exteriorem quippe superficiem intuens, salua sibi omnia suspicatur, non sentiens vermem occultum, qui interiora corrodit. Manet tonsura, vestis nondum mutata est, ieiuniorum regula custoditur, statutis psallitur horis, sed cor longe est a me, dicit Dominus. Attende solerter quid diligas, quid metuas, vnde gaudeas, aut contristeris, & sub habitu religionis animum sæcularem, sub pannis conuersionis inuenies cor peruersum. Totum enim cor in his quattuor affectionibus est, & de his accipiẽ dum puto, quod dicitur: Vt in toto corde tuo conuertaris ad Dominum. Cõuertatur proinde amor tuus, vt nihil omnino diligas, nisi ipsum, aut certe propter ipsum. Conuertatur etiam ad ipsum timor tuus, quia peruersus est timor, quo metuis aliquid pręter eum, aut non

pro-

propter eum. Sic & gaudium tuum , & tristitia
æque concertatur ad ipsum, sic non, nisi secun-
dum eum, aut doleas, aut læteris . Quid enim
peruersum magis, quàm lætari, cum malefece-
ris , & in rebus pessimis exultare . Sed & ea
quoque , quæ secundum carnem est tristitia,
mortem operatur . Verum ne ipsa corporalis
53 quidem est paruipendenda conuersio, quia spi-
ritualis huius adminiculum noscitur esse non
paruum . Inde est, quod in loco hoc Dominus
cum dixisset , in toto corde, adiunxit protinus,
in ieiunio, quod vtique corporis est: vbi docet
abstinendum ab omnibus corporis voluptati-
bus, & a vitijs potius, quàm a cibis . Sed est pa-
nis, a quo vos ieiunare nolo, panē dico lachry-
marū. Vnde sequitur, in ieiunio, & fletu, & plan
ctu. Exigit enim planctum a nobis pœnitentia
præteritæ conuersationis, exigit fletum deside
Psal. 41. rium beatitudinis. Factæ sunt mihi lachrymæ
meę panes die, ac nocte, dum dicitur mihi quo-
tidie, vbi est Deus tus. Parum mihi placet hu-
ius vitæ nouitas, qui necdum vetera plangit,
necdum plangit admissa peccata, necdum plan
git tempus amissum. Si non plangis, plane non
sentis animæ vulnera, conscientiæ læsionem .
Addit deinde propheta : Et scindite corda ve-
stra. Quibus verbis arguitur duritia cordis po
puli Iudęorum. Crebra siquidem apud eos scis-
sio vestium, sed non cordium esse solebat. Scin-
datur cor, & in multas minutias partiatur. Spi
Sap. 7. ritus Domini multiplex ait sapiens , nec potes
sequi multiplicem sine multiplici scissione. Au
di hominem secundum cor Dei dicentem : Pa-
ratum cor meum Deus , paratum cor meum.
Paratum ad aduersa, paratum ad prospera, pa-
Psal. 56. ratum ad humilia, paratum ad sublimia, para-
tum ad vniuersa, quæcumque præceperis . Vel
scindatur cor prauum ad confessionē. Quidni
scindatur vlcus , vt sanies effluat? Vtilis scis-
sio , vt nec clausum lateat peccati virus in
corde .

I D E M, vbi exhortatur ad pœnitentiam,
54 Serm. de cō uersione ad clericos. c. 30. inquit . Parcite obsecro, parcite animabus ve-
stris, parcite sāgnini, qui pro vobis effusus est.
Horrendum cauete periculum , ignem qui pa-
ratus est declinate . Quidni periclitetur casti-
tas in delicijs, humilitas in vitijs, pietas in ne-
gotijs , veritas in multiloquio , charitas in hoc
sæculo nequam? Fugite de medio Babylonis ,
fugite, & saluate animas vestras. Conuolate ad
vrbes refugij, vbi possitis, & de præteritis age-
re pœnitentiam, & in pręsenti obtinere gratiā,
& futuram gloriam fiducialiter præstolari. Nō
vos retardet cōscientia peccatorum , quia vbi
illa superabundauerunt, superabundare gratia
consueuit, nō pœnitentiæ austeritas deterreat.
Neque enim condignæ sunt pasiones huius tē
poris ad præteritam culpam , quæ remittitur ,
non ad præsentem consolationis gratiam, quæ
immittitur, non ad futuram gloriam, quæ pro-
mittitur nobis . Currunt vndique peccatores
ad pœnitentiam, & natura pariter , & consue-
tudine delicati , exteriorem omnino asperita-
tem non reputant , vt exasperatæ conscientiæ
leniantur . Nihil credentibus impossibile, nil
amantibus difficile , nil asperum mitibus , nil
humilibus arduum reperitur , quibus & gra-
tia fert auxilium , & obediendi deuotio lenit
imperium.

I D E M dicit : Vt lectulus tuus lectulus sit 55 Serm. 46. in Cantica.
floridus, sponsi primum debes mundare con-
scientiam ab omni iniquinamento iræ , & di-
sceptationis, & murmuris , & liuoris , & quic-
quid omnino aduersari cognoscitur , aut paci
fratrum , aut obedientiæ seniorum de cordis
habitaculo eliminare festines . Deinde etiam
circundare tibi flores bonorum quorumq. a-
ctuum , & laudabilium studiorum , atque or-
namenta virtutum, idest, quæcumque sunt ve-
ra, quæcumque pudica, quæcunque iusta, quæ-
cumque sancta , quæcumque amabilia , quæ-
cumque bonæ famæ, si qua virtus , si qua laus
disciplinæ . Ad istius modi secure vocabis
sponsum , quoniam cum introduxeris eum, ve-
raciter dicere poteris , & tu , quia lectulus no-
ster floridus , redolente nimirum conscien-
tia pietatem, sed pacem , sed mansuetudinem,
sed iustitiam .

I D E M ad sororem sermone 27. de con- 56 In lib. qui dicitur modus bene viuendi.
fessione peccatorum , & pœnitentiæ , dicit .
Omnis peccator duobus modis debet flere pec
cata sua . Vnum quia per negligentiam bo-
num non fecit , alterum quod per audaciam
malum commisit . Bonum quod debuit facere
non fecit , & malum quod non debuit facere
fecit . Ille homo digne agit pœnitentiam , qui
præterita mala plangit , & iterum plangendo
non committit . Nam plangit peccatum , & ite-
rum facit peccatum , quasi si quis lauet late-
rem crudum, qui quanto amplius lauerit , tan-
to amplius facit lutum. Si quando homo pec-
care potest pœnitet , & vitam suam viuens ab
omni crimine corrigit, sine dubitatione quan-
do ei mors aduenerit, ad æternam perueniet re
quiem . Qui autem male viuit, & in morte pœ-
nitentiā agit, sicut damnatio illius est incerta,
ita & remissio illius est dubia . Igitur quia
miseratio Dei occulta est, sine intermissione
flere necesse est . Isidorus dicit , Non oportet
pœnitentem de peccatis suis habere securita-
tem . Quia securitas negligentiam parit, negli
gentia vero sępe hominem incautum ad prio-
ra peccata reducit . Infra : Heu me pecca-
trix, heu me misera in tantis peccatis , in tan-
tis negligentijs cecidi , quid primum plorem ,
quid primum lugeam ? O lachrymæ , vbi vos
subtraxistis , vbi estis fontes lachrymarum ?
Fluite super faciem meam , rigate maxillas
meas . Deus meus quid faciam , cum ve-
nerit tremendum iudicium tuum ? Væ diei 57
illi , in quo peccaui . Flete super me cælum ,
& terra , plorate me omnes creaturæ . Ora-
te pro me Dominum viri sancti , si forte mi-
sereatur mei Deus , & iniquitates meas au-
ferat . Deus meus non me obliuiscaris in fi-
nem . Peccaui Deus meus, propitius esto mihi
peccatori . Si iniquitates obseruaueris Domi-
ne , quis sustinebit? Ecce qui seruierunt Deo
non

non fuerunt stabiles , & in angelis suis inuenta
est iniquitas . Cæli non sunt mundi in conspe-
ctu tuo, nemo in conspectu tuo est sanctus,
quanto magis ego peccatrix , & putredo , ac
vermis filia hominum , quæ bibi iniquitates
quasi aquas , & multiplicaui peccata mea .
Quæ sedeo in puluere, quæ habito in domo lu-
tea, quæ terrenum habeo fundamentum. Deus
meus libera animam meam captiuam ab in-
ferno, non absorbeat me infernus, non vrgeat
super me puteus os suum . Parce mihi Domi-
ne antequam veniam ad terram tenebrosam ,
terram miseriæ & tenebrarum . Post luctum
pœnitentiæ soror dilecta non redeas ad pecca-
tum, non iterum facias, quod iterum plangas .
Non est pœnitens , sed irrisor, qui adhuc agit,
vnde pœniteat . Qui adhuc male agit , vnde
iam pœnitentiam accepit . Vnde Isidorus ait :
Inanis est pœnitentia , quam sequens coinqui-
nat culpa . Et iterum : Iteratum vulnus tar-
dius sanatur . Frequenter peccans, & lugens
vix meretur veniam . Esto igitur confirmata
in pœnitentia, vitam bonam, quam cœpisti te-
58 nere , non deseras . Vnde dicitur : Beati , qui
custodiunt iudicium , & faciunt iustitiam in
omni tempore . Moneo te , vt semper portes
verecundiam in vultu de recordatione pecca-
ti, porta pudorem in facie de memoria delicti.
Propter verecundiam peccati oculos tuos le-
uare, erubesce , mœsto mœrore incede, ciliciū
& cinis inuoluant membra tua, cilicium inuol
uat corpus tuum . Terra sit tibi cubile, puluis
es, in puluere sede . Esto semper plangens, sem-
per mœrens, semper suspiria cordis emittens ,
semper sit compunctio in corde tuo . Frequen-
ter lachrymæ fluant ab oculis tuis, quia num-
quam in hac vita serui Dei debent esse securi ,
sed peccata sua cum lachrymis ad memoriam
reducere . Vnde in laudibus sponsi in Canti-
cis dicitur : Comæ eius sicut elatæ palmarum ,
nigræ quasi coruus . Quid per comas Christi
intelligimus , nisi fideles homines, qui dū Deo
adhærentes quod credunt faciunt, quasi in ca-
pite pendentes illi honorem conferunt. Palma
autem valde in altum crescendo proficit, & vi-
ctoriam sua significatione prætendit . Comæ
ergo Christi sicut elatæ palmarum sunt , quia
electi quique dum semper ad alta virtutum se
efferunt, per Dei gratiam quandoq; ad victo-
riam perducūtur. Nigræ autem sunt sicut cor-
uus , quia quamuis virtutibus in cælum se eri-
gant , semper tamen peccatores se esse cogno-
scunt . Sic & tu quamuis bene & religiose vi-
uas, numquam tamen deseras lachrymas . De-
lectet te semper planctus , & luctus , tan-
to esto prona ad lamenta, quāto fui-
sti prona ad culpam . Secun-
dum infirmitatem adhi-
benda est medicina,
grauia pecca-
ta, gran-
dia lamenta desi-
derant .

Ad Pœnitentiam agendam quibus rationibus adducendi sunt homines. Cap. XXIII.

BASILIVS sic habet : Exin 1
de cœpit Iesus prædicare, & Lib. moral.
dicere: Pœnitentiam agite, sent. regula
appropinquauit enim re- 1. c. 1. & 2. to. 2.
gnum cælorum . Tunc cœ- *Matt. 4.*
pit exprobrare ciuitatibus, *Matt. 11.*
in quibus factæ fuerant plu-
rimæ virtutes, quod non egissent pœnitētiam .
Væ tibi Corozaim , væ tibi Bethsaida , quia si
in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ fa-
ctæ sunt in vobis, olim vtique in sacco, & cine-
re sedentes pœnitentiam egissent . Verumta-
men Tyro & Sidoni remissius erit in die iudi-
cij, quàm vobis . Vt autem sciatis , quia filius
hominis habet potestatem in terra dimittendi
peccata, ait : Amen dico vobis , quia quæcum- *Marc. 2.*
que ligaueritis super terram, erunt ligata & in
cælo , & quæcumque solueritis super terram ,
erunt soluta & in cælo . Et item : Amen dico *Matt. 18.*
vobis, quod si duo ex vobis consenserint super
terram , de omni re quacumque petierint fiet
illis a Patre meo . Quia venit hora, in qua om-
nes, qui in monumentis sunt, audient vocem fi- *Ioan. 5.*
lij Dei, & procedent, qui bona fecerunt in re-
surrectionem vitæ , qui vero mala in resurre-
ctionem iudicij . An diuitias bonitatis eius, &
patientiæ , & longanimitatis contemnis igno- *Rom. 2.*
rans , quod benignitas Dei ad pœnitentiam
te adducit ? Secundum autem duritiam tuam,
& impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die
iræ , & iusti iudicij Dei , qui reddet vnicuique
secundum opera sua . Et tempora quidem hu-
ius ignorantiæ cum dissimularet Deus , nunc *Act. 17.*
annunciat omnibus hominibus, vt omnes pœ-
nitentiam agant, eo quod statuit diem , in quo
iudicaturus est orbem .

C H R Y S O S T O M V S ait : Et si mini- 2
mum quid commiserimus , cōfestim delapsi in Hom. 27. in
immensam præcipitij voraginem deferimur , Matt. to. 2.
Non enim sumus stabiliores nos, quàm Dauid, *2. Reg. 12*
qui parua negligentia in profundum peccati
detrusus fuit: surrexit tamen velox, suscepitq.
seipsum admonitus . Non ergo delinquentem
solum inspicias , sed etiam multo magis deli-
ctorum maculas abluentem . Non enim idcir-
co hæc tam exquisite historia scripta est , vt
eiectum tu illum videas , sed vt surgentem, re-
cipientemq., se admireris , sic profecto disces ,
siquādo decides, quo pacto tibi surgendum sit.
Nam sicut medici grauissimorum morborum
causas , atque curam diligentius docent , vt in
difficilioribus exercitati qui discūt, facile quid
sibi in alijs faciendum sit intelligant: sic diuinæ
litteræ maxima delicta in medium posuerunt ,
vt inde minora etiam committentes , facilius
rationem curationis inueniant . Infra : In
nequitiæ profundum delapsus non decidit ani
mo , nō tantis vulneribus a diabolo læthaliter
percussus, quasi victus humi se resupinum pro-
strauit,

ſtrauit,ſed velociter,immo certe continuo ma
iora quàm accepit intulit vulnera. Ita non ali-
ter factum eſt, quàm cum a barbaro quidam
in acie fortis vir dimiſſo telo periculoſe per-
cuſſus, neque id ſemel, ſed iterum atque gra-
uius perpeſſus, non ceſſerit, ſed vndique ſan-
guine perfuſus magno in hoſtem impetu rue-
rit, confeſtimq. trucidauerit: ſic etiam Dauid
quanto magis ſaucium dices, tanto maioris il-
lum animi oſtendes, qui poſtquam ita miſere
depreſſus fuit, velociter ſurgere, ac ante pri-
mam aciem ſtare, percuſſoremq. ipſum humi
ſternere potuit, quod, quale, quantumque ſit,
hi maxime non ignorant, qui in ſummas pec-
3 catorum ærumnas deciderunt. Finge guber-
natorem quẽdam per mille maria incolumem
nauigaſſe,deinde poſteaquam magnas tempe-
ſtates, & procellas horribiles, & fluctus inſa-
nos arte ſagaci euaſerit,cũ in ipſo portus oſtio
mergeretur, vix inde nudum effugiſſe. Quem
animum ad mare, & nauigationes, huiuſmo-
diq. labores iſte habebit? Putaſne quod vm-
quam voluerit, niſi animi ſit ficti, vel littus
ipſum, aut nauem aliquam, aut portum aſpi-
cere? Non equidem arbitror, immo ſeipſum
occultans, ſpe omni ad nauigãdum deſtitutus,
mallet mẽdicus vitam agere, quàm ad primos
labores, periculaq. confugere, & redire. Sed
non fuit huic ſimilis ille, verum magno naufra-
gio poſt multos labores pene ſubmerſus non
deſperauit,ſed naui rurſus in pelagus deducta,
dare vela ventis poſt naufragium auſus,& cla-
uo rurſum vſus, & plures perpeſſus labores,
maiores iterum accumulauit pecunias. Quod
ſi ſemper ſtare, ac numquam cecidiſſe diuinũ
eſt,atque mirabile, quibus eſt laudibus dignus
qui & ſe a caſu recipit, & multa maiora perfi-
cit intrepidus? Et certe non erant pauca, quæ
in deſperationem detrudere ipſum potuiſſent.
Primum delictorũ inuſitata magnitudo, dein-
de quod non in ipſo aggreſſu vitæ,atque iuuẽ-
ta,quæ ſpem ſolẽt nutrire, ſed in ſenectute iam
conſtitutus labitur. Nec enim gubernator,
qui nuper mare ingreſſus naufragium fecit,
pariter dolet, atq; ille, qui poſt multa annorũ
ſpatia domum, immẽſa,onuſtaq. gaza naui re-
nauigans, in ſcopulos deuecta, cuncta momẽ-
to temporis perdidit. At hoc tertio,quoniam
partas magnis laboribus ingentes virtutum,
ac meritorum ſuorũ diuitias, his delictis ſub-
4 uertit. Multa ſibi diuitiarum a prima ætate
fuerunt congeſta, multa quãdo gigantem hor-
ribilem deiecit. Multa cum ſæpius Euangeli-
ca magnanimitate erga Saul auſus fuerit,nam
cum centies pene in manus ſuas incidiſſet ini-
micus, ignouit ſemper,maluitq. patriam ipſe,
libertatemq. vitã ſi eſſet opus amittere, quàm
perſequentem occidere inimicum. Neque his
minora regnum adeptus fecit. Præter hæc au-
tem populi de ipſo exiſtimatio, cui ſe non re-
ſpondiſſe videbat, nõ parum poterat animum
eius conturbare. His omnibus ex animo pul-
ſis,adeo poſt illa vulnera Dauid refulſit, ſic ſe
a maculis abluit,ita mundum effecit animum,

vt vel mortuus peccantibus ſuccurrerit, dicen
te Scriptura: Propter Dauid ſeruũ meum pro- 4. Reg. 20
tegam ciuitatem hanc. Cum igitur his exem-
plis moniti ſimus inuigilandum nobis, proui-
dendumq. eſt, primum ne cadamus, deinde ſi
forte ceciderimus,ne diutius iaceamus. Non
enim vt negligentiores vos faciam, Dauid de-
licta præ oculis poſui, ſed vt timore cadendi,
maiore vos cura muniam. Quare non quod
ceciderit ſolum conſidera, ne forte pigrior in-
de fias, ſed cogita diligenter quid poſt caſum
fecerit,quem fletum ſuſceperit, qua pœniten-
tia die ac nocte confectus fuerit, & quo cilicio
indutus lectũ ſuũ lachrymis rigauerit. Quòd
ſi ille tãta cordis compunctione indiguit, quo
nos pacto ſalutem acquiremus nullo poſt pec-
cata dolore compuncti?

IDEM dicit: Quemadmodum damnum 5 In hom. 32. ex imperfecto in Matt.
eſt medico, ſi ſubtrahantur infirmi, ſic damnũ
eſt Chriſto, non habere quos ſaluet. Si enim
expectans Samaritanos peccatores, de quibus
ipſe mandauit quaſi de indignis, In ciuitates
Samaritanorum ne intraueritis; tamen ſic de
aduentu eorum gaudebat, vt diceret: Cibum Ioan. 4.
habeo manducare, quem vos neſcitis, quan-
to magis eſuriebat innocentium puerorum ſa-
lutem? Ideo dixit: Nolite prohibere pueros, Matt. 19.
talium eſt enim regnum cælorum.

IDEM ait: Pœnitentia acerba, & horri- 6 Hom. 3. de pœnit. to. 5.
da eſt peccatori. Eſt enim delictorum medici-
na, iniquitatum cõſumptio,fiducia ad Deum,
aduerſus diabolũ arma,gladius vim eius præ-
cidens, caput amputans,ſalutis ſpes, deſpera-
tionis occaſus. Ipſa cælum aperit. Peccata ſi
habueris,ne deſperes. Tametſi quotidie pec-
cas, quotidie pœnitentiam age. Et quod in
domibus facimus cum fragiles, & ad caſum
nutant, fragilia educimus, tignaq. noua ſub-
mittimus,continueq. reparationis munus ob-
litteramus, idipſum, & in nobis faciamus. Si
hodie a peccato ſenueris,teipſum per pœniten
tiam inſtaura. In peccatis omnem contriui
vitam, atque pœnitentiam ſi egero,putas ſal-
uabor? Valde. Vnde mihi conſtabit? Domini
excellentia, pietateq. non iam tuæ confidens
pœnitentiæ. Si ſola ſuperfuerit pœnitẽtia me-
rito timebis,ſed quoniam pœnitentiæ Dei cle-
mentia, Deiq. pietas iuncta eſt fide. Tua qui-
dem malitia menſurã habet,Dei vero clemen-
tia, & pietas menſuram non habet. Tua mali-
tia qualiſcumque fuerit, humana malitia eſt,
Dei clementia eſt incircumſcripta. Ipſa igi-
tur tuam malitiam ſuperat. Cogita ſcintillam
ſi in mare ceciderit,num poterit ſtare, aut ap-
parere? Quantum ſcintilla ad mare ſe habet,
tantum hominis malitia ad Dei clementiam,
immo vero non tantummodo, ſed & longe ſu-
pra. Nam & pelagus,tametſi magnum ſit,mẽ-
ſuram non habet. Hæc dico non quo vos deſi-
diores faciam, ſed promptiores reddam.

IDEM inquit: Dicenti Dauid peccaui, 7 Hom. 5. de pœnit.
ſtatim Nathan reſpondit: Dominus tranſtu-
lit peccatum tuum a te, & antea non ſtatim
poſt lapſum puniuit eum. Cernis Deum fra-
ter

ter tardum ad pœnam, velocem ad veniam,nã
vno in temporis momento fuit pœnitentia, &
remiſsio. cernis,quod ad ſalutem velox.Idem
& in alijs facit tardans ad demolitionem, ad
reparationem properans. Accedat exemplo,
quod in nobis euenit hominibus, quibus mul-
to in tempore ædificia extruuntur, multo in
tempore ædificamus domum, & ipſius ſtru-
cturæ quidem multum temporis, deſtructio-
nis vero parum. E conuerſo autem fit in Deo,
cum ſtruit, velociter ſtruit, cum deſtruit,tar-
de deſtruit. Nam quia Domino hæc ſibi con-
ueniunt, illud quidẽ potentiæ,bonitatis iſtud,
potentiæ excellentia velox, multa de bonita-
te tardus. Sex in diebus cælum, terramq. fe-
cit, magnitudines, lateraq. montium, cam-
peſtria, montes, flumina, paradiſum viſibi-
lem, omnem cultum, & virtutem, mare hoc
magnum,& ſpatioſum, inſulas, maritima lo-
ca, omnem hunc viſibilem mundum, & qui
in eo eſt ornatum ſex in diebus conſumma-
uit, quæ in eo ſunt animalia rationalia, & ir-
rationalia in ſex diebus fecit. Hic igitur tam
velox in conſtruendo, cum cœperit vnius de-
Ioſue 6. moliendæ vrbis conſilium, inuentus eſt boni-
tate tardus. Vult Hierico demoliri, & dicit
ad Iſrael: Circuite eam ſeptem diebus, & o-
ctaua die cadet murus. Mundum vniuerſum
ſex in diebus conſtruis,& vnam vrbem ſeptem
in diebus ſoluis? Quid enim tuæ potentiæ im-
pedimento accedit? Quare non repente de-
ſtruis? Numquid de te propheta non clamat,
Pſ. 67. & dicens: Si aperueris cælum, tremor montes
Michea 1. occupabit, liqueſcent ſicut cera a facie ignis?
Numquid non opera virtutis tuæ narrans di-
Pſal. 45. xit: Non timebimus,dum turbabitur terra,
transferentur montes in cor maris? Montes
transferre & in mare potes, atq; vrbem vnam
non vis deſtruere repugnantem, ſed dies ſe-
ptem tribuis excidio? Quare? Num potentia
imbecillior? Sed clementia diutius tolerat.
Septem huic addo dies,velut triduum Niniue,
ſi forte pœnitentiæ ſuſciperet prædicationem,
& ſaluaretur.

8 Hom. 10. de pœnit. IDEM ſic habet; Niniuitarum vrbs non
diffidens ſaluata eſt, & illos certe lata iam ſen-
tentia a ſpe depulerat. Non enim dixit,ſi pœ-
nitentiam egerint ſaluabuntur, ſed ſolum tres
Ionæ 3. adhuc dies (noſtra lectio quadraginta dies ha-
bet) & Niniue ſubuertetur. Sed tamen iuben-
te Deo, & propheta clamante, ſententia non
moram, non correctionem habente, non ce-
ciderunt a minis, neque bonas ſpes perdide-
runt. Propterea enim conditionem minus ap-
poſuit, neque dixit, pœnitentiam ſi egerint,
ſaluabuntur. Quomodo & ipſi latam Dei ſen-
tentiam audientes neque ſic a ſpe cadamus.
Nam vel in eo eſt maxime videre Dei clemen-
tiam, quod ſententiæ conditionem minus ap-
ponens, tamen pœnitentibus reconciliatur.
Iſta igitur ſcientes, ſpe numquam cadamus.

9 In ſerm. de pœnit. IDEM dicit; Quis ſceleratior Manaſ-
ſe? & hunc pœnitentia reuocauit. Pœnituit
Deum, quod Saul regem elegerit. Quapro-
pter? niſi quia idem pœnitentiam ignorauit.
Quis ſapientior Salomone? Sed neſciens pœ-
nitentiam perdidit gratiam. Et ob hoc di-
ctum eſt: Concepit dolorem, & peperit ini- Pſal. 7.
quitatem. Concipit peccator delicti dolorem,
& ſi non pœnituerit, parit ſibi mortem. Par-
uulus antequam prodeat ex vtero, dolor eſt
matri, poſtquam vero editus fuerit, venit ei
gaudium. Peccatum vero conceptum coluber
eſt, in præcordijs hominum parit mortem,niſi
fuerit pœnitudine expiatum. Temerarius &
audax feſtinus cecidit in crimen, declinat au-
tem ab eo prouidus pœnitendo. Nam ſicut a-
qua ignem extinguit ardentem, ſic pœniten-
tia diluit crimina fontibus lachrymarum. In
corde pigri, vt cereus ardet peccatum, nam
in pectore pœnitentis liqueſcit vt cera. O pœ-
nitentia,quæ peccatum miſerante Deo remit-
tis, & paradiſum reſeras, quæ contritum ſa-
nas hominem, & triſtem exhilaras, ſtatum re-
ſtauras, honorem renouas, fiduciam das, &
reformas vires. Infra: O pœnitentia mi-
ſericordiæ mater, & magiſtra virtutum. Per
te nobis Chriſtus regnum cælorum deſignat,
dicens: Pœnitentiam agite, appropinquabit Matt. 3.
enim regnum cælorum. Per te ſubito rapuit Luc. 23.
latronem Chriſtus ad regnum. Per te Dauid 10
poſt flagitium felix iterum recepit Spiritum 2. Reg. 12.
ſanctum. Per te Manaſſes poſt cruenta facino- 2. Par. 33
ra, ecce meruit fieri acceptabilis. Per te Pe-
tro Apoſtolo, poſtquam ter negauit, data eſt Lucæ 22.
indulgentiæ dextera. Per te filius prodigus re- Ibid. 15.
greſſus ad patrem,non ſolum amplexum,oſcu
lumq. paternum, ſed etiam epulum vituli ſa-
ginati, veſtemq. inſignem promeruit adipiſci.
Per te mulier fornicaria vberes ſtillauit la- Lucæ 7.
chrymas. Per te Niniue ciuitas magna,popu- Ionæ 3.
luſq. integer barbarorũ ſubito Deum ſapuit,
cilicium contraxit, cinerem tuum comedit,
ieiuniũ tuum protraxit, lachrymas tuas pro-
fudit, fructuſq. vbertatis tuæ abundanter ex-
hibuit. Infra: Magnus profectus eſt la-
chrymarum, vt plorando ſeruus propitietur
dominum, filius lachrymis mitiget patrem,
& aſperam matrem plorãs paruulus mulceat.
Deus vitam meam annunciaui tibi, poſuiſti Pſal. 55.
lachrymas meas in conſpectu tuo. Tamquam
ſi diceret: Suſcipe Domine lachrymas meas,
quoniam lachrymæ ſunt,quæ radunt rudera,&
ſanant vulnera, lachrymæ ſunt, quæ pœniten-
tiam armant,& indulgentiam prouocant, cri-
mina delent, & conſcientiam degrauant. So-
nant in ore pœnitentiæ verba, & monẽt in pe-
ctore pietatis veniã. Et impletur caput aqua,
tumeſcent oculi,rigantur genæ, decurrunt ri-
uuli, & Deus indulgentia mentem exhilarat.
Sordentem animæ veſtem lachrymæ lauant,&
dant illi remiſsionis candorem.

HIERONYMVS exponens verba illa; 11
Mementote iſtud, & fundamini, & redite præ- Lib. 13. in c. 46. Iſa. to. 4.
uaricatores ad cor, ſic habet: Quia vos ipſe
genui, ipſe portaui, & ab infantia vſque ad ſe-
nectutem,non veſtro merito, ſed mea pietate
ſaluamini, deſerite idola, quæ feciſtis, & ad
vnius

vnius Dei cultum reuertimini. Septuaginta interpretes verterunt: Mementote horum, & ingemiscite, agite pœnitentiam, qui erratis. Agite pœnitentiam, ingemiscite pro errore, qui vos tenuit, immo fundamini ne rursum subitus idololatriæ vos turbo subuertat, & redite ad cor, idest ad mentem vestram, qui simulachra venerantes, velut furiosi in ligna impingebatis, & lapides.

12 IDEM docet, quòd Salomon peccauit, licet postea egerit pœnitentiam scribens pro-
Lib.13.in c. 43. Ezech. uerbia, in quibus ait: Nouissime ego egi pœ-
Prou. 24. nitentiam, & respexi vt eligerem disciplinam. Infra: Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & confundantur ab iniquitatibus suis, & metiantur fabricam, & erubescãt ex omnibus, quæ fecerunt. Domus ista, quæ Ezechieli, & per Ezechielem domui Israel ostenditur, talis est, vt qui eam mente conspexerit, cesset ab iniquitatibus suis non quibusdam, sed omnibus. Siue, vt in Hebraico continetur, Confundatur, & sustineat tormentum suum pro omnibus, quæ fecerit. Sustinet autem tormentum iniquitatum suarum, qui cessat præterita facere peccata, multumq. prodest ei, qui ante peccauit videre domum Dei, & omnis fabricæ eius nosse rationem, vt & peccare desistat, & habens illius desiderium, dicat ad Dominum: Domine dilexi decorem do-
Psal.25. mus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Vniuersa præcepta eius, cunctumq. ordinem, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum, vt custodiãt omnes distributiones eius, & præcepta illius, & faciant ea. Omnes leges templi ostende eis, qui portauerunt tormentum iniquitatum suarũ, & cessauerunt, siue confusi sunt super his, quæ ante gesserant. Idcirco autem ostende eis, vt custodiant omnia, quæ præcepta sunt.

13 IDEM exponens illa verba; Inter vesti-
In c.2.Ioel. to.5. bulum, & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes, inquit: Locus aptus pœnitentiæ, & confessioni, templum est, & altare, docetq. quid dicere debeãt sacerdotes, immo quomodo Dominum deprecari: Parce Domine populo tuo, qui quando peccabat vocabatur non populus tuus, nunc postquam recessit a vitijs appellatur populus tuus. Et ne des hereditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Datur in opprobrium hereditas Domini, quando seruierit hostibus, & dixerint nationes, vbi est Deus eorum, quem sibi defensorem esse iactabant. Possumus nationes interpretari aduersarias potestates, quæ, quãdiu non agimus pœnitentiam, dominantur nostri, & exprobrant, & dicunt, Vbi est Deus eorum. Postquam autẽ populus sanctificauit ieiunium, prædicauit curationem, congregauit multitudinem, sanctificauit Ecclesiam, elegit senes, paruulos, & sugentes vbera congregaret, & egrederetur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo, & nequaquam carni & voluptati, sed animæ, & fletibus inseruirent. Zelatus est Dominus terram suam, quam prius quasi alienam contempserat, & in tantum pepercit pœnitentibus, vt eos dignos sua responsione faceret, diceretq. Quoniam omnes fruges vestras, locusta, bruchus, rubigoq. vastauit, ideo dabo vobis frumentum, & vltra vos non tradam captiuitati. Zelatur Dominus terram suam, & parcit ei, quam dudum contempserat, suoq. eam dignatur alloquio.

14 IDEM explicans verba illa; Videbunt gentes, & confundentur super omni fortitu-
Li.2.in c.7. Michææ. dine eorum, dicit: Cum pasti fuerint intelligentes peccata pristina, confundentur in vitijs suis, & erubescent, & erunt in confusione, quæ ducit ad vitam, quia est & alia confusio, quæ ducit ad mortem, in qua habitauit quondam Og rex Basan. Siquidem Basan interpretatur confusio. De qua confusione pessima, & Dominus repromittit liberaturum se populũ suum. Dixit Dominus: Ex Basan conuertam, conuertam de profundo maris. Confusio populi habebit profectum, cum sua intellexerit
Psal.67. mala. Ponent manus suas super os suum, idest mala opera omnem eis loquendi auferent libertatem.

15 IDEM exponens illa verba; Memor fui
In Psal.76. to.7. Dei, & delectatus sum, ait: Præmiserat, Renuit consolari anima mea, quoniam quantum in peccatis meis est, me spe nulla poteram consolari. Rursum cogitaui de Deo, & in misericordia ipsius delectatus sum. In Hebraico aliter habet, Memor fui Dei, & conturbatus sum. Consideraui mansuetudinem ipsius, consideraui pietatem, consideraui munditiam, & videns meipsum immundum vehementer turbabar.

16 IDEM explicans verba illa; Et factum
Li.1.in c.9 Matt.to.9. est, discumbente eo in domo Leui, ecce multi publicani, & peccatores venientes discumbebant cum Iesu, ait: Videbant publicanum a peccatis ad meliora conuersum locum inuenisse pœnitentiæ, & ob id etiam ipsi non desperant salutem, neque vero in pristinis vitijs permanentes veniunt ad Iesum, vt pharisæi, & scribæ murmurant, sed pœnitentiam agentes, vt sequens Domini sermo significat dicens: Misericordiam volo, & non sacrificium, & cubat Dominus ad conuiuia peccatorum, vt occasionem haberet docendi, & spirituales inuitatoribus suis præberet cibos. Denique cum frequenter pergere ad conuiuia describatur, nihil refertur aliud, nisi quid ibi fecerit, quid docuerit, vt & humilitas tuomini eũdo ad peccatores, & potentia doctrinæ eius in conuersione pœnitentium demonstraretur.

17 IDEM exponens verba illa; Pœnitemini,
In c.1.Mar. & credite Euangelio, sic habet; Amaritudinem radicis dulcedo pomi compensat, pericula maris spes lucri delectat, dolorem medicinæ spes salutis mitigat. Qui desiderat nucleum, frangit nucem. Pœnitentiam agit, qui vult æterno bono adhærere.

AVGV-

18 AVGVSTINVS ait: Peccata, siue par-
Lib.sent.Augustini.to.3 ua, siue magna impunita esse non possunt, quia aut homine pœnitente, aut in iudicio Deo iudicante plectuntur. Cessat autem vindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. Amat enim Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos iudicant non iudicare.

19 IDEM exponens illa verba; Ascendit fu-
In Psal. 17. to.8. mus in ira eius, dicit: Ascẽdit lachrymosa deprecatio pœnitẽtium, cum cognouissent quid minetur Deus impijs. Et ignis a facie eius exardescit. Et flagrantia charitatis post pœnitentiam de notitia eius inardescit, carbones succensi sunt ab eo. Qui iam mortui erant, deserti ab igne boni desiderij, ac luce iustitię, & frigidi, tenebrosiq. remanserant, rursum accensi, & illuminati reuixerunt.

20 IDEM explicans verba illa; Quoniam do-
In Psal. 35. lose egit in cõspectu eius, vt inueniatur iniquitas eius ad odiũ, dicit. Sunt homines, qui quasi conantur quærere iniquitatem suam, & timent illam inuenire, quia si illam inuenerint, dicitur illis: recedite ab illa. Hęc feciſti antequã scires iniquitatem, feciſti cũ essus in ignorantia: dat Deus veniam. modo cognouisti eam, dimitte il-
Psal.24. lã, vt possit facile ignorãtię tuę venia dari, vt libera frõte dicas Deo: Delicta iuuẽtutis meę, & ignorantias meas ne memineris. At illã quærit, ac timet, ne inueniat eam, dolose enim quærit. Non sciebam, quia peccatum est. Quando dicit homo? Cum viderit, quia peccatum est, & steterit facere ipsum peccatum, quod ideo faciebat, quia ignorabat. Vere si voluit nosse iniquitatem, vt inueniret, & odisset. Nunc autem multi dolose agunt, vt inueniant iniquitatem suam, idest, non ex animo agunt inuenire, & odisse. Sed quia in ipsa inquisitione dolus est, in inuentione defensio iniquitatis erit. Ille qui dolose agebat, vt inueniret, iam inuenit, & non odit.

21 IDEM explicans verba illa; Virga dire-
In Psal. 44. ctionis virga regni tui, ait. Peccatũ puniturus est Deus, quia virga directionis est virga regni ipsius. Sed non potest, vt nõ puniat peccatum, si puniendum nõ esset, nec peccatum esset. Prę-
Pſal.26. Pſal.50. ueni illum, non vis vt ipse puniat, tu puni. Ideo enim adhuc ipse parcit, differt, tenet manum, arcum intendit, hoc est, minas. Clamaret tantum feriturum se, si vellet ferire? Differt ergo manum a peccatis, tu noli differre. Conuerte te ad punienda peccata tua, quia impunita esse peccata non possunt. Puniendum ergo erit, aut a te, aut ab ipso. Tu agnosce, vt ille ignoscat. Attende exemplum in alio psalmo pœnitentiæ: Auerte facient tuam a peccatis meis. Numquid dixit a me? Alio enim loco aperte dicit: Ne auertas faciem tuã a me. Ergo auerte faciem tuam a peccatis meis. Nolo videas peccata mea. Quia videre Dei animaduertere est, & punire. Ideo & iudex, quod punit, animaduertere dicitur, idest, animum illuc vertere, intendere vtique ad puniendum, quia iudex est. Sic est & iudex Deus: Auerte faciem tuam a peccatis meis. Tu ab ipsis faciem noli auerte-

re, si vis vt Deus ab ipsis auertat faciem suam. Vide quomodo hoc offert Deo in ipso psalmo: Facinus meum ego, inquit, agnosco, & peccatum meum ante me est semper. Hoc non vult esse ante Deum, quod vult esse ante se. Virga directionis virga regni tui. Interim quamdiu ille differt, tu noli differre, quoniam etsi misericos sit Deus, iustus etiam est, & virga directionis, virga est regni illius.

22 IDEM explicans verba illa; Dixit insi-
In Psal. 52. piens in corde suo, non est Deus corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis, inquit. Difficile est, vt incurramus in hominem, qui dicat in corde suo, non est Deus, tamen sic pauci sunt, vt inter multos timendo hoc dicere, in corde suo dicant, quia ore dicere non audent. At vero alio intellectu discusso, inuenitur esse in pluribus, quod in paucis, & raris, & pene nullis esse putabamus. Prodeant in medium, qui male viuunt, inspiciamus flagitiosorum facta, quorum magna turba est, qui fouent quotidie peccata sua, qui factis inconsuetudinem verbis etiam verecundiam perdiderunt. Et isti tales sunt, vt dicant in corde suo, non est Deus. Et vnde istos tales esse conuinco? Facta sua Deo placere arbitrantur, qui autem putat Deo placere facta mala, non eum putat Deũ. Si enim Deus est, iustus est, si iustus est, displicet ei iniustitia, & iniquitas. Tu autẽ cum putas ei placere iniquitatẽ, negas Deum: cũ dicis in corde tuo, fauet iniquitatibus meis Deus, nihil aliud dicis, quàm nõ est Deus. Sed illi, qui corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, quid dixerũt? Non est Deus: & tanquam causa quæreretur, vnde hoc posset dicere imprudens subiecit, corrupti sunt, & abominabiles facti sũt in iniquitatibus suis. Audi illos corruptos: Dixerunt enim apud se non recte cogitantes. Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostrę. Manducemus, & bibamus, cras enim morie-
Sap.2. mur, coronemus nos rosis antequam marcescant, vbique relinquamus signa lætitiæ nostræ, occidamus pauperem iustum, hoc est, dicere, non est Deus.

23 IDEM exponens verba illa; Narrabimus
In Psal. 74. mirabilia tua, cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo, ait. Gratias misericordiæ eius. Prius prędicet iustitiã, & sic iudicet iustitias. Nam si ante vellet iudicare, quàm prædicare, quis inueniretur liberandus? Quis absoluẽdus occurreret? Modo ergo prædicationis tempus est. Narrabo, inquit, omnia mirabilia tua. Audi narrantem, audi prædicantem. Nam si contemsperis, cum accepero tempus, inquit, ego iustitias iudicabo. Dono, inquit, nunc peccata confitenti, non parcam postea contemnenti. Misericordiam, & iudicium cantabo tibi Domine. Modo misericordia, postea iudicium, in qua misericordia peccata donantur, in quo iudicio peccata puniuntur. Vis non timere peccatorum punitorem? Ama donatorem, noli respuere.

24 IDEM exponẽs illa verba; Venite adore-
In Psal. 94 mus, & procidamus ante Deum, ploremus coram

Sſ

Universidad de Deusto Biblioteca

ram Dño, qui fecit nos, dicit. Iam commemoratis a me laudibus Dei, nolite pigri esse, & longe vita, & moribus stare. Venite adoremus, & procidamus ei. Sed forte de peccatis vestris, quæ vos longe fecerant a Deo, solliciti estis, faciamus sequentia, & ploremus coram Domino, qui fecit nos. Ardes forte conscientia delicti? lachrymis extingue flammam peccati, plora ante Dominum securus, plora ante Deum, qui te fecit, non enim opus manuum suarum contemnet in te. Ploremus ante Dominum qui nos fecit, lachrymare ante illum confitere illi, præueni faciem eius in cofessione. Quis enim es tu, qui illi ploras, & illi confiteris, nisi quem fecit? Non paruæ fiduciæ est ad factorem res facta, & non quomodocumq; facta, sed ad imaginem, & similitudiuem suam. Quoniam ipse est Dominus Deus noster. Vt autem securi ante illum procidamus, & ploremus, quid sumus? Nos populus pascuæ eius, & oues manus eius.

25 Lib. de contritione cordis. to. 9.

IDEM sic habet; Anima peccatrix, arbor infructuosa es. Talis autem arbor digna est securi, & igne, digna succidi, & incendi. Qui sunt fructus tui? Vtiq; spinæ pungētes, & amara peccata, quæ vtinam, sic te pœnitendo pungerent, vt confoderent, sic amarescerent, vt euanescerent. Respira ergo peccator, respira ne desperes, spera in eo quem times, fuge ad eum, a quo aufugisti, inuoca importune quem superbe prouocasti. Ecce misericors Deus coram te exhibeo animam meam virtutum muneribus desolatam, catenis vitiorum ligatā, discissam vulneribus dæmonum, putridam, & fœtidam vlceribus criminum: peruersum, & pessimū est cor meum, ad deploranda propria peccata mea est lapideum, & aridum, ad resistendum insultantibus molle, & luteum, ad inutilia autē, & noxia petractanda velox, & infatigabile, ad cogitāda
Psal. 77. salubria fastidiosum, & immobile. Infra: Abyssus peccatorum meorum abyssum inuocat tormentorum. Abyssus ergo iudiciorū Dei super me, abyssus inferni subtus me, abyssus peccatorum meorum est intra me. Illam quæ super me est timeo, ne me irruat, & me cū abysso mea in illam, quæ subtus me latet, obruat. Exaudi ergo clamantem de abysso ad te benignissimum, peccata mea non abscondo, sed pando ea coram te, non defendo, sed ostendo, non excuso, sed accuso, ego sum reus, ego ipse accu-
26 sator meus. Præcipitare ergo miser homo in profundum mœstitiæ, qui sponte præcipitatus es in barathrum horrēdæ nequitiæ, obvolnere in tenebris inconsolabilis luctus, qui volēs prouolutus es in voragine tam sordidi fluctus. Necessarium est flere peccatorem, vel hic, vel in futuro. Si non sum dignus oculos ad cælum leuare orando coram te Domine Deus, certe sum dignus plorando eos cœcare. Respira ò peccator, respira aliquando, & fuge ad ipsum Deum quē offendisti, fuge inquā ab irato ad placatū. Si iudex es ad iudicandū reum tuū, es & Deus ad defendendum seruū tuum, es & Creator ad conseruandum opus tuū, es & Deus ad saluandū credentē tuū. Ne ergo memineris Domine iustitiæ tuæ solius aduersus peccatorē tuū, sed memor esto miserationis tuæ aduersus miserū tuum. Scio quidem, & fateor, quod conscientia mea meretur damnationē, & pœnitentia mea non sufficit ad satisfactionem, sed Deus meus es, in te pono spem meam, & tibi cōmitto animam meā. Peccare, est Deū inhonorare, quod homo facere non debet, etiā si necesse esset perire quicquid Deus non est. Doce me Domine, vnde debeam sperare, vt possim saluari.

27 Serm. 10. de verbis Apostoli Pauli. to. 10.

IDEM in expositione verborū Ap. 2. Cor. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis sui, prout gessit, siue bonū, siue malum, dicit. Mecū pariter pauescite, quia nō dicit, quod reddat vnicuiq; secundum misericordiam suā, sed secundum opera sua. Hic. n. est misericors, ibi iustus. Nam quod statim in peccatores vindicat, patientia est, non negligentia. Nō ille potentiam perdidit, sed vos ad pœnitentiā reser-
uauit. Vnde valde timendum est, ne quāto diutius expectat, vt corrigamur, tāto grauius vindicet, si emēdari noluerimus. Et ideo rogo fratres, vt quotidie cogitemus quales erimus in die iudicij, purissimis Angelorum cōspectibus offerendi, & æterno iudici rationem de libris cōscientię reddituri remotis omnibus probationibus. Ordinabuntur tunc ante infelicē animam peccata, vt eam & cōuincat probatio, & confundat agnitio secundum illud, quod scriptum est: Arguam te, & statuam contra faciē Psal. 49.
tuam. Quicumq; se modo, dum licet, emendare neglexerit, ante illū cælestem populum primū excepturus erit de confusione suppliciū, & ani 28
ma, quę modo per pœnitentiā compendiosam transactas peccatorum suorum putredines curare dissimulat, ante illud tribunal metuendū, sine remedio in perpetuo tartaro manebit. O si iam nunc faciem peccatricis animæ liceret oculis carnis intueri, & cōscientiæ nostræ vultū in oculorum pręsentiam permitteremur adducere. Quod si liceret, nec dici potest, quanto studio, quātoq. metu vrgeremur fœdata componere, maculata tergere, vulnerata curare. Ideoq, quia non possumus oculis corporis, inspiciamus nos in quantū possumus oculis cordis, & vnusquisq; conscientiam suam ante conspectum interioris hominis cōstituat. Ipsi nosmetipsos castigemus, ipsi nobiscum rationem de quotidiana cōuersatione faciamus, ipsi nos accusemus quotidie iudici nostro, & dū in hac carne sumus, contra ipsam carnem, auxiliante Domino, quotidie dimicemus, vincamus voluptates, & delectationes nostras, vt fulgeamus, sicut sol in regno Patris nostri.

29 Serm. 38. in Cantica.

BERNARDVS dicit; Forte aliquis reuersus in se, & displicēs sibi in omnibus malis, quæ fecit, cogitansq. resipiscere, & redire ab omni via mala, si ignorat, quàm sit bonus Deus, quā suauis, & mitis, quàm multus ad ignoscendum, nonne sua carnalis cogitatio arguet eum, & dicet: Quid facis? Et vitam istam vis perdere, & futuram? Peccata tua maxima sunt, &

nimium multa. Nequaquam pro tot, & tantis, nec si te excories, sufficies satisfacere. Complexio tenera est, vita extitit delicata, consuetudinem difficile vinces. Pro his & similibus desperatus resilit miser, ignorās, quàm facile omnipotēs, qui neminem vult perire, cuncta ista dissolueret, sequiturq. impœnitentia, quę est delictum maximum, & blasphemia irremissibilis. Ipse vero aut conturbatus nimia tristitia absorbetur, & fertur in profundum, minime iam vt cōsolationem recipiat emersurus, sicut scri-
Prou. 18. ptum est, Impius cum in profundum venerit malorum contemnit: aut certe dissimulans, & sibi qualicumque verisimili blandiens ratione reuocat se irreuocabiter in sæculum ad perfruendum, & deliciandum in omnibus bonis
1. Thess. 5. eius quoad licuerit. Cum autem dixerit pax, & securitas, tunc repentinus ei superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugiet. Quid timetis modicæ fidei, vt peccata nolit remittere? Sed affixit ea cruci cum suis manibus. Quòd teneri, & delicati estis? Sed
Psal. 145. ipse nouit figmētum nostrum. Quòd male assueti, & ligati peccandi consuetudine? Sed Do
Rom. 5. minus soluit compeditos. Forte ne irritatus immanitate, & multitudine criminum cunctetur porrigere manum adiutorij? Sed vbi abundauit delictū superabūdare, & gratia cōsueuit.

Perseuerantia necessaria multum homini, quæ cum donū sit Dei instāter ab ipso est expostulanda. Cap. XXIIII.

DE re hac multa diximus in anterioribus lib. 9. cap. 22. Et in lib. hoc 14. cap. 16. quibus addenda sunt, quæ sequuntur, & in primis.

1 Ho. 1. in ps. 1. to. 1.

BASILIVS explicans verba illa; Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, sic habet: Considera verborum quæ sit exacta cōprehensio, quonā modo quælibet dictio sentētijs scatet, & exuberat. Non dixit, qui non abit, sed qui non abijt in consilio impiorum. Nondum enim ille, qui in vita est, beatus est prædicandus ob exitū incertum, sed qui vices suæ functionis, & vocationis semel absoluerit, vitamq. fine certo clauserit, hic iam beatus tuto dici poterit. Cur
Psal. 118. igitur: Beati immaculati, qui ambulant in lege Domini? Non enim ibi dicitur, qui ambulauerunt, sed qui adhuc ambulant, beatos illa scriptura pronuntiat, quoniam qui benefaciunt, in ipsa laudantur actione, qui vero peccatum fugerunt, si semel atque iterum a malo forte declinauerūt, non propterea laudandi sunt, sed qui omnino omni tempore vitare prorsus potuerint malitiæ experientiam, quæ omnia in fine tantum vitæ perficiuntur.

2 Ho. 3. in ps. 14.

IDEM explicās illa verba; Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, sine macula, & operatur iustitiam, dicit: Attende exactam dictionis vim. Non dixit, qui ambulauit, sed qui ambulat, neq; qui fecit iustitiam, sed qui facit. Non enim vnus actus perficit studiosum virtutis operatorē, sed per omnē vitā, prorogari, & extendi conuenit virtutis actiones, vt in bono perseueret homo vsq; in finem, & saluus fiat.

3 Lib. 13. in c. 43. Ezec. to. 4.

HIERONYMVS exponens verba illa; Septē diebus facies hircum pro peccato quotidie, & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent, ait: Per hæc sacrificia septē dierum ad perfectum expiatur altare. In septē diebus sabbathismus ostēditur, qui iuxta Apostolum populo Dei reseruatur, in Heb. 4.
quibus veram æternamq. speramus requiem. In hirco autem, & vitulo, & ariete tria generalia delicta monstrantur, quibus mortalium subiacet genus: Aut enim cogitationibus, aut sermone, aut opere, peccamus. Cogitatio refertur ad arietem, quæ prima est omnium peccatorum, & ex qua alia duo peccata nascuntur. Hędus autem siue hircus ad eloquium, siue sermonem, qui semper de excelsioribus disputat. Opera vero proprie vitulo deputantur, quoniā vomeri, & labori, & terrenis operibus mācipatus est. Hæc igitur immaculata per septē dies Deo offerre debem⁹, & expiare altare per totā vitam, vt oratio nostra munda perueniat ad Deum.

4 Lib. 14. in c. 46. Ezec.

IDEM explicans verba illa; Et agnū anniculum immaculatum faciet holocaustū quotidie Dño mane, & mane faciet illud, inquit: Agnum anniculum immaculatū faciet holocaustū, & non certis diebus, sed quotidie, nec qualibet hora, sed mane, mane faciet illū, per singula videlicet mane, quando orto sole lucis exordium est. De quo mane Dauid loquitur in psal
mo. Mane exaudies vocē meā: mane astabo ti- Psal. 5.
bi, & videbo. Sacrificiū nulla intermittitur die, sed iuge, atq; perpetuū est. Et omni tēpore orto iam sole offertur, vt impleatur, quod in fine capitis huius ponitur. Faciet agnum in sacrificiū, & oleū mane, mane holocaustū sēpiternū. In quibus omnibus perseuerandū in bono docet Dominus.

5 In c. 11. Eccl. to. 5.

IDEM exponens illa verba; Mane semina semen tuū, & vespere ne cesset manus tua, quia nescis, quid magis oriatur, hoc aut illud, & si vtrūq. simul, melius erit, dicit: Cum benefeceris nūquā a bono opere desistas. Matutinā iustitiam vesper inueniat, & vesperi misericordiam. Solis ortus accumulet. Incertū est enim, quod opus magis placeat Deo, ex quo tibi fructus iustitiæ præparetur. Aliter, & in adolescentia, & in senecta æquus tibi labor sit. Ne dicas dū potui laboraui, debeo in senectute quiescere. Nescis enim vtrum in iuuentute, an in ętate longæua placeas Deo. Nec prodest adolescentiæ frugalitas, si senecta ducatur in luxu, in quacumq. enim die errauerit iustus, veteres eū iustitiæ a morte liberare non poterunt. Quod si iuxta vtramq. interpretationem semper benefeceris, & omni ætate æqualem cursum habueris, videbis Deum Patrē dulcissimū lumē. 6

IDEM explicans verba illa: Vbi est ergo beatitudo vestra? sic habet: Beatus est qui am-

Lib.2.in ca. 4.epi. Pauli ad Galatas, to.9.

bulat in virtutū via, sed si ad virtutes vsque peruenerit. Nec prodest a vitijs recessisse nisi optima comprehendas. Quia non tam initia sunt in bonis studijs laudanda, quàm finis. Sicut enim in vinea multi vsque ad prælum vuæ gradus sunt, & primū necesse est, vt vitis germinet in pāpinis, spem promittat in floribus, dehinc, vt flore decusso futuri botri species deformetur, paulatimq. turgescens vuā parturiat, vt prælā torcularibus dulcia musta desudet, ita & in doctrina singuli beatitudinū sunt profectus. Vt audiat quis verbum Dei, vt concipiat, vt in vtero animæ eius adolescat, & ad partum vsque perueniat, vt cum pepererit illum, lacte enutriat, & per infantiam pueritiā, adolescētiam, iuuentutem, ad perfectum virū vsque perducat. Cum ergo singuli, vt diximus, gradus iuxta profectus suos habeant beatitudinem, si finis, & vt ita loquar extrema manus operi defuerit, totus labor irritus fiet, & dicetur, vbi est ergo beatitudo vestra? Quamuis, inquit, vos eo tempore, quo Euangeliū susceperatis, beatos dicerem, quòd in initijs feruebatis, tamen nunc quia non video ædificio culmē impositum, cogor dicere, vbi est ergo beatitudo vestra, qua vos beatos arbitrans ante laudabam?

7 Lib.de institutione virginis ad Eubiū. ca. 3. to.1.

AMBROSIVS dicit: Cum omnia opera sua laudauerit Deus cælum, terram, maria, noctem, diē, laudauerit feras, bestias, vbi ad hominem ventum est, solus non videtur esse laudatus, propter quē generata sunt omnia. Quæ igitur causa est, nisi forte ea, quia alia in specie gratię foris sūt, hominis gratia in occulto? Nihil in bestijs plus reperias, quàm qđ videtur, in homine nihil est inferi⁹, quàm qđ videtur. Qui cū ex animo cōstet, & corpore, hoc vtiq; in eo seruit, qđ videtur, illud autē in eo regit hominē, quod nō videtur. Merito ergo alia in exordio laudātur, istius laudatio non promitur, sed reseruatur, quia aliorum gratia foris, huius intus est. Aliorum in natiuitate, huius in corde. Quid enim tam altum, & tam profundum, quā mens hominis, quę quasi in volucro quodā cor poris tegitur, & occultatur, vt eam haud facile quisquam introspicere queat. Ideo ergo homo non ante laudatur, quia nō in forensi pelle, 1. Pet. 3. sed in interiori homine sicut ante probādus, sic prædicandus est, quem præclare diffiniuit Apostolus Petrus, dicens: Absconditum esse cordis hominem in incorruptione quieti, & modesti spiritus, qui est ante Deum locuples. Merito ergo differtur, vt sequatur fœnerata eius laudatio, cuius dilatio non dispendium, sed incrementum est. Homo igitur mihi non tam vultu, quam affectu admirandus emineat, atq; excellat, vt in his laudetur, in quibus etiā Deus prophetico iudicio laudatur, de quo scriptum est, Psal. 65. Terribilis in consilijs super filios hominum. Cuius opera coram Deo luceant, qui bona iugibus operibus facta contexet. Et ideo laudatio eius non in exordio, sed in fine est. Nemo 2. Tim. 2. enim nisi legitime certauerit, coronabitur. Ideoq. sapiens tibi dicit; Ante mortē nō laudes hominem quēquam. Qua ratione hoc dixerit, superioribus docuit, dicens. Quia in fine hominis nudantur opera eius. Eccli. 11.

8 Lib.6. Hexamerō.c.4. to.4.

IDEM dicit: Etenim si in fidibus, aut cantibus, & athletarum contentionibus, crebris licet, & maximis ludicris, tam superiores dies, si ne vllo corone transiguntur disp endo, postremus autem dies habet sortem coronę, in quo & certandi periculum est, & cedēdi opprobrium, & vincendi præmium, quanto magis in hoc tāto agone virtutis vniuersorū iudicio, cum hodie vobis velut quædā certaminis corona procedat, maior sollicitudo angit, ne & superiorū effundamus laborē dierum, & præsentis subeamus pudorem? Neq; enim eadē faciendi conditio, quæ canendi, atq; luctandi, cū in illis ludus offensionis, in isto lapsus sit mortis.

9 Lib. 17. de ciuita. Dei ca.4. to.5. 1. Reg.2.

AVGVSTINVS explicans verba illa; Cantici Annę: Dominus iudicabit fines terrę, seu extrema terræ, vt Augustinus legit, inquit; Hoc est, ac si diceretur etiam extrema terræ, non enim alias terræ partes non iudicabit, qui omnes homines iudicabit. Sed melius intelligūtur extrema terrę extrema hominis, quoniā nō iudicabūtur, quæ in melius, vel deterius mēdio tēpore cōmutātur, sed in quibus extremis inuentus fuerit, qui iudicabitur. Propter quod Matt. 10. scriptum est. Qui perseuerauerit vsque in finē hic saluus erit. Qui ergo perseuerāter facit iudicium, & iustitiam in medio terrę, non damnabitur, cum iudicabuntur extrema terræ.

10 In lib. de bono perseuerātiæ i exordio lib. 1. 7.

IDEM hanc statuit veritatem perseuerantiam esse donum Dei, qua vsque in finem perseueratur in Christo, finē autē dico quo vita ista finitur, in qua tantūmodo periculum est ne cadatur. Infra: Quòd si hæc perseuerātia, de qua dictum est, qui perseuerauerit vsq; in finē, hic saluus erit, donū Dei non esset, quomodo verum est, quod Apostolus ait: Vobis donatū est pro Christo, non solum vt credatis in eum, verum etiam vt patiamini pro eo. Horū quippe vnū pertinet ad initium, alterum ad finē, vtrumq; tamen est donum Dei, quia vtrūq; dictum est, esse donatū. Vnde Hieremias ait: Timorem meum dabo in cor eorum, vt a me non recedant. Quod quid est aliud, quàm talis, ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, vt mihi perseueranter adhæreant? An vero quisquam sanctorum est, qui non sibi poscat a Deo, vt perseueret in eo, cum ipsa oratione, quæ Dominica nuncupatur, quia eandē Dominus docuit, quando oratur a sanctis, nihil pene aliud, quàm perseuerantia poscī intelligatur? Legite Cypriani martyris librū de expositione orationis huius, in quo ait: Cū dicimus sanctificetur nomen tuum, id petimus, & rogamus, vt qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse cœpimus perseueremus: hanc continuis orationibus precem facimus: hoc diebus, & noctib⁹ postulamus, vt sanctificatio, & viuificatio, quę de Dei gratia sumitur, ipsius protectione seruetur. In sanctificatione igitur perseuerātiā, hoc est, vt in sanctificatione perseueremus, nos ab eo petere iste doctor intelligit, cum sanctificati dicimus: Sanctificetur nomen tuum. Quid est enim aliud petere, quod accepi- Phi. 1. Hier. 32.

accepimus, nisi vt id quoque nobis prestet ne habere desinamus? Sicut ergo sanctus, cum Deum rogat, vt sanctus sit, id vtique rogat, vt sanctus permaneat, ita vtique & castus, cum rogat, vt castus sit, continens, vt cōtinens sit, iustus, vt iustus sit, pius, vt pius sit, hoc sine dubio petunt, vt in eis perseuerent bonis, quæ 11 se accepisse meruerunt. Quod si accipiunt profecto & ipsam perseuerantiam, magnū Dei donum, quo cetera dona eius conseruantur, accipiunt. Quid cum dicimus: Adueniat regnum tuum? Num aliud poscimus, nisi, vt veniat, & nobis, quod esse venturum non dubitamus omnibus sanctis? Ergo & hi, qui iam sancti sunt, quid orant, nisi vt in ea sanctitate, quæ eis data est, perseuerent? Neque enim aliter eis veniet regnum Dei, quod non alijs, nisi eis, qui perseuerant vsque in finem, certum est esse venturum. Tertia petitio est: Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra. Cum iam facta sit voluntas Dei, & fiat in sanctis, cur vt fiat adhuc petunt, nisi vt perseuerent in eo, quod esse cœperunt? Petimus etiam, vt in facienda voluntate Dei æquentur Angelis Dei, cum hoc orāt, sancti perseuerantiam demonstrantur orare, quoniam nemo peruenit ad illam summam, quæ in regno est, beatitudinem, nisi in ea sanctitate, quam sumpsit in terra perseuerauerit vsquē in finem. Quarta petitio est: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, vbi beatus Cyprianus ostendit quomodo & hic intelligatur perseuerantia postulari. Panem quotidianum, & Eucharistiā postulant sancti, ne a Christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, qua nullū, quo inde separari mereantur, crimen admittant. Iam vero cum dicunt sancti: Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo, quid aliud, quàm vt in sanctitate perseuerent, precantur? Nam profecto concesso sibi isto Dei dono, quod esse Dei donum, cum ab illo poscitur satis, aperteq. monstratur, isto igitur concesso sibi dono Dei, ne inferantur in tentationem, nemo sanctorū est, qui non teneat vsque in finem perseuerantiam sanctitatis. Neque enim quisquam in proposito Christianitatis perseuerare desistit, nisi in tentatationē primitus inferatur. Si ergo concedatur ei, quod orat, vt non inferatur in tentationem, in sanctificatione vtique, quam Deo don nte percepit, Deo donante persistit.

12 Lib.de correptione, & gratia ad Valentinū.

IDEM dicit; Aliud est adiutorium, sine quo aliquid nō fit, & aliud est adiutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus viuere, nec tamen cum affuerint alimenta eis fit, vt viuat, qui mori voluerit. Ergo adiutoriū alimentorum est, sine quo non fit, vt viuamus. Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adiutorium perseuerantiæ, non quo fieret, vt perseueraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseuerare non posset. Nunc vero sanctis in regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis, non tantum tale adiutorium perseuerātiæ datur, sed tale, vt eis perseuerantia ipsa donetur, non solum, vt sine isto dono perseuerantes esse non possint, verum etiam vt per hoc donum non nisi perseuerantes sint. Non solum enim dixit: Sine me nihil potestis facere, verumetiam dixit: Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat. Quibus verbis eis non solum iustitiam, verumetiā in illa perseuerantiam se dedisse monstrauit. Christo enim sic eos ponente, vt eant & fructū afferant, & fructus eorum maneat, quis audeat dicere: Forsitan non manebit? Sine pœnitentia enim sunt dona Dei, & vocatio, sed vocatio eorum, qui secundum propositum vocati sunt. Ioan. 15.

13 In Psal. 60. to.8.

IDEM explicans illa verba; Sic psallam nomini tuo Deus in sæculum sæculi, vt reddam vota mea de die in diem, dicit. Si psallis nomini Dei, ue psallas ad tempus. Vis in sæculum sęculi psallere, vis in æternum psallere? Redde ei vota tua de die in diem. Quid est, redde ei vota tua de die in diem? De die isto in diem illū, perseuera reddere vota in isto die, donec venias ad illum diem, hoc est, qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

14 Cōcione 2. in Psal. 70.

IDEM exponens verba illa; Deus docuisti me a iuuentute mea, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua, & vsque in senectam, & senium Deus ne derelinquas me, ait. Ex quo conuersus sum ad te, didici merita mea nulla præcessisse, sed gratiam tuam mihi gratis veniisse, vt memorarer iustitiæ tuæ solius. Quid deinde post iuuentutem? In ipsa enim prima conuersione tua didicisti, quod ante conuersionem iustus non fuisti, sed expulsa iniquitate, successit charitas. Iam forte, ex quo conuersus es, habebis aliquid tuū, & de viribus tuis præsumere debes, quemadmodum solent homines dicere, iam dimitte, opus erat, vt viam ostenderes, sufficit, ambulabo viam. Si sic dicis, dimitteris, & per infirmitatem iterum aberrabis. Bonum erat tibi, vt deduceret te, qui prius in via collocauit te. Ceterum nisi & ipse ducat, rursus errabis. Dic illi ergo: Deduc me Domine in via tua, & ambulabo in veritate tua. Psal.5. Venit ad te, qui tibi ostenderet viam, venit ad te ipsa via, & constitutus es in ea sine meritis tuis, quoniam errabas. Quid est ex quo ingressus es? Iam regis te. Iam ille, qui viam docuit te, dimittet te? Non, inquit, docuisti me ex iuuentute mea. Et vsque nunc annunciabo mirabilia tua. Mirabile est enim, quod adhuc facis, vt regas me, qui in via posuisti me, & hęc sunt mirabilia Dei, qui suscitauit te. Deus quando exsuscitat corpus mundo reddit, quando exsuscitat animam sibi reddit. Si recedat aer mundi istius, moritur corpus, si recedat Deus, moritur anima. Cum ergo animam suscitat Deus, nisi adsit, qui suscitauit, suscitata non viuit, sed moritur, si deserat Deus. Quia ergo Deus non recedit ab eis, quos suscitat, ne cum recesserit moriantur, dicimus ei, & vsque nunc pronunciabo mirabilia tua. Ergo dum adest vita mea,

hoc est, Deus meus vsq; nunc. Quid postea? Et vsque in senectam, & senium. Docuisti me gratiam tuam a iuuentute mea, & vsq; nunc, post iuuentutem meam annunciabo mirabilia tua, quia mecum es, vt non moriar, quia venisti, vt surgam. Et vsque in senectam, & senium, idest, vsque ad vltimum finem meum, nisi mecum fueris, non erit aliquid meriti mei. Gratia tua semper perseueret mecum vsque in finem.

15 Serm. 8. ad fratres in eremo, in quo agit de perseuerantia. to. 10. 2. Tim. 2.

IDEM sic exorditur; Fratres mei, sicut ait Apostolus, non potest coronari, nisi qui legitime certauerit. Nullus enim legitime certat, nisi qui in campo vsque ad finem certat, & si certat vsque in finem, legitime certat, & ideo coronatur. Non est igitur magnum bonum inchoare, quod bonum est, sed consummare, hoc solum perfectum est. Multi enim magna aggrediuntur, sed deficiunt in via, multi exeunt in desertum, sed pauci perueniunt in terram promissionis. O fratres mei non tædeat incipere magna, nec fastidiat tenere inchoata, scientes quod perseuerantia informat meritum, remunerat currentem, coronat pugnantem, conducit cunctos ad portum. Hæc

Gen. 37.

est tunica talaris Ioseph vsq; ad finem contingens. Hæc est tunica sacerdotalis vsque ad pedes perueniens. Hæc est cauda hostiæ, quam tenemus reddere Deo, & offerre. Hæc est calcaneum bonæ operationis, quod contra serpentē debemus obseruare, & cōtra eius morsum. Hęc est vestis sine ruga, tunica sine macula. O monache, qui bene incepisti, caue, ne cadas, caue ne ad tempus viresças, & in tempore afflictionis marcescas. Caue ne fœno compareris, quod

16

nunc nascitur, & statim marcescit. Attendite fratres, nam diabolus quandoque seruos Dei ad bonum incitat, & conducit, vt de bono grauius eliciat malum. Contra hunc diaboli insultum valet sola perseuerantia, vt bono fine bona cōcludantur initia. Bonum enim inchoare, & malo fine concludere, quid est aliud, quàm monstruosas res cōficere? Illa enim actio quasi chimæra est, quæ initium habet a ratione, & finem a sensualitate. Cum enim sic agitur, humano capiti ceruicem pictor equinam iungit, & superinduc it infructuosas plumas. Caue ne actio tua monstrum maneat. Enormis enim erit fœtus ventris, si capiti non correspondeat finis. O monache quid tibi prodest bonum inchoare, & non finem concludere? O quàm tibi melius fuisset viam veritatis non agnoscere, quàm post agnitam retroire per inconstantiā.

2. Pet. 2.

Igitur si cœpisti ædificare, perfice, si non incepisti, incipe. Incipite fratres mei, & perseuerate, reducentes vobis ad memoriam a quanto recesit Iudas, & quomodo feruēter bene agere cœpit, quomodo tamen perseuerauerit scitis. Ecce enim Salomon per inconstantiam cor-

3. Reg. 11. 1. Reg. 15.

ruit, sic & Saul, sic & multi alij, quia multorum incipere fuit, sed perseuerantium paucus est numerus. Cauete ergo quomodo caute ambuletis, & qui se existimat stare, videat ne cadat. Felix ergo est, qui benefaciendo perseuerat vsque in finem.

17 Lib. 1. Mor. c. 21. to. 2.

GREGORIVS exponens illa verba Iob capite 1. Sic faciebat Iob cunctis diebus vitæ suæ, dicit. Incassum bonum agitur, si ante terminum vitæ deseratur, quia & frustra velociter currit, qui priusquam ad metas veniat, deficit. Hinc est enim, quod de reprobis dicitur: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Hinc electis suis veritas dicit: Vos estis, qui permansistis mecum in tētationibus meis. Hinc Ioseph, qui inter fratres iustus perseueraſſe vsque in finem describitur, solus talarem tunicam habuisse perhibetur. Nam quid est talaris tunica, nisi actio consummata? Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cum bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ nos terminum tegit. Hinc est, quod per Moysem caudam hostiæ in altari offerre præcipimur, vt videlicet omne bonum, quod incipimus, etiam perseuerranti fine compleamus. Bene igitur cœpta cunctis diebus agenda sunt, vt cum malum pugnando repellitur, ipsa bona victoria constantiæ manu teneatur.

Eccli. 2. Lucæ 22. Gen. 37. Exod. 29. & Leuit. 8

18 Li. 12. Mor. c. 23.

IDEM exponens verba illa Iob 15. capite; Antequam dies eius impleantur peribit, & manus eius arescent, sic habet. Plerumque quosdam cernimus, & peruerse agere, & vsque ad senectutem vltimam peruenire. Quomodo enim dicitur, antequam dies eius impleantur peribit, cum in quibusdam sæpe videamus, quia ætate longa iam membra deficiunt, & tamen prauitatem suam eorum desideria exequi non desistunt? Sunt namque nonnulli, qui post vitam perditam ad semetipsos redeunt, & accusante se conscientia, peruersa itinera relinquunt, commutant opera, antiquæ suæ prauitati contradicunt, terrenas actiones fugiunt, desideria superna sectantur, sed antequam in eisdem sanctis desiderijs solidentur, per torporem mentis ad ea, quæ dijudicare cœperant, redeunt, atque ad mala, quæ fugere disposuerant recurrunt. Vnde recte de hoc iniquo dicitur: Antequam dies eius impleantur, peribit. Quia etsi quid boni fortasse cœpit agere, priusquam in eo per longitudinem temporis conualescat ad exteriora relabitur, & peruerse deserit, quæ recte inchoasse videbatur. Vnde & apte subditur: Et manus eius arescent. Quia dum exterioribus actibus intempestiue inuoluitur, ab omni nimirum bona operatione siccatur.

19 Hod. lib. c. 24.

IDEM exponens illa verba; Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proijciens florem suum, inquit. Florent vineæ, cum mentes fidelium bona opera proponunt, sed fructus non pariunt, si ab eo, quod proposuerint, aliquibus victi erroribus infirmantur. Vnde bene per Salomonem dicitur: Mane surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt. Non ergo intuendum est, si vineæ floreant, sed si flores ad partum fructuum conualescāt. Quia mirum non est, si quis bona inchoet, sed valde mirabile est, si intentione recta in bono opere perduret. Vnde fit plerumque, vt si in bono

Cant. 7.

bono opere recta intentio non tenetur, etiam ipsum hoc opus, quod bonum creditur, amittatur. Nam quosdam sæpe vidimus terrena, quæ possederant, reliquisse, & nil iam transitorium quærere. Cum itaque hoc in se fidelis anima ostendit, quasi oliua florem protulit. Sed cum quidam ex talibus rursus cœperint mundi gloriam, quam contempserant, quærere, & terrenis rebus, quas spreuisse videbantur, insatiabiliter inhiare; nimirum proiecit oliua florem, quem proposuit, quia rudimenta boni studij ad perfecta opera non perduxit.

20

BERNARDVS in sermone de expositione illius loci Sapientiæ 10. Iustum deduxit Dominus per vias rectas, explicans verba illa; Et compleuit labores illius, dicit. Deus dicitur complere labores iustorum, cū in illis perseuerant iusti, vt vsque in finem iustitiam non relinquant.

21 In Serm. 60 ex paruis.

IDEM ait; Anima iusti dicitur electa, vt Sol, propter donum perseuerantiæ, quod tantum electorum est.

22 Epist. 129. ad Ianuenses.

IDEM dicit; Absque perseuerantia, nec qui pugnat victoriam, nec palmam victor cōsequitur. Soror est patientiæ, constantiæ filia, amica pacis, propugnaculum sanctitatis. Tolle perseuerantiam, nec obsequium mercedem habet, nec beneficium gratiam, nec laudem fortitudo. Denique non qui cœperit, sed qui

1. Reg. 15.

perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Saul cum esset paruulus in oculis suis, rex est super Israel constitutus, non perseuerans in humilitate, & regnum amisit, & vitam. Si Salomonis deuotio perseuerantiam retinuisset, nō priuaretur sapientia. Hoc summæ honestatis insigne, hāc totius probitatis vnicam, fidamq. custodiam custodiri a nobis firmiter hortor, & precor. Hæc est vigor virium, virtutum consummatio, nutrix ad meritum, mediatrix ad præmium.

Petri, & Pauli laudes, huiusq. mirabilis conuersio. Cap. XXV.

De B. Petro §. primus.

1 Hom. 55. in c. 16. Matt. in fin. to. 2. Cap. 16.

HRYSOSTOMVS explicans verba illa; Tu es Christus filius Dei viui, inquit. Nisi proprie sic Petrus intellexisset, & ab ipso Patre Christum natum crederet, nō fuisset reuelationis opus illa cōfessio, nec aliqua beatificatione digna, si vnum ex multis Dei filijs illum putasset. Etenim iam pridem post tempestatem, qui erant in nauigio, vere filius Dei es tu, dixerunt, & quamuis vere dixerint, beatificati tamen ab eo non sunt. Non enim ita vt Petrus, sed vnum ex multis vere filium æstimabant, præcipuum quidem, magisq. dilectum, non tamen ex Patris substantia natum. Nathanael quoque dicebat: Rabbi, tu es filius Dei? non tamen beatificatus est, sed reprehensus. Ea igitur de re Petrus beatificatur, quia Christum Patris proprie Filium confessus est. Infra: Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Nam quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & vt futura Ecclesia tot, tantisq. fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat, cuius pastor & caput piscator homo, atque ignobilis terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate superet, hæc inquam omnia, quæ solius Dei sunt, se pollicetur daturum. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat: Sicut co-

Supra 14.

Ioan. 1.

Hiere. 1.

lumnam ferream, & sicut murum æneum posui te. Sed ipsum quidem genti vni Pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit. Pater quidem reuelationem ei Filij sui dedit, Filius autē partim vt tam Patris, quàm Filij sui reuelationem vbique terrarum posset seminare, partim vt quamuis homo esset mortalis, cælesti tamen potestate polleret, & claues haberet regni cælorum, ita Petrus Ecclesiam per vniuersum orbem amplificatam, cælo etiā ipso validiorem monstrauit.

2 Hom. 26. in Act. Apost. to. 3.

IDEM explicans verba illa Act. 12. Cum autem Petrum producturus esset Herodes, nocte illa Petrus erat dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, dicit. Vide Petrum dormientem, & nequaquam in mentis agone constitutum. Illa nocte, qua producturus erat eum, vt occideretur, dormiebat, totam causam proiecerat in Deum; & dormiebat inter duos milites, & catenis duabus vinctus. Et ita grauiter dormiebat, vt eius latus percuteret Angelus, & diceret, surge velociter.

3 In catalogo scrip. Eccle siast. to. 9.

HIERONYMVS in ea est opinione, quam alij non credunt, quod Petrus, & Paulus eodem die, & eodem anno Romæ sint occisi. Nam ait: Paulus quartodecimo Neronis anno eo die, quo Petrus Romæ, pro Christo capite truncatus anno post passionem Domini trigesimo septimo.

4 In epist. de vera circū cisione. to. 9

IDEM Petrum comparans Abrahæ, dicit: Iste est alius Abraham, nescio an maior, certe, quod sentio, non secundus. Illi generatio larga promittitur, huic generatio pascenda committitur. Ab illo iustificanda procedunt, in hoc iustificata fundantur, ita quod ille sperat, hic accipit. Illi dicitur: Faciam te in gentem magnam. Huic dicitur: Faciam te piscatorem hominum. Illi dicitur: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Huic dicitur: Indicabis duodecim tribus Israel. Illi dicitur: Vt stellæ erit semen tuum. Huic dicitur: Tibi dabo claues regni cælorum. Ac per hoc ille fœcunditate seminis benedicti impletur. Hic ante semen ipsum euangelizaturus asciscitur. Abrahæ pro filijs claritas monstratur astrorum, sed Petro traduntur regna cælorum, vt videlicet in ea sine Petro, nec filij Abrahæ possint intrare. Hic ergo non quod circumcisus

sit

sit, iuxta gentem suam apud Dominum gloriatur, sed dicit: Ecce nos reliquimus omnia, *Matt. 19.* & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Quæ sunt ista omnia apud eum, qui præter instrumentum artis piscatoriæ nihil habebat? Omnia, inquit, vtique, quę ad concupiscentias mundus ingerit.

5 *In Psal. 86. Iosue 19.* IDEM inquit; Iesus, qui interpretatur Saluator, Moysę mortuo, & sepulto in terra Moab, hoc est, lege mortua, in Euangelium cœpit inducere populum suum. Emittit duos exploratores, vnum in circumcisionem, & vnum in gentibus, Petrum, & Paulum, Hierico quærit eos occidere, illa eos suscepit meretrix Ecclesia de gentibus congregata.

6 *Lib. de Incarn. dom. sacramento c.4.to. 2.* AMBROSIVS, vbi explicat Euangeliũ Matthæi 16. in festo sancti Petri, dicit. Laudatur Petrus, quia Dei filium credidit, quem videbat, quia se ab imperitæ plebis rudibus adhuc opinionibus separabat. Denique, cum interrogasset Dominus, quid homines de filio hominis æstimarent, cum diceretur vulgi sententia, Petrus tacebat. Ideo, inquit, non respondeo, quia non interrogor meam, sed alienam *Psal. 16.* sententiam. Legi enim, vt nõ loquatur os meũ opera hominum. Ego taceo adhuc, quia nondum id quod sentio interrogor, non proferam labijs, quod animus non probauit. Interrogabor & ipse quid sentiam, tunc demum respondebo, quod meum est. Meum est enim fidem loqui, pietatem asserere, gratiam prædicare. Vnde, vbi audiunt, vos autem quem me esse dicitis? Statim dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Hic est Petrus, qui respondit præ ceteris Apostolis, immo pro ceteris, & ideo fundamentum dicitur.

7 *Lib. 5. epist. epistola, seu oratione de basilicis tradendis. to. 3* IDEM dicit; Petrus victo Simone, cum præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium, quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper secederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum, & confirmandum populũ se reseruaret. Quid multa? Nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, vrbemq. ingredi, ait: Domine quo venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit Petrus ad suam crucẽ diuinum pertinere responsum, quod scilicet Christus crucifigendus esset, non in propria persona, sed in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum dedit, statimq. correptus, per crucem suam honorificauit Dominum Iesum.

8 *Serm. 47. de fide Petri. Matt. 16.* IDEM sic habet; Pro soliditate deuotionis Ecclesiarum petra dicitur Petrus, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tamquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq. contineat. Petra pro deuotione Petrus dicitur, & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spirituali consequenti eos petra. Petra autẽ erat Christus. Recte consortium meretur nominis, qui consortium meretur & operis. In eadem enim domo, Petrus fundamentũ posuit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat. Petrus enim tentationibus proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic namque in mari, dum super vndas *Matt. 14.* temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed cõualescit affectu; periclitatur corpore, sed deuotione non labitur; mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur. Sustentat fides, quem vnda mergebat. Et quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione, quàm pedibus. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, & dum Christum respicit, non respicit elementum, nec turbatur petri semita, quæ ducit ad Christum. Legimus in veteri testamento filios *Exo. 14.* Israel per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradientium, ne laberetur vnda in soliditatem quamdam etiam fuisse mutatam. Quanto hoc melius, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit. Melius est vbi eadem vnda, quæ fluctuat, & sustentat, vbi idem gurges, qui mergitur, & famulatur. Illic vt portetur per mare populus Israel, meatum suum natura perdidit, hic portatur in aquis Petrus, cursum suum fluenta non perdunt.

9 *Serm. 66. de natali Apostol. Petri, & Pauli.* IDEM inquit; Cum omnes beati Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus, & Paulus videntur præ ceteris peculiari quadam in Saluatorem fidei virtute præcellere. Quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cælestis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit, scilicet vt quos iste eruditerit ad salutem, ille suscipiat ad quietem; & quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cælorum. Ambo igitur claues a Domino percepe-

10 runt, scientiæ iste, ille potentiæ, diuitias immortalitatis ille dispensat; scientiæ thesauros iste largitur. Ergo Petrus, & Paulus eminẽt inter vniuersos Apostolos. Verũ inter ipsos quis cui præponatur incertum est, puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione; & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putamus, quod vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere sententiam. Vna die passi, vt ad Christum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deesset. Sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque cõstringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. In vrbe Roma martyrium pertulerunt, quæ principatum, & caput obtinet nationum, vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentiliũ principes habitabant, illic Ecclesiarum principes morarentur. Cuius autem meriti sint beatissimi Petrus, & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cum Dominus orientis regiones propria illustrauerit passione, occidentis plagam vice sui Apostolorum sanguine illuminasse dignatus est. Et licet illius passio nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis contulit ad exemplum. Occisus est autem Petrus, quia inter cetera mirabilia etiam magnum illum Simonem magum orationibus suis de aeris vacuo præcipiti ruina prostrauit.

11 *In serm. 68.* IDEM sic habet; Si ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, recte primum signum mirabilium suorum Petrus fecit consolidando plantas hominis claudi. Vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Recte inquam, primum in Christiano pedes curat, vt iam non intrepidus, nec imbecillis possit super petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Paulus autẽ a Domino vas electionis nominatus est. Bonum vas, in quo pretiosa mandatorum Christiani præcepta conduntur. Bonum vas, de cuius plenitudine substantia vitæ populis semper erogatur, & plenum est. Optima Apostolorum nomina petra, & vasculum, necessaria domui Saluatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos, vas ad custodiam ne tententur operit Christianos. Deinde ipsa passio, licet diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis sicut Saluator exitum tulit, & a Dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est, vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli vero ceruice, cum eam persecutor gladio percussisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda, quàm sanguinis. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. *1. Cor. 3.* Quid enim mirum si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, qui dicit: Lac vobis potum dedi. Hęc est plane repromissionis illa terra, quam patribus nostris Deus promisit dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistolæ tamquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem.

12 *Serm. 29. de diuitibus. to.* AVGVSTINVS ait: Hodie duos Christiani nominis fundatores exultantis Ecclesiæ festa concelebrant. Petrus vineã, vbi iam fuerat, reparat. Plantat Paulus vbi non erat. Petrus in Iudæis arborem ab antiqui germinis nobilitate degenerem in radice sua excolit. Paulus vero in alieno fomite peregrinos ponit gentium ramos. Petrus in Iudæis terram male fœcundam excolit, Paulus in gentibus nondum cultam fœcundat. A Petro in Iudæa olea reparatur, a Paulo in gentibus oleaster inseritur. Discurrunt itaque per vniuersum mundum duo splendidissimi negotiatores portantes corã gentibus, & regibus, & filijs Israel pretiosa fidei mercimonia. Circumferunt aromata iustitiæ, thura diuinæ venerationis, incẽsum compunctionis, balsamum castitatis. Erogant per omnem terram spirituales dispensatores pretia salutis, thesauros sanctitatis. Æquales illos ac similes dixerim. Nam etsi cum Petro Christus vixit in terris, sed Paulum compellare non dedignatur e cælis, adhuc etiam persequentem. Quamobrem etsi in corpore non est locutus cum Christo Paulus, nõ minus est illud, quod locutus est Christus in Paulo, dicente eodem: An experimẽtum quæritis eius, *1. Cor. 13.* qui in me loquitur Christus? Nescio igitur quid ei defuerit sanctitatis, de cuius pectore Dominus quasi de peculiari templo suo salutaria populis reddebat oracula. Petrus ambu- *Matt. 14.* lare super aquas debita soli Deo potestate præsumpsit, sed nõ minor Paulus, qui, sicut ipse de se dicit, nocte, & die in profundo maris fuit. *2. Cor. 11.* Non minor inquam Paulus, quem velut noui testamenti Ionam die ac nocte per maris profunda iactatum absorbuit fluctus, & reddidit quasi sacrum depositum violare non audens, quia famulatrix eum vnda custodiens illæsum populorum prædicationibus reseruabat. De Petro dicitur: Et ponebant infirmos suos, vt *Act. 5.* vmbra Petri transeuntis obumbraret eos. Si tunc opem ferre poterat vmbra corporis, quãto magis nunc plenitudo virtutis? Si tunc supplicantibus proderat aura quædam pertranseuntis, quanto magis gratia nunc permanentis? Merito per omnes Christi Ecclesias auro pretiosius habetur ferrum illud pœnalium vinculorum.

13 *Ser. 1. Apostolorũ Petri, & Pauli.* BERNARDVS inquit: Hi sunt martyrum duces, Apostolorum principes, Petrus, & Paulus. Duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminũ lumen oculorum. Hi mihi traditi sunt in magistros, & in mediatores, quibus secure me cõmittere possim, quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorem ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum, & quæ in cælis, & quæ in terris sunt. Propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent, & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis, & de seipsis discerent, quàm late alijs misereri deberent. Tales decebat humano generi pastores, & doctores constitui, qui & dulces essent, & potentes, & nihilominus sapiẽtes. Dulces, vt me blande & misericorditer susciperent: potentes, vt fortiter protegerent: sapientes, vt ad viam, & per viam ducerent, quæ ducit ad ciuitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad se omnes conuocat peccatores, sicut & actus Apostolici, & epistolarũ eius series attestatur? Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cum mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit, qui Simonem magum spiritu oris sui in aere attigit, qui claues regni cælorum tam singulariter accepit,

accepit, vt præcedat sententia Petri sententiam cælij? Quid autem illo sapientius, cui nõ caro & sanguis reuelauit?

De beato Paulo, eiusque conuersione. §. 2.

14 Homil.4.in Ezech.to.2. ORIGENES exponens ea verba Geneſis 49. in quibus Iacob benedicens Beniamin filio suo dixit: Beniamin lupus rapax mane comedet prædam, & ad vesperam dabit escam, sic inquit: Beniamin ille numquam fuit lupus rapax, nũquam in vesperam dedit escam, sed Paulus, qui natus est ex tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem pharisæus, circũcisus octauo die Beniamin prædicabatur lupus rapax, ad matutinum comedens, quando iuuenis fuit, & in vesperam dans escam, quando credens spiritalem præbuit cibum Ecclesijs a se institutis.

15 Hom.25.in Lucam.to.3 IDEM explicans verba illa Apostoli Pauli: Timeo autem ne quis de me cogitet super id, quod videt in me, aut audit ex me, & ne magnitudo reuelationum extollat me, &c. dicit: 2.Cor.12. Nolebat Paulus omnia de se indicare, quæ norat, ne quis de eo plus arbitraretur esse, quàm cerneret, & mensuram honoris excedens diceret, quod dictum fuerat de Ioanne, quia ipse esset Christus. Vnde in tantam nonnulli audaciam proruperunt, vt noua quædam & inaudita super Paulo monstra confingerent. Alij dicunt, quod Paulus sedeat a dextris Saluatoris. Porro alij legẽtes: Mittam vobis aduocatum spiritum veritatis, nolunt intelligere tertiam personam mundo promissam, sed Paulum Apostolum. Figmẽta sunt hæc hominum, qui plus amantes Paulum, quàm expedit, & virtutem eius mirantes, dilectionis perdidere mensuram.

16 Hom.55.in acta Apost. to.3. CHRYSOSTOMVS de laudibus Pauli elegantius ceteris, & frequentius differit. & in primis vocat eum omnibus cælis sublimiorem. Infra: Cælum erat ille, solem habẽs iustitiæ non talem, qualis ille est, atque adeo vir ille cælo melior est. Parum ne hoc esse putas, quando Apostolum dixeris, statim illum omnes cogitãt, sicut appellato Baptista, Ioannem? Cui comparauerit quis illius verba? Mari, an oceano? Sed nihil par est, illo sunt verba eius copiosiora, puriora, & profundiora. Et sic non peccarit quis, si cor Pauli mare ac cælum dixerit, cum ob puritatem, tum ob profunditatem. Mare est, nauigantes non a ciuitate in ciuitatem, sed a terra in cælum vehens. Si quis in hoc mari nauigauerit, secunda aura nauigabit. Non est in hoc mari ventus, sed pro vento Spiritus sanctus diuinus, qui in illo nauigantes animas vehit, nõ est ibi procella, non est scopulus, non est bellua, sed omnia tranquilla sunt. Mare est portu tranquillius, & securius, nihil habẽs falsum, sed purum, ac dulcem laticem, sole limpidiorem, & magis perspicuum. Qui vult in hoc pelagus descendere, non opus habet natatione, vel remo, sed magna gratia. Inueniet autem in eo omnia bona, quæ sunt in regno cælorum, & poterit fieri rex, & totum mundum accipere, inq. summo honore esse: qui in hoc mari nauigat, numquam naufragium faciet, sed omnia bene sciet.

17 In homil.1. de laudibus Pauli. IDEM sic exorditur; Nihil prorsus erraverit, qui pratum insigne virtutum, & paradisum spiritalem Pauli animum nuncupauerit, tam mira enim gratia floruit. Quoniam enim vas electionis effectus est, largissime in eum sancti Spiritus munus effusum est. Vnde & mirabiles nobis fluuios genuit, non secundum paradisi fontes quattuor tantum, sed multo etiam plures, & quotidie fluentes, nec terram rigantes, sed animas hominum ad producendum virtutum germina suscitantes. Quis ergo ad explicanda virtutum germina sensus? quis ad explicanda illius merita sermo sufficiet? Quæ autem lingua laudibus eius inuenietur æqualis, cum omnia, quæ sunt in hominibus bona, vna anima possideat, & ea cuncta plene, atque cumulate, quæ non solum hominum sunt, sed quod amplius est Angelorum, Ostendamus ergo eum omnium bona possidẽtem. Siue enim prophetæ potentius aliquid in se ostẽderint, magisq. mirabile, siue patriarchæ, siue Apostoli, siue martyres, hæc omnia simul colligens Paulus habet cum tanto cumulo, cum quanto nullus eorum bonum, quo excellebat, impleuit. Abel obtulit sacrificium, Gen.4. & inde laudatur, sed si Pauli hostiam adducamus in medium, quàm cælum a terra superior apparebit. Non enim vna tantum est Pauli hostia, siquidem semetipsum per dies singulos immolabat, quam tamen hostiam dupliciter immolabat, cum quotidie moriens, tum corpori suo mortificationem sine intermissione circumferens. Nam & ad pericula iugiter parabatur, & naturam in se mortificando carnis, nihil minus quàm immolatæ hostiæ Deo munus implebat. Vnde dicebat: Ego enim 18 iam immolor, sanguinem vtique suum immolationem vocans. Neque vero his tantum sacrificijs contentus fuit, sed quia seipsum consecrauerat Deo, etiam orbem vniuersum studuit offerre, qui terrã videlicet, ac marẽ, Græciam, simulq. Barbariem, omnemq. regionem quasi volitans circuiuit, fugans errores, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciẽs, quinimmo ipsos homines quasi ex dæmonibus in Angelos prouehens. Vnde aiebat: Sed etsi Philip.2. immolor super sacrificium, & obsequium fidei vestræ, gaudeo, & congratulor omnibus vobis, propter quod & vos congratulamini mihi. Abel a fratre, vt nihil a se læso, ita nullis affecto beneficijs interemptus est, Paulus vero ab eis interfectus est, quos innumeris malis cupiebat eripere, & propter quos sustinuit vniuersa, quæ passus est. Sed Noe iustus in gene- Gen.6. ratione sua, atque perfectus, & solus erat talis in cunctis, qui se seruauit cum liberis, hic autem

tem multo sæuiore mundi inundante diluuio, non arcã coaptando compagibus tabularum, sed epistolas componendo, non duos, aut tres, aut quinque cognatos, sed vniuersum prorsus orbem mergi periclitantem ex medijs fluctibus liberauit. Nec vero hæc erat talis arca, vt vno circunferretur loco, quæ vtique orbis terrarum terminos comprehendit, Nam vsque nunc omnes in hanc arcam Paulus inducit, quam certe capacem saluandæ multitudinis præparauit, quæ suscipiens irrationalibus pene animalibus stultiores, imitatores Gen.8. effecit Angelorum. Et hinc quoque illam vicit arcam, quia illa quidem coruum recipiens coruum etiam emisit, & includens lupum, feritatem eius non potuit mutare, hæc vero accipitres, miluosq. suscipiens, fecit columbas, & excludens omnem irrationalitatẽ, atque feritatem, mansuetudinem spiritus introduxit. Manet nunc hæc arca, nec aliquando dissoluitur. Non enim bitumine, aut pice, sed sancto Spiritu eius tabulæ sunt Gen.12. perunctæ. Sed & Abraham mirantur omnes, qui cum audisset: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & domos reliquit ac patriam, & amicos atque cognatos, qnorum omnium iacturam solo diuini præcepti amore pensabat, nam & nos eum propterea miramur. Sed quis Paulo possit æquari, qui non modo patriam, cognatos, ac domum, sed seipsum quoque, ac mundum reliquit, immo etiam Rom.8. cælum, & cælum cæli, nihil eum separans a Gen.14. charitate Christi. Sed Abraham seipsum in periculum tradens hostibus, filium fratris eripuit: at Paulus non fratris filium, neque tres, aut quinque vrbes, sed orbem vniuersum de diaboli extorsit manu, innumerabilia per dies singulos pericula sustinendo, proprijsq. mortibus maximam securitatem alijs comparando. Caput bonorum eiusq. culmen philosophiæ est, quod filium voluit immolare, hic quoque inueniemus Paulum primatum tenentem, qui non filium, sed semetipsum millies, vt dixi, seipsum immolauit. 20 De longanimitate, ac patientia Iacob admiratur scriptura. Et quænam illa est adamantina prorsus anima, quæ Pauli patientiam possit imitari? Neque enim bis septem annorum, sed totius vitæ seruitium pro sponsa pertulit Christi, non adustus solum æstu diei, & noctis gelu, sed tentationes mille perpetiens. Et nunc quidem verberibus, nunc vero lapidibus cæsus, atque collisus, & nunc quidem cum bestijs, modo autem fluctibus pugnans, modo nimię, & continuæ reluctans fami, diebus, & noctibus inter certamina vbiq. re- Gen.39. siliens, captas oues ex diaboli faucibus extrahebat. Sed & Ioseph pudicitiæ virtute decoratus est, at ego vereor ne iam ridiculum sit, Galat.6. hinc Paulum velle laudare, qui semetipsum mundo crucifigens, non solum humanorum corporum pulchritudines, sed etiam omnia, quæ videntur rebus clara atque decorata, ità cernebat, quemadmodum nos fauillam cinęremq. despicimus, qui quasi mortuus prorsus ad mortuum immobilis permanebat. Itaq; cũ tanta animi cura comprimeret incentiua vitiorum, & naturæ: nihil humanum ab aliquo aliquando perpessus est. Stupent certe Iob omnes homines, & merito. Est enim ille athleta mirabilis, & qui Paulum ipsum velut ex aduerso possit aspicere, ob patientiam, puritatemq. vitæ, ob testimonium Dei propter illã cum diabolo fortissimam pugnam, propter victoriam quæ pugnam secuta est: at Paulus non mensibus tantũ, sed annis plurimis in agone perdurans tã clarius emicuit, non terrę gleba saniẽ carnis eradẽs, sed in ipsius iutelligibilis os leonis frequenter incurrens, & pugnans aduersus tentationes innumeras omni erat lapide tolerantior. Qui non a tribus, aut quatuor amicis, 21 sed a cunctis infidelibus, a falsis etiam fratribus opprobria sustinebat, consputatus ab omnibus, atq; maledictus. Sed illius erat magna hospitalitas, & cura pauperum, nec nos quidẽ istud negamus: sed Pauli eam liberalitate inferiorẽ docemus, & tanto inferiorẽ quanto corpus est anima inferius. Quã enim ille curã impẽdebat carne debilib⁹, hãc iste animabus morbidis exibebat. Illius quidem omni aduenienti aperiebatur domus, huius vero anima vniuerso patebat orbi, ac fidelium populos benignę mentis recipiebat hospitio dicens, Non angustiamini in nobis, angustiamini autem in 2.Cor.6. visceribus vestris. Et ille quidem cũ oues, & boues haberet innumeras, erat in pauperes liberalis, hic vero nihil amplius corpore suo possidens, in hoc ipso sufficienter indigentibus ministrabat. Sed vermes videlicet atque vulnera, sæuos atq; intolerabiles sancto Iob inferebant dolores, & ego fateor, sed si per tam multos annos Pauli verbera, & cum iugi fame, etiam nuditatem, catenas, carcerem, insidias, periculaq. consideres, quæ a domesticis, ab extraneis, a tyrannis, a toto postremo patiebatur orbe, addas hoc etiã his profecto amariora, ideſt, pro eis, qui labebantur, dolores, sollicitudinem, quam pro Ecclesijs, vstionem, quam pro scandalizatis singulis perferebat; videbis quam erit omni saxo durior anima ista perpetiens, & ferrum atque adamantem superans. Quæ enim Iob corpore, hæc Paulus mente tolerabat, quæ omni verme molestior de singulis quisque labentibus mœstitia consumebat. Vnde & iuges ex eo lachrymarum fontes non diebus solum, sed & noctibus effluebant, omniq. muliere patturiente vehementius assligebatur in singulis, propter quod etiam dicebat. Filioli mei quos iterum parturio. Moysen etiã Paulus satis eminenti virtute transcendit, cuius in ter multa præclara illud est fastigium meritorum, quod pro Iudæorum salute deleri elegit ex libro vitæ. Sed Moyses cum ceteris elegit Exo.32. perire, Paulus pro ceteris. Non enim cum pereuntibus perire voluit, sed vt saluarẽtur alij, ipse de gloriæ æternitate decidere. Et ille qui- 22 dem Pharaoni, hic autem diabolo quotidie repugnabat. Et ille pro vna gente, iste pro vniuerso

Act. 20.

uerso orbe certauit, non sudore, sed sanguine vice sudoris vndique profluente. Poteram quidem, & Iosue, & Samuelem, & alios prophetas in comparationem vocare, Dauid, Heliam, Ioannem, quorum vnus prioris, alter secundi est præcursor aduentus. Quid igitur in Dauid præcipuum reperitur? Proculdubio hospitalitas, atque erga Deum feruens amor. Et quis amplius, immo quis ita, vt anima Pauli, hæc vtraque compleuit? Admirandum autem in Helia ego minime reor, quia cælum clausit, quia induxit famem, quia ignem de cælo sermone compluit, sed quia zelauit pro Deo, erat in hoc mentis affectu ipso igne vehementior. Sed si Pauli zelum diligenter inspicias, tanto eum inuenies celsiorem, quanto ille prophetis ceteris eminebat. Quid enim verbis illius reperiatur æquale, qui gloriam Domini zelando dicebat: Quoniam optabã ego anathema esse pro fratribus meis. Propterea e cælis sibi propositis præmijs, ad coronis tardauit, atque distulit dicens: Permanere autem in carne necessarium est propter vos. Sed Ioannes in cibum locustas, & mel syluestre sumebat: at Paulus ita in mundi strepitu, quemadmodum ille in eremi quiete versatus est, non quidem pastus locustis, & melle syluestri, sed multo his victu viliore contentus, ac necessario quidem indulgens cibo præ feruore, & studio prædicandi. Verum illius aduersus Herodem apparuit magna constantia: at iste non vnum, aut duos, aut tres, sed innumeros in simili positos potestate corripuit, immo longe illo sæuiores tyrannos. Restat, vt Paulum iam Angelis comparemus, relinquentesq. terram ad cælorum fastigia transeamus. Sed nullus sermonis nostri accuset audaciam. Si enim Ioannem, & sacerdotes Dei scriptura Angelos nominauit, quid mirum, si præstatiorem omnibus Paulum illis, virtutibus conferamus? Quid ergo in Angelis magnificum prædicamus? profecto quia cum omni cura obediunt Deo. Quod Dauid quoque admirando dicebat: Potentes virtute facientes verbum illius. Huic enim bono æquale est nihil. Hoc igitur & in Paulo plene animaduerti potest cum omni diligentia, & cautione seruatum. Quid vero aliud in Angelo propheta miratur? Qui facit, inquit, Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem vrentem. Sed hoc etiam in Paulo possumus inuenire, qui velut ignis ac spiritus totum terrarum percurrit orbem, percurrendoq. purgauit. Sed necdum cælum iste sortitus est, & hoc omnino mirabile, quia talis in terris versabatur, & mortali adhuc carne circundatus cum incorporalium potestatum virtute certabat.

24 IDEM dicit, Quid sit & homo, & quãta natura nostrę nobilitas, quãtęq. capax virtutis in Paulo videmus, qui vita sua docet, quod inter Angelos homineq. non grande sit medium, si tamen nos ipsos diligentius excolamus. Non enim aliam ille est sortitus naturam, nec dissimilem nactus animam, neque alterum habitans mundum, sed in eadem terra, sub eisdem etiam legibus nutritus, & moribus, cunctos, qui nunc sunt homines, & fuerunt, altius virtute transcendit. Neque vero hoc solum in illo mirabile est, quod præ abundantia deuotionis quodammodo non sensit dolores pro virtute susceptos, sed etiam quod virtutem ipsam pro mercede pensauit. Vnde in periculis, iniurijs, opprobrijsq. propositis exultat, & Corinthijs scribens; ait: Congaudete & congratulamini mihi, placeo mihi in periculis, & in infirmitatibus meis. Itaque cum inter medias inimicorum versaretur insidias, & vbique cæsus verberibus, affectus iniurijs, & maledictis, quasi triumphales pompas ageret, crebra trophea strueret, orabat, gratias referebat Deo dicẽs. Deo autem gratias, qui semper triũphat nos. Itaque ad confusionem, & iniurias, quas ob prędicandi studium sustinebat, magis quàm ad bonorum oblectamenta properabat, mortem potius, quàm vitam appetens paupertatem, quàm opulentiam, & multo amplius laborem desiderans, quàm alij requiem post laborem, & mœrorem magis eligens, quàm alij voluptatem, studiosius pro inimicis orans, quã alij aduersus inimicos. Illa omnia quę appetebãtur a Paulo naturæ congrua, hæc vero quę ille fugiebat contraria iudicantur. Ergo nec desiderabilis illi aliud erat, nisi placere semper Deo. Non dico quia nihil præsentium desiderabat, sed nec ipsorum aliquid futurorum. Nõ enim mihi dicas vrbes, & gẽtes, exercitus, prouincias, pecunias, potestates, hęc enim ille, quasi arenam, vilia reputauit, sed ea ipsa pene, quæ promittuntur in cælis, & tunc eius ardentem in Christo amorem videbis. Quod enim erat maius omnibus Christi amore fruebatur, cum hoc beatiorem se cunctis putabat, sine hoc autem, neque dominatuum, neq; principatuum socius esse cupiebat, sed cum hac dilectione magis esse extremus optabat. Hoc enim erat illi maximum, & singulare tormentum, ab hac charitate discedere, hęc illi erat gehenna, hæc sola pœna. Sicut enim perfrui charitate Christi, hoc illi vita, hoc mundus, hoc Angelus, hoc præsentia, hoc futura, hoc regnum, hoc promissio, hoc bona videbantur innumera: præter hæc vero nihil in tristium parte ponebat. Horum enim, quæ hic habentur, nihil asperum, nihil etiam suaue reputabat. Sic despiciebat vniuersa, quæ cernimus, vt solet herba iam putrefacta contemni. Tyrannos vero ipsos, ac populos spirantes furorem, velut esse quosdam culices existimabat. Mortem vero, & cruciatus, & mille supplicia, quasi ludum putabat esse puerorum, dum modo propter Christum aliquid sustineret. Tunc enim amplectabatur vehementer, & decorabatur vinctus catena, magis, quam diademate coronatus. Etenim coarctatus carcere habitabat cælum, ac libentius verbera excipiebat, & vulnera, quàm alij brauia diripiunt. Et dolorem non minus, quàm præmia diligebat, cum ipsos vtique dolores

dolores loco duceret præmiorum, propterea enim & illos gratiã nominabat. Quem sensum diligenter attende. Præmium certe erat dissolui, & esse cum Christo, permanere autem in carne certamen, sed tamen propter Christi desiderium præmia differebat, cupiditate certaminis, idq. magis necessarium esse ducebat. E regione, anathema a Christo fieri optabat. Certamen hoc erat & dolor, magis autem & supra certamen, supraq. omnem dolorem. At vero esse cum Christo erat præmium singulare. Paulus tamen propter Christum illud maluit quàm istud eligere, & quæ nobis sunt causa tristitiæ, hæc illi maximam voluptatem pariebant. Infra: Consideremus quantis Paulũ honoribus etiam ante tempus resurrectionis extulerit. In paradisum rapuit, & in cælum tertium subleuauit, ineffabilis arcani fecit esse participem, taliumq. mysteriorum conscium, quæ nulli hominum fas fuerit confiteri. Nec immerito, siquidem Paulus in terra gradiens, sic se agebat in cunctis, quasi angelorum societate frueretur. Nam passibili adhuc colligatus corpori illorum perfectione gaudebat, tantisq. fragilitatibus subditus, in nullo inferior superioribus virtutibus apparere certabat. Nam quasi iam cælum possidens cuncta prorsus terrena despexit. Et Angelis quidem sæpe diuersarum gentium cura commissa est, sed nullus illorum ita creditum sibi populum gubernauit, vt Paulus vniuersum gubernauit orbem. Michaeli gens commissa est Iudæorum, Paulo vero terræ, ac maria, atque vniuersi orbis habitatio, ipsumq. desertum, & hoc non ad iniuriam, quod absit, Angelorum, sed ostendimus esse possibile illis hominem copulari, iuxtaq. illorum merita consistere.

27 IDEM sic habet; Quoties hi, qui portant signa regalia clangente ante se tuba, & acie militum præeunte ingrediuntur vrbes, omnis populus consueuit accurrere ad audiendum buccinæ sonum, vel signum, quod in sublime fertur videndum, ipsius etiam virtutem ferentis. Quoniam igitur & hodie non vrbem, sed orbem Paulus ingreditur, concurramus omnes. Etenim iste non signum terreni alicuius regis, sed in cælo regnantis Christi crucem portat, & præcedunt non hominum, sed Angelorum cateruæ, non solum in honorem eius signi, quod fertur, sed in eius a quo fertur auxilium. Si enim propriam vitam regentibus tantummodo, nihilq. pro communi vtilitate facientibus, Angeli ab omnium Domino deputati sunt, sicut ait: Vnus ex iustis Angelus, qui eruit me a iuuentute mea, multo magis his, quibus totius orbis cura commissa est, taliumque donorum onera portantibus, virtutes adsunt supernæ. Et illi quidem, qui in exercitu hoc honore donati sunt, ornantur veste pretiosa, aureis torquibus colla subnixi, vndique refulgentes: iste vero catena pro torque circumdatus gestat crucem, persecutionem vndique sustinens. Sed hoc est mirabile, quia cum vinculis, verberibus, atque vulneribus, longe splendidior erat diademate, purpuraque fulgentibus. Sic autem Paulus ferebat hoc signum, non vt solus illud portaret, sed vt omnes quoque tales esse doceret, ac faceret. Propter quod clamat, atque dicit: Idipsum certamen habentes, quale audistis, & vidistis in me. Et vobis donatum est, non solum, vt in eum credatis, sed etiam vt pro illo patiamini. Infra: Cum audis, quòd fratrem miserit ad tribunum, volens de periculis liberari, quodque appellet Cæsarem, & Romam ire festinet, nequaquam putes verbum esse formidinis. Qui enim gemebat in hac se adhuc esse vita, qui cælum propter Christum despiciebat, & Angelos, quo tandem pacto hæc præsentia diligebat? Cuius igitur rei gratia ista faciebat? Proculdubio, vt diutius prædicationi insisteret, cumque multis hinc credentibus, atque omnibus coronatus iret ad Christum, iam profecto metuebat, ne pauper hinc atque inops multorum salutis abscederet. Vnde cum Cæsarem appellasset, & pergeret vinctus cum multis, qui mille facinora commiserant, ductus non erubuit cum illis ligari, quinimmo omnium simul nauigantium curam gerebat. Cumque vinctus per tam vastum pelagus duceretur, ita gaudebat, tamquam in maximum duceretur imperium. Etenim non paruum illi præmium vrbis Romæ conuersio proponebatur. Verum nec ibi stare contentus, etiam in Hispaniam percurrit. Cũ autem sæpius varia pericula sustineret, cõfidebat magis, atq; fiebat audacior, nec ipse solũ, sed etiã discipuli propter ipsum, qui eius vtique firmabantur exemplo. Si enim dux militię fuerit fortis ac robustus, non modo cędens, atque prosternens, verumetiam vulnere ipse percussus subditos suos efficit fortiores, magisq. hoc præstat vulneratus ipse, quàm vulnerans. Cum enim hi, qui sub tali pugnant magistro, viderint inflicta vulnera, fluentẽ sanguinem, & nec sic quidem illum hostibus aliquando cedentem, sed stantem fortiter, hastasq. vibrantem, & crebris, certisq. ictibus in aduersarios proruentem, nec omnino quidquã parcentem dolori, maiore absque dubio tanto duci alacritate subduntur. Hoc itaque factum est & in Paulo. Videntes enim illum ligatum catenis, & nihilominus in carcere prædicantẽ, vidẽtes ipsum verberatum, & tamen verberatos ipsos sermone capientem, maiorẽ profecto fiduciam colligebãt. Vnde dicit: Ita vt plures e fratribus confidentes vinculis meis abũdantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Non dixit simpliciter confidens, sed ita vt abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui. Magis, inquit, modo, quàm cum essem liber a vinculis fiducialiter prædicabam. Tunc enim certiorem alacritatem & ipse capiebat, ac vehementius in aduersarios ferebatur, & incrementa persecutionis maioris illi fiebant causa constantiæ. Inclusus est quidem in carcere, tantumque in eo virtutis resulsit, vt etiam fundamenta quaterentur, &

ostia panderentur. Custodem quoque tunc ipsum carceris ad fidem transtulit, iudici pene persuasit, ita vt ipse diceret: In modico me suades Christianum fieri. Rursum cum lapidaretur plenam populi ciuitatem fidei luce donauit: & tunc facti sunt Athenienses ex aduersarijs subditi, & ex iudicibus repente discipuli. Sicut enim ignis in diuersas plerumque materias incidens augetur magis, & ex subiecta sibi substantia incrementa sortitur, sic etiã lingua Pauli quibuscumque fuisset admota, ad seipsum eos continuo transferebat. Vnde aiebat: Alligatus sum, sed verbum Dei non est alligatum. Fugabant eum frequenter inimici, & quantum quidem ad rem spectat persequebantur, quantum vero ad euentũ rei alijs mittebant magistrũ, & persecutionibus, insidijsq. pellentes, per cunctas omnino prouincias medium circumducebãt, vt omnes salutaria eius linguæ remedia sentirent.

2. Tim. 2.

30 Hom. 8. de laudib. Pau.

IDEM sic exorditur: Sæpe fulgido cæli globo delectatus oculus, ad spectaculum oppositi e regione luminis sese violenter intendit, & licet sentiat aciem suam imparem radiorum esse certamini, desiderio tamen illius pulcherrimi luminis intuendi libenter inaccessibili radiantis orbis reluctatur corusco. Tale igitur quippiam ego ipse perpetior, qui cum videam propriæ mentis oculos ex radijs Apostolici splendoris hebetari, cupio tamen Pauli animam miro fulgore virtutum rutilantem velut eminus intueri, & contra importabiles solis micatus contentiosa subire certamina. Sol enim quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radijs illuminauit, quique vniuersas circumeundo gẽtes cursum omnino solis imitatus est, ac mundi regiones omnes quasi libero a corpore animo peruolauit, & hoc cum ei amara vndique vulnera crebrius obuiarent. Infra: Considera prius pelagi sæuientis furorem, & tum demum vim gubernatoris intelliges. Sicut enim in quodam freto, ita Paulus medijs in fluctibus æstuabat, ac mille discriminum vrgebatur procellis. Inter ipsa quippe Euangelij principia prædicationis nouitas vehementes ei tentationum turbines suscitauit. Iudæorum namque tunc populi mouebantur, quos ad hoc Mosayca videbantur præcepta compellere. Pharisæorum quoque latrabant gressus, cum dudum a se Crucifixi prædicari deitatem dolerent. Indignabatur etiam conspiratio sacerdotum, cum audirent crucem quasi sceptrum quoddam regale celebrari. In huiusmodi bello Iudæi sociabantur, & gentes, quæ aris diuum ac templis assuetæ sibi euelli cultum metuebant. Reges iugiter idipsum bellum gerebant, auditam crucem cuncti abominabãtur exercitus, quam sapientes recipere nesciebãt, quasi signum vtique damnati, sed Paulo totius hoc mundi bellum omni erat pace iucundius. Delectabat enim quicumque illum propter Euangelium vulnerabat, non minus plagis suis gaudens, quàm regijs triumphis, haud aliter delectatus naufragijs, quàm ceteri acquisitis solent gaudere thesauris, liuoribus, quos ei verbera sæpius inferebant, quasi quibusdam gloriabatur coronis, tribulationibus vt delicijs vtebatur, squalore carceris vt paradisi amœnitate gaudebat. Omnium iustorum veteris & noui testamenti virtutem quasi in arca quadam, sed cum multo tumulo condidisti.

31

32 In cõmem. S. Pauli. 2. Cor. 2.

IDEM docens ardentem charitatem Apostoli Pauli erga proximos, ait: Hac victus aiebat: Multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas, vt non contristemini, vt sciatis, quam charitatem habeam abundantius in vobis. Et rursus: Factus sum Iudæis tamquam Iudæus, his qui sub lege erant, tamquam sub lege essem. Factus sum infirmis infirmus, omnibus omnia factus sum, vt omnes facerem saluos. Omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes, quantum ad ipsum spectabat, exhibuit. Quasi enim vniuersum mundum ipse genuisset, sic perturbabatur, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, orando pro ipsis, corruptores animarum fugando, aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc per discipulos, nunc per semetipsum conabatur erigere labentes, stantes vero firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare, more optimi cuiusdam ducis, & medici artis suæ instrumenta gestantis. Cum enim celsus in omnium consisteret arce virtutum, omnem tamen flammam præcipuo charitatis ardore vincebat. Vt enim missum in ignem ferrum, totum profecto ignis efficitur, sic Paulus charitate succensus totus factus est charitas, qui quasi communis totius mundi esset pater, ita amore hominum ipsos eorũ imitabatur parentes, immo cunctos pietate & sollicitudine superabat.

1. Cor. 9.

33 Hom. 21. in 2. epist. Pauli ad Cor. to. 4.

IDEM exponens verba illa cap. 10. Arma nostra non sunt carnalia, inquit: Et qualia arma carnalia? Diuitiæ, gloria, potentia, facundia, auctoritas, adulationes, simulationes, & alia id genus. Sed nostra non talia sunt, sed potentia Deo: Considera illius humilitatem. Non enim dixit, nos potentes, sed arma nostra potentia Deo, non nos illa talia effecimus, sed Deus ipse. Sicut medicus optimus, & pater communis, & curator, ac tutor, omnia agit, omnia curat, impedimenta remouet, offendentes reprimit, vbique circumcursat. Neq; enim sicut is, qui in prælio rem perficit, sed sicut is, qui ad paratam ac promptam venit victoriam, trophæa statuit, suffodiens, destruens, deijciens diaboli munitiones, & ministrorum machinationes, & vniuersum tandem orbem ad Christi exercitum ducit, & neq; parum respirat ab his ad illos, ab illis ad alios transilies, quasi militum dux quidam optimus quotidie afferens trophæa. Immo singulis horis sola tunica indutus, irrumpẽs in aciem, aduersariorumq. ciuitates, & tela, & lanceas, & iacula

iacula, & omnia in suum ius cogens. Talis erat lingua Pauli. Dæmones abigebat, homines vero, qui ab illis detinebantur, ad se abducebat. Vnde cum aliquando dæmonem malum expelleret, multæ magorum turbæ conuenientes, libros magicos exurebant, & ad veritatem transibant. Et quemadmodum in bello collapsa turre, vel tyranno sublato, omnes qui cum illo proiectis armis ad ducem exercitus currunt, sic certe & tunc factum est. Eiecto enim dæmone, obsessi omnes abiectis libris, immo perditis, ad Pauli pedes currebant. Toti autem orbi tamquam aciei se opponens nusquam stabat.

34 Hom. 25. in 2. epist. ad Corinth.

IDEM explicans verba illa; Per fenestrã demissus sum in sporta, inquit. Licet desideraret ab hac vita emigrare, attamen & hominum desiderabat salutem. Idcirco sæpe etiam talia struebat seruans se ipsum prædicationi. Quasi flamma inextinguibilis, si in mare lapsa multis opprimentibus fluctibus mergitur, & iterum fulgida ascendit, sic sane & beatus Paulus, nunc quidem periclitans, obscurabatur, nunc pericula transiens, clarior redibat patiendo victor. Quo magis satan in Paulum pericula multiplicabat, hoc magis vincebatur. Et quasi miles vnus habens totum orbem militãtem contra se in medijs hostium versetur agminibus, nihilq. graue patiatur, ita & Paulus inuictus manebat. Et quasi flamma in calamos, & fœnum incidens, in suam naturam, quæ vruntur, transfert, sic & iste omnes inuadens, omnia ad veritatem transferebat, sicut & torrens, qui omnia corripit, & impedimenta reuellit. Et sicut atlheta quidam, ipse luctans, currens, & pugilem agens, vel miles muros oppugnans in campo prælians, & in nauibus belligerans, ita omne genus pugnæ tractabat vna lingua omnes euertens. Non sic multæ turbę in Hierichuntinorũ vrbis lapides irruebant, & destruebant illos, vt illius vox resonans diabolica in humum trahebat subsidia, & aduersarios ad se transferebat, & quando collegit captiuorum multitudinem, ipse illos iterum armauit, & suum exercitum fecit, per quæ illos mire vincebat. Dauid Goliath vno solo lapide deijciebat, at si Pauli præclara opera scrutatus fueris, pueri fuerit opus illud, & quantum inter militem, ac pastorem distat, tantum videbis discrimen.

Iosue 10.

1. Reg. 17.

35 Hic enim non lapidem mittens deiecit Goliath, sed solum loquens omnem diaboli destruxit flammam: Sicut leo rugiens, & flammam de lingua emittens currebat ad hos, veniebat ad illos, & quasi vnam domum, vel nauem vnam, totum orbem gubernans eos, qui mergebantur, sursum trahens, omnia ipse existens, & nauta, & gubernator, & proræ director, & velum, & nauem, & omnia ferens, vt omnium mala soluat. Sustinuit naufragium, vt naufragium totius orbis auferret, noctem, ac diem in profundo fecit, vt a profundo erroris extraheret, in molestijs fuit, vt laborantes refocillaret, verbera sustinuit, vt a diabolo percussos sanaret, in carceribus conuersatus est, vt in carcere & tenebris sedentes in lucem produceret, & in mortibus, sæpe, vt a grauibus mortibus liberaret, virgis cæsus est, vt sub virgam, & baculum Christi mitteret, in solitudine fuit, vt a solitudine liberaret, in itineribus, vt sisteret errantes, & viam in cælum ferentem aperiret, in ciuitatibus periclitatus est, vt supernam ciuitatem ostenderet, in fame, & siti, vt auferret grauiorem famem, in nuditate, vt turpiter agentes stola Christi indueret, arsit, vt extingueret ignea tela diaboli. Martyr semel moritur, at beatus ille vno corpore, & vna anima tot pericula sustinuit, quæ poterant etiam adamantinam animam conturbare. Et quæ omnes tot corporibus sancti passi sunt, hæc ille in vno omnia tulit, in orbem quasi in stadium ingressus, & omnibus vestibus exutus adeo fortis stat.

36 Serm. 4. in epistolã ad Philip.

IDEM sic habet; Quis loquetur potentias tuas Domine, quod Paulum non es passus delitescere, sed orbi vniuerso virum hunc in lucem exhibuisti? Laudarunt te simul omnes Angeli, cum astra creares, & solem. Verumtamen non ita, quemadmodum cum Paulum nobis toto orbe conspicuum faceres. Propterea cælo splendidior facta est terra, nam clarior iste solari lumine illustriorem emisit splendorem. Quantum hic nobis peperit fructum, non spicas pinguefaciens, aut humectans, sed pietatis frugem, & proferens, & ad vigorem ducens, languidosq. indesinenter recreans? Sol ille, si quid ex arborum fructibus emarcidum fuerit, nihil poterit iuuare. Paulus vero etiam eos, qui innumeram ex peccatis marcedinem cõtraxerant, restituit. Sol ille in sublimi vectus radios demittit, ipse vero Paulus inferne ortus non solum terram luce sua adinpleuit, sed simul atque os suum aperuit. Angelos etiam multa voluptate affecit. Nam si super vno peccatore resipiscente gaudium fit in cælis, ipse vero cum prima mox contione multos venatus sit, quomodo non gaudio cælestes potestates repleuisset? Et quid dico? Simpliciter Paulum loqui sufficiebat ad hoc, vt cæli exultarent, & lætarentur. Si enim cum ex Ægypto egressi essent Israelitæ, montes exultabant velut arietes, quando in cælum ex terra tranferebantur homines, quantum putas fuisse gaudij? Propterea dicit, manere in carne necessarium magis propter vos.

Phil. 1.

37 Epist. 1. ad Paulinum. to. 3.

HIERONYMVS vno verbo dicit. Cur vocatur Paulus vas electionis? Nempe, quia legis, & sanctarum scripturarum armarium est.

38 Lib. 4. in c. 11. Isa. to. 4.

IDEM exponens illa verba; Habitabit lupus cum agno, sic habet: Lupus Paulus, qui primum persequebatur, & lacerabat Ecclesiam, de quo dictum est: Beniamin lupus rapax, habitauit cum agno, vel Anania, a quo baptizatus est, vel Petro Apostolo, cui dictum est: Pasce agnos meos.

Gen. 49.

39 Lib. 2. in c. 5. Amos.

IDEM explicans verba illa; Qui vocat aquas maris, & effundit eas super faciem terræ,

terræ, Dominus nomen eius, inquit. Deus vocat ad se aquam maris, & effundit eam super faciem terræ, de peccatoribus iustos faciens. Paulus Apostolus, quasi turbo violentus, & seua tẽpestas, & tumentes maris gurgites, persequebatur, & opprimere nitebatur Ecclesiam Dei. Qui vocatus a Domino effusus est super faciẽ vniuersæ terræ, vt prædicaret Euangelium de Hierosolymis vsque ad Illyricum, & ædificaret non super alterius fundamentum, vbi iam fuerat prædicatum, sed vsque ad Hispanias tenderet, & a mari rubro, immo ab Oceano vsque ad Oceanum curreret, imitans Dominum suum, & solem iustitiæ, de quo legimus: A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, vt ante eum terra deficeret, quàm studium prædicandi. Subditur in septuaginta interpretum versione: Qui diuidit contritionem, & miseriam super munitionẽ adducit. Iste Deus, & contritionem diuidit super fortitudinem, vt eos qui male fortes sunt imbecilles faciat, & imitari possint Apostolum dicentem: Quando infirmor, tunc fortior sum. Psal. 18.

40 Lib. 1. in c. 1. epist. ad Ephes. to. 6.

IDEM explicans illa verba; In quo & vos audito verbo veritatis Euãgelij salutis vestræ, in quo & credentes signati estis Spiritu sancto promissionis, dicit: Videtur iuxta ordinem lectionis non stare sententia, nec ei quod prælatum est (in quo & vos audito verbo veritatis Euangelij salutis vestræ) redditũ aliquid, quod sequatur, quia statim secundo ponitur, In quo, quod quia superfluum est, sublatum e medio post textum reddere lectioni. Hoc autem patiebatur Paulus de nimio amore Christi, vt eũ semper quem diligebat, etiam superflue, & extraordinarie nominaret. Quod potest absque nobis in omnibus epistolis eius lector diligens inuenire. Vnde nunc secundo positum, in quo, ordinem deprehenditur turbasse sententiæ, & anteriorem promissionem reliquisse pendentem.

41 Lib. de Ioseph patriarcha. c. 8. to. 1

AMBROSIVS ait; Quando misit Iacob filios suos in Aegyptum ad emenda frumenta, reliquit domi Beniamin, ne infirmaretur in via. Hic typus fuit Pauli, qui erat de ipsius tribu, de cuius infirmitate merito dubitabat Iacob, quia infirmatus est, vt sanaretur, cæcitatem passus est, sed hæc infirmitas ad salutem, illa enim cæcitas lucem attulit. Sine Beniamin patriarcha primo perrexerũt, sine Paulo Apostolo. Vterque non primus aduenit, sed accersitus a primis vberiorem mercem priorum suo fecit aduentu. Infra capite 9. Quando fratres Ioseph soli venerunt, cognouit eos, sed quia sine Beniamin aduenerant, ab his se auertebat, quando autem cum illis ascendit Beniamin, mansuete loquitur, eosque ad prandium inuitat. Iam videntur Hebræi, & videntur a Christo, qui verus Ioseph est, quando cum Pauli veniunt typo, & loquitur illis mitia, atque mansueta, vt pariter cibum sumant. Supra autem, quia sine Beniamin venerunt, auertebat se ab eis, & loquebatur eis dura. Pauli igitur merito profeceruut, quem Dominus Iesus tamquam iuniorem fratrem ex eadem matre generatum amplius ceteris fratribus diligebat. Infra capite 11. Scyphus argenteus soli sacco Beniamin inseritur. Nesciebat hoc Beniamin. Fallebatur Paulus, sed vocabatur. Mittitur post eum mane. In huius sacco positus est scyphus, vt fratrem quẽ diligebat, pia fraude reuocaret. In corpore Pauli iam doctrinæ cælestis eloquium refulgebat. cum esset eruditus in lege. Sed quia adhuc iustitiæ Dei subiectus non erat, intra saccum erat scyphus, doctrina intra legem. Missus tamen Ananias, qui benedictionem daret, manum imponeret, saccũ solueret, sacco soluto reduxit argentum, & decidẽtibus squamis, velut quibusdam sacci vinculis statim vidit. Vinculũ eius perfidia erat, absolutio eius fides facta est.

42 Lib. de ben. patriarcharum. c. 12.

IDEM explicãs benedictionẽ Iacob: Beniamin lupus rapax, &c. sic habet. Plurimos lupos habet diabolus, quos ad Christi oues dirigit, & ideo intelligibilis Ioseph, vt oues seruaret suas, ipsum inimicũ venientem ad diripiendas oues rapuit lupum Paulũ faciens ex persecutore doctorem. De quo dicit Iacob, sicut scriptum est: Beniamin lupus rapax mane edet, adhuc, & ad vesperum diuidet escã principibus. Lupus erat, cum dispergeret, & deuoraret oues Ecclesiæ. Sed qui lupus venerat, pastor est factus. Lupus erat, cũ Saulus erat, quando intrabat in domos, & viros, ac mulieres trahebat in carcerẽ; lupus erat quando spirans minas, ac cędes in discipulos Dñi petebat epistolas, vt inuaderet seruos Christi. Quẽ tamquam lupũ nocturnis tenebris oberrantẽ offusa Iesus luce cæcauit. Ideo Rachel cũ pareret Beniamin, vocauit nomen eius filius doloris mei, futurum prophetans ex ea tribu Paulum, qui affligeret filios Ecclesiæ persecutionis tempore, & graui matrem dolore vexaret. Sed tamen idem postea principibus escã posteriore diuisit tempore, euangelizans gentibus Dei verbum, & plurimos ad fidem prouocans. Pulchre etiam Moyses cũ benediceret tribum Beniamin, dixit: Dilectus a Domino habitabit fidens, & Deus obumbrabit super eum omnibus diebus, & inter humeros requiescet dilectus a Domino. Qui etiam vas electionis est factus. Neq; enim aliter, nisi Domini est miseratione, & amore conuersus. Vnde ipse nihil deferens merito suo, sed totum Christo, ait: Ego enim sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum. Habitabit fidens in domo, quam ante vastabat, habitabit in tabernaculis Christi, qui ante sicut lupus errabat in syluis. Et Deus obumbrauit super eũ, quando visus est ei Christus. Qui licet apertis oculis videret nihil, tamen Christum videbat. Et inter humeros requiescet, hoc est, inter bonos actus, & opera pretiosa. Deut. 33.

43 In c. 7. epist. 1. ad Cor. to. 3.

IDEM exponẽs verba illa; Dico autem innuptis bonum est illis, si sic parmeant, sicut & ego, inquit, Hoc non diceret Paulus, nisi

nisi esset integer in corpore. Sic enim a pueritia spiritu seruiuit, vt huius rei studium non haberet. Vnde infra dicit, quòd omnes Apostoli exceptis Ioanne, & Paulo vxores habuerunt.

44 In c. 12. primæ epist. ad Corinth.

IDEM explicans verba illa; Scio hominẽ in Christo ante annos quattuordecim, &c. raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, sic habet; Vltra omnia mundi sidera raptus intelligitur, & ideo magnificũ & mirabile est quod narrat. Et scio talem hominem, quia raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Bis se raptum dicit, idest hinc vsque ad tertium cælum, deinde in paradisum cælestem, illic vbi & ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra,

45 In Psal. 44. to. 8. Cant. 2. et 4

AVGVSTINVS exponens illa verba; Sagittæ tuæ acutæ, dicit: Verba cor transfigẽtia, amorem excitantia. Vnde dicitur in Canticis Canticorum: Quia vulnerata charitate ego sum. Dicit enim vulneratam se esse charitate, æstuare, & suspirare sponso. Vnde accepit sagittam verbi. Populi sub te cadent. Qui percussi sunt, & ceciderunt? Populos videmus subditos Christo, cadentes non videmus. Exponit vbi cadunt in corde, ibi se erigebant aduersus Christum, vbi cadunt ante Christum. Blasphemabat Saulus Christum, erectus erat, supplicabat Christo, cecidit, prostratus est, Occisus est inimicus Christi, vt viuat discipulus Christi. De cælo emissa est sagitta, corde percussus est Saulus, nondum Paulus, adhuc erectus nondum prostratus, accepit sagittam. Cecidit in corde, & dixit: Domine, quid me vis facere. Modo ibas ad Christianos alligandos, & modo dicis Christo, quid me vis facere? O sagittam acutam potentissimam, qua accepta cecidit Saulus, vt esset Paulus. Populi sub te cadent in corde inimicorum regis. Inimici erant, acceperunt sagittas tuas, ceciderunt ante te, ex inimicis amici facti sunt, inimici mortui sunt, amici viuunt, Act. 9.

46 In Psal. 67.

IDEM dicit; Præuenerunt principes conuicti psallentibus in medio iuuencularũ tympanistriarum, ait: Principes sunt Apostoli, ipsi enim præuenerunt, vt populi sequerentur. Ibi Beniamin adolescentulus in mentis excessu, Ibi Paulus nouissimus Apostolorum, qui dicit, nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, de tribu Beniamin. Sed plane in ecstasi expauescentibus omnibus tam magnum in eius vocatione miraculum, quando audiens vocem, & neminem videns, dixit: Domine, quid me vis facere? Potest etiam ecstasis illa intelligi de raptu ad tertium cælum, quando audiuit arcana verba, quæ non liceret loqui, Phil. 3. 1. Cor. 12.

47 Lib. 31. Moral. cap. 10. to. 2.

GREGORIVS exponens verba illa Iob cap. 39. Numquid volet Rhinoceros seruire tibi, aut morabitur ad præsepe tuum? Numquid alligabis Rhinocerotem ad arandum loro tuo, aut confringet glebas vallium post te? sic habet: Rhinoceros iste Paulus est, cuius fortitudinem omnis venator extimuit, quia sæuiact. 9.

tiam Sauli vnusquisque prædicator extimuit. Rhinoceros iste nare gestabat cornu, quo percuteret, quia minarum, & cædis in Domini discipulos spirans, postquam præsentes interfecerat, absentes quærebat. Vt ergo hunc Rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, idest secretum suũ ipsa per se inuiolata in carne Dei sapientia expandat, vocans eum de cælo, & dicens: Saule, Saule, quid me persequeris. Et tũc fortitudinem suam Rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne, quod superbum tumebat, amisit. Qui dum sublato oculorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet iam Rhinoceros iste, quibus Dei loris astringitur, quia vno in tempore cæcitate, prædicatione, & baptismate ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe moratus est, quia ruminare verba Euangelij dedignatus non est. Loris quoq; Dei non tantum a feritate restringitur, sed, quod magis fit mirabile, ad arandum ligatur, vt non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectioni seruiens, aratrum prædicationis trahat. Qui igitur tormenta prius fidelibus irrogauerat, pro fide postmodum flagella libenter portat. Qui scriptis etiam epistolis humilis ac despectus prædicat, quod dudum terribilis impugnabat. Profecto bene ligatus sub aratro desudat ad segetem, qui viuebat in campo male liber a timore. De quo bene adhuc subditur: Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? In Rhinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus habuit, quia quanto illum crudelius sibi dura inferentem pertulit, tanto pro se constantius tolerantem aduersa præsciuit. Cui labores etiam, quos ipse in carne pertulerat, dereliquit, quia conuersum illum vsque ad imitationem propriæ passionis traxit, Numquid credes ei quod reddat sementem tibi, & aream tuam cõgreget? Saulus blasphemus, & persecutor Ecclesiæ, repente mutatus in cunctis mundi partibus Redemptoris sui nomen insinuat, supplicia pro veritate tolerat, pati se quæ irrogauerat exultat, alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus reuocat. Istis pollicetur regnum cælorum, illis minatur ignes gehennæ. Hos per auctoritatem corrigit, illos ad vitam rectitudinis per humilitatem trahit, atque in omni latere ad manum se sui rectoris inclinat, & tãta arte Dei aream congregat, quanta illam prius elatione ventilabat. Cornu suo Rhinoceros iste non iam homines, sed bestias percutit, quando illa Paulus doctrinæ suæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit,

48 In conuersione S. Pauli.

BERNARDVS dicit: Merito conuersio doctoris gentium ab vniuersitate gentium festiuis gaudijs celebratur. Multos enim ab hac radice ramos prodijsse videmus. Conuersus Paulus, cõuersionis minister factus est vniuerso mundo. Multos adhuc viuens conuertit, sed nec adhuc cessat ab hominum conuersione, dico autẽ exemplo, oratione, & doctrina.

In memoria huius cõuersionis peccator spem veniæ concipit, & prouocatur ad pœnitentiã, & qui iam pœnitet, perfectæ conuersionis accipit formam. Magnifice quidem in hac vna conuersione, & misericordiæ magnitudo, & efficacia gratiæ commendatur. Circumfulsit eũ lux de cælo. Qui necdum infundi poterat diuina saltem circumfunditur claritate.

Prædicatores opportune & importune prædicent, muneris magnitudinem perpendentes, & fidentes Deo, sed magna cum prudentia. Cap. XXVI.

1 Homil. 4. in Leuit. to. 1.

ORIGENES inquit: Obseruandum quod alijs indumẽtis sacerdos vtitur, dum est in sacrificiorum ministerio, & alijs cũ procedit ad populum. Hoc faciebat & Paulus sciẽtissimus Pontificum, & peritissimus sacerdotum. Qui cum esset in cœtu perfectorum, tamquam intra sancta sanctorum positus, & stola perfectionis indutus dicebat: Sapiẽtiam loquimur inter perfectos. Sapientiam autem, non huius mundi, neq; principum huius mundi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam, in mysterio absconditam, quam nemo principum huius sæculi cognouit. Sed post hæc tamquam ad populum exiẽs mutat stolam, & alia induitur longe inferiore, quàm illa. Et quid dicit? Nihil aliud, inquit, iudicaui me scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc Crucifixum. Vides quomodo indutus sit cum est iturus inter perfectos velut in sancta sanctorum? alia vtitur stola doctrinæ. Cum vero exit ad eos, qui incapaces sunt, mutat stolam verbi, & inferiora docet, & alios lacte potat, vt paruulos, alios oleribus nutrit, vt infirmos: alijs vero fortes præparat cibos: his scilicet, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habẽt sensus ad discretionẽ boni & mali. Sic sciebat Paulus mutare stolas, & alia vti ad populum, alia in ministerio sanctorum. Ipse autẽ pontificum pontifex, & sacerdotũ sacerdos Dominus, qui pontifex futurorum bonorum a Paulo dicitur, audi quomodo primus hoc fecerit, & ita discipulis suis hæc imitanda reliquerit. In parabolis loquebatur ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis: seorsum autem soluebat ea discipulis suis. Vides quomodo ipse docuit alijs indumentis vti debere pontificem, cum procedit ad turbas; alijs cum eruditis, & perfectis ministrat in sanctis.

1. Cor. 2.

2 Hom. 13. in c. 23. Leuit.

IDEM loquens de panibus propositionis, sic habet: Omnis sermo Dei panis est, sed est differentia in panibus. Est enim aliquis sermo, qui ad communem proferri possit auditum, & docere plebem de operibus misericordiæ, aut totius beneficentiæ, & iste est panis, qui communis videbitur. Est vero alius, qui secreta contineat, & de fide Dei, & rerũ scientia disserat. Iste panis mundus est, & ex simila confectus: iste in conspectu Domini ponendus est, & super mensam mundam proponendus: iste solis sacerdotibus sequestratus est, & filijs Aaron æterno munere condonatus. Verum ne putes hæc nos proprijs sensibus excogitata narrare, proferam tibi de scripturis quomodo apud diuersos viros panis diuersitas pro merito vniuscuiusq; seruata est. Refertur in Genesi, quod Abraham angelos suscepit hospitio, similiter autem & Loth. Sed Abraham, qui meritis præcellebat panes ex simila apposuisse describitur, quos occultos ac reconditos nominauit. Loth vero, eo quod non habuit similam, ex farina panes hospitibus apposuit: non quod ita pauper esset, & nõ habuerit similam, qui ditissimus, non inferior in facultatibus patruo scribitur, sed vtriusque meritorum differentia per hæc designatur indicia, quòd is quidem cui erant a Domino mysteria reuelanda, & ad quem dicebatur, non celabo a puero meo Abraham, quod facturus sum, qui imbuendus erat, & docendus de occultis, & secretis Dei, ille panes ex simila scribitur habuisse. Ille vero, ad quem nihil sacramenti deferebatur, sed ratio præsentis salutis & vitæ, panes communes ex sola farina scribitur habuisse confectos. Et tu ergo si habes scientiam secretorum, si de fide Dei, de mysterio Christi, de sancti Spiritus vnitate potes scienter, cauteq. disserere, panes ex simila offers Domino. Si vero communibus vteris ad populum monitis, & moralem tantummodo locum tractas, qui ad omnes pertinet, communem te obtulisse noueris panem.

3 Hom. 27. in c. 33. Num.

IDEM sic dicit; Cum conderet Deus mũdum, innumeras creauit ciborum differentias pro diuersitatibus naturæ animalium. Vnde non solum homo, cum viderit animalium cibũ, scit eum nõ pro se, sed pro animalibus creatũ, sed & ipsa animalia agnoscũt proprios cibos, & alijs quidẽ vtitur leo, alijs cernus, alijs bos, alijs vero aues. Sed & inter homines sunt quędam differentiæ in appetendis cibis. Et alius quidem, qui bene sanus est, fortem cibum requirit, si quis vero infirmiorem se sentit, & inualidum, delectatur oleribus, & fortem cibum pro sui infirmitate non recipit. Si vero sit aliquis paruulus, etiam si voce indicare non possit, re tamen ipsa nullam aliam quam lactis requirit alimoniam. Cibus verus rationabilis naturæ sermo Dei est. Sed sicut in nutrimentis corporis multas paulo ante dedimus differentias, ita natura rationabilis, quæ natura & verbo Dei pascitur, non omnis vno atque eodem verbo nutritur. Vnde ad similitudinem corporalis exempli est aliquibus etiam in verbo Dei cibus lactis, apertior scilicet, simpliciorq. doctrina, vt de moralibus esse solet, quæ præberi consueuit ijs, qui initia habent in diuinis studijs, & prima eruditionis rationabilis elemẽta suscipiunt, & abscõdita mysteria quasi non suum refugit cibũ, neq; conuenientẽ illi. Sicut si leoni detur intellectus, non continuo culpabit abundantiã herbarum creatarũ, quia ipse carnibus crudis vescitur; nec dicet illas superfluo a conditore productas, quia ipse earum cibo non vtitur. Nec iterum homo, quia pane, alijsq. aptis sibi vtitur alimonijs culpare debet, cur fecerit Deus serpentes, quos cibum videat præbere ceruis. Neq; ouis, aut bos culpare debet carnes, cum ipsis ad edendũ gramina sola sufficiant. Sic in cibis rationabilibus, & vrbo Dei diuersa sunt pro qualitate hominum alimenta. Et considerare debet homo, quia sicut serpens, & ouis, & homo, & fœnũ Dei creatura sunt omnia, & diuersitas illa ad gloriam spectat creatoris, quòd competentem, & in tẽpore vnicuiq; eorum, pro quibus creata sunt, vel præbeant, vel capiãt cibum: ita & hæc omnia, quæ verba Dei sunt, & in quibus diuersus pro captu animarum cibus est, vnusquisque prout sanum se & validum sentit, assumat.

4 Hom. 3. expositionis 2. in Cãt. to. 2

IDEM vno verbo dicit prædicatoris munus esse, instar Rebeccæ rationabilis verbi varios condere cibos, vt benedictiones mereamur consequi a spiritali Patre Iacob.

5 Hom. 11. in 5. 15. Hier.

IDEM explicans verba illa; Non fœneraui, neq; fœnerauit mihi quisquam, non profui, neq; profuit mihi quisquam, in multis exemplaribus legimus. In his vero, quæ exemplaria veriora sunt, & cũ Hebræis cõsonant, habetur: non debui, neq; debuit mihi quisquã ait. Prædicauit Hieremias mandata diuina, nemo his quæ prædicabantur attendit. Quamobrẽ quasi medicus libens, ac promptus medicamina languentibus tribuit, & illis non secundum artificium curantis, sed iuxta voluntatem suam agentibus dicit: Non profui, neq; profuit mihi quisquam. Quodammodo enim beneficiũ consequitur ipse, qui curat, si fructum sui laboris in ægrotante conspiciat, & per lætitiam mẽtis, etiam ipse consequitur vtilitatẽ, secundum illud, quod dicitur: Beatus, qui loquitur in aures audientium. Hanc igitur vtilitatem, quam consequitur magister ab auditoribus suis, si proficiant audiendo, dum fructus ex salute eorum consequitur, videns Hieremias se non habere de Iudæis, dicit: Non profuit mihi quisquã. Si enim debet auditoribus prodesse quod loquor, auditores vero, quæ dicuntur abijciũt, & ego dico: Non profui, neque profuit mihi quisquam, quia hanc vtilitatem non sum consecutus, quam consequitur is, qui beatus efficitur dum in aures loquitur audientium.

6 In lib. moral. sentent. c. 14. to. 2. Rom. 1. Phil. 1.

BASILIVS ait: Munus prædicatoris est a Deo postulare, vt eos, quos conuerterit meliores efficiat, sicut faciebat Paulus, cum diceret: Testis est mihi Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius, quòd sine intermissione memoriã vestri facio semper in orationibus meis. Testis enim mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Iesu Christi. Et hoc oro, vt charitas vestra magis ac magis abundet in omni scientia, & in omni sensu, vt probetis potiora, vt sitis sinceri, & sine offensa in diẽ Christi, repleti fructu iustitiæ. Et infra cap. 19. docet qua constantia prędicator bonum fratrum curare debet. Vnde ter interrogatus Petrus a Domino, si eum diligeret, ter audiuit: Pasce agnos meos. Et in act. Apostolorum dicitur: Vna autem sabbathorũ, cum venissemus ad frangendũ panem, Paulus disserebat eis, profecturus postridie, protraxitq. sermonem vsq; ad mediã noctem. Et paulo post: Quomodo nihil subtraxerim vobis vtiliũ, quominus annunciarẽ vobis, & docerem vos publice, & per domos, testificans Iudæis, atq; gentibus in Deũ pœnitentiã. Propter quod vigilate, memoria retinentes, qđ per trienniũ nocte, ac die nõ cessaui cũ lachrymis monere vnumquemq; vestrum. Memores enim estis fratres laboris nostri, & fatigationis nocte, & die operantes, ne quem vestrum grauaremus, prædicauimus in vobis Euangelium Dei.

Ioan. 21. *Act.* 20. *Ibidem.*

7 Conc. 1. de Lazaro. tomo 2.

CHRYSOSTOMVS dicit: Vtinã oratio nostra profectus aliquid afferat. Quod si post nostram etiã admonitionẽ in ijsdem vitijs perseuerauerint, nec sic quidẽ nos desistemus apud vos, quod rectũ est consulere, quandoquidem & aquarũ venę, etiãsi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes quãuis hauriat nemo, tamen scatebras emittunt, & amnes etiã si nemo bibat, nihilo secius fluunt. Sic oportet & illũ, qui cõcionatur, quãuis nullus auscultet, tñ præstare quidquid in ipso situm est. Siquidẽ hæc lex nobis, qui sacri sermonis administrationẽ suscepimus a Deo præscripta est, ne vmquã quod quidem in nobis fuerit facere defatigemur, nec vllo tempore fileamus, siue sit qui auscultet, siue sit qui prætercurrat negligens quod dicitur. Nam & Hieremias cum Iudæis multa minitans, malaq. imminentia prædicẽs, ab audiẽtibus subsannaretur, totoq. die rideretur, cogitabat ab illa prophetia desistere, ni mirum humano quodam affectu victus? cõuitia illa perpeti non valens, ait: Factus sum ridiculus tota die, dixi, non loquar, neq; nominabo nomen Domini, & factus est in me velut ignis ardens, atque æstuans in ossibus meis, ac dissoluor, nec possum ferre. Quod autem dicit hunc habet sensum. Volebam, inquit, a prædictione desistere, propterea quod non auscultabãt Iudæi, & simul atq; hoc cogitassem, irruit in animã meã spiritus vis velut ignis, omniaq. intima mea succendit, consumens insuper, & exedens ossa mea, adeo vt incendiũ illud ferre non possem. Quod si prophera qui quotidie ludibrio habebatur, quotidie cõuitijs incessebatur, sic discruciatus est, eo quod statuerat silere, qua tandẽ nos venia digni cẽsebimur, si qui nondũ tale quidquã perpessi sumus, tamen ob quorundã negligentiã deijciamus animũ, & ab exhibẽda illis doctrina cessemus, maxime vero cũ tam multi sint, qui se præbent attentos? Nõ hæc loquor mei cõsolandi, deliniendiq. gratia. Nam meo quidẽ ipsius animo persuasi, quoad spirauero, & donec Domino visum fuerit nos in præsẽti vita versari, hoc implere ministeriũ, siue quis attendat, siue non attendat, vt faciat ea, quæ præcipiuntur. Sunt nõnulli qui dicunt, desine bene consulere, desine monere, nolunt tibi

Hier. 20.

8

tibi auſcultare. Quoniã ergo ſunt quidam iſta loquentes, inhumanam hanc ſententiam, inſidiaſq. diabolicas excutere volens e multorum animis, pluribus hac de re diſſero. Siquidem & heri noui multos, qui talia verba protulerint, qui cum conſpicerent aliquos in caupona detriuiſſe tempus, cum riſu, ſanniſq. dice-
Ironia. bãt, Scilicet omnino perſuaſi ſunt, nemo pror-
9 ſus cauponam ingreſſus eſt? Omnes ſobrij ſunt redditi. Quid ais homo? Videlicet iſtud polliciti ſumus, nos vno die omnes illos rete capturos? Nam ſi decem modo perſuaſi fuerint, ſi quinq; tantum, ſi vnus, nonne nobis hoc ſufficit ad conſolationem? Immo vero pone neminem noſtris dictis fuiſſe perſuaſum, quamquam id fieri nũquam poteſt; nimirum vt ſermo in tam multis diſſeminatus vacet omni fructu; verumtamen pone iſtud eſſe, ne ſic quidem nobis nihil affert lucri ſermo noſter. Nã etiamſi nonnulli ingreſsi ſunt cauponam, non tamen cum pari, qua ſolent, impudẽtia, ſed ad mẽſam poſitis redijt in memoriam noſtra objurgatio, & erubuerunt tacita cogitatione, nec ſimili impudentia fecerunt ea, quæ ſolebant. Hoc autem initium eſt ſalutis, optimæq. mutationis, ſi quem penitus ſui pudeat. Quin ex hoc inſuper & aliud nobis lucrum non minus naſcitur. Nimirum illud, quod eos, qui ſobrietatem amplectuntur reddimus modeſtiores, magiſq. cõpoſitos, dũ ex oratione noſtra declaratur, quòd optimis ducantur conſilijs, qui non abducuntur exemplo multitudinis. Non erexi quidem ægrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Super hæc addam & tertium. Hodie non perſuaſi, ſed cras perſuadere potero. Quod ſi minus cras, attamen perendie, aut quarto abhinc die fortaſsis perſuaſero. Qui hodie quod audiuit repulit, cras fortaſsis audiet, & recipiet; tum qui hodierno, craſtinoq. die contempſit, fortaſsis poſt dies complures præbebit animum ijs, quæ dicetur. Quandoquidem & illud crebro fit, vt piſcator, qui per totum diem vacuum attraxit rete, ſub noctem iam abire parans, capto, qui ipſum per totum fefellerat diem, piſce diſcedat. Quòd ſi ideo victuri ſumus in otio, & ab omnibus actionibus videbitur abſtinendũ, eo quòd ſemper euenit, vt alicubi fruſtremur optatis; vniuerſa nobis perierit vita, nec ſpiritalia modo, verumetiam illa, quæ ad vitæ præſentis vſum
10 pertinent, ſimul interierint omnia. Etenim ſi agricola protinus ab agricolatione reſiliat, quòd ſemel atque iterum, aut ſæpius acciderit aeris inæqualitas, breui fame periremus omnes. Item ſi nauclerus ob ſemel, atque iterum, aut ſæpius obortam tempeſtatem fugiat mare, futurum eſt, vt nemo vehatur pelago, atque hinc rurſum peribunt nobis omnia vitæ commoda. Quòd ſi per ſingulas artes percurrens, iſta, quæ nos facere vis, ſuadeas, moneaſq. cuncta funditus interibunt, terraq. carebit ædificijs ac domicilijs. Itaq; cum hæc omnia ſciãt, etiam ſi ſemel, atque iterum, aut ſæpius fruſtrati fuerint optato negotiorum, in quibus verſantur, exitu, denuo pari cum alacritate redeunt ad eadem. Nam & ruricola vbi ſemel atque iterum, & ſæpius votis non reſpondet prouentus, rurſus eandem exercet ſegetem, neque raro fit, vt totius tẽporis iacturam vno ſarciat anno. Sic & negotiator quamquam crebro fecit naufragium, non tamen abſtinet a portu, ſed eadem aggreditur negotia. Et poſt hæc, cum illi tantam adhibeant curam, ſtudiumq. circa res ad præſentis vitæ vſum pertinentes, licet exitus ſit incertus, nos ſi loquẽtes non auditi fuerimus, illico deſinemus? Et quam obtinebimus veniam, & excuſationem? Et tamen illis ſi non ſucceſſerit, nullus eſt, qui damnum acceptum leniat. Veluti ſi mare nauim fluctibus obruerit, nemo medebitur inopiæ naufragi. Si vis imbrium effuſa in aruum præfocarit ſementem, cogitur agricola vacuis manibus abire domum. Noſtra vero cum loquimur, aut exhortamur non eſt eadem conditio. Immo ſi ſemen per te iactum auditor non receperit, nec obedientiæ fructum retulerit, tu
tamen communicati conſilij mercedem fers a 11
Deo, nec minus accipies prẽmij non auditus, quàm accepturus eras, ſi ille obtemperaſſet. Quod erat in te præſtitiſti. Ceterum ad id, vt perſuadeamus auditoribus, non ſumus obſtricti, ſed tantum vt admoneamus. Noſtræ quidem partes ſunt admonere, illorum vero obtemperare. Quod ſi non auſcultauerint ad ipſos ſolos redibit omnis vltio, nobis vero nihil
imputabitur, ſed copioſa merces redibit à *Matt. 25.*
Deo. Nihil aliud iubemur, quàm apud menſarios deponere pecuniam. Ne deſtiteris donec perſuadeas, donec ſpiritum afflaueris. Terminus monendi ſit obedientia monitionẽ tuam recipientis. Diabolus circumcurſat obſiſtere cupiens noſtræ ſaluti, non ſolum nihil lucri inde reportans, verumetiam ſuo ſtudio grauiſsima detrimenta ſibi concilians. Is tamen vſque adeo veſanus eſt, vt frequenter & illa tentet, quæ nequaquam fieri poſſunt, nec illos ſolum adoriatur, quos omnino confidit ſe ſupplantaturum, verumetiam eos, quos probabile eſt artibus ipſius fore ſuperiores. Nec deſiſtit laudato Iob a Domino omnia mouere, molirique, vt ſupplantaret hominem. Et poſt hæc non erubeſcimus, dic mihi, ſi cum diabolus nũquam deſperet noſtram perniciem, ſed indeſinenter eam expectet, nos fratrum ſalutem deſperauerimus? Et tamen illum decebat etiam priuſquã expertus eſſet a lucta abſtinere, nam Deus erat qui teſtimonium ferebat de iuſto. Nec tamen abſtinuit, ſed præ nimio furore quo fertur aduerſus nos, etiam poſt Dei teſtimonium ſperabat futurum, vt illius ætatis præſtantiſsimo viro ſuperior euaderet. Ceterum nihil eſt tale, quod nos in deſperationem adigat, & tamen deſiſtimus. Ac diabolus quidem vetante Deo non diſcedit a pugna aduerſus nos ſuſcepta, tu vero cum Deus mandet, extimuletq. ad ſubueniẽdum lapſis, reſilis, refugiſque. Quis igitur nobis erit veniæ locus, ſi cum tanta ſit dæmonis in noſtrum exitium vigi-

vigilantia, nos ne tantulum quidem ſimilis di-
12 ligentiæ adferamus ad ſalutem fratrum noſtrorum, præſertim cum Deum habeamus auxiliatorem? Itaque cum videris fratrem tuum durum, rigidum, minimeq. attentum, dic apud te metipſum. Quid ſi progreſſu temporis aliquã-
1.Tim. 2. do valeamus illum flectere? Hoc nimirum, & Paulus præcepit. Seruum Domini non oportet litigare, ſed placidum eſſe erga cunctos, erudientem eos, qui reſiſtunt veritati, ſi quando det illis Deus pœnitentiam in agnitionem veritatis. An non vides parentes quomodo filijs ſuis, licet frequenter deſperatis, aſsident, lachrymantes, exoſculantes, omnia quæ poſſunt admouentes ad ſupremum vſq; halitum? Hoc tu quoque facito pro fratribus. Et tamen illi non poſſunt lachrymis ac lamentis neque morbum depellere, neq; mortem imminẽtem abigere. Tu vero frequenter poteris animam deploratam aſsiduitate inſtantiaq. per lamenta reuocare ac ſuſcitare. Dediſti conſilium, nec perſuaſiſti, illachryma, punge frequenter, ac ſuſpira paululum, vt tua ſollicitudo incutiat illi verecundiam, & ita ſe conuertat ad ſalutem. Et cum homines non teneantur immedicabili morbo, non oportet deſiſtere. Nos futurorum ſumus ignari, vnde nec dijudicare poſſumus de
13 ijs, qui audiunt, vtrum obtemperaturi ſint dictis noſtris, an ſecus. Chriſtus autem iſtarum rerum certam habens præſcientiam non defatigatus eſt corrigẽdis ijs a quibus audiebatur, vſque ad extremum, vt in Iuda clare videmus. Hoc autem fecit nos inſtituens, vt etiam, ſi præſciamus futurum, vt fratres non obtemperent, tamen quicquid in noſtra fuerit facultate præſtemus, tanquam parata nobis admonitionis noſtræ mercede. Infra: Quotidie Deus loquitur nobis per Apoſtolos, per prophetas, haud tamen deſinit, vel appellare, vel docere rebelles parumq. attentos. Quin & Paulus cla-
2.Cor. 5. mat. Pro Chriſto legatione fungimur tanquã Deo exhortante per nos. Obſecramus pro Chriſto reconciliamini Deo. Quod ſi dicendum aliquid nouum, & admirandum, haud tãtũdem laudis meretur is, qui præſcit futurum, vt is, qui conſilium accipit, obtemperet, quantum is, qui frequenter loquutus, frequẽter adhibita monitione fruſtratus eſt, nec ſic tamen deſtitit. Nam priorem illum ſpes, pollicens futurum, vt qui audit obtẽperet, etiam ſi ſegniſsimus fuerit excitat ad officium admonendi. Contra hic cum aſsidue moneat, nec audiatur, nec eo tamen deſiſtit, feruidiſsimæ cuiuſdam, ac veriſsimæ charitatis argumentum præbet, qui cum nulla ſimili ſpe alatur, tamen ob vim amoris erga fratrem, non deſinit illius agere curam. Verum non oportet nos vnquam a cura deſiſtere lapſorũ, his rationibus moti, quas recenſuimus.

14 IDEM inquit; Prædicatores fruſtra cur-
Ho. 12. in Io rimus? fruſtra laboramus? Nunquid ſuper pe-
anne. 19. 3. tram ſemen iacimus? Nunquid ſecus viam, an inter ſpinas latent ſemina cadentia? Contendimus enim, & maiorem in modum formidamus ne agricultura nobis ſterilis euadat. Neque hoc dico, quod verear ne in laboris huius mercede capiam detrimentum. Non enim eadem conditione, qua agricolæ, ſunt verbi diuini præceptores. Siquidem agricolæ poſt annuos ſudores, & miſeram illam laborioſamq. vitam, ſi terra aliquando pro operis in ſe impenſis non reſpondeat, nemo alius eius damnũ inſtaurare poteſt, ſed putibundus, triſtiſq. ab area domum ad vxorem, & filios reuertitur, & quem longi laboris mercedem petat, habet neminem. In nobis autem nihil huiuſmodi vſu venit, ſed licet culta terra nullum afferat fructum, & eius, & noſter Dominus vana nos ſpe
dimiſſos non fruſtratur, ſed remunerat. Vnuſ- *1.Cor. 3.*
quiſque enim, inquit, propriam mercedem accipiet ſecundum proprium laborem, non ſe-
cundum rerum euentum. Et tu fili hominis te *Ezec. 3.*
ſtificare populo huic, ſi forte audiant, ſi forte intelligãt: Et per Ezechielem. Si voluntas prędicat quid fugere, quid eligere oporteat, animam tuam libera, quamuis nemo attendat. Verum enimuero licet firmum hoc ſolatium, & remunerationis fiduciam habeamus, cum nihil vos bene operando proficere videamus, nihilo melius afficimur, quàm agricolę illi, qui demiſſo vultu, & rubore perfuſi anguntur, & ſuã deflent calamitatem. Hoc magiſtri miſericordia eſt, hoc patris cura.

HIERONYMVS exponens verba illa; 15
Egredimini de Babylone, fugite a Chaldæis, in Lib. 13 in c.
voce exultationis annunciate, auditum facite, 48. Iſaiæ.
hoc dicit. Qui verius, & rectius hæc referunt, ad Saluatoris aduentum, intelligunt hæc verba cohortationem eſſe eorum, qui Euangeliũ aununciant Domini Saluatoris, vt egrediamur de Babylone, ideſt, cõfuſione iſtius mũdi. Et ſcidit petram, & fluxerunt aquæ. Sciinditur autem ſermo diuinus, & in multas partes diuiditur, vt quem totum ſuſcipere non poſſumus ſumamus in partibus.

IDEM exponens illa verba; Dominus de 16
dit mihi linguam eruditam, vt ſciam ſuſtenta- Lib. 14. in c.
re eum, qui laſſus eſt verbo: vel in verſione ſe- 50. Iſaiæ.
ptuaginta interpretum; Dominus dat mihi lingnam diſciplinæ, vt ſciam quãdo oporteat me loqui verbum, ait: Verba hæc de Chriſto Domino, ac veris prædicatoribus accipiẽda ſunt, qui ſciunt quando debeant loqui, & quando reticere. Magnæq. ſcientiæ eſt dare in tempore conſeruis cibaria, & audientium conſiderare perſonas.

IDEM in expoſitione illorum verbo- 17
rum, quia factus eſt mihi ſermo Domini in Lib. 4. in c.
opprobrium, & in deriſum tota die, & dixi, 20. Hiere.
non recordabor eius, nec loquar vltra in nomine ipſius, ſic habet: Clamante me atque dicente, quod iam Babylonius veniret exercitus, & omnia hoſtilis gladius prædaretur, verſus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, atque deriſum, dum tarditatem prophetiæ putant eſſe mendacium. Quamobrem in mea mente decreui, vt vltra ad populum Dei verbis non loquerer, nec nomen illius nominarem. Quod cum

cum pudore ſuperatus verecunde quidem, & ſtulte conſtituiſſem, factus eſt, inquit, in corde meo, quaſi ignis exeſtuans, clauſuſq. in oſsibus meis, ſiue vndique diſſolutus ſum, ita vt ferre nō poſſem. Conceptus enim animo ſermo diuinus, nec ore prolatus, ardet in pectore, Vnde & Paulus loquitur; Si euangelizauero, non eſt mihi gloria, neceſsitas enim mihi incumbit. Væ enim mihi eſt, ſi non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo, ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt. Sed & pleriq; doctorum iu Eccleſia vſque hodie ſimilia ſuſtinent, audiētes vituperationem multorum congregatorum aduerſum ſe in circuitu, atque dicentium: Perſequimini, & perſequamur eos.

1. Cor. 9.

18 IDEM explicans illa verba; Omnis domus Iſrael attrita fronte eſt, & duro corde. Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum, dicit: Ne contriſteris, ait, ſi te audire noluerint. Te non audiunt, quia peruerſæ ſunt voluntatis, & attritæ frontis. Domus Iſrael attritæ frōtis eſt, & procacis audaciæ, & duro ſic corde, vt ſcorpionibus comparetur. Ideo dedi tibi vultum duriſsimum, & frontem, quæ nullo pudore ſuperetur. Ex quo diſcimus interdum, gratiæ eſſe Dei impudentiæ reſiſtere, & cum res poposcerit, frontem fronte concutere. Hoc autem tribuitur, ne noſtra verecundia, & humanus pudor pertimeſcat inſidias æmulorum. Infra: Si dicente me ad impium, morte morieris, non annunciaueris ei, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Duo ſunt impij, ſiue iniqui: vnus qui nihil audit a ſpeculatore, & in ſua impietate morietur, cuius ſanguis deſpeculatoris quæritur manibus. Alter cui ſpeculator annunciat, & ille audire contemnens ſuo vitio moritur, ita dumtaxat, vt ſpeculator a culpa alienus ſit. Magnum diſcrimē eſt, Dei tacere ſermones, ob triplicem cauſam. Vel propter timorem, vel propter pigritiam, vel propter adulationem. Vnde & Iſaias. Væ mihi miſero quia tacui.

Lib. 1. in ca. 3. Ezechie.

Iſa. 6.

19 IDEM exponens verba illa; Qui abſcondit frumēta maledicetur in populis, ſic habet. Qui ſanctæ prædicationis apud ſe verba retinet, talis maledicitur in populis, quia non ſolum culpa ſilentij, ſed pro multorum, quos corrigere potuit, pœna damnatur. Ipſe eſt ſeruus piger, & malus, qui pro retentione talēti, quod accepit, in exteriores tenebras miſſus eſt. Vēdunt autem frumentum, qui verbum vitæ audientibus conferunt, a quibus pretium fidei, & confeſsionis recipiant, dicente Domino: Negotiamini dum venio. Quorum capiti benedictio ſuperuenit, dum ſingulis de tali negotio redeuntibus Dominus dicit: Euge ſerue bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Propterea hic ſubdit Salomon: Benedictio autem ſuper caput vendentium.

In c. 11. Prouerb. to. 7.

Luc. 19.

20 IDEM explicans illa verba; Qui obſeruat ventum non ſeminat, & qui aſpicit nubes non metet. Quomodo non cognoſcis tu, quæ ſit via ſpiritus, & ſicut oſſa in vtero prægnātis, ſic neſcis opera Dei, qui facit omnia, dicit: Qui tantum eo tempore verbum Dei prædicat, quo populus libenter auſcultat, & ſecunda aſpirat aura rumoris, is ſator negligens, & ignauus agricola eſt. In ipſis enim proſperis, dum neſcimus, aduerſa conſurgunt. Sed opportune, importune ſuo tenore Dei ſermo eſt prædicādus, nec fidei tempore aduerſariarum nubium conſideranda tempeſtas. De qua in prouerbijs, dicitur: Sicut pluuia vehemens, & inutilis, ſic qui derelinquunt ſapientiam, & impietatem laudant. Abſque conſideratione ergo nubium, & timore ventorum in medijs tempeſtatibus ſeminandum eſt, nec dicendum, illud tempus commodum, hoc inutile, cum ignoremus, quæ via, & quæ voluntas ſit ſpiritus vniuerſa diſpēſantis. Sicut neſcis viam ſpiritus, & animæ ingredientis in paruulum, & ignoras oſsium, & venarum varietatem in ventre prægnantis, quomodo ex vili elemento corpus hominis in diuerſas effigies, artuſq. varietur, & de eodem ſemine aliud molleſcat in carnibus, aliud durescat in oſsibus, aliud in venis palpitet, & aliud ligetur in neruis, ita Dei opera non ſcire poteris, qui factor eſt omnium. Ex quo docet contraria non timenda, nec temere de ventis, & nubibus, quas diximus, iudicandum, cum ſuo tempore, & curſu debeat ſator pergere, & euētum Domini ſententiæ reſeruare. Non enim volentis, neque cutrentis, ſed Dei miſerētis eſt.

In c. 11. Eccleſiaſtes.

Rom. 9.

21 IDEM exponens illa verba; Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erumpant pariter deorſum, ait: Nubes ſanctos doctores, interprætamur Eccleſiæ, qui aquas Euangelij portant populis effundendas, & gubernandas a Spiritu ſancto deferunt, vt irrigentur terræ populorum, & de hac cæleſti pluuia virtutum fruges ſpirituali operatione multiplicentur. Quas aquas de ſuperna abundantia defluētes ligat Deus in nubibus ſuis, vt vnicuiq. ſecundum capacitatem cordis ſui tantum doctrinæ tanquam aquam effundat, quantum ſuſcipientis poſsibilitas patitur, ne ſimul fortaſsis effuſę obſint cordibus minus valentibus abundantiorem ſuſcipere doctrinam.

In c. 26. Iob

22 AMBROSIVS ait: Ingenio diffiſus, ſed diuinæ miſericordiæ prouocatus exemplis, ſermonem meditari audeo. Nam volente Deo etiam aſina locuta eſt. Quod ſi mihi ſub iſtius ſę culi oneribus conſtituto aſsiſtat Angelus, ego quoque muta diu ora laxabo. Poteſt enim ſoluere impedimenta imperitiæ, qui in illa aſina ſoluit naturæ. In arca veteris teſtamenti virga floruit ſacerdotis: facile Deo eſt, vt in ſancta Eccleſia de noſtris quoque nodis flos germinet. Cur autem deſperandum quòd Dominus loquatur in hominibus, qui eſt locutus in ſentibus, nec rubum eſt dedignatus? Atque vtinam meas quoque illuminet ſpinas. Erunt fortaſſe, qui etiam in noſtris ſentibus aliquem mirentur lucere fulgorem, erunt, quos ſpina noſtra

Li. 1. de virginibus ad Marcellam ſororē ſuā.

noſtra non vrat, erunt, quibus de rubo audita vox noſtra ſoluat de pedibus calciamentum, vt impedimentis corporalibus exuatur mētis inceſſus. Quod ſi nomen Ioannis reddidit patri vocem, ego quoque deſperare non debeo, quin vocem licet mutus accipiam, ſi loquar Chriſtū.

23 IDEM dicit; Libenter nos prædicare, & gratanter opus Dei facere manifeſtum eſt. Sed cum videmus plures e fratribus pigrius ad Eccleſiam conuenire, & Dominicis præcipue diebus minime cæleſtibus intereſſe myſterijs, prædicamus inuiti. Non quo nos pigeat loqui, ſed quia negligentiores prædicatio noſtra grauet potius, non emendet, ideo inuiti loquimur, & tacere non poſſumus. Prædicatio enim noſtra in plebe, aut regnum operatur, aut pœnam, regnum credulis, perfidis pœnam.

Serm. 1. de grano ſinapis. to. 5.

24 IDEM exponens verſum illum; In corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi, ſic habet. Propterea myſterium regis bonū eſt abſcondere. Peccat enim Deo, qui cōmiſſa ſibi ſecreta myſteria putauerit indignis eſſe vulgāda. Periculum itaque nō eſt falſa ſolum dicere, ſed etiam vera, ſi quis ea inſinuet, quibus non oportet. Quod vitium quadripartitum eſt, vel adulationis, vel anaritiæ, vel iactantiæ, vel loquacitatis incautæ, quia dum adulari vult aliquis ei, cui loquitur, effundit myſterium. Nonnulli etiam ſtudio lucri mercedem proditionis ſequuntur, vt tegenda ſilentio vendant loquēdo. Alij, vt plura noſſe videantur, & ſcientiam ſuam iactitent, aperiunt, quod celare deberēt. Pelerique dum ſine præiudicio loquuntur, verbum emittunt, quod reuocare nō poſſunt. Erat homo abſcondens ſermones ſuos, vt Apoſtolus Paulus, qui nouit, quid loquatur ſingulis, & quando quid loqui debeat. Vnde & Corinthijs dicit: Lac vobis potum dedi, non eſcam: nondū enim poteratis. ſed nec adhuc quidē poteſtis. ideo hos in tranſitu vidit, manet autem apud Epheſios, quod oſtium ſibi magnū apertum eſſet, notū facere gentibus myſterium Chriſti. Ideo & Salomon tempus tacendi, & tempus eſſe loquēdi docet. Vnde Chriſtus Dominus ſimile dicit regnum cælorum theſauro abſcondito in agro. Theſaurus iſte, eloquia Domini ſunt, eloquia caſta, argentum igne examinatū, quibus ipſum regnum acquiritur. Hunc ergo theſaurum ſapientiæ, & cognitionis abſconditum in agro, in quo plātata ſunt verba ſcripturarū cęleſtium, cū inuenerit homo, abſcondit illum in corde ſuo, nec diuulgat eū, ſciens quia ſi diuulgauerit Babylonijs theſaurū Dei, magnā offenſam cōtrahet, vt dicatur ei ſermone prophetico: De ſemine tuo accipient, & faciēt ſpadones in domo regis. Per quę ſignificatur, quia is, qui prodiderit diuina myſteria, poſteritatē animę ſuę, ſeminariumq. meritorum habere non poſsit. Caue ergo ne diuitias tuas perfidis prodas, etſi amicitiā ſimulent, non illis aperias interiora domus tuæ, non reſeres theſauros regios, quos Babylonij ſcire non debent, ne veniant, & capiant poſteros tuos, & ſeminarium virtutis abſcindant. Hoc eſt, quod etiam in

1. Cor. 3.

Matt. 13.

Euangelio dicit Dominus: Nolite mittere margaritas veſtras porcis. Ideo benefacit, qui abſcondit eloquia Domini in corde ſuo.

Matt. 7.

AVGVSTINVS ait; Debet diuinarum ſcripturarū tractator, & doctor, ac debellator erroris, bona docere, & mala dedocere, atq; in hoc opere ſermonis conciliare auerſos, remiſſos erigere, neſciētibus, quid agatur, quid expectare debeant, intimare. Vbi autem intētos, benęuolos, dociles, aut inuenerit, aut ipſe fecerit, cetera peragenda ſunt, ſicut cauſa poſtulat. Si docendi ſunt, qui audiunt, narratione faciendū eſt, ſi tamen indigeat, vt res de qua agitur innoteſcat. Vt autem quæ dubia ſunt, certa fiāt, documentis adhibitis ratiocinandum eſt. Si vero qui audiunt mouendi ſunt potius, quàm docēdi, vt in eo quod iā ſciunt agendo nō torpeant. Cum alij prędicent obtuſe, deformiter, frigide, alij acute, ornate vehemēter, illū ad hoc opus, de quo agimus, iā oportet accedere, qui poteſt diſputare, vel dicere ſapienter, etiam ſi non poteſt eloquenter, vt proſit audientibus, etiamſi minus prodeſſet, quàm ſi & eloquenter poſſet dicere. Qui vero affluit inſipienti eloquentia, tanto magis cauendus eſt, quanto magis ab eo in ijs, quę audire inutile eſt, delectatur auditor, & eum quoniam diſerte dicere audit, etiam vere dicere exiſtimat. Hæc autem ſententia nec illos fugit, qui artem rhetoricam docendā putarunt. Faſsi ſunt enim ſapientiā ſine eloquentia parum prodeſſe ciuibus, eloquentiam vero ſine ſapiētia obeſſe plerumque, prodeſſe numquam. Sapienter autem dicit homo tanto magis vel minus, quanto in ſcripturis ſanctis magis minusve profecit. Sunt qui eas legunt, vt teneant, negligunt ne intelligant, Quibus longe ſine dubio preferendi ſunt, qui verba earum minus tenent, & cor earum ſui cordis oculis vident. Sed vtriſque ille melior, qui & cum vo- 26
let eas dicit, & ſicut oportet intelligit. Huic ergo, qui ſapienter debet dicere, etiam quod non poteſt eloquenter verba ſcripturarum tenere maxime neceſſarium eſt. Quanto enim ſe pauperiorem cernit in ſuis, tanto eum oportet in iſtis eſſe ditiorem, vt quod dixerit ſuis verbis, probet ex illis, & qui proprijs verbis minor erat, magnorum teſtimonio quodammodo crescat. Probando enim delectat, qui minus poteſt delectare dicendo. Qui eloquenter dicunt, ſuauiter, qui ſapienter, ſalubriter audiuntur. Propter quod non ait ſcriptura: Multitudo eloquētium, ſed multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum. Sicut autem ſæpe ſumenda ſunt, & amara ſalubria, ita ſemper vitanda eſt perniciosa dulcedo. Infra: Sunt quædā, quæ ſua vi nō intelliguntur, aut vix intelliguntur, quātolibet, & quantumlibet, quamuis planiſsime dicentis verſentur eloquio, quæ in populi audientiam, vel raro, ſi aliquid vrget, vel numquam omnino mittenda ſunt. Infra: Et hæc ſententia bonorum ingeniorū inſignis eſt indoles, in verbis verū amare, nō verba. Quid enim prodeſt clauis aurea, ſi aperire non poſſimus, quod volumus? Aut quid obeſt lignea, ſi

25 Lib. 4. de doctrina Chriſtiana. to. 3.

Sap. 6.

hoc

hoc poteſt, quando nihil quęrimus, niſi patere, quod clauſum eſt? Sed quoniã inter ſe habent nonnullam ſimilitudinem veſcentes, atque diſcentes propter faſtidia plurimorum, etiã ipſa, ſine quibus viui nõ poteſt, alimenta condienda ſunt. Dixit ergo quidam eloquens, & verum dixit, ita dicere debere eloquentẽ, vt doceat, vt delectet, vt flectat. Deinde addidit: Docere neceſſitatis eſt, delectare ſuauitatis, flectere victoriæ.

27 Lib. de catechizandis rudibus ad fratrẽ Deogratias.to.4

IDEM dicit; Nolim te moueri ex eo, quod ſępe tibi abiectum ſermonem, faſtidio ſumq. habere viſus es. Fieri enim poteſt, vt ei, quem inſtruebas, non ita ſit viſum, ſed quia tu aliquid melius audiri deſiderabas, eo tibi, quod dicebas, videretur indignũ auribus aliorũ. Nam & mihi prope ſemper ſermo meus diſplicet. Melioris.n. auditus ſum, quo ſępe fruor interius, antequam eũ explicare verbis ſonantibus cœpero, quod vbi minus, quã mihi notus eſt, euaſuero, contriſtor linguam meã cordi meo non poſſe ſufficere. Totum enim quod intelligo, volo, vt qui me audit, intelligat, & ſentio me non ita loqui, vt hoc efficiã, maxime quod ille intellectus, quaſi rapida coruſcatione perfundit animum, illa autem locutio tarda, & longa eſt, lõgeq. diſſimilis. Infra: Nos plerumq; in auditoris vtilitatem vehementer ardẽtes ita loqui volumus, quemadmodum intelligimus, cũ per ipſam intentionem loqui nõ poſſumus, & quia nõ ſuccedit, angimur, & velut fruſtra opera inſumamus, tędio marceſcimus, atq; ex ipſo tędio languidior fit idẽ ſermo, & hebetior, quã erat. Vnde perduxit ad te tædium, ſed mihi ſæpe indicat eorum ſtudium, qui me audire cupiunt, non ita eſſe frigidum eloquium meum, vt videtur mihi, & eos inde aliquid vtile capere ex eorum delectatione cognoſco.

28 Lib.32. contra Fauſtum Manichæũ. to.6. Deut. 25.

IDEM ſic habet; In mandatis veteris teſtamẽti vxorem fratris ad hoc frater iuſſus eſt ducere, vt non ſibi, ſed illi ſobolem ſuſcitaret, eiuſq. vocaret nomine. Quod quid aliud in figura pręmonſtrat, niſi quia vnuſquiſq; Euangelij prędicator ita debet in Eccleſia laborare, vt defuncto fratri, hoc eſt, Chriſto ſuſcitet ſemẽ, qui pro nobis mortuus eſt, & quod ſuſcitatum fuerit, eius nomen accipiat. Vnde Paulus commemorans eos, quos per Euangelium genuerat, ſuccenſet eis, & eos increpans corrigit, volentes eſſe Pauli. Numquid Paulus, inquit, pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis? Tamquam diceret: Defuncto fratri vos genui, Chriſtiani vocamini, non Pauliani.

1.Cor.4. 1.Cor.1.

29 In Pſal. 35. to.8.

IDEM explicans verba illa; Veritas tua vſq; ad nubes, inquit. Nubes ſunt prædicatores verbi Dei. Vſque ad nubes veritas tua venit, ideo nobis per nubes potuit nũciari miſericordia Dei, quæ in cęlo eſt, & non in terra. Et revera fratres nubes ſunt prædicatores. Quãdo minatur per prędicatores Deus, tonat per nubes. Quãdo miracula facit per prædicatores Deus, coruſcat per nubes, terret per nubes, & irrigat per pluuiã. Iuſtitia tua ſicut montes Dei. Qui dicti ſunt nubes ipſi ſunt montes magni, videlicet prædicatores. Et quomodo quando oritur ſol prius luce mõtes illuſtrat, & inde lux ad humillima terrarum deſcendit, ſic Chriſtus Dominus prius radiauit in altitudinem Apoſtolorum, prius illuſtrauit montes, & ſic deſcendit lux eius ad conuallem terrarum. Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi. Auxilium veniet tibi de montibus, quia ſcripturæ per montes tibi miniſtratę ſunt, per magnos prædicatores veritatis. Pſal.120.

30 In Pſal. 44. Gen. 28.

IDEM dicit; In ſcala Iacob Angeli aſcẽdebant, & deſcendebant. Angeli Dei prædicatores ſunt veritatis, aſcendant, vt erigant magnos, deſcendant, vt nutriant paruos. Vide aſcendentem Paulum: Siue mente excedimus, Deo. Vide deſcendentem. Siue temperantes ſumus, vobis. Vide aſcendentem: Sapientiam loquimur inter perfectos. Vide deſcendentem: Lac vobis potum dedi, non eſcam.

2.Cor.5.

31 Tract.49.in Ioan.to.9.

IDEM ait; Tutius veritas auditur, quàm prædicatur, quoniam cum auditur, humilitas cuſtoditur, cum autem prædicatur, vix non ſurrepit, cuius hominum quantulacumque iactantia, in qua vtique inquinentur pedes ſponſæ, Ergo ſicut Apoſtolus Iacobus dixit: Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum. Dicit & alius homo Dei: Auditui meo dabis gaudium, & lætitiam, & exultabunt oſſa humiliata: hoc eſt, quod dixi, cum veritas auditur, humilitas cuſtoditur. Dicit & alius: Amicus autem ſponſi ſtat, & audit eum, & gaudio gaudet propter vocẽ ſpõſi. Fruamur auditu, ſine ſtrepitu nobis loquẽte intrinſecus veritate, quamquam etiã cum forinſecus inſonat per prędicantem: ipſi qui hæc agunt, inquinare pedes ſuos timeant, cum placere hominibus ſurrepente amore humanæ laudis affectant. Iacob.1. Pſal.50. Ioan.3.

32 Serm.106. de tempore to.10.

IDEM dicit, commemorans ruinã Hierico concrepantibus tubis. Ita nunc oportet vt ciuitas mundi, ideſt, ſuperba cum ſuis turribus, auaritia cum omnibus concupiſcentijs malis corruat aſſidua ſacerdotum prędicatione. Non ergo oportet, vt ſacerdotes in Eccleſia taceant, ſed audiant Dominum dicentem: Quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorũ. Clamare ergo iubemur, & vehemẽter clamare: Ne parcas, inquit, peccatoris iniquitati, ne tacendo pereas, & dũ verecundię eius conſulis, non conſulas ſanitati, ne vulnera illius, quæ clamando reſecare poteras, reticẽdo in peius enutrias. Clamare ergo iubemur ei, ne quis ſe nõ audiſſe dicat: vehementer clamare, ne vox lateat ſacerdotis. Sicut tuba exalta vocẽ tuã. Scitis quod tuba nõ tã oblectationis eſſe ſoleat, quàm terroris, non tam delectationẽ inferre, quàm formidinẽ. Tuba itaque peccatoribus neceſſaria eſt, quę non ſolũ aures eorũ penetret, ſed & cor cõcutiat, nec delectet cãtu, ſed caſtiget auditu, & ſtrenuos quoſq; hortetur in bonis, & remiſſos terreat pro delictis. Nã ſicut in prœlio tuba formidoloſi militis mẽtem deijcit, & animum fortis accendit, ita & ſacerdotalis tuba, mentem peccatoris humiliat, animũ viri ſancti corroborat, nec parcit voci, vt parcat ſaluti, & vno eodẽq; ſono iſti adhortationẽ dat, quẽadmodũ ſit fortior ad vincendũ, illi terrorẽ incutit, vt ſit tardior ad peccandũ. Hæc enim cõſuetudo tubæ eſt, vt delĩquẽtiũ opera diſſipet, & ſãctorũ facta cõfirmet. Deniq; ſacerdotalibus tubis Hierico muri, qui intra ſe cõtinebant peccatorũ populũ, corruerũt. Non illos pulſauit aries, non expugnauit machina, ſed quod mirũ eſt, ſacerdotalis ſonus, aut tubæ terror euertit, & iuſtis aperuerũt viã, & defenſionẽ perfidis negauerunt. Sacerdotales illius tẽporis tubæ, prefigurabãt ſacerdotũ noſtrorũ prędicationes, per quas nõ ceſſant peccatoribus terribili ſono auſterũ iudiciũ nũciare, triſtẽ gehennę interitũ prædicare, & quodã cõminationis ſtrepitu aures delinquẽtiũ verberare. Et ſicut tunc tubarũ clangor deſtructis muris ad populi interiora peruenit, ita nunc prædicatio ſacerdotũ deſtructis prauis cogitationibus ad animæ nuda pertranſit. Et ſicut ſacræ vocis ſonus contumacẽ populũ deſtruxit, & captiuauit, ita & nunc ſacerdotalis prædicatio populũ peccatorẽ ſubiugat. Septẽ diebus muri Hierico ceciderunt tũc, & modo hoc ſeptenario numero per ſacerdotes Dei nõ tã vna ciuitas deſtruitur, quã totius mũdi iniquitas diſſipatur. Ioſue 6.

34 Lib.17.Moral.c.14.t.2.

GREGORIVS exponens illa verba Iob cap.26, Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt non erũpãt pariter deorſũ, inquit. Nubes vocat hic prædicatores, & aquã ſciẽtiã. Curauerũt autẽ prædicatores sãcti Apoſtoli rudibus populi plana, nõ sũma atq; ardua prędicare. Nã ſi ſciẽtiã sãctã, vt hauriebant corde, ita ore funderẽt, immẽſitate eius auditores ſuos opprimerent potius quã rigarẽt. Vnde religata intrĩſecus ſciẽtia, vt non pariter deorſũ erũperet, auditores ſuos diſtillatione verborũ nutriẽs, nubes illa loquebatur dicens: Non potui loqui vobis quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus. Tãquã paruulis in Chriſto lac vobis potũ dedi, non eſcã. Vt vero auditores rudes non inũdatione ſciẽtię, ſed moderata prędicationis diſtillatione foueãtur, ligat Deus aquas in nubibus, vt non erũpãt pariter deorſũ, quia doctorũ prędicationẽ tẽperat, vt auditorũ infirmitas doctorum rore nutrita cõualeſcat. Vt prædicaret populis Dñs ingreſſus nauim Petri rogauit a terra reducere puſillũ. Quã nec in altũ duci, & tamen a terra præcipit remoueri, profecto ſignificãs prędicatores ſuos rudibus debere populis, nec alta nimis de cæleſtibus, nec tamẽ terrena prędicare. Nã plerũq; ſi auditorũ cor verbi immenſitate corrũpitur, lingua docẽtiũ indiſcretionis pœna mulctatur. Vnde ſcriptũ eſt: Si quis aperuerit ciſternã, & foderit, & non operuerit eã, cecideritq. bos, vel aſinus in eã, dñs ciſternę reddet pretiũ iumẽtorũ, Quid eſt aperire ciſternã, niſi intellectu valido ſcripturę ſacrę arcana penętrare? Quid autẽ per bouẽ, & aſinũ, mũdũ ſcilicet, & immũdũ animal, niſi fidelis quiſq; & infidelis accipitur? Qui ergo ciſternã fodit, cooperiat, ne illuc bos, aut aſinus ruat: ideſt, qui in ſacro eloquio iã alta intelligit, ſublimes sẽſus corã nõ capiẽtibus per ſilẽtiũ tegat, ne per ſcãdalũ mentis, aut fidelẽ paruulũ, aut infidelẽ, qui credere potuiſſet, interimat. Ex morte.n. iumentorum debet pretiũ, quia illud admiſiſſe cõuincitur, vnde ad agẽdã pœnitentiã reus tenetur. Operiẽda eſt itaq; ciſterna, quia coram paruulis mẽtibus tegẽda eſt alta ſciẽtia, ne vnde cor docẽtiũ ad ſumma attollitur, inde infirmitas auditorũ ad ima dilabatur. Dicatur ergo recte: Qui ligat aquas in nubibus ſuis, vt nõ erũpãt pariter deorſũ. Pariter nãq; aquę erumperẽt, ſi coram infirmis auditoribus quãta eſt ſciẽtia, ex ore loquẽtis emanaret, ſi ſimul ſe omnis plenitudo prædicationis effunderet, & nil ſibi cũ proficiẽtibus reſeruaret. Dignũ quippe eſt, vt qui prędicat audiẽtis modũ cõſideret, quatenus ipſa prædicatio cum auditoris ſui incremẽtis creſcat. Prędicare ergo rudibus non debet quãtũ cognoſcit, quia & ipſe de ſupernis myſterijs cognoſcere nõ valet quãta sũt. Sicq. prædicator agere debet, ſicut cũ illo diuinitus agitur, vt nequaquã cũcta, quæ ſentit, infirmis inſinuet, quia & quouſq; ipſe carne mortalitatis infirmus eſt, ea quæ ſuperna ſunt cũcta non ſentit, vidẽs nũc per ſpeculum in ænigmate. 1.Cor.13.

36 Lib.20. Moral. cap.2.

IDEM explicans verba illa Iob cap.29. Et ſuper illos ſtillabat eloquiũ meum, dicit. In hac ſtillatione eloquij, quid aliud quã mẽſura prædicationis accipitur? Quia oportet, vt exhortationis gratia ſingulis iuxta capacitatẽ ingenij cõferatur. Debet.n. ſubtiliter is qui docet perſpicere, ne plus prædicet quã ab audiẽte capiatur. Debet.n. ad infirmitatẽ audiẽtiũ ſemetipſum cõtrahẽdo deſcẽdere, ne dũ paruis ſublimia, & idcirco nõ profutura loquitur, ſe magis curet oſtẽdere, quã auditoribus prodeſſe. Iubẽte autẽ Dño nõ ſolũ phialæ ad mẽsã tabernaculi, ſed etiã cyathi præparãtur. Quid.n. p phialas, niſi larga prædicatio, quid vero p cyathos niſi minima, & tenuis de Deo locutio deſignatur? In mẽſa igitur Dñi, & phialæ prępariãtur, & cyathi, quia videlicet in doctrina ſacri eloquij non ſolũ exhibẽda ſunt magna, & arcana, quæ deebriãt, ſed ẽt parua, & ſubtilia, quę quaſi per guſtum notitiã præſtãt. Huius ergo diſcretiſsimæ diſpenſationis ſuæ ſancta Eccleſia extremis preſſa temporibus reminiſcatur, & dicat: Super illos ſtillabat eloquium meum. Exo. 37.

37 In tertia parte curæ paſtoralis cap.5. Luc. 12.

IDEM ſic habet: Sciendum eſt prædicatori, vt auditoris ſui animum vltra vires non trahat, ne vt ita dicam dum plus quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Vnde Dominus dicit; Quis putas eſt fidelis diſpenſator, & prudens, quem conſtituit Dñs ſuper familiam ſuam, vt det illi in tempore tritici menſuram? Per mẽſurã quippe tritici exponitur modus verbi, ne cum anguſto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait. Nõ potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus, tãq paruulis in Chriſto lac vobis potũ dedi, nõ eſcã. Hinc Moyſes a ſecreto Dei exiẽs, coruſcãtẽ corã populo faciẽ velat, quia nimirũ turbis claritatis intimę arcana nõ indicat. Hic per eum diuina voce præcipitur, vt is qui ciſternam foderit, ſi operire neglexerit corruen- 1.Cor.3. Exod. 34.

te in ea boue, vel asino prætium reddat. Quia ad alta scientiæ fluenta peruenies, cum hæc apud bruta audientium corda non tegit pœna, reus addicitur, si per verba eius in scandalum siue munda, siue immũda mens capiatur. Hinc
Iob. 38. ad beatum Iob dicitur. Quis dedit gallo intelligentiam? Prædicator etiam sanctus dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus
Rom. 13. cantat in nocte, dum dicit. Hora est iam nos de somno surgere. Gallus autem profundioribus horis noctis altos ædere cantus solet, cum vero matutinum iam tempus in proximo est, minutas ac tenues voces format. Quia nimirum qui recte prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nihil de occultis mysterijs indicat, vt tunc subtiliora quæque de cælestibus audiãt, cum luci veritatis appropinquant.

38 In ser. 2. Petri, & Pauli
BERNARDVS inquit. Necesse habeo vineam circumfodere, quando quidem posuerunt me custodem, & cultorem in vineis. Heu qui meam non colui, neque custodiui. Necesse habeo tamen dum hunc occupo locum, & circunfodere, & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare non audeo, sciens multo amplius secũrim nocituram quàm farculum, ignem quàm fimum. Itaque & arguere, & increpare necesse est interdum, nec ignoro fimum esse verbum imcrepatorium, verbum improperij, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem.

39 Serm. 12. in cantica. Eccli. 42.
IDEM ait: De prædicatoribus, & illis, qui in aliorum salute occupati sunt, scriptum est: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciẽs mulier. Nam tu quidem in tui custodia vigilans benefacis, sed qui iuuat multos, & melius facit, & virilius. Quod si implere non sufficit absq; aliqua iniquitate, ideſt, absque aliqua inæqualitate vitæ, & conuersationis suæ, memento quia charitas operit multitudinem peccatorum. Infra: Quisquis inebriat verbis, & flagrat benefitijs, sibi dictum putet, quia meliora sunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis.

40 Serm 42. in cantica.
IDEM dicit, loquens contra prædicatores, qui aiunt, cum proximus non emendatur; quod meũ est præstiti, alter sibi videat. Dicas forsan mihi quod bonũ meũ ad me reuertatur: & quia liberaui animã meã, & mũdus sum a sãguine hominis, cui annũciaui, & locutus sum, vt auerteretur a via sua mala, & viueret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minimè ista consolabũtur, mortẽ filij intuẽtẽ. Quasi vero meã illa reprehẽsione liberationem quæsierim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiã si omnẽ, quã potuit curã, & diligẽtiã ægrotanti filio adhibuisse se sciat, si demũ frustratã se viderit, & omnes labores suos esse inefficaces, illo nihilominus moriẽte proprerea vnquã a flẽtibus tẽperauit? Et illa quidẽ hoc pro morte temporali, quãto magis me pro morte æterna mei filij manet vtiq; ploratus, & vlulatus multus, etiã si nihil mihi cõscius sum quomin⁹ annũciauerim illi? Vides etiã a quãtis e regione malis & se, & nos liberat, qui correptus mãsuete respõdet, verecũde acquieſcit, modeste obtemperat, humiliter confitetur.

41 Serm. 51. in cantica.
IDEM inquit. Siquando comperi profeciſſe aliquos vestrũ ex meis monitis, tunc non me piguit, fateor, curã prætuliſſe ſermonis proprio otio, & quieti. Cum enim post ſermonem iracundus est mutatus in mitẽ, ſuperbus in humilem, pusillanimus in fortẽ, in sua quisq; gratia excreuiſſe, sed & qui forte tepuerant, & languebãt circa ſpiritale ſtudiũ, torpentes, & dormientes ad ignitũ eloquiũ Dñi referbuiſſe, & euigilaſſe videntur, hi inquã cũ de rore verbi, & pluuia voluntaria, quã ſegregauit Deus hereditati ſuæ, reſloruiſſe probãtur, facti in omnibus deuoti, non est (dico vobis) vnde ſubeat mentẽ quaſi pro intermiſſo ſtudio iucũdæ cõtẽplationis triſtitia, cũ talib⁹ fuero circũdatus floribus & fructib⁹ pietatis. Patiẽter auellor ab infœcũdæ Rachelis amplexib⁹, vt de Lya mihi exuberẽt fructus profectuũ vestrorũ. Minime prorſus pigebit me intermiſſæ quietis pro cura ſermonis, cũ videro ĩ vobis germinare ſemẽ meũ, atq; ex eo augeri incremẽta frugũ iuſtitiæ veſtræ. Charitas enim, quæ non quærit quæ ſua ſunt, id mihi iã dudũ facile perſuaſit, nil deſiderabiliũ meorũ vestris pferre vtilitatibus. Orare, legere, ſcribere, meditari, & ſi qua sũt alia ſpiritualis ſtudij lucra, hæc arbitrat⁹ ſum propter vos detrimẽta, sẽtiẽs ĩ hoc fore & beneplacitũ ſpõſi, & filiarũ ſalutẽ, & propriã cõſolationem.

42 Serm. 57. in cantica.
IDEM inquit: Hoc vera, & caſta cõtẽplatio habet, vt mẽtẽ quã diuino igne vehemẽter ſuccẽderit, tãto interdũ repleat zelo, & deſiderio acquirẽdi Deo, qui eũ ſimiliter diligãt, vt otiũ cõtẽplationis pro ſtudio prædicationis libẽtiſsime intermittat, & rurs⁹ potita votis aliquaten⁹ in hac parte tãto ardẽti⁹ redeat ad ipsũ, quãto ſe fructuoſi⁹ intermiſiſſe meminerit, & itẽ sũpto cõtẽplationis guſtu, valẽti⁹ ad cõquirendã lucra ſolita alacritate recurrat. Ceterũ iuter has viciſsitudines plerũq; mens fluctuat metuẽs, & vehemẽter exeſtuãs, ne forte alteri eorũ, dũ ſuis affectionib⁹ hinc inde diſtrahitur, plus iuſto inhæreat, & ſic in vtrolibet vel ad modicũ a diuina deuiet volũtate. Et fortaſſe tale aliquid ſanctus Iob patiebatur, cũ diceret: Si dormiero dico, quando cõſurgã? & rurſũ expectabo veſperã. Hoc est, & quiet⁹ neglecti operis, & occupatus perturbatẽ nihilomin⁹ quietis me arguo. Vides virũ sãctũ inter fructũ operis & ſomnũ cõtẽplationis grauiter æſtuare, & in bonis licet sẽper verſantẽ, sẽper tamẽ quaſi de malis pœnitentiã agere, & cũ gemitu mominis ſingulis Dei inquirere volũtatẽ? Vnicũ in his remediũ oratio est, & frequens gemit⁹ ad Deũ, vt quid, quãdo, & quaten⁹ nos facere vellit, aſsi due nobis denõſtrare dignetur. Habes (vt ego opinor) tria hęc, ideſt, prędicationẽ, orationem & cõtẽplationẽ in trib⁹ cõmẽdata, & deſignata vocabulis. Etenim merito amica dicit, quę ſpõſi lucra ſtudioſe, ac fideliter prædicãdo, cõſulendo, miniſtrãdo cõquirit. Colũba quæ nihilominus pro ſuis delictis in oratione gemẽs, & ſupplicãs, diuinã sibi nõ ceſſat cõciliare miſericordiã. Merito quoq; formoſa, q̃ cęleſti deſiderio fulgens

fulgens cæleſtis contemplationis decorẽ ſe induit horis, quibus commode & opportune id poteſt. Perfectus ille reputabitur, in cuius anima tria hæc opportune concurrerint, vt & gemere pro ſe, & exultare nouerit in Deo, ſimul & proximorum vtilitatibus potens ſit ſubuenire, placens Deo, cautus ſibi, vtilis ſuis.

43 Lib. 4. de cõſideratione ad Eugeniũ
IDEM docẽs munus prædicatoris & prælati esse medicare, non curare, inquit: Noli diffidere, curam exigeris, non curationẽ. Deniq; audiſti, curam illius habe, & non cura, vel ſana illũ. Verum dixit quidam: Non est in medico,
1. Cor. 15. ſemper releuetur vt ęger. Paulus loquitur, Plus omnibus laboraui. Non ait, plus omnibus profui, aut plus omnibus fructificaui. Alias enim
1. Cor. 3. non erat homo ſecundum cor Dei, quem Deus docuerat, quia vnuſquiſq; ſecundũ ſuum laborem accipiet, non ſecundum ſuum prouẽtum. Et ob hoc in laboribus potius, quàm in profectibus gloriandũ putauit. Ita quæſo fac tu qđ tuum est, nã Deus quod ſuum est abſq; tua ſolicitudine curabit. Planta, riga, fer curã, & tuas
Sap. 10. explicuiſti partes. Sane incrementũ, vbi voluerit, dabit Deus, non tu. Vbi forte noluerit tibi deperit nihil, dicente Scriptura: Reddet Deus mercedẽ laborũ ſanctorũ ſuorũ. Securus labor, quem nullus valet euacuare defectus alicuius.

Prædicatores neglecto proprio periculo corrigant, quibus indignari non debemus: adulatores autẽ & muti damnãtur, & dantur ob peccata plebis. Cap. XXVII.

1 Homil. 3. in pſ. 36. to. 2.
ORIGENES dicit: Fructus ſpiritus ſunt gaudiũ, charitas, pax, patientia, & cetera his ſimilia. Quos fructus ſi moramur afferre, verendũ est ne mandetur nubibus abſtruere a nobis imbres ſuos, & incipiat vnuſquiſq; ſanctorũ facere illud, quod ſcriptũ est: Qui autẽ intelligit in tpe illo, ſedebit, & tacebit, quia tempus malum est.

2 Homil. 3. in c. 13. Ezec.
IDEM explicans illa verba; Væ qui conſuunt puluillos ſub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia ſub capite vniuerſæ ætatis ad capiendas animas, ait: Hæc ſunt, quæ prophetãtibus filiabus populi reputãtur quaſi magna peccata. Quis autẽ poteſt in verbo cõſiſtens dicere, quia ſi quis ceruicalia conſuat, & cõſuta ſub cubito ponat alterius, delinquat, & adeo corripiatur? Quis poteſt aſſerere, quia ſi quis velamina faciat ad tegendum caput vniuerſæ ætatis, impię agat? Per iſtiuſmodi figurã eos culpat magiſtros, qui per vaniloquẽtiã, & beatitudinis libidini vitijs, voluptatiq. permittunt. Cũ ergo aliquis aptus moribus populi, vt placeat eis, quibus aures pruriunt, loquitur, quæ grataṅter accipiãt, quæ vicina ſunt voluptati, talis magiſter conſuit ceruicalia ſub omni cubito manus. Item cum aliquis docuerit ea, quæ aurẽ populi mulceãt, & increpatiõ potius laudatorũ, quàm gemitũ moueant, ſi blandus inimicus palpauerit, potius quàm ſecuerit vulnera, talis homo amictus cõtexit in capite. Quomodo.n. faciet ſigna & portenta ad decipiendos, (ſi fieri põt) etiam electos falſus Chriſtus, & falſus propheta, ſimiliter & hi, qui ad voluntatẽ meditata deportant, & iſta ſemper inquirunt, quæ delectent potius audientes, quàm conuertant a vitijs, faciunt velamina ſuper caput, vt oẽs decipiant. Et potuit quidẽ dicere propheta: Super filios populi tui, qui prophetant, ſed quaſi omnes, qui velamina contexant, & ceruicalia conſuant ſub omni cubito manus, mulieres ſint, & nullus inter eos viri nomine dignus habeatur, ait propheta: In filias populi tui, quę prophetant de corde ſuo, & ea faciunt quæ ſequuntur. Effeminatæ quippe ſunt eorũ magiſtrorũ & animæ, & voluntates, qui ſemper ſonantia, ſemper canora componunt, & (vt quod verũ est, dicã) nihil virile, nihil forte, nihil Deo dignũ est in his, qui iuxta gratiã & voluntatem audientiũ prædicant. Idcirco omnes filias potius quàm filios dixit, aſſuentes ceruicalia. Et faciũt ceruicalia, nõ in quibus capita reclinẽt, ſed in quibus cubitũ, ideſt, vt manus eorũ non ſint in labore, ſed in requie, & in otio, & in his geſtis, quæ voluptatibus ſeruiunt. Propter hoc hæc dicit Dominus: Ecce ego ad puluillos veſtros, quibus vos capitis animas volantes, & dirumpã eos de brachijs veſtris, & dimittam animas, quas vos capitis, animas ad volandũ. Et dirumpã ceruicalia veſtra, & liberabo populũ meum de manu veſtra. Ideſt licet vos ſubuertatis animas per ceruicalia & velamina, ego iſta diſrumpens liberabo populũ meum. Propterea non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius, & eruã populũ meum de manu veſtra, & ſcietis, quia ego Dominus. Oramus vt & nos liberet Deus de manu talĩ magiſtrorũ, qui vbicumq; fuerint ad voluptates audientiũ loquentes, ſcindunt ac diuidunt Eccleſiam, quia plures ſunt magis amatores voluptatis quàm Dei. Et ſcietis, quia ego Dominus. Si fecero ſilere mendacia prædicatorum, tunc ſcietis, quia ego Dominus.

4 Lib. 10. in c. 15. epiſt. ad Rom. to. 3.
IDEM exponens verba illa; Non audeo aliquid loqui eorũ, quæ per me nõ effecit Chriſtus, ait. Obſeruãda hæc ſunt Eccleſiarũ principibus & rectoribus, vt neque aliquid loqui videantur eorũ, quæ per ipſos non effecerit Chriſtus. Loquitur autẽ quis ea, quæ per ſe non effecit Chriſtus, hoc modo. Si loquatur de continentia, & doceat, cũ ipſe continens non ſit, vel ſi loquatur de ſobrietate, & de iuſtitia, vel de largiendis opibus, & contemnendis facultatibus pro regno Dei, & ipſe, qui docet hæc, nihil horum effecerit. Et ideo formã ſui, Apoſtolus ponit, & docet ea ſe loqui, & ea ceteris prædicare, quæ per ipsũ Chriſtus prius impleuerit.

5 In lib. mor. ſent. reg. 70 cap. 43. to. 2.
BASILIVS docens ſumma cũ libertate prędicandã doctrinã Dominicã, & dandũ teſtimoniũ veritati, etiãſi ad mortẽ vſq; perſequãtur, ſic habet: Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animã aũt non poſſunt occidere. Nuptiæ quidẽ paratæ ſunt, ſed qui inui-
Matt. 10.
Matt. 22.

tati erant nō fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarū, & quoscumq; inueneritis vocate ad nu-
Ioan. 18. ptias. Ego palā locutus sum mundo. Ego sem-
per docui in synagoga, & in tēplo, quo omnes Iudęi cōueniūt, & in occulto locutus sum nihil.
Act. 5. Et de Apostolis scriptū est: Et cū adduxissent illos, statuerunt in cōcilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotū, dicens: Nonne præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Hierusalem doctrina vestra, & vultis inducere super nos sanguinē hominis istius. Respondens autē Petrus, & Apostoli dixerunt: Obedire oportet Deo, magis quàm hominibus. Et Paulus Euangeliū prædi-
Act. 20. cans aiebat: Quia Spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quòd vincula, & tribulationes Hierosolymis me manent. Sed nihil horum vereor, nec facio animā meā pretiosiorem, quàm me, dummodo consummē cursum meū cum gaudio, & ministeriū verbi, quod accepi a Dño Iesu testificari Euangelium Dei. Nam & ipsi scitis fratres introitū nostrū ad vos, quod non inanis fuit, sed ante passi, &
1. Thess. 2. contumelijs affecti, sicut scitis in Philippis, fiduciam habuimus in Deo nostro loqui ad vos Euangelium Dei in multa sollicitudine.

6 In lib. regularum fusius disputatarū in respō. interrog. 52. IDEM docet quomodo peccata sint corrigēda a prædicatore, & prælato, & quo animo accipere irrogatas pœnas debeat, qui peccauit, & inquit: In adhibendis curationibus ijs, qui vitioso animi affectu laborēt, cōsuetudinē imitari medicorū debet, vt videlicet ægris nō irascatur, sed contra morbū ipsum pugnet: in eoq. impugnādo, duriore victus ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet. Quemadmodū autē diximus vacuum affectibus antistitem ad curationes ægris admonendas accedere oportere; itē quoq; vicissim eorū, quibus medicina fit, partes existimari debēt. Antistitis in se animaduersiones nō ad odiū accipere, neq; dominationē existimare curationē eā, quam misericordia quis adductus, consulendi causa animæ ipsorū saluti, ipsis adhibeat. Esset enim a decoro abhorrēs, vt infirmi medicos, etiāsi ipsos secēt, esto vrant, esto amarissimis dandis medicamē tis medeantur, nihilominus tñ inter benemeritos de se illos numerent. Nos nō itidem quoque aduersus animarum nostrarum medicos, qñcumq; duriore imponenda nobis re aliqua salutē nobis efficiunt, fuerimus animati, cum
2. Cor. 2. Apostolus dicat: Et quis est qui me lætificat, nisi qui contristatur ex me? Et itē: Ecce enim hoc ipsum, quod cōtristati estis, quàm magnā in vobis sollicitudinem operatum est. Proinde rei spectari exitus debet, & is bene de nobis meritus iudicari, qui nobis contristationem illam afferat, quæ est secundum Deum.

7 Lib. 2. cōtra Iouin. to. 2. Isa. 30. Hiere. 51. Isa. 3. HIERONYMVS de falsis prædicatoribus loquēs, qui populo placentia annunciant, ait. Per Isaiā loquitur Deus: Populе meus, qui vos beatificāt, seducunt vos, & semitas pedum vestrorum cōturbant. Necnon per Hieremiā: Fugite de medio Babylonis, & seruate vnusquisque animam suam, & nolite credere pseudoprophetis, qui dicunt, Pax, pax, & non est pax, qui semper ingeminant templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & insipientia, nū aperuerunt iniquitatem tuam, vt te ad pœnitentiam prouocarent, qui deuorant plebem Dei, vt cibum panis? Deum non inuocauerūt. Hieremias captiuitatem nuncians lapidatur a populo. Ananias filius Azur frangebat ad prę-
sens ligneas torques, & in futurum ferreas prę-
parabat. Semper pseudoprophetæ dulcia pollicentur, & ad modicum placent. Amara est veritas, & qui eam prædicant replentur amaritudine. In azymis enim veritatis, & sinceritatis pascha Domini celebratur, & cum amaritudinibus comeditur.

8 In ep. Epiphanij ad Ioan. Episc. Hierosoly. quam Hieron. e Græco in Latinum trāstulit. IDEM dicit: Quando complemus orationem secundum ritum mysteriorum, & pro omnibus, & pro te quoq; dicimus, custodi illū, qui prædicat veritatē. Vel certe ita, tu præsta Domine, & custodi, vt ille verbum prædicet veritatis, sicut occasio sermonis se tulerit.

9 Li. 2. in c. 5. Hiere. to. 4. IDEM exponēs verba illa; Prophetæ prophetabant mendaciū, & sacerdotes applaudebant manibus suis, & populus meus dilexit talia, ait: Prophetæ futura prædicunt, mendacia prophetantes, & illis mendaciū prophetātibus sacerdotes manibus applauserunt. Et vt ostendatur nec populus esse sine culpa, qui a talibus abducatur, scriptum est: Et populus meus dilexit talia. Quondā meus populus, & postquā dilexit, meus esse desiuit. Quid ergo facietis in nouissimo? Quid igitur facient cum nouissimum iudicij tempus aduenerit? Vnde stupor, & mirabilia sunt, quòd nec in principibus, nec in populo inuentus sit, qui recta sentiret.

10 In c. 6. Hieremiæ. IDEM exponēs illa verba; A minore vsq; ad maiorem oēs auaritiæ studēt, & a propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt idolū, sic habet: A propheta vsq; ad sacerdotem cuncti faciunt idolum: alij in prophetando mendaciū, alij peruersē interpretando legem Dei. Et curabant contritionē filię populi mei cū ignominia dicentes, Pax, pax, & non erat pax. Prospera quæq; meo populo nunciabant, & quasi curare cupiebant vulnus, & ignominiā filiæ meæ dicentes, Pax, pax, cum pax omnino non esset. Hoc proprie de sacerdotibus, & doctoribus intelligendū est, qui diuitibus, & eis, quos vident in honore maximo constitutos repromittunt prospera, & clementem prædicant Deū, magis illos supplicio & iracundiæ præparantes.

11 Li. 1. in c. 3. Ezech. IDEM exponens verba illa; Ingredere, & includere in medio domus tuę. Et tu fili hominis, ecce data sunt super te vincula, & ligabunte in eis, & nō egredieris de medio eorū, & linguā tuā adhærere faciā palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgās eos, quia domus exasperans est, inquit: Quod in domo clauditur, qđ vinculis alligatur, qđ nō egreditur ad eos, inter quos habitat, sed inter multitudinem captiuorū solitudinem carceris patitur, obsidionis indiciū est. Quod aūt lingua prophetæ palato cohęret, & mutus effectus auctoritatē non habet increpantis, causa perspicua est, quia, inquit, domus exasperās est. Et est sensus, tantæ

sunt amaritudines, & tantæ aduersus Deum contentiones, vt obiurgantem non mereantur audire. Ex quo perspicuum est, vbi multitudo fuerit peccatorum indignos esse peccantes qui a Domino per prædicatores corrigantur. Cum autem locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & dices ad eos. Hæc dicit Dominus
Isa. 65. Deus. Qui audit audiat, & qui quiescit quiescat, quia domus exasperans est. Isaias ad populum non credentem dicebat. Tacui, nunquid semper tacebo, dicit Dominus? Quia igitur ob multitudinem peccatorum diu clausum os tenuit, quia vidit aliquos posse conuerti, de quibus dictū est, qui audit audiat, & qui a malis quiescit, quiescat, & desinat, idcirco aperto ore, & non propria voluntate, sed Domini iussione loquitur ad populum.

12 Lib. 4. in ca. 13. Ezech. IDEM in fine dixerat: Et erit manus mea super prophetas, qui vident vana, & diuinant mendacium, huius autem plagæ causam assignans, ait: Eo quod deceperint populum meū dicentes pax, & non est pax. Et ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant luto absque paleis. Dic ad eos, qui liniunt absque temperatura, quòd casurus sit. Ista patientur prophetę Israel, quia deceperunt populum meum pro rigore pœnitentiæ, & conuersationis iniuria, pacem eis, & prospera nunciantes, secundum il-
Hier. 10. lud, quod alibi dicitur: Pax, pax, vbi est pax? Deus ædificabat eis per legis, & prophetarum eloquia cōminationis maceriam, vt hoc quasi muro firmissimo cingerentur, pseudo vero prophetæ non semel, sed frequenter pollicebātur eis pacem, hoc enim repetitus pacis sermo significat. Ipsum autem liniebant falsi prædicatores puro luto, vt nec præbere posset aliquā fortitudinem. Dic, inquit, ad eos, qui illis vana promittunt, quòd cassum pollicētur auxilium, quòd casurus sit iste paries. Et postea dicatur pseudoprophetis. Vbi est litura, quam liniistis, & vbi est, quod polliciti estis auxilium? Prophetæ Hierusalem falsi, qui prophetant ad Israel, & vident ei visionem pacis, isti sunt causa peccati, & ruinæ, & falsæ securitatis ac stultæ. Non enim erit pax, dicit Dominus, quia Dominus non misit eos, nec eis loquutus est. Infra: Væ his, quæ consuunt puluillos sub omni cubito manus, & faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ ætatis ad capiendas animas. Voluptatum libidinisq. doctores, dicuntur consuere puluillos, dicentes, Manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.

13 Lib. 1. in c. 4. Osee. c. 6. IDEM explicans illa verba, Secundum multitudinem eorum, sic peccauerunt mihi, gloriam eorum in ignominiam commutabo, peccata populi mei comedent, & ad iniquitatem eorum subleuabunt animas eorum, & erit sicut populus, sic sacerdos, & visitabo super eum vias eius, & cogitationes illius reddā ei, sic habet. Quot homines habuit Israel, tot aras extruxit dæmonibus, in quorum victimis peccauit mihi. Propterea gloriam eorum, in qua gloriabantur sibi, & Deo idola præferebant, in ignominiam commutabo, vt & sacerdotes capiantur, & populi. Si quidem sacerdotes peccata populi mei comedunt, de quibus scriptum est. Qui deuorant plebem meam sicut escam panis. Et idcirco peccata populi mei deuorant consentientes sceleribus delinquentium. Quia cum eos peccare prospexerint, non solum non corrigunt, sed laudant, atque sustollunt, & beatos prædicant. De quibus Isaias, loquitur. Populus meus, qui beatos vos Isa. 3.
dicunt seducūt vos, & semitas pedum vestrorū supplantant. De his, & per psalmistam clamat. Quoniam laudatur peccator in desi-
derijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Vnde Psal. 9.
æqualiter populus, & sacerdos indignantis Dei sententiam sustinebunt, quia non solum opera eorum visitabit, quæ appellantur viæ, in quibus ingrediuntur, sed & cogitationes quibus, vt talia facerent, tractauerunt.

14 Lib. 1. in ca. 3. Michęæ. IDEM explicans verba illa; Hæc dicit Dominus super prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prœliū, propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione, & occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies, & confundentur, qui vident visiones, inquit: Legimus fuisse pseudoprophetas in Israel, qui propter dona pacem, quæ eis data nō erat, prædicabant. Et si quis munera non dedisset, quamuis sanctus esset, iram Dei nunciarent illi esse venturam. Vnde nunc dicitur ad eos, quòd loquantur mendacia, & sermo eorū non prophetia, sed diuinatio sit falsa, neque habeant lumen, sed tenebras, & errorem. Cumq. in contrarium versa fuerint, quę promiserant, tunc operiantur confusione, quia non erat responsum Dei. Veruntamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio, & virtute vt annunciem Iacob scelus suum, & Israel peccatū suum. Ideſt cum prophetæ falsi mordeant dentibus, & prædicent pacem, ego absque vlla formidine annuncio Iacob scelus suum.

15 In c. 1. Mar. to. 9. IDEM dicit; Nihil fortius quàm animas saluare, quę errorum suorum vitijs poterant interire. Secundum quod in psalmo iamdudum propheta denudauit, Dominus dabit Psal. 67.
verbum euangelizantibus virtutes multas. Versus istius ordo talis est, qui huic operi congruenter inseritur, Dominus dabit virtutes multas euangelizantibus verbum.

16 In epist. 29. quę est ad Theodosiū imperatorē in qua ipsū arguit acriter, quia iussit vindicari in episcopū, & Christianos, qui synagogam incenderunt, to. 5. AMBROSIVS ait; Non est imperiale libertatem dicendi negare, neque sacerdotale, quod sentiat non dicere. Nihil in sacerdote tā periculosum apud Deum, tam turpe apud homines, quàm quod sentiat non libere denunciare. Si quidem scriptum est. Et loquebar de testimonijs tuis in conspectu regum, & non cōfundebar. Et alibi. Fili hominis speculatorē te posui domui Israel, in eo, inquit, vt si auertatur iustus a iustitijs suis, & fecerit delictum, quia non distinxisti ei, hoc est non dixisti quid sit cauendum, non retinebitur memoria iustitiæ eius, & sanguinem eius de manu tua exqui-

ram. Si autem dixeris iusto, vt non peccet, & ipse non peccauerit, iustus vita viuet, quia dixisti ei, & tu animam tuam liberabis. Malo igitur imperator bonorum mihi esse tecum, quàm malorum consortium. Et ideo clementiæ tuæ displicere debet sacerdotis silentium, libertas placere. Nam silentij mei periculo inuolueris, libertatis bono iuuaris. Cum autem silentij mei dissimulationisq. culpa me ingrauet, non te liberat, malo importuniorem me quàm inutiliorem, aut turpiorem iudices.

2. Tim. 4. Si quidem scriptum est, dicente sancto Apostolo: Insta oportune, & importune argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Habemus ergo & nos, cui displicere plus periculi sit, presertim cum etiam imperatoribus nõ displiceat suo quemque fungi munere, & patienter audiatis vnumquemque pro suo suggerentem officio, immo corripiatis, si non vtatur militiæ suæ ordine. Quod ergo in ijs libenter accipitis, qui vobis militant, num hoc in sacerdotibus potest molestum videri, cum id loquamur, non quod volumus, sed quod iubemur.

Matt. 10. Scis enim lectum, Cum steteritis ante reges, & præsides nolite cogitare quid loquamini, non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Et tamen si in causis reipublicæ loquar, quamuis etiam illic iustitia seruanda sit non tanto astringar metu, si non audiar: in causa vero Dei quem audies, si sacerdotem non audies? Quis tibi verũ audebit dicere, si sacerdos non audeat.

17 GREGORIVS inquit: Predicatores
Lib. 8. Moral. c. 26. t. 2. hypocritæ, & mali frequenter sacræ legis eruditione fulciuntur, doctrinæ verba proferunt, omne quod sentiunt testimonijs accingunt, nec tamen per hæc vitam audientiũ, sed proprios fauores quærunt, quia nec proferre alia nouerunt, nisi quæ auditorum corda ad rependendas laudes excitent, non autem ad lachrymas accendant. Mens quippe concupiscentijs exterioribus occupata igne diuini amoris non calet, & idcirco ad supernum desiderium inflammare auditores suos nequeunt verba, quæ frigido corde proferuntur. Neque enim res quæ in seipsa non ardet, aliud accendit. Vnde fit etiam,

1. Cor. 8. vt quem charitas ædificando non erigit, scientia inflando peruertat.

18 IDEM explicans verba illa Iob cap. 24.
Lib. 16. Moral. cap. 25. Oculus adulteri obseruat caliginem, dicit: Dignum est, vt hoc mystice sentiatur: Nam Paulus, ait: Non enim sumus sicut plurimi adulterantes verbum Dei. Adulter quippe in carnali coitu non prolem, sed voluptatem quærit. Et peruersus quisque ac vanæ gloriæ seruiens, recte adulterari verbum Dei dicitur, quia per sacrum eloquium non Deo filios gignere, sed suã scientiam desiderat ostentare. Quem enim libido gloriæ ad loquendũ trahit, voluptati magis quàm generationi operam impendit.

19 IDEM exponens verba illa; Quæ Iob di-
Lib. 24. Moral. cap. 9. xerat amicus eius Heliu cap. 34. Quis est vir, vt est Iob, qui bibit subsannationẽ, quasi aquã, qui graditur cum operantibus iniquitatẽ? ait: Hæc esse propria arrogantium prædicatorum solent, vt etiam afflictos auditores suos magis districte corripere appetant, quàm blande refouere. Plus enim student, vt mala obiurgando increpent, quàm bona laudando confirment. Superiores quippe videri desiderant, & magis gaudẽt cum eorum animum ira eleuat, quàm cum charitas exequat. Semper inuenire optant, quæ increpando rigide feriant. Vnde scriptum est: In ore stulti virga superbiæ. Prou. 14.
Quia videlicet percutere rigide scit, sed compati humiliter nescit. Solent etiam prædicatores iusti auditores suos obiurgando corripere, solent in eorum vitijs districta increpatione sæuire. Vnde scriptum est: Verba sapientium, Eccli. 12.
quasi stimuli, & sicut claui in altum defixi. Recte autem eorum verba claui vocata sunt, quia culpas delinquẽtium nesciunt palpare, sed pungere. An Ioannis verba claui non erant, cum Matt. 3.
dicebat: Progenies viperarum quis vobis demonstrauit fugere a vẽtura ira? An verba Stephani claui non erãt, cum diceret: Vos semper Act. 7.
Spiritui sancto restitistis? An verba Pauli claui non erant, cum diceret: O insensati Galatę Galat. 3.
quis vos fascinauit? Sed necesse est, vt caute videamus, quia prædicatores iusti in ipsis, quos corrigunt, cum ex parte alia fortasse aliquid bonæ operationis inueniunt, ad eadem obiurgationis verba cum quanta dispensatione descendunt. Ecce Paulus Corinthijs dixerat: Cũ 1. Cor. 3
sit inter vos zelus, & contentio, nonne carnales estis? Et etiam: Gratias ago Deo meo sem- 1. Cor. 2.
per pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Iesu, quia in omnibus diuites facti estis in illo. Quæso te Paule istis fauoribus iam, 1. Cor. 1.
quo tendas insinues. Obsecro vos fratres per misericordiã Domini, vt id ipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, significatum enim est mihi ab his, qui sunt Chloes, quia contentiones in vobis sunt. De quibus contentionibus paulo post subdidit, dicens. Cum enim sit inter vos zelus, & contentio, non ne carnales estis? Ecce quibus laudibus ad aperta correptionis verba descendit: ecce in corde audientium, quam blãda fauoris manu viam districtæ increpationis aperuit. Prius namque superborum brachia studuit per blandimentorum vincula religare, vt postmodum potuisset vulnus superbiæ ferro correptionis incidere. Peritus itaq; medicus prius sana membra, quę circa vulnus erant, laudando palpauit, & post modũ putridũ sinũ vulneris feriendo transfixit. Habet ergo in sanctis prædicatoribus ad vtraq; aptum doctrinæ regula pondus suum, vt & recta facientes nutriant, & peruersa animaduertentes abscindant.

21 IDEM inquit: Sæpe doctori verbũ pro gra-
Lib. 30. Moral. cap. 18. tia tribuitur auditoris, & sępe propter culpam subtrahitur sermo doctori. In his ergo, quæ vbertim prædicat doctor, nulla elatione se efferat, ne fortasse non pro sua, sed pro auditoris gratia eius repleatur lingua. Et in his, quę doctor steriliter dicit, auditor nõ succẽsear, ne fortasis doctoris lingua nõ pro sua, sed pro auditoris

ris reprobatione torpescat. Pro auditoris nãq; gratia datur bonus etiam malis sermo doctoribus: sicut potuerunt pharisæi suppetere verba prædicationis: de quibus scriptum est: Omnia quæcumque dixerint vobis seruate, & facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Propter auditorum vero reprobationẽ bonis etiã doctoribus sermo subtrahitur, sicut ad Ezechielem contra Israel dicitur. Linguam tuam adhærere faciam palato tuo, & eris mutus, nec quasi vir obiurgans, quia domus exasperans est. Aliquando autem sermo prædicationis propter vtrosque datur, aliquando propter vtrosque subtrahitur. Propter vtrosq; enim datur, sicut diuina voce Paulo apud Corinthios, dicitur: Noli timere, sed loquere. Et paulo post. Quia populus multus est mihi in hac ciuitate. Propter vtrosque vero subtrahitur: sicut Heli sacerdos, & prauã filiorũ cognouit actionem, & dignã increpationis non exercuit vocem, cũ profecto futurũ esset, vt in mortis supplicio, & istos reatus flagitij, & illum silentij pœna mulctaret.

22 IDEM explicans verba illa; Portas vul-
Lib. 33. Moral. cap. 23. tus eius (s. Leuiathan) quis aperiet? Iob cap. 41. sic habet: Portæ vultus eius sunt iniqui doctores. Qui idcirco portæ vultus eius vocati sunt, quia per ipsos quisque ingreditur, vt Leuiathã iste, quasi in potestatis suæ principatu videatur. Sicut enim scriptura sacra sanctos viros portas Sion vocare consueuit, Sion quippe speculatio interpretatur, & non immerito prædicatores sanctos portas Sion dicimus, quia per eorum vitam, atque doctrinam abscondita supernæ contẽplationis intramus, ita etiam portis Leuiatham istius errorum magistri signantur, quorum dum prædicatio peruersa recipitur, miseris auditoribus via perditionis aperitur. Sed portæ istę ante oculos hominum plerumque ad introducendũ quidem apertę sunt, sed tamen ad deprehendendum clausę, quia recta in specie exhibent, sed opere praua persuadent. Ad deprehendendum ergo clausæ sunt, quia ne intrinsecus cognosci valeant, exteriori simulatione muniuntur. Electis suis has portas Dominus aperit, quia magistros errorũ sub specie sanctitatis absconditos perspicua cognitione manifestat. Per gyrũ dentium eius formido. Mutato namque nomine hos eius dentes insinuare aliter voluit, quos superius portas vocauit. Peruersi enim prædicatores portæ eius sunt, quia ingressum perditionis aperiunt: dentes eius sunt, quia quos in errore capiunt a veritatis soliditate confringunt. Sicut enim sanctæ Ecclesiæ dentes accipimus eos, Cant. 4.
qui prædicationibus suis peccantium duritiã conterunt. Vnde ei per Salomonem dicitur: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Qui non immerito detonsis ac lotis ouibus comparantur, quia innocuã vitam sumentes in lauacro baptismatis cõuersationis pristinæ vellera vetusta deposuerunt. Ita etiam dentibus Leuiathan istius errorum magistri figurantur, quia reproborum vitam mordendo dilaniant, & eos a veritatis integritate subductos in sacrificio falsitati mactant.

Prædicatores, & prælati prius sibi prosint, quã alijs, operibus priusquã verbis docẽtes: & tales in bonũ reipublicæ dãtur, in malum desint. Cap. XXVIII.

1 Homil. 4. in lib. iudiciũ to. 1. RICENES explicans verba illa cap. 3. Et adiecerunt filij Israel facere malignũ in conspectu Domini, & Aioth mortuus est, inquit. Pro peccatis populi moritur bonus populi dux. Cũ enim indigni fuerint effecti, & fecerint malum in conspectu Dñi, auferetur ab eis homo Dei. Non semper princeps populi, & Ecclesiæ iudex per Dei arbitrium datur, sed pro vt merita nostra deposcunt. Si mali sunt actus nostri, & operamur malignum in conspectu Dñi, dantur nobis principes secũdum cor nostrũ. Audi quod Dominus dixit. Fecerunt sibi regẽ, & non per me, & principem, & non per consilium meũ. Et hoc dictum videtur de Saul illo, quẽ vtiq; ipse Dominus elegerat, & regem fieri iusserat. Sed quoniã non secundum voluntatẽ Dei, sed secũdum peccatoris populi meritũ fuerat electus, negat eum cum sua voluntate, vel consilio constitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiã in Ecclesijs fieri. Quia pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens a Deo tribuitur rector Ecclesiæ, aut si malignũ faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ iudex datur, sub quo famem, & sitim populus patiatur, non panis, & aquæ, sed audiendi verbũ Dñi. Ita ergo nos agamus, & ita oremus, ne vmquã nos diuina indignatio in verbi fame condemnet, ac siti, ne vnquã auferatur a nobis, qui nos verbo, & opere instruat, qui in moribus, & honestate, qui patientiæ ac mansuetudinis perfectũ de se populis pręstet exẽplũ. Nam si male egerimus, si voluntatẽ nostrã, & non Dei facimus, moritur & nobis Aioth, & obscuratur laus nostra, & tradimur in manus Iabin regis Chanaam.

Osee 8.

2 Lib 2. in ca. 2. epi. ad Romanos in fine. to. 3. IDEM ait: Scit prædicator probare quod bonum est, & beneplacitum, & perfectum, & factus dux Ecclesię, & doctor ad illuminãdos eos, qui in scientia cœci sunt, & instruendo paruulos in Christo, ne is inquam talis alios quidem velit docere districtius, & de his, quos instruit, summã disciplinã castitatis exigere, ipse vero intemperantiæ vitio, & cupiditatis vrgeatur. Ad huiusmodi hominem Apostolicus sermo dirigitur, dicens ei. Tu qui doces alium, te ipsum non doces. Qui prædicas non furandum furaris. Qui dicis non mœchandum mœcharis. Qui abominaris idola, sacrilegium facis. Si vero etiam aperta incurrat opprobria, & de auaritia eius, & temulentia &c. publicam iam teneat notam, dehonoratur Deus in actibus eius. Et cum doctor Ecclesię talis esse populis innotuerit, nomẽ Dei blasphematur in gẽtib'. Certi sunt .n. magistris similes esse discipulos.

Vnde

Vnde verba illa, si tu Iudæus requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, ironice legenda sunt.

3 Lib.10.in c.14.eiusdem epistolæ. IDEM exponens verba illa; Vt sim minister Christi in gentibus sanctificans Euangelium Dei, sic habet: Sicut pontifices cum offerebant, necessario eis erat prouidendum ne macula inesset hostiæ, nec vituperationis vitiũ, vt posit accepta Deo esse, & grata, ita & qui Euangeliũ sanctificat, & verbũ Dei annunciat, curare omnino debet, ne qua in curando macula, & prędicando, ne quod in docendo vitium, ne qua in magisterio culpa nascatur, sed vt ita dixerim, si fieri potest, semetipsum primo immolet, se primum vitijs iugulet, & sua prius peccato membra mortificet, vt non solum doctrina, sed & vitę exemplo discipulorũ salutẽ oblationem suam acceptam faciat Deo. Ne prędicator audeat loqui aliquid eorum, quæ per ipsum non effecit Christus.

4 In lib. Moral.sent.t.2. BASILIVS probat quòd qui docendi alios munus suscepit, is se ipsum exemplar ad res honestas omnes debet præbere, eaque ipsum pręstare prius, quę alios doceat. *Matt. 11.* Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos. *Ioan.13.* Tollite iugum meum super vos, & discite a me quia mitis sum, & humilis corde. Postquã ergo lauit pedes eorum dixit. Exemplum dedi vobis, *Act.20.* vt & vos ita faciatis. Omnia ostẽdi vobis, quòd sic laborantes oportet suscipere infirmos. Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. *1.Cor.11.* Nemo adolescentiam tuam contemnat, *1.Tim. 4.* sed exemplum esto fidelium in verbo, in conuersatione, in fide &c.

5 In epist.67. quæ est ad Ecclesiam Ancyranã. IDEM in epistola consolatoria in obitu episcopi ait: Quis sermo excogitari potest, qui tãtæ calamitati medeatur. Mortuus est vir, qui columna erat, & stabilimẽtũ Ecclesiæ. Haud parum autem periculi est, ne subtracto hoc fundamento simul cum illo multi decidãt, & quæ in nonnullis sunt putrida ac marcida manifesta fiant. Clausum est os, quod hactenus, & competenti fiducia, & sermonibus gratiæ ad fraternitatis ędificationem scaturiuit. Ablata sunt consilia mentis, quæ reuera diuinitus agitabatur. O quoties animum meum (accusabo enim meipsum) nonnihil contra hunc virum indignationis subijt, quòd totus hoc desiderio tenebatur, vt dissolueretur, & esset cũ Christo, nec hoc pluris faciebat, vt diutius propter nos in carne maneret.

6 Homi.9. ex imperfecto in Mat. to.2 CHRYSOSTOMVS exponens verba illa; Videns Iesus turbas ascendit in montem, ait: Ascendit in montem, vt ostendat nobis quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet, qui docet iustitiam Dei. Qui docet, verborum suorum sit ipse exemplum, vt magis opere doceat, quàm sermone. Sicut ait, *1.Tim. 4.* Apostolus ad Timotheum. Exemplum esto omnium fidelium. Qui autem ambulat per conuallia vitæ terrenæ, obscuras semitas calcat, & loquitur altos sermones, non alterum instruit, sed seipsum castigat. Nemo enim potest in valle stare, & de monte loqui, sed aut vbi stas, inde loquere, aut vnde loqueris ibi sta. Si in terra est animus tuus, vt quid de cælo loqueris? Si autem in terra tu stas, de terra loquere, si autem de cælo loqueris, in cælo consiste, vt dicas cum Apostolo: Nostra conuersatio in cælis est. *Phi.2.*

7 Homil.10. IDEM dicit; Quod dixit Apostolis, Vos estis sal terrę, ad hoc respicit, quòd doctor omnibus virtutibus debet esse ornatus. Debet esse pauper, vt auaritiam libera voce castiget. Debet esse semper suspirans, & lugens, vel sua, vel aliena peccata, vt confundat eos, qui nec peccare dubitant, nec postquam peccauerint tristantur. Debet esuriens esse, & sitiẽs iustitiam, vt pigros circa opera bona valeat excitare, magis exemplo, quàm voce. Debet esse misericors alijs, sibi autem austerus, vt sibi quidem graue pondus iustitiæ ponat, alijs autem leue. Debet esse mundo corde, vt non solum non se immiscat circa negotia sæcularia, sed nec cogitet de mundo. Sit autem pacificus, vt tota Ecclesia eius quasi vna sit anima. Si ergo omnibus his virtutibus fuerit ornatus, tunc est quasi optimum sal, & totus populus de illo conditur, magis videndo eum, quàm audiendo. Nam prima doctrina est videre bonum, secunda autem audire. Dum consideramus qđ opus est salis, quod lucis, admonet nos, vt quæramus, ob quam causam Apostoli sali sunt comparati, ob quam autem luci. Salis opus est, rem in eo statu tenere, in quo inuenerit eã, vt in deterius non mutetur, ad melius autem perducere non potest. Tenet carnem ne putrescat, putridam autem nõ potest tenere incorruptam. Lucis autem opus est ipsas soluere tenebras, & ea quæ fuerunt in tenebris illustrare. Sic doctores, sal quidem sunt populi Christiani iam cognoscentis Deum, seruantes eum in ipsa agnitione Dei, & sanctitate. Lux autem sunt gentium, producentes eas ad scientiæ lumen, vel æternorum, qui forte in Ecclesia ceciderunt in tenebris peccatorum. Item bona cõuersatio sacerdotis sine verbo tenet quidem sanctos in sanctitate per suum exemplum, adducere autem ignorantem ad scientiam veritatis non potest. Item verbum quidem ignorantem adducere ad scientiam veritatis, & sine conuersatione bona potest, tenere autem in sanctitate absque bona conuersatione non potest, magis autem scandalizat. Ergo propter bonam conuersationem suam sacerdotes sunt sal, quoniam bona conuersatio sacerdotum conditura populi est, propter verbum autem doctrinæ lux. Prius autem vocauit eos sal, postea autẽ lucẽ, quia prius est bene viuere, deinde bene docere. Infra; Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrẽ vestrum, qui in cælis est. Ideſt, sic illuminate, & docete, non vt verba vestra tantummodo audiant homines, sed vt opera vestra bona videant, vt quos illuminaueritis per verbum, quasi lux, condiatis per exempla operum vestrorum, quasi sales. Quoniam qui facit, quod docet, ille vere docet,

cet, qui autem non facit, non alium docet, sed seipsum condemnat. Et melius est facere, & non docere, quam docere, & non facere. Quoniam qui facit, etsi tacuerit, aliquos corrigit suo exemplo, qui autem docet, & non facit, nõ solum neminem corrigit, sed & multos scandalizat. Quis enim non moueatur ad peccandum cum viderit ipsos doctores pietatis peccãtes? Ergo per illos quidem doctores, qui docent, & faciunt, magnificatur Deus, per eos autem, qui docent, & non faciunt, blasphematur. Vtputa si bene doceant sacerdotes, & melius viuant: videntes gentiles dicunt: Benedictus Deus, qui tales habet seruos: Vere enim eorũ Deus verus est Deus. Nam nisi ipse esset iustus, nũquam populum suum circa iustitiam sic teneret: nam disciplina Domini ex moribus familiæ demonstratur. Non sicut nostri philosophi, qui magna loquuntur, & nec modica faciunt. Si autem bene doceant, & male conuersentur, videntes dicunt: Qualis est Deus eorum, qui talia agunt? Numquid sustineret eos talia facientes, nisi consentiret operibus eorum?

8 Hom.30. in Acta Apost. to.3. IDEM dicit: Perquam facile est docere verbis, doce me vita tua. Hæc doctrina optima est. Non enim sic insident animæ verba, ac opera. Quoniam si non habueris opus bonum non solum non proderis loquendo, sed etiam plus nocebis, vtiliusq. foret tacere. Quare? Quia opus mihi proponis, ac si impossibile foret. Cogito enim mecum, si tu qui tanta loqueris non facis, multo magis ego venia dignus sum nihil tale dicens. Idcirco inquit propheta in Psalmo: Peccatori autem dixit Deus, *Psal.49.* quare tu enarras iustitias meas? Maius enim hoc damnum, quando bene quis docet verbis, & operibus doctrinam impugnat. Hoc multorum in Ecclesia malorum causa est. Multi, vt in medium procedant, multa faciunt, vt prædicent, etsi applaudentem multitudinem habent, quasi regnum adepti sint gaudent, si autem cum silentio claudatur sermo, tristitia maior illis e silentio, quàm ex gehenna. Hoc subuertit Ecclesias, quod & vos non quæritis audire sermonem, qui compungere possit, sed qui oblectet, & tinnulo strepitu, & verborum compositione, quasi cytharœdos, & cantores audientes, & nos frigide, & misere facimus nostras affectiones sequentes, quas eijcere oportebat. Et idem fit, ac si pater videns puerum, quem supra modum tenere amat, ægrotum, illi frigida, & quæ eum delectant, porrigat, quæ autem sunt vtilia minime curet. Deinde quando obiurgatur a medicis, ait: Videns flentem puerum ferre non possum. Miser, & ærumnose, ac proditor, neque enim talem patrem dixerim. Hoc etiam nobis accidit. Floſculos verborum, & compositionem, & harmoniã curiosius sectamur, vt canamus, non vt prosimus, vt simus in admiratione, non vt doceamus, vt oblectemus, non vt compungamus, vt plausu, & laudibus obtentis abeamus, non vt mores cõponamus. Credite mihi, quando interdicendum plausum excito, per illud quidem tempus humanum quiddam mihi accidit, & distrahor, & diffundor: vbi autem domum redeo, & intelligo plaudentes sine fructu abijsse, ploro, & gemo, & lachrymor, & quasi frustra omnia dixerim, sic afficior, mihiq. ipsi dico. Quæ sudorum meorum vtilitas, si auditores e verbis meis nullum fructum accipere volunt?

9 Ep.2. ad Fabiolã de veste sacerdotali.to.3. HIERONYMVS sic habet: Non accipiunt vestes sacras sacerdotes, nisi lotis prius sordibus, nec ornantur ad sacra, nisi in Christo noui homines renascantur. Vinum enim nouũ in nouis vtribus mittitur. Præceptis Dei laudi sumus, & cum parati ad indumentũ Christi tunicas pelliceas deposuerimus, tũc induemur veste linea, nihil in se mortis habente, sed tota candida, vt cingamus lumbos in veritate, & tota pristinorum peccatorum turpitudo celetur. Vnde & Dauid: Beati quorũ remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Post lineam tunicã induimur hyacinthino vestimento, & incipimus de terrenis ad alta conscendere. Hanc habuerũt omnes illi, quibus dicitur: In montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Nec sufficit nobis priorum ablutio peccatorũ, doctrina secretior, nisi habuerimus & opera. Vnde iungitur & ephod, ideſt, superhumerale, quod rationali copulatur, vt non sit laxum, neq; dissolutum, sed hæreant sibi inuicem, & auxilio sint opera, & verba. Ratio enim operibus, & opera ratione indigent, vt quod mente percipimus, opere perpetremus. Rationale hoc duodecim in se lapides habet, & quattuor ordines, quos quattuor puto esse virtutes cardinales. Cum indutus quis fuerit veste multiplici, consequens est veritatem, quam corde retinet, sermone proferre: & ob id in rationali veritas est, ideſt scientia, vt nouerit, quæ docenda sint, & manifestatio, atque doctrina, vt possit instruere alios, quod mente concepit. Moyses sacerdotis scientiam ornat in vestibus, Paulus Timotheum, & Titum instruit disciplinis. Sed & ipse vestimentorum ordo præcipuus. Non prius rationale, & sic superhumerale, sed ante superhumerale, & post rationale. A mandatis, inquit, tuis intellexi: prius faciamus, & sic doceamus, ne doctrinæ auctoritas cæsis operibus destruatur. Hoc est, quod in propheta legimus: Seminate vobis *Psal.118.* in iustitia, & metite fructum vitæ. Illuminate vobis lumen scientiæ. Primum seminate in iustitia, & fructum vitæ æternæ metite, postea vobis scientiam vendicate. Nec statim absoluta perfectio est, si quis superhumerale, & rationale habeat, nisi hæc ipsa inter se forti compagine solidentur, & sibi inuicem connexa sint, vt & opera rationi, & ratio operibus hæreat, & his præcedentibus doctrina sequatur, & veritas. Infra: Tanta debet esse scientia, & eruditio pontificis Dei, vt & egressus eius, & motus, & vniuersa vocalia sint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu resonet, & ornatu, & quidquid agit, quidquid loquitur sit doctrina populorum. Absque tintin-

tintinnabulis enim, & diuersis coloribus, & gemmis, floribusq. virtutum nec sancta ingredi potest, nec nomen antistitis possidere.

11 Lib. 7. in c. 21. Isa. to. 5. IDEM explicans verba illa; Occurrentes sitienti ferte aquam, qui habitatis terram austri, cum panibus occurrite fugienti, inquit. Vos qui estis in Themam, quod interpretatur auster, atque perfectio, & in eo versamini loco, *Abac. 3.* de quo scriptum: Deus ab austro veniet, & qui consummati estis, atque perfecti, & habetis in vobis lumen scientiæ scripturarum, fugientibus de Arabia, & de saltu occurrite cum aqua, & panibus, & nolite expectare, donec ad vos veniant, sed imitamini illum euangelicæ para- *Lucæ 15.* bolæ patrem, qui occurrit filio reuertenti. Locus hic proprie aduersus eos intelligi potest, qui tradentes se otio, atque desidiæ propria salute contenti sunt, nec pœnitentibus, atq; conuersis porrigunt manum.

12 Lib. 11. in c. 40. Isaiæ. IDEM explicans verba illa; Super montem excelsum ascende, tu qui euãgelizas Sion, dicit. Vno verbo præcipitur Apostolorũ choro, vt ad prædicationem omnis carnis, quæ visura sit salutare Dei, excelsa conscendat, de magnisq. dicturi in sublimibus commorentur.

13 In c. 3. Dan. IDEM explicans verba illa; Quoniam Domine imminuti sumus plusquam omnes gentes, & sumus humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra, & non est in tempore hoc princeps, & propheta, & dux, sic habet. His versiculis, quos dixerunt tres pueri in camino ignis inclusi, vtendum est, siquando Ecclesiæ propter peccata populi sanctorum virorum, & magistrorum, qui in lege Dei doctissimi sunt, sustinent penuriam.

14 Lib. 1 in c. 3. Micheæ. to. 6. IDEM exponens verba illa; Confundentur diuini, & qui vident visiones, & operient vultos suos omnes, inquit. Cum prophetę diuini magis, quàm prophetæ fuerint comprobati, pœnitentiam agent hi, qui magistri fuerant, & ego exaudiam eos, & dabo eis virtutem spiritus mei, & implebo eos iudicio meo, & fortitudine, vt qui prius populum blandimentis decipiebant, postea vera annunciando deterreant, & ad rectam reuocent viam, & incipiant mederi vulneribus, quæ intulerant. Animaduerte in præsenti loco posse aliquem docere post peccatum, si tamen vitia pristina digna pœnitentia deleuerit. Vnde & Dauid post adulterium, *Psal. 50.* & homicidium loquitur in psalmo: Asperges me hyssopo, & mundabor; lauabis me, & super niuem dealbabor. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali cõfirma me. Cumq. Domine feceris: Docebo iniquos vias tuas, & impij ad te conuertentur. Prius conuertitur, & post docet.

15 Lib. 3. in c. 11. Zachar. IDEM exponẽs illa verba; Hæc dicit Dominus, pasce pecora occisionis, quæ, qui possederant, occidebant, & non dolebant, & vendebant ea, sic habet. Hæc verba de nostris sacerdotibus, & prælatis intelligi possũt, & quicumque pastores fuerint negligentes, & vnum de minimis scandalizauerint, ipsos esse, qui nutriant pecora occisionis, & nõ patiantur quidquam super eis, & doleant, nec possint dicere cum Apostolo: Quis scandalizatur, & ego non vror? & vendant populos sibi creditos, de quibus scriptum est: Qui deuorant populum meum, sicut cibum panis. *2. Cor. 12.* *Psal. 52.*

16 In c. 13. Zacharię. IDEM explicans verba illa; Et erit: In die illa confundentur prophetæ, vnusquisque ex visione sua cum prophetauerit, nec operientur pallio saccino, vt mentiantur, sed dicet, non sum propheta, ait: Qui prophetare tentauerit, & parentum iudicio fuerit condemnatus, & vaticinij illius falsitatem rerum contrarius exitus approbarit, confundetur ex visione sua, nec vltra operietur cilicio, vt mentiatur. Hic enim erat habitus prophetarum, vt quando populũ ad pœnitentiam prouocabant, induerentur cilicio. Vnde & Isaiæ præcipitur, vt auferat cilicium de lumbis suis, & nudus incedat. Nequaquam enim tempus esse pœnitentiæ, sed imminentis captiuitatis. Ergo & iste pseudopropheta nequaquam habitum accipiet prophetalẽ, ne sub alieno vestitu, & operimento simplices quosque decipiat. *Cap. 20.*

17 Lib. 2. in ca. 18. Prouerb. to. 7. IDEM exponens illa verba; Qui prius respondeat quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignum dicit. Qui prius doctor esse desiderat, quàm discat, stultitiæ noxam non declinat.

18 In c. 19. IDEM explicans verba illa; Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam, inquit. Nemo ita piger est, vt ad os manum vel comedendo reducere laborem putet, sed pigro labor est manum ad os porrigere: quia desidiosus quisque prædicator, nec hæc vult operari, quæ dicit. Manum quippe ad os porrigere, est voci opere concordare.

19 Lib. 4. in c. 23. Matth. to. 9. IDEM explicans verba illa; Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui circuitis mare, & aridam, vt faciatis vnum proselytum, & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos, inquit. Scribæ, & pharisæi totum lustrantes orbem per imaginem sanctitatis, stu dij habebant de gentibus facere proselytum, & incircumcisum miscere populo Dei. Sed qui ante dum esset ethnicus simpliciter errabat, & erat semel filius gehennæ, videns magistrorum vitia, & intelligens destruere eos opere, quod verbis docebant, reuertitur ad vomitum suũ, & gentilis factus quasi præuaricator pœna maiori dignus erit.

20 In c. 1. Mar ci. IDEM exponens illa verba; Rectas facite semitas eius, ait. Has semitas incuruauimus declinantes in dexteram, atque sinistram. Nũc Deus præcipit nobis, vt via regia incedentes proximos nostros, vt nos, & nosipsos, vt proximos diligamus, nam qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Qui enim semetipsum diligit, & non diligit proximum, ad dexteram declinat. Et qui semetipsum odiens, proximum diligit, ad sinistram diuertit. Nam bene agunt multi, sed nõ bene corrigunt, sicut Heli. Et multi bene corrigunt, sed non bene agunt, vt fuerunt scribæ, & pharisæi, qui sedebant super cathedram Moysi. Vnde & turturis in lege ad ascellas *1. Reg. 2.* *Matt. 23.* *Leuit. 1.*

ascellas eius retorqueri iubetur, ne separetur os ab opere, & opus nostrum non diuidatur ab ore. Et quando erat Ioannes vestitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas, & mel siluestre edebat, & sic prędicabat, egrediebatur ad eum omnis Iudææ regio, & Hierosolymitæ vniuersi, & baptizabantur ab illo, confitentes peccata sua. Vestis enim prophetæ, & cibus, & potus totam austeram vitam prædicantium significant.

21 In 2. epist. Pauli ad Timum. IDEM explicans verba illa; Tu vero loquere, quæ decent sanam doctrinam, aduertit, aliud esse sanam doctrinam loqui, aliud ea, quę sanæ conueniunt docere doctrinæ. Quia in altero simplex tantum institutio est, & in altero cum eo, quod docet, vitæ quoque correctio est. *Matt. 5.* Qui enim soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cælorum, Domino præcipiente discipulis, non solum in meditatione scripturarum eos laborare debere, vt quæ scripta sunt condant in memoriæ thesauro, sed prius faciãt, quæ præcepta. Quicumque vero fecerit, & docuerit, ille vocabitur magnus in regno cę lorum. Nisi enim supergressa fuerit nostra iustitia scribarum iustitiam, & pharisæorum, non *Matt. 23.* possumus ingredi regna cęlorũ: qui supra Moysi cathedram sedentes, dicunt, & non faciunt, & alligant onera importabilia, quæ ceruicibus hominum imponunt, & ipsi minimo digito nolunt ea contingere. Hoc igitur nunc Apostolus Titum discipulum suum docet, vt ea loquatur, quæ sanę doctrinæ conueniant, quia tunc doctrinæ sit sanitas, cum doctoris doctrina pariter & vita consentiant.

22 Lib. 7. Mor. cap. 16. to. 2 GREGORIVS exponens verba illa Iob 6. cap. Quare detraxistis sermonibus veritatis, cum e vobis nullus sit, qui possit me arguere, ait. Mundus ipse esse a vitijs debet, qui curat aliena corrigere, vt terrena non cogitet, vt desiderijs infimis non succumbat, quatenus tanto perspicacius alijs fugienda videat, quanto hæc ipse per scientiam, & vitam verius declinat, quia nequaquam pure maculam in membro considerat oculus, quem puluis grauat, & superiectas sordes manus tergere non valet, *2. Reg. 7.* quæ lutum tenet. Vnde recte ad Dauid per significationem diuina vox dixit: Non tu ædificabis mihi templum, quia vir sanguinum es. Dei autem templum ædificat, qui corrigendis, *1. Cor. 3.* atque instituendis proximorum mentibus vacat. Quoniam templum Dei sanctum est, quod estis vos. Sed vir sanguinum templum Deo ędificare prohibetur, quia qui adhuc actibus carnalibus incumbit, necesse est, vt instruere spiritaliter mentes proximorum erubescat.

23 Lib. 9. Moral. c. 14. IDEM quærit cur Iob in capite 29. tam subtiliter suas virtutes enarret, & ait: Sanctorum virorum est bona, quæ fecerint, occultare, ne elati cadant. Hinc est etiam quod duos cæ- *Matt. 9.* cos iuxta viam sedentes Dominus illuminans præcepit, dicens: Videte ne quis sciat. De quibus illico scriptum est: Abeuntes, diffamauerunt eum per totam terram illam. Sed quærendum nobis est quid sit hoc, quod ipse omnipotens, cui hoc est velle quod posse, & taceri virtutes suas voluit, & tamen ab his, qui illuminati sunt, quasi inuitus indicatur, nisi quod seruis suis se sequẽtibus exemplum dedit, vt ipsi quidem virtutes suas occultare desiderent, & tamen, vt alij eorum exemplo proficiant, prodantur inuiti, vt bona ad proximos suos exempla transmittant. Occultentur ergo studio, necessitate publicentur, & eorum occultatio sit custodia propria, eorumq. publicatio sit vtilitas aliena. Aliquando sancti viri & coram hominibus compelluntur bona facere, aut eadem hominibus sua facta narrare, ad hoc tantum, vt Deus glorificetur. Dum enim sancta prædicant, ipla prædicatio eorum fortasse despicitur, quorum vita nescitur. Compelluntur vitam suam dicere, vt auditorum suorũ valeant vitam mutare. Scriptum quippe est: Cum ele- *Ezec. 1.* uarentur animalia de terra, eleuabantur pariter & rotæ. Quia videlicet cum auditorum mentes prædicant[illegible] vitam suspiciunt, necessario vtique et[illegible]m prædicationis admirantur. Sic nimirum Paulus discipulis loquens, & honorem fugit, & tamen quantum esset honorandus ostendit. Nam cum Thessalonicensibus diceret: Neque enim aliquando fuimus in *1. Thess. 2.* sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione auaritię Deus testis est, secutus adiunxit: Neque quærentes ab hominibus gloriam, ne- *2. Cor. 4.* que a vobis, neque ab alijs. Rursus Corinthijs, honorem fugiens, dicit: Nõ enim nosmetipsos prædicamus, sed Iesum Christum, nos autem seruos vestros per Iesum. Post modum miras cõcinit sui laudes in vtilitatem proximorum. Sic & Iob modo: quia sancti viri cum coguntur bona narrare, quæ faciunt, non elationi seruiunt, sed vtilitati.

24 Lib. 21. Moral. c. 8. IDEM exponens verba illa Iob cap. 31. Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur, dicit. Serere est verba vitæ prędicare, comedere autem est bonis operibus satiari. Si ergo ea, quæ protulit, facere prætermisit, ait: Seram, & alius comedat. Ac si aperte dicat: Quod os meum loquitur, nõ ego, sed alter operetur. Prædicator quippe, qui a suis vocibus moribus discrepat, ieiunus ferit, quod alius manducet, quia suo semine ipse nõ pascitur, quando a verbi sui rectitudine praua actione vacuatur. Et quia plerumque discipuli incassum bona audiunt, cum ex magistri vita operum exemplo destruuntur, recte subiungitur: Et progenies mea eradicetur. Doctoris enim progenies eradicatur quando is, qui per verbum nascitur, per exemplum necatur. Quia quem lingua vigilans gignit, vitæ negligentia occidit. Neque enim torpenti nobis est mente transeundum, quod apud Salomonem mulier, quem vigilans *3. Reg. 3.* lactare cũsueuerat, dormiens interemit. Quia nimirum magistri vigilantes quidem scientia, sed vita dormientes, auditores suos, quos per vigilias prædicationis nutriunt, dum quod dicunt, facere negligunt, per somnum torporis occidunt, & negligendo opprimunt, quos

quos alere verborum lacte videbantur.

25 IDEM explicans verba illa; Iob 39. cap. Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo eius hinnitum? inquit. Quid est, quod huic equo Dominus se prius dare fortitudinem, & postmodum collo eius hinnitum circumdare asserit? Hinnitu enim vox prædicationis exprimitur. Verius autem quisque prædicator ante fortitudinem, & post hinnitū accipit, quia cum prius in se vitia extinxerit, tunc pro erudiendis alijs ad vocem prædicationis venit. Huic equo Dominus & fortitudinem, & hinnitū se dare testatur, quia in prædicatore eius, nisi vita, & sermo conuenerint, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Nō enim multum prodest, si sublimis vitæ operatione suffultus sit, si tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare, quod sentit. Vel quid prodest bene loquendo alios ascendere, si semetipsum indicat male viuēdo torpuisse? Quia ergo in prædicatore necesse est, vt ad perfectionem vtraque conueniant, equo suo dominus, & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis fortitudinē ministrat actionis. Et notandum cur hinnitus, qui interius nimirum per guttur ducitur, equi collo circumdari, ideſt, quasi per gyrum trahi exterius dicatur: quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, sed extra circumdat. Nam quo alios ad bene viuendum suscitat, ad bene agendum & opera prædicantis ligat, ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus circumducitur, quia ne ad peruersa opera prodeat, suis vocibus etiam vita prædicantis obsidetur.

Lib. 31. Moral. c. 11.

26 IDEM exponens verba illa; Terram vngula fodit, ait. Solet in equi vngula laboris fortitudo cognosci. Quid ergo per vngulam, nisi in prædicatore sancto virtutum perfectio designatur? Qua videlicet vngula terram fodit, cum de corde audientium exemplo suorū operum terrenas cogitationes eijcit. Vngula terram fodit, quia auditorum corda a sæcularibus curis euacuat, cum doctor bonus contemni sæculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audientium, qua ostensæ virtutis vngula fodiat. Ipse namque discipulis dicit: Hæc cogitate, quæ didicistis, & accepistis, & audistis, & vidistis in me, hęc agite, & Deus pacis erit vobiscum. Et rursum: Imitatores mei estote fratres, sicut & ego Christi. Qui ergo exemplo sui operis alios corrigit, nimirum vngula terram fodit.

In c. 13.

Philip. 3.

27 IDEM explicans illa verba; Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum, & audiui loquentem ad me, & dicentem: Fili hominis mitto ego te ad filios Israel, sic habet. Iacenti prophetæ dicitur, vt surgat, stanti autem præcipitur, vt ad prædicationem proficisci debeat. Adhuc enim nobis in infirmitatis confusione iacentibus præberi non debet auctoritas prædicationis. Sed cum iam in bono opere surgimus, cum iam recti stare cœperimus, dignum est, vt ad lucrandos alios in prędicationem mittamur. Cadens propheta, iam monitionis verbum suscepit, vt surgeret, surgens autem præceptum audiuit, vt prædicaret. Surgere ad fortiora iubemur, & cum iam in bonorum operum soliditate persistimus, necesse est, vt vnde nosmetipsos correximus, inde iam prædicantes & alios leuemus. Iacenti ergo non præcipitur, vt ad prædicationem pergat, ne infirmus quisque hoc, quod verbo ædificare potest, opere destruat. Vnde recte quoque per psalmistam dicitur: Eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fęcis. Statuit supra petrā pedes meos, & direxit gressus meos, & immisit in os meum canticum nouum, hymnum Deo nostro. Prius enim de luto prauitatis educitur, vt eius pedes per fidem in petra solidentur. Sed quia rectam fidē recta subsequi debet operatio, gressus eius directi sunt, vt post directionem gressuum, ideſt, post perfectionem boni operis, in ore acciperet etiam nouum canticum prædicationis. Sic Saulus, dum superbe Damascum pergeret, redemptoris voce prostratus iacuit. Et qui prædicator futurus erat, nō tamen mox vt prædicaret, quod viderat, audiuit, sed ei iacenti dicitur: Egredere in ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Surgens hoc didicit, vt quæ cognouerat, prædicaret.

Psal. 39.

Act. 9.

28 IDEM explicans verba illa; Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel, inquit. Scriptura sacra cibus, & potus est. In rebus obscurioribus, quę intelligi nequeunt, nisi exponantur Scriptura sacra cibus est, quia quidquid exponitur, vt intelligatur, quasi māditur, vt glutiatur. In rebus vero apertioribus potus est: potum enim non mandendo glutimus. Pro eo autem quod multa Ezechiel propheta obscura, atque perplexa auditurus erat, nequaquam ei de sacro volumine dicitur: Bibe, sed comede. Ac si aperte diceretur: Pertracta & intellige, ideſt, prius mande, & tunc degluti. Sed in verbis sacri eloquij iste debet studij nostri ordo seruari, vt hæc ideo cognoscamus, quatenus de iniquitate nostra compuncti, cognoscentes mala, quæ fecimus, vitemus, ne alia faciamus. Et cum iam ex magno vsu lachrymarum, de peccatorum remissione cœperit esse fiducia, per verba Dei, quæ intelligimus ad vitam quoque & alios trahamus. Ad hoc enim intelligenda sunt, vt & nobis prosint, & intentione spiritali alijs conferantur. Vnde bene nunc dicitur: Comede volumen istud, & vade, & loquere filijs Israel. Ac si ei de sacro cibo diceretur: Comede, & pasce, saturare, & eructa, accipe, & sparge, confortare, & labora. Infra: Et comedi illud, & factum est in ore meo, sicut mel dulce. De illorum ore prędicatio dulcis est audientibus, quando eorum actio contraria suis prædicationibus non est, quia de propria vita sumunt, quod per linguā proximis conferunt. Liber, qui viscera repleuit, dulcis in ore sicut mel factus est, quia ipsi de omnipotenti Domino sciūt suauiter loqui, qui hūc didicerint in cordis sui visceribus veraciter amare. In eius quippe ore Scriptura sacra

Hom. 9. in c. 2. Ezech. to. 2.

29

Hom. 10. in 2. 3. Ezech.

sacra dulcis est, cuius vitæ viscera mandatis illius replentur, quia ei suauis est ad loquēdum, cui interius impressa ad viuendum fuerit. Nā sermo dulcedinem non habet, quem vita reproba intra conscientiā remordet. Vnde necesse, est, vt qui verbū Dei loquitur, prius studeat qualiter viuat, vt post ex vita colligat, quæ, & qualiter dicat. Ad prędicandū namq; plus conscientia sancti amoris ędificat, quàm exercitatio sermonis: quia amādo cælestia intra semetipsum prædicator legit, quomodo persuadeat, vt despici debeant terrena. Qui.n. vitam suam interius pensat, & exemplo suo foris admonendo alios ædificat, quasi in corde linguæ calamū tingit, in eo quod manu verbi proximis exterius scribit. Inde admirabilis prædicator, cum multa discipulis exhortando dixit, quia nullam intra semetipsum de conscientia contrarietatem pertulit, adiunxit: Si qua virtūs, si qua laus disciplinæ, hæc cogitate, quæ & audistis, & vidistis in me.

Philip. 4.

30 IDEM ait; De bene docentibus, & male operātibus dicitur: Filij Effrem intendentes arcum, & mittentes sagittas, conuersi sunt in die belli. Intendunt arcum, atq; sagittas mittunt, qui Scripturæ sacræ sententias proponunt, & verbis rectis auditorum vitia feriunt. Sed conuertuntur in die belli, quia post semetipsos redeunt in tentatione vitiorum, & pectus opponere non volūt, quia in tentationum certamine non resistunt. Hinc iterum dicitur: Auertisti adiutoriū gladij eius, & non es auxiliatus ei in bello. Gladius quippe doctoris est sermo Dei. Omnipotens itaq; Deus cum doctorē respicit nolle operari, quæ dicit, in die belli adiutorij eius gladium auertit, quia in tentationū certamine nō permittit ei esse in adiutorium doctrinæ verba, quæ dedit. Habet igitur gladium, sed hunc in bello non adiuuat, quia cum aduersitas tentationis eruperit, verbi obliuiscitur, quod dicebat. De patientia sermo doctori est, sed cum ipse contumelia lacessitus fuerit, oblitus quod docuit patientiam non habet, &c.

In Hom. 30. in Ezech. Psal. 77.

Psal. 88.

31 IDEM sic habet; Quomodo nos vitā corrigere valeamus alienam, qui negligimus propriam? Vnde sancta Ecclesia de membris suis infirmantibus dicit: Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui. Vineæ quippe nostræ actiones sunt, quas vsu quotidiani laboris excolimus. Sed custodes in vineis positi, nostram vineam minime custodimus, quia dum extraneis actionibus implicamur, ministerium actionis nostræ negligimus. Nullum puto fratres ab alijs maius præiudicium, quàm a sacerdotibus tolerat Deus, quādo eos, quos ad aliorum correctionem posuit, dare se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Considerate quid de gregibus agatur, quando pastores lupi fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerant. Nulla enim animarum lucra quærimus, ad nostra quotidie studia vacamus, & terrena cōcupiscimus. Et quia eo ipso quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, suscepta benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argūmētum, Dei causam relinquimus ad terrena negotia vacamus.

Hom. 17. in Euangelia. Cant. 1.

32 IDEM exponens illa verba; Et sermo Domini erat prætiosus, dicit. Sermo Domini prætiosus erat, hoc est, rarus. Quia dum rarus esset, qui summa contemplando cerneret, frequens esse non poterat, qui bona loquendo prædicaret. Quod nunc quoque in sancta Ecclesia fieri videmus, quia dum plerique de reuerentia culminis gloriam affectant honoris, dum sacri ordinis ministeria negligunt, summa, quæ videre nequeunt, subiectis plebibus prædicare non possunt, atque in eorum familia prætiosus sermo esse cognoscitur, quia raro bonæ prædicationis hortamenta audiunt, quorum prælati ex desiderio non quærunt superna, quæ dicant, sed terrena quæ agant. Quos profecto sancta Scriptura notat, cum dicit: Canes muti non valentes latrare. Non dixit, non volentes, sed non valentes, quia certe dum mundi gloriam ex toto corde diligunt, vellent populo sublimia dicere, vt etiam de sublimitate verbi possent gloriam habere. Canes ergo muti volentes latrare, non possunt, quia dū prauo corde terrena meditantur, occulta veritatis, quæ proferant, reuelatione nulla comprehendunt.

Lib. 2. expositionis in c. 2. primi lib. reg. c. 4.

Isa. 56.

33 BERNARDVS explicans verba illa; Meliora sunt vbera tua, inquit. Quod enim postulas, te quidem delectat, sed vbera, quibus paruulos alis, quos & paris, meliora, hoc est, necessariora sunt vino contemplationis. Aliud si quidem est, quod vinum lætificat cor hominis, & aliud quod ædificat multos. Nam si Rachel formosior, sed Lya fœcundior est. Noli ergo nimis insistere osculis contēplationis, quia meliora sunt vbera prędicationis. Occurrit & alius sensus. Vt quid enim verba hæc nō magis conuenire eis ipsis dicamus, quibus præest in sollicitudine tamquam paruulis mater, aut nutrix? Nec enim æquanimiter ferunt iuuenculæ, & teneræ adhuc animæ, illam vacare quieti, cuius plenius eruditi doctrina, & exemplis informari desiderant. An nō denique talium in subsequentibus compescitur inquietudo, vbi sub graui contestatione prohibētur suscitare dilectam, donec ipsa velit? Hæ itaque sentientes, osculis inhiare sponsam, secretum quærere sibi, fugitare publicū, declinare turbas, & curæ ipsarum propriam proferre quietē. Noli, inquiunt, noli, quia maior in vberibus, quàm in amplexibus fructus existit. Per ea siquidem nos vendicas a carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animā, eripis mundo, & acquiris Deo. Hoc ergo est, quod aiunt: quia meliora sunt vbera tua vino.

Serm. 9. in cantica.

Cant. 2.

34 IDEM exponens verba illa; Posuerūt me custodem in vineis, vineam meam nō custodiui, dicit. Sic eram, vt vineæ meæ custodiam non haberē, sed vitijs deditum fecerunt custodem,

Serm. 30. in cantica.

non considerantes quid de mea ego facerem, vel fecissem, nec audientes arguentem magistrum, & dicentem: Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit? Miror audaciam plurimorum, quos videmus de suis vineis non colligere, nisi spinas, & tribulos, vineis tamē dominicis etiam se ingerere non vereri. Qui vineam suam non custodierit eo sensu, quo Saluator loquitur in Euā
Matt. 10. gelio: Qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam, idoneus plane, & dignus, qui ponatur custos in vineis, quem propriæ cura vineæ a commissarum diligentia, & sollicitudine non impedit, aut retardat: dum non quærit, quæ sua sunt, nec quod sibi vtile est, sed quod
Luce 22. multis. Propterea sane Petro cura ista credita est in tam multis vineis, quia homo paratus erat, & in carcerem, & in mortem ire: vsque adeo suæ vineæ, idest, suæ animæ non detinebatur amore, quo minus curę intenderet creditarum. Paulo multæ vineæ sunt creditę, quia non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus erat.

35 IDEM explicans verba illa; Surge propera amica mea, formosa mea, & veni, ait. Sponsus hoc dicit. Et nonne ipse est, qui paulo ante
Serm. 58. in cantica. suscitari dilectam tantopere prohibebat? Quo pacto ergo nunc non solum, vt surgat, sed vt & acceleret, iubet? Quid sibi vult tam subita hæc mutatio voluntatis, siue consilij? Considerate, quas supra commendaui vicissitudines sanctæ quietis, ac necessariæ actionis, & quia non sit in hac vita copia contēplandi, nec diuturnitas otij, vbi officij, & operis cogentior vrget, instantiorq. vtilitas. More igitur suo spōsus, vbi dilectam paululū in sinu proprio quieuisse persentit, ad ea denuo, quæ vtiliora visa sunt, trahere non cunctatur. Trahi autem a spōso, est ab ipso accipere desiderium, quo trahatur, desiderium fructificandi spōso, quippe cui viuere sponsus est, & mori lucrum. Et est desiderium vehemens, quod eam non tantum surgere, sed & surgere festinanter sollicitat. Sic quippe habes: Surge, propera, & veni. Nec parum confortat, quod audit, veni, & non vade: per hoc se intelligens non tam mitti, quām duci, & secum pariter sponsum esse venturum.

36 IDEM sic habet docens prælatos debere iungere opera verbis: Memento dare voci
Epist. 201. ad Balduinum abbatē tuæ vocem virtutis, vt opera tua verbis concinant, immo verba operibus, vt cures videlicet prius facere, quām docere. Pulcherrimus ordo est, & saluberrimus, vt onus quod portandum imponis, tu portes prior, & ex te discas qualiter oporteat alijs moderari. Alioquin subsan-
Prou. 26. nabit te sapiens, vtpote pigrum illum, cui labor sit manum porrigere ad os. Arguet te & Apo-
Rom. 2. stolus dicens: Tu qui alios doces, teipsum non
Matt. 23. doces? Sed & notaberis vitio pharisæorum, qui alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Sermo quidem viuus, & efficax exemplum est operis, facile faciens suadibile, quod dicitur, dum monstrat factibile, quod suadetur. Ergo in his duobus mandatis, verbi scilicet, atque exempli, summam tui officij ad conscientiæ securitatem pendere intellige. Tu tamen si sapis, iunges & tertium studium, scilicet orationis ad complementum vti
Ioan. 21. que trinæ illius repetitionis in Euangelio de pascendis ouibus. In hoc noueris illius trinitatis sacramentum in nullo frustratum a te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarū fructu orationum. Nam etsi (vt dictum est) vocis virtus sit opus, & operi tamen & voci gratiam, efficaciamq. promeretur oratio.

37 IDEM dicit; Monstruosa res gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, ingēs auctoritas & nutans stabilitas. Si cor mouisti, mouenda tibi lingua est, mouenda & manus. Si quod viuis, & sapis totū das actioni, considerationi nihil, laudo te, in hoc non laudo: puto quod & nemo, qui a Salomone audierit: Qui minoratur
Eccli. 38. actu, percipiet sapientiā: certe nec ipsi actioni expedit meditatione non præueniri. Si item totus vis esse omnium, instar illius, qui omnibus
1. Cor. 9. omnia factus est, laudo humanitatē, sed si plena sit: quomodo autem plena te excluso? Et tu homo es: colligat ergo intra sinum suum. Alio-
Matt. 16. quin quid tibi prodest iuxta verbū Domini, si vniuersos lucreris, te vnum perdens? Quamobrem cum omnes te habeant, esto etiam tu ex habentibus vnus. Vsquequo vadens spiritus, & non rediens? Sapientibus, & insipientibus debitor es, & soli negas te tibi? Stultus, & sapiens, seruus & liber, diues & pauper, senex & iuuenis, vir & femina, clericus & laicus, iustus & impius participant te, omnes de fonte publico bibūt pectore tuo, & tu seorsum sitiens stabis? Si maledictus, qui partem suam facit deteriorem, quid ille qui se penitus reddit expertem? Sane deriuentur aquę tuę in plateas: homines, & iumenta, & pecora bibant ex eis, quin & camelis pueri Abrahæ potum tribuas, sed inter ceteros, bibe & tu de fonte putei tui. Alienus, inquit, non bibat ex eo. Num-
Eccli. 4. quid tu alienus? Denique qui sibi nequam, cui bonus? Memento proinde, non dico semper, sed vel interdum reddere teipsum tibi.

38 IDEM dicit; Prælati debent custodire, ac regere gregem Domini cum magna vigilantia, ac sollicitudine. De quibus in canticis legitur: Lectulū Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: vniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos. Verus Salomon Christus esse intelligitur, quia pacem inter Deum, & hominem reformauit. Lectulus vero Salomonis congregatio est fidelium, in qua Deus habitat, & requiescit. Lectulum vero Salomonis sexaginta fortes ambiunt, scilicet prælati, qui defendendo, corrigendo, increpando, castigando, admonendo circumeunt, & custodiunt Ecclesiam Dei contra vitia, & cōtra inimicos. Qui ideo fortes esse dicuntur, quia prælati sanctæ Ecclesiæ perfecti sunt

sunt in obseruatione mandatorum Dei. Omnes tenentes gladios, idest, spirituale verbum, quia prędicando vitia subiectorum debent reprimere. Ad bella sunt doctissimi, quia necesse est, vt ad bella spiritualia sint instructi. Vniuscuiusque ensis super femur suum. Prælati sanctæ Ecclesiæ super femur enses tenent, quia prius in se, & tunc in sibi subditos vitia carnis debent resecare. Et hæc faciunt propter timores nocturnos, idest, propter occultas insidias malignorum spirituum, qui in nocte huius sæculi maxime insidiantur sanctis prælatis, vt illis deceptis lectulum Salomonis, idest, congregationem seruorum Dei fœdare, ac maculare possint.

Prædicatores quales futuri sunt, vt prosint, quod si tales non fuerint, nihilominus audiendi sunt.

Cap. XXIX.

1 Homil. 2. in c. 6 Genesis. n. 1. DE re hac multa diximus in capito 26. & infra potissime capite 28. quibus addenda sunt hæc: in primis.

ORIGENES docens arcam a Noe fabricatā de lignis quadratis, ait. Quadratum est, quod nulla vacillat ex parte, sed quocumque verteris fida & solida stabilitate consistit. Ista sunt ligna, quæ omne pondus, vel animalium intrinsecus, vel fluctuum extrinsecus ferunt. Quos ego arbitror doctores esse in Ecclesia, & magistros, & æmulatores fidei, qui & populos intrinsecus positos verbo commonitionis, & doctrinæ gratia consolantur, & impugnantibus extrinsecus vel gentilibus, vel hæreticis, & fluctus, ac procellas certaminum, commouentibus virtute verbi ac sapientia rationis obsistunt. Sunt etiam hæc ligna defensio his, qui intrinsecus sunt.

2 Hom. 17. in c. 49. Gen. IDEM explicans benedictionem Iudæ: Dentes eius lacte candidiores dicit. Omnes, qui perfecti sunt, & qui scripturarum cibos dignis, & competentibus interpretationibus explanantes subtilem, & minutū intellectum, qui spiritualis dicitur, Ecclesiæ corpori subministrant, candidi debent esse, & puri, atque omni malo liberi, ne forte dicatur eis: Qui alios doces, teipsum non doces.

3 Homil. 9. in c. 27. & 28. Exod. IDEM vbi agit de tabernaculo, quod iussu Domini fecit Moyses, inquit. Columnæ tabernaculi sunt doctores, & ministri Ecclesię: sicut Paulus vocat Petrum, & Iacobum, & Ioannem columnas Ecclesiæ. In tabernaculo ergo hoc columnæ seris interiectis iunguntur, dum in Ecclesia doctores datis sibi dextris sociantur. Sed columnæ istæ inargentatæ sunt, quia qui verbum Dei prædicant, accipient per spiritum eloquia Domini, quæ sunt eloquia casta, argentum igne probatum. Isti autem prædicationis suæ bases habent prophetas. Super fundamentum enim Apostolorum, & prophetarum collocantur, quorum testimonijs vtentes fidem Christi confirmant.

4 IDEM de vestibus sacerdotalibus disserēs, ait. Sed ipse ordo rerum, quam sanctus sit, & quàm mirabilis intuere. Nō antea rationale, & postea humerale, sed induēs Aaron tunica hyacinthina, desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo aptauit rationali, in quo erat doctrina, & veritas. Quia non ante sapientia, & opera, sed prius opera haberi debent, & postea quærenda sapientia est. Tum deinde non ante manifestatio, quàm rationale, quia nō ante alios docere, quàm nos instructi, & rationabiles esse debemus. Denique & propheta hunc eumdem ordinem seruat, cum dicit: Seminate vobis ad iustitiam, & metite fructum vitæ: illuminate vobis lumen scientiæ. Vides quomodo non dicit primo: illuminate vobis lumen scientiæ, sed primo seminate vobis ad iustitiā? Et non sufficit seminare, sed metite, inquit, fructū vitæ, vt post hæc possitis implere, quod sequitur, illuminate vobis lumen scientiæ. Sic ergo etiam hic imponitur humeralis ornatus, & non sufficit solus ornatus, sed & zona constringitur. Sed ne hoc quidem satis est: secundo adhuc cingitur, vt ita demū rationale posit imponi, vt post hæc manifestatio sequatur, & veritas. Tali ornatu debet ornari, qui sacerdotium gerit: sed nondum finiuit: necesse est, vt accipiat adhuc coronam. Propterea accipit primo cidarim, quod est, vel operimentum quoddam capitis, vel ornamentum. Et post hæc superponitur ei mitra. A fronte pontificis lamina aurea sanctificata. Sed nos si bene intelligimus, quis sit sacerdotis ornatus, mysteriorum diuinorum profunda rimantes, non scire tantum hæc, & audire, sed & implere desideremus: quia non auditores legis iustificabuntur apud Deum, sed factores. Infra: Propterea ergo si quis vult pontifex non tam vocabulo esse, quàm merito, imitetur Moysem, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de his? Quia non discedunt de tabernaculo Domini. Erat ergo Moyses indesinenter in tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat, vt aut a Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. Hæc duo sunt pontificis opera, vt aut a Deo discat legendo Scripturas diuinas, & sæpius meditādo, aut populum doceat illa, quæ a Deo didicerit, non ex proprio corde, vel ex humano sensu. Est & aliud opus, quod facit Moyses, ad bel-
Exo. 17. la non vadit, non pugnat contra inimicos, sed orat, & dum ille orat, vincit populus eius. Si relaxauerit, & dimiserit manus, populus eius vincitur, & fugatur. Oret ergo & sacerdos Ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dęmones impugnantes eos, qui pie viuere volunt in Christo.

6 IDEM explicans verba illa; Ecce ego mitto piscatores multos, dicit Dominus, in- Hom. 12. in c. 16. Hiere. quit. Vsque hodie mittit Saluator hominum piscatores, instituens eos, animas liberare de

mari, & ex acerbissimis fluctibus ad auram producere liberiorem. Verum illi pisces, cum sagenis retibus, atque hamis extracti de aqua fuerint, moriuntur. Apud nos vero, cum aliquis fuerit sermonis rete comprehensus, & eductus de mari sæculi, moritur quidem & ipse, sed peccato, sed mundo, vt viuat Deo. Et tu cum fueris a marinis fluctibus liberatus, noli quærere profundum, sed in montibus sit conuersatio tua, vt iam non habeas opus piscatoribus, qui te tursus de fluctibus extrahant, sed alijs quibusdam, quos scriptura venatores nuncupat, qui te postea venentur de monte, de colle, de locis altioribus. Ibi sit deambulatio tua, ibi mens, gressus, & statio: obliuiscere maris, vallium, ac profundorum. Vnde subditur: Et post hæc mittam venatores multos, vt capiant eos supra omnem montem, & collem. Si vis & tu ab his venatoribus capi, caue ne verseris in vallibus, ne in alia humili regione consistas. In montibus, & in collibus, & in cauernis petrarum quærunt hi venatores homines.

7 Libro Moral. sentent. c. 25. BASILIVS docet, quod non ex æmulatione, aut inuidia, & contendendi studio, prædicandum sit Euangeliũ Dei. Ecce puer meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ, ponam spiritum meum super eum, iudicium gentibus nunciabit. Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in plateis vocem eius. Quidam quidem propter inuidiam, & contentionem, quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant: quidam ex charitate, sciẽtes, quod in defensionem Euãgelij positus sum: quidam autem, ex contentione Christum annunciant non syncere existimantes pressuram se suscitare vinculis meis. Et in cap. 36. vno verbo docet, quod aduersus omnes omni in re retinenda est verborum Domini veritas integra, neque omnino quicquam faciendum maiore animi in hanc, quàm in illam partem propensione. Testificor coram Deo, & Domino Iesu Christo, & electis angelis, & hæc custodias sine præiudicio, nihil faciens in alteram partem declinando, hæc habentur in regula 70.

Matt. 12. *Phil.* 1. *1. Tim.* 5.

8 Hom. 47. in Matt. to. 2. CHRYSOSTOMVS exponens verba illa cap. 13. Simile est regnum cælorum fermẽto, ait. Si duodecim homines totam penè farinã orbis fermentarunt: diligenter animo versa, quæso, quanta sit nostra malignitas, atque ignauia, qui cum iam innumeri simus, has gentium reliquias conuertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. Sed Apostolos illos fuisse, inquies. Quid ad rem? Nonne tecum eiusdem naturæ fuerunt? An forsan credis illos angelos natura, aut de cælo lapsos fuisse? Mundum conuerterunt non propter miracula, quæ fecerũt, sed quia in ipsis erat verus gloriæ, atque pecuniæ contemptus, & quoniam nullam sæcularium harum rerum curam habebant. Nã nisi hoc habuissent, si passionibus, veluti, nos seruissẽt, etiãsi innumeros homines suscitassent, nihil vtilitatis fecissent. Viuendi ergo disciplina est, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum Ioannes fecit, qui tot, tanta sq. ciuitates erudiuit? Vnde Helias mirabilis factus? Nonne quia regem libere alloquebatur?

Ioan. 10.

9 Homiliã 6 imperfecti in Matt. IDEM dicit; Extunc cœpit Iesus prædicare, ex quo tentatus est. Et famem autem vicit in deserto, auaritiam spreuit in monte, vanam gloriam repercussit super templum: vt nobis ostendat, quia, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi huius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet iustitiã Christi prædicare: quoniã ex istis tribus caminis omnis diabolicæ fraudis flãma succẽditur.

10 Homil. 20. imperfecti. *Isa.* 5. IDEM exponens verba illa; Et mandabo nubibus, ne pluant super imbrem, inquit. Nubes vocantur prophetæ, & Apostoli, quia sicut nubes baiulant pluuiam, & effundunt eam super terram, sic & prophetæ, & Apostoli accipiunt verba a Deo, & effundunt super rationabilem terram. Sunt autem nubes, quæ a Spiritu sancto excitantur, & sunt nubes, quæ a spiritu potestatis aeris, sicut dicit propheta: Tenebrosa aqua in nubibus aeris. Nubes enim, quæ a Spiritu sancto excitantur, candidam baiulant aquam, idest, veram, & sanam doctrinam. Quæ autem a spiritu potestatis aeris, tenebrosam baiulant aquam, idest, falsam, & impiam doctrinam, quæ non illuminat, sed tenebrescere facit mentes eorum, qui suscipiunt eam. Impiorum nubes, & falsa sua doctrina, & promissionibus molliunt homines, & blandimentis, & persuasionibus soluunt. Sanctæ nubes doctrinam iustitiæ persuadent hominibus: Spiritus autem sanctus, quasi ventus in cordibus, facit homines acquiescere veritati. Sicut enim non est possibile, vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi flauerit super eam ventus, sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominem, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius.

Psal. 17.

11 Homil. 43. imperfecti. IDEM in illa verba; Super cathedrã Moysi sederunt scribæ, & pharisæi, inquit. Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine, pauci opere. Videte quomodo sedeatis super eam, quia cathedra non facit sacerdotẽ, sed sacerdos cathedram, non locus sanctificat hominem, sed homo locũ. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa, qui male sederit, iniuriam facit cathedræ. Ideoq. malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. In iudicio enim sedens si quidẽ bene vixeris, & bene docueris, omnium iudex es: si autem bene docueris, & male vixeris, tui solius condemnator es. Nam bene viuendo, & bene docẽdo populum instruis, quomodo debeat viuere, bene autem docendo, & male viuendo Deum instruis, quomodo te debeat condemnare. Ad populum autem quid? Omnia, quæcumque dixerint vobis, seruate, & facite, secundum autem opera eorũ nolite facere. Idest, vos, qui sedetis in Ecclesia, quasi iudices sacerdotum, & non auditores aliena discutientes, & propria non considerantes, ex vobisipsis iudicate, de sacerdotibus. Sicut vos omnes auditis, & nõ omnes facitis quod auditis, sic & sacerdotes omnes docent, sed nõ omnes faciunt quod docẽt. Nam in omnibus dignitas quidem diuersa est, omnium autem natura vna est. Homines enim ab initio creati sunt propter se, postea autẽ ordinati sunt propter vos. Propterea ergo natura eorum ipsorũ est, ordinatio autem eorũ vestra. Si bene vixerint, eorum est lucrũ, si bene docuerint, vestrũ. Accipite ergo quod vestrum est, & nolite discutere quod alienũ est. Sicut n. sacerdotes, etiã infideles docent propter fideles, melius iudicantes, propter bonos etiã malos fouere, quàm propter malos etiam bonos negligere, sic etiã & vos propter bonos sacerdotes etiã malos honorate, ne propter malos etiam bonos contemnatis: frequenter enim & de homine malo bona doctrina procedit. Ecce enim & vilis terra prętiosum aurum producit: numquid propter terram vilem prętiosum aurũ contemnitur? Non, sed sicut aurũ eligitur, & terra relinquitur: sic & vos doctrinã accipite, & mores relinquite. Nam vt apibus herbæ necessarię non sunt, sed flores herbarum: flores enim illæ colligũt, herbas vero relinquunt: sic & vos flores doctrinę colligite, & conuersationem relinquite, vt quasi inutilis herba arescat. Fidem prædicant, & infideliter agunt, veritatẽ laudãt, & mendacia diligunt, auaritiam castigant, & auaritiam exercent. Quia ergo scire bonum & malum in natura positum est, facere autem in voluntate, ideo bene dicere omnium est, bene autem facere paucorum.

12

13 Hom. 13. in ep. 1. ad Timoth. to. 4. IDEM exponens verba illa; Nemo adolescentiam tuam cõtemnat, dicit. Oportet eum qui doctoris officiũ suscipit ita se agere, vt despici, cõtemniq. non possit. Sed fortasse dicturus es: vbi modestia ac mansuetudo sacerdotis eluceat, si semper in honore sit, neq; contemptui pateat? In his quidem, quę ad se pertinẽt, si contemnatur sane, constantissime ferat, ita enim per patientiã virtus prædicationis ostenditur. Verum in his, quæ aliorũ tangunt salutem, contemptũi omnino non pateat. Id quippe non mansuetudinis est, sed stultitiæ. Nam si quidẽ iniurias in se, si maledicta, si insidias vlciscí velit, rite omnino culpabitur. Verum vbi alienæ salutis negotiũ agitur, imperio vtatur, atq; ex culmine auctoritatis, ne quid noxium immineat gregi, summa cura prouideat: neq; enim hoc in loco mansuetudine, sed auctoritate opus est vti, ne Ecclesiæ vtilitas pereat. Aut forte hoc significare voluit, dicens: Nemo te adolescentiæ causa contemnat. Si enim ætatis defectum indolis magnitudine, morumq. maturitate suppleueris, nullus iam te adolescentiæ causa contemnet, verum admirabitur magis. Sed forma, inquit, esto fidelium in sermone, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate, in omnibus teipsum præbens bonorum operum formam; hoc est, exemplar vitæ, atque morum. Ipse esto, tamquam imago propositus, tamquam animata lex, veluti regula, ac norma bene, recteq. viuendi. Huiusmodi quippe doctorem esse, necesse est. In sermone, inquit, vt facile instruere per doctrinam possit: in conuersatione, vt Ecclesiæ sit propositus ad imitandum: in ceteris virtutibus, ex quibus norma sumitur bene, beateq. viuendi. Attende tibiipsi, atque doctrinæ; hoc est, attende tibi, & reliquos doce; hoc enim faciens, & teipsum seruabis, & eos, qui te audiunt. Nam qui doctrinæ innutritur ministerio, prior sibi, inde alijs emolumenta conquirit: dum enim alios admonet, seipsum quoq; compungit. Vt profectus tuus manifestus sit omnibus, non modo in vitæ rectitudine ac sanctimonia, verum in sinceritate, atque vbertate doctrinæ.

15 Lib. 5. de sacerdotio. to mo 5. IDEM docet concionum auditores inepte garrire contra prædicatores, qui intertexunt suis concionibus, quæ ab alijs elaborata fuerint, vel si proprijs inuentis assidue vtantur, nec noua semper prædicent. Hic ergo generoso opus est animo, eoq. qui longe exiguitatem hanc superet, vt multitudinis voluptatem illam immoderatam, infructuosamq. compescat, possitq. illorum auditionẽ ad id, quod vtilius futurum sit, transferre, hac ratione, vt populum se sequentem, ac sibi obsecundantem habeat, non etiam vt ipse a populi desiderijs agatur. Id quod præstare nemo potest, nisi idẽ simul popularem auram aspernetur, simul dicendi vim obtineat. Quorum vtrumque nisi adfuerit, certe alterum alterius auxilio destitutum nulli vsui esse possit. Nam si is laudum titillationem forti animo contemnens, tamen non exhibuerit doctrinam sale ac gratia cõditam, fiet, vt a multis despicabilis habeatur, nullo prorsus lucro commodove ab animi magnitudine illa accepto. Rursum si dicendi partem optime præstare cum possit, a plausu, atq; aura populari vincatur, tum ipsi, tum multitudini, quæ audit, damnum, detrimentumq. idem propositum, hoc ipso quod laudum ille suarum desiderio captus ad auditorũ gratiam, magis quam vtilitatẽ dicendi vim exercet. Nam qui laudum desiderio trahitur, is cũ doctrina, eloquentiaq. sua multitudinem reddere meliorẽ possit, mauult certe, dũ laudes eas, quas a multitudine accepit, compensare cupit, ea in medium afferre, quæ auditores delectare possunt, his ipsis populares plausus captans. Infra: Prædicatorem necesse est absurdas deuorare criminationes, neq; præter modum vereri, ac reformidare, neq; rursus leuiter despicere cõuenit, sed te oportet, vt falsæ etiam existant, vt a plebeis ac contemptis hominibus in te contorqueantur, contendere eas statim vt extinguas. Nulla enim res alia magis famam auget vel bonam, vel malam, quàm vulgus incompositũ, vt quod citra omnẽ delectũ ac iudicium & audire, & eloqui cũ assuefecerit, id omne quidquid occurrerit tenore, ploquatur, nulla prorsus veritatis ratione habita. Quamobrem te non oportet vulgus ipsum cõtemnere, quin potius suspiciones prauas statim, atq; exortæ illæ fuerint intercidere, ac nihil prorsus omittere rerum earũ, quæ prauam de te opinionẽ delere

16

posſint. Sin vero omnia cum præstiterimus, noluerint, qui nos accusant, quiescere, tum demum cõtemnere eos licebit. Quandoquidem si quis ob dicta populi huiusmodi animo statim deijci cœperit, ne is nihil vnquam, quod generosum, admirandumq. sit parere poterit. Oportet igitur Episcopũ erga subditos affici, vt si pater erga liberos suos admodũ infantes afficeretur. Ac sicut illis nec cadentibus, nec lugentibus admodum laboramus, ac ne cũ nobis quidem ariserint, cristas tollimus, sic nos oportet neq; vulgaribus laudibus intumescere, neq; probris animum despondere, siquãdo ea intempestiue erumpere videas. Infra: Qui aliorum edocendorum prouinciã susceperit, ne de aliorum laudibus dependeat: quin orationes hoc consilio meditatus, vt Deo gratæ, atq; acceptæ sint. Laudatur is ab hominibus, laudes ne reijciat. Laudes ab auditoribus illi negantur, illas ne ambiat, neu magis indoleat. Quapropter eruiendus est is primum in laudum contemptu ac despicientia. Nam si a popularis aurę illecebris vinci se ille patiatur, necessario fiet, vt multis in rebus delinquat, vt qui cũ non posſit claros, illustresq. illos dicendo æquare, non recusabit alias illis insidias parare, inuidere, iniuste detrahere, multaq. alia id genus præter decorum cõmittere, quinimmo nihil non audebit, vt illorum gloriam ad suæ tenuitatis humilitatem deducat.

18 HIERONYMVS explicans verba illa; Confregit ad numerum dentes meos, inquit: Dentes aliquando prædicatores dicuntur. De sanctis enim prædicatoribus sponsæ dictũ est: Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro. Vnde & vni eorum ostensis in figura gentibus dicitur: Macta, & manduca; ideſt vetustatem earum contere, & in corpus videlicet Ecclesiæ, & tua membra conuerte.

19 IDEM explicans illa verba; Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus? dicit. Reuerti fulgura ideo appellantur, quia sancti prædicatores mittuntur a Deo, vt prædicatione Euãgelij mundum illumineſt, quibus Dominus ait: Vos estis lux mũdi. Et iterum: Posui te in lucem gentium, vt sis salus vsq; ad vltimum terræ, & in fine sæculi reuertentes cũ fructibus manipulorum suorũ veniẽt in exultatione, & dicent: Quinq; talẽta tradidisti mihi, ecce alia quinq; lucratus sum.

20 IDEM exponens verba illa; Eloquia Domini, eloquia casta, dicit: Vtriusque testamenti doctrinam in simul comprehendit. Tunc casta sunt si a bonis prædicatoribus incorruptibiliter prædicentur. Tunc erit istud, si quando prædicant, non parentũ prouocati amore, non potentum timore, nõ propter dona præsentia, non pro honore vano. Aliter qui fideliter sacram scripturam prædicant argentum igne examinatum, hoc est, Spiritu sancto probatũ. Non illi eloquia diuina probant, sed Spiritus sanctus illos illuminat, sicut in Isaia legimus, quando Angelus accepit calculum ab altari, & tetigit labia eius, dicens: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur.

21 AMBROSIVS explicãs verba illa; Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Beati, qui scrutantur testimonia eius, in toto corde exquirunt eum, sic habet: Quàm pulcher ordo, nõ prius, qui scrutantur testimonia eius, dixit, potuit enim conuenire secũdum litteram; sed prius, Beati immaculati in via. Ante enim vita, quàm doctrina quærenda est. Vita enim bona, & sine doctrina habet gratiã, doctrina sine vita integritatem non habet. In malevolam enim animam non introiuit sapiẽtia. Ideoq. ait: Quærent me mali, & non inuenient, quia improbitate cæcatur meritis oculus, & caligante tibi iniquitate mysteria profunda inuenire non potes. Primum ergo exercenda est vitæ militia, corrigendi mores, cum hæc instituerimus ad cursum debitum, vt sit offensionis correctio, puritatis gratia, tunc ad studia percipiendæ cognitionis veniamus suo ordine, & via. Nec vita sine cognitione, nec cognitio sine vita sit: vtrumque adsipulatur alteri. Ideoq. ait Scriptura: Seminate vobis ad iustitiam, vindemiate ad fructum vitæ, illuminate vobis lumen cognitionis. Non prius illuminate, sed seminate, nec solum seminate prius ad iustitiam, sed etiam vindemiate, inquit, ad fructum vitæ, & sic illuminate lumen cognitionis, vt perfectio non solum consitis, sed etiam receptis fructibus approbetur. In primo quoq; psalmo hunc ordinem tenuit, vt in via ambulandum doceret prius, & tunc in lege meditandum. Qui enim non abijt in consilio impiorum, vtique de pietatis via, & iustitiæ semita non recesſit, meritoq. in via ambulans beatus pronunciatur, & die ac nocte meditationem legis exercens, habet gratiam beatitudinis.

22 AVGVSTINVS explicans verba illa; Inclinabo in parabolam aurem meam, aperiã in psalterio propositionem meã, inquit: Quis est hic, cuius meditatio cordis loquitur intelligentiam, vt non sit in sola superficie labiorum, sed hominis interiora possideat? Quis est iste, qui audit, & sic loquitur? Multi enim loquuntur, quod non audiunt. Hi sunt, qui nõ faciunt, quæ dicunt: quales dicit Dominus Pharisæos sedere super cathedram Moysi. Voluit tibi loqui in cathedra Moysi per eos, qui ea loquuntur, & non faciunt, & tibi securitatem Dominus voluit dare. Nolite timere, quę dicunt, inquit, facite, secundum autem opera eorum nolite facere, dicunt enim & non faciunt. Non audiunt quod dicunt: qui vero faciunt, & sic dicunt, audiunt quod dicunt: quod & ideo fructuose dicunt, quia audiunt. Qui ergo dictor, & non auditor est, alteri prodest, & non sibi. Iste ergo, qui & auditor volebat esse & dictor, inclinabo, inquit, aurem meam, & tunc aperiam in psalterio propositionẽ meam. Antequã psalterium sonet, & tibi loquar per corpus (sic enim vtitur anima corpore, quomodo vtitur cytharista psalterio) primo

primo ego inclinabo in parabolã aurem meã, ideſt audiam quid tibi dicam.

23 In Ps. 103. concione 1. IDEM exponẽs verba illa; Qui facit Angelos suos spiritus, & ministros suos ignem flagrantem, ait: Spiritus hic dicimus spirituales. Bene facit Angelos spiritales, ideſt nũcios verbi sui. 1. Cor. 2. Spiritalis enim omnia iudicat, & ipse a nemine iudicatur. Vide spiritalẽ factum Angelum Dei. 1. Cor. 3. Non potui, inquit, vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus. De spiritali quadam affectione missus est ad carnales, tamquam Angelus de cælo ad terrã. Et ministros suos ignem flagrantẽ, hoc est spiritu feruentes. Sic enim feruent spiritu, ignis ardẽs est omnis minister Dei. Cũ audis, ignis est minister Dei, incensurũ illum putas? Incendat licet, sed fœnum tuum, ideſt carnalia omnia desideria tua, currat minister Dei prædicans verbũ Dei. 2. Cor. 6. Ardebat minister Dei Paulus, cum diceret: Os nostrum patet ad nos, o Corinthij, cor nostrũ dilatatum est. Ardebat, & flagrabat charitate, & ibat in eos, vt incenderet. Hunc ignem se missurum Dominus in terram dicebat, cum ait: Luc. 12. Ignem veni mittere in terram. Quomodo gladium, sic ignem. Gladius diuidit affectum carnalem, ignis absumit. Incipe feruere charitate per verbum quod audis, & vide quid in te fecerit ignis minister Dei. Matt. 10.

24 In Ps. 115. Phil. 1. 2. IDEM in expositione loci Pauli: Omnes sua quærunt, non quæ Iesu Christi: quos alio loco dicit, non ex veritate, sed ex occasione prædicare verbũ Dei, sic habet: Ex occasione prædicare, est non caste prædicare, ideſt nõ ex animo purę, & sincerę charitatis. Aliud enim sentiebant, quod in eorum moribus apparebat, & aliud prædicabant, vt sancto nomine placerẽt Roma. 16. hominibus. nã de his iterum dicit: Neq; enim isti Deo seruiunt, sed suo ventri, quos tamen Christum annunciare permittit. Illi nõ Christum annunciãt, qui annunciant falsitatẽ, quia Christus veritas est. De istis autẽ dicit, quod Christũ annuncient, sed non caste, ideſt nõ animo simplici & puro, ex fide sincera, quæ per charitatẽ operatur. Terrenis quippe cupiditatibus consulentes, regnũ cælorum annunciabant, habentes in pectore falsitatem, in lingua veritatem. Sciens itaque Apostolus etiam per Phil. 1. Iudã euangelizantem credẽtes esse liberatos, istos quoq; ita permittit. Siue inquit occasione, siue veritate Christus annuncietur. Veritatem quippe annunciabant, etiãsi non veritate, ideſt non vero animo. Isti loquuntur quod nõ credunt, & ideo reprobati sunt, quãuis sint vtiles eis, quos instruit Dominus. Sunt autẽ alij, qui credunt, & nõ loquuntur quod credunt, vel pigritia, vel timore. Nam & ille seruus, quamuis talentum habuerit, tamen quia erogare no Matt. 25. luit, audit a Domino iudice: Serue nequã, &c. Seruus autem fidelis ille est, qui nec antequam credat loquitur, nec cum crediderit tacet: vel sic erogat, vt ipse non habeat, vel quod habeat non erogando non habeat.

25 In Ps. 121. IDEM explicans verba illa; Propter fratres meos, & proximos meos loquebar pacem de te, ait: Ego loquebar pacem de te. Sed quare? Propter fratres meos, & proximos meos, non propter honorem meũ, non propter pecuniam meã, non propter vitã meam, sed loquebar pacẽ de te propter fratres meos, & propinquos meos. Propter domũ Domini Dei nostri quæsiui bona tibi. Non propter me quęsiui bona tibi, nam non tibi quærerem, sed mihi, ideo nec ego haberem, quia non tibi quærerem, sed propter domum Domini mei, propter Ecclesiam, propter sanctos, propter peregrinos, propter inopes eius, vt ascendant, quia dicimus eis, in domum Domini ibimus, propter ipsam domum Domini mei quæsiui bona tibi.

26 Lib. 6. Moral. cap. 17. to. 2. GREGORIVS exponẽs illa verba; Ingredieris in abundantia sepulchrum, dicit. Sepulchrum est cõtemplatiua vita, quæ nos quasi ab hoc mũdo mortuos sepelit, dum a terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit. Actiua quoq; vita sepulchrũ est, quia a prauis nos operibus mortuos tegit. Perfectus ergo prædicator est, qui propter contemplationis studium operanda non negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda nõ postponit. Hinc est, quod Abraham coniugẽ mortuã in sepulchro duplici sepelit. Gen. 23. Quia nimirũ perfectus prędicator extinctã a presentis vitæ desiderijs animã suam sub bonę operationis tegmine, & cõtemplationis abscondit, vt a carnali cõcupiscentia sub actiua, cõtemplatiuaq. vita quasi insensibilis caleat, quæ prius mundi desideria sentiens mortaliter viuebat. Hinc est, quod Dñs per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studiũ in nocte pernoctat, vt perfectis prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuã vitã amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant. Speculando quippe in Dei amorẽ surgitur, sed prædicando ad proximi vtilitatẽ reditur. Vnde apud Moysen, dũ in sacrificio vacca mactatur, offerri cũ hyssopo, lignoq. cedrino bis tinctus coccus prę cipitur. Vaccã quippe mactamus, cũ carnem a Num. 19. lasciuia suæ voluptatis extinguimus. Quã cum hyssopo, lignoq. cedrino, ac cocco offerimus, quia cũ maceratione carnis, sacrificium fidei, spei, & charitatis adolemus. Sed bis tinctus, coccus offerri præcipitur: vt videlicet ante interni iudicis oculos, charitas nostra, Dei, & proximi dilectione coloretur: quatenus conuersa mens, nec sic pro amore Dei quietem diligat, vt curam proximi, vtilitatemq. postponat: nec sic pro amore proximi occupationi inseruiat, vt quietem funditus deserens, ignem in se superni amoris extinguat.

27 Lib. 29. Moral. cap. 11. IDEM explicans verba illa: Nũquid thesauros grandinis aspexisti, quæ præparaui in tempus hostis, & in diem pugnæ, & belli, dicit: Thesauros grandinis in diem pugnæ præparatos vocat prædicatores, qui cum antea frigidi essent, conuersi sunt ad Dominum. Vnde alias scriptum est: Præ fulgore in cõspectu eius nubes Psal. 17.

bes transierunt, grando, & carbones ignis. Præ fulgore in conspectu eius nubes transierunt. Quia prædicatores sancti vniuersa mundi spatia miraculorum claritate percurrunt. Qui etiam grando, & carbones ignis vocati sunt, quia & per correptionem feriunt, & per flammam charitatis accendunt. Ipsa quoque libera sanctorum increpatio natura grandinis conuenienter exprimitur. Grando enim veniens percutit, liquata rigat. Sancti autem viri corda audientium & terrentes feriunt, & blandientes infundunt. Feriunt quãdo virtutem terribilium Domini dicunt, & magnitudinem eius narrant. Blandientes rigant, quando memoriam abundantię suauitatis Dei eructant.

Psal. 144.

28 Homil. 3. in Ezech. to. 2.

IDEM exponens verba illa de animalibus sanctis: Et scintillæ quasi aspectus æris candentis, dicit. Æris metallum valde sonorum est. Et recte voces prædicantium æri comparantur, quia in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Bene autem æs candens dicitur, quia vita prædicantium sonat, & ardet: ardet enim desiderio, sonat verbo. Æs ergo candens est prædicatio accensa. Sed de candente ære scintillæ prodeunt: quia de eorum exhortationibus verba flammantia ad aures audientiũ procedunt. Recte ergo prædicatorum verba scintillæ appellatæ sunt, quia eos quos in corde tetigerint, incendunt. Considerandum quoque est, quod scintillæ subtiles sunt valde, & tenues, quia cum prædicatores sancti de cælesti patria loquuntur, non tantum valent aperire verbo, quantum possunt ardere desiderio. Et ex eorum lingua quasi quædam ad nos scintillæ veniunt, quia de cælesti patria in eorum voce vix tenue aliquid cognoscitur, quod tamen ab eis non tenuiter crematur. Candens ergo æs scintillas proijcit, quando vix tenuiter prædicator loqui sufficit hoc, vnde ipse fortiter ignescit. Diuina autem pietate agitur, vt ex ipsis scintillis tenuissimis audientis animus inflammetur: quia sunt quidam, qui dum parua audiunt, maiore desiderio replentur: & inde perfecte in Dei amore ardẽt, vnde vix tenuissimas verborum scintillas acceperunt. Infra: Et manus hominis sub pœnis corũ. Quia sancti prædicatores debent habere virtutem operis sub volatu contemplationis.

Psal. 18.

29 Hom. 11. in Ezech.

IDEM explicans verba illa; Fili hominis speculatorem dedi te domui Israel, ait: Nota quod eum, quem Dominus ad prædicandum mittit, speculatorem esse denunciat. Cui enim aliena cura committitur, speculator vocatur, vt in mẽtis altitudine sedeat, atq; vocabulum nominis ex virtute actionis trahat. Non est enim speculator, qui in imo est. Et quisquis populi speculator ponitur, in alto debet stare per vitam, vt possit prodesse. Hinc propheta alius speculatorem admonet, dicens: Super montem excelsum ascende tu, qui euangelizas Sion. Vt videlicet qui prædicationis locum suscipit, ad altitudinem bonæ ascendat actionis.

Isa. 40.

Ad excelsa transeat, & eorum, qui sibi commissi sunt, opera transcendat, vt subiectorum vitam tanto subtilius videat, quãto & terrenis rebus, quas despicit, animum non supponit. O quàm dura mihi sunt ista, quę loquor, quia me metipsum loquẽdo ferio, cuius neq; lingua, vt dignũ est, prædicationem tenet, neq; inquantũ tenere sufficit, vita sequitur linguam. Ecce sermo Dei de speculatoris vita compellit, vt loquar: tacere nõ possum, & tamen loquẽdo me ferire pertimesco. Dicã, dicã, vt verbi Dei gladius etiã per meipsum ad configendũ cor proximi transeat. Dicam, dicã, vt etiam cõtra me sermo Dei sonet per me. Quis ergo, vel qualis speculator sum, qui nõ in monte operis sto, sed adhuc in valle infirmitatis iaceo? Esse speculatoris vita & alta debet semper, & circũspecta. Ne enim terrenarum rerũ amori succumbat alta sit, ne occulti hostis iaculis feriatur, ex omni parte circumspecta. Neq; enim speculatori sufficit, vt alte viuat, nisi & loquendo assidue ad alta auditores suos pertrahat, eorumq. mentes ad amorẽ cælestis patriæ loquendo accẽdat. Sed tũc hæc recte agit, cũ lingua eius ex vita arserit. Nã lucerna, quæ in semetipsa non ardet, eam rem, cui supponitur, non accendit. *Ioan. 5.* Hinc enim de Ioanne veritas dicit: Erat Ioannes lucerna ardẽs, & lucens. Ardens videlicet per cæleste desiderium, lucens per verbum. Vt ergo seruetur veritas prędicandi, teneatur necesse est altitudo viuendi. Vnde in Canticis dicitur: Nasus tuus sicut turris libani. Per nasum semper odores, fœtoresq; discernimus: vnde per nasum speculatorum discretio designatur. Qui nimirum nasus, & sicut turris esse, & libani dicitur, quia præpositorum discretio, & munita semper esse debet ex circũspectione, & in altitudine vitę consistere, ideſt, in valle infirmi operis non iacere. Sequitur: Et exaudies ex ore meo verbum, & annunciabis eis ex me. Monetur propheta ne præsumat loqui, quod non audierit, sed prius aurem cordis aperiat voci Creatoris, & postmodum os sui corporis aperiat auribus plebis. Vnde propheta alius dicit: Inclinabo in parabolam aurem meam; *Psal. 47.* aperiam in psalterio propositionem meam. Infra: Pensare debet doctor, quid loquatur, quando loquatur, qualiter loquatur, & quantum loquatur.

Cant. 7.

31 Hom. 21. in Ezech. *Hiere. 11.*

IDEM loquens de prædicatoribus, qui in cõcionibus laudem transitoriam quærunt, adducit locum Hieremiæ: Oliuam vberem, pulchram, fructiferã, speciosam vocauit Dominus nomẽ tuum. Ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, & speciosam Dominus vocat, cuius vel efficaciam in operatione, vel sancta studia in verbis scientiæ approbat. Sed ad vocem loquelæ grandis exarsit ignis in ea, quia cum laudari quis cœperit, erubescit forte minor videri, quàm dicitur. Vox enim grandis loquelæ est fauor adulantis. Ad vocem ergo loquelæ grãdis exarsit ignis in ea, quia in magnitudine fauoris

fauoris flamma in corde accenditur de amore laudis. Sed omnia oliuæ fruteta comburuntur, quia ante Dei oculos, vel quæ bene gesta, vel quæ scienter sunt dicta depereunt, cum iam non amore Domini, sed intentione transitoriæ laudis fiunt. Infra: Magna cõsideratione debemus pensare, quod scriptum

3. Reg. 2. est: Quia in vasis templi inter coronas, & plectas, boues, & leones, & cherubin exculpta sunt, & subter boues, & leones lora dependentia. Coronæ quippe signum victoriæ, plectæ autem cõcordiæ vnanimitatem significant. Cherubin vero plenitudo scientiæ dicuntur. Doctores enim inter coronas, & plectas, ideſt, inter fortitudinẽ boni operis, quo ad victoriam currunt, & charitatis concordiam, quo a se vicissim nõ discrepant: per boues, & leones, atque cherubin designati sunt, quia in plenitudine scientiæ, quam habent, necesse est, vt & bouum mansuetudinem teneant, & feruorem leonum, quatenus in disciplinam quam prædicãt, & ex sancto zelo accensi sint, & ex paterna dulcedine tranquilli. Quibus subter se lora dependeant, vt disciplinæ suæ retinacula, quibus ipsi ligati sunt, etiam subiectis suis sollicite impendant. Super eos enim lora dependere, est custodiæ vincula subditis tenere, quæ tũc recte seruantur, cum nec boum mansuetudo in zeli feruore amittitur, nec leonum terror in mansuetudine declinatur.

32 Lib. 3. ca. 5. expoſit. c. 7. 1. lib. regũ.

IDEM explicans verba illa; iudicauit Samuel Israelẽ omnibus diebus vitæ suæ, inquit. Qui sunt dies vitæ vniuscuiusq; doctoris, nisi virtutum spiritalium claritates? Omnibus nãque diebus vitæ suæ Israelem iudicat, qui lucẽ iustitiæ, quam loquendo asserit, ad subditorum fidelium exemplum perfectione representat bonæ conuersationis. Qui autem virtutum spiritalium lucem non habet, quia ad docendũ

Hiere. 23. assumit bona conuersationis extraneæ, diebus profecto iudicat vitæ alienę. De quibus per prophetam Dominus, dicit: Ecce ego ad prophetas, qui furantur verba mea vnusquisque a proximo suo. Verba quippe furantur, qui bonum quod docendo prædicant, operando non sequuntur, quia veluti clam de alieno tollunt, quod dato proprij laboris pretio suum nequaquam faciunt. Perfectionis viam prædicator male insinuat, si lucis iter voce volẽs pandere, actione tenebrescat. Nam qui cunctos vitæ

Rom. 15. suæ dies ad iudicandum Israelem contulerat, dicit: Non audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Deus, in obedientia gentiũ, verbo, & factis. Infra: Erat domus Samuelis in Ramatha, quæ interpretatur visio consummata. In Ramatha Samuel reuertitur, cũ mens prædicatoris per amorem cælestium releuatur, nam inter officij sui onera tam immensa corruerat, si ad amorem cælestium per spei suæ desiderium non rediret. Et ibi Israelẽ iudicant, quia supernæ patriæ pulchritudini, quam in mente retinent, fideles subditos facere conformes, prædicando student. Doctor in Ramatha altare Domino ædificat, cum subditorum merita in cælo locat, & dum quotidiano eius studio electæ animæ ad cælestia regna conscendunt, velut ad structuram superni altaris lapides mittuntur. Valde enim otiosum est doctoris studium, si per hoc quod ab illo in terris agitur, cæleste ædificium non augetur.

33 Lib. 4. in c. 9. 1. lib. Regũ. cap. 4.

IDEM exponens illa verba; Et comedit Saul, cum Samuel in die illa, & descenderunt de excelso in oppidum, & locutus est Samuel cum Saul in solario, sic habet. Qui ad celsitudinem curæ pastoralis assumitur, in eadem ordinis sui sublimitate habere debet & vitæ propriæ altitudinem, & alienę infirmitatis compassionẽ. Ascendat ergo Saul cum Samuele, descendat in oppidum. Sciat rector quæ agat alta, sciat quę disponat communia. In excelso est rector, cum

1. Cor. 2. sapientiam loquitur inter perfectos. Carnalia quando disponit, descendit in oppidum, dicẽs:

1. Cor. 7. Propter fornicationem vnusquisque vxorem habeat, & vnaquæque virum. In oppidum descendit, quia loquens ait: Factus sum infirmis

1. Cor. 9. infirmus, vt infirmos lucrifaciam, omnia omnibus factus sum, vt omnes facerem saluos. Samuel ergo Saul ad excelsum tulit, & in oppidũ deposuit, quia summi viri cum sanctæ Ecclesiæ culmem ordinant, illos, quos in eodem culmine ponunt, docent sublimiter viuere, plana prędicare: sibi esse rigidos, sed subditis temperatos: sic attendere propriæ saluti, vt cum infirmis possint infirmari per affectum mentis, non per languorem internæ ægritudinis. Nam si per mentis languorem doctor iacet, curare ægros, & iacentes erigere non potest.

34 Serm. 44. in cantica.

BERNARDVS explicãs verba illa; Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi, dicit: Si quis frater in aliquo delicto præoccupatus fuerit, vir Ecclesiasticus, qui hunc spiritum iam accepit, curabit huiusmodi mox in struere in spiritu lenitatis, cõsiderans seipsum, ne & ipse tentetur. Quia vero vulnera illius,

Lucæ 10. qui incidit in latrones non in solo oleo, sed in vino sanitatem receperũt, necessariũ habet spiritualis medicus etiam vinum feruidi zeli cum oleo mansuetudinis. Cui sane conuenit, non modo consolari pusillanimes, sed & corripere inquietos. Si enim viderit illum, qui vulneratus est, qui peccauit, blandis, aut lenibus hortamentis, quę in eum prærogata sunt, mini me emendatum, magis autem abutentem forte eius mansuetudine, negligentiorem fieri frustrato oleo tam suauium monitorum, oportebit sane mordacioribus vti medicamentis, & vinum compunctionis infundere, duris increpationibus agere. In botro cypri vinum intelligitur: nam illa insula ferax est vini optimi.

35 Hom. 62. in cantica.

IDEM exponens illa verba; Vox enim tua dulcis, & facies tua decora, sic inquit. Quãtum sponso placeat, cum puritate mentis prædicatio veritatis, ostendit, cum dicit: Vox enim tua dulcis. Quia enim non placeat vox, si displiceat facies, demonstrat, cum illico subdit, & facies tua decora. Quid internæ decor faciei, nisi puritas? In pluribus hæc absque prædicationis voce cõplacuit, illa absque ista in nemi-

ne.

ne. Impuris non se ostendit veritas, non se credit sapientia. Quid ergo loquuntur, quam non
Ioan. 3. viderunt? Quod scimus, inquit, loquimur, & quod vidimus testamur. Id ergo tu audes testari quod non vidisti, & loqui quod ignoras? Vanũ est vobis ante lucem surgere. Lux est puritas, lux charitas, quę non quęrit, quę sua sunt. Hæc præcedat, & pes linguæ in incerto non ponitur. Non est, quod se veritas deneget intuendam puro cordi, ac per hoc nec eloquendam.
Psal. 49. Peccatori autem dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meũ per os tuum? Multi puritate neglecta, ante loqui quam videre conati sunt, & aut grauiter errauerunt nescientes de quibus loquerentur, aut turpiter viluerũt, dum qui alios docerent, seipsos non docuissent.

Prælati negligentes, superbi, acceptatores personarum, & delitiosi taxantur, quos tamen honorare debent subditi.
Cap. XXX.

1 Hom. 57. in ca 31. Gen. to. 4.

CHRYSOSTOMVS memorãs quę gesserat Iacob in cura gregis Labã, quomodo æstu vrgebat, & gelu, fugiebatq. somn° ab oculis eius, inquit. Vidisti pastoris vigilantiam, vidisti intentum studium? Qualem excusationem habebunt hi, quibus rationales greges crediti sunt, & magnam præ se ferunt negligentiam, & quotidie, iuxta prophetam, pecudes alias mactant, alias a bestijs captas contemnunt, alias vero ab alijs raptas reducere non curant, tametsi minor sit labor, & cura facilis? Quis nunc dicere potest, factus sũ die adustus æstu, & gelu nocte, & discedebat somnus ab oculis meis? Quis est qui propter eos, quos pascit tot ferat labores, & pericula? Paulo soli licet hæc, & his maiora
1. Cor. 11. dicere. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror? O pastoris dilectionem indulgentissimam! Alienæ ruinæ meos dolores augent, aliena scandala fornacem doloris mei succendunt. Hunc omnes imitentur, quibus rationales oues concreditæ sunt, & ne deteriores fiant hoc, qui tantę in brutis pecudibus custodiendis vigilatiæ fuit, idq. tot annorum numero. Et illic quidem si incuria quædam accidat, nullum damnum, hic autem, si ouis rationalis perierit, vel a bestia fuerit capta, graue damnum, ineffabilis pœna. Nã si Dominus sanguinem suum proprium effundere pro illa non declinauit, qua venia dignus fuerit, qui sic honoratam a Domino despicere voluerit, & non omnia, quæ potest in curanda ouicula adhibere pleuerit?

2 Hom. 73. in c. 23. Matt. to. 2.

IDEM exponens illa verba; Dicunt enim & non faciunt, dicit: Criminandi sunt omnes, qui legem transgrediuntur, sed maxime omnium, qui pastoris fungitur autoritate, condemnatur, quia transgreditur. Deinde cum in corrigendis alijs ipse claudicat, propter dignitatem, quam gerit, maiore dignus supplicio est. Tertio quia cum ceu doctor præsideat, nequitia sua facile ceteros corrumpit. His autem reprehensionem adiungit: quoniam austeros se nimium gerant aduersus reos. Ligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere. Duplicem hic nequitiam eorum ostendit, tum quia, sine venia exquisitissime multitudinem viuere, volunt, tum quia nimiũ, sibi ipsis indulgentes magnam assumunt licentiã. Quorum opposita in optimo principe requiruntur, vt scilicet aduersus se ipsum nulla vtatur venia, sed seuerum in se iudicem exhibeat, erga subiectos autem mitior, & ad dandam veniam pronior sit, quorum opposita isti faciebant. Et vt scelus augeat, non dixit, non possunt, sed nolunt, nec portare, aut ferre, sed digito mouere, hoc est, nec prope accedere, nec tangere volunt, sed diligentes atque robusti inprohibitis sunt. Dilatant philacteria, & magnificant fimbrias. Quoniam facile beneficiorum Dei obliuiscebantur, idcirco signa sua Deus in libellis breuissime conscribi, & manibus eorum appendi iussit. Vnde dictum est: Deut. 6.
Nec remouebuntur ab oculis tuis. Hæc philacteria quasi quædam custodientia vocabant, sicut modo multæ mulieres faciunt, Euangelia ex collo dependentes: & vt aliunde in memoriam reducantur, quod obliuiosi crebro facere solent filo digitum strictius ligantes, id Deus ceu infantulis cito iussit facere. Hyacinthinũ Num. 15.
enim filum in extremitate vestis, quæ ad talos est, assui præcepit, vt attentiore cura mandatorum recordarentur: hanc fimbriam appellant. In his igitur rebus diligentiores, ligacula, quibus libelli dependebant, latiora, & fimbrias maiores faciebant, quod ex inani gloria proficisci videbatur.

3 Lib. 2. in ca. 3. Isai. to. 5.

HIERONYMVS explicans verba illa; Vos enim depasti estis vineam meam, & rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit. Verba hęc, quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, siue cõfunditis, manifeste ad principes dicit Iudeorũ. Sed & ad nostros principes referri potest, si atterant subiectam sibi plebem, & pauperes delinquentes publice arguant, atque confundãt: diuitibus autem peiora peccantibus, ne nutũ quidem facere audeant. Et rapina pauperum in domibus eorum est, quando replent thesauros suos, & Ecclesiæ opibus aburuntur in delicias, publicasq. stipes, quæ ad sustentationem pauperum datæ sunt, vel sibi reseruant, vel propinquis distribuunt, & alienam inopiam suas suorumq. faciunt esse diuitias.

4 Lib. 11. in c. 34. Ezech.

IDEM in expositione illius loci: Væ pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos: nũquid pascunt pastores semetipsos? sic habet. Væ pastoribus Israel, qui cum gregem Domini pascere debeant, & saluti illius prouidere, pro sua festinant luxuria. Vnde magnopere cauendum est,

Ezech. 7. est, quod dicitur: Noli velle fieri iudex, nisi valeas irrumpere super iniquitate. Et rursum ducem te constituerunt, ne eleueris, sed esto inter
Ibi. 22. eos, quasi vnus ex illis. Quodq. sequitur: Lac comedebatis, & lanis operiebamini, per metaphoram pastorum ad principes loquitur: de quibus & in alio loco scriptum est. Qui deuorant plebem meam, sicut escam panis. In lacte
Psal. 52. omnes escas intellige, in lanis multiplicem vestium varietatẽ. Quod autem dicitur, & quod crassum erat occidebatis, de diuitibus populi loquitur, quos mali principes in Ecclesijs iugulare narrantur, dum eos prædicant, & vitia
Isa. 3. eorum increpare non audent. De quibus, & propheta dicit: Populus meus, qui beatos vos dicunt seducũt vos, & semitam pedum vestrorum supplantãt. De quibus, & Iacobus loqui-
Iacob. 2. tur, quòd cum ingressi fuerint ad eos preciosis circundati vestibus, & annulo aureo, honorantur ab eis: & sanctis pauperibus dicitur, tu autem sede in scabello pedum meorum. Isti,
5 quod infirmum est, non confortant, siue consolidant. Vnde Paulus: Suscipite infirmos, & infirmum in fide assumite. Et quod fractum est, ait, non alligant, nequaquam mortalia in populis considerantes vulnera. Et quod abiectũ est, siue quod errare viderint, non reducunt, permittentes eos ab hereticis decipi. Et quod perierit, non requirunt, non tam perditos saluare cupientes, quàm eos, qui sunt in Ecclesijs, deuorare, sed cum austeritate imperantes eis, & cum potentia: quod proprie ad supercilium episcoporum pertinet: eorum videlicet, qui operibus dedecorant nominis dignitatem, & pro humilitate assumunt superbiam, vt honorem se putent consecutos, non onus. Et dispersæ sunt oues meæ, eo quòd non esset pastor, Pastor bonus, qui poneret animam suam pro ouibus suis, sed omnes mercenarij, qui lucra tantum de gregibus considerant, & cum lupum viderint, fugiunt. Quorum negligentia grex Domini deuoratur a bestijs agri: de quibus scriptum est: Posuisti tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ agri, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant a Deo escam sibi. Et dispergũtur, & errant in cunctis montibus, qui eleuantur contra scientiam Dei, & super omnem faciem terræ dissperguntur, terrena, & non cælestia requirentes. Et non erat, qui requireret, nec qui reduceret: quia delicijs occupati, gregis Dominici damna non curant. Ad hos dicit: Ecce ego ipse ad pastores veniam, & requiram gregem meum de manu eorum. Quibus expedit, vt mola asinaria alligetur ad collum, quàm vt minimum scandalizent de populo meo. Et hęc erit eorum pœna, vel maxima, vt vltra non pascant gregem meum, ne sub occasione ouiũ se ipsos pascant, & opes congregent. Requiram, inquit, de manu, & liberabo de ore, quod auidis faucibus deuoratur. Cum autem requierit oues, visitat eas quàsi ægrotantes, atque macilentas, & pastorum negligentia dissipatas.

6 Lib. 3. in ca. 8. Amos. t. 6

IDEM explicans illa verba: Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenum terræ, dicẽtes: Quando transibit mensis, & venundabimus merces, & sabbatum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, vt possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquilias frumenti vendamus, ait. Hæc peruersos doctores, & principes, qui absque Dei timore dominantur cleris, de quibus Hieremias Hiere. 23.
loquitur: Cleri eorum non proderunt eis, non numquam facere cernimus: qui putant quæstum esse pietatem, & sedentes in templo nummularij proponunt columbas non in cabeis, sed in cathedris quasi magistri, spiritus sancti dona vendentes, qui faciunt mensuram minorem atque maiorem, vt pauperibus, vel parum vel nihil: diuitibus autem, & his, de quibus sectantur lucra in modum concionatorum loquantur sermone longissimo, & propter pecuniam conferant capita pauperum, atque conculcent: & non frumentum Domini, quod confirmat cor hominis, sed quisquilias, & vilissimum puluerem auidis faucibus ingerant, etiã hæc, quæ nullius sunt precij, venditantes, cum Dominus Apostolis præceperit: Gratis accepistis, gratis date. Matt. 10.

7 In c. 3. Nahum. Psal. 131.

IDEM explicans verba illa; Dormitauerunt pastores tui rex Assus, sepelientur principes tui, dispersus est populus tuus super montes, & non est, qui congreget, sic habet. Dormitauerunt pastores tui, dederunt enim somnum oculis suis, & palpebris suis dormitationem. Et propterea non inuenerunt locum Domino, neque tabernaculum Deo Iacob. Nec audierunt de Ephrata, idest, frugifera Ecclesia, nec inuenerunt eam in condensis syluarum. Non solum pastores dormitauerunt, sed a rege quoque Assyriorum sunt consopiti. Scit enim rex Assyrius non posse se decipere oues, nisi pastores ante consopierit.

8 Lib. 3. in ca. 11. Zacha.

IDEM exponẽs illa verba; Pastor, & idolum relinquens gregem, gladius super brachium eius, & super oculum dextrum eius, brachium eius ariditate siccabitur, & oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur, inquit. Tam sceleratus est pastor, vt non idolorum cultor, sed ipse idolum nominetur, dum vult ab omnibus adorari, qui dereliquit gregem a bestijs deuorandum, quem Dominus tanto tẽpore custodierat. Gladius Domini super brachium eius, & super oculum dextrum illius erit, vt robur eius, & omnis iactantia fortitudinis eius ariditate siccetur, & scientia, quam sibi falso nomine promittebat æternis tenebris obscuretur; hęc de antichristo intelligũtur.

9 In c. 1. Mal.

IDEM explicans verba illa; Offertis super altare meum panem pollutum, dicit. Corripit sermo diuinus episcopos, & presbyteros, & diaconos negligentes in eo, quod offerant super altare Dei pollutum panem. Polluunt autem panem, idest, corpus Christi, quando accedunt ad altare, & sordidi mundum sangui-

nem

nem bibunt. Possumus & aliter dicere. Doctor Ecclesiæ, qui spirituale conficit panem, & cum populis diuidit, si vel propter humanam gloriã, vel lucra sæculi, quę gloriam consequũtur, lo quatur in populis, & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores, & iuxta Iacobum suscipiat eos, qui cum anulis aureis ad se veniunt, panperes sanctos repellat, nomen Dei despicit, & panem polluit doctrinarum. *Iacobi 2.*

10 IDEM in expositione illius loci: Propter quod & ego dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciem in lege, inquit. Dedi vos contemptibiles, & humiles omnibus populis, vt vos contemnerent, & pro honore, & gloria, quasi deiectos humilesq. calcarent. Sicut non seruastis vias meas, & accepistis faciẽ in lege. Inter omnia peccata Leui, siue eorum, qui ex Leui sunt, sacerdotum Dei illud, & vltimum, & maximum ponitur. Quare accipiant faciem in lege, vt non causas, sed personas considerent, iustumq. & pauperem despicientes, iniquos diuites suscipiant, & honorent, ad quos in Psalmo dicitur. Vsque quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis? Et Paulus ad Galatas, Deus personam hominis non accipit. Plenius q. Apostolus Iacobus hoc peccatum arguit atque cõdemnat. Quidquid autem priori populo dicitur, etiam nobis dictũ putemus, vt cautiores recedamus a vitijs, & faciem non suscipiamus in lege. *In c. 2. Mal. Psal. 81. Galat. 2. Iaco. 2.*

11 GREGORIVS exponens verba illa; Puer Samuel erat minister in conspectu Domini ante faciem Heli, sic dicit: Quidam prælatorum sanctæ Ecclesiæ magisterio subditi rudes obediunt, sed cum paulo altius per conuersationem proficiunt, in eadem obedientiæ humilitate nequaquam persistunt. Quos bene Agar ancilla significat, quæ cum de Abraham viro eius concepisse se vidit, dominam despexit. Agar quippe concipit, quando reproba mens subditi aut per eruditionem scientiæ se proficere, aut per vitæ conuersationem credit. Quæ profecto prægnãs dominam suam despexisse dicitur, quia iam præsidenti, sibi præpositi sui voluntati per obedientiam subdi dedignatur. Sed quæ dominam despicit, ancilla esse perhibetur: quia superbi subiecti, & infirmi sunt per elationẽm, & ad filiorum Dei numerum non pertingũt. Infra: Ecce enim Heli aperta Dei sententia de negligentiæ suæ perpetrata culpa reprehenditur: sed puer Samuel coram eo ministrare Domino memoratur, vt profecto apud se colligat qualis sit, qui in leuiori culpa sibi prælatum despicit, si ei se Samuel obediendo subdidit, quem omnipotens Deus sui examinis tanta districtione reprobauit. Rector peccantem subditum, nisi correptum honorare debet: subiectus autem, nec tunc prælatum despicere, cum se iustum, & illum agnouerit peccatorem, quia æternus iudex subditorum iudicium sanctæ Ecclesiæ rectoribus tribuit, sed eosdem rectores discutiendos suo examini reseruauit. *Lib. 2. ca. 4. expositio. in c. 2. 1. lib. Reg. to. 2. Gen. 16.*

12 BERNARDVS scribens Romanę curię, quando elegerunt abbatem sancti Anastasij in Papam Eugenium, inquit: Postquam oneris magnitudinem, ingensq. periculum enarrauit, damnumq. ab electoribus illi illatum in impositione tanti muneris, nisi dominus supponat manum suam, heu, necesse est obruatur, & opprimatur onere insueto, & nimio, quod & gigantinis (vt aiunt) vel ipsis quoque angelicis humeris formidabile videatur. Verum tamen quia sic factum est, & vt multi dicunt a Domino factum est, vestra interest charissimi vestris feruentibus studijs fidelibusq. obsequijs solicite confoueri, quod vestris manibus constat elaboratum. Si qua ergo consolatio in vobis, si qua virtus charitatis in Domino, si qua miseratio pietatis, si qua compassionis viscera, assistite, & collaborate illi in opere, ad quod assumptus est per nos a Domino. Quæcumque sunt vera, quęcumque pudica, quęcumque iusta, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, hęc ei suggerite, hæc suadete. *In epist. 236.*

13 IDEM dicit: Ego etsi iã nomẽ patris depo sui, cum tu de Bernardo factus es Eugenius, sed nõ deposui timorẽ, & anxietatẽ, postremo nec affectum, nec viscera patris. Considero gradũ, & casum vereor, attendo celsitudinem honoris, & e vicino periculum reformido, pro eo, quod scriptum est: Homo cum in honore esset non intellexit. Quod quidem ad causam magis, quàm ad tempus arbitror esse referendũ, vt sic intelligatur dictũ. Cum in honore esset, non intellexit. Ac si diceretur, honor absorbuit intellectum. Ascendisti in altum, qui elegeras abiectus esse in domo Domini, & recumbere in nouissimo loco. noli altum sapere, sed time, ne forte contingat sero miserabilem illam vocem emittere: A facie iræ indignationis tuæ eleuans allisisti me. Altiorem quippe locum sortitus es, sed non tutiorem. Terribilis, prorsus terribilis est locus iste. Locus in quo stas terra sancta est. Locus illius, quem constituit Dominus super familiam suam, & principem omnis possessionis suæ. Infra: Quis mihi det antequam moriar videre Ecclesiam Dei, sicut in diebus antiquis, quando Apostoli laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, vel auri, sed in capturam animarum? Confortare, & esto robustus, manus tuæ in ceruicibus inimicorum tuorum. In omnibus tamen operibus tuis memento te esse hominem, & timor eius, qui aufert spiritum principum, semper sit ante oculos tuos. Ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ, & citissimę decessionis admoneant, & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum nũciet tibi. *Epist. 237. quæ est ad Papã Eugenium. Psal. 48. Luc. 14. Psal. 101. 14*

* * *

Prælati

Prælati quales desiderandi sunt a plebe, & quod quandoq; adolescẽtes ad hæc munia non sunt inepti. Cap. XXXI.

1 CHRYSOSTOMVS ait: In hoc debet eniti rector, vt credita eroget, accepta dispenset, aperiat obscura, insistat fortiter, perseueret instanter. Meminerit se speculatorem esse cunctorum, vt ouibus pascuas salubres tribuat, agnis puri fontis vndas exibeat, exterminet ab ouibus lupos, ab agnis nociuas bestias excludat, vulneratos curet, errantes reuocet, ignaros instruat, erigat lapsos, generaliter omnes, specialiter singulos doceat, suæ vitæ prouocet vniuersos exemplo: sit eius doctrina duplex, vt verbis facta conueniãt, actus doctrinæ respondeãt, in nullo sit minor, qui cunctis est potior: sit cum authoritate humilis, cum humilitate sublimis: nec ideo sit melior, quia maior, sed ideo maior, quia melior. Multiplicet populos, & eos docendo meliores faciat quàm accepit. Sic sit, vt dum hominibus feruenter insistit, Dominũ sibi constituat debitorem. *Hom. 3. ex variis in Lucã. to. 2.*

2 IDEM disserens verba illa Pauli: Mundus sum a sanguine omnium, non enim subterfugi quominus annunciarem omne consilium Dei vobis, non cessani per tres annos die, ac nocte monere cũ lachrymis vnũquemq; vestrũ. Tale est munus prælatorũ de quibus etiã subdit: Attendite vobis, & vniuerso gregi. Vides duo præcepit, se corrigere, & alios? igitur neq; alios corrigere solum habet quiddã lucri: Timeo. n. inquit, ne alijs prædicãs ipse reprobus efficiar. Qui autẽ sui solius curã habet, & quæ sua sunt tantumquærit, similis est ei, qui talentum defodit: non quod præeligenda sit nostra salus gregi, sed quia quando nobis ipsis attẽdimus, tũc & grex lucrum habet. Infra: Mundus ego sum a sanguine omnium, hoc Paulo congruebat dicere, nos autem non audemus hoc dicere, multorum nobis conscij, eo quod ille semper vigilabat, & assistebat, & omnia pro salute discipulorum faciẽs sustinebat, nos autem hoc Mosi dicemus. Iratus est mihi Dñs propter vos, quia in multa peccata adduxistis etiã nos. Quando. n. mœremus videntes vos non proficere, nonne quod reliquum est virium nostrarum concidit? Credite mihi de salute mea desperaui, & res vestras deploraui, nõ vacat mea mala deplorare, adeo totus deditus sum vobis, & si sentio vos obtemperantes, præ gaudio nõ sentio mala mea, & si video minus obtemperãtes, præ dolore iterũ intermitto mea. Glorior in vestris bonis, etiã si ego plurimis grauer, & lugeo in vestris difficultatibus, etiam si multa bene agam. Quæ. n. spes doctori, grege corrupto? Qualis vita? Qualis expectatio? Cũ qua fiducia stabit ante Deum? Infra: Quãuis possem vobis dicere; Quid mihi curæ est, ego quod meũ est feci; ego mũdus sũ a sanguine: sed non sufficit hoc ad cõsolationẽ, si quidẽ liceret cor nostrũ disrũpere ac ostendere, videretis intus esse in magna latitudine vos omnes, mulieres; pueros, ac viros. Tanta. n. charitatis vis est, vt cælo latiorẽ faciat animã. Capaces nostri estote, dicebat Paulus: Neminẽ læsimus, nõ augnsti estis in nobis. Totã corinthũ habebat ille in corde suo, & dicebat: Dilatamini, & vos nõ angusti estis, sed ipse non posem dicere hoc. *1. Cor. 9. Act. 20. Exo. 32. 2. Cor. 7.*

3 IDEM explicans verba illa: Hoc præceptũ commendo tibi fili Timothee, vt milites in eis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, sic habet. Præcipit Deus, vt milites in illis bonam militiam, in his, quibus electus es, milita bonam militiam. Est enim, & militia mala, de qua alio in loco, ait: Sicut enim exhibuistis membra vestra arma peccato. Illi sub tyranno militant, nos æterno regi militamus. Cur aũt eã rẽ militiã vocat? Indicat profecto bellũ excitatũ esse vehemẽs, & atrox cũ ceteris tum maxime ei, qui doctoris fungitur munere. In quo nobis armis opus est validis, sobrietate scilicet, tẽperantia, precibus, perpetuisq. vigilijs. Vt in eis milites habẽs fidem, & bonã conscientiam. Magistrũ quippe prius oportet docere seipsum. Quemadmodũ. n. dux, nisi antea miles optimus fuerit, ne dux quidem esse aliquando poterit, ita & doctor. Habens bonam cõscientiã, vt sic ceteris preesse dignus possit. *Hom. 5. in ca. 1. epist. ad Timot. to. 4. Rom. 6.*

4 IDEM explicans verba illa; Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat: oportet autem episcopum irreprehẽsibilem esse, inquit. Si quis episcopatum idcirco appetit, non principatus ac dominationis fastu, verum cura regiminis, & charitatis affectu, non improbo, bonum enim desiderat opus. Episcopatus enim exeo dicitur, quod omnes inspiciat, cũctaq. speculetur. Cum autem eum dixit irreprehensibilem, omne genus virtutis expressit. Itaque qui sibi alicuius culpæ conscius est, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum se per opera fecit: non enim decet huiusmodi regere, sed potius regi: eum quippe, qui regendos alios suscipit, tanta decet gloria virtutis excellere, vt instar solis ceteros veluti stellarum igniculos in suo fulgore obscuret. Debet huiusmodi vitam habere immaculatam, vt omnes in illum, & in eius vitam veluti in exemplar aliquod excellens intueantur. Sobrium, inquit, atque vigilantem, hoc est clarissima mentis acie præditum, innumerosq. habentem omni ex parte oculos, quibus acutissime cuncta prospiciat. Debet sollicitudine, ac industria duces omnes superare, vt die noctuq. exercitum, & castra perlustret, laboret, & sui officij munus diligentissime impleat, ac omnium curam, & sollicitudinem gerat. Oportet episcopum non esse vinolentum. Quid sibi vult, quod de episcopo differens ipsum dixit futurum non ebrium, cum longe excellentiora pro celsitudine gradus exigere debuisse videatur? Cur enim non ait, oportet autem episcopum angelum esse, nullæ humanæ perturbationi, aut vitio subiectum? Cur *Hom. 10.*

non item magna illa Christi præcepta ab episcopo requirit, quę etiam subditis necessario ineſſe debent. I. circumferre crucem ſuam, atque in manibus habere animam ſemper pro fratribus exponendam? Ceterum his omnibus omiſsis, oportet, ait, non eſſe vinolentum. Preclara ſane ipes, ſi de huiuſmodi episcopum oporteat admoneri. Cur enim non dixit, oportet autem ipſum iam ex terra migrare, humaniſq. rebus cuadere celſiorem? Verum quæ ſæcularibus inſsit, ea episcopo implenda non iubet. Quid enim illis, ait? Mortificate membra veſtra, quę ſunt ſuper terram, & iterum: Qui autem mortuus eſt, iuſtificatus eſt a peccato: ac rurſum: Qui autem ſunt Chriſti carnem ſuã crucifixerunt. Et Chriſtus item: Niſi quis renunciauerit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Cur igitur, hæc in episcopo requirenda, non dixit? Quia per paucos huiuſmodi inueniri fas erat, episcopis autem plurimis tunc opus fuit, qui per ſingulas ciuitates magiſtri conſtituerentur. Ne igitur Eccleſiæ negotia, fructuſq. perirent, idcirco moderatam virtutem propoſuit inquirendam, nõ ſupremam illam, atque cæleſtem.

Coloſſ. 3. Rom. 6. Galat. 5. Luc. 14.

6 Homil. 15.

IDEM exponẽs illa verba cap. 5. Qui bene preſsunt preſbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime, qui laborant in verbo, & doctrina. Dicit enim ſcriptura bouẽ triturantibus non infrenabis. Cũ audis, non alligabis os bouis trituranti, vides quomodo vult laborare doctorem? non ſane eſt labor alius illi conferendus. Eũdemq. vocat mercenarium dignũ mercede ſua. Itaque ſi quis delicatus, aut remiſsus fuerit, dignus profecto non eſt. Niſi quis fuerit bos triturans, & contra gelu, & ſpinas iugũ ſuſtinens traxerit, neque ante diſceſserit, dignus non eſt. Ergo Eccleſiæ præſules, audentes dixerim, nil præter victum, & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio. Qui bene præſunt, inquit, Quid eſt bene præeſſe? Audi Chriſtum dicentem: Bonus paſtor animã ſuam dat pro ouibus ſuis. Bene igitur præeſſe hoc eſt, nulli parcere illorũ regiminis gratia. De his dixerat ſupra, vacat lectioni, conſiderationi, hoc enim faciens, & re ipſum ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. Hos maxime iubet honorari, cauſamq. addit dicens: Multũ enim laborem ſuſtinent. Eſt enim prelatus linguis innumeris propoſitus ad lacerandũ, alius culpat, alius laudat, alius detrahit, alius memoriã, alius cõpoſitionem in ius trahit, magnaq. illi conſtantia ad iſta tolleranda opus eſt. Multum etiam ad Eccleſiæ ædificationem confert, ſi præſules doctrinæ gratia polleant, quæ niſi adſit, plurima Eccleſiaſticę diſciplinę peribũt. Neq; vero eum ſermonẽ laudauerim, qui faſtu tumidus, externæ peritiæ iactantiã ſequitur, ſed qui virtutis ac ſucci habeat plurimum, qui ſenſibus grauis ſit, & ſapientia plenus.

Deut. 25. Ioan. 10. Supra 4.

7 Ser. 29. in ep. Pauli ad Romanos.

IDEM docet: Initium ſumendum a proximi dilectione, vt paſtor id muneris accipiat. Vnde Petro dicebat Chriſtus. Si diligis me paſce oues meas. Chriſtum enim diligens, & gregem illius vtique diligit. Et Moyſen tum primum ſuper populum Iudæorum poſuit, quando qua eſſet in illum benevolentia, re ipſa iam declarauerat. Dauid quoque ſimili modo regni ſuſcepit gubernationem, poſtea quã apparuerat, quàm amico eſſet in populum affectu. Ita quippe iuuenis adhuc, populi cauſa doluit ac zelauit, vt & animã ſuam exponeret, cum videret barbarum philiſteum, quem occidit. Et Samuel quoque amator populi erat: vnde dicebat. Abſit a me hoc peccatum, vt ceſſem pro vobis orare Dominum. Et Paulus multo plus omnibus ardebat erga ſubditos. Et Chriſtus optimi paſtoris canonem ferens dixit. Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Hoc Dauid fecit, maxime, cum ira Dei terribilis in populum ſæuiret. Dicebat enim. Ego qui paſtor ſum peccaui, & inique egi: illi qui grex ſunt, quid meruerunt? Propterea, & in optione ſuppliciorum illorum non famem elegit, non hoſtilem perſecutionem, ſed immiſſam a Domino mortem, per quam ſperabat alios quidem bene fore ſecuros, ſe vero ante reliquos omnes e medio tollendum. Hoc vero cum non fieret lamentando dicebat, in me ſit manus tua: ſi vero ad expiandum facinus non ſufficio, ſit & aduerſum domum Patris mei. Ego enim, inquit, qui paſtor ſum, peccaui, quaſi diceret: Etiã ſi illi peccaſſent, ego tamen, qui illos non correxi, ſupplicij reus eſſem. Quando vero meũ ſit hoc peccatum, ego vtique dignus ſum, qui pœnas luam. Amplificare ſiquidem crimen ſuum volens, paſtoris poſuit nomen. Ceſſauitq. ira Dei. tantum enim valet compaſsio optimi paſtoris, vellicabãtur quippe viſcera ipſius cadentibus illis, tãquam ſi genuini necarentur filij.

1. Reg. 17. Ibid. 11. 2. Reg. 24.

8 Lib. 2. de ſacerdotio. cap. 5.

IDEM inquit. Cum de Eccleſiæ præfectura agitur, prodeant in medium, qui longe omnibus præſtant, quique animi virtute tantum reliquos excellunt, quantum corporis magnitudine Saul Hebræorum gentem vniuerſam excellit; & multo etiam magis, quanta inter ſeſe differentia homines rationis vſum habentes, & bruta ratione carentia diſsident, tantum ſane diſcrimẽ inter eum, qui paſcit, & eos, q paſcuntur eſſe velim, vt ne maius etiã exigã.

9 Lib. 1. de pœnit. c. 1. to. 1.

AMBROSIVS docet, qua ratione ſacerdotes, & illi, quibus aliorũ cura eſt cõmiſſa, debẽt eſſe mãſueti. Etenim, qui ſtudet humanę infirmitatis emendare vitia, ipſã infirmitatẽ debet ſuſtinere, & quodãmodo pẽſare humeris nõ abijcere. Nã paſtor ille Euãgelicus laſsã oue ve xiſſe legitur, nõ abieciſſe. Et Salomõ ait; Noli Eccli. 7. iuſtus eſſe nimiũ. Debet.n. iuſtitiã tẽperare moderatio. Nam quomodo ſe tibi curandum prębeat, quẽ faſtidio dedas, qui cõtemptui ſe, non cõpaſsioni medico ſuo putet futurũ? Ideo Dominus Ieſus, compaſſus nobis eſt, vt ad ſe vocaret, non deterreret. Mitis clamabat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Reficit ergo Dñs, nõ excludit, neq; abijcit: meritoq. tales diſcipulos elegit, qui Dominicæ volũtatis interpretes plebem Dei colligerent, non repudiarent. Vnde liquet eos inter Chriſti diſcipulos nõ eſſe habendos, qui dura pro mitibus, ſuperba pro humilibus ſequenda opinantur, & cum ipſi quærant Dei miſericordiam, alijs eam denegant.

Matt. 11.

10 Epiſt. 33. ad Marcellinã ſororẽ ſuam n. 5.

IDEM ait: Cõuenior ipſe a comitibus, & tribunis, vt cuiuſdã baſilicæ fieret matura traditio imperatori, dicentibus, imperatorem iure ſuo vti eo, quòd in poteſtate eius eſſent omnia. Reſpondi, ſi a me peteret, quod meum eſſet, ideſt, fundum meum, argentum meum, ius huiuſmodi meum me non refragatũrum, quãquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent pauperum. Verũ ea, quæ diuina, imperatorię poteſtati non eſſe ſubiecta. Si patrimonium petitur, inuadite, ſi corpus, occurram. Vultis in vincula rapere, vultis in mortem? voluptati eſt mihi: non ego me vallabo circunfuſione populorum, nec altaria tenebo vitam obſecrans, ſed pro altaribus gratius immolabor. Horrebam quippe animo, cum armatos ad baſilicam occupandam miſſos cognoſcerem, ne dũ baſilicam vẽdicãt, aliqua ſtrages fieret, quę in pernicię totius veretur ciuitatis. Exigebatur a me, vt compeſcerem populum. Referebam in meo iure eſſe, vt nõ excitarem, in Dei manu, vt mitigaret. Infra: Mandatur deniq. Trade baſilicam. Reſpõdeo: Nec mihi fas eſt tradere, nec tibi accipere imperator expedit. Domum priuati, nullo potes iure temerare, domum Dei exiſtimas auferendam? Noli te grauare imperator, vt putes te in ea, quæ diuina ſunt, imperiale aliquod ius habere: ad imperatorem palatia pertinẽt, ad ſacerdotem Eccleſiæ. Publicorũ tibi mœnium ius commiſſum eſt, non ſacrorum: vulgo dicitur, quod imperatores ſacerdotium magis optauerint, quam imperium ſacerdotes.

11 Lib. 19. Moral. c. 11. n. 2.

GREGORIVS ſic habet: perpendendum video his, qui plebium gubernationibus præſunt, quod ſuperius dicens: Videbant me iuuenes, & abſcondebantur, nunc aſtruit, cor viduæ conſolatus ſum. Quanta diſciplina regiminis, vt ante eum iuuenes abſcõdãtur, quãta manſuetudo pietatis, vt per eum viduarum corda conſolentur. Sunt namque nonnulli ita diſtricti, vt omnem etiam manſuetudinem benignitatis amittant. Et ſunt nonnulli ita manſueti, vt perdant diſtricti iura regiminis. Vnde cunctis rectoribus vtraque ſummopere ſunt tenenda, vt nec in diſciplinę rigore benignitatem manſuetudinis, nec rurſum in manſuetudine diſtrictionem deſerant diſciplinæ. Regat ergo diſciplinæ vigor manſuetudinem, & manſuetudo ornet vigorem, & ſic alterum commendetur ex altero.

12 lib. Moral. 1. cap. 8.

IDEM exponens illa verba Iob cap. 29. Cum ſederem quaſi rex circunſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator, ait: Sciẽdum nobis eſt, quod valde lectorem ædificare etiam iuxta hiſtoriam poteſt, ſi perpendat quo modo bonis rectoribus mixta ſit & regendi auctoritas, & benignitas conſolandi. Cum ſederem quaſi rex circunſtante exercitu: ecce auctoritas regiminis. Eram mœrentium conſolator: ecce miniſteriũ pietatis. Circa ſubditos ſuos ineſſe rectoribus debet & iuſte conſolans miſericordia & pie ſæuiens diſciplina. Hinc eſt quod ſemiuiui illius vulneribus, qui a Samaritano in ſtabulũ ductus eſt, & vinũ adhibetur, & oleum, vt per vinũ mordeantur vulnera, per oleũ foueantur: quatenus vnuſquiſque, qui ſanãdis vulneribus præeſt, in vino morsũ diſtrictionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, per vinum mundentur putrida, per oleũ ſananda foueantur. Miſcenda ergo eſt lenitas cũ ſeueritate, vt nec multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neq; nimia benignitate ſoluãtur. Hoc nimirũ illa tabernaculi arca ſignificat, in qua cũ tabulis virga ſimul ac manna eſt: quia cũ ſcripturæ ſacræ ſcientia eſt in boni rectoris pectore, ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis. Hinc etiam Dauid ait: Virga tua, & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Virga.n. percutimur, & baculo ſuſtẽtamur. Si ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & cõſolatio baculi, quæ ſuſtẽter. Sit itaq; amor, ſed nõ emolliẽs, ſit rigor, ſed nõ exaſperans, ſit zelus, ſed nõ immoderate ſæuiẽs, ſit pietas, ſed non plus quã expedit parcens. Intueri libet in Moyſi pectore miſericordiam cum ſeueritate ſociatam. Videamus amantem pie, & diſtricte ſæuientem. Cum populus peccaret, dicebat Domino: Dimitte eis hanc noxam, aut dele me de libro vitæ. Penſemus ergo quibus viſceribus eundem populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri ſe petijt. Sed tamen iſte, qui tanto eius populi amore conſtringitur, contra eius culpas penſemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Mox enim vt petitione prima, ne delerentur, culpæ veniã obtinuit, ad eundem populum veniens, ait: Ponat vir gladium ſuper femur ſuum, ite & redite a porta vſque ad portam per medium caſtrorum, & occidat vnuſquiſque fratrem, & amicum, & proximum ſuum. Ceciderunt.q. in die illo quaſi viginti tria milia hominum. Intus arſit ignibus amoris, foris accenſus eſt zelo ſeueritatis. Sic amauit eos, quibus præfuit, vt pro eis nec ſibi parceret, & tamen delinquentes ſic perſecutus eſt, quos amauit, vt eos, etiam Domino parcente, proſterneret: intus amans diuinæ iræ ſupplicando obſtitit, foris ſæuiens culpam feriendo conſumpſit. In regimine ergo populi vtrumq. Moyſes miſcuit, vt nec diſciplina deeſſet miſericordiæ, nec miſericordia diſciplinæ. Idemq. de Iob dicitur, cum ſederem quaſi rex circumſtante exercitu, eram tamen mœrentium conſolator.

Lucæ 10. Pſal. 22. Exo. 32.

13

14 In 2. parte curæp aſtorales cap. 2. Iſa. 52.

IDEM docens, Vt rector cogitatione ſit mundus, ait, neceſſe eſt, vt eſſe munda ſtudeat manus, quæ diluere aliorum ſordes curat. Hinc namque per prophetam dicitur: Mundamini qui fertis vaſa Domini. Etenim vaſa Domini ferunt, qui proximorum animas ad æterna ſacraria perducendas in ſuæ conuerſationis fide ſuſcipiunt. Hinc diuina voce præcipitur, vt in Aaron pectore rationale iudicij vittis ligantibus imprimatur:

Exo. 28.

quatenus sacerdotale cor nequaquam cogita-
tiones fluxę possideant, sed ratio sola constrin-
gat, ne indiscretum quid, vel inutile cogitet.
Qui est ad exemplum alijs constitutus, ex gra-
uitate vitæ semper debet ostendere quantam
in pectore rationem portet. In quo etiam ra-
tionali duodecim nomina patriarcharum de-
scribuntur. Ascriptos enim patres semper in
pectore ferre, est antiquorum vitam sine in-
termissione cogitare. Nam tūc sacerdos irre-
prehensibiliter graditur, cum exempla patrū
præcedentium indesinenter intuetur. Quod
bene etiam rationale iudicij vocatur, quia de-
bet rector semper subtili examine bona ma-
laq. discernere, & quæ, vel quibus, quando, vel
qualiter congruāt studiose cogitare, nihil quo-
que proprium quærere. Pones autem in ratio-
nali iudicij doctrinam, & veritatem, quæ erunt
in pectore Aaron, quando egredietur corā Do-
mino, & gestabit iudiciū filiorum Israel in pe-
ctore suo in conspectu Domini semper. Hoc
est subiectorum causas pro sola interni iudicis
intentione discutere, vt nihil ei se humanitatis
admisceat in eo, quod diuina positus vice di-
spensat, ne correptionis studia priuatus dolor
15 exasperet. Infra: cap. 3. Supernæ quoque
vocis imperio in vtroq. humero sacerdos ve-
lamine super humeralis astringitur, vt contra
aduersa ac prospera virtutū semper ornamen-
2.Cor.6. to muniatur, quatenus iuxta vocem Pauli, per
arma iustitiæ a dextris, & a sinistris gradiens,
cum ad sola, quæ anteriora sunt, nititur, in nul-
lo delectationis infimæ latere flectatur. Non
hunc prospera eleuent, non aduersa perturbēt,
non blanda vsque ad voluptatem demulceant,
non aspera vsque ad desperationem premant,
vt dum nullis passionibus intentionem mentis
humiliat, quanta in vtroque humero super hu-
meralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod
recte super humerale ex auro hyacinto, purpu-
ra, bis tincto cocco, vt quāta sacerdos clarescе-
re virtutū diuersitate debeat demonstretur. In
sacerdotalis quippe habitu ante omnia aurum
fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principa-
liter emicet. Cui hyacinthus, qui æreo colore
resplēdet, adiungitur, vt per omne, quod intel-
ligendo penetrat non ad fauores infirmos, sed
ad amorē cælestiū surgat, ne dū incautus suis
laudibus capitur, ipso etiam veritatis intelle-
ctu vacuetur. Auro quoq; & hyacintho purpu
ra permiscetur, vt scilicet sacerdotale cor cum
summa, quæ prædicat, speret in semetipso, sug-
gestiones vitiorū reprimat, eisq. velut ex regia
potestate cōtradicat. His autē bis tinctus coc-
cus adiungitur, vt ante interni iudicis oculos
omnia virtutū bona ex charitate decorentur;
& cuncta quæ corā hominibus rutilant, hęc in
conspectu occulti arbitri flāma intimi amoris
accendat. Quæ charitas quia Deum simul, &
proximū diligit, quasi ex duplici tinctura ful-
gescit. Habere coccū bis tinctū negligit, qui sic
ad auctoris speciē anhelat, vt proximorū cu-
rā negligat, vel sic proximorū curam exequi-
tur, vt a diuino amore torpescat. Byssus autem
torta pulchritudine super humeralis innecti-
tur, quia tunc castimonia ad perfectum mūdi-
tię candorem ducitur, cū per abstinētiam caro
fatigatur.
IDEM docet: Qua ratione rector discre- 16 Cap.4.
tus debet esse in silentio, vtilis in verbo, ne aut
tacēda proferat, aut proferēda reticescat. Pro Ezec. 13.
phetis tacentibus Dñs conquæritur, dicēs. Nō
ascēdisti ex aduerso, nec opposuistis murū pro
domo Israel, vt staretis in prœlio in die Dñi.
Ex aduerso ascendere est pro defensione gregis
voce libera huius mūdi potestatibus cōtraire.
Et in die Dñi in prœlio stare, est prauis decer-
tantibus ex iustitiæ amore resistere. Pastor si
pro grege se obijcit, murū pro domo Israel ho-
stibus opponit. Hinc rursum delinquenti po- Ibidem.
pulo dicit. Prophetæ tui viderunt tibi falsa, &
stulta, nec aperuerūt iniquitatē tuā, vt te ad pę-
nitētiā prouocarēt. Pastores sermo diuinus fal
sa videre coarguit, quia dum corripere culpas
metuūt, incassū delinquētibus promissa secu-
ritate blādiūtur, q iniquitatē peccātiū nequa-
quā aperiūt, quia ab increpationis voce cōtice
scunt. Clauis quippe apertionis sermo corre-
ptionis est, quia increpatio culpā detegit, quā 1.Tim.3.
sæpe nescit etiā ipse qui perpetrauit. Hinc Pau
lus ait: Vt potēs sit in doctrina sana exhortari,
& eos, qui cōtradicunt, arguere. Hinc per Isaiā
Dñs admonet dicens: Clama ne cesses, quasi tu
ba exalta vocem tuam. Præconis quippe offi-
ciū suscipit quisquis ad sacerdotium accedit,
vt ante aduētum iudicis clamando gradiatur: 17
Hinc est enim, quòd super pastores primos in
linguarum specie Spiritus sanctus insedit: quia
nimirum, quos repleuerit, de se protinus lo-
quētes facit. Hinc Moysi præcipitur, vt taber- Exo. 28.
naculum sacerdos ingrediēs tintinnabulis am-
biatur, vt videlicet voces prædicationis ha-
beat, ne superni spectatoris iudicium ex silen-
tio offendat. Scriptū quippe est: Audiatur so-
nitus quādo ingreditur, vel egreditur sanctua-
rium in conspectu Domini, & non moriatur.
Sacerdos namque ingrediens, vel egrediēs mo
ritur, si de eo sonitus non audiatur; quia iram
cōtra se occulti iudicis exigit, si sine sonitu præ
dicationis incedit. Apte autem tintinnabula
vestimentis illius dicuntur inserta. Vestimen-
ta enim sacerdotis recta opera debemus acci- Psal.131.
pere, propheta attestante, qui ait: Sacerdotes
tui induantur iustitiam. Vestimentis illius
tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum lin-
guæ sonitu ipsa quoque bona opera clament
sacerdotis. Sed in sacerdotis veste iuxta di-
uinam vocem tintinnabulis mala punica con-
iunguntur. Quid enim per mala punica, nisi fi-
dei vnitas designatur? Nam sicut in malo pu-
nico vno exterius cortice multa interius gra-
na muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ
populos vnitas fidei contegit, quos intus diuer
sitas meritorum tenet. Ne igitur rector incau-
tus ad loquendum proruat mala punica tin-
tinnabulis iungat; vt per omne quod dicit vni-
tatem fidei cauta obseruatione doceat, & nec
recta quidem nimie & inordinate proferat.
Vnde

Vnde Paulus, cum discipulum de instantia prę-
1.Tim.4. dicationis admoneret, ait: Prædica verbum,
insta opportune, & importune, dicturus im-
portune præmisit opportune, quia apud audi-
toris mentem ipsa sua vtilitate se destruit, si
habere importunitas opportunitatem nescit.
18 IDEM sic habet; Sciendum quoque est,
t.to.2.p.cura pastor. quod aliquando subiectorum vitia prudenter
dissimulanda sunt, aliquando leniter arguēda,
aliquando autem vehemēter increpanda. Qua
dissimulatione bene Iudæam Dominus corri-
Isa.57. pit, cum per prophetam dicit: Mentita es,
& mei nō es recordata, neque cogitasti in cor-
de tuo, quia ego tacens, & quasi non videns.
Et dissimulauit ergo culpas, & innotuit, quia
& contra peccatum tacuit, & hoc ipsum tamē
quia tacuerit, dixit. Nonnulla autem vel aper
te cognita mature toleranda sunt, cum rerum
opportunitas non poscit, vt aperte corrigan-
tur. Nam secta immature vulnera deterius in-
feruescunt, & nisi cum tempore medicamen-
ta conueniant, constat proculdubio, quod me-
dendi officium amittant, sed cum tempus sub-
ditis ad correptionem quæritur, sub ipso cul-
parum pondere patientia præsulis exercetur.
Psal.128. Vnde bene per psalmistam dicitur: Supra dor-
sum meū fabricauerunt peccatores, acsi aper-
te dicat, quos corrigere nequeo, quasi super-
impositum onus porto. Infra: Nonnulla
19 autem sunt leniter arguenda, cum non malitia,
sed sola ignorantia, aut infirmitate delinqui-
tur. Ex se enim debet vnusquisq; colligere qua-
Gal.6. liter alienæ tunc oporteat imbecillitati mise-
reri. Vnde bene Paulus admonens ait: Si quis
Præoccupatus fuerit in aliquo delicto, vos, qui
spiritales estis, instruite huiusmodi in spiritu
lenitatis, considerans teipsum, ne & tu tente-
ris: idest, cum displicet ex aliena infirmitate,
quod conspicis, pensa quod es, vt increpatio-
nis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque,
quod increpat, timet. Nonnulla autem sunt
vehementer increpanda, vt cum sibi quis ma-
lum, quod perpetrauit, leuigat, hoc contra se
Ezec.4. grauiter ex corripiētis asperitate pertimescat.
Vnde bene ad Ezechielem dicitur: Sume tibi la
terem, & pones eum corā te, & describes in eo
ciuitatem Hierusalem, statimq. subiungitur:
Et ordinabis aduersus eam obsidionem, & ædi-
ficabis munitiones, & comportabis aggerem,
& dabis contra eam castra, & pones arietes in
gyro. Eiq. ad munitionem suam protinus sub-
iunxit: Et tu sumes tibi sartaginem ferream, &
pones eam murū ferreum inter te, & ciuitatē.
Vice prælatorum Ezechieli dicitur: Sume tibi
laterem, & pones eum corā te, & describes in
eo ciuitatem Hierusalem. Sic quippe sancti do
ctores sibi laterem sumunt, quando terrenū au
ditorum cor, vt doceant, apprehendunt. Quem
laterem coram se ponunt, quia tota mentis illū
intentione custodiunt. In quo & ciuitatem Hie
rusalem iubentur describere, quia prædicando
terrenis cordibus, curant summopere, quæ sit
supernæ pacis visio, demonstrare. Obsidionem
etiam ordinant circa laterē, in quo ciuitas de-
scripta est, quando terrenæ menti, sed iā super-
nam patriam requirenti, quanta eam in huius
vitæ tempore vitiorum impugnet aduersitas,
demonstrant. Nam cū vnumquodq; peccatum 20
quomodo proficientibus insidietur, ostēditur,
quasi obsidio circa ciuitatem Hierusalem vo-
ce prædicatoris ordinatur. Munitiones san-
ctus prædicator ædificat, quando, quę virtutes,
quibus resistant vitijs, demonstrat. Aggerem
comportat, quando prædicator molem crescē-
tis tentationis enunciat. Castra erigit, quando
hostis callidi incircumspectas, & quasi incom-
prehensibiles insidias prædicit. Atque arietes
in gyro ponit, cum tētationum aculeos in hac
vita nos vndique circumdantes, & virtutum
murū perforantes innotescit. Sed cuncta hæc
licet subtiliter rector insinuet, nisi contra de-
licta singulorum æmulationis spiritu ferueat,
nullam sibi in perpetuum absolutionem parat.
Vnde apte subditur: Et tu sume tibi sartagi-
nem ferream, & pones eam murum ferreum
inter te, & ciuitatem. Per sartaginem frixura
mentis, per ferrum vero increpationis forti-
tudo signatur. Quid vero acrius doctoris men-
tem, quàm zelus Dei, frigit, & excruciat. Vn-
de Paulus huius sartaginis vrebatur frixura,
cum diceret: Quis scandalizatur, & ego non 1.Cor.11.
vror? Sartago ferrea, murus ferreus inter
prophetam, & ciuitatem ponitur, quia cum
non fortem zelum rectores habent, eundem ze
lum postmodum inter se, & auditores suos for
tem munitionem tenent, ne tunc ad vindictam
destituti sint, si nunc fuerint in correptione
dissoluti. Sed inter hæc sciendum est, quia dum
ad increpationem se mens doctoris exasperat,
difficile valde est, vt non aliquando, & ad ali-
quid, quod dicere non debet, erumpat. Vn-
de necesse est, vt per lamenta veniam in con-
spectu veritatis obtineat ex eo, quod per ni-
mium zelum peccat. Quod figurate Domi-
nus præcipit per Moysem, dicens: Si quis abie- Deut.19.
rit cum amico suo in siluam ad ligna cædēda,
& lignum securis effugerit manu, ferrumq.
lapsum de manubrio amicum eius percusse-
rit, & occiderit, hic ad vnam vrbem fugitiuo-
rum fugiat, & viuet, ne forte proximus eius, cu
ius effusus est sanguis doloris stimulo perse-
quatur, & apprehendat eum, & percutiat ani-
mam eius. Ad siluam cum amico imus, quo-
ties ad intuenda subditorum delicta conuerti-
mur. Et simpliciter ligna succidimus, cum de-
linquentium vitia pia intentione resecamus.
Sed securis manū fugit, cū sese increpatio, plus-
quam necesse est, in asperitatē pertrahit; fer-
rumq. de manubrio prosilit, cum de correctio-
ne sermo durior excedit. Et amicum occidit,
quia auditorem suum prolata calumnia a spi-
ritu dilectionis interficit. Sed is qui incaute li-
gna percutit, & proximum occidit, ad pœ-
nitentiæ lamenta fugiat, ne proximus occisi
Deus iudex illum castiget, & puniat.
IDEM docens, quòd Eleazarus sanctifica- 21
tur ad custodiendam arcā Dei, dicit: Bene dici- Lib.3.c.5.
tur, Eleazarum sanctificauerunt, vt custodiret expos. in c. 7. primi lib. reg. to.1.

arcam, quia hi, quibus adhuc aliena auxilia necessaria sunt, ad subueniendum alijs promouēdi non sunt. Infra: Non minor sanctitas idonea est animabus instruendis, quàm offerendis sacris mysterijs. Et idcirco Bethsamitæ perhibentur percussi, quia pleriq; viuunt subditi, qui moriuntur prælati.

22 Lib. 4. c. 4. expos. in c. 10. primi libri reg.

IDEM dicit, Sublimitatem dignitatis suæ adæquare debet pastor splendore conuersationis, quando cœlesti indutus virtute ea vita, eaq. doctrina subditis lucet, vt videri ab eis possit, discuti, & iudicari non possit. Talis erat Moyses quando lucidissimo vultu a monte descendit, cuius subditi fulgorem videbant, sed in fulgentem claritatem intendere visum non poterant. Talis erat, qui gloriabatur, dicens: Nos autem reuelata facie gloriā Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, tāquam a Domini Spiritu. Infra: Sermonem regni non indicauit Saul patri suo. Qui magna dignitate, magnaq. sanctitate radiat, multa viuendo ostendit, quę loquendo non dicit. Hoc profecto regni verbum habere Dominus prædicatorem voluit, quando in veste pontificis tintinnabula poni mandauit. Vestis quippe pōtificis est ostensio bonæ conuersationis, quæ quasi tintinnabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad minorū exemplum clamant. Sed indicare rex regni verbum non audet, quia præceptum est sacerdotibus, vt coram Domino vestis decorem portent. coram Domino quidem vestis decorem portat, & qui bona ostendit, & de ostensione honorū operum non hominibus per vanitatem foris, sed Deo intus per amorem placere appetit. Tunc certe sacerdos tacet, sed dum incedit, quod portat, clamat, quia electus prædicator se iactando non indicat, sed bene viuendo loqui nequaquam cessat.

Exo. 34.

2. Cor. 6.

Exo. 28.

23 Serm. de tribos ord. Eccles. ad patres in capitulo.

BERNARDVS dicit: Prælati sunt, qui descendunt mare in nauibus facientes operationem in aquis multis. Ascendunt vsque ad cœlos, descendunt vsque ad inferos, nunc quidem spiritualia tractantes, atq; sublimia, nunc infernalia, & horribilia facta dijudicantes. Sed quæ poterit nauis inueniri, quæ tam immanes sustineat fluctus, & in tanto securа possit esse discrimine? Vtique fortis vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, quia aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Necessaria est, & omnino necessaria nauis ista prælatis tribus compacta lateribus, vt sit charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. Puritatem quidem cordis in eo prælatus habeat, vt prodesse desideret, non præesse, vt proprium commodum, & honorem sæculi, & aliud quippiam suum in prælatione non quærat, præter solum beneplacitum Dei, & animarum salutem. Sed cum intentione pura irreprehensibilis quoque necessaria est conuersatio, vt forma factus gregis incipiat facere, & docere, ne docens audiat a fratre: medice cura te ipsum. Talis enim occasio plurima damnatio prælati plurima subditorū perditio est.

Psal. 106.

Cant. 8.

2. Tim. 1.

Oportet enim irreprehensibilem esse eum, qui præest, quoniam ea, quæ arguit in discipulis, oportet summopere vitare magistrum. Et fide non ficta: quia qualis est in conuersatione, talis sit necesse est etiam in occulta cogitatione, ne videatur foras humilis, & intus sit elatus.

1. Tim. 3.

24 Lib. sententiarum.

IDEM sic ait; Quantum distat inter pastorem, & gregem, tantum debet distare inter episcopum, & plebem. Stat ille sublimis, & recurat, curuat iste caput solo depressus: ille regit, iste regitur, ille pascit, iste pascitur, vtrique ipsa forma, & habitu vterque discernitur. Habet ille in manu virgam qua feriat, vel potius ducat, & reducat ouem. Quid est autem in manu habere virgam, nisi in opere disciplinam, vt subiectos suos exemplo magis instruat, quàm verbo? Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint magistri. Habet etiam baculum, quo feriat lupum. Virga ouem, baculo lupum: hoc est, mites, & obedientes debet lenius corripere, duros vero corde, & improbos acrius arguere.

25 Serm. 23. in Cantica.

IDEM exponens verba illa; Exultabimus & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum, inquit. Vides quomodo adolescētulæ de matre præsumunt? Minime ita confiderent, nisi matrem agnoscerent. Audiant hoc prælati, qui sibi commissis semper volunt esse formidini, vtilitati raro. Erudimini, qui iudicatis terram: discite subditorum matres vos esse debere, non dominos: studete magis amari, quàm metui; & si interdum seueritate opus est, paterna sit, non tyrannica: matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Suspendite verba, producite vbera, pectora lacte pinguescant, non typo turgeant. Quid iugum vestrum super eos aggrauatis, quorū potius onera portare debetis? Cur morsus a serpente paratus fugit conscientiam sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tanquam ad sinum recurrere matris? Si spirituales estis, instruite huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans vnusquisque seipsum, ne & ipse tentetur. Alioquin ille in peccato suo morietur: Sanguinem autem eius, ait, de manu tua requiram.

Gala. 6.

Ezec. 3.

26 Epist. 42. ad Henric. Senonens. Archiepisc.

IDEM sic habet; Multi non tanta fiducia, & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent onera. Grauari profecto metuerent, ne cum tanto labore, & periculo quarumlibet affectarent insulas dignitatū. Nunc vero, quia sola attenditur gloria, & non pœna vires æstimant, & inglorios, qui quocumque eminentiori in loco nō fuerint sublimati; & hoc quidem in initio: processu vero temporis docti sunt in breui vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare, magistris in hac disciplina vtentes idoneis, ambitione, & auaritia. Scholares, pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula trāsferuntur ad principandum presbyteris, lactiores interim, quod virgas euaserint, quàm quod meruerint principatum. Væ terræ, cuius rex est puer, & cuius principes manè comedūt. Nec dicimus quamcumque

Eccli. 10.

cumque ætatem Dei gratiæ præmaturam, sicut nec feram: cum multos videamus iuniorum super senes intelligere, moribus antiquare dies, præuenire tempora meritis, & quod ætati deest, cōpensare virtutibus. Boni pueri, qui quod ætate videntur esse student & malitia, sed non sensu: quorum, iuxta admonitionem Apostoli, nemo contemnat adolescentiam. Meliores bonæ indolis adolescentes, inueteratis dierum malorum. Puer centum anno maledictus est. Et est e regione senectus venerabilis non diuturna, nec annorum numero computata.

1. Tim. 4.

Isa. 65.

Sap. 4.

1. Reg. 3. Bonus puer Samuel, qui loquenti Deo promptus aderat auditor, dicens: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. Acsi diceret: Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiā mandata tua. Bonus & Hieremias, qui ante sanctificatus, quàm natus: qui cum se excusaret de puericia, nihilominus constitutus est super gētes, & super regna. Bonus quoque Daniel, cuius spiritum suscitauit Deus, vt conuinceret iniqua iudicia, & sanguinem innoxium liberaret. Denique cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Sicubi huiusmodi puer senex promotus inuenitur, opus Dei est. Ceterum curritur in clero passim ab omni ætate, & ordine, a doctis pariter & indoctis ad ecclesiasticas curas, tāquam sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit.

Hiere. 1.

Dan. 13.

Luc. 7. Infra, agens de humilitate, quam habere debent prælati, ait: Quàm pulchre locutus est Centurio ille, cuius fidei nulla par inuenta est in Israel. Et ego, inquit, homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites. Non iactabat potestatem, quam nec solam protulit, nec priorem. Dicturus quippe, habens sub me milites, præmisit, homo sum sub potestate: prius se agnouit hominem, quàm potentem: homo, inquit, sum, & homo sub potestate. Iam quicquid subinferas, suspectam non habemus iactantiā.

27 Epist. 237. ad Eug. tertium pont.

IDEM inquit; Si dignaris, per Euangelium ego te genui. Ammodo tamen non vocaberis filius, sed vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominauit. Nam quemadmodum Abram in Abraham, sicut Iacob in Israel, Simon in Cepham, Saulus in Paulum, sic filius meus Bernardus in patrem meum Eugenium, læta prorsus, & vtili, vt speramus, translatione promotus est. Digitus Dei est iste, suscitans de puluere egenum, & de stercore erigens pauperem, vt sedeat cum principibus, & solium gloriæ teneat. Supereſt, vt facta hac mutatione tui, ipsa quoque, quæ tibi commissa est, Domini tui sponsa mutetur in melius, & iam nequaquam Sarai, sed Sara de cetero nominetur. Si amicus sponsi es, ne dixeris: dilectam eius principem meam, sed principem, nil tuum in ea vendicās, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes. Si Christus te misit, æstimabis te nō venisse ministrari, sed ministrare: & ministrare non solum substantiam, sed ipsam quoque animam pro ouibus tuis. Verus successor Pauli dicet cum Paulo: Non quia dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Petri heres audiet Petrum dicentem: Neque vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Sic enim iam non ancilla, sed libera etiam, & formosa speciosissima sponsi per te in desideratos adsciscetur amplexus. Alioquin per quem aliū hæc tā debita libertas sperabitur, si & tu (quod absit) in Christi hereditate quæras, quæ tua sunt, quę iam & ante didiceras, non dico tua nō retinere, sed nec tuus esse? Exultat merito vbique, & gloriatur in Domino omnis Ecclesia sanctorum, & specialiter illa, cuius vterus te portauit, & cuius vbera tu suxisti. Terribilis est locus iste. Locus in quo estas terra sancta est, locus Petri est, locus principis Apostolorum, vbi fluerunt pedes eius: si forte declinaueris a via Domini, repulsus est in eodem loco, vt sit tibi contra te in testimonium. Vendica tibi animi constantiā, & vigore spiritus particip, quam dedit extra fines tuos tibi omnipotens Pater, quam & tulit de manu Amorræi in gladio, & in arcu filio.

1. Cor. 1.

1. Pet. 5.

28 Lib. 2. de cōsideratione. ad Eugeniū

IDEM sic habet; Simia in tecto, rex fatuus in solio sedens. Et nunc audi canticum meum, & quidem minus suaue, sed salutare. Monstruosa res gradus summus & animus infimus, sedes prima & vita ima, lingua magniloqua & manus otiosa, sermo multus & fructus nullus, vultus grauis & actus leuis.

Infra: Non eris innocens, si aut punias eum, cui forte parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus. Si te consolantem in tribulationibus tuis inueneris, condolentem in alienis, gaude. Recti cordis hoc. E regione peruersissimi, si cum in proprijs deprehendaris fortasse impatiens, minime tamen in alienis compatiens sentiaris. Infra: De auaritia non est, quod tuum fatigem intuitum, cum pecuniā tanquam paleam dicaris habere: non sit in te acceptio personarum. Non parui te reum peccati existimes, si facies peccatorum sumis, & non potius causas iudicas meritorum. Est item vitium, cuius si te immunem sentis, inter omnes, quos noui ex his, qui cathedras ascenderunt, sedebis, me iudice, solitarius, qui veraciter, singulariterq. leuasti te supra te: facilitas credulitatis hæc est, cuius callidissimæ vulpeculę magnorum neminem comperi satis cauisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multę, inde præiudicia in absentes, inde innocentium frequens addictio.

Thren. 3.

29 In lib. bene viuendi ad sororem, sermone 18.

IDEM inquit; Blanda pietate sunt portādi, qui pro sua infirmitate non possunt increpari. Prælati Ecclesiæ portare debent subditos suos, quos corrigunt, & corrigere, quos portāt. Hinc Salomon in basibus templi Domini imaginem leonis, & bouis, & Cherubim opere sculptorio fecit pingere. Quid aliud designant bases in templo, nisi prælatos in Ecclesia? Quicumque sollicitudinem regiminis suscipiunt, tanquam bases portant onus suppositum. Cherubim plenitudo scientiæ interpretatur: in basibus Cherubim mōstratur, quia prælati Ecclesiæ pleni debent esse cœlestis scientiæ. Per leonem terror seueritatis figuratur. Per bouem

vero

vero patientia mansuetudinis ostenditur. Itaque in basibus neque leones sine bobus, neque boues sine leonibus exprimuntur, quia prælati Ecclesiæ aliquando rigide, aliquando cum dul-
30 cedine, aliquando cum asperitate, aliquando verbis, aliquando flagellis debẽt subditos suos corrigere: quia ille, qui blandis verbis castigatus non corrigitur, necesse est, vt acrius corrigatur, vel arguatur. Qui secreto admonitus de peccato, corrigi negligit, publice est arguendus, vt vulnus, quod occulte sanare nequiuit, manifeste debeat emendari. Palam sunt arguẽdi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi, qui eos imitando deliquerunt, corrigantur, vt dum vnus corripitur, ceteri emendentur. Ideo debemus prælatos nostros diligere, & verba eorum benigne suscipere, qui per increpationes, & castigationes suas auferunt a nobis proprias volũtates, & nostras cupiditates. Vnde in Canticis canticorum de eisdem prælatis Ecclesia, vel quælibet fidelis anima dicit: Inuenerunt me custodes, qui custodiunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt mihi pallium meum custodes murorum. Per custodes ciuitatis intelligimus prælatos, qui statum sanctæ Ecclesiæ custodiunt, qui etiam animam fidelem inueniũt, eamq. suis prædicationibus, & exhortationibus, atque minis percutiunt, & amore charitatis Christi vulnerantur. Nec solum hoc sufficit eis, sed etiam pallium ei tollunt, idest, omnem terrenam delectationem, & eam nudam cupiditatibus, & peccatis ad regna cælorum transmittunt. Ideo a prelatis nostris in hac vita corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur. Multo melius est nobis in hac vita a prælatis nostris pro negligentijs corrigi, quàm in futura vita damnari, flagellis verberari, quàm in inferno damnari. Melius est in hoc mundo de manu prælati sustinere flagella, quàm pati æternas pœnas in gehenna.

FINIS LIBRI DECIMIQVARTI.

LIBER XV.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES.

Regnum Dei, & diaboli, & vtriusque differentia, & finis. Cap. 1.

1 Hom. 1. super cap. 1. Exodi to. 1.

DE re hac multa adnotauimus libro 3. cap. 17. & lib. 4. per multa capita, potissime a cap. 30. vsq; ad 37. vnde pauca hic addenda sunt, quæ sequuntur.

ORIGENES explicãs verba illa; Surrexit rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, ait: Primum inquirere volo quis sit rex in Ægypto, qui ignoret Ioseph, & quis sit rex, qui sciat Ioseph. Dum enim ille regnaret, qui sciebat Ioseph, non referuntur afflicti esse filij Israel, neque in luto, & latere consumpti, neque masculi eorum necati, & feminæ vinificatæ. Sed cum surrexit iste, qui non nouerat Ioseph, & cœpit ipse regnare, tunc hæc omnia gesta referuntur. Quis ergo est iste rex videamus. Si Dominus regit nos, & sensus mẽtis nostri illuminatur a Domino, si Christi sem per memoriam tenet, faciens illud, quod Paulus ait Timotheo: Memor esto Christũ Iesum resurrexisse a mortuis; dum hic viuit in Ægypto, idest in carne nostra spiritus noster, regnũ cum iustitia tenet, & filios Israel, quos supra diximus rationabiles sensus, vel animæ virtutes in luto, & latere non consumit, nec curis eos terrenis & sollicitudinibus atterit. Si vero perdiderit horum memoriam sensus noster, declinauerit a Deo, nescierit Christum, tunc sapientia carnis, quæ inimica est Deo, succedit in regnum, & alloquitur ad gentem suam, corporeas videlicet voluptates, & vitiorum ducibus ad concilium vocatis, initur deliberatio aduersus filios Israel, quomodo circumuenian tur, quomodo opprimantur, vt luto & lateribus affligantur, vt mares exponant, feminas alant, vt ædificent ciuitates Ægypti, & ciuitates munitas. Hæc ad nostram doctrinam scripta sunt, non vt Ægyptiorum gesta narrentur, vt tu, qui hæc audis si forte iam baptismi gratiam consecutus es, & adnumeratus es inter filios Israel, ac suscepisti in te Deum regẽ, & post hæc declinare volueris ad opera sæculi, agere actus terræ, & lutea explere ministeria, scias & agnoscas, quia surrexit in te rex alius, qui nescit Ioseph, rex Ægypti. Et ipse te cogit ad opera sua, & ipse te facit laterem sibi operari, & lutum. Ipse est, qui te superpositis magistris, & compulsoribus ad opera terrena flagris ac verberibus agit, vt ædifices illi ciuitates: ipse est, qui te facit discurrere per sæculum maris, ac terræ: ipse est hic Ægypti rex, qui te forum pulsare litibus facit, & pro exiguo terræ cespite propinquos iurgijs fatigare, & vt ita dicam, castitati insidiari, decipere innocentiam, domi fœda, foris crudelia, intra conscientiam flagitiosa committere. Cum ergo tales videris actus tuos, scito te regi Ægyptio militare, quod est immundi spiritus imperio agi. Si vero de hoc aliquid altius sentiẽdum est, potest videri rex iste, qui nescit Ioseph, diabolus, insipiens ille, qui dixit in corde *Psal. 13.* suo, non est Deus, genti suæ, hoc est, apostaticis Angelis colloqui, & dicere: Ecce genus filiorum Israel magna multitudo est: de his scilicet, qui possunt mente Deum videre, & potentior est nobis: venite itaque opprimamus illos, ne forte increscant, & cum acciderit nobis bellum, consentiant & hi cum aduersarijs, & expugnantes nos exibunt de terra nostra. Sed vnde intelligit diabolus, quia magna gens sit Israel, & ipso fortior, nisi quia sæpe congressus est, sæpe habuit luctamen, & sæpe superatus est? Scit enim & ipsum Iacob luctatum esse, & *Gen. 32.* adiutorio Angeli obtinuisse aduersarium, & inualuisse cum Deo. Non dubito quin & aliorum sanctorum senserit luctamen, & spiritalia pertulerit sæpe certamina, & inde dicit, quia gens filiorum Israel magna est valde, & valet super nos. Igitur conuocata omni gente sua circumuenire cupit in hominibus rationabilem sensum, & ideo præficit eis magistros operum, qui eos cogant discere opera carnis, sicut & in psalmis dicit: Et cõmixti sunt inter gen- *Psal. 105.* tes, & didicerunt opera eorum. Sed prospicit immittere sibi bellum, & maturum gentis suæ aduersarum sentit exitium. Ideo dicit, quia gens

Iſrael valet ſuper nos. Vtinam & de nobis hoc dicat, ſentiat nos valere ſuper ſe. Quomodo ſentire hoc poterit? Si cum mihi cogitationes inijcit malas, & concupiſcentias peſsimas, ego nō ſuſcipiam, ſed iacula eius ignita ſcuto fidei repellam. Si in omnibus quæcumque ſuggerit menti meæ, ego memor Domini mei dicam:
Matt. 4. Vade retro Sathana, ſcriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & ipſi ſoli ſeruies. Sed & hoc, quod dicit, ne forte accidat nobis bellum, ex propheticis vocibus præuidit venturum ſibi bellum, & derelinquendum ſe a filijs Iſrael. Hoc eſt enim, quod de eo propheta
Hiere. 17. Hieremias prædixerat: Clamauit perdix, congregauit, quæ non peperit, fecit diuitias ſuas
4 non cum iudicio. In dimidio dierum eius derelinquent eum, & ſequentur Dominum, & Creatorem ſuum, & in nouiſsimis ſuis erit ſtultus. Intelligit ergo perdicem ſe dictum, quæ non peperit congregaſſe, & hi, quos non cum iudicio congregauit, in dimidio dierum ſuorū derelinquent eum, & ſequentur Creatorem ſuum Chriſtum Ieſum, qui eos genuit. Ille autem congregauit quos non genuit: & ideo remanebit ſtultus in nouiſsimis ſuis, cum ad parentem ſuum vniuerſa, quæ nunc pro eius tyrannide congemiſcit, creatura confugerit. Et hoc indignatur, & dicit, ne expugnantes nos, exeant de terra noſtra. Non vult nos exire de terra ſua, ſed vult, vt ſemper portemus imaginem terreni. Si enim ad aduerſarium eius cōfugerimus, eum, qui nobis præparauit regna cælorum, neceſſe eſt, vt relinquamus imaginē terreni, & ſuſcipiamus imaginē cæleſtis. Propterea ergo Pharao ſtatuit magiſtros operum, qui nos ſuas artes doceant, & artifices malitiæ faciant. Et quia multi ſunt iſti magiſtri, & doctores malitiæ, quos præfecit Pharao, ideo venit rex noſter Chriſtus, & fecit alios magiſtros & doctores, qui pugnantes aduerſus illos, & ſubijcientes omnes eorum principatus, & poteſtates, defendant a violentijs eorum filios Iſrael, & doceant nos opera Iſraelitica, doceāt nos mente Deum videre, & relinquere opera Pharaonis, exire de Ægypto, abijcere Ægyptios, & barbaros mores, deponere totum veterem hominem cum actibus ſuis, & induere nouum, qui ſecundum Deum creatus eſt, renouari ſemper de die in diem ad imaginem eius, qui fecit nos in gloriam, & laudem ſuam.

5 HIERONYMVS explicans verba illa;
Lib. 6. in ca. 14. Iſa. to. 4. In anno, quo mortuus eſt rex Achaz, factum eſt onus iſtud (ſiue verbum iſtud) dicit. Mortuo Achaz, quem regem impijſsimum legimus, fit pondus iſtud, ſiue verbum ſuper hiliſtijm. Viuente enim illo, & regnante in peccatoribus, nec pondus contra alienigenas, nec verbum Domini fieri poterat ad prophetam. Quod & ſupra diximus, quando Ozia mortuo, vidit Iſaias Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum. Et in Exodo legimus, quod poſtquam
Exo. 2. mortuus eſt rex Ægypti, ingemuerunt filij Iſrael ab operibus ſuis, & exclamauerūt, & exaudierit Dominus gemitus eorum. Niſi enim eſſet myſticum, quod dicebatur, illo magis regnante clamare debuerant, quanto luto, & lateribus deſeruiebant.

AVGVSTINVS ſic habet; Quando ſancti martyres in Apocalypſi clamabant: Vindica Domine ſanguinem noſtrum, nō vindictam contra ipſos homines occiſores poſtulabant, ſed contra regnum peccati, vt euerteretur. Nam ipſa eſt ſincera, & plena iuſtitiæ, & miſericordiæ vindicta martyrum, vt euertatur regnum peccati, quo regnante, tanta perpeſsi ſunt. Ad cuius euerſionem nititur Apoſtolus ad Romanos dicens: Non ergo regnet peccatum in veſtro mortali corpore. Deſtruitur autem, & euertitur peccati regnum, partim correctione hominum, vt caro ſpiritui ſubijciatur, partim damnatione perſeuerantium in peccato, vt ita iuſtitia ordinentur, vt iuſtis cum Chriſto regnantibus moleſti eſſe non poſsint.

6 Lib. 1. de ſer mone Dom. in monte. to. 4.

Rom. 6.

7 IDEM ait: Dum rex ille viueret, qui nouerat Ioſeph, non referuntur afflicti fuiſſe filij Iſrael, nec in luto, & latere fatigati, nec maſculi eorum necati, & feminæ reſeruatæ: ſed poſteaquam ſurrexit rex ille, qui non nouerat Ioſeph, omnia illa geſta referuntur. Anima noſtra aut a legitimo rege regitur, aut a tyranno vaſtatur. Si enim Deo adiuuante pie viuimus, ſi de charitate, patientia, ceteriſque virtutibus cogitamus, licet adhuc in Ægypto, ideſt in carne ſimus, tamen a Chriſto rege gubernamur, & ipſe regit nos in luto & latere, ſed non conſumit, nec nos curis terrenis, & nimijs ſollicitudinibus atterit, & affligit. Si vero anima noſtra cœperit declinare a Deo, & ea, quæ ſunt turpia, & inhoneſta ſectari, tunc prudentia carnis, quæ inimica eſt Deo, repudiato rege Chriſto ſubdit infelicia colla tyranno. Quod cum fuerit factum, alloquitur gentem ſuam, ideſt corporis voluptates, & vitiorum ducibus ad conſilium conuocatis, initur deliberatio aduerſus filios Iſrael, ideſt, aduerſus cogitationes ſanctas, & acceptabiles Deo, quomodo circumueniantur, quomodo opprimantur. Vult diabolus in nobis viros occidere, & feminas reſeruare, ideſt, ſenſum in nobis rationabilem extinguere, & quæ ad concupiſcentiam carnalem pertinent reſeruare. Cum peccas, rex Ægypti te cogit ad opera ſua. Nos fratres, qui ante aduentum Chriſti, domus diaboli fuimus, & per gratiam Domini de poteſtate eius liberari meruimus, quantum poſſumus ipſo Deo adiuuante laborare debemus, ne a nobis peccando Chriſtus abſcedat, & diabolus illo recedente ſuccedat. Ne immundus ſpiritus cum ſeptem alijs ſpiritibus ingrediatur, & fiant nouiſsima hominis illius peiora prioribus.

Luc. 11.

Religio-

Religiones multæ, ſed ſpiritus vnus, quarum laudes colligunt ſancti eleganter ex multis. Cap. II.

1 Ser. de abdi catione ſæculi. to 2. DASILIVS ait: Sermo hic commonitorius eſt ad amplectendum vitam monaſticam, quam amplecti debemus, dicente Domino:
Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Verba hæc nos adhortantur, vt depoſita ſuperuacuarum diuitiarum ſarcina, eaq. in egentes diſtributa, ipſaq. innumerabili pene, quæ ex ſtudio opes congerendi cumulatim accreuit, peccatorum multitudine per largitionem reiecta, crucem geſtaturi ad monachorum vitā accedamus. Quocirca, qui ſibi propoſuit Chriſto obedire, & ad vitæ genus rerum omnium poſſeſsione nudum, neque vllis diſtractum ſęculi huius curis feſtinat, vere admirabilis ille eſt, beatuſq. docendus.

2 In epiſt. 79. ad Euſtath. epiſc. Sebaſt. IDEM inquit: Ego ſane poſtea quā multum tempus vanitati impendiſſem, & omnem pene iuuentutem inani ſtudio attriuiſſem, quo tenebar, tandem aliquando vbi velut ex graui ſomno expergefactus, ad Euangelicæ veritatis admirabile lumen reſpexi, deplorata plurimū in miſerabili mea vita, ductorem mihi dari optabam, qui ad pietatis me dogma ita introduceret. Et cum primis hoc mihi curæ erat, vt morum correctionem aliquam inſtituerē, quos per diutinam cōſuetudinem cum improbis contractā peruerteram. Lecto itaq; Euangelio, animaduerſoq. illic, quod plurimum occaſionis & momenti afferat ad perfectionis ſtudium, ſi quis bona ſua vendat, deq. illis egenis fratribus communicet, & prorſus nulla teneatur vitæ iſtius cura, neque patiatur mentem ſuam aliqua rerum præſentium affectione turbari, optabam dari aliquem ex fratribus, cui iſtud vitæ genus arrideret, quo vna cum profundum vitæ huius pelagus ſuperare liceret. Inueni ſane multos apud Alexandriā, nec paucos apud reliquam Ægyptum, deinde & alios in Palæſtina, & in Cœloſyria, & Meſopotamia, quorum admiratus ſum, cum in ſeruanda diæta temperantiam, tum in obeundis laboribus tolerantiam, ad quorum obſtupui precandi vigorem & conſtantiam, cum obſeruarem, quo pacto nec ſomno victi, nec aliqua alia naturæ neceſsitate deflexi, ſublimem ſemper, & inuictum animæ ſenſum in fame & ſiti, in frigore ac nuditate ſeruarent, nec corporis rationem habentes ipſi, nec ab alijs aliquid illi curæ impendi ſuſtinentes, ſed quaſi in aliena carne degerent, ipſo opere oſtendentes, quid ſit in rebus huius vitæ peregrinum eſſe, & conuerſationem in cælo habere.

1 Rom. 14. in Epiſt. Pau. ad Timoth. to. 4. CHRYSOSTOMVS ſic habet; Domus luctus monaſteria ſunt, vbi cinis, atque ciliciū, vbi ſolitudo, vbi riſus nullus, nullus ſæculariū negotiorum ſtrepitus, vbi ieiunia, vbi terrenorum duritia lectulorum, vbi munda ſunt omnia, nullus ibi nidoribus locus, abſunt procul ſanguinis riui, perturbationes, curæ, tumultus. Tranquillo in portu nauigant, ac veluti luminaria ſunt ſublimi de loco nauigantibus, fulgore ſuo iter aperientes. In littore placido ſedent, omnes ad quietem ſuam inuitantes ac pertrahentes, neque naufragium pati ſinentes eos, qui ſe intuentur, non permittunt in tenebris degere eos, qui ſuas aſpiciunt ſedes. Longe honorabilius eſt illorum pedes, quàm aliorum caput tangere. Sancti ſunt pedes etiam ſi viles ſunt. Quaſi de terra in cælum, ita ad ſancti cuiuſlibet viri monaſterium de proprijs domibus itur. Non ibi conſpicis ea, quæ domi, mundus eſt locus ille, alta ibi quies, atque ſilentium eſt: meum & tuum inde prorſus eliminatum eſt. Iſti profecto ſunt ſancti, atque inter homines angeli. Summus namque Dei timor non ſinit hos profundo ſopore demergi, animumq. a ſuo vigore laxari. Inde vbi ſurrexerint, diuinis laudibus inſtāt, hymnoſq. propheticos canunt magno, ſuauiq. concentu, & canticis numeroſis; ipſa quoque illorum cantica conuenientiſsima ſunt, & amorem Dei, diuinarumq. rerum ſtudiū ſpirant. In noctibus,
Pſal. 133. inquit, extollite manus veſtras ad Deum. Et
Iſa. 26. rurſus: De nocte mane vigilat ſpiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua ſunt in terra. Cantica item Dauidica fontes mouentia lachrymarum. Nobis oſcitantibus, prurientibus, atque ſtertentibus, ſiue etiam ſupinis iacentibus, & fraudes innumeras cogitantibus, quale eſt illos noctis totius ſpatium in Dei laude conſumere? Vbi vero lux diei iam vicina eſt, pauſant illi puſillum, & vbi opera nos aggredimur, illi quietis ſibi vendicant tempus. Iam vero vbi illuxit, quiſq; noſtrum alium vocat, ſermonemq. de impendijs texit, inde irrūpit in forum ad negotia, ludos, illi contra matutinis precibus, hymniſq. peractis ad ſanctarum ſcriptnrarum ſtudia ſe conuertunt, ceteriſq. prandentibus, ridentibus, ludentibus, ciboq. diſtentis immodico, hi laudibus vacant. Minima his inſtruendæ menſæ cura, & omniū, quæ ſenſui ſubiacent: poſt cœnam rurſus diuinis inſeruiunt laudibus, ſicq. ſobrij ſomnum capiunt. At ſæculares quidem & die dormiūt, hi noctu quoque peruigiles durant, vt vere filij lucis. Ad veſperam rurſus inclinante die, illi ad lauacra, & requiem properant, hi vero a ſeipſis laborem ſpiritualis exercitij laxantes cibum ſumunt, non coquorum arte laboratū, ſed alij panem tantum & ſal, alij & oleum ſumunt, plerique infirmiores olera, atque legumina in cibum accipiunt. Inde vbi paululum ſederint, tempus omne hymnis concludentes, ſinguli thoris requieſcunt ad quietem ſolum, non ad delicias factis. Nihil ibi carnale eſt, nō latronum illic timetur incurſus, neque enim habent, quod eis poſsit auferri, pecunijs carēt, corpus tantum & animam poſsident. Ea qui tulerint, non modo læſerint nihil, verum & plurimū profuerunt: Mihi enim viuere Chriſtus
Philip. 1. eſt, &

est,& mori lucrum. Absolutis nexibus corporis, vox exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. Mortem illi nec ducũt, nec existimant mortem, cum hymnis prosequuntur abeuntes. Vbi quisquam nunciatus fuerit mortuus, magna oritur exultatio, ingensq. voluptas omnium. Immo ne mortuum quidẽ aliquis appellare audet, sed consummatũ. Quod si quis infirmatus fuerit, non lamenta, non lachrymæ, sed perpetuæ funduntur preces: non ibi medicorum operatur manus, sed fides sæpe sine medicamento sanauit infirmum. Sed etsi contigerit morbus, non ex gulæ prodijt vitio, non ex vinolenta, sed ipsæ quoque morborum occasiones plenæ sunt laudibus, non criminibus vllis obnoxiæ. Aut enim ex vigilijs iugibus, aut ex cõtinuato ieiunio, aut ex aliquibus huiusmodi infirmitas nascitur, quocirca etiã facile liberantur. Satis enim illis est ad euadẽda languoris incommoda, si vel modice de pristino rigore relaxent. *Psal. 107.*

5 IDEM inquit: Frequenter optaui, ac deprecatus sum tantum leges, ac iura optima in ciuitatibus valere, vt nihil iam opus esset monasterijs, neque ad eremũ confugere quẽquã necessitas instaret. Quoniam vero, quæ supra fuerunt, infra iam facta sunt, ipsæq. ciuitates, in quibus iudicia, & leges erant, omni iniquitate & scelere impletæ sunt, solitudo vero philosophiæ fructus vberrimos germinat, profecto non illi in culpa sunt, qui hac procella, & turbine se eximere, atque seruare cupientes educunt, eisq. ad quietis & tranquillitatis portum duces fiunt, non inquam isti merito a vobis culpari debent, verum hi, qui ciuitates singulas adeo virtuti inuias, & inaccessas fecerunt, atque ad philosophiam penitus inutiles, vt qui salui esse cupiunt, non aliter id possint assequi, quàm si solitudines, & deserta persequantur. Lib. 1. cõtra vituperatores vitæ monasticæ, t. 5.

6 IDEM: Consolatur rationibus naturalibus gentilem patrem ægreferentem monachatum filij, & ait: Fingamus patrem istius modi non modo esse gentilem, sed nobilem quoque, ac vltra omnes homines locupletem, singulari potentia præditum, habeat agros plurimos, ædes permultas, auriq. innumera talenta, sit præterea clarissima patria, & regia, illustrissimoq. genere, neque habeat alios filios, neque habiturum speret, sed huic soli inniteatur, & ex hoc solo pendeat. Qui & ipse sit summæ spei, eoq. ingenio, natura, industria, vt ad imperia, & magistratus mature ascensurus expectetur, patremq. ipsum splendore & gloria breui superaturus. Tum vero in medio tantæ spei accedat aliquis ad illum, atque de religione verba faciens, persuadeat, vt spretis illis omnibus vestem se rusticam induat, & relicta vrbe ad montem confugiat, ibiq. plantet, inserat, riget, aquas ferat, ceteraq. monachorum faciat opera, quæ & vilia, & indigna esse videantur. Incedat præterea discalciatus, & humi iacens quiescat, efficiaturq. pallidus, gracilis, ac macie confectus, decorus ille adolescens, qui tantis antea in delicijs, & honoribus degebat, qui tantæ spei signa præ se ferebat, vilius etiã quã serui sui vestiatur. Lamentetur & lugeat pater, vt indignationem omnium aduersus religiosos magis accendat. Dicat, Filium ego genui, & enutriui, ætatemq. omnem in ærumnis contriui. Expectabam hunc senectuti meæ solatio, & adiumento fore, processuq. temporis de vxore, splendidissimoq. matrimonio tractabam, de imperio, de magistratibus, & insigni potestate cogitare cœperam: cum repente tamquam fulmen, aut procella ingens, nescio qua parte irruens pretiosissimam nauem, multisq. oneribus refertam, quę secundis ventis nauigabat, cum iam ad portum propinquaret, parum ante ipsum ostium submersit: sic sic profecto mihi nunc contigit. Namq; execrabiles illi, flagitiosi, perditi nebulones (dicat enim hæc, atq; huiusmodi cetera, nihil illi succensebimus) tantæ spei filium, senectutis meæ custodem, & nutritorem veluti latrones quidã immanissimi mihi repente subductum in speluncas suas abduxerunt, adeoq. illum suis carminibus excantarunt, vt eligat magis aduersus ferrum, ignem, bestias, aduersus omnia denique fortiter ac summa constantia persistere, quàm ad priorem prosperitatem, prioresq. copias remeare. Apud me nulla sententia obtinet, nisi, vt iniecto igne, cuncta simul exuram, ædes, agros, armenta boum, greges pecorum. Quo enim mihi hæc iam vtilia sunt, cum ille non adsit, cuius vsibus parata erant, captiuus scilicet abductus, atque apud barbaros crudelissimos seruitutem seruiens omni morte duriorem? Amictu nigro seruos omnes operui, cunctamq. familiã: aspersi cinere capita mulierum, iusq. dirius ac amarius plangere, quàm si mortuum vidissem. Ostendamus hunc nihil penitus perpessum mali, verumetiam cõtra maximis potitum bonis, eisq. tam insignibus, vt excellentiora non possint reperiri. Atqui ab ipsis primum opibus inchoemus, nam hoc vnum iste maxime lamentatus est. Dic quæso, vtrum omnes beatum dicimus, & plane felicissimum, eum ne qui siti semper æstuat, quique antequam priorem calicem sorbuerit, rursus alio indiget, atque semper in hoc perseuerat statu, an eum, qui superior hac necessitate constitutus sine siti semper durat? Infra: Quæso te idcirco lamentaris, & luges filiũ tuũ, quod hac tanta vexania, tamq. desperato morbo liber euasit? Quod hoc irremediabili, insanoq. amore pecuniarum caruit? Quod bello hoc, & pugna manus immunis: Infra: Si filium tuum diuitijs vltra omnes eminere mõstrauero, atque longe esse ditiorem, quiescesne tandem te lamentis, ac suspirijs adeo amaris conficere, tamq. diris gemitibus abstinebis? Nec modo me cælestia bona persecuturũ putes, quæ nobis post hanc vitam reddenda sunt: ex his quæ sunt in manibus te interim docebo. Nempe enim tu eorum tantum, quæ possides, dominus es, ille vero omnium, quæ sunt in orbe terrarum. Sin vero tu minus credis *Idem lib. 2.*

dis age te ad illum adducamus, ac persuadeamus, vt de monte descendens, magis autem illic residens, alicui ex his, qui & diuites valde; & religiosi sunt, mandet sibi, mittat auri pondus quantum ipse vis, siue quia istud non pateretur, illi vel illi indigenti dare iubeat, videbis illum diuitem alacrius obaudiẽtem, quàm faceret nutu tuo dispensator tuus. Infra: Enimuero ille terræ, marisq. dominus ita facile, sicq. sine mœrore, & gemitu migrabit ad alia, vt facis tu, cũ per agros tuos incedis quin longe etiam facilius. Terram ille omnem vt propriam obambulat, eiq. potum vndique largissimum suppetũt stagna, cibum vero, & olera, & virentes herbæ, multisq. ex locis panes aduecti suppeditant. Sin autem sibi moriendũ fuerit lætius, atque iucũdius feret occubitum, quàm vos delicias vestras, atq; ita mori magis optabit peregre, quàm vos in patria & lecto. Neque illum vmquam e patria poteris educere, nisi ex terra prius vniuersa propuleris. Immo tunc maxime in patriam reduces, cũ terra penitus deduxeris. Neque vero nudum eum poteris ostendere, donec amictus fuerit virtutum indumentis, neq; fame vmquam perimes, quamdiu qui sit verus cibus agnouerit. Cui ergo cibus, potus, domus, & requies vbiq; suppetit, liquet prorsus eum vobis omnibus diuitibus esse ditiorem, qui ista in ædibus vestris tãtum inuenire potestis. Qui in solitudine est viget, ac vegeto corpusculo est, quippe qui & purissimo fruitur aere, & saluberrimis vndis, & pratis, & floribus, & odore integerrimo, atque gratissimo, hic vero velut in cœno iacens, & mollior est, & imbecillior, & morbis omnibus magis obnoxius. Infra, Si vlcisci possе inimicos eadem suprema potentia esse censetur, multo plane erit excellentius, eiusmodi 9
vitæ statum reperire, in quo nemo sit, qui & si velit, nocere possit. Dic quæso, quidnam esse commodius censes reine bellicę ita quempiam peritum esse, vt nemo, qui se vulneret inuulneratus effugiat, an eiusmodi esse corpore, quod quantalibet quisq; machinetur, vulnerare potius nõ possit? Illud etiam magnum est, si vulnereris, medicamenta nosse per quæ vulnera medeantur omnia. Filius tuus hoc habet, vt nõ reperiatur qui ei nocere possit, nec qui velit quidem etiam si posset. Ita duabus ex partibus ille tutus erit. Quid igitur hoc vitæ statu singularius, quid diuinius fingi potest, in quo nemo nocere velit, nec si velit possit. Cũ potissimum nolle nocere non ex impotentia veniat, vt in plerisq; contingit, sed ex eo, quòd nocendi nulla causa rationabilis existat. Quisnam eum lædere, atque iniurijs afficere velit, qui nihil habet commune cum hominibus, nõ chirographorum gratia, non prædiorum, non pecuniarum, non negotiorum, non alterius denique rei alicuius. Pro quibus aduersus eum villis corrixabitur, pro quibus seruis, pro qua gloria? Quidnam metuens, quid inuidens? Aut enim inuidia, aut timore, aut ira commouemur, vt aliquem lædamus. Quis enim illi 8
inuideat, qui cuncta ea irrideat, quæ alij vehementer amant, & plurimi existimant? Quis illi irascatur, a quo nulla fuerit lacessitus iniuria? Quis eum metuat, quem nihil suspectũ habet? Constat igitur ex his neminem esse, qui nocere velit, quod autem non possit, ne si velit quidem & hoc similiter manifestum erit. Nullæ enim sunt occasiones, aut causæ, quibus eũ aliquis impedire possit. Sed vt aquila sublime volans, minutarum auium laqueis non capitur, ita & hic. Vnde enim vel ex qua causa nocere ei possit aliquis? Pecunias ille non habet, vt damnum metuat, patriam non habet, vt exilium sibi aliquis intentet, gloriam non optat, vt dedecus timeat. Vnum reliquum est, mors scilicet, sed eam, qui sibi intulerit non modo illum lædet, aut mœrore afficiet, verum summa quoque illi conferet emolumenta. An cupis genus aliud suæ potentiæ ac virtutis addiscere longe isto excellẽtius? Siue quis enim 10
innumeris iniurijs afficiat, siue verberibus atterat, siue in vincula conijciat, corpus quidem natura infirmum violatur, ceterum animus, quod philosophiæ intentus sit immobilis durat, neque enim iracundia capitur, non odio peruius est, non inimicitias exercet. Quæ cum sint mirabilia, id profecto mirabilius est, quòd eos, qui se ita vexant, sic diligit, vt beneficos, & suorum profectuum magistros, bonaq. illis cuncta imprecatur. Atqui tu quid ei vmquam tale præstare potuisses, etiam si millies regem ipsum totius orbis constituisses, & decem millibus annis imperium ei prorogasses? Quæna purpuræ vis, quæ claritudo, quæ gloria, sic affecto animo comparata, non vilescat, atq; euanescat. Infra: Aliam viri potentiam intueamur. Adducatur afflictus aliquis, & insigni calamitate mœstus, & ad illum, & ad te, immo & ad regem ipsum, tum videamus vter illum refouere, & recreare magis sua prouidentia possit. Si adducatur quis, qui filium amisit vnicum mœrens, statim ex aspectu ipso, atq; habitu, itemq. ex ipso habitaculo demissum, ora eriget ac persuadebit facile, nihil æstimare res humanas, cum oratione sua mœroris omnem nebulam fugabit, & exterget. Nam cũ viderit filium tuum tantas opes spreuisse, & gloriam, minus dolebit sibi filium obijsse.
Infra: Atqui si in summo fuisset magistratu incertum est, an ipsum quoque patrem cõtemptui habiturus esset, nunc vero eam elegit vitam, per quam cum rege ipso sit illustrior, & clarior, sed vitæ humilitate tibi subditus est. Et in sæculo quidem pecuniarum cupidus tuũ etiam fortasis optasset occubitũ, nunc vero vt quàm longissima tibi vita prorogetur, orat. Et si fuerit sibi moriendum pro tuo capite, nõ 11
abnuet, quippe, qui non tantum naturali te lege colit, obseruat, honorat, verum multo magis, vt Dei iussis obtemperet, per quem cuncta despexit, & reliquit. Quid ergo ingemiscis? An quia quotidie non metuis ne forte in bello moriatur, quod numquam offensurus est regis animum, quia commilitonum inuidiæ

non patet? Nonne & hæc, & his plura etiam probatis filijs metuunt patres? At habet aliquam voluptatem baltheus,& paludamẽtum, & præconis vox,& ista tandem quot dierũ spatio tenduntur? Num triginta,aut centũ? Quid postea? Nõne transierũt illa omnia, vt fumus, vt somnium, vt vmbra, vt fabula? At nunc illi vsque in finem honor iste permanet, immo vero post mortẽ quoque,immo vero postea multo cumulatior, atq; hunc honorem hoc imperium nemo ab illo vmquam poterit auferre, cum hæc non ab homine, sed a virtute ipsa acceperit. Infra: Num ignoras quantum voluptatis, quid iucunditatis ea vita pariat, quæ a strepitu negotiorum remota penitus quietẽ agit? Fortasse ne vllus id hominũ nouit, quippe, qui eam vitam numquã perfecte gustauit. Nonne summum esse detrimentum arbitraris, quando ad extremam prouecti senectutem, vt qui in priori ætate nihil boni, nihil emolumenti fueritis lucrati, molestissime eam ætatem fertis. Atqui filius tuus numquam prorsus id patietur, sed si ad longissimam quoque senectutem sibi protendantur anni, non illum videbis indignantem,aut iniquo animo ferentem,vt vos facitis,verum gaudẽtem, & triumphãtem. Tunc enim bona sua vigent amplius, & florent. Vos cum tantam diuitiarum copiam præparatam in senectutem habeatis,plurimæq. vobis,& deliciarum, & gloriæ occasiones suppetant, ægrefertis quòd ætas non sufficiat,vt eis frui valeatis. Idcirco mortem quoque perhorrescitis,vosq. tunc potissimum miserabiliores omnibus esse confitemini, cũ maxime floretis. Tunc ille e cõtra insigni requie fruetur cum senuerit, quippe, qui ad portũ venire properat,habetq. eã iuuentutẽ,quæ viget semper ac viret, nullumque metuit senectutis occasum. Verum enim tu filium tuum eis hauriendis voluptatibus instare voluisses,quarum illum millies pœnituisset, cum ad senectutem peruenisset.

12 Lib. 3. cõtra vituperatores vitæ monasticæ.

IDEM sic habet: Cum mundus plenus sit perturbationibus & procellis,nihil horum penitus in monasterijs inuenies, verum quãquã procella tanta,tantiq. fluctus desæuiant,soli in tranquillo & portu, & securitate summa residentes veluti ex cælo ipso ceterorum naufragia prospectant. Namq; conuersationem plane cælestem elegerunt, nihilq. deterius Angelis affecti sunt.Vt enim illis nulla inest inæqualitas,nec alij succesibus,secũdisq. rebus elati, gloriãtur,alij extremis malis, & incommodis oppressi gemunt,sed omnes pariter in gaudio, & quiete, summaq. illa, & cælesti gloria exultant: ita fieri quoq; perspicias in monasterijs, nullus ibi paupertatem exprobat, nullis diuitijs honestior est. Inde id,quod omnia peruertit,& perturbat, meum,& tuum penitus eliminatum est. Cuncta quippe illis cõmunia sunt, mensa,domus,indumentum. Et quod sane mirabilius est vnus etiã, idemq. animus omnibus est. Omnes eadẽ sunt nobilitate nobiles, omnes eadẽ seruitute serui, eadẽ libertate liberi. Vnæ illic omniũ diuitiæ,quę verę diuitiæ sunt, vna gloria, quæ vere gloria est. Non enim in appellationibus,sed in ipsis rebus bona eorum consistunt. Vna ibi voluptas, vna iucunditas, vnæ deliciæ, vnũ desideriũ, vna spes omnibus inest. Nulla ibi inæqualitas, ceterũ ordo summus,& ineffabilis concordiæ seruandę diligentia, iugisq. ac perpetua lætitiæ materia. Quo circa omnes omnia,& patiuntur,& faciunt, vt vnæ lætentur,& gaudeant. Illic enim solum videas id perfecte cõtingere,nõ modo quòd præsentia omnia contemnãt, omnemq. ab se rixæ, & discordię,& pugnæ materiã absciderint,clarissimaq. cælestium bonorũ spe beati sint, sed quòd ea quoq; quæ singulis contingunt, & tristia,& læta,communia esse omnium existimẽt. Quippe & mæror facilius fugat, cũ pro virili sua omnes singulorũ cõportẽt onera, lætitiæq. occasiones habeant innumeras,non in suis modo lætis,sed in aliorum quoque,& quidem non minus, quàm in suis quiq. gestientes.

13 In sermo. 1. B. Andreæ.

BERNARDVS sic habet; Pisces mundos esse legalis sanctio iudicat,qui & pennis leuantur,& proteguntur squamis,siue illi in mari sint, siue in flumine, siue in stagno. Habet etiam mare hoc magnum & spatiosum pisces mundos, & Dominica dignos mensa. Quia ex his,qui in sæculi latitudine,habitu,actuq. versantur,reliquit sibi multa millia,quos Apostolica sagena trahit, vt cum educta fuerit segregentur a malis. Habet & flumen pisces mundos, quicumque inter dispensatores fideles inueniuntur. Fluuius quippe est prædicatorum ordo,non in eodem permanens loco, sed extẽdens se, & currens vt diuersas irriget terras. Sunt & in stagno mundi pisces, qui in claustro Deo seruiunt in spiritu & virtute. Merito siquidem stagnis monasteria comparantur, vbi quodammodo incarcerati pisces euagãdi non habeant libertatem, quo videlicet parati sint semper ad epulas spirituales dicentes singuli intra se: Quando veniet qui me deferat? Cunctis diebus,quibus nunc milito,expecto donec veniat immutatio mea. Illi mundi sunt pisces, qui squamas & pennulas habent. Sunt autem squamæ multæ, sed vna ex eis quodammodo lorica contexitur, quia vna est patientiæ virtus. Pennulæ vero ad hilaritatem non incongrue referũtur. Hilaritas quippe leuat,& subleuat, vt saltus quosdam in altum dare videatur quisquis exhilaratur. Sane,vt duas habeamus pennulas, duplex nobis hilaritas quærenda est. Et forte propterea docet Apostolus,qui volauit in paradisum, non solũ gloriari in spe, sed etiam in tribulationibus. Prorsus sublime volat quisquis ille est, quem non modo futurorum expectatio bonorum, sed præsentium quoque malorum exhibitio ipsa delectat, ita vt in eo etiam glorietur.

14 Serm. 4. in Psalm. Qui habitat.

IDEM ait; Thesaurum regni cælorum, qui inuenit homo abscõdit. Propter quod etiã corporaliter in claustris, & in syluis absconditur. Et si scire vultis quantum in hac absconsione lucramur,credo nullũ hic esse qui si quar tam

tam partem eorum,quæ facit, in sæculo actitaret, non adoraretur vt sanctus, reputaretur vt Angelus, nunc autem quotidie tamquam negligens arguitur,& increpatur. Parum ne hoc lucrum ducitis, quod non reputamini sancti antequam sitis?

15 In serm. de obedientia, patientia,& sapientia.

IDEM ait: Studiose suscipite datã vobis opportunitatẽ operandæ salutis. Obsecro per misericordiã, pro qua tam miserabiles vos facere studuistis,facite ad quod venistis,ad quod ascendistis de fluminibus Babylonis. Super flumina Babylonis,ait propheta, illic sedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion. Nulla vobis hic nutriendorum liberorum cura,nulla sollicitudo quomodo placeatis vxoribus, non de nundinis, non de negotijs sæcularibus, non de ipso victu, & vestitu necesse est cogitare. Procul a vobis magna quidẽ ex parte diei malitia & sollicitudo vitæ. Sic abscõdit vos Deus in abscondito tabernaculi sui. Psal. 136.

16 In serm. de tribus ordinib. ad Pat. in capitulo congregatis.

IDEM inquit: Hoc mare magnũ & spatiosum, in quo vtiq; certum est nihil aliud quàm præsens sæculum amarum, fluctuãs designari, tribus hominũ generibus suo cuiq; modo peruium est,vt transeãt liberati. Tres enim sunt, Noe,Daniel,& Iob,quorum primus naui,secũdus ponte,tertius vado transijt. Porro tres homines,tres ordines Ecclesiæ signant. Noe quidem arcam rexit,ne periret diluuio,vbi protinus rectorum Ecclesiæ formã agnosco. Daniel vir desideriorũ abstinentiæ & continentiæ deditus,ipse est soli Deo vacans pœnitentium, & cõtinentium ordo. Iob quoq; substantiam huius mundi bene dispensans in coniugio, fidelẽ designat populum terrena licite possidentem. Sæcularium ordo est, qui mare magnum vado pertrãsit,laboriosum prorsus, & periculosum, etiam & longum habens iter,quippe qui nulla viæ cõpendia captet. Nam quod periculosum sit iter in eo patet,quod tã multos in eo perire dolemus, tã paucos videmus, sicut necesse est, pertrãsire. Valde enim difficile est, presertim diebus istis, quibus malitia nimis inualuit, inter vndas huius mundi, voraginem vitiorũ,& peccatorum foueas declinare. At continentiũ quidẽ ordo & ponte pertransit, quod iter breuius, & facilius, & securius esse,nemo est, qui nesciat.

Infra: Tribus lignis pons iste cõpactus est,vt qui perfecte eis inniti voluerint, non labatur in itinere pes eorum. Hæc autem sunt pœna corporis, paupertas, & obedientia. Nam & per multas tribulationes oportet nos intrare in regnũ Dei,& qui volunt diuites fieri in hoc sæculo,incidunt in laqueum,& in tentationẽ diaboli; & quem a Deo exturbauit inobedientia,sine dubio per obedientiã recto tramite ad eum redit. Hæc sibi inuicem cõpacta esse necesse est. Nã nec pœna corporis inter diuitias stabilis,nec obedientia sine pœna facile potest esse discreta; & paupertas in voluptate, & voluntate propria nullius potest esse mentis,& obedientia in diuitijs & voluptate,nec stabilis,nec gloriosa. At vero his sic compositis, vide si non tria maris huius pericula euafisti, concupiscentiam carnis, cõcupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ. Act. 13. 14. 1. Tim. 6.

17 Serm 63. ex paruis.

IDEM explicat verba illa de religiosis, Canticorum 4. Dentes tui sicut grex tonsarũ, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus,& sterilis non est in eis. Dentes isti lacte candidiores sponsæ sunt, cuius speciem cõcupiuit altissimus: quæ non habet maculã, neque rugam. Cum enim tota candida sit,candidior probatur in dentibus. Noua tamen & inaudita comparatione in illius laudes perorat, dicens: Dentes tui sicut grex tonsarum. Dẽtes candidi sunt & fortes, carnem non habent, carent corio, nihil intra se pati possunt,nõ est dolor sicut dolor eorum, clausi sunt labijs ne videantur,indecens est cum videntur,nisi ridendo,toti corpori masticant cibum, nullum inde saporem habent, non facile consumuntur, per ordinem positi sunt,superiores,alij inferiores: & cum inferiores moueãtur, superiores numquam. Huiusmodi dentes ego arbitror homines religiosos,qui viam compendiosiorem, & securiorem vitam eligentes, de toto Ecclesiæ corpore,quod candidũ est,candidiores esse videntur. Quid enim illis candidius, qui totius immunditias spurcitiæ euitantes, cogitationũ sicut actionum peccata deplorant? Quid fortius illis,quibus tribulatio pro solatio,contumelia pro gloria,inopia pro abundantia,ducitur? Isti carnem nõ habent,quia in carne carnem obliti audiunt: Vos autem in carne non estis,sed in spiritu. Corio carent,quia nitorem & distensionem mundanarũ sollicitudinum nõ habentes in pace in idipsum dormiunt, & requiescunt. Nihil morari intra se patiuntur, quia nec modicum quidem offendiculũ tolerabile reputant, aut intra se, aut in conscientijs singulorum. Non est dolor sicut dolor eorum, quia nihil tam horrendum, & horribile est, sicut murmur & dissensio in cõgregatione. Clausi sunt labijs, ne videantur, sic & nos materialibus vallis circumcingimur, ne sæcularium oculis,& accessui pateamus. Indecẽs est si appareant,nisi interdũ forte ad risum, quia nihil turpius, quàm monachus per vrbes,& castella discurrens, nisi cũ illa cogit,quæ operit multitudinem peccatorũ. Charitas enim risus est, quia hilaris est,non tamen dissoluta. Toti corpori masticant cibum dẽtes, quia ipsi pro toto Ecclesiæ corpore orare sunt cõstituti. Nullum inde saporem habere debent, nullam sibi gloriam assignare,sed dicere cum propheta: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Non facile consumuntur,quia quanto annosiores sunt,tanto feruentiores;& eo rapidius currunt,quo vicinius appropinquãt ad palmam. Per ordinem positi sunt, cibus & potus, vigilare & dormire, laborare & quiescere, ambulare & sedere, & cetera omnia in numero, & mensura, & pondere constituuntur. Superiores & inferiores sunt, quia inter nos prælati, & subditi sunt, & sic superiores inferioribus iunguntur, vt inferiores a superioribus non discordent. Cum autem inferiores Rom. 8. Psal. 113.

moueantur, superiores numquam moueri debent, quia etsi subditi quandoque turbentur, prælatorum est in mente composita perdurare. Sicut grex tonsarum, inquit: Quàm bene monachi tonsis ouibus comparantur, quia reuera tonsi sunt, quibus nec corda, nec corpora, nec aliquid mundanum in proprietate relictum est. Quæ ascenderũt de lauacro. Lauacrum, baptismus est, de quo ascendit, qui ad celsitudinem vitæ perfectioris intendit. Omnes gemellis fœtibus: quia & verbo pariunt, & exemplo. Et sterilis non est in eis: quia nullus est infœcundus.

19 Serm. 46. in Cantica. IDEM exponens illa verba; Lectulus noster floridus, dicit: In Ecclesia lectum, in quo quiescitur, claustra existimo esse, & monasteria, in quibus quiete a curis viuitur sæculi, & sollicitudinibus vitæ. Atque is lectus floridus demonstratur, cum exemplis, & institutis patrum tamquam quibusdam bene olentibus resparsa floribus fratrum conuersatio & vita refulget.

20 Serm. 60. in Cantica. IDEM explicans illa verba; Vineæ florentes dederunt odorem suum, ait: Hic odor serpentes fugat. Aiunt florescentibus vineis omne reptile venenatum cedere loco, nec vllatenus nouorum ferre odorem florum. Quod volo attendant nouitij nostri, & fiducialiter agãt, cogitantes qualem spiritum acceperunt, cuius primitias dæmones non sustinent. Si sic nouitius feruor, quid erit absoluta perfectio? Perpendatur ex flore fructus, & saporis virtus ex vi æstimetur odoris.

21 In libro de præcepto, & dispensatione. IDEM sic habet: Audire & hoc vultis a me, vnde inter cetera pœnitentiæ instituta monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt secundum baptisma nuncupetur. Arbitror ob perfectam mundi renunciationẽ, ac singularem excellentiam vitæ spiritualis, quæ præeminens vitæ humanæ generibus huiuscemodi conuersatio professores & amatores suos Angelis similes, dissimiles hominibus facit, immo diuinã in homine reformans imaginem, configurans nos Christo instar baptismi. Et quasi deniq; secundo baptizamur, dum per id, quod mortificamus mẽbra nostra, quæ sunt super terrã, rursum Christum induimus, comptantes denuo similitudini mortis eius. Sed & quomodo in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum trãsferimur claritatis æternæ, ita & in sancti huius secunda quadam regeneratione propositi, de tenebris æque non vnius originalis, sed multorũ actualium delictorum, in lumen virtutũ euadimus, reaptantes nobis illud Apostoli: Nox præcessit, dies autem appropinquauit.

22 In apologia ad Gulielmum abb. IDEM intendit Bernardus respõdere quibusdam, qui ipsum calumniabantur asserẽtes, quod apud ipsum Cluniacensiũ ordo non bene audiret, sed quod Cisterciensem suum ordinem sic laudaret, vt alijs videretur derogare, & his facere satis cupiens, dicit. Monachi, ac regulares clerici sibi inuicem derogare dicentur, quia proprijs abinuicem obseruantijs seruantur. Sed & Noe, & Danielem, & Iob in vno se regno pati non posse suspiceremur, ad quod vtique non eos vno tramite iustitiæ cognouimus peruenisse. Mariã denique, & Martham necesse sit, aut vtrãque, aut alteram Saluatori displicere, cui nimirũ tam dissimili studio deuotionis contendunt ambæ placere. Et hac ratione in tota Ecclesia (quæ vtique tam pluribus, tamq. dissimilibus variatur ordinibus, vtpote regina, quæ in psalmo legitur: Circumamicta varietatibus) nulla pax, nulla prorsus concordia esse putabitur. Quæ etenim secura quies, quis tutus in ea status inuenietur, si vnusquilibet homo vnumquemlibet ordinẽ eligens, alios aliter viuentes, aut ipse asperneretur, aut se ab ipsis sperni suspicetur, præsertim cum tenere vnum hominem, impossibile sit omnes ordines, vel vnum ordinem omnes homines? Non sum tam hebes, vt non cognoscam tunicam Ioseph, non illius, qui liberauit Ægyptum, sed qui saluauit mundum. Notissima quippe est, quia polymita, ideſt pulcherrima varietate distincta, sed & sanguine apparet intincta, non quidem hœdi, qui peccatũ significat, sed agni, qui designat innocentiam, hoc est, suo ipsius non alieno: quam tunicam hoc prætioso sanguine suo tinctam reliquit Ecclesiæ suę pignus hereditatis polymitam, incõsutilem, & desuper contextã per totum. Sed polymitam ob multorum ordinũ, qui in ea sunt multimodã distinctionẽ: inconsutilẽ vero propter indissolubilis charitatis indiuiduã vnitatem. Audi quomodo polymitã. Diuisiones gratiarum sunt, ait, idem aũt spiritus, & diuisiones operationum sunt, idem vero Dñs. Deinde diuersis enumeratis charismatibus, tamquã varijs tunicæ coloribus, quibus constet eam esse polymitã, vt ostendat etiam inconsutilẽ, & desuper contextã per totum, adiungit. Hæc autẽ omnia operatur vnus, atq; idem spiritus diuidens singulis prout vult. Charitas quippe diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis. Nõ ergo diuidatur, sed totam & integrã hereditario iure sortiatur Ecclesia, quia & de illa scriptũ est: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. Itaq; diuersi diuersa accipientes dona, alius quidẽ sic, alius vero sic, siue Cluniacẽses, siue Cisterciẽses, siue Canonici regulares, siue etiam laici fideles, omnis deniq; ordo, omnis lingua, omnis sexus, omnis ætas, omnis cõditio, in omni loco, per omne tempus, a primo homine vsq; ad nouissimum. Nam & propterea hoc talaris dicta est, quod ad finẽ vsq; pertingat. Omnes ergo concurramus pariter in vnã tunicam, & ex omnibus constet vna. Nam etsi ex pluribus & diuersis, vna est tamen columba mea, formosa mea, perfecta mea. Alioquin nec ego solus, nec tu sine me, nec ille sine vtroque, sed simul omnes simus illa vna, si tamen solliciti sumus seruare vnitatẽ spiritus in vinculo pacis. Non inquam tantum ordo noster, aut solus vester ad illam pertinet vnam, sed noster simul & vester, nisi forte (quod absit) inuicem

inuicem inuidentes, inuicẽ prouocantes, inuicem mordeamus, & ab inuicem consumamur, & sic non posit nos Apostolus vni illi viro, cui despondit, virginem castam exhibere Christo. Veruntamen illa vna dicit, in canticis. Ordinauit in me charitatem, vt etsi vna in charitate, diuisa tamen sit in ordinatione. Quid ergo? Cisterciensis sum, damno igitur Cluniacenses? Absit. Sed diligo, sed prædico, sed magnifico. Cur ergo inquis, ordinem illum non tenes, si sic laudas? Propter hoc, quod Apostolus, ait: Vnusquisque in ea vocatione in qua vocatus est, permaneat. Quod & si quæras, cur, & a principio non elegerim, si talem sciebam. Respondeo, propter id, quod rursus, ait, Apostolus. Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt. Non quòd ordo sanctus, & iustus non sit, sed quia ego carnalis eram venundatus sub peccato, & talem animæ meæ languorem sentiebam, cui fortior esset potio necessaria. Et diuersis morbis diuersa conueniunt medicamẽta, & fortioribus fortiora. Fac duos homines febribus anxiari, quartanis vnum, alterum tertianis. Commendet autem, qui quartanis laborat, tertiano aquam, & frigida quæque sumenda, cum tamen ab his ipse abstineat, vinumq. & cetera calida, vt pote, vt sibi congruentia sumat. Quis rogo hinc eum recte reprehendat? Si diceret ille, cur tu aquam non bibis, quam ita laudas? An non recte responderet, & tibi eam fideliter tribuo, & mihi saluberiter subtraho. Deniq; requiratur etiã a me, cur cũ omnes ordines laudem, omnes non teneo. Laudo omnes, & diligo, vbicumq. pie, & iuste viuitur in Ecclesia, vnum opere teneo, ceteros charitate. Faciet autem charitas (fidenter loquor) vt ne illorum quidem fructu fraudet, quorum instituta non sequor. Et quid mirum, si in hoc exilio peregrinante adhuc Ecclesia, quædam huiusmodi sit pluraliter (vt ita dixerim) vnitas, vnaq; pluralitas, cum in illa quoque patria, quando iam ipsa regnabit, nihilominus forte talis aliqua dispar quodãmodo æqualitas futura sit? Inde enim scriptum est. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Sicut itaque illic multæ mansiones in vna domo, ita hic multi ordines sunt in Ecclesia vna, Et quo modo hic diuisiones gratiarum sunt, idem autem spiritus, ita ibi distinctiones quidẽ gloriarum, sed vna domus. Vnitas hic consistit in vna charitate; diuersitas autem in ordinum, vel operationum multifaria diuisione. Intelligens deniq; Ecclesia hanc suam quodammodo discordem concordiam, concordemve discordiam, Deduxit me, inquit, super semitas iustitiæ propter nomen suum. Ponens quippe semitas pluraliter, & iustitiæ singulariter, nec diuersitatem prætermisit operationum, nec vnitatẽ operantium. Prœuidens quoque & illam in cælestibus discretã vnitatem futurã deuotissime læta decantat. Plateæ tuę Hierusalem sternentur auro mundo, & per omnes vicos tuos alleluia cãtabitur. Audiens enim plateas, & vicos coronas, & glorias diuersas intellige. In auro, quo vna metallo illa ciuitas ornata describitur, & vno alleluia, quod cantandum perhibetur, dissimilium specierum simílem pulchritudinem, & multarum mentium vnam deuotionem attende. Non igitur vna tantum semita inceditur, quia nec vna est mansio in cælo, quo tẽditur. Viderit autem quisque quacumq. incedat, ne pro diuersitate semitarum ab vna iustitia recedat, quoniam ad quamlibet mansionem, sua quisque semita peruenerit, ab vna domo Patris exors non erit.

Religiosi quomodo conuersari debent in monasterio, & horum prælati qualiter se debent habere.

Cap. III.

DIXIMVS multa de prælatis in libro anteriori ca. 30. & 31. Sed nõnulla sunt, quę religiosorum prælatos concernunt specialiter, quæ in hoc cap. adnotanda sunt, vt & subditorum, & prælatorum conuersationem in monasterijs explicemus. In primis.

1 Serm. 1. qui cõmonitorius est, ad amplectẽdã vitã monasticã de abdicatione sęculi. to. 2. BASILIVS sic habet: Qui cælestis viuendi ritus cupiditate flagras, atque Angelicæ vitæ es studiosus negotiator, quique sanctorum Christi discipulorum commilito cupis numerari, neruos tuos omnes ad rerum aduersarum tolerantiam intendito, & forti animo ad veræ pietatis cultorum te cœtum conferto, ipsoq. tuo desertionis mundi initio te virum præbeto, conatuq. omni elaborato, ne cognatorum horum, qui sunt secundum carnem amor ad terram te in altum cupientem extollere, deprimat, sed in eo animum tuum confirmato, vt cũ immortalibus, & cælestibus rebus, mortales terrenasq. commutes. Cum vero ab amicis, & ijs quibuscum vixeras familiariter diuellare, caue ne mœrore nimio conficiaris, qui Christo tum coniugaris, qui propter te cruci ipse suffixus est, si quidem in eo iam, quod terrenis rebus nunciũ remiseris, honoratũ te apud Christum fecisti, summaq. potius vigilantia acerrimaq. circunspectione operam dato, vt aliquẽ tibi virum inuenias, quem in omnibus deinceps delectæ tibi vitæ studijs certissimum ducem sequare, eiusmodiq; qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commõstrare, qui ornatus virtutibus sit, cuius vniuersæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charitatem in eo erga Deum inesse, qui diuinarum litterarum scientiam habeat, virum integrum, nec vlli distractioni indulgentem, ab auaritia abhorrentem, minime libenter gerendis se negotijs admiscẽtem, quietum, amantem Deum, egentium studiosum, minime iracundum, iniuriarum immemorẽ, natura propensum ad eos docendos, qui ad ipsum accedunt, quem gloria inanis nõ inflet, superbia nõ extollat, adulatio non frangat, seuerum, atque constantem, cui denique nihil sit præstantius honore Dei. Ac

2

ſi talem quempiam nactus fueris, tunc volun-
tatem tuam omnem expuito, ac foras proijci-
to: atque vbi hoc feceris, dede te illi, vt ſinceriſ-
ſimum veluti vas quoddam exiſtas, qui quæ in
te infundantur virtutes, ad laudem Dei omni
vitio caſtas cuſtodias. Hoc eſt, quod alterum
nobis eſt cū oppugnatore ſalutis noſtræ certa-
men. Vbi enim videt aduerſarius noſter, per-
ſuadere ſe nobis non potuiſſe, vt in mundi con
fuſione perditioneq. maneremus, in eo iam om
ni conatu contendit, vt nobis perſuadeat, ne
nos vitæ demus perfectiori, neve ei nos viro
committamus, qui noſtra omnia peccata no-
bis ante oculos ſtatuat, corrigatq. ſed vt alicui
nos credamus, & gloriæ nimio plus auido, &
propria vitia aſsimulata quadam lenitatis ſpe
cie erga familiares ſuos commendante, vt hoc
modo innumerabilibus nos denuo prauis ani-
mi libidinibus, contra primum animi noſtri
propoſitum veluti vinculis irretiat. Quòd ſi
te viro credideris virtutibus multis inſtructo,
ſine dubio omnium, quæ in ipſo bona fuerint,
heres remanebis. Si vero, quòd cum corpore
tuo agere mitius volueris, magiſtrum tibi ali-
quem quæſieris, tecum ſe ad vitia tua demit-
tentem, vel, vt verius dicam, tecum vna in
eandem perniciem corruentem, fruſtra mun-
danis rebus nuncium remittendi laborem ſu-
ſcepiſti, qui vitæ te prauis libidinibus obnoxię
mancipaueris, & cæcum tibi ducem aſciueris,
cuius ductum ſecuto in foueam tibi ſit proci-
Matt. 15. dendum. Cæcus enim ſi cæco ducatum præ-
ſtet, ambo in foueam cadunt. Sufficit enim
diſcipulo, vt ſit ſicut magiſter eius. Athleta-
rum in viuendo tibi eſt imitanda conſuetudo:
Matt. 10. Aliter enim ad coronam peruenire non pote-
ris. Vt enim eſt apud Apoſtolum: Non coro-
2. Tim. 2. nabitur, niſi qui legitime certauerit. Si igi-
tur talem virum Dei munere inueneris, magi-
ſtrum bonorum operum, hoc apud te conſtan-
ter teneto, vt nihil omnino præter illius ſen-
tentiam facias. Mentem tuam tute diligen-
ter exquire, quòd falſa quadam ſpecie boni tra
here te ſtudet inimicus, atque ex eo nimi-
3 rum, quod cum vtilitate aliquando non prę-
lati præceptis obtemperes, iter tibi ad res peſ-
ſimas gerendas munit. Caue ne generis nobi-
litate ſubnitare, neve ob eam cauſam honores
conſecteris (qui enim carnalis eſt, nō capit ea,
quæ ſunt ſpiritus) neque eorum quippiam, quę
vera iam pridem conſuetudine inueterauc-
rint, adulterare ac peruertere conatus ſis, atq;
hoc modo inani animi elatione tua, ſimul &
certaminis ſocios tuos ſupplantare, & gran-
dem ſuper te peccatorum molem aggerere,
non in ſtratu molliculo, non in calceamentis,
veſtimentisve, non in habitu quouis, non in
alijs, quàm quos communis fratrum vſus fert,
eſcis exquirendis, non in menſa, cum iam ni-
hil tibi amplius cum mundo eſſe aperte pro-
feſſus fueris. Etenim niſi celeriter animad-
uerteris diabolicas eſſe iſtas inſidias, eaſq. ex
animo penitus extirpaueris tuo, ſine dubio cæ
te a vera, quæ eſt ex Chriſto, viuendi diſcipli-
na deturbabunt. Verum cum illud in animo
tuo fixum ſtabilieris, omnium te quotquot
ſunt mortalium eſſe contemptiſsimum, pecca-
tiſq. onuſtiſsimum, peregrinumq. ac vagum,
& quem ſola miſericordia ad monaſteriū alij
admiſerunt, ſtudioſe operam dato, vt omnium
nouiſsimus ſis, ac ſeruus omnium. Aures aſsi-
due ad audienda ea, quæ imperentur, attentas
habeto, itemq. manus ad ea, quæ iuſſa ſint, exe-
quenda expromptas. Sit tibi taciturnitas in
ore, circumſcriptio in corde. Futiles qui ha-
beantur ſermones, tu magnopere ne attēdito.
Sed ſi quæ ex diuinis litteris ad ſalutem animæ
pertinentia memorari audieris, attende. A-
cerba guſtatu tibi ea ſunto, quęcūque de mun-
danis rebus memorentur, contraq. fauis mel-
lis aſsimilia, quę a pietatis colētibus viris nar-
rentur, enitere. Porro, vt eos imiteris, qui vt
animi ſui paſsiones componerent, priores te
in eo vitæ genere elaborauerunt. Nullum om-
nino ſit erratum quod paruipendas, eſto minu-
tiſsimum ſit. Ab hominibus tibi maiore ali- 4
qua propinquitate coniunctis deuia quantum
potes, atque in Dei conſpectum te, quàm fieri
poteſt, frequentiſsime dato. Quantum in te eſt
omnem in publicam proditionem ſemper de-
uitato, ac mentis hoc modo diſtractionem fu-
gito. Egreſſus es e cella tua? Ibi continentiam
reliquiſti, in mundum introſpexiſti: in mulie-
rem aliquam meretricem incidiſti, quæ & au-
ribus tuis blando ſermone delinitis, & oculo-
rum acie aſpectus ſui venuſtate perſtricta, ex-
quiſitiſq. obiectis eſcis, guſtatu per dolum cir-
cumuento, te, veluti hamo quodam trāsfixum,
haud ita multo poſt ad ſe pertrahet, atque ita
ſenſim te de recta viuendi via deductum, blan-
ditijs ſuis corrumpit ac perdit. Quòd ſi Dei
virtute factum ſit, vt ex eius retibus elabi po-
tueris, tu quidem ad cellulam tuam te recepi-
ſti, at non ille idem, qui prius antequam te in-
de mouiſſes, ſed ſegnis quidem, & languens, &
ad omne rectum munus lentus, diſſolutuſq. qui-
que non niſi magno tēporis interuallo ad pri-
ſtinum te habitum illum poſsis referre. Va-
rijs ſiquidem exortum tibi vtriuſque vitæ de-
ſiderium cogitationibus animum tuum fati-
gat. Vix & ægre poteris obtinere, vt ex ea flu-
ctuatione ille victor emergat. Quòd ſi neceſ-
ſitas incidat aliqua, quamobrem extra cellam
tibi exeundum ſit, cum te prius circum ab om-
ni parte Dei timore veluti firmiſsima quadam
lorica munieris. Chriſtiq. charitate in ma-
num inſerta, veluti validiſsimum ſcutum ap-
prehenderis, firmiterq. ſtabilieris, omneſq. in
te libidinum omnium factos impetus acerri-
ma continentię vi profligaueris, negotio illo,
cuius cauſa exiſti, expedito, domum te quā pri-
mum reuertere, neve diutius extra demoreris,
ſed innocentem colūbā illā imitare, atq; ad ar-
cā, vnde fueras emiſſus, alis vſus velocibus re-
di, atq; vt illa cum oliuæ ramulo in ore reuerſa
eſt, ita tu quoque inter redeundū cum ore tuo
Chriſti miſericordias decāta, atque hoc modo
internis tuis animi cogitationibus perſuade,
alibi te nuſquam cum ſalute poſſe conſiſtere.
Iuuenis, ſiue ætate, ſiue animo fueris, æqua-
lium

lium tuorum conſuetudinem defugito, ab il-
liſq. te non ſecus, atque ab ardentiſsima flam-
ma procul abducito, quando illorum opera
vſus aduerſarius pleroſq; olim incēdio dedit,
& ſempiterno igni cremandos addixit. Diffi-
cilibus ac moroſis ſenibus aures libenter præ-
beto, qui Prouerbiorum ſententijs adoleſcen-
tes ad recta ſtudia cohortantur. Infra: Eo-
rum, quos recte, ac ex virtute videris viuere, æ-
mulator eſto, & actionum exempla deſcripta
in animum tuum transferto. Opta, vt ſis de nu-
mero paucorum. Caue putes eos omnes fieri
ſaluos, qui ſe intra cellas ſuas contineant. Ne-
que enim ita res habet, quando ſunt quidem
multi, qui ad honeſtæ vitæ genus ſe conferunt,
rariſsimi autem, qui ipſius iugum ſuſcipiant.
Matt. 11. Violentorum eſt enim regnum cælorum, & vio
lenti rapiunt illud. Violentiam appellauit aſ-
ſiduam, & acrem corporis in laboribus fati-
gationem, quā nullius impulſu ſuapte ſponte
Chriſti diſcipuli faciunt, cum & voluntatem
propriam, & corporis laxamentum abnegant
omne, & magiſtri ſui præcepta omnia conſer-
uant. Quo circa ſi tibi in animo eſt rapere re-
gnum Dei, violentię te dato, ceruices tuas
Chriſti iugo ſubmittito, & eius loris collum
tuum arcte circumquaque cohibeto, premat
illud ceruicem tuam, labore illud virtutis at-
terito, vigilando, ieiunando, taciturnitatem
ſeruando, pſalmos aſsidue decantando, oratio-
nibuſq. & lachrymis operam dando, cuiuſque
modi difficultates omnes tolerando, ſiue illę a
dæmonibus, ſiue ab hominibus afferantur. No
li in eo properare, vt fratribus pręſis, ne alie-
norum peccatorum onere ceruices aggraues
tuas. Quæ ſingulis diebus feceris opera, ea ve-
ſperi tecum ipſe commemora, & cum ijs, quæ
feceris prius, conferto, ſtudioſeq. operam dato,
vt melior in dies magis, ac magis exiſtas. Pro-
ceſſum in virtutibus facito, vt hoc modo Ange
lis efficiare propinquior. Intra cellam tuā non
te diebus aliquot, mēſibuſve, ſed annis pluribus
contineto, ibiq. continenter noctem diemq.
6 Dominum laudato, & Cherubin imitare.
Serm. 1. de inſtitutionibus monac. Act. 5. IDEM ſic habet: Danda nobis ſedulo o-
pera eſt, ne quid quoquo pacto profeſsione no-
ſtra indignum faciamus, neve ſimili atq; Ana-
nias iudicio efficiamur obnoxij. Licebat enim
initio Ananiæ poſſeſsiunculam ſuam Deo non
polliceri ac vouere, ſed poſtquam humanæ glo
riæ cupiditate inductus, quicquid in bonis ha-
bebat, per profeſsionem Deo conſecrauit, quo
videlicet egregio iſtius modi facto hominum
de ſe admirationem excitaret, de pretio autem
callide poſtea neſcio quid interuertit, eiuſmo-
di aduerſum ſe indignationē Dei prouocauit,
cuius Petrus miniſter fuit, vt ne ad pœniten-
tiam aditum inuenerit. Quo circa ante reli-
gioſæ iſtius vitę profeſsionem liberum eſt vni-
cuique, quatenus per Dei indulgentiam leges
permittunt, communem cum ceteris viuendi
morem ſequi, ſibiq. vxorem adiungere; vbi
vero iam quis ſponte ſua ipſe profeſſus eſt, hic
Deo cuſtodire ſe ipſum debet, veluti eorum
aliquid quæ dicata ſunt Deo, nę ſacrilegij iudi-
cium incurrat, cum videlicet corpus quod ſe-
mel Deo conſecrauit, miniſterio rurſus com-
munis vitæ contaminet. Atque hoc dico, non
vnum tantummodo vitioſæ affectionis genus
ſpectans, ſed vt doceam eum, qui Deo ſerua-
re ſe integrum velit, nulla debere praua affe-
ctione mundana inquinari, iuxta omnem vi-
tioſæ affectionis modum. Nam iracundia, in-
uidia, & præteritarum iniuriarum tenax me-
moria, intempeſtiua locutio, & in oratione fa-
cienda lenitudo, & rerum, quæ nullæ ſunt, cu-
piditas, in veſtitu nimio plus exquiſitus or-
natus, congreſsioneſq. ac colloquia non habi-
ta vel decoris, vel neceſsitatis ratione: hæc
omnia adeo diligenter ab eo ſunt cauenda, qui
Deo ſe ipſum conſecrauit, vt par ſibi prope-
modum eſſe periculum intelligat, ſi in aliquo
iſtorum lapſus ſit, atque ſi in vetitum proprie
peccatum incurrat. Ad hæc igitur omnia re- 7
ſpiciat oportet, qui ſæculo nuncium remiſit,
vt nullo modo, poſtea quam iam diuinum ve-
luti vas factus ſit, vitioſo ſę vſu pollui patia-
tur. Eaque is in primis ſecum in animo ver-
ſare debet aſsidue, cum vltra humanę naturæ
fines proceſſerit, vitæ ſe cuidam inſtituto a cor-
pore ſeiunctæ tradidiſſe, Angelorum conuer-
ſationem dum ſibi imitandam proponit. Si
quidem proprium hoc eſt Angelicæ naturæ, li-
beram eſſe a vinculis coniugij, neque ad aliam
vllam contemplandam pulchritudinem ani-
mo diſtrahi, ſed oculos in Dei os aſsidue in-
tentos habere. Quamobrem, qui in Angelicę
iam dignitatis ordinem tranſiuit, ſi is prauis
poſtea humanis affectionibus contaminet,
Pardi ſimilis efficitur pelli, cuius ſetæ, nec ex
toto albæ ſunt, nec ex toto nigræ, ſed cum ſint
diſsimilium colorum miſtione variegatæ, ne-
que in albis numerantur, neq; in nigris. Vnus
omnium, qui ſunt in monaſterio, moderator
ſit, qui & propter vitæ, & morum probitatem,
& reliquis in rebus moderationem, ipſe cete-
ris antelatus ſit. Quoniam illud e re prorſus
eſt antiſtitis, vt fratrum conuentum in officio,
& poteſtate ſua habeat. Neceſſario talis ali-
quis huiuſcemodi vitæ moderator eligi debet,
in cuius vitam quicumque intueantur, omniū
virtutum exemplar ante oculos propoſitū ha-
beant. Ad eum modum huius vitam mihi pla-
cet ſpectari, non vt illud modo inquiratur, vtrū
ſenilem ipſa ætate maturitatem habeat, nec ne
(ſi quidem fieri poteſt, vt canis aliquis, ac ru-
gis oppletus, iuueniles tamen mores obtineat)
ſed illud, cum primis ſpectandum exiſtimo, nū
illi ipſa vitæ conuerſatio moreſq. ex modera-
tione incanuerint, vt quicquid ab eo dicatur
fiatve, id cunctis fratribus pro lege ac regula
ſit. Continentiæ in religioſis hic modus opti-
mus, ſi corpus neque diffluat delicijs, neque
maceratione nimia atteratur, illudq. in vtrāq; 8
partem teneatur, vt ne quid nimis, ne videlicet
animus, ſi carnium obeſitate grauetur, varijs
perturbationibus reddatur obnoxius, neque ſi
item contra plane morboſus fuerit effectus,
Dei mandata exequi non poſsit. Quandoqui-
dem par vtrinq; animo detrimentum ſolitum
eſt vſu

est vsu venire, & cum corpus ex bona habitudine luxurians, quodammodo animi imperium detrectat, & ad prauas cupiditates præceps se cum impetu fert in indecoros motus, & cum item languidum ac dissolutum, & doloribus oppressum mouere se loco non potest, doloriſq. sensu impeditus tenetur, sitq. in humum accliuis per corporis afflictionem. Quare cibi vsus eiusmodi esse debet, qui ad solam necessitatem referatur, itemq. vinum nec omnino respui debet, si quando valetudinis causa sit assumendum, neque sollicite nimis, si necessitas non sit, exquirendum, ac reliqua omnia similiter eiusmodi sunto, vt necessario ad victum vsui, non autem libidinosis voluptatibus inseruiant eorum, qui se ad religionis exercent cultum. Cum autem ad orationem nulla non vitæ pars opportuna habenda sit, quia tamen datis quibusdam interuallis ab ipsa psalmodiæ genuq. flexionis acri contentione nonnumquam est interquiescendum, is est maxime horarum modus tenendus, qui a veteribus olim sanctis viris ad orationem descriptus est. Etenim eximius ille Dauid ait. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Quem sane Paulus quoque & Silas secuti reperiuntur, cum in carcere positi circiter mediam noctem Deum ambo collaudarent. Addidit deinde idem propheta. Vespere, & mane, & meridie narrabo. Verum quoniam item hoc est apud Dauid, Septies in die laudem dixi tibi, perpetua nobis hæc formula seruãda est. Mulieres a monasteriorum ingressu prorsus arceantur. Viri non quiuis temere admittantur, sed ij tantummodo, quos idoneos, qui ingrediãtur, antistes iudicauerit. Plerumq. enim hæc temere facta omnibus ingrediendi potestas intempestiuorum quorundam sermonum, ac narrationum minime conuenientium causa est, ex quibus animus in futiles minimeq. necessarias postea cogitationes delabitur. Porro in huiusmodi hoc communi contubernio neutiquam patitur charitatis lex aliquas coiri seorsum aut amicitias, aut sodalitates. Si quidem nullo modo fieri potest, quin affectiones istæ quę in hanc magis, quàm in illam propendent partem plurimum incommodent communi omnium concordiæ. Quamobrem æqualiter se diligere omnes debent, idemq. aduersum vniuersum fratrum cœtum charitatis tenendus est modus. Quòd si quis inuentus fuerit, qui maiore quadam animi propensione, monachum, fratrem, vel propinquum, vel alium quemuis quauis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit, vt iniurium publicæ charitati. Si quidem in eo quod quis aliquem vnum plus diligit, facile indicat reliquos, se in amore inferiores habere. Ijs autem, qui in culpa aliqua deprehensi fuerint, ad magnitudinem delicti pœna accommodetur, videlicet, vt vel in communi cum ceteris psalmorum decãtationi interesse prohibeantur, vel ad orationis communionem neutiquam admittantur, itemq. a cibi communicatione arceantur. Cum autem necessaria aliqua de causa necesse fuerit in publicum prodire, antistitis arbitrium sit eos ad hoc deligere, quos idoneos, qui prodeant, ipse iudicauerit, itemq. contra præcipere, vt domi remaneant, quorum similiter ex re hoc esse cẽsuerit. Iracundiæ autem, aut memoriæ iniuriarum, aut inuidię, aut contentionis nullus prorsus sit, neque gestus, neque motus, nõ verbum, non oculorum acris obtutus, non aliud quippiam ex quo eorum, quibuscum viuimus, irritari animus possit. Iusiurandum de fratrum consortio prorsus expellatur. Si quis autem, vel nutu capitis, vel simplici voce assensus fuerit, id pro iureiurando habeatur, tam ei qui dicit, quàm ei qui audit. Si quis vero simplici alicuius affirmationi fidem non habuerit, is indicio est de sua ipsius mente, se videlicet, dum loquitur, veritatem non semper seruare. Completo iam die, vnusquisque antequam cubitum eat, conscięntiam suam exquirat, ac si quid quis vel cogitauerit, vel etiam locutus fuerit eorũ, quę non decent, vel si inter orandum minus attentus, aut in psalmorum decantatione tædio anxius fuerit, admissum a se delictum in medium audientibus cunctis enunciet, vt per cõmunem orationem sanetur morbus illius, qui in eiusmodi malum inciderit.

Psal. 118. Act. 16. Psal. 54.

10 Ser. 2. de institutionibus monast.

IDEM sic exorditur. Monachorum vitæ ratio vnum sibi tantummodo propositum habet, animæ salutem, & quicquid prodesse ad eum finem potest id, vt tamquam Dei mandatum cum timore obseruet. Conuenit ergo, vt sicut, qui in balneum ingrediuntur vestimentis se omnibus denudant, ita, & qui colendæ pietatis causa ad solitariam vitam accedunt, omni rerum vitæ huius materia exuti, genus vitæ, quod est secundum philosophiam, ingrediantur. Siquidem rerum temporalium sollicitudo procuratioq. magnopere mentem, atque animum distrahunt. Sit in monasterio voluntas vna, & mens vna, & idem prorsus desiderium, vt corpus vnum efficiatur ex dissimilibus interse membris coagmentatum. Hoc autem aliter nullo modo confici potest legitime, nisi apud eos illud probe stabilitum teneatur, vt nihil suum quisquam esse dicat.

Infra: Perfecta subiectorum obedientia in eo cernitur, si quis ex prælati consilio non a rebus modo flagitiosis abstineat, sed si, ne ea quidem; quæ laudabilia sunt, sine sententia illius faciat. Nam abstinentia, & omnis corporis incommodorum perpessio vtiliter hæc quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis propriæ obsequens voluntati spretis consilijs antistitis sui, id facere voluerit, quicquid ipsi collibitum sit, hic plus erit, quod faciet mali, quàm quod boni. Qui enim potestati resistit Dei ordinationi resistit, & præmium obedientiæ maius debetur, quàm recte facto cum continentia. Infra: Sermo inutilis protinus exterminetur, at si quid ad animarum ædificationem vtile sit, de hoc tantummodo sermo habeatur. Quin & in ijs ipsis quoque, quæ vtilia sunt, ordinis modestiæq. & temporis ad loquendum idonei habenda ratio est, & quæ dicenda sunt, ea ab ijs, dici

dici debent, quibus permissum sit loqui. Quod si ex inferiorum numero aliquis sit, is tandiu expectet quoad a superiore ad loquendum fuerit inuitatus. Egredi monasterium, præterquã vbi statutis temporibus necessitas postulauerit, nemini licitum sit.

11 IDEM lib. regul. fusius disput. fusius in fin. in respon. 22. interrog. & infra vsque ad 36. disputat, quo pacto exterior homo in religiosis reformandus sit: & primũ de vestitu differẽs, ait, In vestitu studendum est nobis, vt omnium infimi simus. Vt enim qui studiosi gloriæ sunt, ex amictu etiam vestimentorũ gloriam sibi soliti sunt aucupari, nempe qui ex illorũ magnificentia, splendoreq. spectabiles se & in admiratione esse cupiant, sic qui ob vitæ humilitatem in infimum seipsum abiecerit, in his quoque, quod omnium infimum est, consectari debet. Memineris, quod Ioannis vestimentum ex setis camelorum erat. Quin & veteres sancti illi circuibant in melotis, & pellibus caprinis. Atque Paulus indumentum ad solum corporis tegumentum futurum dixerat, inquiens. Habentes victum, & quibus tegamur, his contenti simus. Atque etiam perspicuum est quisnam primus integumentorum vsus fuerit, qui a Domino ipso eo indigẽtibus est datus. Fecit enim illis, inquit, Deus tunicas pelliceas: quandoquidem ad ea in corpore contegenda, quæ minus erant honestatis habitura aspectu ipso, satis erat huiusmodi tunicarum vsus: & quod etiam a frigoris inclementia homines tuerentur. Infra: In responsione 25. interrogationis docet, quàm terribile antistiti iudicium imminet, si fratres delinquentes non arguat. Antistes sic animo affectus esse debet, quasi qui intelligat reddendam sibi denuo quoq; rationem, corrigendosq. fratres, ne sanguis eorum requiratur de manibus suis, præsertim, si non ex insciti a aliquid tacens præterierit eorum, quæ Deo non placent, sed ex assentatione. De his enim scriptum est: Qui beatos vos dicũt, ipsi vos decipiunt, & viam pedum vestrorum disturbant. Qui autem turbat vos, portabit iudicium suum quicumque est ille. Vnde prælatus exemplum Apostoli imitari debet, qui ait: Neque enim aliquando in sermone fuimus adulationis, sicut scitis, neque in occasione auaritiæ (Deus testis est) neque quærentes ab hominibus gloriam, neque a nobis, neque ab alijs, sed facti sumus indulgentes in medio vestri, tãquam si nutrix foueat filios suos, ita desiderantes nos cupide volebamus vobis tradere non solum Euangelium Dei, sed etiam animas nostras. Qui vero in subditos non hoc pacto afficitur, is dux cæcus est, & seipsum agit in præceps, & sequentes se etiam inducit multorum malorum causa.

Matt. 11. Heb. 11. 1. Tim. 6. Gen. 3. Esa. 3. Gal. 5. 1. Thes. 2.

12 IDEM inquirens an liceat religioso assignatum sibi opus recusare, & aliud ab illo diuersum exquirere, inquit. Cum obediẽtia vsq; ad mortem seruari debeat, qui quod sibi assignatum est, recusat, & aliud ab eo diuersum exquirit, primum omnino hic obedientiã vio-

lat, & aperte declarat nequaquam seipsum abnegasse, tum etiam aliorum complurium malorum, cum sibi, tum alijs etiam auctor existit. Verum si causam habere se aliquam putat, quamobrem opus recusẽt, hanc magistris indicato, eamq. illis disceptandam relinquito.

13 IDEM de obedientia monachorum dicit; Multa, quæ adnotauimus lib. 13. cap. 1. Lib. constit. monastic. c. 23.

CHRYSOSTOMVS exponens verba illa; Si autem manus tua, aut pes tuus scandalizat te, abscinde, & proijce abs te, dicit. Si te scandalizat oculus, si te scandalizat manus, si te scandalizat pes, si te charorum nomina, pater, mater, frater, filius scandalizant, abscinde a te: melius te est regnare sine matre, quàm perire cum matre. Et hoc proprie loquitur ad monachos, qui Apostolicam vitam desiderant imitari. Vis o monache esse discipulus meus, fac tu quod fecit Petrus, quod Ioannes, & Iacobus. Habebant oculum scandalizantem, patrem, & nauem, & rete, & relictis illis secuti sunt Iesum. Nemo ergo dicat, matrem habeo, habeo patrem, filium, cetera pietatis nomina charorum. Nemo monachorum hæc dicat, respondebo enim tibi, habes Iesum, quid quæris ista, quæ mortua sunt? Qui habet Iesum, habet patrem, habet matrem, habet filios, habet omnem propinquitatem. Quid quæris mortuos? Sequere viuum, dimitte mortuos, vt sepeliant mortuos. Dicit ad Dominum vnus discipulus: Dimitte me, vt vadam, & sepeliam patrem meum. Non dixit, dimitte me, vt sim cum patre meo, sed dimitte me vnius horæ spatium. Quid ei respondit Dominus? Et in vna hora perire potes. Vide ne dũ vis sepelire mortuum, ipse moriaris. Dico tibi monache, quid quæris patrem, aut quid quæris matrem? Aut Christiana est mater, aut non, aut sancta est, aut peccatrix. Si sancta est, gaudet, quia seruis Domino: si peccatrix, dimitte illam, mortua est. Interrogo te o mater Christiana, filius tuus seruit in monasterio Christo, signatus est cauterio regis sui, habet scutum iemunium, habet gladium sermonem Dei, habet loricam vestimentum Iesu. Sic est armatus, paratus ad pugnam, debet in campum exire, & pugnare aduersus hostes. Tu ei dices, dimitte arma, & veni in cubiculum. Propositum est tibi o monache, sicut & Adam, & dicitur tibi: Ecce vita, ecce mors, elige quod vis. Habes duos patres, spiritalem, & carnalem, vtrumque amare non potes: si spiritalis amatur, carnalis contemnitur. Si vis sequi carnalem patrem, relinque spiritalem. Intantum honora parentes, inquantum non impediant ad seruitutem Domini.

14 Homil. 17. ex varijs in Matt. to. 2. Mat. 8. & Luc. 19. Eccli. 15.

15 HIERONYMVS respondens Vigilantio, qui statum monachorum detestabatur, ait. Monachus plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pauidus prestoletur aduentum, qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur. Vnde & mulierum, maximeq. adolescentularum vitat aspectum, & intantum castiga-

Epist. aduersus Vigilantium. to. 2.

tor

sui est, vt etiam quæ tuta sunt, pertimescat.

16 In reg. monacharũ c. 35. to. 9. IDEM sic habet; Quando vos ad refectionem hora debita adunauerit in cibis vestris, minime refulgeat coquorum industria. Non ciborum nobilitas appetitum moueat, sed fames. Non apponantur incitatiua libidinum, sed quæ possint famem extinguere, aut legumina, aut olera condiantur in oleo. Carnes vero solum sint ex licentia Abbatissæ indultæ debilibus, & infirmis, alioquin cuius sint saporis ignoret cœnobium. Oua, & lacticinia post ieiunia debilitatis sororibus, & præcipuis festiuitatibus permittantur ex gratia. Raro sciantur, quæ in aquis oriantur, & viuant, nisi parui pisciculi. Gulæ horridum scelus, genitrix luxuriæ, & castitatis carnifex, cum Dei ancillis nullam habeat sortem.

17 Vbi sup. c. 40. de charitate seruãda erga infirmas sorores. IDEM ait; Erga infirmas sorores summopere seruetur in vobis, vt cum omni sollicitudine omnis exhibeatur cura hospitalitatis, & quæ mandauerit medicus sanitati congrua, omni domus necessitate postposita, benigne fiant. Si vero desunt necessaria, vendantur, quæ monasterij sunt, ne temporale aliquod misericordiarum impediat opera. Tamen sollicite cauendũ est, ne ingluties gulositatis sub infirmitatis velamine sua commoda quærat. Deputentur custodes infirmantibus discretæ, & sanctæ sorores, quæ sollicite præcaueant pericula, quę imminere possunt infirmis, ne quid aliqualiter contingat aduersi. Semper Christum cogitent in infirma sorore latentem, semper se cogitent posse iu futurum talibus indigere. Semper lex illa naturæ teneatur sinu mentis, hominem debere alijs id exhibere, quod ab ipsis ipse deposceret. Non inficiat quæso hospitalitatis opera murmur, sed quod fieri decet cum omni mansuetudine fiat, iuxta Apostolum dicentem: Hospitalitatem sectantes sine murmuratione.

18 Ser. 1. Apostol. Petri, & Pauli. BERNARDVS inquit; Arbitror, quod tu, qui in congregatione es, bene viuis, si viuis ordinabiliter, & humiliter. Ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter, vt in omni conuersatione tua sollicitus sis obseruare vias tuas, & in conspectu Domini, & in conspectu proximi cauens, & tibi a peccato, & illi a scandalo. Sociabiliter, vt studeas amari, & amare, blandum te, & affabilem exhibere, supportare non solum patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum tam morum, quàm corporum. Humiliter, vt cum hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exufflare, qui ex huiusmodi nasci solet.

19 Serm. 8. in Ps. Qui habitat. IDEM inquit; Considerate attentius dilectissimi, & animaduertite in quanam potestate euaseritis Pharaonis intolerabile iugum, vt iam membra vestra non sint arma iniquitatis peccato, nec regnet vltra in mortalibus corporibus vestris. A voluntatibus tuis auertere, & Deo dicata membra nulla tibi temeritate vsurpes, sciens, quod pietati sanctificata non absque graui sacrilegio in vsus vanitatis, curiositatis, voluptatis, aut huiusmodi sæculáris operis assumantur. Nescitis, ait Apostolus, quod corpora vestra templum sunt Spiritus sancti, quem habetis a Deo, & non estis vestri. 1. Cor. 6.

20 Serm. 19 in Cantica in fine. IDEM explicans verba illa; Adolescentulæ dilexerũt te nimis, ait. Quid est nimis? Vos, qui nuper venistis ad religionem tangit sermo spiritalis, vestram illam (quam & nos frequenter exprimere conati sumus) minus discretam vehementiam, immo intemperantiam potius, nimium obstinatam redarguens. Non vultis esse communi contenti vita: non sufficit vobis regulare ieiunium, non solemnes vigiliæ, non imposita disciplina, non mensura, quam vobis partimur in vestimentis, & alimentis, priuata præfertis communibus. Qui vestri curam semel nobis credidistis, quid rursum de vobis vos intromittitis? Nam illam, qua toties Dei conscientijs vestris testibus offendistis, propriam scilicet voluntatem vestram, ecce nunc iterum magistram habetis, non me. Illa vos naturæ docet non parcere, rationi non acquiescere, non obtemperare seniorum consilio, vel exemplo, nõ obedire nobis. An ignoratis, quia melior est obedientia, quàm victimæ? Non legistis in regula vestra, quod quidquid sine voluntate, vel consensu patris spiritualis fit, vanæ gloriæ deputabitur, non mercedi? Quousque vos sapientes estis in oculis vestris? Deus se mortalibus credidit, & subdidit, & vos in vijs vestris adhuc ambulatis? Bonum receperatis spiritum, sed non bene vtimini eo. Vereor ne alium pro isto recipiatis, qui sub specie boni supplantet vos, & qui spiritu cœpistis carne consummamini. An nescitis, quia angelus satanæ multoties transfigurat se in Angelum lucis? Sapientia est Deus, & vult se amari, non solum dulciter, sed & sapienter. Vnde Apostolus: Rationabile, inquit, obsequium vestrum. Non habet callidus hostis machinamentum efficacius ad tollendam de corde dilectionem, quàm si efficere possit, vt in ea incaute, & non cum ratione ambuletur. Luc. 2. 1. Cor. 11. Roma. 12.

21 Epist. 42. ad Hetric. Senonens. Archiep. IDEM inquit; Miror quosdam in nostro ordine monasteriorũ abbates humilitatis regulam odiosa contentione infringere, & sub humili (quod peius est) habitu, & tonsura tam superbe sapere, vt cum ne vnum quidem verbulum de suis imperijs subditos prætergredi patiantur, ipsi proprijs obedire contemnant episcopis. Quid est hoc præsumptionis, o monachi? Neque enim quia prælati monachi, ideo non monachi? nempe monachum facit professio, prælatum necessitas. Vt autem non præiudicet necessitas professioni, accedat, non succedat prælatio monachatui. Alioquin quomodo illud implebitur: Principem te constituerunt, esto inter illos tanquam vnus ex illis? Quomodo tanquam vnus ex illis, manens inter humiles superbus, inter subditos rebellis, immitis inter mansuetos? Vt te putemus tanquam vnum ex illis, videamus tam exhibere paratum, quàm exigere obedientiam, videamus tam libenter præpositis obtemperare subiectum, quàm imperare subiectis. Quod si semper vis obedientes habere, & nunquam esse tanquam vnum ex illis, dum vnus esse renuis ex obedientibus, a quibus dum te superbiendo segregas, quorum aggregeris consortio patẽter aduertimus, & si tu vel impudenter cõtemnis, vel imprudenter dissimulas, reputari profecto inter illos te noueris, de quibus scriptum Eccli. 32.

Matt. 23. est: Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autẽ suo nolunt ea mouere. Vides igitur quale est iubere, quod ipse non feceris, aut nolle facere, quod docueris. Merito non cunctatur bestia, quæ circuit quærens, quem deuoret, præsidere superbo, qui se iure regem gloriatur super omnes filios superbiæ. Infra: Labor, & latebræ, & voluntaria paupertas, hæc sunt monachorum insignia, hæc vitam solent nobilitare monasticam. Vestri autem oculi omne sublime vident, vestri pedes omne forum circumeunt, vestræ linguæ in omnibus audiuntur consilijs vestræ manus omne alienum diripiunt matrimoniũ.

22 Epistola 91. ad abbates Suessione congreg. IDEM docet in statutis, & legibus constituendis in capitulo quid patres respicere debeant, & ait. Intendite saluti paruulorum, non murmuri maleuolorum. Non valde illorum vobis curandum est scandalum, qui non sanantur, nisi vos infirmemini. Sed nec vt vestris ipsis omnia omnibus placeant, quæ statuistis spectandum. Alioquin aut nullum, aut rarum bonum constituistis. Satius vero ipsorum profectibus, quàm voluntatibus prouidetis: fideliusq. inuitos trahitis ad Deum, quàm desiderijs cordis eorum relinquitis.

23 Epist. 102. ad quemdã abbatem. IDEM docet, qua ratione gerere se debet cum irreligioso monacho, dicens. Diaboli studium est circuire in domo Dei, & quærere, quẽ deuoret, & tuæ e contra vigilantiæ, inquantum potes, nunquam locum dare diabolo. Quanto igitur ille acrius insistit quomodo a grege infirmam separet ouiculam, quatenus eo licentius rapiat quo non fuerit, qui eripiat, tanto enixius tibi quantum in te est resistendum est, ne de manu tua eam possit eruere, ne quando dicat inimicus meus, prævalui aduersus eam. Itaque aggredere fratrem omni officio charitatis, videlicet beneficijs, salutaribus monitis, secretis increpationibus, publicis exhortationibus, duris etiam & verborum, & verberum correptionibus, quodq. efficacius esse solet, tuis ad Deum pro eo, fratrumq. pijs orationibus. Quod si iam hæc omnia feceris, nec profeceris ad Apostoli consilium confugiendum est dicentis: Auferte malum ex vobis. Auferatur ergo malus, ne malos generet. Auferatur autem dico, sed non quomodo ipse vult, vt videlicet tanquam ex tua licentia, cum male secura conscientia extra congregationem contra professionem deuitans subiectionem, sui iuris esse, sua permittatur viuere lege. Sed abscinda tur, vt ouis morbida a grege, vt putridum membrum a corpore, qui iam exinde se pro certo nouerit a te haberi tanquam ethnicum, & publicanum. Et ne timeas esse contra charitatem, si vnius eiectione scandalum, multorum recõpensaueris pace, quippe qui sua forte malitia, fratrum cohabitantium turbare facile poterat vnanimitatem. Consoletur te illa Salomonis sententia: Quem Deus negligit, nemo potest corrigere. Et illa Saluatoris: Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur. Et illa beati Ioannis de schismaticis: A nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Et rursus apud Apostolum: Infidelis si discedit, discedat. Alioquin non est relinquenda virga peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas. Melius est enim, vt pereat vnus, quàm vnitas. Eccls. 7. Matt. 15. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 7.

24 Lib. cuius titulus est speculum monachorum. IDEM ait; Est autem Scriptura sacra puteus Iacob, ex quo hauriẽtur aquæ, quæ in oratione funduntur. Sacris altaribus, si sacerdos est monachus, tãquam vnus summus Angelus in spiritu totus assistat. Si minister, tanquam Angelus Domino ministret. Ad mensam non solum fauces cibum capiant, sed etiam aures exhauriant verbum Dei. De hoc autem plurimum gaudeat, si ei viliora, quàm alijs apponuntur. Si vocatur ad colloquium secundum regulam, leniter, & sine risu pauca verba, & rationabilia loquatur, & antequam ea proferat, bis ad limam veniant, quàm semel ad linguam. Si cum sæculari loquendum est, tunc maxime adhibeat custodiam ori suo, vt nihil proferat, quod non ædificet audientem. Sic in cunctis se habeat, vt ædificet videntes, & nemo dubitet, cum viderit eum, vel audierit, quin vere sit monachus. Infra: Salua honestate fugiat omnes homines in potestate positos, maxime sæculares. Sectetur communia, orationes, labores, lectiones, & ceteras obseruantias, in quibus non sit tanquam vitula Ephraim docta diligere trituram, idest, ad huiusmodi non cõsuetudine, sed deuotione trahatur. Sit facies communis cum ceteris, intus vero dissimilis, hoc est, non nimia grauitate contracta, nec nimia locutione dissoluta, sed bona quadam mediocritate regatur, vt de beato Martino legitur. Faciem eius non fuscauit mæror, nec lenigauit risus. Erit enim prudentis animæ thesaurum suum sollicite custodientis (more Moysi) cornutam velare faciem, & quodam risu, qui tamen modestus sit, interioris gloriam hominis, & mentis grauitatem abscondere. Comparanda est hodierna dies diei præteritæ, vt ex eorum collatione suum deprehendere possit monachus, vel profectum, vel defectum. In omni actu, seu cogitatu suo sibi Deũ adesse memoretur, & omne tempus, quo de ipso non cogitat perdidisse se credat. Tædio affectus cogitet quomodo lauentur mortui, induãtur, & consuantur, quomodo deferantur humandi, quomodo deponantur in tumulo, quomodo puluere contegantur, quomodo vorentur a vermibus. Sit monachus quasi Melchisedech, sine patre, sine matre, sine genealogia, nec patrem sibi vocet super terram. Immo sic se existimet, quasi ipse sit solus & Deus. Osee 10. 25

Religio-

Religiosi modo degenerant multum ab antiquis, quorum exempla inspicienda sunt, ne sæcularium vita illorũ sit confusio. Cap. IIII.

1 CHRYSOSTOMVS dicit, Monachorũ, qui eremũ habitant, humi dormiunt, vigilant, cilicium induunt, milleq. alijs seipsos castigant, ieiunium illorũ mensa est. Hi sunt aduenæ, & peregrini, eremi habitatores, immo cælorum ciues, tantum dormientes, quantum necesse ad requiem, ac rursus ex noctibus dies facientes, in actionibus gratiarum, & psalmis viuũt, nec viri solum, sed mulieres etiam hoc genere philosophandi exercentur, & naturæ infirmitatem magnitudine animi superant.

Hom. 56. in Matt. to. 2.

2 IDEM inquit; Forum, & vrbes, & tumultus platearum fugientes, in montibus viuere maluerunt monachi, vbi in portu sedentes, nihil sibi cum his sæcularibus rebus commune est, vbi nihil humanarum rerum perturbat, non mœstitia, non dolor, non acerbior cura, non pericula, non liuor, non turpis amor, non aliud huiusmodi, sed quę sunt futuri regni iam meditantur. Valles, & montes in solitudine, ac tranquillitate habitantes, & cum Deo ipso colloquentes, anima passione, & ægritudine libera, leuis, subtilis, & ipso tenuissimo aere purior, quorum corpus id quod Adam etiam ille ante peccatum exercitus, tum gloriam indutus, & Deum libere alloquebatur, & paradisi regionem magna beatitudine plenam habitabat. Cur enim isti peius se habeant, quàm ille, quando ante inobedientiam in operando paradiso fuit cõstitutus? Nulla ibi sæcularis erat cura, nulla certe isti etiam vexantur. Integra ille conscientia cum Deo colloquebatur, non aliter isti, immo vero tanto liberius id faciunt, quanto maiore fruuntur gratia dono Spiritus elargita. Vellem oculis domicilium eorum, & disciplinam viuendi cernere velletis, sed quia negotijs sæcularibus occupati, non vultis, saltem particulam a nobis aliquam disciplinæ illorum libenter audiatis. Omnẽ enim illorum vitam pestringere non valemus. Ita igitur orbis terrarum lumina in exortu Solis, immo vero multi etiam ante diem a lectulo surgentes, integri, sobrij, vigilantes, nam nec rerum cura, nec grauedo capitis, nec aliud huiusmodi eos tanquam Angelos in cælo versatos perturbat. Illico igitur postquam læti surrexerint, choro constituto, integra conscientia, omnes quasi ab vno consonanter ore diligenter hymnis Deum laudant, gratias pro vniuersis tam proprijs, quàm communibus beneficijs ei agẽtes. Amictus autem ipsis fortitudini suæ conueniens circumiacet, etenim alijs caprarum, alijs camelorũ pilis vestes cõfectę sunt, multis coria solum, & ea vetustate consumpta satisfaciunt.

3

Hymnis iam decantatis, genibus flexis, Deum vnanimes orant, nihil præsentium petunt rerũ, quippe quarum nulla omnino sibi cura est, sed vt intrepidi, cum Filius Dei ad iudicandum venerit, ante tribunal illud terribile assistant, vt nullus illam vocem audiat, nescio vos, & laboriosam hanc vitam recta peragant conscientia, vt difficillimum hoc mage, secundo nauigent vento. Infra: Turpe verbum ab ore illorum nunquam profertur, non asperum, sed cælo vniuerso digna sunt.

4 Himil. 20. Matt. 22.

IDEM inquit; Vis vt tibi ostendam eos, qui condignas vestes nuptijs cælestibus amiciuntur. Illorum in mentem tibi veniat sanctorum, qui cilicio induuntur, eremum habitant, conuenientia his nuptijs amicula possident, quæ res inde patet, quia nunquam oblatas puras acceptarent, sed quemadmodum rex, si quis pannosa indumenta pauperis ei offerret, abominaretur, atque repelleret, non aliter illi regiam purpuram contemnunt, quod ideo illis euenire solet, quia pulchritudinem cultus sui non ignorant. Vnde fit, vt tanquam aranearum telas vestitum regium despuant. Hæc illis instituta ciliciorum vsu confirmata sunt. Vnde regibus etiam ipsis excellentiores sunt, atque præstantiores. Nam si posses mentis eorum, atque animi ianuas reserare, & nudas cogitationes eorum, & omnem interiorem ornatum conspicere, fulgore perculsus in terram concideres, nec illarum vestium splendorem, nec cõscientiæ lucem perferre posses. Nihil in tabernaculis suis triste inuenietis, sed tanquam in cælo tuguria fabricati, sic longe a sæculi perturbationibus habitant aduersus diabolum militantes, & cum lætitia eum expugnantes. Idcirco enim in solitudine domicilium constituerunt, ciuitatibus, & celebri habitatione hominum omnino relicta, quoniam qui bellum gerit, non potest domi sedere. Tuguria sibi cõstituunt, quæ si relinquere oportebit, ita facile id faciunt, sicut milites castra, vt absque vllo dolore relinquant. Nam si in solitudinem abierimus, & illorum militum tuguria considerabimus, non tentoria, non mucronem, non indumenta aurea, quibus Imperatori tegmen contexitur, spectabimus. Verum quemadmodum si quis super terram hac multo feliciorem, immensæq. magnitudinis complures cælos extẽderet, is nouum, inauditumq. & mirabile spectaculum monstraret, non aliter illic intueri liceret. Non enim cælo, diuerticula eorum minora

5

æstimanda sunt, Angeli enim, immo ipse quoque Angelorum Dominus ad eos sæpenumero diuertuntur. Nam si Angeli Abraham illum virorum mulieri coniunctum, & filios nutrientem liberalitate hominis allecti petierunt, multo magis cum maiorem virtutem inuenerint, & homines carnis contemptores, ac pene extra corpus, cum illis morabuntur, & consentaneam eis choream constituent. Mensa enim eorum omnis luxus immunis, suprema philosophia referta est, non sunt sanguinis riuuli apud eos de arietum occisione, non incisiones car-

Gen. 18.

carnium, non fumus pinguedinem redolens, sed panis & aqua, altera ex fonte, alter ex iustis laboribus. Qui si liberius epulari voluerint, recentibus herbis mensa repletur, maiorq. inde voluptas, quàm e dapibus regum consurgit. Nullus enim hic metus animos quatit, nemo principum interpellat, non irritauit vxor, non tristitiam intulit infans, non nimius risus emoliuit, non multitudo adulatorum inflauit, sed omium huiusmodi remota turba, Angelorum quasi mensa fruuntur. Ex fœno sibi sedilia subijciunt, sicut Dominus in eremo fecit, cum quinque millia hominum paucis pasceret panibus. Multi autem nec casam quidem vllam habent, sed cælo pro tecto vtuntur, & Luna loco lucernæ, nec oleo, nec ministerio indigentes; illis certe solis condigne luna desuper lucet: hanc mensam in cælo Angeli despicientes, lætantur, & gaudent. Nam si cum vnus peccator pœnitentiam agat, lætantur, quid non facient tot iustos videntes imitatione perfici sua? Non est ibi dominus, & seruus, sed omnes serui, omnes liberi, ac omnes denique domini sunt. non est enigma, quod dico: alter enim alteri & seruit, & dominatur. Collocutio eorum simili tranquillitate ornatur: non enim quemadmodum nos alium principem esse factum, alium principatum emisse, mortuum esse alium, & hereditatem alterius in alterum deuenisse, ceteraq. huiusmodi, quæ nihil ad nos pertinent, colloquuntur, sed de futuris semper philosophantur, & quasi alium, quàm nos, orbem habitantes, quasi in cælum translati, ac ibbibuentes, sic de cælestibus semper, de coronis sanctorum, de societate Christi disputant: præsentium autem nulla sibi memoria est, sed sicut nos nunquam quid formicę in cauernis suis faciunt dicimus, eodem illi modo, quid nos faciamus, nolunt cogitare, sed de summo rege, de bello aduersus diabolum, de fugiendis insidijs eius, de virtutibus, & vita sanctorum diligenter meditantur. Quod igitur inter nos, & formicas interest, hoc idem si collati ad illos fuerimus. Sed monachi Angelis æquales longe a nobis omnibus absunt, omnibus enim alio quodam modo, quàm nos vtuntur, omniaq. sibi a nostris aliena sunt, cibus, domus, calcei, locutio. Si quis vero colloquentes illos audiret, cognosceret continuo dignos cælorum illos, nos vero etiam indignos terrarum ciues esse. Nihil est rex apud eos, sed sicut nos de puerorum ludo ridemus, sic illi superbiæ flatum contemnunt: quod inde patet, quia si tuto eis regnum offeratur, numquam regnare velint, vellent autem nisi hæc regna despicerent, nisi caduca, & inania ducerent. Cur igitur non quàsi transfugæ ab hac miseria ad illam spontę beatitudinem conuolabimus? non gradiemur ad illos. Angelos, non candidas sumemus vestes, sed mendici remanebimus, nihil a pauperibus, qui in triuijs sunt, differentes?

Luca 1.

6

7

IDEM sic habet; Eamus ambo ad præ-

lia monachorum, & cernemus instructas eorum acies. In prælio enim quotidie sunt, cum quotidie aduersarios suos insidiantes nobis cupiditates, mirabili victoria fundant, fugent, humique prosternant. Ita illud Apostoli operę demonstrant: Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Non est ibi ebrietas, non est ibi superfluitas, quod mensa illa facile ostendit. Iacet enim ibi aquæ potu perempta temulentia, multiformis hæc, multiceps bestia. Omnia ibi iacent, quæ temulentia gignere solet, verba stolida, mens furiosa, superbiæ flatus, ceteraq. huiusmodi. Videamus delicias mundi in cibis, &c. Nihil tale est apud Angelos illos, sed huiusmodi etiam voluptates mortuæ ibi, atque sepultæ sunt. Non enim vt repleantur, nec voluptatis, sed viuendi causa sumunt alimenta, non sunt apud eos aucupes, atque piscatores, sed panis, & aqua.

Hom. 71. in in Matt.

Galat. 5.

8 IDEM sic habet; Monachi fora fugientes, & ciuitates, & medios tumultus, in montibus vitam elegerunt, cum præsenti commune nihil habentem, nihil sustinentem humanum, non sæcularem tristitiam, non dolorem, non curam tantam, non pericula, non insidias, non inuidiam, non absurdos amores, non aliud quidquam huiusmodi. Et ab omni quidem eis munda tumultu domuncula, omni vitio, ac morbo libera anima subtilis, & leuis est, & aere purior, &c. hæc Homilia etiam habetur in secundo tomo, de qua iam diximus in hoc capite.

Hom. 56. ad populũ Antiochenũ de monachorũ vita.

9 IDEM ait; Ad virtutis ciuitatem eamus, sanctorum tabernacula, dico montes, & saltus. Veste, domo, ministerijs, & tanquam in litteris per omnia monachi scribunt humilitatem, & quæ sunt superbiæ fomenta bene vestiri, & splendide ædificare, & multos habere ministros, hæc illis omnia sublata sunt. Et ignem sibimet accendunt, ipsi ligna comminuunt, ipsi coquunt, venientibus ministrant ipsi. Non potest illic quisquam audiri contumeliam inferens, vel patiens, nec imperans, nec cui imperetur, sed omnes ex ministrantium sunt numero, & hospitum quisque pedes abluit, & multa de hoc contentio, & hoc facit, non examinans quis ille sit, liber ne sit, an seruus, sed vnicuique ministerium hoc exhibet: nullus ibi magnus, nullus paruus. Quid igitur? Confusio? Absit, sed perfectissimus ordo. Iacet enim quis parnus sit, magnus hoc non respicit, sed & illo se sursum inferiorem existimat esse, & ita maior efficitur magnus illic vilius opus arripiens. Non est ibi meum, & tuum, sed hoc verbum eliminatum est, infinitorum causa bellorum. Et quid miraris, quòd vna sit omnibus mensa, & vestis, quippe cum omnibus sit vna anima? Qualiter igitur hæc vmquam contra seipsam insurget? Non est ibi paupertas, & diuitiæ, & gloria, & ignobilitas, qualiter igitur aditum inueniet arrogantia, vel superbia? Nam sunt quidem

Hom. 58. ad populum.

10

parui, & magni secundum virtutis rationem, sed nullus hoc intuetur. Paruus non dolet, quasi contemnatur, nec vllus est, qui contemnat, quòd si quis tamen aspernetur, hoc maxime docetur contemni, respui, & vilipendi. Et quanta penes nos est pugna primas partes assequendi, tantum apud illos certamen, ne consequantur, sed repellant. Et multum est studium quis magis præcellat cōtemptum, patris non honorem admittens. Et sicut hic est difficile modeste se gerere propter plaudentium multitudinem, & admirantium, illic perquam facile. Etenim ille tantum solitudini vacat, & aues videt volantes, & arbores concuti, & flantem zephyrum, & riuos per valles deferri. Igitur vnde talis viuens in solitudine extollatur?

11 Epist. 13. quæ est ad Paulinum de instit. monachi. to. 1.

HIERONYMVS inquit; Habet vnumquodque propositum duces suos, & principes. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Scipiones, philosophi proponant sibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Aristotelem. Poetæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandum, Terentium. Historici Salustium, Herodotum, Liuium. Oratores Demostenem, Lysiam, Tullium. Et vt ad nostra veniamus, episcopi, & presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros, quorum honorem posidentes habere nitantur & meritum. Nos autem habeamus propositi nostri principes Paulos, Antonios, Hilarionem, Macarios. Et vt ad scripturarum auctoritatem redeam, noster princeps Elias, noster Eeliseus, nostri duces filij prophetarum, qui habitabant in agris, & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis. De his sunt & illi filij Rechab, qui vinum, & siceram non bibebant, qui morabantur in tentorijs, qui Dei per Hieremiam voce laudantur, & promittitur eis, quòd non deficiat de stirpe eorum, vir stans coram Domino. Infra: Sit vilis, & vespertinus cibus, olera, & legumina, interdumque pisciculos pro summis ducas delicijs. Semper in manu tua sacra sit lectio. Frequenter orandum flexo corpore, mens erigenda ad Dominum. Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo sæpius dormiendum. Quid tibi necesse est ea videre, quorum contemptu monachus esse cœpisti?

12 In regu. monacharū ad Paulam, & Eustochiū. c. 10. to. 9.

IDEM differens de vita mirifica sanctorum patrum, quos in eremo reperit, ait. Referam vobis quędam de aliquibus sanctissimis viris, vt bonorum exempla, & crebra memoria sanctorum gestorum vitæ religionem instruant & virtutem. Dum igitur per eremorum antra septem annis sanctos patres degentes, ibidem in terris velut in cælis Angelos asistentes asiduo labore itineris, arduisq. viuendi incommodis, ceterisq. innumeris calamitatibus peragrando visitarem, de cuiusque vita, moribusq. mirificis, quæ luculenter ipse perspexi, libellum compegi, qui vobis sit, vt lucerna in candelabro ad meditationem religionis, & vitæ. Nihil ita charum, ita studiosum appetebatur a monachis, quàm quod in eis, qui iuberet, posset inueniri. Tantam charitatem, tantamq. humilitatem, quam sanctæ illæ mentes habebant vidi, vt eremos humanæ naturæ tam detestabiles, & ingratas, in paradisos putarem pene conuersas. Mirum auditu, sed felix obtentu, sic sanctorum hominum corda charitas transformauerat in creaturas Deificas, vt caro pene esset nescia carnis. Nam sic simplicia, & humilia corda obedientiæ, & humilitatis innitebantur vestigijs, vt quasi quorumdam philosophorum videretur in eis verificari opinio, qui vnam ponunt in hominibus vniuersis animam solam. Nam Abbates, & Patres nihil omnino velle sciebāt, nisi illud, quod subditi, & subditi antea conabantur iussa implere, quàm forent emissa, & quibusdam quodammodo indicijs conabantur prophetare de voluntate mandantis. Cap. 18. Infra: Plures me reperisse in eremo Patres nō ambigo, qui per septennium nullum prorsus verbum homini alteri emiserant, tanta cum diligentia obseruant sancta silentia, scientes, quod non in commotione Dominus potest haberi.

13 Serm. 1. ad fratres in eremo. to. 1.

AVGVSTINVS inquit; Dominica die, qui volunt vinum cū Dei gratia bibant. Quando necesse est, vt aliqui ad sæculum vadant, nemo extra monasterium cum sæcularibus manducare, nisi panem, vel bibere, nisi aquam præsumat, vel aliquid etiam intus manducare extra horam prandij, nisi casus infirmitatis acciderit.

14 Serm. 35.

IDEM sic habet; De religione hæc est vinea illa fertilis, quam plantaui anno ætatis meæ tricesimo tertio, quam cupimus tota mēte Deo duce, sanctis exemplis, & sanctorum documentis ornare, & ornatam taliter custodire, vt nemo transeuntium eam posit vindemiare, nec aper de sylua posit eam exterminare, nec alieni posint diripere labores eius, & fructus. Hæc vinea sepe charitatis, obedientiæ, paupertatis, & castitatis circumdata est. Hæc est illa religio immaculata, cuius sanctitas per totum orbem terrarum diuulgatur, quorum conuersatio a cunctis miratur, quorum vita non solum a Christianis, sed etiam a Iudæis, & paganis potius angelica, quàm humana reputatur. Hæc est illa amœnissima paradisus, quam Deus plantauerat a principio, in qua posuit Deus hominem, vt operaretur virtutem. Gen. 2. Hæc est illa paradisus, de qua exeunt flumina sapientiæ, & veritatis, continentiæ, & castitatis, in qua Deus delectatur, sicut in omnibus diuitijs. Hæc est religio Apostolica, quæ percutit duces Moab, interficit Satrapas, & tyrannos Hierusalem, & Aegyptiorum hypocritas vulnerauit ad mortem. Infra: Religiosi ponte transeunt mundum, coniugati vado. Orandum est omnino fratres, ne de ponte cadamus. Nam si de ponte caderemus, quod Deus auertat, citius moreremur, quia de loco sublimiori caderemus,

in fine non turbemini fratres dilectissimi, si compello vos vinum bibere, & panem tritici cum betis butyro mixtis simul comedere, nam hodierna die credimus Filium Dei resurrexisse a mortuis, ideo gaudere, epulari oportet, quia frater noster mortuus fuerat, & reuixit. Ad mensam ergo accedentes cum gaudio epulemini, quoniam ego sum Iacob pater vester.

15 Part. 3. curæ pastoral. in admonit. 29 to. 4.

GREGORIVS sic habet; Admonendi sunt religiosi, vt considerent, quod plerumque actione sæcularium eorum vita confunditur, cum illi vltra habitum assumant opera, & isti iuxta ordinem proprium non excitant corda. Vnde bene per prophetam dicitur: Isaia 23. Erubesce Sidon, ait mare. Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium, atque in hoc mundo fluctuantium, eius qui munitus, & quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominum post peccata carnis redeuntes, tanto ardentius se in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident. Et sæpe quidam in carnis integritate perdurātes, cum minus se respiciunt habere, quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, atque ad feruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant. Et sic plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quàm securitate torpens innocentia. Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ne superioris ordinis celsitudine se ceteris præferant, cum ab inferioribus, quanta se melius agātur, ignorant. In examine namque recti iudicis mutat merita ordinum qualitas actionum. Quis enim consideratis rebus nesciat, quod in natura gemmarum carbunculus præfertur hyacintho? Simile. Sed tamen cærulei coloris hyacinthus præfertur pallenti carbūculo, quia & illi, quod naturæ ordo subtrahit, species decoris adiungit, & hunc, quem naturalis ordo prætulerat, coloris qualitas fœdat. Sic ergo in humano genere; & quidam in meliori ordine deteriores sunt, & quidam in deteriori meliores, quia & isti sortem extremi habitus bene viuendo trascendunt, & illi superioris loci meritum moribus non exæquando, diminuunt.

16 Serm. cōtra pessimi vitium ingratitudinis.

BERNARDVS sic habet; Abundanter effusa est super nos fratres misericordia Dei nostri, de filijs iræ, & diffidentiæ non solum ad electorum recepit numerum, sed vocauit ad collegium perfectorum. Nam etsi forte aliquorum negligentia ad perfectionem non assurgit, ipsi viderint quid excusationis posint aferre, quoniam Apostolicam omnes nos vitam professi sumus, Apostolicæ professioni nomina dedimus vniuersi. Infra: Vę generationi huic miserę ab imperfectione sua, cui sufficere videtur insufficientia, immo inopia tanta. Non sine causa sane, cum sint nobis eadem cum patribus conuersationis initia, dispar valde conuersationis profectus inuenitur adeo, vt cum eos profecisse de die in diem, & cursum consummasse legamus. Apud nos indignus æstimaretur, si quis vel ipsa conuersionis suæ primordia conseruaret, vt non minus humilis, aut timoratus, non minus sollicitus, & circumpectus, non minus feruens spiritu, non minus patiens, ac mansuetus in medio, quàm in initio videretur. Quantos enim videmus quasi oblitos sui, & peccatorum suorum, Dei quoque & beneficiorum eius immemores, sic non redimere, sed amittere tempus, vt de moribus, & affectionibus suis vix vltima apud ipsos mentio fiat?

17 Epist. 341.

IDEM scribens monachis Ecclesiæ sancti Bertini, ait. Benefecistis alienando vos magis, ac magis ab actibus sæculi huius, quæ est munda, & immaculata religio. Modicum fermentum fratres totam massam corrumpit, & 1. Cor. 5. muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. Quid prodest tanti corporalis, & spiritualis laboris, atque exercitij fructum vilissima Eccls. 10. aliqua consolatione, immo desolatione minus acceptabilem fieri, aut certe, & periclitari? Quantam internæ consolationis dulcedinem, & gratiam visitationis diuinæ præpedit huiusmodi nugarum vapor ad modicum parens? Præsertim nos monachi, quorum certe velimus, nolimus, in labore vita est. Plane miserabiliores sumus omnibus hominibus, si pro tam exiguis tanta patimur detrimenta. Quid enim insipientiæ, immo quid insaniæ est, vt qui maiora reliquimus, minora cum tanto discrimine teneamus? Si mundum contempsimus vniuersum, si renunciauimus affectibus propinquorum, si monasteriorum carceri mancipauimus nosmetipsos, si denique non venimus facere voluntatem nostram, sed imposuimus homines super capita nostra, quid non oportet fieri, ne forte contingat hæc omnia nobis in insipientia nostra, & negligentia deperire? Agite ergo dilectissimi, & in his, quæ cœpistis, solliciti estote perseuerare, & abundare magis, vt augeantur in dies incrementa frugum iustitiæ vestræ. Etenim qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Et 2. Cor. 9. certe modicum seminis incrementum, non modica messis multiplicatio est.

18 In apol. ad Guilielmū abbatem.

IDEM inquit; Miror vnde inter monachos tanta intemperantia in comessationibus, in potationibus, in vestimentis, & lectisternijs, & equitaturis, & construendis ædificijs inolescere potuit. Ecce enim parcitas putatur auaritia, sobrietas austeritas creditur, silentium tristitia reputatur: e contra remissio discretio dicitur, effusio liberalitas, loquacitas affabilitas, cachinnatio iucunditas, mollities vestimentorum honestas, lectorum superfluus cultus munditia. Cumque hæc alterutrum impendimus, charitas appellatur. Ista charitas destruit charitatem, hæc discretio discretionem confundit. Talis misericordia crudelitate plena est, qua videlicet ita corpori seruitur, vt anima iuguletur. Quæ e-

nim charitas est, carnem diligere, & spiritum negligere? Quæve discretio totum dare corpori, & animæ nihil? Qualis vero misericordia ancillam reficere, & dominam interficere? De rati Iob dicit: Non sit in recordatione, sed conteratur, quasi lignum infructuosum. Iob. 24. Dignæ planè recordationis causa mox subinfert satis idoneam, dicens: Pauit enim sterilem, & viduæ bene non fecit. Non est charitas, sed iniquitas, non discretio, sed confusio, sterilem, quæ non parit, pascere, ideſt, inutilis carnis concupiscentijs inseruire, & viduæ nil boni facere, animæ videlicet excolendis virtutibus nullam operam dare. Quis in principio cum ordo cœpit monasticus, ad tantam crederet monachos inertiã deuenire? O quantum distamus ab his, qui in diebus Antonij extitere monachi! Siquidem illi cũ se inuicẽ per tempus ex charitate reuiserent, tanta ab inuicem auiditate panem animarum percipiebant, vt corporis cibum penitus obliti, diem plerumque totum ieiunis ventribus, sed non 19 mentibus transigerent. Nobis autem conue- 1. Cor. 11. nientibus in vnum, iam non est Dominicam cænam manducare. Nihil de scripturis, nihil de salute agitur animarum, sed nugæ, & risus, & verba proferuntur in ventum. Interprandendum quantum fauces dapibus, tãtum aures pascuntur rumoribus, quibus totus intentus modum nescias in edendo. Tantaq; arte coquorum, & accuratione cuncta parantur quatenus quattuor, aut quinque ferculis deuoratis prima non impediant nouissima. Interim autem fercula ferculis apponuntur, & pro solis carnibus, a quibus abstinetur, grandia piscium corpora duplicantur, oua multis modis versantur, liquantur, durantur, & nunc frixa, nunc assa, nunc farsa, nunc mixtim, nunc sigillatim apponuntur. Vina multa apponuntur, non admixta aqua. In lectis multa voluptas est, &c. Ridendas, non lugendas dixerim huiusmodi ineptias. Sic Macarius vixit? Sic Basilius docuit? Sic Antonius instituit? Sic patres in Aegypto conabrsati sunt? Sic denique sancti Odo, Maiolus, Odilo, Hugo, quos se sui vtique ordinis principes, & præceptores habere gloriantur, tenuerunt? Sed hi omnes, si sancti, inimio quia sancti fuerunt, dicebant: Habentes victum, & quibus tegamur his contenti sumus. Nobis autem 1. Tim. 6. est pro victu lautitia, nec vestitum appetimus, sed ornatum. Quæritur ad induendum, nõ quod vtilius, sed quod subtilius inueniturj, non quod repellat frigus, sed quod superbire compellat, non denique (iuxta regulam) quod vilius comparari potest, sed quod venustius, immo vanius ostentari. Heu me miserum, cur adhuc viuo videre ad id deuenisse ordinem nostrum, ordinẽ scilicet, qui primus fuit in Ecclesia, quo nullus in terra similior angelicis ordinibus, nullus vicinior ei, quæ in cælis est Hierusalẽ mater nostra. Vbi nunc illud vnanimitatis exercitium? Fusi sumus exterius, & de regno Dei, quod intra nos est, relictis vens, ac perenibus bonis, foris quærimus vanam consolationem de vanitatibus, & insanijs falsis, ac iam religionis antiquæ non solum virtutem amisimus, sed nec speciem retinemus. Ecce enim ipse habitus noster (quod dolens dico) qui humilitatis esse solebat insigne, a monachis nostri temporis in signum gestatur superbiæ. Vix iam in nostris prouincijs inuenimus, quo vestiri dignemur. Miles, & monachus ex eodem panno partiuntur sibi cucullam, & chlamydem. Quiuis de sæculo quantumlibet honoratus, etiam si rex ille fuerit non nostra horrebit indumenta, si suo sibi modo præparata fuerint, & aptata. Vanum cor vanitatis notam ingerit corpori, & exterior superfluitas interioris vanitatis indicium est. Mollia indumenta, animi mollitiem indicant. Miror quomodo Abbates nostri patiantur fieri talia, nisi forte (si audeam dicere) nemo fidenter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Siquidem humanitatis est omnium, in quo sibi quisque indulget, alijs non vehementer irasci. Dicam dicam, præsumptuosus dicar, sed verum dicam. Quomodo lux mundi obtenebrata est, & sal terræ infatuatum? quod enim, vt cetera taceam, specimen humilitatis est, cum tanta pompa, & equitatu incedere, quatenus duobus episcopis vnius abbatis multitudo sufficiat? Mentior, si non vidi abbatem sexaginta aquos, & eo amplius in suo ducere comitatu. Dicas, si videas eos transeuntes non patres esse monasteriorum, sed dominos castellorum, non rectores animarum, sed principes prouinciarum, deferentes supellectilia, candelabra aurea, vel argentea, lectos, &c. An non vnus aliquis minister posset & iumentum ligare, & ad mensam seruire, & lectulum præparare? Multa alia vsque in finem differit de picturis, & pabimentis deauratis, & lapidibus politis in ecclesijs, & claustris, contra quæ acriter inuehitur, &c.

21 Tractatu ad fororẽ, modus bene viuendi nuncupatus sermone 66.

IDEM inquit; Audi quomodo Hieremias nostras iniquitates plorat, dicens: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus. Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Per aurum intelligimus vitam religiosorum hominum, quæ antea erat per gloriam virtutum clara, nunc vero per turpes operationes est obscura. Color optimus auri, significat habitum sanctitatis, qui per bona opera prius erat pretiosus, atque optimus, nunc vero per vitia, & sæcularia opera, est mutatus & vilis, atque 20 despectus effectus est. Vere est mutatus habitus optimus religiosorum, virorum videlicet monachorum, & sanctimonialium feminarum, quando amplius componitur, vt placeat in conspectu populi, quàm vt placeat in conspectu Dei. Vere est mutatus optimus color auri, quando plus aptatur habitus religiosorum virorum, vt placeat per vanam gloriam in conspectu omnium, quàm vt placeat per humilitatem ante Deum. Certe hodie sunt mutata religiosorum virorum optima vestimenta, quando magis ornantur, vt placeant in conspectu regis, quàm in conspectu Creatoris. Sequitur: Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Lapides sanctuarij designãt religiosos viros, qui numquam debent foris vagari, sed in secreto monasterij ante oculos Dei semper commorari. Sed dispersi sunt hodie lapides sanctuarij in capite omnium platearum, quando religiosi viri quærendo vana & sæcularia foris vagantur. In capite omnium platearum lapides sanctuarij sunt dispersi, quando viri religiosi plus desiderant in palatio regis versari, quàm intra claustrum monasterij commorari. Dispersi sunt, quando plus desiderant audire superflua verba diuitum, quàm præcepta scripturarum. In capite platearum dispergũtur, quando plus lætantur in cõuiuijs, & locutionibus diuitum, quàm in paupertate & abstinentia religiosorum fratrum. Serui Dei plus debent diligere legumina in monasterio, quàm opulenta conuiuia in sæculo: plus debent amare olera inter suos fratres, quàm multitudinem ciborum inter diuites: amplius debent gaudere in mẽsa pauperum fratrum, quàm in mensa regum: Melius est pro Christo in monasterio paupertatem possidere, quàm in sæculo multas diuitias habere. Necesse est igitur, vt quisque religiosus, si saluari desiderat, sæculum contemnat, & sese intra monasterij claustra concludat. Debet religiosus vir conuentus sæcularium hominum fugere, & plus diligere claustra, quàm regis aulam. Melius est tibi in claustro sedere, quàm plateas ciuitatis circuire; plus dilige in monasterio consistere, quàm ciuitates videre. Melius est quiescere intra parietes monasterij, quàm apparere in conspectu populi. Si te incluseris in claustro, amaberis a Christo. Quod bene in Canticis Sponsus insinuat, cum sponsæ dicit: Hortus conclusus, soror mea, hortus conclusus, fons signatus. Vnaquæque sancta anima hortus conclusus esse intelligitur, quia dum virtutes nutrit, flores gignit, virtutibus se nutrit, reficit, fructus quos germinat, eosdem custodit. Conclusus hortus sancta anima esse dicitur, quia dum amore vitæ æternæ a strepitu sæculari se abstrahit, dum visus hominum fugit, dum se propter Deum, ne ab hominibus videatur, includit, dum humanas laudes contemnit, intẽtione se circumsepit, ne ad interiora rapienda hostis antiquus irrumpere possit. Fons etiam signatus dicitur, quia dum cælestia assidue cogitat, scientiam scripturarum semper in ventre memoriæ congregat, quasi viuentes aquas sancta mens in se gignere non cessat, ex quibus scientes proximos reficere valeant.

Religiosi extra monasterium rari, & exemplares, alloquanturq. & imitentur sanctos, ac senes, religiosæ autem quomodo viuere debent. Cap. V.

BASILIVS inquit: Quoniam non virorũ modo conuentus sunt, sed etiam virginum, vnum illud scire cõuenit longe accuratiorem, maioremq. in feminarum vita, quàm in virorum, disciplinam requiri, veluti voluntarię paupertatis virtutem, quietem, atq; silentium, obedientiam, studium in sorores, cautionem in publicum prodeundi, diligentem, quibuscum colloquium sit, animaduersionẽ, parem inter ipsas mutuo beneuolẽtiam, & illud, quod nulla seorsim apud eas conuenticula sint. In his enim omnibus in virginum vita accurandis, maiore quodam multo opus est studio. Porro cui communis disciplinæ cõmissa moderatio fuerit, ea non quæ iucunda sororibus fuerint quærat, neque id studeat, vt illarum cupiditatibus gratificetur, sed illud agat semper, vt retenta grauitate, seueritateq. se illæ & metuãt simul & reuereantur. Similiterq. sorores ipsæ totius congregationis neutiquam a sorore sua magistra illa querãt, quæ suauia, sed quæ vtilia sunt; ac fructuosa, nec de ijs, quæ sibi imperentur, litigiose cum ea disputent. Sicut enim præceptis Domini reiecta omni disceptatione, auctoritatem summam tribuimus scientes quod omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est, 2 sic sorores quoq; iussa antistitis suæ omni cum animi expletione suscipiant, omniaque, quæ sibi data ab illa consilia fuerint, alacri animo exequantur, non ex tristitia, aut necessitate, vt ipsarum obedientia mercedem promereatur. Neque vero modo in eo consilijs illius obtemperent, cum ea docentur, quæ ad maiorem quandam arctioris disciplinæ seueritatem spectant. Verum in eo etiam ipsi auscultandum est, quando vel a ieiunio cessare, vel idoneum ad reficiendas amissas vires cibum sumere ipsas iusserit, aut aliud quippiam eorum, quæ ad laborum leuamen pertineant, ita postulante vsu, faciendum adhortetur, cum illud plenissime sibi habeant persuasum, legem esse quidquid ab illa dicatur. Quoties vero ex necessitate aliqua inciderit, vel de re aliqua earum, quæ quotidianus vitæ vsus requirit, facienda verba sint apud virum aliquem, siue apud eũ, cuius procuratio illa sit propria, siue apud alium quemuis, cuius ad id, quod quæritur, vtilis esse opera possit. Sane esse antistes ipsa debet, quæ loquatur adhibitis secum de sororum numero vna, alterave, quæ & propter spectatam ipsarum superioris vitæ probitatem, & statis maturitatem, sine periculo in conspectũ, & colloquium venire alicuius possit. Si vero sit aliqua, cui ipsi seorsum vtile aliquid in mẽtem venerit quod dicat, hæc de eo cum magi-

1 Sermo. 2. de institut. monac. to. 2.

ſtra communicato, atque ita quod dicendum fuerit, per illam dicetur.

3 IDEM docens, quod monachus cum ſæcularibus conſuetudinem habere non debet, dicit. Iam ne illud quidem decere iudicãdum eſt, temere ſeipſum quibuſuis credere, denudareque, & aperire arcanum pectoris ſui. Si quidem homini in eo, quod ex Deo eſt, vitæ genere verſanti, multi parati eſſe inſidiatores ſolent, atque ipſi adeo coniunctiſsimi, quique in eum ſtadio ſe quid agat, inquirunt. Quocirca danda omnino nobis opera eſt, vt non niſi magna adhibita diligentia, circumſpectione. in congreſſum cum extraneis hominibus veniamus. Si enim ipſe liberator noſter omnibus ſeipſum non credebat, ſi ille purus, & labe omni carens, ille iuſtus, ille, qui quantuſcumque erat, nihil niſi virtus erat, hoc faciebat, quì fieri poterit, vt nos, qui peccatores ſumus, qui ad lapſum procliues, qui a recto, quod nobis propoſuimus itinere ob noſtram naturalem imbecillitatẽ erramus, & propter eũ, qui bello nos acriter perſequitur, ſed quomodo hoc poterit impetrari, vt ſi curioſis hominibus vitam noſtram inſpiciendam expoſuerimus, non & prauas in nos calumnias conflemus, & ipſi nobiſmetipſis ſcandala ſtatuamus? Siquidem plerumque etiam quæ recte fiunt maleuoli ea in crimen vocare non dubitant, nẽque vel leuiſsimas præterire offenſiunculas ſinunt, quas non maledictis inſectentur. Quamobrem in admittendis extraneorum hominum congreſsionibus magna adhiberi a nobis cautio debet. Etenim præter ea, quæ diximus temeritatis vitio, aliud etiam peccatũ incurrunt, cum ſcilicet cogitant eos, qui a cõmuni cum ceteris viuendi ritu receſſerunt, eo quòd viuendi inſtitutum mutarunt, non conſilium mutaſſe, ſed diuerſam plane ab humana induiſſe naturam, neque de pietatis cultoribus iudicant, tamquam de ijs, qui cum ijſdem affectionibus verſentur, eas tamen animi virtute, & voluptatibus a ſe ſegregandis, rationis imperio ſubijciant, ſed illud exiſtimant naturales ex illorum corporibus omnes funditus affectus eſſe ſublatos. Quo fit, vt ſi vel tranſuerſum vnguem ſpiritalis vir a recto declinauerit, confeſtim vniuerſi, vel ij ipſi, qui vehementiſsime ipſum antea laudibus efferebant, admirabanturque, eius accuſatores exiſtant acerbiſsimi, palamq. ſeipſos reprehendant, vt qui ne priores quidem illi laudes veras tribuerint. Vt enim qui in certamine pugil aliquis concidit, illico in eum aduerſarius inſurgit, ipſumq. ferit, & humo magis etiam affligit, item hi quoque ſimul atque aliquem de his, qui aſsidue in virtutis cultura ſunt, paululum aliquid de virtutis curriculo deflexiſſe animaduerterint, exemplo in eum iuuabunt, maledictisq. & criminationibus perinde vt iaculis petunt, neque ſecum reputant ipſi ſexcentis ſe quotidie vitioſarum affectionũ telis transfigi, cum pietatis propugnatores quamuis ſimilibus ipſi quoque affectibus ſint circumſeſsi, aut leuiſsimum inde, aut nullum plerumq; incommodũ accipiant. Et quod magis eos monere deberet, qui acriorem quàm illi aduerſarium excipiant, quando hi apertiſsime ei ſe aduerſarios profeſsi ſunt. Et magnum quid adeptum ſe ille arbitratur, ſi de his victoriam reportet, contraq. mortiferæ plagę loco ducit, quandocumque victus diſcedit, nimirum vt qui perfecte, & cunctis tum virtutis partibus ſit debellatus. Atq; illud etiam præterea animaduertito, quod ijs ſolitum eſt vſu venire, qui communem ac vulgarem vitã ſequuntur, quãdocumque religioſorum vitam inquirunt, ſimul ac enim pietatis cultor, cum animo ſuo ſecum ſtatuerit rectum eſſe poſt longinquam eſuriem eſca corpus fulcire ſuum ne ruat, veluti ſi omnino corporis ac materiæ expers eſſet, aut nullum prorſus, aut quàm minimum cibum aſſumere illum volunt. Et ſi ex huiuſmodi diſciplina quempiam animaduerterint, qui non vſquequaque inclementer corpus tractet, ac vel tantillum illius neceſsitati ſubueniat, hunc conuitijs, calumnijſq. proſcindunt, deriuataq. ab vno in cunctos proteruia vniuerſos taxant, eoſq. Epicuros vocant, neque illud reputant quòd illi bis, aut ter in die craſſiſsimis vtuntur cibis, & infinitam carnium molem deuorant, ingentemq. ſupra modum vini ingurgitent vim, menſiſq. ità inhient, vt exemptis e vinculis poſt diuturnam eſuriem catulis ſimiles videantur. Porro, qui vere pietatis ſectatores ſunt, ij quam fieri poteſt ariditſsimo vtuntur cibatu, & in quo præter imbecillitatem tenues admodum ad alendum vires ſint, idq. in totum diem ſemel, quibus modo perpetuo diſciplinæ ordinẽ ſeruare in animo eſt, & hunc ipſum, quod modice & vt ratio iubet, aſſumunt, iure vbi eius ſumendi tempus aduenit, fidenter nulla impediti religione, neceſſarium corpori auxilium tribuunt. Quo fit, vt nequaquam conuenire iudicandum ſit, libertatem noſtram ab alia conſcientia iudicari. Si enim nos cum gratia participamus, quid blaſphemamur pro ijs, de quibus gratias agimus? cum exiguam admodum & viliſsimi pretij ciborum portionem cum gaudio tanto amplectamur, cum quanto ne ipſi quidem ſplendidiſsimos, & inſtructiſsimos menſarum apparatus.

6 IDEM intendit docere, quod neque frequenter, neq; temere extra monaſterium exire monachus debet. Atq; illud etiam, inquit, tenendum eſt, vt nequaquam quouis prętextu viſendorum conueniendorum ve fratrum crebro e monaſterio velimus egredi. Siquidẽ diabolicum iſtud quoq; commentum eſt, quando huiuſcemodi artificio vti aduerſarius ſolet ad diſciplinæ noſtræ ſtabilitatem, ordinemq. religioſæ huius vitæ labefactandum, & peruertendũ, atq; hoc modo nos voluptatum illecebris illectos, varijs, ijſq. inſtabilibus cogitationibus facere obnoxios ſtudet. Religioſus enim tacitus ſecum cogitatione in ſeipſum defixa perturbatos animi ſui appetitus, motuſq. excutere

tere diligenter debet, ijſq. magna cum animi contentione obluctari. Sedata ſiquidem animi, & requieta conſtitutio, virtutis eſt argumentum certiſsimum. Ceterum, qui huc, illucq. continenti peregrinatione diſcurrit, neque ſtabilis in vno loco diu conſiſtit, ſed crebra ex alijs in alia loca ititatione collectam illam, & conſtipatam animi in cogitando vim aſsiduo iſto flatu, ac reflatu veluti euentilat, atque diffundit, paulatimq. corporis voluptates ſpectare inſueſcit, is quomodo quæſo perſpicaciter excutere ſeipſum poterit? Aut quæ minus honeſte ſe habeant peruidere, & in melius reuocare? Quod cum ita ſit, amplectenda nobis maxima ex parte quies eſt, & in ſuo cuique aſsignato ſibi ad quieſcendum loco 7 fortiter perdurandum. Neque vero tamen propterea perpetuo eſt tamquam in cuſtodia permanendum, ſed quandocumque & res poſcit, & conſcientia non reprehendit, libere eſt fidenterq. prodeundum, & de fratribus probatiſsimi quique, & propter inſignẽ vitæ ſanctitatem maxime vtiles inuiſendi, & ex fructuoſo illorum congreſſu virtutum exempla capienda. Ita tamen, vt (ſicut diximus) in prodeundo modus teneatur, & praua omnis ſuſpicio euitetur. Siquidem eſt ſæpenumero cum exortam in animo tædium ſuſcepta peregrinatio diſcutit, & ſpatio ad colligendas denuo vires ſeſe dato, alacriorem ad capeſſenda de integro pietatis certamina facit. Quòd ſi quis apud ſeipſum glorietur, quòd pedem e cella omnino non efferat, is intelligere debet inani ſe admodum re inflari. Neque enim non prodire ipſum ſua ſponte laudandum eſt, aut aliquando prodire, homines ſolet aut bonos facere, aut malos, ſed quod vel ad res honeſtas firmum, ac ſtabile animi indicium eſt, vel contra leuitas & inconſtantia hominem bonum reddit, vel malum. Si quis vero propoſitam ſibi ſemel in animo honeſtatem firmiter cõſtabiliuerit, & diuturna exercitatione temperandarum animi ſui motionum probe iam rationem didicerit, iſq. edomitis corporis ſui libidinibus, & animi ratione alienis motibus refrenatis, quod præterea rationis freno confidat, ob eam cauſam e monaſterio prodire frequentius velit, vt fratres ædificet, qui huiuſmodi eſt, eum ratio ad prodeundum potius impellet, quàm reuocabit quo cunctis præclaræ doctrinæ ſuæ large lumen impartiat, modo vere confidat, in quoſcumque inciderit, illis ſe & doctrina, & exemplo virtutum veluti ſcholam futurum, & ſi ſeipſum diligenter ante munierit, vt, quod eſt apud Apoſtolum: Ne forte cum alijs prædicauero, ipſe reprobus efficiar.

8 IDEM vt doceat, quòd ſæcularium propinquorum congreſsiones conſectandæ non ſunt, neque de rebus illorum ſollicitudo vlla capienda, inquit: A propinquis autem, amicis parentibuſve, animi affectione nos tam longe oportet eſſe diſiunctos, quàm longe eos, qui iam ſint vita defuncti a viuis videmus diſtare. Qui enim vere ſe ad ea, quæ ex virtute ſunt certamina exuerit, mundoque, ac rebus mundanis omnibus nuncium remiſerit, quique (vt plus aliquid dicam) mundo ſeipſum crucifixerit, is mundo, & omnibus, qui in mundo ſunt, mortuus eſt, ſiue illi parentes ſint, ſiue fratres. Si enim in priſtina vitæ conuerſatione propinqui noſtri permaneant, ij pars mundi ſunt, a quo diſiuncti nos ſumus, neque vlla nobis cum illis neceſsitudo intercedit, qui externum hominem depoſuerimus, & propinquitatem, quam cum ipſis habebamus, exuerimus. Qui autem maiorem in modum ſæcularium hominum amicitia delectatur, eaq. re aſſidue cum illis eſſe in colloquijs cupit, is ex frequenti cum illis ſermone, prauas eorum affectiones in animum facile inſinuauerit, & mente rurſum cogitationibus mundanis completa, a præclara illa quam erat aggreſſus inſtantia operis deſciſcet, & a ſe deinceps proſcripta vitæ ſpiritualis ſtabilitate, quem ex animo effuderat, vitæ prioris vomitũ reſorbebit. Quocirca danda nobis opera eſt, vt propinquis noſtris ea optemus, quæ optima ſunt, iuſtitiam dico, ac pietatem ad Deum. Diabolus enim cũ omnes nos de rebus vitæ huius curas exuiſſe animaduerterit, & expeditiſsimo curſu ad cælum contendere, in hoc elaborat, vt cum animum noſtrum in propinquorum recordationẽ reduxerit, eo ſenſim adducat, vt rationibus illorum curandis, mentem noſtram ad ſuſcipiẽdas rerum vitæ huius ſollicitudines impellat, vt ea, quæ propinquorum ſunt, ſecum verſet, de proſperis ipſorum fortunis gaudeat, & de aduerſis triſtetur, cum eorum inimicis pariter inimicitias gerat, & amicis eorum faueamus, indigni licet ſint. Fit hinc, vt velut ſtatua ſit 9 monachus, quæ ſolã monachi figuram circumferat, nimirum quæ nuſquam virtutibus ſit animata. Intellecto igitur intolerabili detrimento, quod ex animi erga propinquos noſtros affectione nobis naſcatur, ſollicitudinem de illorum rebus, vt diabolicum telum fugiamus. Si quidem Dominus etiam ipſe huiuſcemodi affectionem, & conſuetudinem vetuit, qui ex diſcipulis ſuis cuidam ne id quidem vnum permiſerit, vt res ſuas cum propinquis ſuis componeret, alteri vt ne cadauer quidem mortui *Lucæ 9.* patris humo ſuperiniecta cõtegeret. Ei enim, qui res ſuas cum propinquis ſuis componere volebat, ait. Nemo mittens manum ſuam ad *Matt. 8.* aratrum, & reſpiciens retro aptus eſt regno Dei. Ei vero, qui ipſum rogabat, vt ſineret ſe patrẽ ſepelire, Sequere me, inquit. Et ſine mortuos ſepelire mortuos ſuos. Atqui quæ vterq; rogabat conſentanea maxime rationi videbãtur, ac iuſtiſsima, ſed neutiquam ea Saluator probauit, neque vel ad punctum quidem temporis ſeiungi ab ipſo cæleſtis regni alumnos permiſit, ne ſublimi illa & cæleſti animi elatione humilius aliquid facerent vel cogitarent, mente in rerum terrenarum, fragiliumq. cogitationem depreſſa, tamquam qui ad res cæleſtes animum adiunxerũt, ijs neutiquã liceat,

eorum,

corum, quę in terra sunt rationem vllã habere, vt qui iam ex ea animo emigrauerint, & mẽtis contemplatione altiores mundo sint effecti.

2. Tim. 5. Quod autem Apostolus ait: Si quis suorum, & maxime domesticorũ curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior, de illis intelligit, qui in communi, & vulgari genere vitæ versabantur, qui diuites erant, & propinquorum inopiæ poterant subuenire. Atq; vt dicam breuius, viuis dicta sunt illa, non mortuis: nam hi quidem, ab omni prorsus huiusmodi debito liberi sunt. Tu autem mortuus es, & toti mundo crucifixus, reiectis.n. vitæ huius diuitijs summã paupertatem cõplexus es, cũ teipsum Deo dedicaueris, in peculiarem Deo thesaurũ adsci tus es: vt mortuus liber es ab omni in propinquos tributi collatione, vt nudus omni rerum possessione, nihil iam habes quod largiaris. Quin ne in corpore ipso quidẽ tuo, quod alioqui in tuo ære fuerat, postea quã illud Deo semel cõsecrasti, ius tibi nullũ reliquũ est, tãquã in re Deo dedicata, & scelerate facis, si ad hominũ vsum illud accõmodes, sed cũ ijs tãtummodo, qui idẽ tecũ vitæ institutũ tenent, veluti qui Deo se penitus dediderunt, tibi versandum est: quomodo ergo non peccatũ incurres, qui initũ cũ Deo de colenda pietate fœdus violes?

10 In regu. monacharũ ad Paulam, & Eustochiũ, de clausura domus. c. 27 to. 9.

HIERONYMVS ait: Exeunti etenim Loth cum filiabus, & vxore de Sodomis mãdatur ab Angelis, ne retrospiciant, quæ iam perambulando reliquerant. Cuius vxor more feminarũ, quæ semper petunt contraria, obuians mandato, statim est conuersa in statuam salis. Hęc itaq; vos doceat, qua pœna sint puniendę, quæ mundi vanitates affectant in monasterijs. Efficiũtur insensibiles statuæ salis, vt iam nihil de supernæ contemplationis dulcedine sentire valeant, sed manent in amaritudine sæculi, quæ sæculo viuunt. Propterea charissimæ monasterium vestrum vobis sepulchrũ eligite, vbi mortuę cum Christo mundo, & cõcupiscentijs eius, solæ cũ Christo ibidẽ maneatis sepultæ, quousque resurgentes, cum eo apparebitis in gloria eius. Custodiatur ergo sepulchrũ per Episcopum, per presbyterum præpositum, qui vicem eius tenet. Murorum munitionibus sic vndiq; circumcingatur locellus, quod vix auibus prębeatur aditus. Sic tendantur muri in altum, quod non solũ non liceat pedibus, sed nec oculis, quæ intus geruntur agnoscere. Ostia serẽtur fortiter clauibus, claues vero disponat Episcopus. Sit autẽ vna vel plures fenestrulæ, iuxta dispositionẽ Episcopi, sic ferreis virgis arctatæ vndiq; vt vix digito pateat additus. Per has horis debitis, aut necessitatis, aut ædificationis, aut recreationis causa sanctis sermonibus cũ sanctis viduis, & alijs mulieribus, quas vestium habitus, & facies tenues & pudicę reddunt venerabiles, sororibus liceat simul loqui. Prohibitis, & suspectis horis fenestrulæ clausæ maneant, & claues abbatissa, vel sancta alia soror custodiat, ne coruus egrediatur per fenestram ex arca.

11 IDEM ait: Si vos exteriorũ vestium delectaret ambitio, si egressæ de sæculi põpa, de domo diabolo, & de cõgregatione malorũ, populi vestri, & domus patris non essetis oblitæ totaliter, extollentes vos, aut de parentũ dignitatibus, aut de carnis prosapia, siue de huiusmodi vanitatibus caducissimis, protinus assurgens rex potẽtissimus accinctus super femur suum gladio bis acuto expellet vos vndiq; vulneratas dextera sua de tabernaculo suo. Tunc acutissimæ eius sagittæ perforabunt corda vestra in amaritudine, quoniã virga directionis virga regni sui. Et postmodum abiectas de domo Domini vestri, omnes deridebunt vos, & dicẽt de singulis vestrũ: Filia Babylonis misera, quę non posuisti Deum adiutorem tibi, sed sperasti in vanitate tua, sede iam super flumina Babylonis, plange, & suspende in salicibus organa, dum recordaris vnde expulsa es. Nam quæ solebas cantare canticum laudis & lætitiæ, modo ploras ad terram alienam deducta.

Vbi sup. c. 9 disputãs de periculo ambitionis vestium.

12 Sem. 2. Dominicę primæ post octau. Epiph.

BERNARDVS exponẽs illa verba; Quid mihi, & tibi mulier, inquit: Manifeste iã videoquod non velut indignans, aut confundere volens matris tenerã verecundiam dixeris, quid mihi & tibi, sed propter nos, vt conuersos ad Dñum iam nõ sollicitet carnaliũ cura parẽtũ, & necessitudines illę non impediant exercitiũ spirituale. Quamdiu.n. de mundo sumus, debitores nos constat esse parentibus. At postquã reliquimus nosmetipsos, multo magis ab eorũ sollicitudine liberi sumus. Vnde legimus fratrem quendam in eremo conuersantem, cum ad eum carnalis frater auxilij gratia aduentasset, respondisse, vt adiret alterum fratrem eorum, cum ille vtique iam obijsset. Cumq. admiratus, qui venerat, responderet, quia ille obijt, eremita se quoq; similiter obijsse respondit. Optime ergo nos docuit Dominus noster, ne solliciti simus super propinquis carnis nostræ, plus quàm religio postulet, quando ipse Matri, & tali matri respõdit: Quid mihi, & tibi est, mulier? Vbi modo sunt, qui tam carnaliter, & inaniter super carnalibus propinquis suis solent esse solliciti, ac si adhuc viuerent & ipsi cum eis?

13 In tract. de vita solitaria ad fratr. de monte Dei.

IDEM sic habet: Res est antiquæ religionis, perfectæ fundatæ in Christo pietatis, antiqua hereditas Ecclesiæ Dei monasterium. Est religio tempore prophetarum præmonstrata, in Ioanne Baptista instaurata, & innouata, ab ipso Domino familiarissime celebrata, ab eius discipulis ipso præsente concupita, cum nomine Apostolorum in mõte transfigurato Domino Petrus dixit: Domine, bonum est nos hic esse. Post passionem vero Domini calente adhuc in cordibus fidelium effusi eius sanguinis recenti memoria, solitariam hanc vitam eligentibus deserta repleta sunt. Altissima est professio vestra, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solum vouisti omnem sanctitatem, sed omnis sanctitatis perfectionẽ, & omnis consummationis finem. Non est vestrum circa communia præcepta languere, neque hoc solum attendere, quid præcipiat Deus

Matt. 17.

Deus, sed quid velit probantes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacẽs, & perfecta. Aliorum est Deo seruire, vestrum adhærere.

Infra: Pietatis non solummodo formam, sed & veritatem in omnibus, & præ omnibus habitus vester repromittit, propositum vestrum

2. Tim. 3. requirit. Nam sicut Apostolus, dicit. Sunt aliqui speciem quidem pietatis habentes, virtutem autem eius abnegantes. Hanc quicumq. vestrum non habet in conscientia, non exhibet in vita, non exercet in cella, non solitarius, sed solus dicendus est. Nec cella ei cella, sed reclusio, & carcer est. Vere enim reclusus est, qui in Deo liber non est, vere solus, cum quo Deus non est. Solitudo enim, & reclusio sunt nomina miseriæ. Cella autem nequaquam debet esse

14 reclusio necessitatis, sed domicilium pacis, ostium clausum, non latebræ, sed secretum. Cũ quo enim Deus est, nunquam minus solus est, quàm cum solus est. Tunc enim libere fruitur gaudio suo, tunc ipse suus est sibi, ad fruendum Deo in se, & se in Deo. Propter hoc secũdum formam propositi vestri habitantes in cęlis potius, quam in cellis, excluso a vobis toto sæculo totos vos inclusistis cum Deo. Cellæ siquidem, & cæli habitatio cognata est, quia sicut cælum, & cella ad inuicem videntur aliquã habere cognationẽ nominis, sic & pietatis. A celando enim cælum, & cella nomen habere videntur, & quod celatur in cælis hoc, & in cellis, quod geritur in cælis, hoc, & in cellis. Quidnam est hoc? Vacare Deo, frui Deo. Quod cum secundum ordinem pie, & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere sancti Angeli Dei cellas habent pro cælis, & æque delectãtur in cellis, ac in cælis. Nam cum in cella iugiter cælestia actitantur cælum cellæ, & sacramenti similitudine, & pietatis affectu, & similis operis effectu proximum efficitur, nec iam spiritui oranti, vel etiam a corpore exeunti a cella in cælum longa, vel difficilis via inuenitur. A cella enim in cælum sępe ascenditur, vix autem vnquam a cella in infernum descenditur, nisi sicut dicit Psalmista, Descendant in infernum viuentes, videlicet ne descendant moriẽtes. Hoc enim modo sæpe cellarum incolæ in infernum descendunt. Sicut enim assidue contemplando reuisere amant gaudia cælestia, vt ardentius ea appetant, sic & dolores inferni, vt horreant, & fugiant. Moriens autem vix, aut nunquam aliquis a cella in infernum descendit, quia vix vnquam aliquis, nisi cælo prædestinatus, in ea vsque ad mortem perstitit. Filium enim gratiæ, fructum ventris sui cella foouet, nutrit, amplectitur, & ad plenitudinem perfectionis perducit, & colloquio Dei dignũ efficit, alienum vero, vel suppositum, a se reijcit citius. Vnde ait Dominus ad Moysen, Solue calceamenta pedum tuorum, locus enim in quo stas terra sancta est. Morticinũ enim mortuarum affectionum, vel hominem mortuum a corde locus sanctus, vel terra sancta nequaquã diu patitur. Cella terra sancta, & locus sanctus est, in qua Dominus, & seruus eius sæpe colloquuntur, sicut vir ad amicum suum. In qua crebro fidelis anima verbo Dei coniungitur, sponsa sponso sociatur, terrenis diuina, humanis diuina vniuntur. Si quidem sicut templum sanctum Dei, sic cella est serui Dei. Et in templo enim, & in cella diuina tractantur, sed crebrius in cella. In templo visibiliter aliquando Christianæ pietatis sacramenta dispensantur, in cellis vero sicut in cælis, ipso ordine etsi nõdum ipsa puritatis maiestate, vel æternitatis securitate, res ipsa omnium sacramentorum fidei nostræ assidue celebratur. Ideo sicut dictum est, alienum qui non est filius citius a se proijcit, quasi abortiuum euomit, tamquam inutilem, ac noxium cibum, nec diu talem pati potest in visceribus suis officina pietatis, venitq. pes superbię, & asportat eum manus peccatoris, & mouet eum, & expulsus non potest stare, sed fugit miser, nudus, & tremebundus sicut Cain a facie Domini expositus vitijs, & dęmonibus, vt qui prior inuenerit eum morte animę eum afficiat, & occidat. Vel si aliquandiu durauerit in ea, non virtutis constantia, sed pertinaci miseria, sic ei cella est, quasi carcer, aut sicut viuenti sepultura. Sed in iustis sicut 16 stella distat a stella in claritate, sic cella a cella in conuersatione incipientium, proficientiũ & perfectorum. Infra: Alia cella exterior, alia interior. Exterior est domus in qua habitat anima tua cum corpore tuo. Interior est conscientia tua, quam inhabitare debet omnium interiorum tuorum interior Deus, cum spiritu tuo. Dilige ergo interiorem cellã tuam, & dilige exteriorem, & vnicuique suum impende cultum. Tegat te exterior non abscõdat, non vt pecces occultius, sed vt tutius viuas. Non enim scis o rudis incola quid cellæ debeas, si non cogitas quomodo in ea non solummodo a vtijs tuis curaris, sed etiam non habes rixari, cum alienis. Nescis enim quem conscientiæ tuæ debeas honorem, quicumque in ea non experiris gratiam sancti Spiritus, & internæ suauitatis dulcedinem. Da ergo vtriq; cellę honorem suum, & tu tibi in ea vendica primatum tuum.

IDEM vbi docet laicas mulieres vitãdas 17 In modo bene viuẽdi ad sororẽ sermone. 57.

sic habet: Sæculares feminæ quæ tecum non habent vnam professionem, non accedant ad tuam societatem, quia quod amant, hoc tibi prædicant. Sæculum diligunt, & de sęcularibus loquuntur. Terrena amant, & ideo terrena tibi annũciant. Sicut enim scriptum est. Vnusquisque hoc laudat, quod diligit. Corrumpunt autem bonos mores colloquia prauа. Quid facit vxor viri, cum sponsa Christi? Femina quæ mundum diligit, cum femina quæ mundum reliquit? Dispar est habitu, dispar affectu, & sicut dispar est vestimento, ita & animo. Sicut Syrena per dulces cantus decipit nauigantes, ita sæcularis femina per suos deceptorios sermones decipit Christi seruos. Et sicut syrena per suaues cãtilenas solet nauigãtes mare a recto itinere deuiare, atque in perditionẽ perducere, ita sæcularis femina per blanda verba, & seductoria

seductoria solet Deo seruientes a sancto proposito retrahere, & in periculum animarum suarum perducere. Caue soror ne dum delectaris audire delectamenta terrena, a recto itinere auertaris. Quid enim sunt verba sæcularium mulierum, nisi cantus sirenarum? Sic declina verba sæcularis mulieris, quasi sibilos serpentis: caue ne sicut serpens decepit mulierem in paradiso, ita te decipiat venenosa lingua male suadentis mulieris in monasterio, in hoc solum soror cum muliere sæculari concedo tibi colloquium, vt sanctis admonitionibus suadeas illi relinquere sæculum, despicere terrena, & amare cælestia, exire de sæculo, & seruire Deo in monasterio, vt per allocutionem tuam transitoria despiciat, & æterna concupiscat.

18 Vbi supra sermone 61. IDEM docet, vt virgo non suspiciat dona, vel litteras in occulto, & dicit. Sanctimonialis femina, quæ cum Christo desiderat intrare ad nuptias, non debet hominibus dare sudariola, quæ Christum expectat cum ardente lampade nō debet ab hominibus accipere dona sæcularia. Vnde dicit Hieronymus; Dulces literas, & sudariola, & crebra munuscula sanctus amor non habet: ac si diceret; si in mente sanctimonialis feminæ sanctus amor esset, & dona vanitatis, & superfluitatis ab hominibus nō acciperet. Mens casta, & religiosa non desiderat a sæcularibus amicis accipere dona, sed a Christo, pro cuius amore contemnit omnia terrena. Ergo si sanctimoniales feminæ delectabilia dona dant suis amicis, sicut facere solent meretrices, vbi est honestas, vbi religiositas, vbi castitas, vbi puritas, vbi sanctitas? Si sanctimoniales lætantur in temporalibus donis, sicut lætari solent sæculares, vbi est contemptus sæculi, vbi timor inferni, vbi amor Dei?

Psal. 25. De talibus propheta ait: Dextera eorum repleta est muneribus: ac si diceret: quamuis opera eorum videantur bona, tamen plus lætantur in muneribus, quàm in bonis operibus.

Cant. 1. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis, dicitur animæ sanctæ, quia Christū perfecte diligit, & nihil amori eius præponit. Turtur ex quo cōiugem suum perdidit, nunquam alterum amplius quærit, quia adulterinū amorem non recipit. Sic sanctimonialis femina quæ Christum perfecte diligit, amplius adulterinū amorem non recipit; amplius in malo homines non diligit. Si munera excæcant oculos sapientum, etiam & oculos Dei, ne Deus videat mentes religiosorum, etiam oculos seruorum Dei, ne Christus videatur, conturbant. Vnde Isidorus, ait: Non potest oculus mentis alta videre, quē puluis claudit, ac si apertius diceret. Non potest oculus mentis perfecte cælestia cōspicere, quem puluis claudit concupiscentiæ. Audi

Isa. 33. prophetam dicētem: Qui excutit manus suas ab omni munere, in excelsis habitabit, & regē sanctorum videbunt oculi eius in decore suo. Quasi dicat, qui propter Deum manus suas ab omni munere excutit, in cælo habitabit, & regē sanctorum in gloria sua videbit. Qui causa amoris Dei ab hominibus dona vanitatis, & superfluitatis non recipit, Deum in maiestate sua videbit, & cum illo in perpetuū gaudebit.

20 Serm. 62. ad fororem. *Psal. 65.* IDEM ait: Dic cum propheta, introibo in domum tuam, hoc est in monasterium, in holocaustis, hoc est in spiritu compunctionis reddam tibi vota mea, id est, me integram offeram tibi in ara cordis, quam tibi voui. Vnde vt qui religiosus est saluetur, bona, quæ Deo promisit, studeat adimplere vnde propheta: Vouete, & reddite Domino Deo vestro; quia vouendo se debitorem facit homo.

21 Ser. 65. virgo non rideat immoderate. IDEM ait: Audi Salomonis verba: Risum reputaui errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis? Error dicitur, quando aliud debet fieri, & aliud fit. Tunc ergo fit error, quando ille qui debet plorare ridet, ideo rursus dicitur error, quia dum, quisque ridet, diem mortis suę ipse in mente sua non habet, vere frustra decipitur, qui in temporalibus gaudijs lætatur. Decepti sunt, qui gaudent in prosperitatibus huius sæculi. Stultus in risu exaltat vocem suā, sapiens autem vix tacite ridebit. Risum ergo soror, quasi errorē deuita, & temporalem lætitiam in luctum commuta. Risus & ioci inutiles conscientiam vanam ostendunt sanctimonialis feminæ. Ex abundantia vanissimi pectoris ridet facies virginis: in mente feminæ si vanitas non esset, de vanitate numquam rideret. Miror quare illa quærit iocos, & risus, quæ ideo venit ad monasteriū, vt pro peccatis suis lachrymas funderet. Audit soror quid sponsus in canticis dicat sponsæ suæ: Oculi tui sicut piscinæ in Hesebon. Quia dū sancta anima de hac peregrinatione plorat, per gratiā Dei a peccatis se lauat.

Religiosi impij, murmuratores de se confidentes taxantur, & quòd acrius puniendi sunt, quàm sæculares.

Cap. VI.

1 In Psal. 118. to. 7. HIERONYMVS explicās verba illa; Cum his, qui oderunt pacem eram pacificus, dicit: Monachi dicimur, & licet non simus, quales esse debemus, tamen dicimur. Hora tertia oramus, hora sexta oramus, nona, media nocte consurgimus, deinde gallicinio oramus. Videte quibus horis semper ad obsequium Dei suscitamur, mane primo. Hoc totum facimus, & non consideramus quia si inimicitias habet anima nostra contra fratrem, sine causa oramus. In monasterijs solent esse ista vitia: non erubescimus, non dolemus, dimisimus matres, dimisimus patres, dimisimus fratres, dimisimus sorores, dimisimus vxores, dimisimus filios, dimisimus patrias nostras, dimisimus domos in quibus nati sumus, & nutriti, venimus in monasterium, & propterea hæc dimisimus omnia, vt propter rem friuolam rixam cum fratribus faciamus in monasterio? Dimisimus possessionem, dimisimus patriam, dimisimus sęculum, & propter calamum rixam facimus in monasterio? Si verbum amarum audiero, ferre non possum, æstuat in corde meo, scribitur in medullis meis, diebus decem, aut quindecim non potest tolli de corde meo, loquor fratri meo, qui mihi iniuriam fecerat, & pacem labijs promitto, & corde venenum teneo. Grande malum est linguā. Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa. Non ab alterius lingua, sed a mea lingua libera. Nihil mihi nocet lingua alterius, mea lingua mihi inimica est. Domine libera animam meam, me libera a lingua mea, lingua mea gladius est, interficit animam meam.

2 Epi. 143. ad Demetriad. vir. to. 2. AVGVSTINVS ait: Conceduntur, quidem nuptiæ, carnium vsus, & vini, sed horū omnium abstinentia consilio perfectiore suadetur. Ad virginitatis honorem pertinet licentia nuptiarum, & escarum indulgentia virtutem abstinentiæ clariorem facit. Contempsisti virgo coniugium, licitū tibi priusquam cōtemneretur. Maioris præmij amore flagrans vouisti Deo non imperatam, sed laudatam virginitatem, & consilio Apostoli legem tuam fecisti latiorem. Perfectionis igitur serua consilium, beatitudinem specialis aggressa propositi, serua generale mandatum. In causa iustitię omnes vnum debemus. Nec a lege soluitur, qui supra legem facere proponit, quinimmo nullus magis illicita vitare debet, quàm qui respuit, quæ licebant. Nec quisquam, ita a se mandata pollicetur implenda, vt ille, qui amore perfectionis supra mandata conscendit, & cum amplius statuit facere, quàm præceptum est, ostendit minus sibi præceptum esse, quàm potuerit. Deinde qui tantæ se obedientię profitetur, vt etiam consilium diuinum libenter audiat quomodo non debet audire præceptū? Illa enim res perfectionis est, ista necessitatis. De virginitate dicitur. Qui potest capere capiat; de iustitia non dicitur, qui potest facere faciat, sed omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.

Matt. 19. *Matt. 7.* Animaduerte, quid debeas, vtrumq. iam debes, & virginitatem quam vltro obtulisti Deo, & iustitiam, quam ipse præcepit, integrum vtrumque persolue. Ille seruus Domino placet, qui ita aliquid vltro operis exercet, vt tamen etiam imperata perficiat, qui non facit aliud pro alio, sed vtrumque, nec mutat, sed addit obsequium.

3 In Psal. 99. IDEM inquit: Bona cogitatio humana laudabilis est, cum talibus, qui in religione elegerunt vitam quietam, remoti a strepitu populari, a turbis inquietis, a magnis fluctibus sæculi, tamquam in portu sunt. Iam ergo ibi iubilatio illa, quę promittitur cum dicitur. Seruite Domino in iucunditate? Nondum, sed adhuc gemimus, adhuc sollicitudo tentationum. Habet enim aliunde, & portus aditū. Aliquando autem per eam partem qua patet, ventus irruit, & vbi scopuli non sunt, naues se inuicem collisæ confringunt. Vbi ergo securitas, si nec in portu? Et tamen feliciores in portu, quàm in pelago fatendum est, tamen si naues in portu bene sibi applicētur, non sibi colliduntur. Multi sibi promiserunt, quod impleturi essent illam vitam sanctam in commune habentem omnia, vbi nemo dicit, aliquid suum vbi est cor vnum, & anima vna in Deum, missi sunt in fornacem, & crepuerunt. Vbi ergo securitas? Hic nusquam, in ista vita nusquam, nisi in sola spe promissorum Dei. Modo non securus laudes quamlibet vitam, ante mortem ne laudes hominem quempiam. Hinc autem falluntur homines, vt vel non suscipiant meliorem vitam, vel temere aggrediantur, quia & cum laudare volunt, sic laudant, vt non ibi dicant mala, quæ mixta sunt, & qui vituperare volunt, tam inuido animo, & peruerso vituperant, vt claudant oculos aduersus bona, & sola mala, quæ ibi, vel sunt, vel putantur, exaggerent. Inde fit, vt vnaquęque professio male laudata; id est non caute laudata, cum inuitauerit homines laude sua, inueniant illi, qui illuc veniunt, aliquos, quales ibi esse non credebant, & offensi a malis, resiliant a bonis. Audis de religione, sicut lilium in medio spinarū, sic amica mea in medio filiarum. Audit homo, *Cant. 2.* 4 considerat, placet illi lilium, intrat, adhæret lilio, tolerat spinas, merebitur esse in laude, & in oculis spōsi. Tu qui laudas, dic mixtos malos, tu quę vituperas, vide ibi & bonos. In vita fratrum, quę est in monasterio, magni viri sancti, quotidiani in hymnis, in orationibus, in laudibus Dei, cū lectione illis res est, nemo sibi vsurpat aliquid, quod alter non habeat. Omnes se diligunt, omnes inuicem se sustinent. Laudat, qui nescit, quid interius agatur, qui nescit, quomodo illo vento intrante etiam naues in portu colliduntur. Intrat quasi securitatem sperās neminem, quem toleret, habiturus, inuenit ibi fratres malos, & necesse est, vt primo tolerentur, ne forte non corrigantur, nec excludi facile possunt, nisi prius fuerint tolerati, & fit ipse intolerandæ patientiæ. Quis me hic quærebat? Ego putabam, quia charitas esset hic. Et paucorum hominum molestia irritatus, dum non perseuerauerit implere quod vouit, fit desertor tam sancti propositi, & reus voti non redditi. Iam vero cum inde exierit, fit & ipse vituperator, & maledicus, & dicit ea sola, quæ quasi se pati non potuisse asseuerat, & aliquando vera, sed vera mala malorum toleranda sunt propter societatem bonorum. Et quod est amplius, ructat indignationes, malorum odorem, vnde absterreat intraturos, quia ipse cum intrasset, perdurare non potuit. Quales illi? Inuidi, litigatores, neminem sustinentes, ille illud ibi fecit, & ille illud ibi fecit. O male quare taces bonos? Quos tolerare non potuisti iactas, qui te malum tolerauerunt taces. Nemo vos fallat fratres, duo erunt in lecto vnus assumetur, & vnus relinquetur, scitote omnem professionem in Ecclesia habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictū, sed

sed omnẽ professionẽ habere fictas personas.

5 IDEM inquit; In hac fratres mei solitudine constituti toto affectu orare debemus, & pati. Patienter enim portare debemus omnia, nec dicere, ecce legumina ventosa sunt, caseus stomachum grauat, lac capiti nocet, aquæ potum non sustinet pectus, caules melanchoniam nutriunt, choleram porri accẽdunt, pisces mihi non sapiunt: nolite hæc dicere fratres mei, nolite etiam cogitare; non enim sæculum reliquimus, vt delicate pasceremur in eremo: & licet in eremo non semper comedatis lac, butyrum, caules, vel legumina, licet hęc non sumatis, nisi tantum diebus solemnibus, & illis, quibus visitamini a sancto sene episcopo Valerio, sed cũctis diebus alijs herbas crudas, panem hordeaceum, & aquam sumatis, non tamen sufficit tantum corpore abstinere, sed etiam mentem illæsam seruare debemus.

6 IDEM dicit. O monache noli irasci, nam nomen, & habitum sanctæ religionis in hac vasta solitudine portamus: non decet seruos Dei turbationem incurrere. Nunquid enim proderunt nobis nostra ieiunia, nostra abstinentia, nostra sacrificia? Ab ira procedit rancor, a rancore odium, quod est ira inueterata in animo, inde nascitur homicidium, & si non opere, saltem voluntate, inde contumelia, inde detractio, inde susurratio, suspicio, & iniuria. O quàm melius esset monacho in sæculo viuere pacifice, quàm in monasterio cunctis bonis ornatus in ira, & furore litigare, & odium in corde tenere.

7 GREGORIVS sic ait; Nec hoc silendũ puto, quod actum in meo monasterio ante hoc triennium reminiscor. Quidam namque monachus Iustus nomine, languore corporis præuentus ad extremum deductus est. Sed cum iam ad extremum se peruenisse cognouisset, Copioso fratri, qui ei ministrabat, quia occultatos tres aureos haberet, innotuit. Quod nimirum fratribus non potuit celari, sed subtiliter indagantes eos, inuenerunt absconsos. Quod mox, vt mihi nunciatum est tantum malum de fratre æquanimiter ferre non valui. Tunc nimio mœrore percussus cogitare cœpi, vel quid ad purgationem morientis facerem, vel quid ad exemplum viuentibus fratribus prouiderem. Pretioso igitur eiusdem monasterij præposito ad me accersito dixi; Vide vt nullus ex fratribus se ad eum morientem iungat, nec sermonem consolationis ex alicuius ore percipiat, sed cum in morte constitutus fratres exquisierit, ei suus carnalis frater dicat, quia propter aureos, quos occultatos habuit a cũctis fratribus abominatus sit, vt saltem in morte deculpa sua mentem ipsius amaritudo transuerberet. Cum vero mortuus fuerit, corpus illius cum fratrum corporibus nõ ponatur, sed quolibet in sterquilinio fossam facite, & in ea corpus eius proijcite, ibiq. super eum tres aureos, quos reliquit, iactate omnes simul clamantes, pecunia tua tecum sit in perditione, & sic eum terra operite. Ita factum est. Qui videns se a fratribus abominatus, de reatu suo vehementer ingemuit, atque in ipsa sua tristitia a corpore exiuit, qui ita est sepultus, vt dixeram. Sed fratres omnes ex eius sententia conturbati, cœperunt singuli extrema quęque & vilia, & quæ eis habere regulariter semper licuerat, ad medium proferre, vehemẽterq. formidare, ne quid apud eos esset, vnde reprehendi potuissent.

8 BERNARDVS inquit: Terra quæ sæpius superuenientem susceperit imbrem, & nõ fecerit fructum, terra reproba est, & maledicto proxima. Sic & ea, quæ in Euangelio sterilis ficulnea legitur, si posteaquam foderit circa eã vineæ cultor, atque miserit stercora, nihilominus sterilis inuenta fuerit, nonne iam securis ad radicem illius arboris est ponenda? Et ego dico vobis fratres, si minus boni in sæcularibus inuenerit, maiorem in eis Dominus habiturus est patientiam, quàm in nobis, quibus cælestium consolationum pluuiam voluntariã segregauit, quibus non sarculus disciplinæ, non paupertatis, & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorum, quas immolamus Domino Deo nostro? Stercora planevilia ad aspectũ, sed ad fructum vtilia. Non refugiat hanc fœditatem, qui fœcũditatẽ desiderat. Si quidem ex deformi stercorum aceruo, qui portatur in agrum formosus surget aceruus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea non vilescat vobis vilitas pretiosa, sed pretiosius cunctis thesauris Ægypti, Christi inproperium æstimate.

9 IDEM sic habet: Agite gratias, & exultate, & dicite, quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Exultate, sed adhuc interim cum tremore. Lætos vos esse volo, sed nondum securos. Quid ergo timendum est? Ne quis aut corde solo aut etiam corpore ad vomitum reuertatur. Legimus enim de filijs Israel, quia corde redierunt in Ægyptum, nam corpore reuerti clausum post eorum talos rubrum mare prohibebat. Hoc est quod vehementer singulis quibusq. timendum est, ne quando forte eatenus Deum offendant, vt manifeste abijciantur, & euomantur ab eo, aut si pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse paulatim ingerat apostasiam mentis, vt videlicet in habitu religionis cor sæculare gerant, & quicquid sæcularis consolationis inuenire potuerint, amplectantur. Sed id tandiu timendum est, donec laqueus contritus sit, donec corpus istud anima deposuerit. Nam & ipsum corpus laqueus est quidam, vnde, & oculus legitur animã deprædari. Minime ergo decet esse securum hominem, qui secum portat laqueum suum.

10 IDEM dicit; Magnum est homini sęculari mundas habere manus, monacho non est magnum, sed plane magnum ei malum esse probatur, ne ipsarum quidem contagia declinare. Iam vero, & in ipsis quoque manibus longe amplior munditia, & iustitia abundantior a nobis exigitur, quã ab illis in nobis, quo nitidiores manus, eo grauius quoque minor in eis neuus offendit, & sicut prætiosam vestem exigua quæuis macula decolorat turpius. Nobis ad immunditiam minima quædam inobedientia sufficit, nec iam neuus est, sed grauis macula, si in actionibus nostris, vel minimorum residet negligentia mandatorum.

11 IDEM inquit: Qui volunt diuites fieri: non ait, qui sunt, sed qui volunt fieri, incidunt in laqueum diaboli. Sed & illud quid refert, si forte (quod absit) non quidem diuitias, sed ea ipsa, quæ paupertatis sunt toto affectu desideres, aut etiam quàm ardentius diuitias cupiant homines sæculares. Quid distat quæcum que substantia desideretur, dum æqualiter sit corruptus affectus, nisi quod tolerabilius illud videri potest, quæ pluris esse videntur plurimũ desiderare? Porro quisquis vel aperte, vel occulte satagit, vt quod habet in volũtate, hoc ei spiritualis pater iniungat, ipse se seducit, si forte sibi quasi de obedientia blandiatur. Neque enim in ea re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit. Sufficit ad salutem, si nec impatientia, nec simulatione adid, quod desideras, inuitum vellis prælati animum inclinare, sed cumulus est fugere etiam ea, quibus voluntatem propriam senseris delectari, quantum sane bona cum conscientia potes.

12 IDEM ait; Hipocrates, & sequaces eius docent animas saluas facere in hoc mundo, Christus, & eius discipuli perdere. Quem nam vos e duobus sequi magistrum eligitis? At manifestum se facit, qui sic disputat, hoc oculis, hoc capiti, & illud pectori, vel stomacho nocet. Epicurus, atque Hipocrates, corporis alter voluptatem, alter bonam valetudinẽ præfert. Meus magister vtriusque rei contemptũ prædicat: quod vera sapientia in voluptates non effluat: audisti profecto a Sapiente, ne inueniri quidem hanc in terra suauiter viuentium. Qui autem inuenit, dicit: Super salutem, & omnem pulchritudinem dilexi sapientiam. Si super salutem, & pulchritudinem, quanto magis super voluptatem, & turpitudinem? Quid vero prodest temperare a voluptatibus, & inuestigandis diuersitationibus cõplexionũ, ciborumq. varietatibus exquirendis quotidianam expendere curam? Legumina, inquit, ventosa sunt, caseus stomacũ grauat, pisces de stagno, aut de lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt. Puta te quæso monachũ esse, non medicum, nec de complexione iudicãdum, sed de professione. Frustra quidam sibi blandiuntur de exemplo Pauli hortantis discipulum, non bibere aquam, sed modico vino vti propter stomachũ, & frequentes suas infirmitates. Qui attendere debent primum quidem Apostolum sibi ipsi rem istiusmodi persuadere, sed nec discipulum æque exposcere sibi. Deinde non monacho hoc intimari, sed episcopo, cuius vita teneræ adhuc, & nascenti Ecclesiæ perneccssaria esset. Timotheus hic erat; da mihi alterum Timotheum, & ego cibo eum, si vis etiam auro, & poto balsamo.

13 IDEM ait: Erit in die illa, & ego scrutabor Hierusalem in lucernis. Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquet oculus eius. Quid tutum in Babylone, si Hierusalem manet scrutinium? Puto enim hoc loco prophetam Hierusalem nomine designasse illos, quos in hoc sæculo vitam ducunt religiosam, mores supernæ illius Hierusalem conuersatione honesta, & ordinata pro viribus imitantes, & non veluti hi, qui de Babylone sunt vitam in perturbatione vitiorum, scelerumq. confusione vastantes. Denique illorum peccata manifesta sunt præcedentia ad iudicium, & non egent scrutinio, sed supplicio. Mea autẽ (qui videor monachus, & Hierosolymita) peccata certe occulta sunt nomine, & habitu monachi adumbrata. Et idcirco necesse erit subtili ea inuestigari discussione, & quasi admotis lucernis de tenebris in lucem prodi.

14 IDEM vocat vulpes monasteriorum, quę vineas demoliũtur, adulatores, detractores, ac seductores quosdam spiritus, gnaros, & assuetos mala sub specie boni inducere.

15 IDEM dicit: Nihil magis supernis ciuibus spectare libet, nil regi summo iucundius exhibetur, quàm oratio deuota: Sicut ipse testatur: Sacrificiũ laudis honorificabit me. O quã felix esses, si spiritualibus oculis semel intueri posses, quomodo præueniunt principes coniũcti psallentibus in medio iuuencularum tympanistriarum? Videres proculdubio qua cura, quo ve tripudio intersunt cantantibus, assistunt orantibus, adsunt meditantibus. Diligunt siquidem suos conciues supernæ potestates, & pro his, qui hereditatem capiunt salutis, sollicite congaudent, confortant, prouidentq. omnibus. Exultare eos fecimus, quando conuersi sumus ad pœnitentiam. Festinemus ergo de nobis eorum lætitiam adimplere. Væ tibi quicumque es, qui desideras reuerti ad vomitum, redire ad lutum. Putas ne placatos habebis eos in iudicio, quos tanto, & tam sperato priuare vis gaudio? Exultauerunt, quando venimus ad religionem, tamquam super his, quos ab ipsa inferni porta cernerent reuocari. Quid vero tunc erit, si ab ipsa ianua paradisi viderint redire, & retrorsũ abire eos, qui iam alterum pedem habebant in cælo?

Religionis status consulto accipiendus est, sed non impediendus, in quo perseuerandum est. Cap. VII.

1 BASILIVS inquit: Qui sibi proposuit Christo obedire, & ad vitæ genus rerum omnium possessione nudũ, neque vllis distractum sæculi huius curis festinat, vere admirabilis ille est, beatusque dicendus. Verum enim ego illi auctor sim, ne id inconsideranter faciat, neve vitæ sibi to-

lerabilitatem quandam animo fingat, & salutem, sine vlla dimicatione polliceatur. Quin is velim potius vt se ante ad incommodorum corporis, tum etiam spiritus perpessionem commendabili exercitatione diligentissime paret, ne si se non ante meditatus, in quæ non putarat certaminum discrimina coniecerit, ac deinde vrgentibus constantiæ suæ tentationibus per imbecillitatem obsistere nõ potuerit, eodem temere, vnde fuerat digressus, reuertatur, eaque re ludibrio ac ridiculo omnibus sit, & præter id, quòd cum animæ suæ pernicie ad pristinum se denuo vitæ genus retulerit, multitudini etiam scandalo sit, nempe, qui causa sit, quamobrem plerique institutam secundum Christum vitam eiusmodi existiment esse, quæ ferri nullo modo possit. Quæ res, quã sit periculosa nostis omnes, qui legitis Dominum dicentem: *Matt. 18.* Expedit ei vt suspendatur mola asinaria circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt scandalizet vnum de pusillis his. Neque vero ob eam modo causam plectendus erit, quòd ordinem ipse deseruerit, sed quod exemplo suo etiam causa fuerit, cur plerique exitium incurrerint, licet suo quodam opinionis errore persuasisse sibi videatur, nihilo secius se, vt in pristino se vitæ genere contineat, benefactis Deum sibi posse propitium facere. Quod nullo modo verum est.
2 Qui enim in eo vitę genere, quod nullis extrinsecus distrahentibus curis diuexatur, ac propterea peccatis minime obnoxium est resistere aduersario non valuit, quomodo credibile est eum in eiusmodi vita, in qua quamplurimi ad noxam aditus pateant, cuiusque libera penes ipsius arbitrium potestas sit, aliquid esse facturum, quod aliquo modo sit cum virtute coniunctum? Verum vt det aliquis, quod ad ipsum nominatim pertineat, peccatum ipsum nullum admittere, non tam quidem illam idem certe numquam effugerit, quod non a Christo desciuerit, exemplo discipulorum illorum, quos aperte in Euangelio Euangelista notat, cum dicit: *Ioan. 6.* Multi autem discipulorum abierunt retro, & iam cum Iesu non ambulabant dicentes. Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Infra: Non est igitur, cur tu, quia ad vxorem applicare animum malluisti, perinde quasi ea re tibi mundum amplecti licitum sit, desidiæ te des, quando eo maiore tibi labore contendendum est, attentioreq. animi vtendũ vigilia, vt salutem inuenias, veluti qui sedem tibi in medijs laqueis delegeris, vbi peccatorum assidua ante oculos posita irritamenta habeas. Quocirca intelligere debes neutiquam effugere te posse, quin cum diabolo tibi sit deluctandum, ex eoq. nullo modo victoriam te sine multis laboribus pro præceptorum conseruatione susceptis reportaturum. Quomodo enim quæso pugnam cum aduersario poteris subterfugere, qui omnino sis iam cum eo intra caueam pugnæ destinatam inclusus? Quæ sine dubio vniuersa est terra, quam ex historia Iob accepimus assidue illum obambulatione perlustrare, circumireq. quasi rabidum canem, quærentem quem deuoret. Quòd si cum aduersario inire pugnã non vis, ex hoc ipso in alium mundum commigres oportet, in quo ipse non sit. Forti ergo animo ad veræ pietatis cultorum te cœtum cõferto, ipsoq. mundi desertionis initio te virũ prebeto, conatuq. omni elaborato, ne cognatorum horum, qui sunt secundum carnem, amor ad terram te, in altum te cupientem extollere, deprimat, sed in eo animum tuum confirmato, vt cum immortalibus, & cælestibus rebus mortales terrenasq. commutes.

3 *In lib. constitut. monasticar. c. 22.* I D E M docet, quod religiosus quis non se debet a spirituali fratrũ cœtu abscindere, & ait. Similiter ad viri societatem lege matrimonij prouecta, & vna cũ eo copula carnali cõiuncta, morte mulctatur, si ei insidias fecisse deprehensa sit, quanto is magis subiacebit pœnæ grauiori, si se abiunxerit, qui spirituali cõmunione copulatus sit, teste atque sequestri ipso Spiritu sancto? Quemadmodum ergo membra corporis naturæ vinculo coniugata a corpore auelli nõ possint, aut si auellantur, quę auulsa sint, ea mortua sint necesse est, item quoque monachus quotiescumq. reliquorum fratrum corpori coniunctus est, & firmiore, quã sit vinculum naturę, cõpage iunctus teneatur, nempe ex pacto, quod is cum sancto Spiritu cõtraxit, nullo modo putandus est ab ijs se posse diuellere, quibuscum copulatus sit. Alioqui si hoc facit, & animæ vitam amittit, & vna cũ ea gratiam Spiritus sancti, vt pote qui initum ipso auctore fędus violauerit. Si vero aliquis dicat in fratribus esse aliquos vitiosos, eiusmodiq. qui & temere officia cuncta peruertant, & honestatem negligant, & cõuenientem ordini illi imminuant disciplinam, ac propterea huiuscemodi hominum societatem relinqui oportere, nequaquam is idoneam recedendi causam cõmentus est. 4 Siquidem, neq; Petrus, neque Andreas, nec Ioannes propter Iudæ improbitatẽ se a reliquorum Apostolorum choro submouerit, nec alius de Apostolorum numero quispiã hanc ad recedẽdum ansam arripuit, neq; quominus Christo obtemperans esset, vlla in re illius vitijs retardatus est. Ex quo intelligitur, qui aliorũ improbitate cogi se dicat, vt a spirituali se segreget societate, eũ neutiquam idoneã leuitatis suę causam inuenisse. Siquidẽ nihil est facilius, quàm seipsum fallere, quòd quisque sibi ipsi beneuolus, ęquove indulgentior est iudex, & quæ iucunda sunt, ea vtilia iudicat. Quamobrem, qui huiusmodi est, is veritatis ipsius iudicio damnatus habendus est, veluti qui scandalorum vberrimam segetẽ suggerat multis, peruersoq. exemplo alios assidue ad similiũ flagitiorum imitationem instiget. Qui enim semel apostasiæ animus assueuerit, is vitiorum omni genere cumulatur, omniq. morum peruersitate, & postremo extremis malis infixus in profundum nequitiæ abit pręceps. Qui igitur horũ, qui istiusmodi sunt, ducem se præbet, animaduertat is, quàm multarum animarum

exitij

exitij reus existat, qui quidem; nec reddendis quidem de anima sua rationibus esse par possit. Cur non is curat, & fulgente recte factorum ipsius splendore etiam, qui in vitiorum tenebris degunt ad meliorem per eum viam reuocentur. Atque Noe iustus ille cum in illa pessimorum hominum colluuie versaretur, nõ dixit Deo propterea oportere se exire de mũdo, quòd reliqui omnes improbi essent, nec vlla in re prorsus Domino repugnans fuit, sed patientia, & tolerantia, pietatis nauigium in medijs impietatis fluctibus tutatus est. Quid? Nonne Loth cum Sodomis in tanta impietate, *Gen. 19.* tanta legum omnium ac iuris peruersione ver-
5 saretur, virtutem tamen assidue ab omni vitio integram conseruauit, neq; vllis omnino passus est prauis insidijs circumuẽtam captiuamue teneri. Tu vero cum in animo apostasiam cogites, & Spiritus sancti reiectionem machineris, fratrum aliquantam negligentiam, quæ vel sit, vel abs te cõfingitur causaris, & improbitati isti tuæ, & ad excipiendos pro virtute labores segniciei contegendæ, fratrum calumniam, quasi velamen oppandis? Neque enim, si forte contigerit vnum aliquem de ijs, qui in manu sunt digiti, læsum ex dolore aliquo laborare, idcirco continuo etiam alius pertinaciter se præcidi iubebit, sed contra dolorem primum amputationis fugiet, dein etiam constantissime assistet, vt illius quoque, qui in periculo sit, officium corpori possit præstare, ac non naturalibus omnino priuata ramis manus, proprio, ac natiuo suo decore spolietur. Transfer ergo similitudinem ad monachum, & considera quàm magnum abscissione sua teneris adhuc animis, cum dolorem, tum dedecus etiam afferat, quomodoq. item vitæ se omnis ac spiritus expertem reddit. Demonstratum, ex his est originem istiusmodi consilij nihil aliud esse quam vitiorum intemperantiam, & laborandi fugam, & iudicij corruptelam, instabilitatẽq. Hi sunt, qui stultis assimilantur, qui super arenam instabilis consilij sui fundamenta locant spiritalis ædificij, quod breuis maligni torrens subducto fundamento dissoluit.

6 *Elegantissimæ tribus libris cõtra vituperatores vitę monasticę to. 5* CHRYSOSTOMVS docet religionis statu non debere impediri a parentibus, & quę ad illũ capessendum mouere debent homines, de quibus multa diximus in hoc lib. 15. quibus hæc addenda sunt ex lib. 3. vbi inquit: Dicunt parentes, si filius religionẽ fuerit ingressus, vnde nobis constare poterit, quod stabit ille, & perseuerabit, neq; proposito decidet omnino. Multi enim exciderunt. Et ego tibi respondebo. Vnde vero tibi constat, quòd non perseuerabit? Multi enim sunt, qui perseuerauerunt, & quidem longe plures quàm qui exciderunt. Cur autem in ipsis liberalibus studijs ad quorum culmen prouehere vis filium hoc ipsum non metuis, vbi maxime timendum est? Nam apud monachos quidem ex ingenti multitudine vix pauci lapsi sunt, in schola vero liberalium disciplinarum ex plurimis vix pauci ad summam peritiam prouecti sunt. Sed dato is ad ipsum eruditionis culmen euaserit, aliæ rursus illic insidiæ sunt positæ. Namq. & principis ignauia, & inuidia eiusdem arti sociorũ & difficultas temporum, & amicorum solitudo, & ipsa sæpe numero rei familiaris inopia ab ipso fine nonnumquam excluserunt. Atqui in monachorum institutis nihil horum videas, illic enim vna tantum re opus est, nobili scilicet, atque eximia alacritate animi, hæc si adsit, nihil quominus quisque ad summam virtutem perueniat impedire poterit. Quàm igitur ini- 7
quum, simul & indignum est, vbi quidem sunt spei optimæ pleraq. indicia manifesta, & viciniora, ibi desperare, vbi vero spes ipsa, & longinquior est, & tantis impedimentis intercipitur, illic non desperare; immo vero rei difficillimæ spes sibi maximas proponere. Quòd sane faciunt, qui in rebus mundi non ea, quæ sępius contingũt tristia, sed quæ perraro læta cõsiderant. Cumq; in monachorũ vita, & instituto vbi spes optima, & certissima est, ad ea solũ quę tristiora sunt inclinentur, in alijs rebus mũdi, vbi maximæ difficultates sunt, meliorum tãtum spem in animo versant. Quamquam illic nonnumquam cum ea simul omnia conuenerint, quæ debent necessario concurrere, ad ipsum iam finem immatura mors irruens post innumeros labores illos, sudoresq. frequentissimos athletam ipsum, sine coronis abripuit. Quæ si in medio monastici certaminis contingat, bellator ipse hinc maxime illustris, & coronatus proficiscitur. Dicis ipse qui vrbem habitat, qui domum habet, & vxorem saluari non potest? An vero, si cum vrbe, & vxore, & familia, & domo seruari quis potest, nunc longe id facilius aptius melius poterit, si fuerit is liber? Nam si is, qui vrbem habitat, sic indubie seruari potest, vt tu modo dicebas, multo sane magis poterit, si se ad solitudines contulerit. Quid est ergo, cur ibi salutẽ desperes, vbi minime debueras, ibiq. non metuas vbi maxime pauere debuisti? At, inquies, eius criminis non est eum, qui sæculo addictus sit, peccare, & eum, qui semel se ac penitus Deo deuouerit, religionis proposito excidere. Neque enim ambo ex eadem altitudine decidunt, ita nec eadem quidem vulnera suscipiunt. Falleris quidem in multis, quæ ęquæ monachis, & sæcularibus sunt pręcepta. Sed hoc plane est, quod euertit mũdum vniuersum, quod summa vitæ bene agendæ diligentia monachis opus esse arbitramur, ceteris negligenter viuere licere. Non ita sane non ita est, sed 8
eadem ab omnibus philosophiæ ratio requiritur. Videamus autem, & inquiramus (si tamen inquisitione opus est) in re tã manifesta vtrius sit pronior, ac facilior lapsus. Vnde plures longe videas lapsos ex coniugatorum, quã ex monachorum ordine. Nã & pecuniæ amor, & deliciarum, ac potentiæ, & feminarum ceterarũq. rerum desiderium facilius ab his, quàm a sæcularibus vinci subigiq. cõsueuit. Quippe habẽdi immodicam cupiditatem, is longe facilius vincet, qui in montium verticibus commora-

 tur,

tur, quàm qui mediis in rerum perturbationibus versatur. Et quid me necesse est, prosequi reliqua, quæ monachis quidem facillima ad superãdum sunt, sæculi autem homines nullo negotio, ingentiq. facilitate deijciunt? Naufragium, quis timere debet, qui fluctus, & procellas fugit, arq; omni studio ad portum festinat; an is, qui hieme ingenti, & turbine inuolutus iactatur? In vita enim seculari, & plura sunt, & paratiora naufragia, eo quod & plura sint, quæ perturbent, & qui eam vitam degunt negligẽtiores, atque ideo inualidiores sint, quàm vt aduersus ea stare possint. In monachorum autem vita profecto, & fluctus tanti non sunt, sed serenitas summa, & trãquillitas, & studium lõge excellẽtius aduersus eam fluctuum rabiem pugnatorum. Quid igitur? Omnesne qui matrimonij vinculis astricti sunt peribunt? Non equidem id dico, sed maioribus vt seruari possint laboribus eis opus esse confirmo ob imminentem necessitatem. Nam eo qui ligatus fuerit, is qui solutus est, & facilius longe, & expeditius curret. Nũ ergo maiore ille idcirco mercede donabitur, illustrioribusq; coronis? Minime vero: sibi enim ille hanc necessitatem conscisciuit, cum liceret effugere, si vellet.

9 Lib. de bona coniug. to. 6

AVGVSTINVS ait: Primis temporibus generis humani, maxime propter Dei populum propagandum, per quem, & prophetaretur, & nasceretur Christus Saluator omniũ populorum, matrimonio vti debuerunt sancti; nunc vero laudabilius erit continere. Sed nõnui quosdam, qui murmurent; quid si, inquiunt, omnes velint ab omni cõcubitu abstinere, vnde subsistet genus humanum? Vtinam omnes, 1. Tim. 1. hoc vellent dum taxat in charitate de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, multo citius Dei ciuitas compleretur, vt accelerarentur termini sæculi. Quid enim aliud hortari apparet Apostolum, vbi ait, cum de virginitate loqueretur: Vellem omnes esse sicut meipsum? Vnde mihi videtur, hoc tempore solos eos, qui se non continent coniugari oportere, 2. Cor. 7. secundum illam eiusdem Apostoli sentẽtiam: Quod si sẽnõ continet, nubat, melius est enim nubere, quàm vri.

10 In Psal. 44 to. 8.

IDEM explicans verba illa: Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime, dicit. Gladium tuum, quid nisi verbum tuum? Isto gladio diuisit filium a Patre, & filiã a matre. Legimus hęc in Euangelio: Non veni pacem mittere, sed gladium, & erũnt vna domo Matt. 10. quinque diuisi aduersum se, filius aduersus patrem, & filia aduersus matrẽ. Diuisio hæc, quo gladio facta est, nisi quem Christus attulit? Et reuera fratres etiã quotidianis exemplis videmus hæc. Placet iuueni alicui Deo seruire, displicet patri, diuisi sunt aduersus se: ille promittit terrenam hereditatem, ille amat cælestem. Aliud istæ pollicetur, aliud iste eligit. Non sibi putet pater factam iniuriam, Deus solus illi prefertur, & tamen litigat cum filio volente seruire Deo. Sed fortior est ille gladius spiritalis separans, quàm copulans natura carnalis. Venit gladius, ille renunciat diabolo, inuenit alium patrem, inuenit aliam matrem.

11 Ser. 1. ad fratres in eremo. to. 10.

IDEM dicit. Si quis de sæculo ad nostram congregationem venire desiderat, primo præcipio, vt probetur, an voluntas ex Deo sit vtilis, constãs, & omni spiritu charitatis plena, atque perfecta. Tunc enim proponatur ei quomodo abneget voluntatem suam.

12 Lib. de præcepto, & dispensatione

BERNARDVS inquit: Si dicitis legem regulæ subintrasse, vt abundaret delictum, culpa hæc non est datæ legis, aut dantis legem, sed improuide profitentis, & impie præuaricãtis. Verum hoc ante præuidisse debueras, quo turris huius Euangelicæ non prius iaceres fundamẽta, quàm sedes computares, si haberes sumptus ad perficiendũ. Nunc autem quid restat, nisi aut, vt correctus obedias senioribus, aut confusus audias ab illusoribus. Hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.

Resurrectio vltima probatur, cuius fides non modica causat bona.
Cap. VIII.

1 Hom. 17. in c. 24. Num. to. 1.

DE re hac diximus lib. 3. c. 13. Quibus pauca restãt superaddenda, & in primis.

ORIGENES explicãs verba illa; Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, tentoria tua Israel velut valles nemorosę, vt horti iuxta fluuios irrigui, inquit, In his verbis non solius litteræ cõtinenda sentẽtia est, nec puto, quòd domicilia eorum collaudet terrena. Quoniam quidem, quæ loquitur Balaam adsumpta parabola sua loquitur. Si enim consideres diuisiones illas, & ordines populorum, qui in resurrectione habebuntur, in populo veri Israel, quando vnusquisque resurget in suo ordine, si potes intueri tribus illas, & plebes, & cognationes, in quibus nõ tam carnis, & sanguinis est cognatio, quàm mentis & animi; tunc intelliges, quàm bonæ sunt domus Iacob, & quam bona tabernacula Israel.

2 Epist. ad Pammac. aduersus errores Ioan. Hierosolym. to. 2.

HIERONYMVS dicit: Christus Dominus primogenitus ex mortuis, spem nobis resurrectionis in resurrectione proprij corporis tribuit, vnde & omnes sic speramus resurgere ex mortuis, sicut ille resurrexit. Non in alijs quibusdam peregrinis, & alienis corporibus, sed sicut ipse in illo corpore, quod apud nos in sancto sepulchro positum resurrexit, ita & nos in ipsis corporibus, quibus nunc circũdamur. Quæ enim iuxta Apostolum seminantur in corruptione, surgent in incorruptione, 1. Cor. 15. quæ seminantur in ignobilitate surgent in gloria. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, de quibus & Saluator docens loquutus est: Qui enim digni fuerint sæculo illo, & resurrectione ex mortuis, neque nubẽt, neque nubentur, nec enim vltra mori poterunt, sed erunt sicut Angeli Dei cum sint filij resurrectionis. Rursus in alia parte epistolæ ait. Sed nec de se- Matt. 22.

de secundo glorioso aduẽtu Domini nostri in- Matt. 22. termisimus, qui venturus est in gloria sua iudicare viuos, & mortuos. Ipse enim suscitabit omnes mortuos, & ante suum tribunal esse faciet, & vnicuique reddet secundum quod egit per corpus, siue bonum, siue malũ, scilicet aut coronandus in corpore, quod caste egit, & iuste, aut condemnandus, quod voluptatibus, iniquitatibusq. seruiuit. Infra: Fas non est, vt in alijs corporibus animæ peccauerint, in alijs torqueantur, nec iusti iudicis alia corpora pro Christo sanguinem fundere, & alia coronari. Infra: Omnis caro videbit salutare Dei. Profer Ezechiel, qui ossa iungens ossi- Ezec. 37. bus, & educens ea de sepulchris suis, & super pedes stare faciens, carnibus, neruisq. constringit, & cute desuper tegit, donec Iob tormentorum victor, & testa radens putridæ carnis saniem, miserias suas resurrectionis spe, & veritate soletur. Quis mihi det, inquit, vt scribantur sermones mei? Quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim, quod Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem 3 visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo. Quid hac prophetia manifestius? Illud, quod ait: Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deũ, puto, quod non loquatur quasi amator carnium, quas putridas, fœtentesq. cernebat, sed ex fiducia resurgendi contemnit præsentia solatio futurorum. Et in carne mea videbo Deum, in ista carne, quæ me nunc cruciat, quæ nunc præ dolore distillat. Idcirco Deum in carne conspiciam, quæ omnes infirmitates meas sua resurrectione sanauit. Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Is si non in sexu suo resurrecturus est, si non eisdem mẽbris, quæ iacuere in stercore, si non eosdem oculos aperiat ad videndum Deum, quibus tunc videbat vermiculos, vbi erit ergo Iob? Osee. 6. Infra: In resurrectione implebitur, quod Dominus loquitur per prophetam: Populus meus intra in cellaria tua aliquantulum, donec ira mea transeat. Cellaria sepulchra significant, de quibus hoc vtique profertur, quod conditum fuerat. Et exibunt de sepulchris suis, velut hinnuli de vinculis soluti. Gaudebit cor eorum, & ossa eorum, sicut Sol orientur, veniet omnis caro in conspectu Domini, & mandabit piscibus 4 maris, & eructabunt ossa, quæ comederant, & faciet compagem ad compagem, & os ad os, & qui in terræ puluere dormierunt, resurgent, alij in vitam æternam, alij in opprobriũ æternum. Quotquot igitur habemus hanc spem, sicut exhibuimus mẽbra nostra famulantia immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita exhibeamus ea famulantia iustitiæ in sanctificationem, vt resurgentes ex mortuis in nouitate Rom. 6 vitæ ambulemus. Quomodo & vita Domini nostri Iesu manifestatur in nostro mortali corpore, & qui suscitauit Iesum Christum a mortuis, viuificabit mortalia corpora, propter inhabitantem spiritum eius in nobis. Iustũ enim 2. Cor. 4: est, vt qui semper mortificationem Christi in corpore nostro circumtulimus, vita quoque Iesu manifestetur in corpore nostro mortali, id est, in carne mortali secundum naturam, æterna autem secundum gratiam. Manus Moysi mutata est in candorem niuis, & deinceps colori pristino restituta: in vtraque diuersitate manus fuit. Figulus ille Hieremiæ, qui vas, Hiere. 18. quod fecerat, confregit, de eadem massa, & de eodem luto redintegrauit, quod ceciderat. Sed & ipsum resurrectionis vocabulum significat, non aliud ruere, aliud suscitari, sed quod in homine moritur, hoc & viuificatur. Vulneratus ille itineris Hiericho totus refertur ad stabulum, & delictorum plagę immortalitate sanantur. Christus Dominus dixit: Omne quod dedit mihi pater, non perdam ex eo quidquam, sed resuscitabo illud in nouissimo die. Totum videlicet hominem, quem totum nascendo susceperat.

IDEM explicans locum istum; Et vocabit 5 Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum, Lib. 7. in c. & ad caluitium, & ad cingulum sacci, & ecce 22. Isa. to. 4. gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum. Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur. Comminatur Dominus, ait, non se dimissurum esse hanc inquitatem, donec cum delictis suis ad inferos pertrahantur. Quod non solum de hæreticis, sed de omni potest intelligi peccatore, qui negligens peccata sua, desperatione fit peior, & voluptatibus irretitus, iungit peccato blasphemiam, vt omnem sensum viuentium putet morte finiri, dicens illud Epicuri; Post mortem nihil est, & mors ipsa nihil est. Resurrectionisq. incredulitas tantorum malorum est causa, & propter quam Dominus subdit: Et reuelata est in auribus meis vox Domini exercituum, Si dimittetur iniquitas hæc vobis donec moriamini, dicit Dominus.

IDEM explicãs visionem Ezechielis, quã 6 vidit in medio campi, vbi ossa erant arida, quæ Lib. 11. in c. iussu Domini reuixerunt, ait. Multos hunc lo- 37. Ezech. cum intelligere de generali mortuorum resurrectione; sed sunt alia multo robustiora testimonia in sacris litteris, vt est illud Iob: Suscitabis pellem meam, quæ ista sustinet. Et in Da- Iob 19. niel: Multi, qui dormiunt in terræ puluere, re- Dan. 12. surgent, isti in vitam æternam, & isti in opprobrium, & in confusionem æternam. Et in Euangelio: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, Matt. 10. animam autem non possunt occidere, timete autem eum magis, qui potest animam, & corpus perdere in gehennam. Et Apostolus: Qui Roma. 8. viuificabit mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis. Et multa alia.

AMBROSIVS sic habet; Tribus vijs col 7 Igitur resurrectionis fides, quibus omnia cor- In oratione prehenduntur: ratione vniuersitatis, exemplo, de fide re- testimonio rei gestę, quia plurimi surrexerunt. surrect. to. 4

Ratio euidens est, quia cum omnis vitæ nostræ vsus in corporis, animæq. consortio sit, resurrectio autem aut boni actus præmium habeat, aut pœnam improbi, necesse sit corpus resurgere, cuius actus expenditur. Quomodo enim in iudicium vocabitur anima sine corpore, cũ de suo & corporis contubernio ratio præstanda sit? Resurrectio omnibus erit, sed ideo difficile creditur, quia non nostrum meritum, sed Dei munus est. Prima igitur resurrectionis fides vsus est mundi, rerumq. omnium status, generationum series, successionum vices, ortus, obitusq. signorum, diei, & noctis occasus, eorumq. quotidie tamquam rediuiua successio. Nam quid de fructibus loquar? Nonne tibi videntur occidere, cum decidunt, resurgere, cum reuiuiscunt? Quod satũ est, resurgit, resurgit, quod mortuũ est, & in eadem genera, & in eadem species reformatur. Hos terra primũ reddidit fructus, in his primum natura nostrę speciẽ resurrectionis imitata est. Quid dubitas de corpore corpus resurgere? Granũ seritur, granũ resurgit, pomum decidit, pomum resurgit. Sed flore granum induitur, folliculoq. vestitur.
1.Cor.15. Et mortale hoc oportet induere immortalitatẽ, & hoc corruptibile induere incorruptionẽ. Flos resurrectionis, immortalitas est. Quid enim vberius quiete perpetua? Sed miraris
8 quomodo putrefacta solidentur, dispersa coeant, absumpta reparentur, non miraris quomodo semina vapore, & compressũ terræ soluta virideſcunt? Nam vtiq; ipsa putrefacta soluuntur, & postea quodam calore vitali spiritũ quemdam herbæ viridantis exhalant. Deinde teneram spicam vaginis quibusdam natura tamquam sedula mater includit, ne pubescentem glacies adurat aspera, atque a nimio solis defendat ardore. Frugem quoque ipsam adhuc quasi primis erumpentẽ cunabulis, mox adultam, ne pluuia decutiat, ne aura dispergat, ne auium minorum morsus interimat, vallo aristarum sepire consueuit. Quid igitur miraris, si homines, quos acceperit terra restituat, cum seminum corpora, quę cum vi susceperit, viuicet, erigat, vestiat, muniat, atque defendat? Desine ergo dubitare, quòd depositum generis humani terræ fides reddat, quæ commendata sibi semina vsurario quodam fœnore multiplicata restituat. Quid de arborum generibus loquar? Putrescere videmus acinum, vitem resurgere, surculus inseritur, arbor renascitur. An de reparandis arboribus diuina est prouidentia, de hominibus nulla cura? Et qui ea, quæ ad vsus hominum dedit, perire non passus est, hominem perire patietur, quem ad imaginem sui facit? Num in hominibus terra degenerat, quæ omnia regenerare consueuit? Auis in regione Arabiæ, cui nomen phœnix, rediuiuo suę carnis humore reparabilis, cum mortua fuerit, reuiuiscit, solos non credimus homines resuscitari? Cognouimus relatione crebra, & scripturarum auctoritate, memoratam autem quingentorum annorum spatia vitali vsui habere præscripta, eamque, cum sibi finem vitæ adesse præsaga quadam naturæ suæ æstimatione cognouerit, thecã sibi de thure, & myrrha, & ceteris odoribus adornare, completoq. opere pariter ac tempore, intrare illam, atq; emori, ex cuius humore oriri vermem, paulatimq. eum in auis eiusdem figuram concrescere, vsumq. formari, subnixam quoque remigio pennarum, renouatæ vitæ officia munere pietatis ordiri. Nam thecam illam, vel tumulum corporis, vel incunabulum resurgentis, in qua deficiens occidit, & occidens resurrexit, ex Aethiopia in Licaoniam vehit, atque ita resurrectione auis huius locorum incolæ completũ quingentorum annorum tempus intelligunt. Ergo isti aui quingentesimus resurrectionis annus, est nobis millesimus, illi in hoc sæculo, nobis in consummatione mundi. Infra: Colligit resurrectionem ex locis sacræ Scripturæ, Danielis 12. Et in tempore illo saluabitur omnis Dan. 12.
plebs tua, quæ scripta est in libro, & multi dormientium exurgent, hi in vitam æternam, & hi in opprobrium, & confusionem perpetuam. Et intelligentes splendebunt, vt splendor firmamenti, & ex iustis multi sicut stellæ in sæcula. Bene itaque dormientium dixit quietem, vt intelligas mortem non esse perpetuã, quæ somni vice initur ad tempus, & ad tempus excluditur. Melioremq. futuram vitam resurgentium dicit, quàm præsentem, quæ mœrore, ac
10 dolore tranfigitur: siquidem illa stellis comparatur, hæc ærumnæ addicitur. Et alio loco: Suscitabis me, & confitebor tibi. Et Iob sanctus vitę istius expertus iniurias, compensationem sibi malorum præsentiũ de resurrectione promisit, dicens: Suscitabis corpus meum hoc, quod multa alia passum est. Isaias quoque resurrectionem populis annuncians, Dominici se nuncium dixit esse responsi. Sic enim habes: Isaia 26.
Os Domini locutum est, & dicẽt die illa. Quid igitur os Domini locutum sit, populos esse dicturos, in posterioribus declaratur, vbi scriptũ est: Propter timorem tuum in vtero accepimus, & parturiuimus spiritum salutis tuæ, quẽ effudisti super terram. Cadent, qui inhabitant terram, resurgent, qui in monumentis sunt. Ambula populus meus, & intra in recessus tuos, absconde te aliquantulum, donec transeat ira Dei. Quàm bene recessus esse significauit tumulos mortuorum, quibus paululum abscondimur, vt in iudicium Dei, quod pro nostris sceleribus ius debitæ indignationis assumet, tolerabilius transire possimus. Adducit etiam locum Ezech. 37. vbi ossa arida reuixerunt, vt Ezech. 37
vltimam resurrectionem probet, sed hoc loco vsus est Hieron. & alij. Virga in serpentem versa, quid aliud indicauit, nisi volente Deo, ex insensibilibus sensibilia posse generari? An vero incredibilius putas, quod ossa, cum iubentur, accedunt, quàm quod retrorsum fluenta vertuntur, maria fugiunt? Voce clamauit Dominus: Lazare veni foras. Cur voce clamauit, Ioan. 11.
quasi spiritu non soleat operari, & tacitu imperare? Sed vt illud ostenderet, quod scriptum
1.Cor.15. est: Quoniam in momento oculi, in nouissima tuba

11 tuba mortui surgent incorrupti. Et clamauit: Lazare veni foras, vocans eum nomine suo, ne forte alius resuscitatus pro alio videretur.
Luc.6. Matt.9. Alios quoq; resuscitauit Dominus, adolescentem filium viduæ, & filiam Archisynagogi. In
Matt.27. morte Domini multa corpora mortuorum surrexerunt. Si hæc fecit, cum emitteret spiritum, cur incredibilia putamus, cum redire cœperit ad iudicium, præsertim cum hæc resurrectio il
Isa.66. lius sit exemplũ? Et deniq; Deus ait: Quemadmodum cælum nouum, & terra noua, quæ ego facio manere coram me, sic stabit nomen vestrum, & semen vestrum, & erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato, & veniet omnis caro in conspectu meo, vt adoret in Hierusalem, dixit Dominus Deus, & exibunt, & videbunt membra hominum, qui præuaricati sunt in me: nam vermis eorum non morietur, & ignis eorũ non extinguetur, & erunt in aspectum vniuersæ carnis. Si terra renouatur, & cælum, cur dubitemus hominem posse renouari, propter quem terra facta, vel cælũ est? Si præuaricator seruatur ad pœnam, cur iustus non perpetuatur ad gloriam? Si vermis non moritur peccatorum, quomodo interibit caro iustorum? Resurrectio etiam probatur ex æquitate iustitiæ, sic. Hæc est series, & causa iustitiæ, vt quoniam corporis, animiq. cõmunis est actus, quæ animus cogitauit, corpus efficit, vtrumq; in iudicium veniat, vtrumque aut pœnæ dedatur, aut gloriæ reseruetur. Nam propemodum absurdum videtur, vt cum animi legem, lex carnis impugnet, & mens plerumque, quod odit, hoc facit, quando inhabitans in homine peccatum carnis operatur, animus subdatur iniurię, alienæ reus culpæ, caro quietę potiatur auctor ærumnæ, & solus atteratur, qui non solus errauit, aut solus gloriam referat, qui non solus gloriæ militauit.
12 Hier. secundæ epist. ad Cor. to. 3. IDEM explicans verba illa; Scio hominem in Christo ante annos quattuordecim raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio talem hominem, quia raptus est in paradisum, inquit. Bis se raptum dicit, ideſt, hinc vsque ad tertium cælum, deinde in paradisum cælestem, in quo latroni dixit Dominus: Hodie mecum eris in paradiso, in paradiso Patris, vbi ciuitas dicitur esse Hierusalem mater nostra. Quid ergo mirum, si post resurrectionem corpus iam expiatum, atque tenuatum factũ immortale futurum credatur in cælis, quando non dubitat Apostolus adhuc mortale corpus potuisse leuari ad cælos, & tolli in paradisum Dei Patris cælestem?

13 AVGVSTINVS inquit; In virga Moysi, quæ in terra serpens effecta, mihi significatur mors Christi a serpente veniens, sed quòd apprehensa cauda, rursus virga redditur, significat posterius peractis iam omnibus in fine actionis, ad id, quod fuerat, resurgẽdo reuerti, vbi per vitæ reparationem morte consumpta, nihil serpentis apparet. Nos quoque corpus eius in eadem mortalitate per lubrica temporum voluimur, sed fine nouissimo velut cauda sæculi per manum, ideſt, per potestatem iudicij, ne vltra prolabatur, apprehensa reparabimur, & nouissima inimica morte destructa, resurgentes in dextera Dei, virga regni erimus.
Lib.12.contra Faustũ Manichæũ. to.6. Exo. 4.

14 IDEM ait; Germinauit virga Aaron in domo Leui. Hoc est illud vnũ sine dubio, quod fuerat repromissum. Sed adduntur alia, & produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces. Cum ergo de solo germine fuisset repromissum, vide quanta largitur Deus, vt non solum germen produxerit, sed & frondes, nec solum frondes, sed & flores, & non solum flores, sed & fructus. In his primum omnium resurrectionis ex mortuis sacramentum euidenter agnoscimus. Virga enim arida germinat, cum corpus extinctum cœperit reuiuiscere. Quæ sunt autem quattuor ista, quæ resurgenti corpori præstabuntur? Vt seminatum in corru- 1.Cor.15.
ptionem, surgat in incorruptione, & seminatum in infirmitatem surgat in virtute, seminatum in ignominiam, surgat in gloria, & seminatum corpus animale, surgat corpus spiritale. Ista sunt quattuor, quæ virga arida corporis nostri in resurrectione germinabit.
Serm.99.de tempore. to.10. Num.17.

FINIS LIBRI DECIMIQVINTI.

LIBER

LIBER XVI.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES.

Sacerdotis dignitas multas postulat virtutes, vnde meticulosè ad eam accedere oportet. Cap. I.

1 Hom. 16. in Gen. in exposit. c. 47. to. 1.

ORIGENES sic habet; Vis scire quid interſit inter ſacerdotes Dei, & ſacerdotes Pharaonis? Pharao terras concedit ſacerdotibus ſuis, Dominus autē ſacerdotibus ſuis partem nō concedit in terra, ſed dicit eis: Ego ſum pars veſtra: Obſeruate ergo, qui hæc legitis, omnes Domini ſacerdotes, & videte, quę ſit differetia ſacerdotū, ne forte, qui habent partē in terra, & terrenis cultibus, ac ſtudijs vacant, non tam Domini, quàm Pharaonis ſacerdotes eſſe videantur. Ille eſt enim, qui vult ſacerdotes ſuos habere poſſeſsiones terrarum, & exercere agri, non animi culturam, ruri, & non legi operam dare. Chriſtus autem Dominus ſacerdotibus ſuis præcepit, dicens: Qui non abrenunciauerit omnibus, quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Feſtinemus tranſire a ſacerdotibus Pharaonis, quibus terrena poſſeſsio eſt, ad ſacerdotes Domini, quibus in terra pars non eſt, quibus portio Dominus eſt. Talis enim erat & ille, qui dicebat: Tamquam egentes, multos autem locupletantes, Vt nihil habentes, & omnia poſsidentes. Paulus hic eſt, qui talibus gloriatur. Vis audire etiā Petrum, quid de ſeipſo pronunciet: Argentum, & aurū non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti, ſurge, & ambula. Vides ſacerdotum Chriſti diuitias, vide nihil habentes quanta, & qualia largiuntur? Iſtas opes largiri non poteſt terrena poſſeſsio.

2. Cor. 6.

Act. 3.

2 Homil 5. in c. 7. Leuitici

IDEM exponens illa verba; Sicut pro peccato offertur hoſtia, ita pro delicto vtriuſq; hoſtię lex vna erit, ad ſacerdotē, qui eam obtulerit, pertinebit, ait. Diſcant ſacerdotes Domini, qui eccleſijs prę ſunt, quia pars eis data eſt cum his, quorū delicta repropitiauerint. Quid autē eſt repropitiare pro delicto? Si aſſumpſeris peccatorem, & monendo, hortando, docendo, inſtruendo, adduxeris eum ad pœnitentiam, a vitijs emendaueris, & effeceris eum talem, vt ei conuerſo propitius fiat Deus, pro delicto repropitiare diceris. Si ergo talis fueris ſacerdos, & talis fuerit doctrina tua, & ſermo tuus pars tibi dabitur eorum, quos correxeris, vt illorum meritum tua merces ſit, & illorum ſalus tua gloria. Intelligant igitur ſacerdotes Domini, vbi eſt his data portio, & in hoc vacent, & his operam dent. Non ſe inanibus, & ſuperfluis actibus implicent, ſed ſciant ſe in nullo alio partem habituros apud Deum, niſi in eo, quod offertur pro peccatis, ideſt, quod a via peccati conuerterint peccatores. Infra: Vbi ait Dominus: Pectuſculum autem erit Aaron, & filiorum eius, armus quoque dexter de pacificorum hoſtijs cedent in primitias ſacerdotis. Ego puto, quod ſi quis dicit ſe eſſe ſacerdotem Dei, niſi habeat pectus ex omnibus membris electum, non eſt ſacerdos, & niſi habeat brachium dextrum, non poteſt aſcendere ad altare Domini, nec ſacerdos nominari. Quod ergo eſt ſacerdotis pectus, aut quale? Tale ego eſſe puto, quod plenum ſit ſapientia, plenum ſcientia, plenum omni diuina intelligentia, & quid dico intelligentia, immo quod plenum ſit Deo.

3 Homil. 9. in lib. Ioſue.

IDEM explicans verba illa; Et omnis Iſrael, & presbyteri, & iudices, & ſcribæ præcedebant hinc, & illinc arcam teſtamenti Domini, dicit. Arca teſtamenti Domini eſt, in qua tabulæ legis manu Dei ſcriptæ ſeruantur. Et circa hanc arcam teſtamenti omnis, qui vere Iſrael eſt, incedit, & non eſt longe ab ea. Leuitæ vero, & ſacerdotes etiam in humeris ſuis eam portant. Etenim quicumque ſacerdotali religione viuunt, non ſolum ij, qui ſedere videntur in conſeſſu ſacerdotali, ſed ij magis, qui ſacerdotaliter agunt, quorum pars eſt Dominus, nec vlla eis portio habetur in terris, ipſi ſunt veri ſacerdotes, & Leuitæ Domini, qui in humeris ſuis legem Dei portant, agendo videlicet & implendo per opus ea, quæ ſcripta ſunt in lege.

4 Hom. 3. exposit. 2. in Cātica. to. 2.

IDEM explicās verba illa; Tigna domorū noſtrorum cedrina, laquearia cipreſsina, ait. Cum

Cum dicit ſponſus, tigna domorum noſtrarum cedri, intelligere debemus cedros Dei eſſe eos, qui Eccleſiam contegunt, & eſſe aliquos horum validiores, qui trabes appellantur. Et puto, quòd conuenienter hi, qui epiſcopatum bene miniſtrāt in Eccleſia trabes dici poſſunt, quibus ſuſtentatur, & regitur omne ędificium, vel ab imbrium labe, vel ab ardoribus ſolis. Secundo autem horum loco tigna presbyteros appellari, & trabes quidē dici cypreſſos, quibus & fortitudo robuſtior, & odoris ſuauitas ineſt, per quod & in operibus ſolidum, & in doctrinæ gratia fragrātem deſignat Epiſcopum. Similiter autem & tigna cedros appellauit, vt per hoc incorruptionis virtutis, & odoris ſciētiæ Chriſti plenos deſignaret debere eſſe preſbyteros.

5 Hom. 2. de baptiſmo. c. 2. to. 1. Leuit. 21.

BASILIVS docet periculoſum eſſe ſi quiſquam conſcientia praua, vel immunditia, aut inquinamento non repurgato, ſacerdotio fungatur, & ait: Moyſes per ea, quæ tunc in lege a Deo data poſuit typum quendam ad noſtri adhortationem prænigens ſcribit. Et dixit Dominus ad Moyſen, loquere ad Aaron, dicēs: Homo ex ſtirpe tua in generationibus veſtris, habens in ſeipſo maculam non accedet ad offerendum dona Deo ipſius. Quoniam omnis homo, in quo macula eſt, non accedet. Et in ſequentibus, quid per maculam intelligat exponit. Nempe quod eſſe debeat abſque ſuperfluo in corpore membro, nec vllius alicuius membrorum ſuorum, vel parte tantum læſus, aut vitiatus; etiam ſi tantum non ſit vitium, vt ab inceſſu impediat, dummodo ſaltem deformitatem inducat, aut corporis integritatem lædat. Dominus vero dicit: Templo maior eſt hic. Inſtruit nos tanto ſceleſtiorem, & impium magis eſſe eum, qui cum impurus ſit corpus Domini adminiſtrare audet, qui ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem bonæ fragrantiæ dedit, quanto corpus vnigeniti filij Dei excellentius eſt arietibus, & tauris, eſt enim excellentia incomparabilis. At maculam & vitium iam in nouo teſtamento non referre oportet ad corpus, ſed ad iuſtificationes Euangelicæ pietatis. Quando videlicet præceptum Dei vel non plene, vel mutile, vel non ita fit, vt Deo placere poſsit. Neceſſarium itaque ſemper eſt, maxime vero tāti ac talis myſterij celebrandi tempore, ſeruare præceptum Apoſtoli dicentis: Cum has itaq; promiſsiones habeamus dilecti, repurgemus noſipſos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus perficientes ſanctificationem in timore Dei, nec vllam aliqua in re dātes offenſionem, ne vituperetur miniſterium, ſed in omnibus commendemus noſipſos tamquam Dei miniſtri.

6 Cap. 3.

Infra: Grauiſsimum ſupplicium in lege Deus aduerſus eos decreuit, qui cum ſint immundi ſancta contingere non verentur. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Dic Aaroni, & filijs eius, ne polluant nomen meum ſanctū, quicumq; illi mihi ſanctificantur: ego Dominus. Dic illis in generationibus ipſorū. Quiſquis hominum ab omni veſtro ſemine, ad ſancta, quæcumq; filij Iſrael Domino ſanctificātur, in immunditia ſua conſtitutus accedit, exterminabitur anima illius a facie mea. Si tales minæ aduerſus eos poſitæ ſunt, qui temere ad ea ſacra accedunt, quæ ab hominibus ſanctificantur, quid dicendum eſt de eo, qui in tantum ac tale myſterium temerarius eſt? Quanto enim maius aliquid is eſt templo, ſecundum Domini vocem, tanto grauius & terribilius eſt in animæ impuritate conſtitutum corpus Chriſti temere contingere, quàm ſit accedere ad arietes, & tauros, dicente Apoſtolo: Itaque quicumque manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Immo vehementius ac terribilius iudicium per repetitionem exprimente, cum dicit: Probet autem ſe ipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. Quòd ſi in immunditia tantum conſtitutus (immūditiæ vero proprietatem typice ex lege diſcimus) tam terribile iudicium habet, quanto magis, qui cum in peccato ſit, corpus Domini contingere audet, grauius ſibi accerſit iudicium? Mundemus itaque nos ab omni inquinamento, atque ita ad ſancta accedamus, vt iudicium eorum, qui Dominum occiderunt effugiamus, quia qui manducauerit panem, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini.

1. Cor. 11.

7 Lib. 3. de ſacerdotio. to. 5.

CHRYSOSTOMVS inquit: Sacerdotium ipſum in terra quidem peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem, ordinemq; referendum eſt; atque id perquam merito, quippe non mortalis quiſquam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed Deus ipſe ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiam nunc in carne manentibus auctor fuit, vt Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcirco neceſſe eſt ſacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi in ipſis cælis collocatus inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret. Terribilia namque, atque horrifica fuiſſe ferunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt, quod genus fuere tintinnabula, mala punica, lapides pectori ſacerdotis, itemq; alij humeris eiuſdem ſuperpoſiti, mitra, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, ingens intus quies, atque ſilentium. At vero ſi quis ea, quæ gratię tempus nobis aduexit, examinet, terribilia, atque horrifica, quę dixi, iudicabit eſſe admodum leuia, ac quod de lege a Paulo dictum eſt, hic verum eſſe comperiet, quādoquidem ne glorificatum quidem fuit, quod glorificatum eſt in hac parte propter eminentem gloriam. Nam dum conſpicis Dominum immolatum, ſacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te inter mortales verſari, atq; in terra conſiſtere cenſes?

2. Cor. 3.

ses? An non potius e vestigio in cælos transfereris? An non carnis cogitationem omnem abijciens, nudo animo, mente pura circumspicis, quæ in cælo sunt? O miraculum, o Dei benignitatem, qui cum patre sursum sedit in illo ipso temporis articulo sacerdotum manibus pertractatur! Fit autem id nullis præstigijs, 8
sed apertis ac circumspicientibus consistentium omniũ oculis. Vis ne & sanctimonię istius excellentiam alio miraculo perspicere? Ponito ob oculos Eliam illum, præterea & infinitam illam turbam circumfusam, & sacrificium lapidibus superpositũ, tum vero reliquos omnes admodum quietos, ac taciturnos, solum autem prophetam preces fundentem, secundum id flammam de repente e cælo delabentem, sacrificiumq. ipsum comburentem. Mira sunt ista profecto ac stupore plena. Ab illis ergo sacris ad nostra sacra te transfer, nec ea mira esse videbis modo, sed etiam omnem stuporem excedentia. Adest enim sacerdos non ignem gestans, sed Spiritum sanctum, is preces diuturnas fundit, non quo flamma cælitus dilapsa sacra appositа absumat, sed vt gratia in sacrificium influens, per illud ipsum omnium animos inflammet, & puriores reddat, argento igni excocto, purgatoque. Si quis consideret quantum id sit mysterium, vt is scilicet, qui homo ipse sit carne, ac sanguine etiam nunc cõstans, ijsq. inuolutus, beatæ, atq; immortali naturæ illi fieri propior queat, tum probe intelligit, quãto honore sacerdotes, quãta dignitate Spiritus sancti gratia dignata fuerit. Operantibus enim illis, tum sacra hæc, quæ dico initiantur, perficiunturque, tum etiam alia his nihilo interiora, quæ ipsa ad dignitatis, salutisq. nostræ rationem spectant. Etenim qui terram incolunt, atq; in ea versantur, ijs commissum est, vt ea, quæ in cælis sunt dispensent, ijs datum est, vt potestatẽ habeant, quam Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum
Matt. 16. & 18. est: Quæcumque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Habent terrestres principes vinculi potestatem, 9
verum corporum solum. Id autem quod dico sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cælos vsque peruadit, vsq; adeo, vt quæcumque inferne sacerdotes confecerint, illa eadem Deus superne rata habeat, ac seruorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cælestium potestatem illis a Deo
Ioan. 20. concessam? Quorumcumque enim, ait peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam obsecro potestas hac vna maior esse queat? Pater
Ioan. 5. omnifariam Filio potestatẽ dedit, ceterum videlicet ipsam eandem omnifariam potestatem a Filio illis traditam. Nam quasi iam in cælum translati, ac supra humanam naturam positi, atque nostris ab affectibus exempti, sic illi ad principatum istum perducti sunt. Quid multa? Rex aliquis, si cui ex subditis suis honorẽ hunc detulerit, vt potestatem habeat quoscũque velit in carcerem conijciendi, eosdemq. rursus laxandi, beatus ille, & admirandus iudicio omnium fuerit. At vero, qui a Deo tanto maiorem accepit potestatem, quãto cælum terra pretiosius est, quanto etiam animæ corporibus præstant, hic vilem eousque dignitatem accepisse nonnullis videri debet, vt vel in illorum cogitationem descendere queat, reperiri quandoq; posse vnum aliquem ex eorum numero, quibus tanta illa, quæ paulo ante dixi, fuerint a Deo concredita, cui ipsi munus suum sordescat, quique donum sibi a Deo datum despiciat? Procul procul hinc faceslat 10
huiusmodi insania. Insania enim manifestaria despicere tantum istum principatum, sine quo neque salutis, neque promissorum bonorum compotes fieri possumus. Nam si in regnum Ioan. 6.
cælorum intrare non potest, qui non manducat carnem Domini, & eius sanguinem bibit; hæc autem haud aliter quàm per sacrosanctas illas manus perficiũtur, manus inquam sacerdotum, qui fiet, vt citra illarum opem, aut gehennæ ignem vitare quis possit, aut repositæ in cælo coronæ præmia assequi? Hi enim sunt, hi sunt, inquam, quibus tum concreditæ sunt spirituales parturigines, tum etiam baptismatis partus a Deo est commissus. Per hos ipsos Christum induimus, vna cum Dei filio sepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur.
Infra: Equidem ex his, quæ a me dicta sunt, auditorum mentes tanta puto religione occupatas, vt non iam eos, qui fugiunt, sed eos, qui per se accedunt, honoremq. istũ vltro sibi ambiunt contumaciæ, temeritatis, atque audaciæ accusent. Nam si vsu venit, vt quibus ciuitatum principatus concreditus est, ij, nisi valde prudentes pariter ac vigilantes fuerint, tum ciuitates ipsas euertãt, tum seipsos perditum eant; quanta illum virtute nõ sua tantũ vnius, sed & cælesti præditum esse conuenit, cui sorte contigit, vt Christi sponsam colat, ornetque? Si modo peccandi occasionem vitare is velit. Christum nemo est qui Paulo vehementius dilexerit, nemo qui apud Deum gratiosior, quàm Paulus fuerit, tamen post tot priuilegia a Deo accepta veretur adhuc ac tremit principatus, istius subditorumque suorum gratia. Metuo 2. Cor. 11.
enim, inquit, ne qua fiat, vt quemadmodum serpens Euam decepit versutia sua, ita corrũpantur sensus vestri a simplicitate, quæ erat 1. Cor. 2.
in vobis erga Christum. Ac rursum: In timore ac tremore multo vobiscum versatus sum.
Atque id quidem dicit homo is, cui a Deo datum est, vt in tertium vsque cælum raperetur, ac diuinorum arcanorum particeps fieret, qui 11
idem totidem, vt sic dixerim, mortes pertulit, quot ipse dies post fidem Christo datam vixit, qui item idem ne concessa quidem a Deo potestate vtendum sibi vbique iudicauit, vt nequis eorum, qui fidem suam Christo obstrinxissent, offenderetur. Si igitur Paulus Dei mãdata sic obseruans, vt maiora etiam, quàm ipsi a Deo iniuncta fuissent, præstaret numquam suo

suo ipsius, sed subditorum tantum commodo studens, sic vbique formidauit magistratus sui molem expẽdens, quid faciemus ipsi, qui multi vbique sumus in quærendis quæ nostra sunt, qui Christi mandata Pauli exemplo non solũ
1. Cor. 11. non superamus, sed ea maiori quidem ex parte transgredimur? Quis infirmatur, inquit ille, & ego non infirmor? quis offenditur, & ego non vror? Eiuscemodi sane conuenit sacerdotem esse: quinimmo non eiuscemodi tantum, parua enim sunt ista, ac certe nulla præ eo,
Rom. 9. quod alibi ait: Optarim anathema esse a Christo pro fratribus meis. Quod si quis existit, qui vocem hanc obsecrans enunciare possit, is demum dignus quidem est, qui si oblatum Epi- 12
scopi munus detrectet, insimuletur: sin a Pauli virtutibus illis pari nobiscũ interuallo distat, is nimirum odium, ac vituperationem meretur, cum munus idem delatum amplectitur, non cum detrectat. Neque enim proposita militaris dignitatis electione, si ij, quibus prouincia ea demandata foret, fabro arario, aut cerdoni, aut cuipiam id genus opificũ in medium tracto honorem huiusmodi ad illum deferrent, laudarent vtiq; miseri ac stolidi illius consilium, qui oblatum munus non statim de- 13
trectaret, nihilq. non faceret, vt ne seipse in præsens conijceret periculum. Nam si id vnum satis sit, pastorem simpliciter vocari, & prouincia ista vtcumque defungi, nec vllum prorsus inde periculum exoriri possit, equidem nihil moror quin me, quisquis volet, inanis gloriæ studiosum appellet, sin vero rara prudentia, rara a Deo data gratia, præterea si morum integritate, si vitæ puritate, deniq; si maiori quàm pro humano captu virtute præditũ eum esse oportet, quid administrationis istius curam in se suscipit, ne me venia priuatum per te velis, si frustra ac temere vitę mihi meæ exitium accersere noluerim. Etenim si nauem quis agens amplissimam, & quæ decem millia pondo ferat quæque eadem remigibus suis sit instructa, ac sumptuosarum mercium pondere onerata me illius gubernaculo præfectum iuberet Ægeum, Tyrrhenumq. mare traijcere, nimirum fieret, vt ad primam statim auditionem mandatum id detrectarem, ac me si quis interrogaret; quid ita? ne nauem submergam, vtiq; responderem. Itane igitur vbi pecuniæ tantum iactura subest, nec nisi corporis interitus periclitatur, nemo est qui incuset, reprehendatque, si quis magna cautione, prouidentiaq. hic vtatur, vbi autem nauem frangentibus, non in hoc vel illud pelagus, sed in ignis æterni abyssum corruendum est, vbi item eosdem naufragos interitus manet, non qui corpus ab anima dirimit, sed qui animam ipsam vna cum corpore in sempiternum exigit supplicium, hinc mihi vos succensebitis? Huc mihi odium, inimicitiasq. præferetis, si me ipse temere in tantam non coniecerim perniciem? Noui profecto animi huius vires, quàm sint infirmæ, atque exiguæ, noui quanta sit functionis illius moles, noui quàm ingens negotij ipsius difficultas. Non tamen ob id sacerdotalem dignitatem malorum istorum auctorem 13
fecerim. Absit enim tanta a me insania. Neq; enim ferrum cædis, neque vinum ebrietatis, neque robur contumeliæ, neque fortitudinem inconsideratæ audaciæ, sed eos potius, qui præterquam deceat donis a Deo datis abutuntur, quisquis sana mente fuerit, auctores esse dicet, punietq. Quandoquidem, & sacerdotium meri- 14
to nobiscum expostulare possit, si se non rite, atque ordine pertractemus, administremusq. Neque enim illi accepta ferre debemus mala ea, quæ dixi, sed nobis potius, qui illud idem quantum in nobis fuit conspurcauimus, atque coinquinauimus, hominibus quibuslibet illius administrationem in manum tradentes, qui quidem, neque viribus suis ipsorum prius consultis, neque considerata rei magnitudine, obuijs statim vlnis munus oblatum amplectuntur. Cum autem eo ventum est, vt negotiorum functioni manus admoueãt, nimirum inscitiæ caligine occupati, calamitatibus infinitis populos fidei suæ concreditos replent. Caput valentissimum quidem esse oportet, vt prauas exhalationes ab inferiori reliqui corporis parte sursum ascendentes, dispensare, easdemq. rite, atque ordinate componere possit. Cum enim per se caput infirmum est, ac fumorum insultus illos morbificos repellere minime potens, tum fit, vt ipsum etiam infirmius indies reddatur, tum autem reliquum corpus secum perdat. Id quod vt ne in præsentia accideret, voluit Deus, vt nos in loco & numero pedestri, quem sors nostra initio tulerat, permaneremus. Multa enim alia sunt Basilij, præter ea, quæ iam a nobis dicta sunt, quæ sacerdotem præstare oportet, ac quæ certe in nobis non agnoscimus.

IDEM docet non satis esse sacerdotium, & officia non ambire, sed quòd nec ea admittere debet is, qui huius muneris capax non est, & ait. Ac si placet a regno primum, cuius quidem studium apud Deum tanti non est, quanti est sacerdotij, verborum meorum fidem tibi faciam. Saul ille, qui patrem Cis habuit, nõ suo 1. Reg. 9.
ipse studio rex factus est, vt qui cum abijsset asinas perueſtigatum, propheram super ijs rogare cœpit. At ille cum eo de regno collocutus est. Porro Saul ne auditis quidem prophetæ verbis, ad regni administrationem suscipiẽdi accurrendum sibi putauit, quinimmo tergiuersatus, deprecatusq. est, cum diceret: Quisnam ego sum? quæ patris mei domus? quid tandem? Saul ne posteaquàm non recte honore sibi a Deo delato vsus est, potuere verba ista eximere ab eius ira, a quo rex creatus ipse fuerat? Atqui licebat illi aduersum Samuelẽ increpantem, verbis his vti: Num ad regnum ipse administrandum accurri? Num ad huius potestatis regimen profilij, atque aduolaui? Equidem in animo habui priuatam vitam viuere, tu vero ad hoc me dignitatis, auctoritatisq. pertraxisti. In illa ergo vitæ humilitate, atque obscuritate versatus, facile offensiones

Lib. 4. de sacerdotio.

huius-

huiusmodi deuitassem. Nam si ex ignobilium hominum numero vnus fuissem, mihi aduersus Amalechitas bellum Deus non credidisset, quo mihi non credito, peccatum huiusmodi numquam perpetrassem. Verum hæc, quæ dixi, omnia ad defensionem sunt infirma. Sed vt missō regno ad sacerdotium deueniamus, Heli non studiose, neque ambitiose dignitatem eam sibi parauit. Hoc ipsum igitur quid illi post delictum profuit? Moyses vir beatus tantum abfuit a rapienda Iudæorum præfectura, vt & oblatam recusaret, & Deum etiam, quòd illi id iubenti non auscultaret, contra se irritaret? Quod quidem non solum id temporis fecit, verum & postea, cum iam præfecturam eam administraret, qua vt liberaretur, lubens e viuis decessisset. Quid igitur posteaquam ad aquam peccauit, potuere ne assiduæ illæ recusationes illum tutari, ac Deo persuadere, vt veniam ei concederet? Quanam alia quęso de causa terra illa promissa priuatus est? Certe non alia, quàm ex peccato huiusmodi, propter quod viro illi admirando non licuit rebus ijsdem potiri, quibus subditi eius potiti sunt. Vides, vt iam nulla peccatorum excusatio relicta sit, non solum ijs, qui rapiunt, sed ne ijs quidem, qui alieno studio huc euehuntur? Iudam Deus elegit, eundemq. in sacrosanctum illud coaptauit collegium, dignitate Apostolica vna cum alijs ornatum. Num posteaquam prerogatiua hac contra, quàm debuit, vsus est, impunitate donatus abijt? Certe hoc potissimum nomine grauius sibi accersiuit supplicium: idq. perquam merito. Maxime autem puniendi illi fuerint, qui post eum honorem studio, atq; ambitione adeptum, vel per ignauiam, vel per malitiam, vel per imperitiam, re ipsa non recte vtuntur. Neque vero ideo paratam veniam esse dixerim ijs, qui nulla sua ambitione dignitatem eam obtinuerint. Decere enim arbitror, vel si te eo sexcenti vocēt, atque adeo cogant, non illos spectare, verum animi tui dotes prius examinare, vireſq. tuas omnes exacte perscrutari, atq; ita demum cogentibus cedere.

1. Reg. 15.
1. Reg. 2.
Exo. 4.
Num. 20.

16 IDEM dicit. Sacerdotis animum solaribus radijs puriorem esse oportet, vt ne quando Spiritus sanctus desolatum illū relinquat, vt dicere illi liceat: Viuo ego, iam non ego, viuit in me Christus. Nam si qui eremum inhabitant, quique procul sunt ab vrbe, a tumultibus, & a foro; tunc a tumultibus illinc enascentibus securi, liberiq. viuunt, denique qui perpetua portus tranquillitate perfruuntur, tuto vitæ illius præsidio fidere nolunt, quinimo infinitas quoque alias addunt custodias, vndique seipsos circumsepientes magna adeo cum diligentia, & dicere, & facere omnia laborantes, vt cum libertate ac puritate quadam sincera, quātum humanus captus ferre potest, ad Dei conspectum accedere possint: quantā putas sacerdotem præstare debere tum vim, tum potentiam, vt animam suam ab omni vindicet fœditate, vt spiritualē pulchritudinem illæsam seruet? Etenim multo maior vitæ integritas huic quàm illis necessaria est. Infra: Eum, qui pro ciuitate tota, immo vero pro vniuerso terrarum orbe legatus intercedit, deprecatorq. est apud Deum, vt hominum omnium peccatis propitius fiat, qualem quæso esse oportet? Etenim neque Moysi, neque Eliæ se oportet? Etenim neque Moysi, neque Eliæ fiduciam fore vmquā satis putauerim ad supplicationem huiusmodi peragendam, quandoquidem quasi mundus illi vniuersus concreditus, atque adeo omnium sit pater, sic ad Deum ipse accedit deprecans quidquid vbique bellorum est extingui, &c. Porro ipsum oportet tanto omnibus in rebus ijs præstare, pro quibus intercedit, quantū par est, vt subditos præfectus excellat. Cum autem ille, & Spiritum sanctum inuocauerit, sacrificiumq. illud reuerentia plenissimum perfecerit, communi omnium Domino manibus assidue pertractato, quæro ex te quoto illum in ordine collocabimus? Quātam autem ab eo integritatem exigemus? quātam religionem? Considera enim quales manus illas administrantes esse oporteat, qualem linguam, quæ verba ille effundat, qua denique re non puriorem, sanctioremve esse cōuenit animam, quæ tantum illum tamq. dignum spiritum receperit. Per id tempus, & Angeli sacerdoti assident, & cælestium potestatum vniuersus ordo clamores excitat, & locus altari vicinus in illius honorem, qui immolatur, Angelorum choris plenus est. Ego & commemorantem olim quendam audiui, cum diceret senem quendam, virum admirabilem, ac cui reuelationum mysteria multa diuinitus fuissent detecta, sibi narrasse, se tali olim visione dignum habitum a Deo esse, ac per illud quidem tempus de repente Angelorum multitudinem conspexisse (quatenus aspectus humanus ferre poterat) fulgentibus vestibus indutorum altare ipsum circundantiū, denique sic capite inclinatorum, vt si quis milites præsente rege aspiciat stantes, id quod facile mihi ipse persuadeo. Item & alius quidam mihi narrauit, nō ille quidem ab alio edoctus, sed dignus habitus, qui id & vidisset ipse, & audisset, quod qui de vita hac emigraturi sunt, si mysteriorum huiusmodi cum pura ac munda conscientia fuerint participes, spiritum efflaturi ab Angelis, illorum corpora satellitum more stipantibus, propter assumptum illud sacrum, hinc recta in cælum abducuntur. Tu vero nondum exhorrescis talem hanc animam in tam sacrosanctum introducens mysterium, eumq. qui sordidas vestes induerit, in sacerdotum dignitatem, collegiumq. coaptans, quem tamen a reliquo conuiuarum choro Christus expulit? Luminis instar vniuersorum orbem illustrantis, sacerdotis animum splendescere oportet, noster autem tantum habet tenebrarum ex praua conscientia circumfusarum, vt vereatur ac reformidet fixis, intentisq. oculis cum fiducia Dominum suum obtueri. Sacerdotes terræ sunt sales, nostram autem insipientiam quotus quisque est, qui facili, patientiq. animo

17

18

Lib. 6. de sacerdotio.
Gal. 2.

animo ferat extra vosipsos, qui me nimia quadam amoris abundantia prosequi consueuistis? Nec enim solum sic, vt dixi, purum, mundumque sacerdotem esse oportet, vt qui tali ministerio dignus habitus sit, sed etiam primis prudentem, atque adeo multarum rerum experientia instructum, ornatumque, intantum, vt sæcularia omnia nihilominus noscat, quam norunt ij, qui in media hominum turba versantur: rursus rerum omnium mundanarum securior viuat, quàm monachi ij, qui montes ipsos habitandos occuparunt. Varium autem eum esse oportet, benignum, austerum; neque enim vnum dumtaxat in modum subditis omnibus vti debet. Monachorū certamen ingens, ac labor multus est. Verum si conferre quis volet instituti illius sudores cum recte administrato sacerdotio, certe tantum esse inter illa duo discrimen comperiet, quantum est inter priuatum, & regem.

Leu. 4. 6. & 8.

Infra: Ante prophetarum tempora ostendere volens Deus hominum peccata longe maiori supplicio expiari, dum a sacerdotibus, quàm dum a priuatis fiunt, mandat, vt tantundē pro sacerdotibus, quantum pro vniuerso populo sacrificium offeratur. Quod quidē quid aliud signat quàm sacerdotis vulnera maiori medicamento, atque auxilio indigere, atque a Deo tanto, quanto coniuncta simul vniuersi populi vulnera indigent? Porro maiori nequaquā indigerent, nisi ea grauiora forent. Grauiora autem fiunt, non natura ipsa, sed sacerdotis, qui ea commiserit conditione ac dignitate. Ceterum quid hic nos de viris verba facimus, qui ministerium pertractantes sacris operarētur, cum & sacerdotum filię, quibus ipsis nihil cum sacerdotio commune est propter dignitatem paternam eorundem peccatorum pœnā multo acerbiorem sustineant? Vnde colliges sacerdotis pęnam multo grauiorem, quàm aliorum de plebe. Propterea Deus Israelitas accusans, ob hanc causam acrius ostendit maiori illos pœna dignos, quòd peccauerint post honores ab ipso acceptos, aliquoties in hæc verba eos compellans. Atqui vos cognoui ex omnibus terræ tribubus, propterea vindicabo in vos impietates vestras.

1. Reg. 4.

19 HIERONYMVS ait: Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum suum, & nitatur esse, quod dicitur. Si enim cleros Græce sors Latine appellatur, propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, idest pars clericorum est. Qui autem vel ipse Domini pars est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur a Domino. Qui Dominum possidet, & cū propheta dicit: Pars mea Dominus, nihil extra Dominū habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominū, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supellectilem, cum istis partibus Dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum, & funiculus hereditatis eius, nec accipio partem inter ceteras tribus, sed quasi leuita & sacerdos viuo de decimis, & altari seruiens, altaris oblatione sustentor, habens victum, & vestitum his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Ne lucra sæculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quàm quando clericus esse cœpisti. Nonnulli enim sunt ditiores monachi, quàm fuerant sæculares, & clerici, qui possideant opes sub Christo paupere, quas sub locuplete, & fallace diabolo non habuerant, vt suspiret eos Ecclesia diuites, quos mundus tenuit ante mendicos. Negotiatorem clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Infra: Ignominia omnium sacerdotum est, proprijs studere diuitijs. Natus in paupere domo, & tugurio rusticano, qui vix milio, & cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam, & mella fastidio. Sacerdotis Christi os, mens, manusque concordent.

Epist. 2. quæ est ad Nepotianū de vita cleric. & sacerdotum to. 1.

20 IDEM hanc scribit epistolam excusans se quod presbyterum ordinasset in illius diœcesi ipso inconsulto. Cum enim vidissem, ait, quia multitudo sanctorum fratrum in monasterio consisteret, & sancti presbyteri Hieronymus, & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini suo exercere sacrificia, inuenire autem & comprehēdere seruum Dei nō posses, qui te, eo quod graue onus sacerdotij nollet suscipere, sæpe fugiebat, sed nec alius quis Episcoporum eum facile repereriret. Vnde & satis miratus sum quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum diaconis monasterij, & ceteris fratribus, vt mihi satisfaceret, quia nescio quid aduersus eos habebā tristitiæ. Eum igitur apprehendi iussimus & primum diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes, vt ministraret: valde quippe obtinebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimonijs scripturarū. Et cum ministraret in sanctis sacrificijs, rursus eum ingenti difficultate ordinauimus in presbyterum, & ijsdem verbis impulimus, vt sederet in ordine presbyterij. Post hæc scripsimus ad sanctos senes monasterij, & ceteros fratres, & increpauimus eos, quare non scripsissent super eo, cum ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent qui sibi Domini sacramenta conficerent, & illū omnes suo poscerent testimonio, & grandem vtilitatem in commune monasterij testarentur.

In ep. Epiphanij episcopi Salaminę ad Io. Hierosolymit. episc. to. 2.

Psal. 15.

21 IDEM inquit; Pectus & brachium animalium, quę Deo offeruntur sacerdotibus dantur. In pectore mundas cogitationes, legis notitiam, dogmatum veritatem, in brachio bona opera, & pugnam contra diabolum, & armatam manum, vt quod mente conceperint, exēplo probent. Ex quo intelligimus iuxta illud Malachiæ: Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirunt ex ore eius, præcipuam debere esse in sacerdotibus legis, do-

In epist. 2. ad Fabiolā de vestitu sacerd. to. 3.

ctrinæq; notitiam, & additamento gratiæ spiritualis, talem virum instituit, qui posit contradicentibus resistere, & nihil in se sinistri habere operis, quod ducat ad tartarum, sed dextrum brachium, & separatum, vt opera sacerdotis comparatione virtutum eius a cunctis hominibus separata sint. Tribuuntur etiã de macello publico ad victum sacerdotum, brachium, maxilla, & venter. De brachio iam diximus. Maxilla eloquentem, eruditumq. significat, vt quod pectore concipimus, ore promamus. Venter receptaculum ciborum, vt discant contemnere, quod in secessum proijci debet. Præcipitur sacerdotibus, ne ministraturi in templo vinum, & siceram bibant, ne ebrietate & crapula, & curis huius vitę prægrauentur corda eorum, nec partem habeant in terra, nisi solum Deum, vt nulla debilitate segnes sint, ne truncis auribus, læso oculo, simis naribus, claudo pede, cutis colore mutato, quæ omnia referuntur ad animæ vitia. Primitiæ ciborum, & omnium frugum, atq; pomorum offeruntur antistiti, vt habens victum, atque vestitum absque vllo impedimento securus & liber seruiat Domino.

Leuit. 10.

Leuit. 21.

22 IDEM exponens verba illa; Et dixit ad me, hoc est gazophylacium, quod respicit viã meridianam, sacerdotum, qui excubant in custodijs templi. Porro gazophylacium, quod respicit ad viam aquilonis, sacerdotum erit qui excubãt ad ministerium altaris, dicit: Notandum quod sacerdotes, quibus custodiæ tẽpli delègatæ sunt, habitant in gazophylacio, quod respicit ad viam meridianam, in qua lux plenissima est. Hi autem, qui excubant ad ministerium altaris, in quo offerũtur victimæ pro peccato, in gazophylacio sunt, quod respicit viam aquilonis, eos, qui ab aquilone veniunt, & offerunt victimas pro peccatis, susçipere, & saluare cupientes.

Lib 12. in c. 40. Ezech.

23 IDEM explicans illa verba; Cumque ingredientur portas atrij interioris vestibus lineis induentur, nec ascendet super eos quidquam laneũ, ait: Vestibus lineis vtuntur Ægyptij sacerdotes, nõ solum intrinsecus, sed & extrinsecus. Porro religio diuina alterum habitum habet in ministerio, alterum in vsu, vitaq. communi. Hæc quid iuxta sensum indicẽt spiritualem, sequentia verba monstrabunt. Esse autem indumenta sancta, & spiritualia docet Apostolus, dicẽs: Induimini Dominum Iesum Christum. Et in alio loco: Induite vos viscera misericordiç, bonitatem, humilitatem, & mansuetudinem. Et iterum: Expoliantes veterem hominem cum actibus suis, & induentes nouũ, qui secundum Deum creatus est. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum, siue cidares, puto coronam ostendere gratiarum, de qua scriptũ est: Coronam gratiarũ susçipiet tuus vertex. Denique & feminalibus intrinsecus vtimur, ne vlla in conspectu Dei pollutæ conscientiæ, & operis nuptialis appareat turpitudo. Quibus feminalibus accingi vult Saluator Apostolos, dicens: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.

Lib. 13. in c. 43. Ezech.

Rom. 13. *Coloss.* 3.

Infra: Ad mortuum hominem non ingredientur, ne polluantur. Proprie sacerdotalis officij est morticina non tangere, vt qui pro aliorum vitijs deprecatur, ipse ad altare mundus accedat. Non autem erit eis hereditas, ego hereditas eorum. Sacerdos nullam habet hereditatem, nisi Deum, qui est hereditas eius, nec accipiet possessionem in Israel, hoc est, inter vulgus ignobile, sed sacerdotalem, vt dicat de eo Dominus. Ego sum hereditas, & possessio eorum. Quem cum inuenerint loquentur, ac dicent: Tenebo eum, & non dimittam illum, & psallẽt cum Propheta: Pars mea Dominus. Infra: Nec tantum gaudendum est sacerdoti ad oblationem munerum, quantum timendum ad honoris condemnationem, si eo abutantur indigne. Grandis dignitas sacerdotum, sed grandis ruina eorum, si peccent. Lætemur ad ascensum, sed timeamus ad lapsum. Non est tanti gaudij excelsa tenuisse, quãti mæroris de sublimioribus corruisse. Neq; enim solum pro nostris delictis reddemus rationem, sed pro omnium, quorum abutimur, donis, & nequaquam sumus de eorum salute solliciti.

24

25 IDEM exponens illa verba; Ad vos o sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis, in quo despeximus nomen tuum? Offertis super altare meum panem pollutum, & dicitis, in quo polluimus te? In eo quod dicitis, mensa Domini despecta est, dicit. Corripit ergo diuinus presbyteros negligentes, qui polluunt corpus Domini, quando indigni accedũt ad altare, & dicunt, Mensa Domini despecta est, non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quod impie cogitat, scelerata voce proferre, sed opera peccatorũ despiciunt mensam Dei.

In c. 1. Mal. to. 5.

26 IDEM explicans verba illa; Lex veritatis fuit in ore eius, &c. inquit. Hoc est, doctrina populorum, quæ in sacerdote nullo debet mendacio deturpari, sed tota de veritatis fonte procedere. Et iniquitas non est inuenta in labijs eius, vt imitetur Dominum suum, de quo dicitur: Qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius. In pace, & æquitate ambulauit mecum: vt & ipse in se pacem habeat, & ceteros pacificet, nulliusq. personã accipiat in iudicio. Qui sacerdos est, & nõ corripit delinquẽtes, sacerdotis officium præterit. Labia sacerdotis custodient scientiam. Non dixit, proferent, sed custodient, vt loquantur in tempore, dent cibaria conseruis in tempore. Et legem requirent ex ore eius. Quia ad sacerdotes pertinet ad interrogata respondere de lege. Quia Angelus Domini exercituum est. Sacerdos Angelus dicitur, ideſt nũcius, quia Dei, & hominum sequester est, eiusq. ad populum nunciat voluntatem. Et idcirco in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina, & veritas ponitur: vt discamus, sacerdotem dectum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis.

In cap. 2.

1. Pet. 2.

27 AMBROSIVS docet gratiam, qua polere debent ministri altaris, id probans testimonio

Lib. 1. offic. cap. 50. to. 4.

monio Leuitici, & ait: Cum diuideretur a Moyse terrena possessio patrum populo, excepit Leuitas Dominus a terrenæ possessionis consortio, quòd ipse illis esset funiculus hereditatis. Denique sic appellatur Leuita ipse meus, vel ipse pro me. Magnum ergo munus eius, vt de eo Dominus dicat, ipse meus. Vnde postquam multa de Episcopis dixerat Paulus Apostolus, addit: Similiter diaconos oportet esse graues, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi autem probentur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes. Aduertimus quanta in nobis requirantur, vt abstinens sit a vino minister Domini, vt testimonio bono fulciatur, non solum fidelium, sed etiam ab his, qui foris sunt. Decet enim actuum, operumq. nostrorum testem esse publicam existimationem, & attestationem, ne derogetur muneri, vt qui videt ministrum altaris congruis ornatum virtutibus, auctorem prædicet & Dominum, qui tales seruulos habeat. Castificabatur olim populus per biduum, aut per triduum, vt ad sacrificium purus accederet, & lauabit vestimenta sua. Si in figura tanta obseruantia, quanta in veritate? Discе sacerdos quid sit lauare vestimenta tua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis. Si populus sine ablutione vestimentorum suorum prohibebatur accedere ad hostiam suam, tu illotus mente pariter & corpore, audes pro alijs supplicare, audes pro alijs ministrare?

Psal. 15.

1. *Tim.* 3.

Exo. 19.

28 IDEM epistola sexta ad Irenæum Pythagoricum mandatum commemorans, quo ille discipulos suos communem, atque vsitatam populo viam ingredi prohibuit; & vt idem a sacerdotibus obseruetur multiplici ratione persuadens, ait: Pythagoricum mandatum in aliquorum scriptis prædicari inuenimus, quòd ille discipulis communem ingredi viam prohibuerit. Sed hoc vnde assumpserit, non est incognitum. Nam cum ex populo Iudæorum (vt plerique arbitrantur) genus duxerit, ex eius disciplina deriuauit magisterij præcepta. Legerat itaque in Exodo, Moysi diuino præceptum esse oraculo: Solue calceamentum pedum tuorum. Id etiam præceptum Iosue, vt detritæ, & popularis viæ deponerent puluerem, qui viam Domini ambulare desiderarent. Dederat præceptum eidem Moysi, vt montem cum sacerdotibus ascenderet, populus autem deorsum staret. Separauit igitur sacerdotes a populo, & postea Moysi præcepit, vt nubem intraret. Vides in sacerdotibus nihil plebeium requiri, nihil popularе, nihil commune cum studio, atque vsu & moribus multitudinis? Sobriam a turbis grauitatem, seriam vitam, singulare pondus dignitas sibi vendicat sacerdotalis. Quomodo enim potest obseruari a populo, qui nihil habet separatum a populo, dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat, quod vltra se inueniat, si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat? Supergrediamur igitur plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conuersationis, ac vulgaris semitæ solum declinemus, quam currit ille, cuius vita leuior cursore, de quo dicitur: Transiuit, & non vidit, sed quæramus nobis viam inaccessam sermonibus insolentium, inuiam operibus imperitorum, quam nullus maculosus deferat, qui nullam virtutis suauitatem gustauerit: quia de numero Thebanorum, & Sabæorum est deficientium, & auertentium se a veritate, de quibus dicit Iob: Videte vias Thebanorum, & semitas Sabæorum, quia confusionem incident, qui in ciuitatibus, & diuitijs spem habent. Has igitur deuias semitas declinantium, & illum deficiẽtium puluerem, qui propter suam apparentiam ceciderunt sæpe in deserto, derelinquamus: conuertamur autem, & sequamur sapientiæ viam, quam non calcauerunt filij institorum glorificantium se, & iactantium, quam interitus ignorat, mors nescit, quia Deus dilexit eam. Abyssus dixit, non est in me, & mare dixit, non est mecum. Sed si quæris viam sapientiæ, & disciplinæ, colere Deum, atque ei subditum esse sapientia est, abstinere autem a peccatis disciplina est. Quid igitur nobiscum istius sæculi via, dies, & noctes in lucris ponere, & de lucris semper cogitare, atq; vt cicadas aiunt, aura quadam pasci cupiditatum? Hi sunt, vt cicadæ, qui sub arbore feruentium cupiditatũ se mulcent, nullum fructum ferentes, nihil habentes gratiæ. Has vias fugiamus, & ingrediamur portas iustitiæ, quas iustus, qui fuerit ingressus, confitebitur Domino.

Tob 6.

Iob 28.

29

30 IDEM comparat sacerdotes apibus, & ait: Sicut apes de diuinarum scripturarum floscułis suauia mella conficiunt, & quidquid ad medicinam pertinet animarum, oris sui arte componunt. Recte comparantur apibus sacerdotes, quia sicut apes castitatem corporis præferunt, cibum vitæ cælestis exhibent, aculeum legis exercent. Puri enim ad sanctificationem, suaues ad refectionem, seueri sunt ad vltionem. Apibus plane sunt comparandi, qui velut alueario quodam gratiam matris Ecclesiæ continent, in qua diuersorum meritorum cellulas dulcissimis prædicationibus componentes, de vno Saluatoris examine Christianorum examina multa producunt.

In serm. 83.

31 IDEM sic habet: Nihil est in hoc sæculo excellentius sacerdotibus, si quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane; ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit Deifica professio, & illicita actio, ne sit religiosus amictus, & irreligiosus prouectus, ne sit gradus excelsus, & deformis excessus, ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & cõscientia sacerdotis repertatur humilior,

Libro de dignitate sacerdotali. c. 3. to. 4.

milior, ne locutionē simulemus columbinā, & mentem habeamus caninam, ne professionem mōstremus ouinam, & ferocitatem habeamus lupinam. Ergo fratres sicut Senatorem chlamys, sicut agricultura rusticum, sicut barbarum arma, sicut nautam nauigationis peritia, & singulos quosque opifices operis sui qualitas ipsos demonstrat auctores, sic Episcopum non aliud nisi episcopalis opera designat, vt ex bono opere magis quàm ex professione noscatur, plus meritis esse Episcopus, quàm quod
32 nomine vocitetur. Quia sicut nihil est Episcopo excellentius, sic nihil est miserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur. Et vt leuius est de plano corruere, sic grauius est, qui de sublimi ceciderit dignitate, quia ruina, quæ de alto est, grauiori casu colliditur. Honor quidem Episcopalis coram hominibus præclarus est, sed si ruinam sustineat, dolor magnus est. Nam quantum præ ceteris gradus est altior, tanto si per negligentiā delabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet sollicitudine circumuallari, cui plus creditur, ab eo plus exigitur, sicut scriptum est: Quia optimis permixta sunt pessima. Et alibi: Potentes potenter tormenta patientur. Et
Sap. 6. *Lucæ 12.* scienti legem, & non facienti eam, peccatum est grande. Aliud est, quod ab Episcopo requirit Deus, & aliud quod a presbytero, & aliud quod a diacono, & aliud quod a clerico, & aliud quod a laico, vel a singulis quibusque hominibus. Et licet omnium hominum opera Deus in suo examinet iudicio, plus tamen ab eo exigitur, cui plus committitur.

33 IDEM exponēs verba illa; Diacones sint
In c. 3. ep. 1. ad Timoth. to. 3. vnius vxoris viri, inquit. Veteribus leuitis & sacerdotibus, idcirco concessum est vxores ad vsum habere, quia multum tempus otio vacabant a ministerio, aut sacerdotio. Multitudo enim erat sacerdotum, & magna copia leuitarum, & vnusquisque certo tempore seruiebat diuinis ceremonijs secundum institutum Dauid. Hic enim viginti & quattuor classes constituit sacerdotum, vt vicibus deseruirent, tempore autem quo non illos cōtingebat deseruire altari domorum suarum agebant curam: at vbi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem diaconos esse oportet, aliquantos presbyteros, vt bini sint per Ecclesias, & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes a conuentu feminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, vt post conuentum legitime purificentur sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiamsi non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada. Sacerdotes etiam die, noctuq. pro plebe sibi commissa oportet orare: mundiores ergo debent esse ceteris, quia actores Dei sunt. Si enim plebis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit, vt vacēt orationi, quanto magis leuitis, aut sacerdotibus?

AVGVSTINVS exponens illa verba: Et erit Aaron cum cœperit fungi sacerdotio, audietur vox eius intranti in sanctuarium in conspectu Domini, & exeunti, vt non moriatur. Intrantis, & exeuntis vocem de tintinnabulis, dicit, audiri, tantumq. ibi pondus obseruationis posuit, vt diceret ne moriatur. Testimonia ergo quædam significari voluit in veste sacerdotali, qua vtique significatur Ecclesia, per hæc tintinnabula, vt nota sit conuersatio sacerdotis, sicut Apostolus dicit: Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum. Aut illud: Quæ audisti a me per multos testes, hæc eadem commenda fidelibus, & ijs, qui idonei sunt & alios docere. *Lib. 2. in Exod. to. 4.* *Tit. 2.* *2. Tim. 2.*

35 IDEM dicit; Si licet & bonum est nubere, cur sacerdotibus non licet? Quia debet mūdior esse, quàm ceteri, quia sancta sunt, quæ administrat. Nam sicut ad comparationem lucernæ tenebræ non tantum obscuræ, sed etiam sordidæ sunt, ad comparationem autem stellarum lucerna caligo est, ad solis vero comparationem stellæ nebulosæ sunt, ad Dei autem claritatem sol nox est, ita & quæ ad nos licita & munda sunt, ad Dei autem dignitatem quasi illicita, & immunda sunt: quamquam enim bona sunt, Dei tamen personę non competunt. Numquid non tunica mediocris hominis, quāuis munda, Imperatori tamen sordida & illicita est? Similiter & vestis communis Senatori. Ac per hoc antistites Dei puriores esse debent, quam ceteri, quia & Christi habent personam, & ministros Dei mundiores esse oportet. Nemo enim Imperatori ministrat, nisi vestimentis claris & mundis indutus, Deus autem quia natura clarissimus est, ministros eius natura, magis quàm vestibus mundos esse oportet. *In si. quæst. vtriusq; testam. mixtim.*

IDEM dicit: Vnde sibi arrogant ligandi, atq; soluendi potestatem, qui in terra præsumunt possidere facultatem? Quomodo non erubescunt dicere: Dominus pars hereditatis meæ? Vbi est illud Apostolicum: Quæ cōuentio Christi ad Belial? Qui terrenas possessiones relinquere nolunt, cur peccata populi comedunt? Si decimas cum filijs Leui accipiunt, quomodo inter ceteras tribus partes accipiēt? Si nominis sui ethymologiam attendunt, cur clerici a sorte dicti sunt, nisi quia Dominus eorum sors, vel hereditas sit. Cur saltem clericatus sui signa, quibus a laicis discernuntur, non perpendunt? Non enim sine causa capita eorum raduntur, & tondentur, sed perspicacissima & euidentissima ratione. Nam his signis secernuntur a laicorum conuersatione. Cerebrum radimus, per hoc signantes malam terrenarum rerum sollicitudinem nostræ mentis oculos ad Deum contemplandum non impedire. Vnde Apostolus ait: Nemo militās Deo implicat se negotijs sæcularibus. Hinc Moyses ait: Leuitæ radant pilos carnis suæ. Le- *Lib. de contemptu sæculi. to. 9.* *Psal. 15.* *36* *1. Tim. 2.* *Num. 8.*

uita

uita interpretatur assumptus. Qui namque in officijs diuinis assumptus est, pilos, idest, superfluas cogitationes cordis radere debet. Caput igitur radere significat, cogitationes terre nas & superfluas a mēte resecare. Quia sicut pili non sunt pars corporis, sed quædam superfluitas procedens a corporis humore, sic bona temporalia non sunt nobis naturalia, sed aliena, & superflua. Vnde sacerdotes minimam partem capillorum in capite retinent, vt per eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. Qua propter etiam illam minimam particulam capillorum retinent, quia dum in hoc mundo sunt, a terrenis cogitationibus omnino vacui esse non possunt. Quantoq. sacerdos crines radit, tanto se non terrena, sed cælestia diligere comprobat. crines radimus, vt inter nos, & Deum nihil interesse approbemus.

37 GREGORIVS explicans verba illa;
Lib. 4. expo. in 1. 9. 4. lib. Reg. to. 1. Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit super caput Saul, dicit: Oleum liquoribus alijs superfertur, oleum ignem fouet, oleum vulnera curare consueuit. Vngatur ergo caput regis, quia spirituali gratia mens est replenda doctoris. Habeat in vnctione sua oleum, habeat misericordiam abundantem, quæ sibi virtutibus alijs præferatur. Habeat oleum, & dum ardorem sancti Spiritus in se nutrit, lucere vehementer alijs per verbum possit. Habeat nihilominus oleum medicinæ, vt sapienter disponat qualiter peccatorum fœtores tergat, & ægras mentes saluti restituat. *Exo. 28.* Infra: In veste pontificis tintinabula poni mandauit Deus. Vestis quippe pontificis est ostensio bonæ conuersationis, quę quasi tintinabulis multis inseritur, quando opera bona multiplicat, quæ ad minorum exemplum clamant. Sed indicare rex Saul regni verbum nō audet;
38 quia preceptum est sacerdotibus, vt coram Domino vestis decorem portent. Coram Domino quidem vestis decorem portat, & qui bona ostendit, & de ostensione bonorum operum non hominibus per vanitatem foris, sed Deo intus per amorem placere appetit. Tunc certe sacerdos tacet, sed dum incedit, quod portat clamat, quia electus prædicator se iactando non indicat, sed bene viuendo loqui nequaquam cessat. Infra: Quæsierunt, eum, & non inuenerunt, & consuluerunt pro eo Dominum, respondit q. Dominus: Ecce absconditus est domi. Abscondunt se ne inueniantur, quia subire dignitatem refugiunt, cuius oneri se impares arbitrantur. Habet quippe spiritualis prælatio exteriorem gloriam dignitatis, habet & interioris magnitudinem oneris: nam & rector honoratur a subditis, & portat eos, a quibus honoratur. Infra: Quia vero nunc in sancta Ecclesia, qui se subtrahant tantis honoribus pauci sunt, qui se ingerant multi, notare, qui se ingerunt, debent, quia is, qui a propheta domi absonditus dicitur, non ad spiritualem Ecclesiæ dignitatem, sed ad sæcularem regni gloriam quærebatur, quia eum, non sacerdotem, sed regem facere volebant. Videat ergo sacerdos, qua mente fugiendum sit culmen sanctæ Ecclesiæ, si culmen sæculi conscendere tam caute reges fugere. Debetq. esse altior omni populo ab humeris, & supra, qui requiritur ad culmen Ecclesiasticæ dignitatis. Debetq. stare in medio populo, quando ab vniuersis subditis eius fortitudo conspicitur. In medio populi stat, quia eius bona opera minoribus exemplū præstāt.

Sacerdotes multum honorandi sunt, qui si iusti sint, bono communi prosunt medij inter Deū, & homines, alias ruina reipublicæ. *Cap. II.*

1 CHRYSOSTOMVS amplificans scelus Ozię, qui sacerdotale munus vsurpare ausus est, inquit: Ozias aduersus ipsum omnium supremum principatum legem trangressus est: siquidem sacerdotium principatus est ipso etiam regno venerabilius, ac maius. Ne mihi narres purpuram, neque diadema, neque vestes aureas, vmbræ sunt ista omnia, verniq. flosculis leuiora. Ne mihi inquam narres ista, sed si vis videre quantum absit rex a sacerdote, expende modum potestatis vtrique traditæ, videbis sacerdotem multo sublimius rege sedentem. Quamquam enim nobis admirandus videatur thronus regis ob gemmas affixas, & aurum, quo obcinctus est, tamen rerum terrenarum administrationem sortitus est. Verum sacerdoti thronus in cælis collocatus est, & de cælestibus negotijs pronunciandi habet auctoritatem. Vnde Dominus dicit: Quæcumque *Matt. 18.* solueritis super terram, erunt soluta & in cælis. Quid cum hoc honore conferri potest? A terra iudicandi principalem auctoritatem sumit cælum. Nam iudex sedet in terra, Dominus sequitur seruum, & quicquid hic in inferioribus iudicarit, hoc ille in supernis comprobat. Itaq; medius stat sacerdos inter Deum, & naturam humanam, illinc venientia beneficia ad nos deferens, & nostras petitiones illuc perferens, Dominum iratum reconcilians vtriq; naturæ, nos qui offendimus eripiens ex illius manibus. Eoq. Deus ipsum regale caput sacerdotis manibus subiecit, nos erudiens, quòd hic princeps est illo maior. Ingressus est Ozias templum Domini, ingressus est & Azarias sa- 2
Ho. 5. in ca. 6. Isai. to. 1. *2. Par. 26.* cerdos post eum. Non temere dicebam, sacerdotem rege maiorem esse. Neque enim, vt regem eiecturus, sed vt profugum, & ingratum famulum expulsurus cum austeritate ingressus est, non aliter, quàm generosus canis incurrit ad impuram bestiam, vt illam exterminet a domibus herilibus. Vidisti sacerdotis animū multa fiducia plenū, excelsiq. spiritus. Non aspiciebat principatus fastum, non expendebat,

quanta res esset animum cupiditate temulentum colibere. Non audiebat illud Salomonis:
Prou. 19. Minæ regis sicut ira leonis, sed sublatis oculis ad verum regem cælorum, atque illud tribunal, illasq. pœnas considerans, & his cogitationibus se se muniens, impetum fecit in tyrannum. Nouerat enim, nouerat, quod comminatio regis similis est iræ leonis, dumtaxat ijs, qui terram spectarent: verum homini, qui cælum haberet præ oculis, quisque sic induxerat animum, vt vitam citius in ipsis sacrificijs deponeret, quàm sacras leges conspiceret violari, quouis cane vilior erat rex. Nihil enim eo imbecillius, qui diuinas cõculcat leges, vt contra nihil potentius eo, qui leges diuinas defendit. Dicit sacerdos: Non licet tibi Ozia adolere incensum Domino. Non appellauit eum regem, propterea quod ipse præueniens se se dignitate deiecerat. Adest etiam cum fiducia sacerdotis & mansuetudo, Non enim fiducia nobis tantum in reprehendendo opus est, verum multo magis opus est mansuetudine. Nõ licet tibi adolere incensum Domino, sed solis sacerdotibus filijs Aaron consecratis. Ecce vbi ferrum ad secandum vulnus occultauit, non enim simpliciter dixit sacerdotibus, sed addidit Aaron. Is primum fuit pontifex: simileq. facinus illius temporibus quidam ausi sunt. Dathan enim, & Chore, & Abiron coniurati adNum. 16. uersus illum cum alijs aliquot voluerunt ipsi præripere sacerdotium, sed alios quidem terra dehiscens absorbuit, alios vero cælitus emissus ignis exusit. Huius ergo historiæ volens illum commonefacere, mẽtionem fecit Aaron, qui tunc erat iniuria affectus, vt ad calamitatem eorum, qui fecerant iniuriam, huius cogitationem transmitteret,

3 IDEM exponẽs verba illa Matthæi 21. Et
Ho. 38. imperfecti in Matt. to. 2. intrauit Iesus in templum Dei, dicit: Hoc erat boni medici, vt ingressus ad infirmam ciuitatem saluandam, primum ad originem passionis intenderet. Nam sicut de templo omne bonum egreditur, sic & de templo omne malum procedit. Quemadmodum medicus, quando primo ingreditur ad infirmum, statim de stomacho eius interrogat, & eum componere primum festinat, quia si stomachus sanus fuerit, totum corpus validum est, si autem dissipatus fuerit, totum corpus infirmum est; ita si sacerdotium integrum fuerit, tota Ecclesia floret, si autem corruptum fuerit, omnium fides marcida est. Cor autem, & stomachus sacerdotes intelliguntur, quia in rebus spiritualibus per eos totus populus gubernatur. Et sicut cor sapientiæ locus est, ita sacerdotes sunt receptacu
Isaiæ 1. la sapientiæ spiritualis, Isaia dicente de regibus quidem; Omne caput in dolore; de sacerdotio autem; Omne cor in tristitia. Sicut enim stomachus accipiens cibum coquit eum in se ipso, & per totum corpus dispergit, sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per scripturas ex Deo, & excoquentes eã in se, idest tractantes, & meditantes apud se vniuerso populo submininistrant. Videte ergo sacerdotes, quomodo vos componatis in verbo, & opere. Quoniã sicut in corpore si aliquod infirmatũ fuerit membrum, non omnino languet & stomachus: si autem stomachus languerit, omnia mẽbra inueniũtur infirma. Sic si aliquis Christianorum peccauerit, non omnino peccant & sacerdotes, si autem & sacerdotes fuerint in peccatis, totus populus conuertitur ad peccãdum. Ideo vnusquisque Christianorũ pro suo peccato reddet rationem, sacerdotes autem, non solum pro suis, sed & pro omnium peccatis reddituri sunt rationem. Vidit arborẽ pallẽtibus folijs marcidam, & intellexit studiosus agricola, quia læsura in radicibus haberet. Nã vere quemadmodum, cum videris arborẽ pallẽtibus folijs, marcidam intelligis, quia aliquã culpam habet circa radicem, ita cum videris populũ indisciplinatũ, & irreligiosum, sine dubio cognosce, quia sacerdotiũ eius nõ est sanũ.

4 IDEM ait postquam sacerdotum miram
Lib. 3. de sacerdot. to. 5. dignitatem ostendit: Sacerdotes merito non modo plus vereri debemus, quã vel principes, vel reges, verum etiã maiori honore quàm parentes proprios honestare. Hi enim ex sanguinibus, & voluntate carnis nos genuerũt, illi vero auctores nobis sunt natiuitatis eius, quam a Deo habemus, beatæ generationis illius, libertatis veræ, atq; adeo adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei sumus effecti. Corporis lepram purgare, seu, vt verius dicam, non purgare, sed purgatos ostendere Iudæorum sacerdotibus solis licebat, neque nescis quanta cum ambitione, quanto cum studio, ac concertatione sacerdotalis dignitas id temporis acquireretur. At vero nostris sacerdotibus non corporis lepram, verũ animæ sordes purgare concessum est, quare iudicio quidem meo, qui istos despiciũt contemnuntq. multo sceleratiores, ac maiori supplicio digni fuerint, quàm fuerit Num. 16. Dathan vna cum suis omnibus. Illi enim tametsi principatum ad se non spectantem sibi vẽdicabant, tamen miram quandam de eo principatu opinionem animo cõceperant: id quod declarauit ingens rei concupitę studium. Hi autem tunc cum iam sacerdotalis honos incrementum, ornatum, præstãtiam magnam accepit, contra quam illi, sed tamen multo maiora audent. Neque enim perinde est ad despiciẽtiæ rationem subducendam, honorem aliquem indebitum appetere, & tot tantaq. bona fastidire, verum facinus hoc tanto est illo grauius, quanto inter se disident interuallo fastidium, & admiratio. Quis ergo tam infelici genio natus, vt tot tantaq. bona fastidiat?

5 HIERONYMVS exponens illa verba;
Lib. 6. in ca. 31. Hie. 4. Et inebriabo animam sacerdotum pinguedine (siue filiorum Leui) & populus meus bonis meis adimplebitur, ait Dominus, sic habet: Perspicuum est, nequaquam id dici, de his sacerdotibus, qui sunt filij Leui, sed de his in quorum typum præcesit Melchisedech, quales sunt nouæ legis sacerdotes. Ebrietas autem sacerdotum & in Apostolis comprobatur, quãdo feruebant fide, & musto pleni dicebantur.

Vnde

Vnde & locus in quo cõprehẽsus Dominus est, vocatur Gethsemani, quod in lingua nostra vallem pinguedinis sonat. Cumque sacerdotes pingues fuerint doctrina Domini, & inebriati a conuiuio Ioseph dixerint: Calix tuus inebriãs
Gen. 43. quàm præclarus est, tunc erit & hoc, quod nũc
Psal. 22. Dominus pollicetur, & populus meus bonis meis adimplebitur.

6 IDEM explicans verba illa; Accingite
In c. 1. Ioel to. 5. vos, & plangite sacerdotes, vlulate ministri altaris, cubate in sacco ministri Dei mei, quoniã interijt de domo Dei vestri sacrificium, & libatio, ait: Qui sanctus sacerdos est, & comedit pascha Domini accingatur baltheo castitatis, &
Luc. 12. audiat cum Apostolis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Qui autem peccator est, & quẽ remordet propria cõscientia, cilicio accingatur, & plangat, vel propria delicta, vel populi, & ingrediatur Ecclesiã, de qua propter peccata fuerat egressus, & cubet, vel dormiat in sacco, vt prẽteritas delicias, per quas offenderat Deũ, vitæ austeritate compẽset. Accingãtur autem sacerdotes, & plangant, & vlulent, & dormiant in sacco, propheta eos ad pœnitentiam cohortante, qui dicit. Ministri Dei mei, quomodo interijt de domo Dei vestri sacrificium, & libatio.

7 IDEM explicans verba illa; Sicut acetum
Lib. 2. in ca. 10. Pro. to. 8. dentibus, & fumus oculis, sic piger his, qui miserunt eum, inquit: Sicut acetum dentibus, & fumus contrarius est oculis, ita sacerdos in Ecclesia prauus per acredinem peccati fidelium sensus obtundere facit, atque erroris ignorantia oculos cordis eorum ab intuitu fidei, seu intellectu rectitudinis dum caligant, velut fumus excæcat. Oculi, & dentes prædicatores sunt sanctæ Ecclesiæ, qui ei & recta itinera prævidere, & alimenta spiritualia suggerere solent. Porro acetum, quod a vino degenerat, & fumus, qui ab igne ascendens euanescit, eos, qui ab Ecclesiastica suauitate, & charitate per superbiam, vel socordiam recedentes, hanc etiam verbis impugnant, figurate denunciant.

8 IDEM exponens verba illa; Nemo te cõ-
In ca. 2. epi. Pauli ad Timo. to. 8. temnat, dicit. Ad Timotheum dixerat Paulus; nemo adolescentiam tuam contemnat, idest, nolo te talem exhibeas, vt possis ab aliquo merito contemni. Quod autem nunc Tito dicit, hunc sensum habet: nemo illorum, qui in Ecclesijs sunt, te segniter agente sic viuat, vt se putet esse meliorem. Qualis enim ædificatio erit discipuli, si se intelligat magistro esse maiorem? Vnde non solum episcopi, presbyteri, & diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum cui præsident conuersatione, & sermone præcedant, verum, & inferior gradus, exorcistæ, lectores, ianuarij, & omnes omnino, qui domui Dei seruiunt, Quia vehementer Ecclesiam Dei destruit, meliores laicos esse, quàm clericos.

9 AMBROSIVS epistola, quæ est ad Va-
Epi. 32. lib. 5. lentinianum Imperatorem, recusans certare cum Auxentio Arriano in consistorio Imperatore iudicaturo, ex eo, quod in causa fidei episcopi de laicis in Ecclesia, & non laici de episcopis in consistorio debeant iudicare, dicit: Nemo contumacem iudicare me debet, cum hoc asseram, quod Augustæ memorię pater tuus non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei vel Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar sit, nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt, hoc est sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam, si alias quoque argueretur episcopus, & morũ esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad episcopale iudicium pertinere. Quando audisti clementissime Imperator in causa fidei laicos de episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse alijs putem esse credendum? Si docẽdus est episcopus a laico, quid sequatur, laicus ergo disputet, & episcopus audiat, episcopus discat a laico. At certe, si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei episcopos solere de imperatoribus Christianis, nõ imperatores de episcopis iudicare? Dicebat pater tuus, non est meũ iudicare inter episcopos.

10 IDEM dicit: Audite me beatissimi pa-
Lib. de dignitate sac. cap. 2. to. 4. tres, & fidignum dicitis, sanctissimi fratres, audite me stirps Leuitica, germem sacerdotale, propago sanctificata, duces, & rectores gregis Christi, audite me rogantem vos pariter & timentem, & commodis, & commonitionibus consulentem, & honorem vestrum demonstrare volentem, vt cum honoris vobis prærogatiuam monstremus, merita etiam congrua requiramus. Dignum est enim, vt dignitas sacerdotalis prius a nobis noscatur, & sic deinde seruetur a nobis, vt Psalmographi sententia queat repelli a nobis. Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est iu-Psal. 48. mentis insipiẽtibus, similis factus est illis. Honor igitur fratres, & sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si regum fulgori compares, & principum diademati, longe erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cum videas regum colla, & principum summitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credant se communiri: sacerdotes pastores sunt, reliqui de plebe oues, vt inter vtrosque ex his perspicias differentiam,

11 IDEM differens de sacerdotibus simonia
In cap. 5. Act. 8. cis, inquit: Qui sancti episcopatus gratiã coemerũt nõ timent a beato Petro Apostolo se cũ simone fuisse damnatos, cum ait, pecunia tua tecum sit in perditionem, quia existimasti donum Dei pecunia possidere. Et lepram cum Giezi a sancto suscepisse se credant Helisæo, 4. Reg. 5. qui gradum sacerdotalem æstimant pecunijs comparare, sicut validioribus morbis capite vitiato reliquum necesse est corpus inũdatione superioris morbi letaliter irrigari, ita & hi, qui

Universidad de Deusto Biblioteca

qui caput videntur eſſe Eccleſiæ,morbo peſtifero fraternum vitiant corpus , vt nihil ex totius corporis compage inſauciatum poſsit euadere, quod negligentium ſacerdotum vitioſitatis mortale infecerit virus , vnde populum videmus nugacem , & indoctum tales habentem ſacerdotes.

12 [In conuerſ. S.Pauli.] BERNARDVS ſic habet; Heu heu Domine Deus, quia ipſi ſunt in perſecutione tua primi, qui videntur in Eccleſia tua primatum diligere, gerere principatum . Arcem Sion occupauerunt,apprehenderunt munitiones, & vniuerſam deinceps libere, & poteſtatiue tradunt incendio ciuitatem. Miſera eorum conuerſatio, plebis tuæ miſerabilis ſubuerſio eſt. Atque vtinam ſola hac parte nocerent : eſſet forte, qui Dominica præmonitus, & præmunitus exhortatione daret operam ipſorum non exempla imitari, ſed obſeruare pręcepta : Iuxta illud,quæ dicunt,facite, [*Matt. 24.*] & ad opera eorum nolite reſpicere . Nunc autem dati ſunt ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtum æſtimant pietatem. Copioſiſsimæ ſiquidem pietatis inueniuntur in ſuſcipienda, immo accipienda magis animarum cura, ſed hæc apud eos cura minor, & de animarum ſalute nouiſsima cogitatio eſt. An vero Saluatori animarum grauior vlla eſſe poterat perſecutio? Inique agunt & ceteri contra Chriſtum, multiq. ſunt noſtris temporibus Antichriſti . Merito tamen & crudeliorem eam cenſet perſecutionem pro acceptis beneficijs, & grauiorem ſentit pro poteſtate, quam proprijs ſuſtinet a miniſtris, licet alij quoque multi contra proximorum ſalutem multipharie, multiſq. modis, & varijs occaſionibus agere videantur. Hæc videt Chriſtus, & ſilet, hæc Saluator patitur, &diſſimulat; propterea diſsimulemus nos quoque neceſſe eſt,ſileamus interim,maximeq. de præ- [*Dan. 13.*] latis noſtris magiſtris Eccleſiarum. Egreſſa eſt iniquitas a ſenioribus iudicibus vicarijs tuis, qui videntur regere populum tuum; non eſt iam dicere, vt populus ſic ſacerdos, quia nec ſic populus, vt ſacerdos;non ita corruptis moribus viuunt ſæculares, vt Eccleſiaſtici.

Sacerdotes quales erant olim, & quales modo, & vnde nocumentum hoc oriatur. Cap. III.

1 [Ho.6.in ca. 8.Leui.to.1.] DIXIMVS de re hac lib. 14. capite 16. Quibus hęc ſunt addenda, & in primis.

ORIGENES ſic habet; Quod autem dicit, & applicuit Moyſes filios Aaron, & induit eos tunicas, & præcinxit eos zonis, & impoſuit eis cideres ſicut præcipit Dominus Moyſi, attendendum eſt, quæ ſit differentia minorum ſacerdotum ad maiora ſacerdotia. Iſtis neque bina indumenta traduntur, neque humeralis, neque rationalis , nec capitis ornatus, niſi tantum cidaris, & zonæ, quæ tunicam ſtringant. Et iſti ergo accipiunt ſacerdotij gratiam,& iſti funguntur officio. Sed non vt ille,qui & humerali,& rationali ornatus eſt, qui manifeſtatione, & veritate reſplendet, qui aureæ laminæ ornamēto decoratur. Vnde arbitror aliud eſſe in ſacerdotibus officio fungi, aliud inſtructum eſſe in omnibus,& ornatum.Multi enim ſolemni miniſterio funguntur ad populum: pauci autem ſunt, qui ornati moribus, inſtructi doctrina, ſapientia eruditi, ad manifeſtandam rerum veritatem peridonei, & qui ſcientiam fidei nō ſine ornamento ſenſuum,& aſſertionum fulgore depromant, quod aureæ laminæ capiti impoſitus deſignat ornatus. Vnum igitur eſt ſacerdotij nomen, ſed non vna, vel pro vitæ merito,vel pro animi virtutibus dignitas.Et ideo in his,quæ lex diuina deſcribit, veluti in ſpeculo inſpicere ſe debet vnuſquiſque ſacerdotum, & gradus meriti ſui inde colligere. Si ſe videat in his omnibus, quæ ſupra expoſuimus, virtutibus poſitum, velut pontificalibus ornamentis, ſi conſcius ſibi ſit, quòd vel in ſcientia, vel in actibus, vel in doctrina tantus, ac talis ſit, ſciat ſe ſacercotium ſummum non ſolum nomine,ſed & meritis obtinere. Alioquin inferiorem ſibi gradum poſitum nouerit, etiamſi primi nomen acceperit.

2 [Ho.11.in c. 15.Hie.t.2.] IDEM exponens illa verba; Non ſedi in concilio ludentium, ſolus ſedebam, quoniam cōminatione repleſti me,dicit. Quando vitam multitudinis imitamur, nec conuerſatio noſtra a populo melior, nec contempto iudice Deo ab hominum malitijs ſeparatur, non poſſumus dicere, ſolus ſedebam, ſedemus quippe cum plurimis. Quando autem vita noſtra fuerit iſtiuſmodi, vt nullus nobis ſenſu, ſermone,geſtis coęquetur, tunc poſſumus dicere, ſolus ſedebam. Licet, hoc Hieremias ſacerdos dicat, licet ei, qui non eſt Presbiter, aut epiſcopus, aut diaconus, aut alia qualibet decoratus Eccleſię dignitate, bene viuenti dicere, ſolus ſedebam, quia amaritudine plenus ſum. Si arcta,& anguſta eſt via,quæ ducit ad vitam, expedit tibi ab omni dulcedine recedenti, vt amaritudinem in præſenti ſæculo complearis. Vnde paſcha celebrandum docuit Dominus in azymis cū lactucis agreſtibus, in quibus præſentis vitæ amaritudo ſignificatur. Et Paulus feſta celebrare iuſsit in azymis ſin- [*1.Cor.5.*] ceritatis,& veritatis, Habeto ſinceritatem, & veritatem,& amaritudines te ſequentur, ſicut ſequebantur Paulum magnis atritum tribulationibus, quia huiuſmodi azyma mãducabat.

3 [Ho. 2.in Acta Apo. in fine. to. 3.] CHRYSOSTOMVS explicans illa verba;Tu Dñe, qui corda noſti omniū oſtēde ex his duobus, quē elegeris accipere ſortē miniſterij huius,& Apoſtolatus,ſic habet. [*Act.1.*] Tu Dñe,qui noſti corda omniū oſtēde,tu inquā,& non nos. Infra:Si nouiſſes,quòd epiſcopus debet omniū onera geſtare, quod alijs iraſcentibus datur venia, ipſi vero nequaquam, quod alijs peccantibus ſupereſt excuſatio, ipſi vero minime, haud quaquam feſtinaſſes ad primatum, haud quaquam accurriſſes. Hic enim omnium linguis expoſitus eſt,omnium iudicijs obiectus,& ſapientium, & inſipientium, curis perpetuis obtunditur,tum diurnis,tum nocturnis. Multos habet, quibus eſt inuiſus multos habet inuidentes.De his loquor, qui vigilant pro animabus veſtris, qui ſubditorum ſalutem anteponunt ſuæ. Dic mihi, ſi qui decem habet filios ſubditos aſsidue cum ipſo viuentes, cogitur ſine intermiſsione curam illorum agere, quid non patietur hic,qui tot habet non domeſticos, ſed obedientiam habentes in ſua ipſorū poteſtate? Rurſus niſi ſemet omnibus præbeat,& his,qui viuunt in otio,& his, qui in negotio,mille vndique criminationes. Nemo metuit accuſare,ac traducere. Nam in principibus vrget metus, in his vero nequaquam,quā-
4 do Dei timor apud iſtos valet nihil. Quis eloqui poſsit difficultatem in electionibus? Fortaſsis aut ego ſum vehementer infirmus, & infelix,nihilque, aut ſic habet res, nihil a naui, quæ fluctibus iactatur differt ſacerdotis animus. Vndique premitur ab amicis,ab inimicis,a ſuis, & ab alienis. Nonne terrarum orbis imperium tenet Imperator? Hic autem vnius ciuitatis epiſuopus eſt. Sed tantum plus curarum habet hic, quantum intereſt inter aquam fluminis vento agitatam, & mare intumeſcēs, & inſaniens.Si vehementer commoueatur,audit,crudelis,ſi parum vehementer,audit,frigidus. Sed oportet hæc duo contraria concurrere, ſic, vt neque contemnatur, neque odio habeatur.Quàm multos cogitur offendere volens nolens? Quàm multos obiurgare velit nolit? Non temere dico, ſed vt affectus ſum, ac ſentio.Non arbitror inter ſacerdotes moltos eſſe, qui ſalui fiant,ſed multos plures, qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum.Multas enim habet cauſas, quæ depellant eum a ſuis moribus,& innumeris oculis illi opus vndique. Non vides quàm multas res oportet adeſſe epiſcopo,vt ſit appoſitus ad docendum,vt tolerans malorum, vt tenax ſit ac fidelis in doctrina ſermonis? Quantæ hoc difficultatis? & quod alij peccant illi imputatur. Nihil dico præterea, ſi vel vnus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipſius ſubuertit ſalutem? Vnius enim animæ perditio tantam habet iacturam,vti nula ratio poſsit æſtimare. Etenim ſi vnius animæ ſalus tanti eſt, vt ob hanc filius Dei fieret homo,tantaq. paterentur,perditio cogitata quantam cōciliabit pœnam? Quod ſi quis ob hominē in hac vita perditum morte dignus eſt,quanto magis ille? Ne mihi dixeris, igitur peccauit presbyter, aut
5 diaconus. Omnium horum crimina redundāt in caput eorum,qui hos elegerunt. Nunc non aliter, quàm prophanos magiſtratus, & hanc affectamus dignitatem,nimirum,vt glorificemur, & honoremur apud homines, perdamur apud Deum. Quid lucri fert hic honos? Quomodo demonſtratum eſt eum eſſe nihil? Cum concupiſces ſacerdotium,ex aduerſo pone criminationes, quas illi perpeti neceſſe eſt, pone vitam a negotijs liberam, pone ſupplicij modum. Quoniam ſi pecces priuatim, nihil tale paſſurus es,ſi in ſacerdotio,periſti.Reputa quā multa ſuſtinuerit, in quàm multis philoſophū præſtiterit Moyſes,quàm multa bona præſtiterit,ſed quoniam peccarat vnum peccatū,acerbe punitus eſt,idq.merito quippe cum id aliorum iactura factum ſit. Itaque grauiores pœnas dedit,non ſolum ob id, quod propalam factum eſt, ſed & quod eſſet ſacerdotis peccatū. Epiſcopus nō poteſt peccare clam. Bene enim cum illo agitur, ſi non peccans liber eſſe poſsit a criminationibus, tantum abeſt,vt peccans id poſsit. Si vel iraſcitur,ſi vel rideat, ſi vel ſomnum relaxationis concupiuerit,multi ſunt,qui murmurent,qui criminentur,qui offendantur, multi, qui priorum memoriā refricent, & præſentem deijciant, idq. faciunt, non vt illos laudent,ſed & hunc mordicant. Dulce aiunt bellum inexpertis. Hoc & nunc conuenit dicere, immo potius hoc dicimus, priuſquam veniamus in certamen.Ceterum poſteaquam eo deſcendimus, ſic nos gerimus, vt popularis conditionis hominibus etiam ignoti ſimus. Non eſt nobis bellum aduerſus eos,qui potentia opprimunt pauperes, neque ſuſtinemus propugnare gregem,ſed ad exemplum paſtorū, quorum meminit Ezechiel, mactamus, ac deoramus. Quis noſtrum præſtat tantam ſollicitu- [*Ezec. 34.*] dinem pro ouibus Chriſti, quantam præſtitit Iacob erga greges Labam? Qui nolens, & in- [*Gen. 31.*] uitus compulſus eſt ad ſacerdotium conſcendere,habiturus eſt aliquam excuſationem. Cogita quid acciderit Simoni. Quid enim refert, ſi non das pecuniam, ſed pecuniæ loco adularis, ſubornas, multaq. machinaris? Pecunia tua ſit tecum in perditionem,dictum eſt illi. Et [*Act.8.*] his dicetur : ambitio tua ſit tecum in perditionem, quoniam putaſti ambitu humano parari donum Dei.

6 [Lib.16.in c. 58.Iſa.to.4.] HIERONYMVS exponens verba illa; Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris digitum extendere, & loqui,quod non prodeſt, ait. Plerique noſtrorum pro digito ordinationem clericorum tranſtulerunt, quæ non ſolum ad imprecationem vocis,ſed ad impoſitionem impletur manus, ne ſcilicet clericos ordinet neſcientes,ſic intelligunt, vt aſſumant teſtimonium Pauli ſcribentis ad Timotheum: Manus [*1.Tim.5.*] cito nemini impoſueris,neque communicaueris peccatis alienis. Non eſt enim peccatum leue, mittere margaritas ante porcos,& dare ſā- [*Matt. 7.*] ctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam ſanctis, & in lege Dei doctiſsimis, ſed aſſeclis ſuis tribuere, & vilium officiorum miniſtris, quodq. his dedecoroſius eſt muliercularum precibus. In quo conſideranda loquentis in ſe Chriſti Apoſtoli ſapientia, qui vt ordinationis periculum demonſtraret, iunxit tormenta peccantium. Neque communicaueris peccatis alienis. Sicut ergo in ordinatione malorum particeps eſt peccatorum, qui tales conſtituit, ſic in ordinatione ſanctorum,

rum, particeps est eorum iustitiæ, qui bonos elegit.

7 AMBROSIVS requisitus a Imperatore, vt basilicas traderet, respondit. Metuistis ne Ecclesiam metu coactus desererē, & dum saluti meæ timeo, vos relinquerem? Sed quid & ipse mandauerim potuistis aduertere, deserendæ Ecclesiæ mihi voluntatem subesse non posse, quia plus Dominum mundi, quàm sęculi huius Imperatorem timerem. Paratum me esse scitote, vt si ille faceret, quod solet esse regiæ potestatis, ego subirem, quod sacerdotis esse consueuit. Quid ergo turbamini? Volens nunquam ius deseram, coactus repugnare non noui. Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites Gotthos quoque, lachrymæ meæ arma sunt: talia enim munimenta sunt sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere, fugere autem, & relinquere Ecclesiam non soleo, ne quis grauioris pœnæ metu factum interpretetur, scitis & vos ipsi, quod & Imperatoribus soleam deferre, non credere, supplicijs me libenter offerre, nec metuere, quę parantur. Ad palatium Imperatoris irem libenter, si hoc congrueret sacerdotis officio, vt im palatio magis certarem, quàm in Ecclesia: sed in consistorio non reus solet Christus esse, sed iudex. Circumfusi milites, armorum crepitus, quibus vallata est Ecclesia, fidem non terrent meam, sed mentem exagitant, ne dum me tenetis, pernitiosum aliquid vestræ oboriatur saluti. Ego iam didici non timere, sinite quæso vestrum sacerdotem congredi. Cum esset propositum, vt Ecclesiæ vasa iam traderemus, hoc responsi reddidi: Me si de meis aliquid posceretur, aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei iuris esset, libenter offerre, templo Dei nihil posse decerpere, nec tradere illud, quod custodiendum, nō tradendum accepi. Deinde consulere me etiam Imperatoris saluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse consultū. Hęc plena humilitatis sunt, & vt arbitror, plena affectus eius, quem Imperatori debet sacerdos.

In oratione in Auxentium de Basilicis tradēdis inuectiua. to. 4.

8 IDEM sic habet; Ecce ad quæ mala voluitur deificus ordo: ecce ad quæ probra sunt prolapsi sacerdotes, qui audire meruerunt a iudice mundi: Vos estis lux mundi. Ecce quibus subijciuntur gentes, quibus a Domino dictum est: Vos estis sal terræ. Ergo si lux est Ecclesiæ episcopus, a Domino ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis suæ eloquio rutilante, conscientiarum tenebras illuminet, cur ipse palpabilibus tenebris tenetur obstrictus? Et non solum quia ipse, dum male agit, digne perit, insuper & alios secum indigne perdit. Si enim meruisti salis possidere saporem, vt insipientium possis arua condire, cur infatuatus tali vitio, immundis te porcorum conculcandum pedibus præbuisti, ita vt nec alios, nec te ipsum possis condire? Oculorum etiam in corpore officium, idest, in Ecclesia voluntarius appetisti, vt reliquum per te corpus ducatum lucis haberet, & nunc quadam lippitudine, & caligine vitiorum obtenebratus, nec teipsum luci idoneum præbes, & alijs adimis lumen. De quibus oculis in Euangelio dicitur: Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Idest, si episcopus, qui lumen promeruit præesse in corpore, simplicitate est sancta, & innocentia decoratus, omnis Ecclesia splendore luminis irradiatur. Si autem oculus tuus nequam est, totum corpus tuum tenebrosum est. Idest, si episcopus, qui videbatur corpori subdito lucem præbere, obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cetera facient membra, quibus lux adempta est oculorum? Idest, quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis, ad similem facinorum voraginem Episcopus multitudinem populi prouocauerit, vt nulli iam iamq. illicitum esse videatur, quod ab Episcopo, quasi licitum perpetratur: sed ipsum magis credunt homines esse laudabile, quidquid Episcopus habuerit delectabile: nec quisquam quod agere pontifex non dubitat, se indubitanter agere dicat. Episcopus enim a cunctis indubitanter vocaris, & præsertim cum ipso nomine censeris, si tamen actio concordet nomini, & nomen se societ actioni. Nam quid aliud interpretatur Episcopus, nisi superinspector, maxime cum solio in Ecclesia editiore resideat, & ita cunctos respiciat, vt & cunctorum oculi ipsum respiciāt. Ergo qui ita es, cur te velut tetrum speculum vniuersorum oculis demonstras, ita vt non possint obscuritate tua se promptius exornare?

Lib. de dignitate sacerdotis. to. 4.

Matt. 5.

Matt. 6.

10 GREGORIVS dicit; Nullum puto fratres charissimi ab alijs maius præiudicium, quàm a sacerdotibus tolerat Deus, quando quos ad aliorum correctionem posuit, dare se exempla prauitatis cernit, quando ipsi peccamus, qui compescere peccata debuimus. Plerumque, quod est grauius, sacerdotes, qui propria dare debuerant, etiam aliena diripiunt. Cōsiderate ergo quid de gregibus agatur, quādo pastores lupi fiunt. Hi enim custodiam gregis suscipiunt, qui insidiari gregi Dominico non metuunt, contra quos Dei greges custodiri debuerant. Nulla animarum lucra quæri mus, ad nostra quotidie studia vacamus, terrena concupiscimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipso, quo ceteris prælati sumus, ad agenda quælibet maiorem licentiam habemus, susceptæ benedictionis ministerium vertimus ad ambitionis argumentum. Locum sanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Impletum est profecto in nobis, quod scriptum est: Et erit sicut populus, sic sacerdos. Sacerdos enim non distat a populo, quando nullo merito vitæ suæ vulgi transcendit actionem. Imploremus Hieremiæ lachrymas, consideret mortem nostram, & deplorans dicat: Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? 11 Aurum quippe obscuratum est, quia sacerdotum vita quondam per gloriam virtutum

Hom. 17. in Euang. to. 3.

Osee 4.

Thren. 4.

clara, nunc per actiones infimas ostenditur reproba. Color optimus est mutatus, quia ille sanctitatis habitus per terrena, & abiecta opera ad ignominiam despectionis venit. Lapides vero sanctuarij intrinsecus habebantur, nec sumebantur in summi sacerdotis corpore, nisi cum sancta sanctorum ingrediens, in secreto sui conditoris apparebat. Nos ergo fratres nos sumus lapides sanctuarij, qui apparere semper debemus in conspectu Dei, quos nunquam necesse est foris conspici, idest, nunquam in extraneis actionibus videri. Sed dispersi sunt lapides in capite omnium platearum, quia hi, qui per vitam probam, & orationem, intus semper esse debuerant, per vitam foris vacāt. Ecce iam pene nulla est sæculi actio, quam non sacerdotes administrent. Dum ergo in sancto habitu constituti, exteriora sunt, quæ exhibēt, quasi sanctuarij lapides foris iacēt. Quia enim Græca voce platea a latitudine vocatur, sanctuarij lapides in plateis sunt, cum religiosi quique lata mundi itinera sectantur. Nec solum in plateis, sed & in capite platearum dispersi sunt: quia & per desiderium huius mundi opera peragunt, & tamen de religioso habitu culmen honoris quærunt. In capite platearum dispersi sunt, quia & iacent per ministerium operis, & honorari volunt de imagine sanctitatis. Quanto autem mundus gladio feriatur aspicitis, quibus quotidie percussionibus intereat populus videtis. Cuius hoc nisi nostro sacerdotum præcipue peccato agitur? Ecce depopulatæ vrbes, euersa castra, Ecclesię, ac monasteria destructa, in solitudinem agri redacta sunt. Sed nos pereunti populo auctores mortis existimus, qui esse debuimus duces ad vitam. Ex nostro etenim peccato populi turba prostrata est, quia nostra faciente negligentia, ad vitam erudita non est. Quid animas hominum, nisi cibum Domini dixerimus, quæ
12 ad hoc sunt conditæ, vt in eius corpore traijciantur. Sed huius cibi condimentum nos esse debuimus, missis enim prædicatoribus Dominus dicit: Vos estis sal terræ. Si igitur cibus Dei est populus, condimentum cibi sacerdotes esse debuerunt. Sed quia dum nos orationis, & eruditionis sanctę vsu cessamus, sal infatuatum est, condiri non valet cibus Dei, atque idcirco ab auctore non sumitur, quia exigente fatuitate nostra non conditur. In maiestate terribili apparebit Petrus cum Iudæa conuersa: ibi Paulus conuersum, vt ita dixerim, mundum ducēs: ibi Andreas post se Achayam: ibi Ioannes Asiā: Thomas Indiam in conspectum sui iudicis cōuersam ducet. Ibi omnes Domini gregis arietes cum animarum lucris apparebunt, qui sanctis suis prædicationibus Deo post se subditū gregem trahunt. Cum igitur tot pastores cum gregibus suis ante æterni pastoris oculos venerint, nos miseri quid dicturi sumus, qui ad Dominum nostrum post negotiū vacui redimus, qui pastoris nomen habuimus, & oues, quas ex nutrimento nostro debeamus ostendere, non habemus? Hic pastores vocati sumus, & ibi gregem non ducimus. Ingrediuntur electi sacerdotum manibus expiati cælestem patriam, & sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad inferni supplicia festinant. Cui ergo rei similes dixerim sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, quæ peccata baptizatorum diluens, illos ad regnum cæleste mittit, & ipsa postea in cloacas descendit? Cum clericum videmus, admonendus est quatenus sic viuat, vt exemplum vitæ sæcularibus præbeat, ne si quid in illo iuste reprehenditur, ex eius vitio ipsa religionis nostræ æstimatio grauetur, & quod ostendit humanis oculis habitu, hoc ante Dei oculos moribus prætendat.

Matt. 5.

13 IDEM exponens illa verba; Factum est autem cum senuisset Samuel, inquit. In Samuele nouum sacerdotium designatur. Senuisse autem dicitur, quia dum per decurrentium spatia temporum sancta Ecclesia ducitur, in nonnullis sacerdotibus conuersationis pulchritudo veteratur. Quasi iuuenis enim erat Samuel, quando sacerdotum ordo solis cælestibus desiderijs inhians, dū nulla terrena quæreret, quo efficacius superna prædicare poterat, eo ad ea nihil minus verbis, & exemplis subditorū animos accendebat. Valebat enim robore, & iuuenili pulchritudine radiabat, dum vim cælestis verbi in splendore ostenderet sanctæ conuersationis, quia quidquid validum loquendo poterat prędicare, nitebatur etiam sublimiter viuendo ostendere. Velut ergo in iuuentute vigebat Samuel, quando in ordine sacerdotum pariter fulgebat, & mira virtus operis, & tam immensa pulchritudo sanctæ conuersationis. Sed iā diu est, quod Samuel senuit, multa enim tempora elapsa sunt, ex quibus multi eorum amorem sæculi sequuntur, quorum virtute depelli gaudia mundi ab aliorum cordibus debuerunt. Quod tamen non idcirco dicimus, vt sancta Ecclesia nullos viros religiosos habeat, sed quod pauci sunt, qui in prædicationis culmine perfecte nouerint mundum contemnere, & summis desiderijs inhærere. Sed Samuel, & 14
senex dicitur & prophetare: quia sacerdotes, & senes dicuntur, & prophetare, qui sic per negligentiam resoluuntur, vt bene doceant, sed male viuant. Qui filios suos iudices ponunt, quādo illos in sacerdotij dignitate constituūt, qui remissioris vitæ eorum tempora contemplantur. A senibus autem iuuenes ordinantur, quia qui promouendi veniunt, fortia promittunt, sacerdotalis quippe vitæ fortissimā professionem spondent, cuius virtutem in futura conuersatione non habent. Iuuenes igitur promouentur, quia qui eos ordinant, priusquam ab eis professionem virtutis accipiant, eos ad tanti ordinis celsitudinem non assumunt. Prius namque eis insinuant, & quàm sublimiter viuant, & quàm subtiliter doceant, quod idcirco debent sublimiter viuere, vt vtiliter valeant prædicare, vt vitæ propositum semper ad superna dirigant, vt temporalia pręmia in prædicando non requirant, vt personas in iudicio non accipiant. Has profecto difficultates plerique

In c. 9. lib. 1. Reg. c. 4.

que dum sacros ordines ambiunt, se ambulare profitentur, sed dum ad id, quod ambiunt, perueniunt, sponsionis suæ tenere fortitudinẽ prætermittunt. Vnde & Samuelis filij non ambulasse in vijs eius, sed accepisse munera, & peruertisse iudicium apte relati sunt. Filij in parris sui vijs non ambulant, quando hi, qui ad sacros ordines ambitiose perueniũt, ardua religionis itinera a maioribus suis ostẽsa sibi, deserunt, & peruersa intentione in appetitu terrenarum rerum altius immerguntur. Declinant post auaritiam, quia pro terrenis, quæ ardenter ambiunt, incurrere crimen nequaquam pertimescunt. Animam quippe suam æstimant inferiorem omni re, quam possunt concupiscere.

Sacram Scripturam legere optimum est ad virtutem, ad cuius intellectum pulchræ sunt Augustini regulæ.
Cap. IIII.

1 Lib. 8. in epist. ad Romanos. to. 3

ORIGENES explicans verba illa ad Rom. 11. & Dauid dicit: Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, & in retributionem, seu captionem, & in scandalum. Obscurentur oculi eorum, ne videant, dicit: Omnes Scripturæ, quæ ante aduentum Domini erant apud Israel (primis enim illis credita sunt eloquia Dei) & omne, quod appellatur vetus testamẽtum, mensa est Israel. In qua mensa si quis volebat edere verbum Dei, appositis sibi legis, & prophetarum sermonibus pascebatur: & hanc puto esse mensam, de qua dicit Salomon: Si sederis cœnare ad mensam potentis, diligenter intellige, quæ apponuntur tibi, & mitte manũ tuam, sciens, quia talia te parare oportet. Hoc & in prouerbijs Salomon de sapientia protestatur, dicens: Sapientia ædificauit sibi domũ, excidit columnas septem, immolauit victimas suas, miscuit in cratera vinum suum, & parauit mensam suam. Omnis ergo scriptura, mensa est sapientiæ. Sed videamus quomodo hanc mẽsam orat Dauid fieri Israeliticis incredulis, in conspectu eorum in laqueum, & in scandalum, & in captionem, & in retributionem. Fit eis in laqueum Scriptura diuina, cum legunt ea, quæ de Christo prophetata sunt: Hic ædificabit ciuitatem meam, & captiuitatẽ populi mei conuertet, & dicunt non esse hæc sub Iesu completa. Sed hæc dicunt, quia sedentes ad mensam potentis, non faciunt illud, quod admonuit Salomon, quòd intelligibiliter intelligant, quę apposita sunt eis. Intelligibiliter enim, hoc est, spiritualiter facturus est Christus. Nã ædificauit vere ciuitatem Dei, sed ex lapidibus binis, in quibus suscitauit filios Abrahæ, ex ipsis ædificauit Ecclesiam Dei, vt conuertat captiuitatem populi eorum, quos in peccatis captos diabolus detinebat. Illis ergo non ita intelligentibus, mensæ hæc Scripturæ diuinæ facta est in laqueum, & in captionem. Fit autem & in retributionem eis hæc mensa secundum verbum Domini, quo ait: Putatis, quod ego accusem vos apud Patrem? Est, qui accusat vos, Moyses. Et secundũ illud, quod Apostolus ait: Quicumque per legem pecc auerunt, per legem iudicabuntur. Fit autem mensa hæc illis in scandalum, quia ex scripturis didicerant, quia Christus manet in æternum, Iesum autem videntes mortuum scãdalizabantur in eum, nescientes, quia passus est ex infirmitate carnis, sed viuit ex virtute Dei. Sed & vnicuique nostrum verendum est, ne forte hęc diuinorum mensa verborum, ad quam videmur consedisse, vt cibum verbi Dei pro posibilitate sumamus, fiat in laqueum, vel in retributionem, vel in scãdalum, si non, vt dignum est, mundos ex ea, ac puros, & spiritales cibos sapientiæ capiamus, etiam illud pariter obseruantes, ne immundis, & sordidis vestimentis, idest, corpore, ac corde polluto, ad mensam sapientiæ confideamus.

Rom. 2.

3 Hom. 29. in Gen. to. 1.

CHRYSOSTOMVS sic habet; Omnia in diuinis Scripturis scripta, nõ alia de causa memorię sunt tradita, quàm propter nostrã vtilitatem, & humani generis salutem. Hæc secum quisque expendat, suisq. congrua vulneribus pharmaca imponat. Propterea enim tot cuiuis sunt proposita, & licet conueniens suis affectionibus remedium apponere, & sanitatem accipere celerrimam, tantum medicinæ curam ne quis reijciat, sed suam declaret ægritudinem. Nulla enim est in humana natura, vel corporis, vel animæ passio, quæ medicinã hinc accipere nequeat. Quomodo? Dic obsecro. Ingreditur quis huc tristitia, & negotiorum sollicitudine oneratus, & ingressus huc ita mærore obrutus, statim, vt audiuit prophetam dicentem: Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deum, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, & Deus meus; sufficienti consolatione susceptа abit, & omnem illam mentis tristitiam excutit. Alius item extrema premitur inopia, grauatim fert, & mæret, videns alios affluere, & valdè inflari, & magno apparatu, & pompa stipari; audit & hic eumdem prophetam dicentẽ: Iacta in Dominum sollicitudinẽ tuam, & ipse te enutriet. Et iterum: Ne timeas, cum ditatus fuerit homo, & cum multiplicata fuerit gloria eius, quoniam, cum interierit, non sumet omnia. Est & alius quoque, qui insidias, & calumnias sustinens dolet, & insuauem putat vitam nusquam humanum inuenire valens auxilium, docetur & ab eodem propheta in talibus angustijs non ad humanum præsidium confugiendum. Vnde dicit: Ipsi detrahebant mihi, ego autem orabam. Alij dolos plectebant, ego autem ad inexpugnabilem murum confugio, ac tutam anchoram, ad portum fluctuum expertem, preces inquam, per quas omnia difficilia leuia, & facilia mihi fiunt. Alius ab amicis contemnitur, & hoc est, quod mentem eius maxime conturbat, sed & hic, si huc venerit, audit beatum illum dicentem: Amici mei, & proximi mei aduersum me appropinquauerunt, & steterunt, & vim faciebant, qui quærebant animam meam, & qui inquirebant, mala mihi locuti sunt, vanitates, & fraudulentias tota die meditabantur. Vidisti struentes insidias vsque ad mortem ipsam, & perpetuum bellum gerentes, quia hoc indicat, Tota die, hoc est, per totam vitam. Quid ergo ille interim egit has passus insidias? Ego autem, inquit, quasi surdus non audiebam, & quasi mutus non aperiens os suum. Et factus sum quasi homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Illi dolos struebant, ipse aures obturabat, ne audiret. Illi omni tempore non cessabant linguam acuere, & vanitates, & fraudulentias meditari, hic autem silentio illorum insaniam comprimebat. Vidisti quomodo quacumq; calamitate humanam naturam premente, conueniens ex Scripturis antidotum accipere liceat, & omnis vitæ huius repellatur cura, ne ab vllo, quod accidit, grauemur? Propterea, obsecro, vt huc veniatis, & diuinæ Scripturæ lectionem diligenter auscultetis, non solum cum huc venias, sed & domi diuina Biblia in manus sumite, & vtilitatem in illis positam magno studio suscipite. Inde enim multum lucri nascitur, primum quidem, vt lectione lingua reformetur, deinde anima pennas assumit, & eleuatur, & sole iustitiæ illustratur, perque tempus illud ab immundarum cogitationum illecebris liberatur, multa quiete, ac tranquillitate fruens. Insuper, quod ad augendas vires corporis sensibilis ille cibus facit, id animæ lectio præstat. Spirituale enim alimentum est, & fortem reddit animam, & constantiorem, non permittẽs, vt a cogitationibus absurdis capiatur, sed leuem, & alatam faciens, in cælum ipsum, vt dicitur, transfert. Tantum igitur lucrum oro, ne per negligentiam amittamus, sed etiam domi vacemus diuinarum Scripturarum lectioni, & hic præsentes non in nugis, & inutilibus colloquijs tempus decoquamus: & propter quod conuenimus, attendamus, quæ legantur, vt maiori inde fructu percepto recedamus. Quo pacto non absurdum, eos, qui ad sæculares nundinas veniunt, sollicitos esse, vt antequam recedant, omnia, quæ ex nundinis oportet, capiant, licet pecuniæ impendendæ sint: huc autem in spirituales has nundinas venientes, non omne studium impendere; vt acceptis vtilibus, & in anima depositis redeant, maxime cum nullo pecuniarum sumptu hic opus sit, sed alacritate sola, & intenta mente? Vt igitur ne deteriores fiamus ijs, qui ad sæculares mercatus vadunt, operam demus, vt perquam vigilantes simus, ne desint hinc migraturis viatica, immo vt habeamus, quæ non solum nobis sufficiant, sed & quæ suppeditare possimus & alijs, & vxorem corrigendo, & famulos, & vicinum, & amicum, & etiam inimicum. Tales enim sunt spirituales doctrinæ, vt communes omnibus proponantur, nullaq. fit in eis diuersitas, nisi quando quis magis intentam affert mentem, & feruentiori desiderio alium transcendit.

Psal. 37.

6 Hom. 44. ex imperfecto Chrysost. in Matt. to. 2.

IDEM exponens illa verba; Væ vobis scribæ, & pharisæi hypocritæ, qui clauditis regnum cælorum ante homines, ait. Regnum cælorum dicuntur Scripturæ: quia in illis inclusum est regnum cælorum. Ianua eorum, intellectus earum. Vel regnum cælorum est beatitudo cælestis, ianua autẽ eius est Scriptura, per quam introitur ad eam. Clauicularij autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi, & interpretandi Scripturas. Clauis autem est verbum scientiæ Scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis. Adapertio autem est interpretatio vera. Infra: Si velles Scripturarum ingredi veritatem, nunc peteres orationibus, nunc quæreres in Scripturis, nunc pulsares bonis operibus, nunc interrogares sacerdotes, nunc istos, nunc illos, qui veri sint clauicularij Scripturarum, qui falsi. Sed ista non fiunt, quia verbum Dei non creditur, quia nec promissio beatitudinis eius desideratur, nec iudicium comminationis eius timetur.

7 Homil. 8. in Lucam, quę est concio de Lazaro.

IDEM sic habet; Id semper hortor, & hortari non desinam, vt non hic tantum attendatis ijs, quæ dicuntur, verum etiam cum domi fueritis assidue diuinarum Scripturarũ lectioni vacetis. Ne quis mihi dixerit: ego forensibus causis affixus sum, publica gero negotia, artificium exerceo, vxorem habeo, alo liberos, familię curam gero, mundanus homo sum, non est meũ legere Scripturas, sed eorum, qui mundo dixerunt vale, qui montiũ vertices occuparũt. Quid ais homo? Nõ est tui negotij Scripturas euoluere, quoniam innumeris curis distraheris? Immo tuum magis est, quàm illorum. Neque enim illi perinde scripturarum egent præsidio, atque in medijs negotiorum vndis iactati. Nam monachi quidem a foro, forensibusq. negotijs liberi, quiq. in deserto fixere tuguriola, neque cum quoquam habent commertium, sed in illa quieta tranquillitate cum omni securitate philosophantur, ac velut in portu sedentes rebus vehementer tutis fruuntur. Nos contra velut in medio mari fluctuantes, innumerisq. peccatis obstricti, semper opus habemus perpetuo, iugiq. Scripturarum solatio. Illi sedent procul a conflictu, eoque nec accipiunt multa vulnera. Tibi vero quia perpetuo stas in acie, quia frequenter accipis plagas, idcirco tibi magis opus est remedijs, vt quem & vxor pronocat, & filius contristat, atque ad iram commouet, & insidiatur hostis, & inuidet amicus, & vicinus infectatur, paupertas est molesta, & domesticorum amissio luctum adfert, & prosperitas inflat, & aduersitas contrahit: breuiter varia curarum, varia perturbationis, varia mæroris, varia iactantiæ, varia tumoris, tum occasio, tum necessitas vos vndequaque circumuallat, innumeraque ex omni parte tela volitant. Vnde necesse est, indesi-

nenter a scripturis armaturam sumere. Agnosce igitur, quod in medio laqueorum incedis,
Eccli. 9. quodq. in pinnaculis ciuitatis ambulas. Carnis enim concupiscentiæ acrius insurgunt aduersus eos, qui in hominum viuunt frequentia, quos & decora facies capit per oculos, & verbum obscœnum per aures ingressum turbat nobis rationem frequenter. Adeoq. multa sunt, quæ nostram oppugnant animam, eoq. opus habemus diuini remedij, quo simul & iam acceptis vulneribus medeamur, & quæ nondũ quidem inflicta sunt, sed post infligerẽtur, prohibeamus, eminus veniẽtia diaboli spicula extinguenres, depellẽtesq. per assiduam Scripturarum lectionem. Neque nunc fieri potest, vt quisquam salutẽ assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali. Quod si quotidie vulneremur, medelam vero nullam adipiscamur, quæ fuerit spes salutis? An non vides fabros ærarios, aurifices, denique eos, qui quamcumque exercent artem, omnia artis instrumẽta habere parata, & integra, quamuis compellat fames, omnia præoptantes sustinere potius, quàm vt instrumentis artificij quippiam vendere velint: atque hinc alij itaque multi frequenter potius habuerunt ad vsuram accipere, quàm vel minimum aliquid ex artis instrumentis oppignorare: idq. iure optimo. Norunt enim, quod diuenditis illis, ars vniuersa ipsis sit inutilis, totumq. quęstus fundamentum sublatum, illis autem manentibus fieri potest, vt contractũ æs alienum progressu temporis aliquando dissoluant, iugiter vtentes artificio.
9 Quod si priusquam dissoluerint æs alienum, alijs ea vendant, iam non est vnde possint solatium aliquod famis, inopiæq. excogitare. Hoc sane animo nos quoque præditos esse oportet: quemadmodum enim illis artis instrumenta sunt malleus, incus, forceps; sic & nobis artis instrumenta sunt Apostolorum, ac prophetarum libri, omnisq. scriptura diuinitus inspirata. Et quemadmodum illi per illa instrumenta quidquid faciendum susceperint, perficiunt; ita sane & nos per hos fabricamur animam nostram, deprauatamq. corrigimus, & inueteratam renouamus. Itaque ne negligamus nobis parare libros, ne circa vitalia vulnus accipiamus. Quemadmodum arma regalia reposita, etiamsi nemo fuerit, qui possideat, tamen ijs, qui habitant in ædibus, vbi reposita sunt, multam præbent custodiam, ac tutamen, dum neque latrones, neque parietum perfossores, neque alius quispiam sceleratorum audet eam ingredi domũ; sic vbicumque fuerint libri spiritales illinc omnis expellitur vis diabolica, multaq. inhabitantibus accedit consolatio: siue enim quippiam ausi fuerimus eorum, quæ prohibita sunt, reuersi domum, conspectisque libris, acrius nos condemnat conscientia. Rursus siue in sanctimonia perstiterimus, ex libris reddimur tutiores, firmioresque. Nam simul atque tetigit aliquis Euangelium, mox composuit suam ipsius mentem, & a rebus mundanis abduxit, idq. ex ipso solo aspectu. Quod si accesserit diligens lectio, non aliter, quàm in sacris adytis rebus diuinis vacãs anima sic repurgatur, meliorq. redditur, Deo cum ipsa per illas scripturas colloquente. Etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia. Non intelligis, quæ insunt, quomodo possis aliquando intelligere, quæ leuiter quidem inspicere velis? Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt memoria tenens, ea, quæ obscura sunt, parumq. manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis inuenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem, communica cum his ea, quæ scripta sunt, declara vehemens studium. Et si viderit te Deus tantam animi prõptitudinem adhibere, non despiciet tuam vigilantiam, ac sollicitudinem. Verum etiam si nullus homo te docuerit, quod quæris, ipse sine dubio rescribit. Memento eunuchi reginæ Aethiopum, qui cum esset homo barbarus, immensisq. distentus sollicitudinibus, & negotijs, nec intelligeret, quæ legebat, legebat tamen in curru sedens, quod si in via tantam præstitit diligentiam, cogita qualis fuerit domi versans. Si nihil intelligens legebat, nec destitit a lectione: multo minus postquam didicerat. Insciti am suam Philippo manifestauit; & cum nondum haberet, qui viam commonstraret, tamen legebat, eoq. cito consecutus est doctorem. Nouit propensum illius animum Deus, misitq. illi doctorem illico. Magna aduersus peccatum munitio est, Scripturarum lectio, magnum præcipitium, profundum barathrum, Scripturarum ignoratio, magna salutis perditio, ea res vitam corruptã inuexit. Nam fieri non potest, vt quis sine fructu discedat, qui assidua, attentaq. Scripturarum lectione fruatur.

Act. 8.

11 Hom. 10. in Ioan. to. 3.

IDEM inquit; Vnum rogare vos velim, ne cõtemnatis obsecro, vt vna dierum in hebdomada, vel saltem sabbato curæ vobis sit Euã gelicas legere lectiones, quas ante has conciones in manibus habere, domi frequenter repetere, earum diligenter sensum disquirere, quid clarum, quid obscurum in his sit, adnotare velitis, quid pugnare videatur, cum non pugnet, ita omnibus penitus examinatis, his vos concionibus, quàm attentissimos exhibeatis. Hoc pacto non parum vtrisq; nostrum emolumenti prouenerit: siquidẽ nobis non multo opus erit labore, vt euangeliũ ostendamus, cum domi ipsam nobis sententiã quantum ad verba iam familiarẽ reddideritis, vos autem & acutiores, & perspicaciores efficiemini non ad audiendum tantum, sed etiam ad docendũ alios. Nam multi in prẹsentia hic audiũt, qui simul omnia euãgelij verba, & quæ super his a nobis dicuntur memoriæ mandare conantur, non tamen etiãsi animum in hoc consumeremus, admodum proficerent. Quamobrem? Quoniam intempestiue, & in sola tantum Ecclesia breui tempore meis vacant sermonibus. Quòd si qui sunt, qui

qui negotia, occupationesque, & publicarum, priuatarumque rerum curas causantur. primum in hoc non parum errant, quòd in tot rebus versantur, & ita semper sæcularibus negotijs affixi sunt, vt ne minimum quidem in his, quæ maxime necessaria sunt, studium impendant. Præterea rebus vilibus, & abiectis, diligens adhibere studium potestis, diuinis autem siquando vacandum est, adeo vobis inutilia, & nullius momenti videntur, vt ne minimam quidem curam in his ponendam ducatis: & quonam pacto, qui ita sentiunt, spirare, solemve conspicari digni sunt? Est & alia his oscitantibus inepta excusatio, librorum videlicet inopia. Et diuitibus quidem ad hoc respondere, ridiculum est. Verum cum multos pauperes hac frequenter accusatione vti existimem, ita percunctari placet. Numquid omnia artis suæ habeant instrumenta, etsi inopia in his comparandis admodum impediantur. Nonne igitur absurdum est, hic non causari paupertatem, sed diligenter attendere, ne quid sibi ad artem suam necessarium deficiat, vbi autem tantam sint consecuturi vtilitatem, occupationes deflere & inopiam? Verum si quis tam pauper esset, vt nullo pacto libros sibi comparare queat, ei ex continua, quæ hic habetur lectione, nihil ex diuinarum litterarum sententijs ignorare licet, nisi paruam attentionem his adhibeat, sed corpore solo adsit.

12 Epist. 29. ad Theodorã vidduam Hispanã, quã consolatur de morte Lucinij Bętici mariti sui. to. 1.

HIERONYMVS inquit; Lucinius omnem substantiam suam dispersit, & dedit pauperibus, vt iustitia eius maneret in æternum. Nec patriæ suæ largitate contentus, misit Hierosolymarum, & Alexandrinæ Ecclesiæ tantum auri, quanto multorum possit inopiæ subueniri. Quod cum multi mirentur, & prædicent, ego in illo magis laudabo feruorem, & studium scripturarum, quod ille desiderio opuscula nostra flagitauit, & missis sex notarijs (quia in hac prouincia Latini sermonis, scriptorumque penuria est) describi sibi fecit, quæcumque ab adolescentia vsque in præsens tempus dictauimus. Sacrarum litterarum desiderio misit a remotissimis Hispaniæ partibus vsque ad antrum Bethlehemiticum, vbi Hieronymus habitabat, cum tamen ipse tam difficilem subire prouinciam tentauerit, quam morte præuentus non perfecit, vt Hieronymum inuiseret, & consuleret ea, quæ concernerent intelligentiam sacrarum litterarum.

13 In epist. 30.

IDEM epistola ad Oceanum in epitaphiũ Fabiolæ, quem consolatur in eius morte, eius laudes congerit eximias, inter quas vna est. Repente, & contra opininem omnium Hierosolymam nauigauit, vbi multorum excepta concursu, nostro parumper vsa est hospitio, cuius societatis recordans, videor mihi adhuc videre, quam vidi. Iesu bone, quo illa feruore, quo studio intenta erat diuinis voluminibus? Et veluti quamdam famem satiare desiderans per prophetas, Euangelia, psalmosq. currebat, quæstiones & proponens, & solutas recondens in scriniolo pectoris sui. Nec vero satiabatur audiendi cupidine, sed addens scientiam, addebat & dolorem, & quasi oleum flammæ adieceris, maioris ardoris fomenta capiebat. Reuoluens semel Numerorum librum, peruenit ad eum locum, vbi catalogus ponitur omnium mãsionum, per quas de Aegypto egrediens populus peruenit vsque ad fluenta Iordanis. Cumq. causas quæreret & rationes singularum, in quibusdam hæsitaui, in alijs inoffenso cucurri pede, in plerisque simpliciter ignorantiam confessus sum. Tunc vero magis cœpit vrgere, & quasi non mihi liceret nescire, quod nescio, expostulare, ac se indignam tantis mysterijs dicere, librum postulauit, vt de hac re illi ederem. Et post pauca. Laudent ceteri misericordiam eius, humilitatem, fidem, ego hunc ardorem animi plus laudabo. Librum, quo Heliodorum quondam iuuenis ad eremum cohortatus sum, tenebat memoriter, & Romana cernens mœnia, inclusam se esse plangebat.

14 Epist. 1. quę est ad Paulinum, quem prouocat ad studium sacrarum litterarũ. to. 3.

IDEM sic habet; Legimus in veteribus historijs, quosdam lustrasse prouincias, nouos adisse populos, maria transisse, vt eos, quos ex libris nouerant, coram quoque viderent. Sic Pythagoras Memphiticos vates, sic Plato Aegyptum, & Architam Tarentinum, eamq. oram Italiæ, quæ quondam magna Græcia dicebatur, laboriosissime peragrauit: vt qui Athenis magister erat & potens, cuiusq. doctrinam academiæ gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus, malens aliena verecunde discere, quàm sua impudenter ingerere. Denique cum litteras quasi toto fugientes orbe persequitur, captus a piratis, atq; venundatus etiam tyranno crudelissimo paruit, captiuus, vinctus, & seruus; tamen quia philosophus, maior emente se fuit. Ad Titum Liuiũ lacteo eloquentiæ fonte manantem, de vltimis Hispaniæ, Galliarumque finibus quosdam veniſſe nobiles legimus, & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, vnius hominis fama perduxit. Habuit illa ætas inauditum omnibus sæculis, celebrandumq. miraculum, vt tantam vrbem ingressi, aliud extra vrbem quærerent. Apollonius philosophus intrauit Persas, pertransiuit Caucasum, Albanos, Scytas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetrauit, & ad extremum latissimo Physon amne transmisso, peruenit ad Brachmanas, vt Hiarcham in throno sedentẽ inter paucos discipulos de natura, de motibus siderum, ac dierum cursu audiret dicentem. Inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assyrios, Parthos, Syros, Phœnices, Arabes, Palæstinos reuersus Alexandriam perrexit. Aethiopiam, vt gymnosophistas (qui sic vocati sunt, quia nudi in siluis agunt) & famosissimã solis mensam videret in sabulo. Inuenit ille vir vbique, quod disceret, & semper proficiens, semper se melior fieret. Quid loquor de sæculi hominibus? Cũ Apostolus Paulus vas electionis, & magister Gentium, qui de conscientia tanti

15

in se hospitis loquebatur. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Post Damascum, Arabiamq. lustratam, ascenderit Hierosolymam, vt videret Petrum, & mãserit apud eũ diebus quindecim, a quo futurus gentium prædicator instruendus erat. Habet enim nescio quid latentis energiæ viua vox, & in aures discipuli de auctoris ore trãsmissa fortius sonat. Vnde & Aeschines, cum Rhodi exularet, & legeretur illa Demosthenis oratio, quã aduersus eum habuerat, mirantibus cunctis, atque laudantibus, suspirans, ait: Quid si ipsam audissetis bestiam sua verba resonantem? Hæc non dico, quod sit in me aliquid tale, quod vel possis, vel velis discere, sed quod ardor tuus, ac discendi studium, etiam absque nobis per se probari debet. Paulus Apostolus ad pedes Gamalielis legẽ Domini, & prophetas didiscisse se gloriatur, vt armatus spiritualibus telis, po-
2. Cor. 10. stea diceret confidenter: Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionũ consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentẽ se aduersus scientiam Dei, & captiuantem omnem intellectum ad obediendum Christo. Ad Timotheũ scribit, ab infantia sacris litteris eruditũ, & hortatur ad studium lectionis, ne negligat gratiam, quæ data est ei per impositionem manus presbyteri. Tito quoque præcipit, vt scientiã eligat scripturarum. Obtinentem, inquit, cum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonẽ, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincere. Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest, & quantum ædificat ex vitæ merito Ecclesiam Christi, tantum nocet, si destruentibus non resistat. Vnde Dauid virum iustum describens, ait: In lege Domini voluntas eius, & in lege eius meditabitur die, ac nocte. Daniel in fine sacratissimæ visionis, iustos ait fulgere, sicut stellas, & intelligẽtes, hoc est, doctos, quasi firmamentum. Vides quantum inter se distent iusta rusticitas, & docta iustitia? Alij stellis, alij cęlo comparantur, quamquam iuxta Hebraicam veritatem, vtrumque de eruditis possit intelligi. Cur dicitur Paulus vas electionis? Nempe quia legis, & sanctarum Scripturarum armarium est. Discamus in terris, quorum nobis scientia perseueret in cælo.

17 IDEM habet duas epistolas, primam ad
In codẽ to. Hedibiam, alterã ad Algasiam; in quibus id solum animaduertendum est, quod Hedibia de extremis Galliæ finibus in Bethlehemitico rure latitantem Hieronymum consulit, mittens nuncium Apodemium, vt explicet ei duodecim quæstiones sanctarum Scripturarum, cuius fidei ardorem maxime commendat. In epistola ad Algasiam dicit: Filius meus Apodemius longa ad nos veniens nauigatione de Oceani littore, atque vltimis Galliarum finibus, Roma præterita, quæ fuit Bethlehem, vt inueniret in ea cælestem panem, detulitq. mihi in parua schedula maximas quæstiones, quas a te datas, mihiq. tradendas diceret. Ad quarum lectionem intellexi studium reginæ Saba in te esse completum, quæ de finibus terræ venit audire sapientiam Salomonis. Non quidem ego Salomon, sed tu regina Saba, &c. In tota epistola respondet vndecim quæstionibus, in quibus varia explicat loca noui testamenti.

18 IDEM explicans vérba illa; Et arietem
Lib. 14. in c. 45. Ezec. to. 5. vnum offeretis de grege, de his, quæ nutrit Israel in sacrificium, inquit. Suscipit Christus Dominus arietem, vel animal, quod nutritum est in locis irriguis, sanctarum videlicet Scripturarum, & potest dicere: Dominus pascit
Psal. 22. me, & nihil mihi deerit, in loco pascuæ ibi me collocauit, super aquam refectionis educauit me. Hæc erant irrigua, immo hi canales, ad quos & Iacob ducebat pecora sua, vt in ipsis biberent, atque conciperent, & iuxta virgarum
Gen. 30. colorem fœtus ederent Domino.

19 AVGVSTINVS respondens quæstioni-
Epist. 59. Augustini ad Paulinum. to. 2. bus quibusdam sacrarum litterarum, quarum iutelligentiam ille in anteriori epistola suscitatus fuerat, in vltimis verbis ait. Scripturæ mos est ita loqui de parte tanquam de toto; sicut Corinthios in primis epistolæ suæ partibus ita laudat tanquam omnes tales sint, cum essent laudabiles quidam eorum, & postea in nonnullis epistolæ ipsius locis ita reprehendit tanquã omnes culpabiles essent, propter quosdam, qui tales erant. Istam diuinarum Scripturarum consuetudinẽ per omne corpus litterarum eius creberrime sparsam, quisquis diligenter aduertit, multa dissoluit, quæ inter se videntur esse contraria. Sicut de Iudæis loRom. 11. quens Paulus, vocat eos inimicos, & dilectos. Ipsi inimici, qui dilecti: quia in vno populo vtrique fuerant.

20 IDEM ad intelligẽdam Scripturam sacrã,
Lib. 3. de doctrina Christiana. to. 3. in qua locus est ambiguus, & incertum quid est, quomodo distinguendum sit, aut quomodo pronunciandum, consulat regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate percepit. Quod si ambæ, vel etiam omnes, si plures fuerint partes ambiguitatis secũdum fidem sonuerint, textus ipse sermonis a præcedentibus, & subsequentibus partibus, quæ ambiguitatem illam in medio posuerunt, restat consulendus, videamus cui nam sententiæ de pluribus, quæ ostenduntur, ferat suffragium, eamq. sibi contexi patiatur. Vbi autem neque præscripto fidei, neque ipsius sermonis textu ambiguitas explicari potest, nihil obest secundum quamlibet eorum, quæ ostenduntur, sententiam distinguere,
2. Cor. 7. veluti est illa ad Corinthios. Has ergo promissiones habentes chariſsimi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Domini, capite nos, nemini nocuimus. Dubium est quippe vtrum mundemus nos ab omni inquinatione carnis, & spiritus, secũdum illam sententiã: Vt sit sancta & corpore, & spiritu, an mundemus nos ab omni coinquinatione carnis, vt alius sit sensus. Et spiritus perficientes sanctificationem in timore Domini, capite nos. Tales igitur distinctionum ambiguitates in po-

testate

testate legentis sunt. Infra: Est alia regula, quoniam multis modis res similes rebus apparent, non putemus esse præscriptum, vt quod in aliquo loco res aliqua per similitudinem significauerit, hoc eã semper significare
21 credamus. Nam & in vituperatione fermentũ
Matt. 16. posuit Dominus, cum diceret: Cauete a fermento pharisæorum; & in laude, cum diceret:
Luc. 13. Simile est regnum cælorum fermẽto, quod accipiens mulier abscõdit in farinæ satis tribus. Huius varietatis obseruatio duas habet formas. Sic enim aliud, atque aliud res quæque significant, vt aut contraria, aut diuersa tantummodo significent. Contraria, scilicet cum alias in bono, alias in malo res eadem a similitudine ponitur: sicut leo significat Christum,
Apo. 5. cum dicimus: Vicit leo de tribu Iuda; signi-
1. Pet. 5. ficat & diabolum, vbi scriptum est: Aduersarius vester diabolus tamquam leo rugiens cir-
Matt. 10. cuit. Ita serpens in bono est, Prudentes sicut serpentes: in malo autem, serpens Euam seduxit astutia sua. Sunt autem, quæ incertum sit,
2. Cor. 11. Psal. 74. in quam partem accipi debeant, sicut calix in manu Domini vini meri plenus est mixto. Incertum est enim vtrum ira Dei significet non vsque in nouissimam pœnam, ideſt vsque ad fecem, an potius gratiam scripturarum a Iudæis in gentes transeuntem; quia inclinauit ex hoc in hoc remanentibus apud Iudæos obseruationibus, quas carnaliter sapiunt, quia fex eius non est exinanita. Cum vero res eadem non in contraria, sed tantum in diuersa significatione ponitur, illud est in exemplo,
Apoc. 17. quòd aqua, & populum significat, sicut in Ioan. 7. Apocalypsi legimus, & Spiritum sanctum; vt est illud: Flumina de vẽtre eius fluent aquæ viuæ, & alia multa hoc nomine significantur. Vbi autem apertius ponuntur, ibi discendum est quomodo in locis intelligantur obscuris.
Psal. 34. Neque enim melius potest intelligi, quod dictum est Deo: Apprehende arma & scutum, &
Psal. 7. 21 exurge in adiutorium mihi; quàm ex illo loco, vbi legitur: Domine scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos. Nec tamen ita, vt iam vbicumque scutum pro aliquo munimento legimus positum, non accipiamus nisi bonam
Eph. 6. voluntatem Dei. Dictum est enim & scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Nec rursum ideo debemus in armis huiuscemodi spiritalibus scutum tantummodo fidem tribuere, cum alio loco etiam lorica dicta sit fidei. Induti, inquit, loricam fidei, & charitatis. Quando autem ex eisdem scripturæ verbis, non vnum aliquid, sed duo, vel plura sentiuntur, etiam si lateat quid senserit ille, qui scripserit, nihil periculi est, si quodlibet eorum congruere veritati ex alijs locis sacrarum scripturarum doceri potest, id tamen eo conante, qui diuina scrutatur eloquia, vt ad voluntatem perueniatur auctoris per quem scripturam illam sanctus operatus est Spiritus. Periculosum autem semper erit ex proprio capite sacras interpretari litteras.

Infra: Ticonius quidam, qui contra Donatistas inuectissime scripsit, cum fuerit Donatista, fecit librum, quem Regularum vocauit, quia in eo septem regulas executus est, quibus quasi clauibus diuinarum scripturarũ aperirẽtur occulta: quarum primam ponit de Domino, & eius corpore, secundam de Domini corpore bipartito, tertiam de promissis, & lege, quartam de specie & genere, quintam de temporibus, sextam de recapitulatione, septimam de diabolo, & eius corpore. Quæ nõ parum adiuuant ad penetrãda, quæ tecta sunt diuinorum eloquiorum, licet omnia his regulis non valeant intelligi. Vnde iste liber legatur a studiosis, sed caute non solum propter quædã in quibus, vt homo errauit, sed maxime propter illa, quæ sicut Donatista loquitur. Prima Prima regula Ticonij. regula de Domino, & eius corpore est, in qua scientes aliquando capitis, & corporis, ideſt Christi, & Ecclesiæ vnam personam nobis intimari, non hæsitemus, quando a capite ad corpus, vel a corpore transitur ad caput, & tamen non receditur ab vna, eademq. persona. Vna enim persona loquitur, dicens: Sicut spõso posuit mihi mitram, & sicut sponsam ornauit me ornamento, & tamen quid horum duorum capiti, quid corpori, ideſt, quid Christo, quid Ecclesiæ cõueniat, vtique intelligendum est. Secunda est de Domini corpore bipartito, quod quidem non ita debuit appellari. Secunda regula. Non enim revera Domini corpus est, quod cũ illo non erit in æternum. Sed dicendum fuit de Domini corpore vero, atque permixto, aut vero, atque simulato, quia non solum in æternum, verumetiam nunc hypocritæ non cũ illo esse dicendi sunt, quamuis in eius esse videantur Ecclesia. Vnde dici poterat regula ista de permixta Ecclesia. Quæ regula lectorem vigilantem requirit; quando scriptura cũ ad alios iam loquatur, tamquam ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui, vel de ipsis; cum de alijs iam loquatur, tamquam vnum sit vtrorũque corpus propter temporalem cõmixtionẽ, & communionem sacramentorũ. Ad hoc pertinet in Canticis Canticorum: Nigra sum, sed Cant. 1. deçora, vt tabernacula Cedar: speciosa sum, vt pelles Salomonis. Non enim ait: Fusca fui, vt tabernacula Cedar, & speciosa fui, vt pelles Salomonis, sed vtrumq; se esse dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia piscium bonorum, & malorum. Tabernacula enim Cedar Gen. 21. ad Ismaelem pertinent, qui non erit heres cũ & 25. filio liberæ. Itaq; cum de bona parte Deus dicat: Ducam cæcos in viam, quam non nouerunt, & semitas, quas non nouerunt calcabũt; Isaiæ 42. & faciam illis tenebras in lucẽ, & prauа in directũ, hęc verba faciam, & non derelinquã eos. Mox de alia parte, quæ male permixta est dicit: Ipsi autem conuersi sunt retrorsum; quãuis alij iam significentur his verbis: sed quoniam 24 nunc in vno sunt, tamquam de ipsis loquitur, de quibus loquebatur. Tertia regula est de Tertia regula. promissis, & lege, quæ alio modo dici potest de spiritu & littera, de gratia & mandato. Quarta regula est de specie & genere. Volens Quarta regula.

intelligi ſpeciem, partem, & genus totũ, ſicut vnaquæque ciuitas pars eſt vniuerſitatis gentium, hanc ille vocat ſpeciem, genus autẽ omnes gentes. Fit hoc etiam de hominibus; ſicut
Pſal. 71. ea, quæ de Salomone dicuntur, excedunt eius modum, & potius ad Chriſtum, vel Eccleſiam, cuius ille pars eſt, relata clareſcunt. Sed cum a ſpecie tranſitur ad genus, quaſi adhuc de ſpecie loquẽte Scriptura, ibi vigilare debet lectoris intentio, ne quærat in ſpecie, quod in genere poteſt melius, & certius inuenire. Facile eſt
Ezec. 36. quippe illud, quod ait Ezechiel propheta: Domus Iſrael habitauit in terra, & polluerunt illã in via ſua, & in idolis ſuis, & peccatis ſuis, ſecundum immũditiam menſtruatæ facta eſt via eorum ante faciem meam, & effudi iram meã ſuper eos, & diſperſi illos inter nationes, & vẽtilabo eos in regiones, ſecundum vias eorum, & ſecundum peccata eorum iudicaui eos. Facile eſt hoc intelligere de carnali Iſrael. Alia etiam, quæ ſequuntur, eidem intelliguntur populo conuenire. Sed cum cœperit dicere; & ſanctificabo nomen meum ſanctum, illud magnũ, quod pollutum eſt inter nationes, & ſciẽt gentes, quia ego ſum Dominus, iam intentus debet eſſe legens, quemadmodũ ſpecies excedatur, & adiungatur genus. Sequitur enim, &
25 dicit: Et dum ſanctificabor in vobis ante oculos eorum, & accipiam vos de gentibus, & congregabo vos ex omnibus terris, & inducã vos in terram veſtram, & aſpergam vos aqua munda, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouum dabo in vos, & faciã vt in iuſtitijs meis ambuletis, & habitabitis in terra, quam dedi patribus veſtris, & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. Hoc de nouo teſtamẽto eſt prophetatum, ad quod pertinet non ſolũ vna gens illa in reliquijs ſuis, verumetiam ceteræ gentes, quæ promiſſæ ſunt patribus eorũ, qui etiam noſtri ſunt. Sed altitudo prophetica dum de illo, vel ad illum loquitur, latenter trãſit ad hunc, & cum iam de iſto, vel ad iſtum loquatur, adhuc de illo, vel ad illũ loqui videtur.
Quinta regula. Quintam regulam Ticonius ponit, quam de tẽporibus appellat, qua regula plerumq; inueniri, vel conijci poſsit latens in ſcripturis ſanctis quantitas temporum. Per tropum enim, aut a parte totum, aut a toto partem facit intelligi: ſicut vnus Euangeliſta poſt dies octo transfi-
Luc. 9. guratum dicit Dominũ, & alius poſt dies ſex.
Matt. 17. Vtrumq; enim verum eſſe non poſſet, quod de numero dierum dictũ eſt, niſi ille, qui dixit poſt dies octo, intelligatur partem nouiſsimã diei, ex quo id Chriſtus prædixit futurum, & partẽ primam diei, quo id oſtendit impletum, pro totis diebus duobus, atq; integris poſuiſſe: is vero, qui dixit, poſt dies ſex, integros omnes, & totos, ſed ſolos medios computaſſe. Hoc modo locutionis illa reſurrectionis ſoluitur quæſtio, quando Chriſtus dixit ſe in corde terræ futurũ tribus diebus, & tribus noctibus. Aliquando vero huiuſmodi numeri pro vniuerſo tem-
Pſal. 118. pore ponuntur, ſicut illud: Septies in die laudẽ dixi tibi; nihil eſt aliud, quàm ſemper laus eius in ore meo. Sextam regulam Ticonius recapitulationem vocat, in obſcuritate ſcripturarũ ſatis vigilanter inuentam. Sic enim dicuntur quædam, quaſi ſequantur in ordine temporis, vel rerum continuatione narrentur, cum ad priora, quæ prætermiſſa fuerant, latenter narratio reuocetur. Quod niſi ex hac regula intelligatur, erratur: ſicut in Geneſi: Et plantauit, *Gen. 2.* inquit, Dominus paradiſum in Eden ad orientem, & poſuit ibi hominem, quem formauit, & produxit Deus adhuc de terra omne lignũ ſpecioſum, & bonum in eſcam. Ita videtur dictũ 26
tamquam factum ſit poſteaquã factum poſuit Deus hominem in paradiſo, cum breuiter vtroque commemorato, ideſt, quod plantauit Deus paradiſum, & poſuit ibi hominem, quem formauit, recapitulando redeat, & dicat quod prętermiſerat, quomodo ſcilicet paradiſus fuerit plãtatus, quia produxit Deus adhuc de terra omne lignum ſpecioſum, & bonum in eſcã. Deniq; ſecutus adiunxit: Et lignũ vitæ in medio paradiſi, & lignum ſcientiæ boni, & mali. Deinde flumen, quo paradiſus irrigaretur, diuiſum in quattuor principia fluuiorum: quattuor explicatur, quod totum pertinet ad inſtitutionem paradiſi. Quod vbi terminauit, repetiuit illud, quod iam dixerat, & revera hoc ſequebatur, atq; ait: Et ſũpſit Dominus Deus hominem, quem fecit, & poſuit eum in paradiſo, &c. Poſt iſta enim facta, ibi eſt poſitus homo, ſicut nunc ordo ipſe demonſtrat: non poſt hominem ibi poſitũ, facta ſunt iſta, ſicut prius dictum putari poteſt, niſi recapitulatio illic vigilãter intelligatur, qua reditum eſt ad ea, quæ fuerant prætermiſſa. Septima regula Ticonij Septima regula.
eſt de diabolo, & eius corpore. Eſt enim & ipſe caput impiorum, qui ſunt eius quodammodo corpus, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. Sicut ergo in prima regula de Domino, & eius corpore vigilandum eſt, vt intelligatur cũ de vna eademq. perſona Scriptura loquitur, quid conueniat capiti, quid corpori; ſic & in iſta nouiſſima aliquando in diabolum dicitur, quod non
Iſa. 14. in ipſo, ſed potius in eius corpore poſsit agnoſci. Quod enim ſcriptũ eſt apud Iſaiam: Quomodo cecidiſti de cælo Lucifer, qui mane oriebaris, & cetera, quæ ſub figura regis Babylonis ad eandem perſonam dicta ſunt in ipſa cõtextione ſermonis, de diabolo vtiq; intelliguntur; & tamen quod ibi dictum eſt; Contritus eſt in terra, qui mittit ad omnes gentes, non totum ipſi capiti congruit. Nam etſi mittit ad omnes gentes diabolus Angelos ſuos, tamen in terra corpus eius, non ipſe conteritur, niſi quia ipſe
Pſal. 1. eſt in corpore ſuo, quod contritum ſit vt puluis, quem proijcit ventus a facie terræ.
27 IDEM multa ex ſacris litteris, & traditionibus, & hiſtorijs curioſa, & in primis inquit: Hierico fuit prima ex Chananitidis ciuitatibus, quæ populo Iudæorũ occurrit, cuius ſolo clamore in gyro ſonante murus erat vſque ad fundamentum dirutus. Vbi nihil extra naturam eſſe factum geſta res oſtendit: ſiquidem & hoc
Li. 2. de mirabilibus ſacræ ſcript.

hoc terræmotibus eſſe factum, frequenter ſcriptura denunciat. Quomodo & in famoſo illo terræmotu centum Lybiæ vrbes corruerũt, & in terræmotu Dominicæ paſsionis vndecim in Thracia ſubuerſæ ſunt. Poſthæc quoque Chananæorum quinque regibus in vnum congregatis, vt pugnarent aduerſus Iſrael, cum ex aduerſo miſcerentur cohortes, & victoria in Dei
Ioſue 10. populo partem concederet, Ioſue princeps populi Iſrael ſoli in medio die præcepit, vt ne ſe moueret, & lunæ vbi fuerat ſtaret, donec ſe Dei populus de inimicis vindicaret. Quod & factum eſt. Nam ſol duos dies in vno concluſit, & luna diei ſpatio non occurrit. Dum autẽ vtrumque luminare moram hãc habuit, quaſi poſt conſuetum diem in occaſus ſui limitem perrexit. Non enim quod ad belli illuminationem luna tunc in prẽſentia ſolis proficeret, ſtare imperatur: ſed ne quid incongrue luminarium meatu per vnius quietẽ, & alterius curſum deſtrueretur. Luna vero non tantum in hac ſtatione requieuit, ſed & incrementi, vel detrimenti ſui interim conſuetudinem agere
1. Reg. 18. non potuit. Infra: Docet quo pacto Pythoniſſa ad petitionem Saulis regis ſuſcitaueri Samuelem, qui dixit: hac hora cras tu, & filij
18 tui mecum eritis: hunc non eſſe prophetã verum. Qui enim in viuentibus prophetis reſpõſum non inuenit, reſuſcitatum a morte prophetam audire non meruit. Vnde diabolus ille fuit, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, in phantaſia Samuelis. Dicitur autem ille Samuel, quia ſæpe in ſacra Scriptura verarũ rerum nomina imaginatis rebus aſcribuntur. Sicut magorum virga in colubrum verſa a magis Pharaonis ſerpens dicitur. Et æneus ſerpens vocatur ſerpens: & imagines Cherubim obumbrantes propitiatoriũ Cherubim dicuntur, duodecim boues ſub mari ęneo, duodecim leones in throno Salomonis. Phantaſma igitur Samuelis, velut ipſe Samuel oſtenſum pronunciatur. Infra: Oza filius Aminadab ſequens arcam cum illam velut ſuſtentans tangeret, ſubita morte percuſſus eſt. In quo temeritas Ozæ damnatur, qui cum non eſſet de genere Aaron ſacerdotis, arcam tetigit: & totus populus, quia caute in diuinis rebus ſe agere deberent, admonetur. Sed quidã aliquod præ-
2. Reg. 6. cedens peccatum in Oza per hanc culpã punitum eſſe exiſtimant, quoniam ſæpe euenit, vt minores culpæ præcedentium peccatorũ vin-
1. Par. 13. dictam incutiant. Sicut cũ populus Iſrael peccaſſet, commouit Dominus vt Dauid numeraret populũ, per quod accidit, vt plebs peccans, per paruam regis culpam, pœnam ſuſtineret præcedentium delictorum. Intelligitur autem Dauid minorem culpã commiſiſſe, quàm plebs, qui peccatum ſuum per ſolam pœnitentiã deleuit, populi vero delictum in auctoribus ſuis
19 mortis ſeueritatem promeruit. Tempore Eliæ, vbi annis tribus, & mẽſibus ſex nõ pluit ſuper
3. Reg. 17. & 18. terram, hæc plaga, vt multi magiſtri putant, tantum terram Iſrael caſtigauerat; ſed moris eſt ſcripturarum, vt illam prouinciam, de qua dicunt, omnem terram indifferenter nominent. Tempore autem ſiccitatis in ſpelunca torrentis Carith ſe abſcondit Elias, vbi a coruo paſcebatur, vt culpã, quam in diluuio coruus commiſerat in terra, purgare auis illa videretur, dum vt fidelis miniſter efficitur Eliæ, qui negligens & fallax erat antea Noe. In hoc miniſterio illud etiam oſtẽditur, quòd ſi homo non peccaſſet, etiam infructuoſorum animaliũ nunc miniſterijs vteretur. Infra: Ne vero quem moueat, quòd hæc eadem plaga ſterilitatis, & ariditatis Sidonijs communis fuit cũ populo Iſrael, quia inde Iezabel perſecutrix prophetarum Sidoniorum regis filia erat. Vi-
Ibidem. duæ Sareptanæ filius, quem poſtea Elias a mortuis ſuſcitauit, de hoc tradunt Hebræi, quod ipſe Ionas propheta fuerit, qui in Niniue prædicauit. Infra: Quando Eliſæus cum Do-
4. Reg. 2. minus leuare vellet Eliam in curru igneo poſtulauit ſpiritum duplicem, non elationis affectu ſuper magiſtrum ſuum id voluit, ſed videns peccata populi innumera, a propheta qui relinqueretur, non ſimplici Eliæ ſpiritu, ſed duplici compeſci poſſe præuidit. Infra: Rabſaces dux, quem Sennacherib rex Aſſyriorum miſit tempore Ezechiæ ad expugnandũ Iſrael, ferũt Hebræi eſſe Iſaiæ prophetæ filium, & profugum Iudæum ad Aſſyrios commigraſſe, qui & dux totius exercitus effectus eſt. Sennacherib autem ſic fugatus, cum paucis ad Niniuem vrbem ſuam fugiens vix euaſit, vbi in idolorum phano ab vno filiorum ſuorũ interfectus
4. Reg. 20 eſt. Ezechias autem ne de tanta victoria eſſet elatus, & forſitan etiam gratiarũ actione exiguus, in grauiſsimi languoris morbum incidit. Qui conuerſus ad parietem amariſsime fleuit, & pro vita longiore deprecatus eſt. Nõ quòd de ſuo, vtpote perfectus, merito in conſpectu conditoris ſui incertus fuit, ſed quia in Chriſti venturi generatione ſui generis proſapiam in throno Dauid lucernam non relinqueret.

30 IDEM dicit: Tale eſt ingenium naturæ noſtræ, vt torpeſcat, ſi vſus deſtiterit lectionis: quia ſicut ferrum niſi vſum fuerit, eruginẽ generat, ita & anima niſi frequẽtius diuinis exerceatur lectionibus, naſcentur illi peccata. Inde eſt, vnde in Pſalmo hunc dicit beatum, qui
Pſal. 1. die, noctęq. legem Domini meditatur. Denique quamuis nota ſint diuina eloquia, tamen cum fuerint ſacris voluminibus memorata, ſic illa deuotum pectus ſuſcipit quaſi noua, excitatur enim deſiderium animæ erga opera ſalutaria.
Lib. quæſt. ex vtroque teſtamento mixtim. tomo 4.

31 IDEM dicit: Pſalmus iſte dicitur ex perſona Chriſti capitis & membrorum, ſeu corporis, quod eſt Eccleſia. Vnde quando audimus vocem Domini, & ex capite debemus audire, & ex corpore; quia quidquid patimur in nobis, & ipſe patitur. Quomodo ſi aliquid patiatur caput, numquid poteſt dicere manus, quia non patitur? Aut ſi aliquid patitur manus, numquid poteſt caput dicere, quia non patitur? Quando aliquid patitur membrum noſtrum omnia membra currunt, vt ſubue-
In Pſal. 62. to. 8.

niant

niant membro, quod patitur. Si ergo ille cum passus est, nos in illo passi sumus, & ille iam ascendit in cælum, quidquid patitur Ecclesia ipsius in tribulationibus huius sæculi, quibus illam oportet erudiri, ipse patitur. Quia nos
Rom. 6. patimur quãdo ille patitur, dicit Paulus: Quia vetus homo noster simul crucifixus est cum illo, vt euacuetur corpus peccati. Ipse in nobis moritur, & in nobis resurget. Ipse est enim vnitas capitis & corporis, non immerito vox ipsius etiã nostra est, & vox nostra etiam ipsius est.

32 BERNARDVS sic habet: Euangelium fratres ob hoc scriptum est, vt legatur, nec ob aliud legitur, quàm vt rationabilem consolationem, vel desolationem exinde capiamus. Est enim sæcularibus consolatio vana de terrenarum affluentia rerum, vana nihilominus de penuria earum desolatio. At Euangelium speculum veritatis nemini blanditur, nullum seducit, talem in eo se quisque reperiet qualis fuerit; vt nec ibi timore trepidet, vbi non est timor, nec lætetur cum male fecerit. Sed quid
Iaco. 1. dicit Scriptura? Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparatur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abijt, & statim oblitus est qualis fuerit. Nos autem fratres, non sic obsecro, non sic, sed consideremus nosmetipsos in ea, quam audimus, sancti Euangelij lectione, vt proficiamus ex ea, & corrigamus secundum eam, si qua in nobis deprehendimus corrigen-
Psal. 118. da. Propter hoc propheta ait: Tunc non confundar cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

33 IDEM explicans verba illa Canticorum cap. 5. Oculi sponsi sicut columbæ super riuulos aquarum, qui lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima, inquit: Oculi sponsi sancti viri sunt, qui sicut columbæ in simplicitate viuunt, & alijs suis prædicationibus, atque exemplis viam salutis ostendunt. Super riuulos aquarum esse perhibentur, quia semper in refectione sanctarum scripturarum conuersantur. Qui lacte sunt loti, quia per gratiam Dei in baptismo a peccatis suis sunt mũdati. Quid per fluenta plenissima, iuxta quæ sedent, intelligimus, nisi sacræ scripturæ profunda, & arcana dicta, quibus nos reficimus, dum ea legendo, vel audiendo haurimus? Ad hæc iuxta fluenta columbæ residere solent; vt vmbram volantium auium in aqua videant, super quam se proijcientes vngues rapaces effugiant. Sic sancti viri scriptura sancta fraudes dæmonum prospiciunt, & ex descriptione, quam vident, quasi ex vmbra inimicum cognoscunt, & eius deceptiones fugiunt. Sic & tu soror in meditationibus sanctarum scripturarum esto assidua, quia in eis poteris cognoscere qualiter hostium insidias valeas declinare. Te consilijs sacræ scripturæ ex toto committe, quia ibi inuenies qualiter fraudes dæmonum fugias. Moneo etiam te, vt meturapacium auium, id est dæmonum, super fluenta sanctarum scripturarum sedeas, ne tu improuisa (quod absit) inimicis tuis præda fias. Ama scientiam scripturarum, & contemnes vitia carnis.

Saluandi sunt pauci revera, etiam si aliquando dicuntur multi. Cap. V.

1 ORIGENES explicãs illa verba cap. 26. Numerorum: Numerato populo per familias suas, istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in possessiones suas. Pluribus maiorem partem dabis, & paucioribus minorem. Quidquid forte cõtigerit, hoc vel plures accipiant, vel pauciores. In quo Origenes legit: Ex numero hominum pluribus plura dabuntur in sortem, & exiguis exiguam dabis hereditatem, vnicuiq; sicut recẽsitus est dabitur hereditas eius. Sic habet & historia, hoc est quod docet, vt si qua tribus numerosior habetur in populis, maiora terræ spatia sortiatur. Si qua autem minore hominum numero cẽsetur, breuiore possessione cõtenta sit. Sed quoniam terræ huius diuisionem, hereditatemq. terrenam, speciem dicimus tenere futurorum bonorũ, ac formam cælestis illius, quæ a fidelibus, & sanctis speratur, hereditatis, ostendere requiro in illa hereditate, quæ sperãda est, qui sint plures, & qui sint pauci, & inuenio ibi beatiores paucos haberi, quàm plures. Nam qui
Matt. 7. per viam latã, & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, egerint iter, multi dicuntur: qui vero per arctam, & anguctam viam perrexerint, quæ ducit ad vitam pauci appellantur. Et iterum in alijs dicitur: Quàm pauci sunt, qui saluantur. Et itetum in alijs: Vbi multiplicatur
Matt. 24. iniquitas, refrigescet charitas multorum, non paucorum. Sed & in arca, quæ a Noe cõstructa est, vbi mensuræ cælitus dãtur, in inferioribus, trecentorum cubitorum ponitur longitudo, & quinquaginta latitudo. Vbi vero tectus eius ad altiora consurgit in angustum cogitur, & paucorum cubitorum conclusione coiligitur, ita vt summitas eius in vnius cubiti spatium consummetur: propterea que in inferioribus quidem, vbi lata, & spatiosa habebat loca, vel bestiæ, vel pecudes erant collocatæ, in superioribus vero, aues, in summis autem, quæ angustiora, & altiora erant, ibi homo rationalis collocatur. Sed vnde quæ sit differẽtia inter paucos, & multos colligemus indicia? Porne omnem humani generis numerũ, ex vniuersis gentibus elige fideles, sine dubio pauciores erunt, quã sint vniuersi. Tunc deinde ex fideliũ numero, elige meliores certum est, quod multo inferior numerus remanebit. Et iterum ex ipsis, quos elegeris, elige rursus perfectiores, pauciores profecto reperies. Hi ergo, qui hoc modo plures sunt, plus terræ, & plus corporeæ hereditatis accipient, pauci autem exiguum aliquid de terra consequuntur, qui plus in Domino habent, vbi autem nihil omnino terrenę dignitatis accipiant, si qui digni fuerint, sacerdotes sunt, & ministri Domini horum enim ex integro ipse Dominus hereditas est.

3 CRYSOSTOMVS dicit: Multo sunt plures gehennam ingredientes, sed maius est Dei regnum, licet habet paucos. Quot esse putatis in ciuitate nostra, qui salui fiant? Infestum quidem est, quod dicturus sum, dicam tamen, non possunt in tot milibus centum inueniri, qui saluentur, quin & de his dubito. Quãta enim in iuuenibus quęso malitia? Quãtus in senibus torpor? Filij curam gerit nemo, nemo zelum habet, vt senem respiciens imitetur, exemplaria deleta sunt, propterea neque iuuenes euadunt laudabiles. Hæc dico, ne quis Ecclesiam propter multitudinem admiretur, sed vt ipsam probatam reddere studeamus.

4 HIERONYMVS exponens verba illa; In illa die erit Dominus exercitium corona gloriæ, & sertum exultationis residuo populi sui, ait: Dominus erit corona gloriæ his, qui in Ecclesia commorantur, & ad multitudinem plurimorum errantium comparati, parui sunt numero, & ideo residuum vocantur populi.

5 IDEM explicans verba illa; audiens sapiens sapientior erit, &c. Sapientiam, atque disciplinam stulti despiciunt, aduertit; quod sapientem singulari numero, stultos describit plurali, quia & plures sunt sapientibus stulti, & sapientium cœtus omnis vniformem tenet callem pietatis.

6 AVGVSTINVS ait. In paucis, inquis, frequẽter est veritas, errase multorum est. Et ne verbis tuis tantæ illius sterilis fœcunditati contradicere videreris, cui dictum est: Multi filij deserte, magis quàm eius, quę habet virum, adhibuisti ex Euangelio testimonium, quoniam pauci sunt, qui saluantur. Solue ergo quęstionem, quomodo ipse Dominus dicat:
Matt. 7. Quã arcta, & angusta via est, quę ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam; & idem
Matt. 8. Apoc. 7. ipse alibi dicat; Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cęlorum. Quomodo etiam in Apocalypsi demonstretur eorum multitudo, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stãtes ante thronum, & palmę in manibus eorũ. Quomodo idem sint pauci, qui multi? Neque enim alterum horum est verum, alterum falsum: cum sit vtrumque diuina veritate prolatum, nisi quia idem ipsi boni verique Christiani, qui per se ipsos multi sunt, in comparatione malorum, falsorumq. itidem pauci sunt. Sic multa grana, quibus horrea magna complẽtur, pauca dicimus in comparatione palearũ. Multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus, quibus tam grande cælum vndiquæ circumfulget, paucas dicimus, in comparatione arenæ maris. Quando semen Abrahæ dixit Deus futurum sicut stellas cæli, & arenam, quæ est in littore maris, stellę significauerũt spiritales Christianos, maris autem arena carnales, vtroque tamen genere plenus est mundus. Per totum agrum frumenta, per totum zizania, quia de vtroque dixit, qui falli non potest: Sinite vtraque crescere, vsque ad messem,

7 IDEM explicans verba illa; Domine si pauci sunt, qui saluatur, inquit. Ad istam interrogationem non dixit, non pauci, sed multi sunt, qui saluantur, sed de re hac interrogatus, respondens dixit. Contendite intrare per angustam portam, quasi dicat. Per angustam
Matt. 7. portam pauci intrãt. Alio enim loco ipse hoc ait: Arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci ingrediuntur per eam: Lata autem, & spatiosa est via, quæ ducit ad interitum, & multi sunt, qui ambulant per eã. Quid gaudemus ad multitudines? Aream video, & granæ quæro, & vix videntur grana. Pauci ergo, qui saluantur, in comparatione multorum perituorum. Nam ipsi pauci magnam massam facturi sunt, cum venerit ventilator ferens ventilabrum in manu sua. Estote ergo inter multos multi, sed in comparatione quorundam multorum pauci. Videte his plura lib. 14. cap. 11.

Sanctorum gesta miranda erant, sunt q. inspicienda, vt imitentur, non autem illorũ, si quæ sunt, negligentiæ. Cap. VI.

1 ORIGENES sic habet: Sicut cæli luminaria, ac sidera in firmamento cæli a Deo collocata cunctis indesinenter, quæ sub cælo sunt, fulgent, atque omnibus, quæ super terram sunt, per tempora, & tempora, per generationes, & generationes mirabiliter relucent, alia quidem per noctem, vt luna, & stellæ, alia nihilominus per diem, vt solis speciosissimi radij, sic & sanctorum virtutis insignia, atque beatissimi eorum agones omnibus in perpetuo singulariter fulgent, omnibus in æternum bonorum formam tribuunt, omnibus sub sole pietatis exemplum ostendunt. Quod autem sideribus, atque luminaribus comparentur omnes sancti, demonstrat Apostolus dicens: Stella differt a stella in claritate; ita &
1. Cor. 15. resurrectio mortuorum proculdubio sanctorum. Euidentius autem ostendit hoc Angelus, qui ad Danielem locutus est dicens: Tunc iusti effulgent sicut luminaria cæli, & tanquam
Dan. 12. sol, & luna, & tanquam stellæ in sęcula. Super hæc vniuersa etiam ipse Dominus in Euangelio dicit. Tunc iusti fulgebunt in cospectu Pa-
Matt. 13. tris sui, qui est in cælis. Sic itaque effulgent, atque emicant omnes sancti, non solum in tempore resurrectionis, sed & nunc in tempore huius presentis sæculi. Alius enim fide fulget, vt Abraham,

Abraham, alius castitate lucet, vt Ioseph, alius mansuetudine, vt Moyses; item vero alius constantia, atque tolerantia vehementiũ dolorum, sicut admirabilis Iob, cuius sanctæ virtutis insigina, cuius admirabilem cõstantiã cuius inenarrabilem tolerantiam, cuius mirabiles dolores, quis edicere, vel admirari queat, quę scripta sunt Syrorum lingua, siue ab ipso Iob, siue ab amicis eius? Ob hoc enim dicit, ipse beatissimus Iob. Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei, quis mihi det, vt exarentur in libro stylo ferreo? Iterpretata sunt autẽ a magno viro illo Moyse in Hebraicam linguam, atque filijs Israel tradita. Quod ostendit ipsa scriprura Iob dicens. Hic interpretatus est ex Syrorum libro. A quo interpretatus? Manifestum est, quòd a Moyse in Hebræo. Item a septuaginta ex Hebræo in Græcum translatus est. In Ægypto scilicet olim Moyses ex Syro in Hebręum transtulit. Item in Ægypto etiam septuaginta sub Ptolemæo in Græco illum transtulerunt: & deinde per omnes gentes scriptura beati Iob diuulgata est. Erat nimirum pridem Syriace ex parte scripta, non ita diligenter sicut postea a Moyse, qui omnia Spiritus sancti reuelatione, & cognouit, & scripsit. Quod autem Moyses hæc scripserit in Ægypto, etiam iuxta ipsum tempus, cum eiusdem sit numeri, maxime comprobatur. Nam sicut quintus erat Iob ab Abraham, ita quinta progenie missus est Moyses educere filios Israel de Ægypto. Super hæc autem omnia inuenimus in antiquorum dictis, quòd cum magnus ille Moyses in Ægypto a Deo fuisset missus, & vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis eorum afflictionis, qua illos Aegyptij affligebãt, minime valeret, vehementes illos, atque terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, nec non & in scriptura eos ponens, adhuc cum essent recentiores illi populo dederit, vt per cognationes, & tribus suas hæc legentes, & vehementes, atque terribiles illos beati illius viri dolores audirent, sicq. se inuicem consolarentur, & cum patientia, atque gratiarum actionibus mala, quæ eos circundederant, sufferrent, & vt bonam remunerationem Domini, quam Iob post tolerantiam largitus est, audientes etiam ipsi liberationem sperarent, & beneficia beatæ mercedis laborum suorum expectarent.

2 Iob 19.

Huius namque rei euidens, atque irrefutabile indicium est hoc, quod etiam adhuc vsque in hodiernum diem beati Iob tolerãtia ante eos, qui sunt, in dolore, & luctu, legitur pro consolatione, atque exhortatione dolorum illorum, & pro ablatione angustiæ cordis eorum.

3 Infra: Diximus quòd magnus ille Moyses scribens passionem Iob, atque constantiam, pro consolatione dederit filijs Israel, blande, & benigne loquens ad eos, & dicens. Constantes estote filij Israel, animæquiores estote posteritas Abrahæ, sustinete dolores, sufferte hæc mala, quia & olim erat quidam homo in terra Hus, cui nomen erat Iob, qui cum esset iustus, & verax, & sine querela, ingentes sustinuit dolores, amara supportauit tormenta propter nequissimi diaboli inuidiam. Ita & vos modo a Pharaone vexamini, ab Aegyptijs oppressionem patimini, cum omnino non cõprobemini peccatores, sed hæc patientes iniuste ne defeceritis, neque succubueritis, sed sufferte constanter, atque viriliter. Erit nãq. & vobis liberatio, quemadmodum & illi. Reddetur etiam, & vobis retributio huius tribulationis, sicut & illi reddita est. Si vos, quos honorabiles, atque diuites esse oportebat propter patrum bonitatem, atque diuitias, inhonorabiles, atque egeni effecti estis, nolite expauescere, quia & prefatus hic vir Iob de sede regali, & glorioſa ad sterquilinium deuolutus est, cum ingnominia ex immensis diuitijs, atq; opulentia ad miserabilem paupertatem immutatus est. Si Aegyptij, quos amicos esse oportuerat propter gratiam Ioseph, atque sinceritatem Israel, ad inimicorum nequitiam immutati sunt, nec hoc vobis sit mirum, quia & Iob boni illi sodales, qui ei deuoti, atque integri amici esse debuerant, ad inimicitiam conuersi sunt. Hæc atque his similia Moyses loquens ad filios Israel scripsit dicens. Homo erat in terre Hus nomine Iob. Iob. 1.

4 In epi. August. ad Cyrillũ Hieroſol. epiſco. de laudibus Hiero. to. 9.

In Hieron. oper. Aug. ait: Liceat dici alter hic Elias, alter Samuel, alter hic Ioannes Baptista. Elias, & Ioannes Eremitæ, magis ciborum, & vestium asperitatibus carnem macerauerunt. Non minoris vitæ Hieronymus idem per quadriennium in eremo ferarum tantum socius prestitit: quinquaginta annis vinum, & siceram aliqualiter non gustauit: ab omni carnium, & etiam piscium esu, ita se abstinuit, quod vix ea nominare volebat: coctũ quid non nisi in vltima infirmitate bis comedit: cilicino sacco carnem veluti æthiopis macerans desuper panno vilissimo se tegebat: stratum aliud, nisi terram numquam sciuit: non nisi semel fructibus, aut herbarum foliis, siue radicibus pastus, in die post vesperam se orationibus prebens, deinde vsque secundam noctis horam quotidie vigilabat: post modum vero somno fessus in terra dormiens, vsque ad mediam noctem quiescebat: qua quidem continue surgens hora, lectionibus, & scripturis intentus, vsque ad esus horam perdurabat. Ita leuissima flebat peccata, vt quis eum estimasset hominem interemisse. Ter in die continue carnem diris verberibus flagellauit, ita vt eius corpore riuuli sanguinis effluerẽt, quin verbum ociosum aliquod, vt pestem aliquam fugiebat. Sibi ocium nullum erat, semper aut sacris lectionibus, aut scribendo, aut docendo cunctos, exercitabatur.

5 In ep. sequẽ ti, quæ est Cyrilli epi. Hierosol. ad Augustiã.

Apud eundem Cyrilus ait: Serpẽs antiquus diabolus venerandi antistitis Siluani nimie inuidens sanctitati, in eum dolis, vt callidior cũctis animãtibus, grauiter est cõmotus. Qui vt virum Dei infamem redderet, quatenus qui suæ sanctitatis exemplo releuabantur ad rectæ conuer-

conuersationis semitas, suo casu deciderent ad peiora, nocte quadam formam sancti viri sumẽs cuidam mulieri nobilissimæ iam in stratu quiescenti apparuit, & se ad illam illicite accedere fingens, consensum sui corporis inquirebat. Ad quod pertertrita mulier viri ignorãs speciem, dum se cum homine solam in thalamo cerneret, nec quid faceret sciret, diras cœpit voces emittere illa, ita vt clamoribus assiduis omnes excitarentur dormientes, & nõ solum de illa domo, sed etiam conuicini. Qui omnes ad prædictæ mulieris thalamum accurrentes, quid hoc esset interrogauere pauidam mulierem. Interea calidus serpens sub thoro se ponens cœpit latere, qui autem accurrerant, diu perscrutantes, tandem ad locum peruenientes, vbi pestifer latebat anguis aliena specie occultatum, hominem inneneruntQui eundẽ candelis accensis intuentes, Siluanum archiepiscopum crediderunt. Ad quod omnes, qui aderant stupentes, quid agerent, quid ve dicerẽt ignorabant, scientes eiusdem sanctitatis nomen. Et quia hoc tam detestabile inopinabileq. cernebant, eum interrogauerunt, cur tantas nequitias perpetrasset? At ille, Quid, inquit, male feci si me mulier hęc ad huiusmodi negocium inuitauit? Quod mulier audiens, cum fore meudacem lachrymans respondit. Tunc ille, vt homines illos erga Dei virum ad maius odium incitaret, quatenus illum citius diffamarent tam horrenda cępit verba fari, quod nullus auribus poterat sustinere. Quocirca eum contumelijs exacerbãtes, coacte extra domicilium expulerunt. Mane autem facto, quę gesta fuerant enarrantes Siluanum archiepiscopum hypocritam, & dignum incendio acclamabant. Qua de re quasi tota est Nazaret commota aduersus archiepiscopum, ita vt audiendo eius numen quilibet blasphemaret. Volat ad innoxij antistitis aurem tanti fama discriminis, os tamen non mouetur ad iniurias, gratias diuino semper agens nomini. Hoc ad meam detegendam insipientiam dico, pluries me ab eiusdem Siluani ore audisse, nunquam tantum se felicem fuisse quãtum cum se ab hominibus despici, & conculi cernebat. Creuit in tantum eius infamia, quòd eius opinio vsque in Alexandriam Cyprum, & per ciuitates affines pene ore omniũ est deleta. Manens in supernis Dominus inspectator omnium, suos sinit labi sanctos in tribulationum ærumnas, vt tunc fideles patientia eos reddat, sed eos exigente necessitate inpressuris minime derelinquit. Reuoluto itaq; anno, quo diaboli astutia talia erga Dei hominem perpetrauerat, ciuitatem Nazareth, vt illarum gentium aliquatenus scandalum mitigaret, vir Dei occulte deserens, ad Ecclesiam, in qua diui Hieronymi humatum quiescit corpus, tamquam ad refugij portum veniens se in sepulturæ loco posuit oraturus. Quo per duarum horarum spacium, sic manente, vir quidam nequitiæ spiritu inflammatus in prędictã Ecclesiam intrans, sanctumq. reperiens super sepulchrum in oratione positum, ad eum velut draco cucurrit, ei improperans, quod mulierum mentes ad libidinosas suas voluptates continue incitaret. Cui angnus innocens Siluanus se despici gaudens, vt ista sæpe ei diceret, blandis colloquijs inuitabat. Quod pessimus ille latro audiẽs, gladium trahens dextera. Cui cum hoc verbum, succure Hieronyme glorioſe, venerandus antistes opponeret, in guttur propriũ eleuatum gladium immersit: & sic (vt decebat) se ipsum vir nequissimus interemit. Casnalius superueniens vir nequissimus, hoc, quod vltione diuina perpetratum fuerat, vt vidit, protinus gladium arripiens, a Dei viro hominem illum existimans interẽptum, Siluanum interficere conabatur. Ne nimia verba loquar, id quod primo acciderat huic euenit. Nondum vir iste secundus in terram ceciderat, duo alij viri Ecclesiam intrauere: qui id videntes, diuini ignari iudicij, hoc tantum fuisse peractum scelus a Dei homine putauerunt, quorum vnus id præ alio graue ferens, furia vesaniæ vndique inflammatus, cœpit clamare, latro vsque quo tua viget vesania, & malitia? Tu mulieres ad tuas libidinosas cogis voluptates, & homines interficis in occulto, certe tuæ hodie nequitię finis erit. Et subito cucurrit, vt eum extingueret vibrato, & denudato ense. At vbi Siluanus more solito, succurre glorioſe Hieronyme exclamauit vir ille, vt duo primi se ense proprio interfecit. Vir alius hoc intuens ad Ecclesiæ fores cucurrit, exclamareq. cœpit. Huc omnes accurrite, ecce maleficus Siluanus archiepiscopus non solum mulieres vituperat, sed suis etiam incãtationibus necat homines. Fit his auditis nimius mulierum, & virorum concursus, verberant aera voces, combustione dignum Siluanum archiepiscopum nequissimum acclamantes. Stabat agnus inter lupos, nihil dicens aliud, nisi hoc, iuste patior, quia in Deum meũ peccaui grauiter. Verberatur vir innocens, capitur ab omnibus, vt ad supplicia lætior, quanto pœna grauior, deducatur. Cumq. iam captus Siluanus extra Ecclesiam duceretur, subito glorioſus Hieronymus de loco in quo iacebat surgens, tanto circunfusus lumine, quòd radijs in eum intuentium oculi vibrarentur, cunctis apparuit, suo deuotissimo antistiti, auxilia donaturus, qui sua dextera, Siluani venerandi capiens dexteram, his, qui eundem captum tenebant antistitem, voce terribili, vt eundem dimitterent, imperauit. Antequam vox finiretur, omnes velut mortui in terram ceciderunt. Cumq. mulier ab immundo spiritu agitata ad Ecclesiam duceretur, glorioſus Hieronymus, nefande, inquit, spiritus exi ab hac famula Dei, & tuas detege, quas erga Siluanũ egisti, fallacias in Siluani forma omnib⁹ te demõstrans. Quod ita fecit, vt ab omnibus Siluanus archiepiscopus putaretur, & rem quam facerat, vt infamem redderet Dei famulum, enarrauit. His dictis diris clamoribus de templo disparuit. Quod vbi tam mirabile negotium

7

8

tium est peractum, gloriosus Hieronymus, antistitis sui dexteram non relinquens, Quid opras, inquit voce leui, Siluane charissime tibi placitum me facturum? At ille Domine, vt me hic amplius non relinquas. Ad quem Hieronymus correspodit. Quod postulas, ita fiat, Post me velociter ergo veni. Hæc dicens cunctorum visui se negauit. interuallo autem horæ vnius facto, Siluanus archiepiscopus expirauit. Fit cunctis stupor vndiq. virorum, & mulierum confluit multitudo, lamentationes, & suspiria resonant, quilibet se reum eo quod in Siluanum commisisset, veniam petens clamabat. Mane facto, corpus ad Nazareth Ecclesiã deportatur, tam istius ciuitatis, quàm Bethlehem populi multitudine comitatum: vbi corpus illud venerandum humauimus, vt decebat. Postquam multa Hieronymi miracula relata sunt, in fine totius epistolæ dicit. In ipso præsepij Dominici ingressu beatus Hieronymus saxum scalpendo, monumentum sibi fieri iussit. Tanta vero idem corporis lassitudine fatigatus est, vt etiam instratu suo iacens, funiculo ad trabem suspenso, supinisq. manibus apprehenso erigeretur, vt officium monasterij, pro vt poterat, exhiberet, transeunteq. in squalore corporis, vocisq. tenuitate dies plurimi fluerent.

9 IDEM exponens verba illa; Multi cibi in- Lib. 2. in ca. 23. Pro. to7. noualibus patrum, & alijs congregantur absq; iudicio, inquit. Multi sunt cibi alimoniæ cælestis in dictis, & exemplis venerabilium patrũ. Et absque ratione facit, qui his legendis meditandis, & exponendis instans, non suæ saluti per hoc, sed aliorum potius seruit, dum ipse ab his, quæ legit, actibus reprobis discrepat. Talis namq. in noualibus, id est, operibus, siue sermonibus patrum optima institutione exculti, non sibi, sed alijs subsidium acquirit. Iustus comedit, & replet animam suam, venter autẽ impiorum insaturabilis. Iustus percipit cibos sapiẽtiæ, qui noualibus patrũ, hoc est in operibus, ac verbis præcedentium iustorum probãtur exorti: & hos ad profectum animæ suæ bene viuendo traijcit. Venter autem impiorum id est, capacitas sensus insaturabilis: quia sicut 2. Tim. 3. Apostolus ait: Semper discentes, numquam ad veritatis scientiam peruenientes.

10 AMBROSIVS martyrium sanctę Agne- Libro 1. de virgin. ad Marcel. sorore suã. c 1. tis magnificiens ait: Natalis est sanctæ Agnetis, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Fuit deuotio supra ætatem, virtus supra naturam. Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimoniũ inuenit ætate. Istius ætatis puellæ toruos etiã vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus, hæc stridentium grauibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata, vel si ad aras inuita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacri- legis focis tropheum Domini signare victoris, nũc ferratis colla, manusq; ambas inserere nexibus, nouum martyrij genus, nondum idonea pœnæ, & iam matura victorię, magisteriũ virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum; læta successu, gradu festina virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari pleriq; quòd tam facile vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupure vniuersi, quod iã diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Quanto terrore egit carnifex, vt timeretur, quantis blanditijs, vt suaderet, quantorum vota, vt sibi ad nuptias proueniret. At illa, qui me sibi prior elegit, accipiet: quid percussior moraris? pereat corpus, quod amari potest oculis, quibus nolo. Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cernere res trepidare carnificem, tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cum puella non timeret suo.

11 IDEM sic habet; Agens de Theodosij clementia si magnum est misericordem, aut fidelem quemcumque hominem inuenire, quanto magis Imperatorem, quem potestas ad vlciscendum impellat, sed reuocet tamen ab vltione miseratio? Quid prestantius fide Imperatoris, quem non extollat potentia, superbia non erigat, sed pietas inclinet? De quo Salomon præclare ait: Iniqui regis imitatio similis rugitui leonis; Sicut autem ros in herba, sic hilaritas eius. Quantum igitur est deponere terrorem potentiæ, præferre suauitatem gratiæ? Beneficium se putabat accepisse Augustæ memoriæ Theodosius, cum rogaretur ignoscere: & tunc propior erat veniæ, cum fuisset commotio maior iracundiæ: prærogatiua ignoscẽdi erat, indignatum fuisse: & optabatur in eo, quod in alijs timebatur, vt irasceretur. Hoc erat remedium reorũ, quoniam cum haberet supra omnes potestatem, quasi parens expostulare malebat, quàm quasi iudex punire. Prou. 20.

12 Infra: Dilexi virum misericordem, humilem imperio, corde puro, & pectore mansueto prẽditum. Qualem dominus amare consueuit, Isa. 66. dicens. Supra quem requiescã, nisi supra humilem, & mansuetum? Dilexi virum, qui magis arguentem, quàm adulantem probaret; erubescunt, non erubuit Imperator publice agere pœnitentiam, neq; vllus postea dies fuit, quo non illum doleret errorem. Quid quod præclaram adeptus victoriam? tamen, quia hostes in acie strati sunt abstinuit a consortio sacramentorum. Dilexi virum, qui cum iam corpore solueretur, magis de statu Ecclesiarum, quàm de suis periculis angebatur. Conteror corde, quia ereptus est vir, quem vix possumus inuenire. Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, vt eum in filijs repre-

repręsentes. Illo conuertatur anima eius vnde descendit; vbi agnoscat mortem hanc non hominis finem esse, sed culpæ. Quod enim mortuus est, peccato mortuus est, vt iam peccato locus esse non possit.

13 IDEM postquam enarrauit fortitudinem Lib. 2. de Iacob, & vita beata. c. 11. no. 1. ac constantiam sanctæ feminæ Machabææ in occisione sex priorum filiorum exhortans septimum ad perferenda tormenta ijs verbis, quæ in libro machabeorum referuntur ait: Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus, sextum iam diem clausi, & omnium opera bona valde. Debes mihi fili, vt quæ in illis sex laboraui, in te requiescam septimo, tamquam a sæculi operibus iam feriata. Quàm bonus fidei partus, quàm tutus portus iste pietatis, quàm splendida lucerna Ecclesiæ septeno fulgens lumine, & octauo vtero cunctis luminibus oleum subministrãs, in lege nutriti, per gratiã coronati. Recurrunt in memoriam sermones sanctæ feminę dicentis ad filios. Ego vos genui, ego vobis succum lactis infudi. Nolite nobilitatem vestram perdere. Sic aliæ matres reuocare a martyrio solent filios, non vocare. At ista maternum in hoc ponebat affectum, si filijs vitam magis perpetuam, quàm temporalem persuaderet. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui super mortuos aduoluebãtur, corpora super corpora volutabantur, capita super capita secabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lauit vulnera, non oculos cuiusquam presit, sciens gloriosiores esse, si euiscerati, & concreti pariter puluere, & sanguine viderentur, quales solent de bello redire victores. Non sic luna inter stellas refulget, vt inter filios mater, & cum eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat, & cum amplexata victores in medio filiorum iaceret. O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragrantior! O vera valida charitas sicut mors dura! Nulla tantarum diluuia passionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatũ. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis spatijs innocua ferebatur, ita & tu aduersus fluctus tã grauium passionum pietate immobilis restitisti.

14 AVGVSTINVS inquit: Vt in palmite Lib. 6. de bapt. contra Donatistas. no. 7. fructuoso inuenitur aliquid, quod purgandum sit, vt maiorem fructum ferat, ita & in arundine sterili, atque arida, vel alligata solet vua pendere. Et ideo sicut stultum est fructiferi palmitis purgamenta diligere, commode autem facit, qui poma suauia vbicumq. suspensa non respuit, ita nec ea sectanda sunt, quæ non bona in sancto viro apparent.

15 IDEM exponens verba illa; In populo Cassio. in Ps. 34. to. 8. graui laudabo te sic habet; In Ecclesia, quę toto orbe terrarum diffusa est, palea est, & frumentum. Palea volat, frumentum manet, ideo in populo graui laudabo te. In graui populo, quem ventus tentationis non aufert, in his Deus laudatur. In palea blasphematur semper. Quando palea nostra attenditur, dicitur. Ecce quomodo viuunt Christiani. Et fit quod scriptum est. Quoniam nomen meum per vos blasphematur in gentibus. Inique inuide aream inspicis, non tibi facile grana occurunt, quære & inuenies populum grauem, in quo Dominum laudes, vis inuenire? Esto talis nam, si non fueris talis, difficile est, vt non omnes tales tibi videantur, qualis es. Rom. 2.

IDEM explicans verba illa; Circundate 16 Sion & complectimini eam, inquit: Dicat eis, In Psal. 47. qui male viuunt, in quorum medio est populus ille, qui suscepit misericordiam Dei, in medio vestrum est populus bene viuens, circunda te Sion. Complectimini eam. Nolite scandalis circundare, sed charitate circundate, vt qui bene viuunt in medio vestrum eos imitemini, & eorum imitatione Christũ, cuius mẽbra sunt, in corpore complectimini.

IDEM explicans illa verba; Sagittæ po- 17 tentis acutæ cum carbonibus desolatorijs, in- In Psa. 119 quit: Parum est verbis agere contra linguam dolosam, & labia inquia. Exemplis agendum est. Exempla sunt carbones vastatores, quia illis desolatur in homine cogitatio terrena, & abijcitur. Erant in illo multa, quę male fronduerant, multæ carnales cogitationes, fæculares multi amores. Ipsi vruntur carbonibus vastatorijs, vt fiat purus locus desolatus, in cuius loci puritate faciat Deus ædificium suum, quia facta erat ibi ruina diaboli, & ædificatur ibi Christus. Accedunt carbones desolatorij, & deijciunt, quod male fuerat ædificatum, & desolato loco accedit instructor felicitatis perpetuæ. Videte ergo quare dicti sunt carbones? Quia qui se conuertunt, ad Dominum de mortuis reuiuiscunt. Carbones autem, quando accenduntur, antequam accenderentur extincti erant. Nam extincti carbones mortui dicuntur, ardentes viui appellantur. Exempla ergo multorum iniquorum, qui conuersi sunt ad Dominm carbones dicti sunt. Audis homines mirari, & dicere. Ego illum noui quàm ebriosus fuit, quia sceleratus, qualis fraudator modo quomodo Deo seruit, quàm innocens factus est? Noli mirari, carbo est. Viuum gaudes, quem extinctum plangebas. Sed quando laudas viuum, si nosti laudare, adhibe illum mortuo, vt accẽdatur: Id est, quicũque adhuc piger est, sequi Dñm, admoue illi carbonẽ, qui fuerat extinctus qui iam ardet: & habeto sagittam verbi Dei, & carbonem vastatorem, vt occuras labijs iniquis, & linguæ dolosæ.

GREGORIVS dicit; Scriptura sacra 18 mentis oculis quasi quoddam speculum oppo- Lib. 2. Mor. cap. 1. to. 2. nitur: vt interna facies nostra in ipsa videatur. Ibi fœda, ibi pulchra nostra cognoscimus. Narrat autem gesta sanctorum, & ad imitationem corda prouocat infirmorum. Dumq. illorum victricia facta commemorat, cõtra vitiorum prœlia, debilia nostra cõfirmat, fitq. verbis illius, vt eo mens minus inter certamina trepidet, quo ante se positos tot virorum fortium triumphos videt. Nonnumquam vero non solum eorum virtutes, sed etiam casus

innotescit, vt & in victoria fortium, quid imitando arripere, & rursus videamus In lapsibus, quid debeamus timere. Ecce enim Iob describitur tentatione auctus, sed Dauid tentatione prostratus. Vt & maiorũ virtus spem nostram foueat, & maiorum casus ad cautelam nos humilitatis accingat, quatenus dum illa gaudentes subleuant, ista metuentes premant.

19 Lib.20.Moral.cap.15. IDEM explicans verba illa Iob cap. 30. mandebant herbas, & arborum cortices, ait: Herbas mandere est leuia quædam ac tenera de antiquis patribus imitari. Arborum vero cortices edere, est eorum opera superficie tenus agere, sed intentionem rectam in eisdem operibus non tenere. Sunt enim nonnulli, qui dum præsentis mundi gloriam eiusdem mundi actionibus adipisci non possunt, speciem sanctitatis appetunt, habitum venerationis sumunt, imitatores antiquorum patrum videri concupiscunt, & quędam quidem parua, ac leuia peragunt, sed eorum fortia, & quæ ex solius charitatis radice prodeunt, imitari contemnunt. Hi videlicet herbas edunt, quia magna negligunt, & vilibus satiantur. Plerumque tamen etiam quædam quasi robustiora opera exercent, sed in eis intentionem rectam non tenent. Quibus profecto arborum cortices mandere est, exteriores electorum actus assumere, & intentionem bonam in bonis actibus non habere: quia imitari cor recte operantium negligunt, ex solis arborum corticibus replentur.

20 Lib.27.Moral. cap.5. IDEM exponens illa verba Iob cap. 36. Qui effundit imbres ad instar gurgitũ, qui de nubibus fluunt, inquit; Nubes viri sancti, & Apostoli sunt. Nubes enim desuper aerem prætexunt, si in cęlum oculos attolimus, non cælum, sed ipsas intuemur, nec visus noster ætherea plagas penetrat, quia ei illas ipsa sua infirmitas occultat, & cum de cælo sol rutilat, prius interfuso aere pascitur, vt post in cælo solis radios contempletur. Quia ergo carnales homines sumus, cum superna appetere nitimur, quasi in cælum oculos leuamus, & velut in cęlum aciem intendimus, quia presi vsu rerum corporalium, docere spiritalia conamur. Sed quia transire intellectus noster ad diuina non sinitur, nisi prius per sanctorum præcedentium exempla formetur, quasi iam cælum noster oculus suspicit, sed nubes videt, quia comprehendere ea, quæ Dei sunt appetit, sed vix mirari ea, quæ hominibus collata sunt, potest. Vnde alias dicitur: Illuminans tu mirabiliter a montibus æternis. Qui enim orientem solem contemplari non valet, irradiatos montes aspicit, & quia sol ortus sit deprehendit. Ex æternis ergo montibus nos Deus illuminat, quia per admiratam vitam patrum præcedentium, radio nos suę claritatis illustrat. Ecce cum præceptis cælestibus subdi per obedientiam cupimus, consideratis antiquorum patrum vestigijs iuuamur. Admirantes obedientiam Abrahæ, patientiam Isaac, labores Iacob, castitatem Ioseph, mansuetudinem Moysi, constantiam Iosue, benignitatem Samuelis, misericordiam Dauid. Quia ergo in cunctis, quæ spiritaliter appetimus, exemplis præcedentibus informamur, bene de his nubibus dicitur, quæ prætexunt cuncta desuper. More enim nubium extensa super nos patrum vita tegimur, vt ad fructum fœcundi germinis infundamur. Et quasi intuentes cælum prius nubes aspicimus, quia ante bonorum facta admirando cernimus, & post illa, quæ sunt cælestia experiendo pene tramus.

Psal.75. Gen.12. Gen.22. Gen.27. Gen.39. Exo.32. Iosue 10. 1.Reg.16.

21 Lib.1.Dial. IDEM; Fleuerat Gregorius, quod ad culmen summi præsulatus venerat relicta cella, & ait postea. Nonnumquam vero ad augmẽtum mei doloris adiungitur, quòd quorundam vita, qui præsens sæculum tota mente reliquerunt, mihi ad memoriam reuocatur. Quorum dum culmen aspicio, quantum ipse in infimis iaceam agnosco. De re hac plura diximus libro 5. cap. vltimo.

Sancti sunt Deo chari, cuius bonum sicut & proximi zelant, & optant sunt q. in bono firmi, & si in varijs sint gradibus, nobisq. vtiles in cælo. Cap. VII.

1 Hom.11.in c.20. Leuit. to.1. ORIGENES exponens verba illa; Sancti estote sicut ego sanctus sum, Dominus Deus vester, ait: In quibus nimirum in sacris litteris non solum homines, sed & bruta animalia sancta appellata, inuenimus, & vasa ministerij sancta vocitata, & vestimenta sancta dici, & loca, quæ in vrbibus posita sunt, & sacerdotibus deputata. Ex mutis quidã animalibus primogenita boũ, vel pecorũ sanctificari per legẽ Domino iubẽtur, & dicitur: Ne facias in eis opus vllum, quia Domino sanctificata sunt. Super vasis vero, cum in tabernaculo testimonij vasa ministerij thuribula, vel phialæ &c. sancta appellantur. Super vestimentis etiam stola Pontificis Aaron, & tunica linea, & cetera huiusmodi sancta dicuntur. Si ergo intueamur, quo sensu hæc omnia sancta vocata sunt, aduertemus quomodo etiam nos dare operam debeamus, vt sancti esse possimus. Natus est mihi primogenitus bos, non mihi licet occupare eum ad opus commune, est enim Domino consecratus, & ideo dicitur sanctus. Intelligimus ergo ex hoc muto animali, quomodo lex, quod sanctum vult esse, nulli alij id seruire iubet, nisi Domino soli. Iterum pateræ, vel phialæ, quas dicit sanctas, illę sunt, quæ numquam iubentur exire de templo, sed esse semper in sanctis, nec vllis penitus humanis vsibus ministrare, Similiter & vestimenta, quæ sancta nominantur, non iubentur intra domum vsui deseruire Pontificis, sed in templo esse, & inde omnino numquum efferri. Sed ad hoc tantum consecrata esse, vt eis Deo ministrans Pontifex induatur, & sint semper in templo. Ad ceteros vero

vero vsus communes, vtitur communibus vestimentis. Similiter & patheris, ac phialis his, quæ sancta appellantur, ad humanos, & communes vsus vti non licet, sed tantum ad diuina ministeria. Quod si intellexisti quomodo vel animal, vel vas, vel vestimentum sanctum appelatur, consequenter intellige, quòd his obseruationibus, & legibus etiam homo, sanctus appelletur. Si quis enim se ipsum deuouerit Deo, si quis nullis se negotijs sæcularibus implicauerit, vt ei placeat, cui se probauit: si quis separatus est, & segregatus a reliquis hominibus carnaliter viuentibus, & mundanis negotijs obligatis, non quærens ea, quæ super terram, sed quæ in cælis sunt: iste merito sanctus appellatur. Donec enim permixtus est turbis, & in multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat soli Deo, neque segregatus a vulgo est, non potest esse sanctus. Cum ergo audis: Sancti estote, sapienter intellige, quæ dicuntur, vt sis beatus cum feceris ea. Hoc est enim, quod dicitur tibi; Separa te ab omni non solum homine, sed etiam fratre inquiete ambulante, & non secundum traditiones Apostolicas. Separamini etenim, qui portatis, inquit, vasa Domini, & exite de medio eorum, dicit Dominus. Separa te a terrenis actibus, separa te a concupiscentia mundi, omne enim, quod in mundo est, secundum Apostolum concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum quæ non est a Deo. Cum ergo separaueris te ab his omnibus, deuoue te Deo tamquam primogenitum vitulum, non operetur per te peccatum, nec iugum tibi imponat malitia, sed esto semotus, & segregatus vsibus tantum sacerdotalibus, tamquam primogenitum animal mancipatus. Segrega te tamquam phialæ sanctæ, & sancta thuribula solius templi vsibus, & Dei ministerio vacans. Separa te & semoue ab omni pollutione peccati, & esto segregatus intra templum Dei tamquam sancta indumenta Pontificis. In templo namque Dei est segregatus ille, qui in lege Dei meditatur die ac nocte, & qui in mandatis eius cupit nimis. Sancti ergo estote, dicit Dominus; quia & ego sanctus sum. Quid est, quia & ego sanctus sum? Sicut ego, inquit, segregatus sum, & longe separatus ab omnibus, quæ adorantur, & colũtur, siue in cælo, siue in terra; sicut ego excedo omnem creaturam, atque ab vniuersis, quæ a me facta sunt segregor, ita & vos segregati estote ab omnibus, qui non sunt sancti, nec Deo dicati. Segregari autem dicimus, non locis sed actibus, nec regionibus, sed conuersationibus, vt quasi extra terram sitis, & mundum.

3 Hom.14.in 1.Pauli ad Rom.to.4. CHRYSOSTOMVS dicit: Quid est, quod pro nobis Deus nõ effecerit, corruptibilẽ mũdũ propter nos, vexari propter nos, & affligi prophetas voluit, misit in captiuitatẽ propter nos, in fornacẽ incidere propter nos sinit, infinitaq. tolerare mala, & prophetas propter nos ipsos fecit, & Apostolos propter nos, vnigenitum propter nos dedit, diabolum propter nos punit; probris est affectus propter nos. Probra enim, inquit, eorum, qui te probris afficiunt, super me deciderunt. Sed tamen post tot tantaque nos vel a se deficientes non dimittit, sed & hortatur rursus, & alios componit, vt pro nobis obsecrent, vt nobis gratificetur, quod & in Moyse effectũ est. Etenim illi dicit; Dimitte me, delebo eos, vt illum adducat ad susciendam pro illis supplicationem. Et Hieremiæ dixit; Ne ores pro populo hoc, nam non exaudiam te; non quod eum a precibus cessare, salutem enim nostram magnopere desiderat, sed vt illos terreret. Quod quidem propheta cum intelligeret, a precibus non cessauit. Postquam morbo incurabili laborauit populus in eo perseuerans, primum quidem admonet ibi manere; vt vero nõ sustinuerunt, sed in Ægyptum transfugerẽ, hoc quidem concesit, postulat autem ab ipsis, vt ne vna cum Ægypto & ad impietatẽ quoquè transeanti; quod vbi non sunt persuasi, prophetã vna cum illis mittit, vt ne omnino de cetero impingant: quando quidem enim illi ita vocantem non sequerentur, ipse illos sequitur corrigens, ac prohibens vlterius in vitium ferri. Quo sane nomine non in Ægyptum solum Hieremiam, sed & Babylonem Ezechiel misit. Hi autem non contradixerunt. Nam posteaquam Dominum suum viderent illos magnopere amare, & ipsi quoque amorem eũdem susceperunt, in eoq. perseuerarunt. Haud aliter, quam si filium familias inutilem probus seruus misereatur, dum patrem illius causa se se attristantem, atque affligentem videt. Quid enim est, quod prophetæ ijdem propter illos non tolerauere? Secti, opprobrijs affecti, lapidati sunt, infinita perpesi mala: ac post hęc tamen omnia ad illos currebant rursus. Nam Samuel non intermisit a lugendo Saule, a quo quamquam tam male haberetur, vt mala etiã toleraret incuranda, tamen nullius malorum eiusmodi memor fuit. Indæorum autem populo & lamentationes scriptas Hieremias composuit. Cui cum magister militiæ Persarum permitteret, omni cum securitate, ac libertate vbi vellet habitare populi molestiam, tum autem aliena in regione afflictionem domesticæ mansioni antiquiore habuit. Eadem rarione & Moyses regiã, & quam in ea moram facere poterat contemnens, ad illorum calamitates aduolauit. Et Daniel item dies viginti sex nullo cibo sumpto mansit, grauissimo ieiunio macerans, vt Deum illis conciliaret. Præterea & pueri tres in fornace Deo obtulerunt, tantoq. igni dum essent supplicationem tamen pro illis. Non enim pro se illi dolebant, qui salui essent ipsi, sed qnòd tunc maximam in Deum fiduciam habebant, propterea pro illis supplicabant hac de causa, & dicebant. In anima contrita, & spiritu humilitatis suscipiamur. Propter hoc, & Iosue vestimenta sua scidit. Propter hoc, & Ezechiel lamentatabatur querebaturq. trucidatos intuitus. Et Hieremias dicebat: Sinite me amare flebo. Et antea, quoniam aperte pro malorum

Probra enim, inquit, eorum, qui te probris afficiunt, super me deciderunt. Sed tamen post tot tantaque nos vel a se deficientes non dimittit, sed & hortatur rursus, & alios componit, vt pro nobis obsecrent, vt nobis gratificetur, quod & in Moyse effectũ est. Etenim illi dicit; Dimitte me, delebo eos, vt illum adducat ad susciendam pro illis supplicationem. Et Hieremiæ dixit; Ne ores pro populo hoc, nam non exaudiam te; non quod eum a precibus cessare, salutem enim nostram magnopere desiderat, sed vt illos terreret. Quod quidem propheta cum intelligeret, a precibus non cessauit. Postquam morbo incurabili laborauit populus in eo perseuerans, primum quidem admonet ibi manere; vt vero nõ sustinuerunt, sed in Ægyptum transfugerẽ, hoc quidem concesit, postulat autem ab ipsis, vt ne vna cum Ægypto & ad impietatẽ quoquè transeanti; quod vbi non sunt persuasi, prophetã vna cum illis mittit, vt ne omnino de cetero impingant: quando quidem enim illi ita vocantem non sequerentur, ipse illos sequitur corrigens, ac prohibens vlterius in vitium ferri. Quo sane nomine non in Ægyptum solum Hieremiam, sed & Babylonem Ezechiel misit. Hi autem non contradixerunt. Nam posteaquam Dominum suum viderent illos magnopere amare, & ipsi quoque amorem eũdem susceperunt, in eoq. perseuerarunt. Haud aliter, quam si filium familias inutilem probus seruus misereatur, dum patrem illius causa se se attristantem, atque affligentem videt. Quid enim est, quod prophetæ ijdem propter illos non tolerauere? Secti, opprobrijs affecti, lapidati sunt, infinita perpesi mala: ac post hęc tamen omnia ad illos currebant rursus. Nam Samuel non intermisit a lugendo Saule, a quo quamquam tam male haberetur, vt mala etiã toleraret incuranda, tamen nullius malorum eiusmodi memor fuit. Indæorum autem populo & lamentationes scriptas Hieremias composuit. Cui cum magister militiæ Persarum permitteret, omni cum securitate, ac libertate vbi vellet habitare populi molestiam, tum autem aliena in regione afflictionem domesticæ mansioni antiquiore habuit. Eadem rarione & Moyses regiã, & quam in ea moram facere poterat contemnens, ad illorum calamitates aduolauit. Et Daniel item dies viginti sex nullo cibo sumpto mansit, grauissimo ieiunio macerans, vt Deum illis conciliaret. Præterea & pueri tres in fornace Deo obtulerunt, tantoq. igni dum essent supplicationem tamen pro illis. Non enim pro se illi dolebant, qui salui essent ipsi, sed qnòd tunc maximam in Deum fiduciam habebant, propterea pro illis supplicabant hac de causa, & dicebant. In anima contrita, & spiritu humilitatis suscipiamur. Propter hoc, & Iosue vestimenta sua scidit. Propter hoc, & Ezechiel lamentatabatur querebaturq. trucidatos intuitus. Et Hieremias dicebat: Sinite me amare flebo. Et antea, quoniam aperte pro malorum

Psal.38. Exo.32. Hiere.11. Heb.11. 1.Reg.15. 4 Exo.2. Dan.9. Dan.3. Ibid. Ioſue 7. Ezec.26. Hiere.22.

condonatione obsecrare non audebat, terminum quærebat, dicens: Quousque Domine. Est enim sanctorum genus omne beneuolum, propensoq. erga alios affectu. Propterea & Paulus dicebat; Induimini, sicut electi Dei sancti, & dilecti, viscera misericordiæ. Vides exactam verbi vsurpationem, vtq. perpetuo a nobis misericordiam postulet. Neque enim simpliciter dixit misereamini, sed induimini, videlicet, vt quemadmodum vestis vna nobis cum semper esse solet, ita sit & misericordia. Neque vero simpliciter misericordiam dixit, sed misericordię viscera, nimirum, vt naturalem imitemur pietatem, atque necessitudinem.

Coloss. 3.

5 In epist. ad Pamac. pro lib. suis aduersus Iouinian to. 2.

HIERONYMVS ait: Diuersa sunt dona Christi, Vnde Ioseph in typo eius variam habebat tunicam. Et in Psalmo 44. legimus; Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate. Et Petrus Apostolus, sicut coheredes, ait, multiformis gratiæ Dei, quod significantius græce dicitur, Varię. Porro si Ioseph in typo Domini accipitur, tunica eius varia, atque distincta in virginibus, viduis, continentibus, ac maritatis est, Et ipsam reginam, hoc est, Ecclesiam Saluatoris in vestitu deaurato, eadem varietate circundatam diximus. Infra. Virginitatem frumentũ, nuptias hordeum nuncupamus. Verum in Euangelio maior turba hordeaceis panibus, minor frumentaceis pascitur. Aurum virginitatem, argentum nuptias diximus. Sed homines, & iumenta saluat Dominus. Centum quadraginta quattuor millia virginum signatorũ, qui cum mulieribus non sunt coiquinati, in his ostendimus omnes, qui virgines non permanserint, ad comparationem purissimæ, & angelicæ castitatis, & ipsius Domini Iesu, esse pollutos. Vnde a continentię persuasione incipiens Apostolus, ad incontinentiæ remedia descendit. Et cum brauium supernæ vocationis fortibus demonstrasset, deficere tamen in via neminem passus est, ita plaudens prioribus, vt non despiceret sequentes. Immo Ambrosius in libro de viduis ait: Iesus panem hordeaceũ, ne in via deficerent, alijs corpus suum, vt ad regnum tenderent, demonstrauit. Coniugium hordeo, virginitatem corpori Christi comparat. Animalia, quæ in arca Noe referuntur ingressa, bina, & bina immunda sunt, munda autem, quæ in numero impari introierunt. In exordio creationis diem secundum commemorans Moyses non dixit, vidit Deus, quod esset bonum, vt virginitatem, & vnitatem præponeret coniugio.

Psal. 35. *Apoc. 14.*

6 In ep. Fabi. de quadraginta duabus mansionibus to. 3.

IDEM exponens quintamdecimam mansionẽ, ait: Et profecti de Hazerot, castrametati sunt in Rithma. Rithma transfertur iuniperus, De quo scriptum est in primo graduum Psalmo: Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad linguam dolosam? Et propheta respondet. Sagittæ potentis acutæ cum carbonibus iuniperorum, pro quo nos legimus desolatorijs. Fertur autem lignum hoc ignem multo tempore conseruare, ita vt si prunæ ex eius cinere fuerint opertę, vsq; ad annũ perueniãt. Ex quo discimus post sepulchra concupiscentiæ trãsire nos ad lignũ, quod multo tempore calorem tenet, vt simus feruentes spiritu,

Num. 33. *Psal. 119.*

7 Lib. 11. in c. 37. Isa. to. 4.

IDEM explicans verba illa; Protegam ciuitatem istam, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum, inquit. Pollicetur Deus Ezechiæ, Assyriũ recessurum, nec leuaturum contra Hierusalem clypeum: & liberandam ciuitatem obsidione præsenti. Et ad extremum infert: Propter me, & propter Dauid seruum meum, illud significans, quod non merito suo, sed Dei clementia conseruentur. Immo patris eorum Dauid memoria. In quo admonentur, & suæ negligentiæ, & illius fidei, atque iustitiæ, quod in tantum iustitiam diligat Deus, vt etiam posteros sanctorum hominũ, nõ suo merito, sed maiorũ virtute tueatur,

8 Lib. 12. in c. 41. Ezec. 4.

IDEM explicans verba illa; Et erat similitudo palmarum hinc, atque inde, dicit: Eleganter in interioribus templi, & in sanctis sanctorum non posuit dexteram, & sinistram, ne quid sinistrum in his, quæ magna sunt, & arcana dicere videretur, sed hinc, atq; inde, iuxta illud, quod in Euãgelio scriptum est: Qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram. Nunquid dicere non potuit, & sinistram? sed quando percutitur dextra, præbetur & altera dextra: quia in sancto viro vtrumq; dextrũ, vtrumque perfectum est.

9 Exp. in c. 1. Iob. to. 2.

IDEM exponẽs verba illa; Vir erat in terra Hus, dicit. Iob vir dicitur, sicut Elcana, qui interpretatur possessio Dei, pater sanctissimi Samuel prophetæ vir vnus appellatur, non enim perdiuersa mobilis, atq; instabilis fereba tur, sed firmus atque inconcussus persistens, vir vnus erat, & idcirco in monte Ephraim fructifero morabatur, in alta scilicet contemplatione virtutum, vt a nullis subiacentibus, & circũ latrantibus vitiorum agitationibus, mentis eius sublimitas dejceretur, vel vnitas scinderetur. Proinde vir hic magnus Iob in terra Hus habitasse peribetur, quæ consiliatrix interpretatur, Non enim terra carnis eius animum ipsius superabat, sed imperantis animi cõsilio cuncta faciebat: vnde & ipse ait: Pepigi fœdus cũ oculis meis, vt ne cogitarem de virgine. Hoc ergo consilium, & pactum quondam inuicem inierunt homo eius interior, & exterior, vt terra, ideſt, caro eius, obediendo fieret consiliatrix spiritui, ne in ea dominaretur iniquitas.

Iob 31.

10 In c. 38. Iob *Psal. 18.*

IDEM explicans verba illa; Quis enarrabit cælorum rationem? ait. Sancti cælorum nomine crebro dicuntur. De quibus propheta ait: Cæli enarrant gloriam Dei. Horum igitur donationũ, quas habẽt secundum Dei gratiam differentes, quis poterit narrare rationẽ? Præmiserat: Quis posuit in visceribus hominum sapiẽtiam? Dicamus de varietate morũ, siue meritorum velut vestium vero Salomoni ministrantium, quod per figuram regina Saba dixit Salomoni, cum admiratione laudans sapientiam eius, & domum, cibos, habitacula, & seruorum ordinationem, vestes, & ministros, & holocausta, quæ offerebant in domo Domini. Hnac officiorum varietatem cõtextam esse per diuersas in toto mundo Ecclesias, per quas alibi coniugati, alibi continentes, alibi virgines, hi per eleemosynas, illi per alienationem omnium facultatum, illi per crucem, & mortificationem terrenarum cupiditatum, illi per scientiam Scripturarum multiplicibus sancti Spiritus gratijs, velut diuersis coloribus Christi corpus exornant, sibiq. æternæ gloriæ, & immortalitatis vestimenta conficiunt. Huiusmodi vestimenta istę spirituales mulieres operantur, ideſt, sanctæ animæ.

3. Reg. 10.

11 Lib. 2. in c. 4. epist. Paul. ad Galat. to. 9. *Num. 25. 3. Reg. 19.*

IDEM exponens illa verba; Bonum autẽ æmulamini in bono semper, narrat zelum Phinees, Eliæ, Mathathiæ, & Apostoli Iudæ, qui ob insignem zeli in se virtutem etiam zelotis nomen accepit. Infra: Zelus Pauli explicatur, cum ait: Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Quantis difficultatibus, & dolore fœtus promantur ex vtero, maledictio prima declarat, dicens: In dolore paries filios. Volens igitur Paulus ostẽdere magistrorum pro discipulis sollicitudinẽ, quos patiantur affectus, ne sectatores sui excidant a salute, ait: Filioli mei, quos iterum parturio. Qui enim in alio loco, quasi pater dixerat: Si decem millia pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres, iam nõ quasi pater, sed vt mater loquitur in Christo, vt vtriusque anxietatem, & pietatem in se parentis agnoscant. Tale quid & Moyses de populo loquebatur. Numquid ego in vtero accepi omnem populum istum? Quis putas nostrum ita de discipulorum anxius est salute, vt non paucis horis, aut vt multùm biduo, triduove, sed toto vitæ suæ tempore torqueatur, donec Christus formetur in eis? Sed & illud est intuẽdum, quod qui per peccatum quodammodo homo esse desierat, per pœnitentiam concipitur a magistro, & rursum in eo Christi formatio repromittitur.

Gen. 3. *Gal. 4.* *1. Cor. 4.* *Num. 11.*

12 Lib. de vidu. to. 4. *Luc. 4.*

AMBROSIVS explicans verba illa; Socrus Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam imperauit febri, & dimisit illam, dicit. Et tu habes proximos, qui Deo pro te supplicent. Habes Apostolos proximos, habes martyres proximos si deuotione eis appropinques. Ama propinquitatem Petri, affinitatẽ Andreæ, vt pro te rogent, & recedãt cupiditates tuæ verbo Dei pulsæ. Ergo rogauerunt pro vidua Petrus, & Andreas. Vtinam existat aliquis, qui tam cito possit rogare pro nobis, vel certe iste, qui pro socru rogat, Petrus, & Andreas frater eius. Tunc enim pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis, & pro omnibus impetrare. Ægri, nisi ad eos aliorum precibus medicus fuerit inuitatus, pro se rogare non possunt. Ad medici illius sedem debile non potest explicare vestigium, obsecrandi sunt Angeli pro nobis, qui nobis ad præsidium dati sunt, martyres obsecrandi, quorum videmur nobis quoddam corporis pignore patrocinium vendicare. Possunt pro peccatis rogare nostris, qui proprio sanguine, etiã si qua habuerunt peccata, lauerunt. Non erubescamus eos intercessores nostræ infirmitatis adhibere, quia ipsi infirmitatem corporis etiam, cum viuerent, cognouerunt.

13 Lib. vnic. de Noe, & arca. c. 7. to. 1.

IDEM comparat arcam Noe ad arcam testamenti, & ait. In Exodo deauratur foris, & intus arca illa, sicut arca bitumine intus, & foris linita fuit a Noe. Arca teſlamẽti in sanctis est. Sicut. n. prętiosius aurum bitumine, ita illa, quę in sanctis est, arca, quàm ista præstãtior. Deniq; hic simpliciter ligna posuit, ibi autẽ ligna quidem, sed imputribilia comprehendit, declarãs merita sanctorum. Addidit etiam illic supportatoria immobilia esse, quod sanctorum statio stabilis, & firma sit, quia vitę probabilis tramitẽ virtutis ductu secuti sunt, corruptelæ declinantes consortia. Hæc autem arca, vtpote in diluuio huc, atq; illuc motu impellebatur incerto, eo quod peccatorũ status mobilis sit, & vitæ eorum quodam redundantiũ passionũ diluuio, corruptioni obnoxię, errore incõstãti vagẽtur.

14 Ser. 7. in Ps. 117. to. 2.

IDEM explicãs verba illa; Defectio, seu pusillanimitas, vt ipse habet, detinuit me pro peccatoribus derelinquentibus legẽ tuam, dicit. Non est hoc cõmune cũ multis, nam plurimorum est contristari, siquã ab aliquo patiantur iniuriã. At vero qui fortior est, non propriam cõtumeliam dolet, sed aliena peccata, & in sua iniuria lapsum alterius ingemiscit. Exemplum accipe Apostolicũ. Paulus. n. in peccato flebat alieno, sicut ipse ait: Nam ex multa tribulatione, & angustia cordis scripsi vobis per multas lachrymas. Et cum ipse tristaretur, eos ipsos, quos arguebat, contristari nolebat. Deniq; addidit: Non vt cõtristemini, sed vt sciatis, quam charitatẽ habeo in vobis abundantius. Contristari enim volebat vsq; ad pœnitẽtiam lapsos, vt eorũ mœstitia gaudium fieret arguenti. Vnde ait: Si enim ego contristo vos, quis est, qui me lętificet, nisi qui cõtristatur ex me? Ideo talis Paulus, qui bene peritus in lege, aiebat: Pusillanimitas tenuit me a peccatoribus derelinquentibus legem tuã. Dolebat Dauid, non quia cõtemnebatur, sed qnia lex Dei relinquebatur, & eorum, qui hoc faciebant, damnum dolebat, quod perirent Deo. Sicut bonus pater in phrenesi constituti filij, cum ab eo maledicatur, verberetur, afficiatur iniurijs, non suã, sed ægroti deflet ęrumnã, & contumeliam dolet, non quòd sibi sit irrogata, sed quia per furorem quid faciat æger, ignorat; ita vir bonus, cũ videt peccatorem non reuereri, non honorare canos senioris, quo præsente faciat aliquid indignum, quasi moriturum dolet, quasi desperatum a medicis ingemiscit, & vt bonus medicus, primo monet, deinde etiam, si grauia patiatur, tamen tanquam ille ægrum, etsi cædatur, sustinet, etsi maledicatur, non derelinquit, & quidquid potest medicinæ adhibere, non denegat, nec tanquam contumacem deserit, sed tanquam bene de se meritum, omni studio sa-

2. Cor. 2.

nare contendit, exercens non ſolum artis peri-
tiam, ſed etiam mentis benignitatem. Ita iu-
ſtus, & cum contemnitur a peccatore, non auer
titur, & cum læditur, furoris illud putat eſ-
ſe, non improbitatis, magiſque vulneri eius
medicinam afferre deſiderat, & compatitur
& dolet, non propter ſe, ſed propter illum.
Hoc ergo dolet Dauid, & ideo dolet, quia
cum vnum membrum patitur, & cetera mem-
bra compatiuntur. Sed dices: quomodo dixit
Pſal. 57. ipſe Dauid: Lætabitur iuſtus, cum viderit vin-
dictam impiorum? Mihi videtur, quia lętetur,
quod ipſe euaſerit, non quia impij puniantur.

15 Serm. in Pſ. 118. IDEM explicans verba illa; Tabeſcere
me fecit zelus meus, quia obliti ſunt verba tua
inimici mei. Vel exquiſiuit me zelus domus
tuæ, quoniam inimici mei obliti ſunt verborũ
tuorum, inquit. Eſt zelus ad vitam, qualis fuit
in Phinees filio Eleazar, filij Aaron ſacerdo-
tis; qui ſedauit furorem Domini a filijs Iſrael,
in eo quod æmulatus eſt zelum Dei in populo,
& non conſummaui filios Iſrael in zelo meo,
ſicut dixi, ait Dominus: Ecce ego do ei teſta-
mentum pacis, & erit illi, & ſemini eius poſt
eum teſtamentum ſacerdotij ęternũ, quia æmu
latus eſt Deum ſuum. Arripuit enſem Phinees,
duos occidit interdicta ſibi conſuetudine copu
latos, redemit omnes, indignationem Domini
mitigauit. Zelum habere debet ſacerdos, qui
incorruptam ſeruare ſtudet Eccleſiæ caſtitatẽ.
Et ideo princeps ſacerdotum dicit: Zelus do-
mus tuæ deuorauit me. Bonus zelus, & vtilis
in ſacerdote præcipue, ne remiſſus ſit. Exqui-
ſiuit me zelus domus tuæ. Zelus Dei gratia eſt,
vita eſt. Zelum habuit Elias, & ideo ad cælum
3. Reg. 19. raptus eſt: Zelans, inquit, zelaui Dominum.
Zelum habuit Mathathias, qui aduerſus ſacri-
legia Antiochi excitauit Dei plebem. Zelum
qui habent, omnes ſibi inimicos putant, qui
ſunt hoſtes Dei, etiamſi patres, fratres, ſoro-
res. Omnibus dicit, ſicut Dauid: Inimici facti
ſunt mihi. Durus ſicut inferi zelus. Durus ze-
lus, quem vitę huius nulla vincit illecebra. Du-
rus ſicut inferi, per quem peccato morimur, vt
viuamus Deo. Angeli quoque ſine zelo nihil
ſunt, & ſubſtantiæ ſuæ amittunt pręrogatiuam,
niſi eam zeli ardore ſuſtentent. Denique in A-
pocalypſi Ioannis Dominus ad Angelum Lao-
diciæ dicit: Conſule tibi, vt emas a me aurum
igne probatum. Hic eſt Dei zelus. Et quid mi-
remur, ſi Angeli eum habent? Ipſe Deus Pa-
ter ait: Zelans zelabo Hieruſalem zelo magno.
Quia Deus magnus, ideo & zelus eius magnus
eſt. Zelo vindicatur Hieruſalem. Zelo Eccleſia
congregatur.

16 Lib. contra ſermonem Arianorum to. 6. AVGVSTINVS explicat locum Pauli
ad Epheſ. 4. Nolite contriſtare Spiritum ſan-
ctum Dei, hoc eſt, nolite nos contriſtare, qui ſe-
cundum Spiritum Dei contriſtamur ex vobis.
Charitate quippe cõtriſtabãtur ſancti, quã dif-
fundebat Spiritus ſanctus in cordibus eorũ, &
p hoc eos de malis fratrũ triſtes ipſe faciebat.

17 Conc. 2. in Pſ. 30. to. 8. IDEM explicans verba illa; Miſerere
mei Deus, quoniam tribulor: conturbatus eſt
in ira oculus meus, anima mea, & venter meus,
ait. Quærimus vnde ſit iſta tribulatio, quo-
niam liberatus paulo ante gaudere videba-
tur, facto ſpatio pedibus ſuis in latitudine cha-
ritatis. Vnde ergo eſt iſta triſtitia, niſi forte
ex illo, quod Dominus dicit: Quoniam abun- *Matt. 24.*
dauit iniquitas, refrigeſcet charitas multo-
rum? Primo enim commendata paucitate ſan
ctorum, tanquam miſsis retibus multiplicata
eſt Eccleſia, & capti ſunt innumerabiles, de
quibus prædictum erat: Annunciaui, & locu- *Pſal. 39.*
tus ſum, & multiplicati ſunt ſuper numerum.
Ex his multitudinibus, quomodo non tribule-
tur iſte de hac multitudine, quando videt ipſos
implere theatra, qui paulo ante Eccleſias im-
pleuerunt? Ipſos in nequitijs, qui paulo ante
in laudibus Dei? Ipſos blaſphemare Deum,
qui reſpondebant amen Deo? Infra: Quo-
niam defecit in dolore vita mea, & anni mei
in gemitibus. Dicit Apoſtolus: Nos viuimus, *1. Theſ. 3.*
ſi vos ſtatis in Domino. Quicumque perfe-
cti ſunt ex Enangelio, & gratia Dei, non hic vi-
uunt, niſi propter alios. Quia diſpenſatio eo-
rum alijs neceſſaria eſt, fit in eis, quod ait idem
Apoſtolus: Concupiſcentiam habens diſſolui, *Phil. 1.*
& eſſe cum Chriſto, multo magis optimum,
manere autem in carne neceſſarium propter
vos. Quando autem videt homo ex diſpenſa-
tione ſua, ex laboribus ſuis, ex prædicatione
ſua non proficere homines, infirmatur in pau-
pertate vita hominis. Vere mirabilis egeſtas,
& fames, quandoquidem eos, quos Domino lu-
cramur, quodammodo mãducat Eccleſia. Hoc
agit Eccleſia per ſanctos, eſurit, quos lucrari
vult, & quos lucrata fuerat aliquomodo man-
ducat. Cuius perſonam gerebat Petrus quan-
do ei de cælo ſubmiſſus eſt linteus plenus om-
nibus animalibus, in quibus Gentes figuraban-
tur. Præfigurabat Dominus Eccleſiam, quod
omnes Gentes erat tranſuoratura, & in corpus
ſuum conuerſura, & ait Petro: Occide, & man *Act. 10.*
duca. Prius occide, & poſt manduca. Occide,
quod ſunt, & fac, quod es. Cum ergo prædica-
tur Euangelium, & videt, qui prædicat, nõ pro-
ficere homines, quare non clamet, quoniam *Pſal. 30.*
defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemi
tibus? Infirmatus eſt in egeſtate vigor meus,
& oſſa mea conturbata ſunt. Anni noſtri iſti,
quos hic ducimus, in gemitibus ſunt. Vnde?
Quia abundauit iniquitas, refrigeſcet charitas *Matt. 24.*
multorum. In gemitibus, non in clamoris vo-
cibus. Quando videt ſanctus multos in peruer-
ſum ire, gemitus ſuos deuorat apud ſe, vt dicat:
Gemitus meus a te non eſt abſconditus. Etſi *Pſal. 37.*
abſconditus eſt ab hominibus, ſed non a te. Oſ-
ſa mea conturbata ſunt. Oſſa fortes intelligun-
tur Eccleſiæ, qui etſi non conturbantur perſe-
cutionibus alienorum, conturbantur tamen
iniquitatibus fratrum.

IDEM explicans illa verba; Myrrha, & 18 In Pſal. 44.
gutta, & caſia in veſtimentis tuis, a domibus e-
burneis, dicit. Odores boni a veſtimentis tuis.
Veſtimenta eius ſunt ſancti eius, quos ſibi ſicut
veſtes exhibet ſine macula, & ruga. Audi Pau-
lum

1. Cor. 2. lum dicentẽ: Chriſti bonus odor ſumus in om-
ni loco, & in his, qui ſalui fiunt, & in his, qui pe-
reunt. A domibus eburneis, ex quibus delecta-
uerunt te filiæ regum. Magnas domos, & ma-
gna tabernacula Dei, corda intellige ſanctorũ,
ipſoſq. reges regentes carnem, ſubiugantes ſi-
bi turbas humanarum affectionum, caſtigan-
tes corpus, & ſeruituti ſubijcientes, accipe,
quia inde delectauerunt eum filiæ regum.

19 In Pſal. 46. IDEM exponens illa verba; Deus ſedet
ſuper ſedem ſanctam ſuam, dicit. Para Deo lo-
cum in corde tuo: venit, & libenter ſedet. Ipſe
1. Cor. 1. certe eſt Dei virtus, & Dei ſapientia, anima
autem iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Si ergo anima
Sap. 7. tua ſit iuſta, eris regalis ſtella ſapientiæ. Et re-
vera, qui bene viuunt, & ſecundum charitatem
piam conuerſantur, nonne Deus in illis ſedet,
& ipſe iubet? Obtemperat anima ſedenti in
ſe Deo, & ipſa iubet membris tanquam famu-
lis ſuis, ſed & ipſa ſeruit interius inſidenti ſibi
Domino ſuo.

20 In Pſal. 67. IDEM explicans verba illa; Currus Dei
decem millibus multiplex, millia lætantium:
Dominus in eis. In his verbis, inquit, ingen-
tem multitudinem ſanctorum ſignificat, qui
portando Deum, fiunt quodammodo currus
Dei; quos regendo perducit in finem debitum.
Suntq. millia lætantium. Spe enim ſunt gau-
dentes, donec perducantur ad finem, quem
nunc expectant per patientiam. Mirifice au-
tem, cum dixiſſet millia lætantium, continuo
ſubiecit, Dominus in illis: Ne miremur, quod
lætentur, Dominus in illis. Dominus in illis,
& ideo etſi per multas tribulationes oporteat
eos introire in regnum Dei, ideo etſi ſunt qua-
ſi triſtes, ſemper tamen gaudentes, ſed ſpe ſunt
gaudentes, & in tribulatione patientes, quia
Dominus in illis eſt.

21 In Pſal. 88. IDEM exponens illa verba; Et ædificabo
in generationẽ, & generationem ſedem tuam,
ſic habet. Eſt duplex generatio. Eſt nunc gene-
ratio carnis, & ſanguinis, erit generatio futura
in reſurrectione mortuorum. Aedificabo in
generationẽ, & generationem ſedem tuã. Nunc
habet in nobis Chriſtus ſedem ſuam, ædificata
eſt ſedes eius in nobis, niſi enim ſederet in no-
bis, non nos regeret, ſi ab illo autem non rege-
remur, a nobis ipſis præcipitaremur. Sedet er-
go in nobis, regnans in nobis: ſedet iam in illa
generatione, quæ eſt ex reſurrectione mortuo-
rum. In æternum Chriſtus regnabit in ſanctis
ſuis, ſicut promiſit Deus.

22 Concione 2. eiuſdẽ Pſal. IDEM explicans verba illa; Sedes eius
ſicut ſol in conſpectu meo, & ſicut luna per-
fecta in æternum, ait. Sedes eius, quibus do-
minatur, in quibus ſedet, & regnat: ſedes eius
omnes ſancti. Sic erunt, inquit, omnes in con-
Matt. 13. ſpectu meo ſicut ſol: quia iuſti fulgebunt in
regno patris mei, ſicut ſol. Iſte ſol in conſpe-
ctu eſt non ſolum hominum, ſed & iumento-
rum: at ſanctus ſol, non in conſpectu homi-
num, non in conſpectu carnis, & brutorum,
ſed in conſpectu meo. Et ſicut luna. Sed quæ lu-
na? Perfecta in æternum. Etenim etſi perfici-
tur luna iſta, quam videmus, alio die incipit mi
nui, poſtquam perfecta fuerit. Sic perficietur
ſedes eius tanquam luna perfecta in æternum.
Similis eſt caro noſtra lunæ, quæ omni tem-
pore patitur augmenta, & decrementa. Sed
erit caro noſtra in reſurrectione perfecta.
Itaque ſi in ſolo animo perficeremur, tantum-
modo ſoli nos compararet. Rurſus ſi in ſolo
corpore perficeremur, tantummodo lunæ. Sed
quia perficiet nos Deus, & in anima, & in cor-
pore, ſecundum animum dictum eſt, ſicut ſol in
conſpectu meo, quia animum non videt, niſi
Deus, & ſicut luna iam caro perfecte in æter-
num in reſurrectione mortuorum.

BERNARDVS ſic habet; Tria ſunt 23 Serm. 2. Aſſumptionis.
in Eccleſia ſanctorum genera. Eſt Maria, quę
pie, & ſublimiter ſentiat de Deo ſuo, Martha
benigne, & miſericorditer de proximo. Laza-
rus miſere, & humiliter de ſeipſo. Tria hæc di-
ſtribuit ordinatio charitatis: Marthæ admini-
ſtrationem, Mariæ contemplationem, Lazaro
pœnitentiam. Hi ſunt, qui in amaritudine ani-
mæ ſuæ recogitant annos ſuos, tanquam vul-
nerati dormientes in ſepulchris. Gradum ſuũ
quiſque conſideret. Si inuenti fuerint in ciuita
te hac Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua libe- *Ezec. 14.*
rabuntur, ait Dominus, ſed filium aut filiam nõ
liberabunt. Oportet te frater, ad quem de fa-
bricanda, ſeu regenda inter vndas diluuij arca
nihil ſpectat, aut virum eſſe deſideriorum, vt
Daniel erat, aut cum beato Iob virum dolorũ,
& ſcientem infirmitatem. Veni nunc mecũ ad
nuptiale carmen, & conſideremus quemadmo
dum ſponſus ſibi ſponſam vocat, & nullũ omi-
ſerit ex his tribus, nec addiderit vltra. Surge,
inquit, propera amica mea, formoſa mea, colũ- *Cant. 2.*
ba mea, & veni. An non amica eſt, quæ domini-
cis lucris intenta, fideliter ipſam quoque pro
eo ponit animã ſuam? Quoties enim pro vno
ex inimicis ſuis ſpirituale ſtudium interponit,
toties pro eo ſpiritualiter ponit animam ſuã.
An non formoſa, quæ reuelata facie gloriam
Domini ſpeculando in eandem imaginẽ tranſ-
formatur a charitate in charitatem, tanquam
a Domini ſpiritu? An non columba, quæ plan-
git, & gemit in foraminibus petræ, in cauernis
maceriæ, tanquam ſepulta ſub lapide.

IDEM inquit; Audientes omnes, qui ti- 24 Epiſt. 78. ad Suggerium abbatem S. Dionyſij.
ment Dominum, quanta fecit Dominus animę
tuæ, gaudent, & ſtupent ſuper tanta, & tam ſu-
bita mutatione dexteræ excelſi. Auget vero
gaudium, quod ſalutis conſilium cælitus infu-
ſum tibi, protinus tuis refundere, atque ita im-
plere ſategiſti, quod legitur: Qui audit, dicat: *Apoc. 22.*
Veni. Sic ſtrenuus in bello miles, immo ſic pius,
ac fortis militum dux, vbi ſuos forte conſpexe
tit in fugam verſos, iamq. hoſtili paſsim gladio
trucidari, etſi ſe vel ſolum videat euadere poſ-
ſe, libet tamẽ mori magis cum illis, ſine quibus
viuere pudet. Proinde ſtat in prœlio, fortiter di
micat, & inter cruentos gladios per medias a-
cies hac, illacq. diſcurrens, voce & enſe ter-
ret quantũ valet aduerſarios, animat ſuos. Vbi
acrius inſiſtere hoſtem, ſocijſq. grauius com-
perit

perit imminere periculum, ibi adest. Occurrit ferienti, pereunti succurrit, eo quippe mori paratus pro singulis, quo desperatus de vniuersis. At vero dum paulisper retardare nititur insequentes, suos vero, quos valet, erigit corruentes, reuocat fugientes, fit plerumque, vt in manu forti tam gratam, quam inopinatam obtineat salutem suis, hostibus confusionem. Fugant tandem, quos fugiebant, superant, quos pene sustinebant victores: & qui prius periclitabantur de vita, postmodum exultant & de victoria. Sed quid nos tam religiosum tam forte factum sæcularibus comparamus, quasi exempla nobis de ipsa desint religione? An
Exod. 32. non liquido certus erat Deo promittente Moyses, siquidem perisset populus, cui præerat, se non solum pariter periturum non esse, sed insuper & missum iri in gentem magnam? Et tamen quo affectu, quo studio, quibus pietatis visceribus irritantibus subuenit, obuiat irascenti? Fidelis aduocatus, qui quoniam non quærit, quæ sua sunt, facile obtinet omne, quod quærit. Plane benignus, qui tanquam caput vnitum membris, genti suæ firma charitate cohærens, aut illam saluabit secum, aut non potest, nisi idem cum illis subire periculum. Hie-
Hier. 43. remias quoque vinctus & ipse inseparabiliter suis, sed affectu compassionis, non cõtentionis assensu præ communi exilio, & seruitute contempsit natale solum, ac propriam voluntatẽ. Quippe cui ceteris migrantibus libere manere in patria liberum fuit, sed maluit captiuus abduci cum populo, cui se fore & in ipsa captiuitate nouerat necessarium. Paulus eodẽ pro-
Rom. 9. culdubio spiritu optans etiam anathema esse a Christo pro fratribus, proprio experitur affectu, quam vera sit illa sententia: Fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmula-
2. Reg. 24 tio. Sed addo & sanctum Dauid, qui cernens, dolensq. populi stragem, Angelo percutienti festinus occurrit, & in se potius, doũmq. patris sui diuinam transferri flagitat vltionem. Ego tanta fateor audire de te, etsi desiderabam, non tamen sperabam.

Scandalum malum grande, quando vitare illud tenentur homines, pusilli autem scandaliZari non debent Cap. VIII.

1 Hom. 10. in c. 21. Exodi to. 1.

ORIGENES explicans ea verba; Quod si litigauerint duo viri, & percusserint mulierem prægnantem, & exierit infans eius nondum formatus, detrimentum patietur, quantũ induxerit vir mulieris, & dabit cum honore. Quod si formatus fuerit, dabit animam pro anima, oculũ pro oculo, combustura pro combustura, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore, inquit. Patietur damnum, qui ad subuersionem audientiũ verbis contendit, pro anima illa, quæ nondum formatum abiecit infantẽ. Mulier enim prægnans dicitur anima, quæ nuper Dei concepit verbũ. Si hæc mulier verbũ fidei, quod tenuiter concepe-rat, abijciat, & perdat, qui scandalizauit, dãnum patietur. Quod etiã potest de scandalo cathecumeni nondũ formati accipi. Potest enim fieri, vt rursum ipse, qui læsit, instruat, reparet, restituat animę ea, quę perdidit. Cũ mansuetudine corripientes eos, qui resistuunt veritati. Quod si formatus iam fuerit infans, dabit animã pro anima. Formatus infans potest videri sermo Dei in corde eius animæ, quæ gratiã baptismi consecuta est, vel quæ clarius verbũ fidei cõcepit. Hæc si scandalo percussa abiecerit verbũ, & inuenta fuerit esse de illis, de quibus dicebat Apostolus: Iam enim quædã conuersę sunt retro post sathanam, animã pro anima dabit in die iudicij apud eum iudicem, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam. Quia & alibi dicit Propheta ad Hierusalem: Dedi cõmutationem tuam Ægyptum, Æthiopiã, & Sidonẽ pro te. Vel certe potest illud aptari, vt qui sibi conscius tanti scandali fuerit, ponat animã suam pro anima illius, quam scandalizauerit, & vsque ad mortem det operam quomodo redeat, quomodo reparetur, quomodo restituatur in bono. Infra: Sciendum tamen est, quod non est perfectorum scandalizari, sed aut mulierum, aut paruulorum. Sicut & Dominus in Euangelio dicit: Si quis scandalizauerit vnum de pusiliis istis minimis. Pusillus ergo est, & minimus, qui scandalizari potest. Spiritalis autem dijudicat omnia, & omnia probat, & quod bonum est, continet, & ab omni specie mala abstinet.

2 Hom. 20. in c. 25. Num. *Apoc. 2.*

IDEM explicat locum Ioannis in Apocal. qui ad Angelum cuiusdam ecclesiæ scribens, dicit: Habes ibi quosdam, qui tenent doctrinam Balaam, qui docuit Balaac mittere scandalum in conspectu filiorum Israel, vt manducarent immolata idolis, & fornicarentur. Ergo tempo ribus Ioannis Apostoli erant quidam in ecclesia illa, ad quam scribebat, docentes doctrinã Balaam. Putas ita accipiẽdum est, quo fuerint in illis diebus, qui dicerẽt se docere ea, quæ Balaam docuit, & qui profiterentur se dogmatũ, & traditionũ illius esse doctores? An illud potius debemus aduertere, ꝙ si quis faciat opus, quod fecit Balaam, is doctrinã Balaam docere videatur? Si ergo aliquis malis consilijs scandalũ generet populo Dei, & offensionem diuinam, atque iracundiam cęlestem prouocet plebi, hic doctrinam Balaam tenere dicendus est.

3 Hom. 25. in c. 31. Num.

IDEM sic exorditur; In superioribus fornicati sunt filij Israel cum mulieribus Madianitarum, & hoc fuit scandalum filijs Israel, in quo ad iracundiam prouocauerunt sanctum Israel. Nunc autem posteaquam pertulit Israel, quæ pertulit. Locutus est, inquit, Dominus ad Moysem dicens: Vlciscere vltionem filiorum Israel de Madianitis. Igitur scandala, quæ acciderant Israelitis, quoniam tergiuersatione Madianitarum acciderãt, ipsi enim subornauerunt mulieres, quæ eos deciperẽt, vt peccarent coram Domino. Illi quidem pro peccato

cato suo pertulerunt vindictã, mediocrius tamen & parcius. Hi vero, qui eis fuerũt causa peccandi, multo vehementiori subiacẽt vltioni. Vnde edocemur, quia lõge sit grauius alijs causam præbere peccati, quã ipsum vnũquẽq; peccare, sicut & Dominus designat, cum dicit: Quia melius fuerat homini illi non nasci, aut molam asinariam alligari circa collum eius, & præcipitari in profundum maris, quàm vt scãdalizet vnum de pusillis istis. Illud autem scandalum dicitur, vbi recto itinere ambulanti deceptio aliqua instruitur ad peccandũ, & subijcitur causa peccat. Sicut Madianitæ, ambulantibus in lege Domini Israelitis, & custodientibus castitatem, subornarunt mulieres, quæ eos deciperent ad peccandum. Causam ergo præbere peccati, hoc est scandalizare. Verumtamen datur vindicta, sed multo grauior in eos, qui scandalizauerunt, quàm in eos, qui peccauerunt.

4 Lib. 9. in c. 14. ad Rom. to. 3.

IDEM vt probet hanc veritatem, quam statuerat: hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalũ (iudicate, idest statuite) dicit. Si enim propter cibum frater tuus scandalizatur, vel contristatur, non iam secundum charitatem ambulas. Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Etsi cõmune nihil est, & vsus omniũ ciborum licẽter admittitur, tamen tu si propter cibum, quem licite putas sumendum, fratrem tuum, qui nondum scientiæ huius capax est, scandalizas, iam non secundum charitatem ambulas, nec affectum in re fraterni amoris ostendis. Quid enim læderis, si vt fratrem tuũ non scandalizes, etiam a licitis abstineas? Tibi enim abstinere a licitis crimen nullum est: illi vero, in quibus discernit, & putat non licere, contaminabilis vsus est.

5 Tract. 2. de hypocrisimo. c. 10. to. 1.

BASILIVS disputat, an scandalum obijcere, perpetuo sit periculosum, & ait: Scandalum, seu offendiculum est, quidquid vel ad defectionem a veritate, quæ secundum pietatem est, abducit, aut ad errorem sollicitat, aut instruit ad impietatem. Itaque si in seipso quidem consideratum bonum fuerit, quod vel dicitur, vel fit, morbus vero vtentis eo opere, aut verbo, in ipso vsu damnum attulerit, insons erit a iudicio offensi, qui bonum, quod ad fidei ædificationem in seipso cõfert, vel locutus est, vel fecit, quemadmodum & Domino vsu venit vbi dixerat: Non quod intrat in os hoc coinquinat hominem, &c. Scandalizatisq. Iudæis
Matt. 15. dixit: Omnis plantatio, quam non plantauit
Ioan. 6. Pater meus cælestis, eradicabitur. Idem quando Ioan. 6. de Eucharistia locutus fuerat, multi ex discipulis abierunt retro, Petrus autem dixit: Quo ibimus Domine, verba vitæ æternæ habes. Quibus namque, qui fide sani erant, ad fidei ædificationem, & acquisitionem salutis æternæ, illis scientia, & fide infirmi propter suam ipsorum malitiam ad perditionis occa-
Luce 2. sionem vtebantur, iuxta illud, quod scriptum est: Hic positus est in ruinam, & resurrectionẽ multorum in Israel; non ideo quod is sibi ipsi sit contrarius, sed propter vtentium contrariã animi sententiã. Sicut & Apostolus ait: Alijs quidem odor vitæ in vitã, alijs vero odor mortis in mortem. Si vero secundum naturã suam 6
malum est, quod vel dicitur, vel fit: iam qui hoc fecit, aut dixit, cum proprij peccati, tum offendiculi culpam sustinebit, etiam si is, cuius gratia factum est offendiculum, offensus non fuerit. Ita autem peccantes in fratres, & percutientes infirmam ipsorum conscientiam, in Christum peccatis. Itaque quando quod fit, in seipso consideratum malum est, causa est offendiculi, aut si ex licitis aliquid, & in nostra potestate constitutis, infirmo vel fide, vel sciẽtia offendiculum generauerit, apertum & ineuitabile iudicium habet, horrendum illud, de quo Dominus locutus est. Prodest illi, vt mola asinaria demergatur in mare, magis quàm vt vnus ex his paruulis offendatur. Quapro-
Rom. 14. pter Apostolus etiam de licitis dicit: Bonũ est non edere carnes, neq; bibere vinum, nec aliud quid facere, in quo frater tuus scandalizatur.
1. Tim. 4. Et iterum alibi: Quoniã omnis creatura Dei bona est, & nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione sumitur. Dicit quoque: Non
1. Cor. 8. manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Si vero in licitis tale est iudicium, quid dicendum est de vetitis? Propterea in vniuersum nos docet, dicens: Inof-
1. Cor. 10. fensi estote & Iudæis, & Græcis, & Ecclesiæ Dei, quemadmodum & ego vbiq; omnibus placeo, nõ quærens, quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

7 In lib. regularũ breuiũ in resp. 64. interrog. to mo 2.

IDEM inquit: Sane scandalizat quidem aliquis, quandocumque dictis, factisve legem violat, & exemplo suo alium ad legis violationem inducit, vt serpẽs Euam, & Eua Adam: vel quandocumque prohibet exequi voluntatem Dei, vt Petrus Dominum, quando dixit: Absit a te Domine, non erit tibi hoc. Cui dictum est: Vade post me Satana, scandalum es
Matt. 16. mihi, quia non sapis ea, quæ Dei sunt, sed ea, quæ hominum. Vel quando ædificat animum imbecilli ad aliquid eorum, quæ vetita sunt, conueniet illi quod scriptum est ab Apostolo his verbis: Si quis enim viderit te, qui ha-
1. Cor. 8. bes scientiam, in idolio recumbentem, nonne conscientia eius cum fuerit infirma ædificabitur ad manducandum idolothyta? Quibus illico adiungit: Quapropter si esca scãdalizat fratrem meum, non mãducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Oritur autem scãdalum pluribus ex causis. Vel enim ab eo, qui scandalizat, scandalum nascitur, vel ab eo, qui scandalizatur, causa proficiscitur, cur scandalizetur: atque in his item non vno, atque eodem modo. Aliquando enim ex malitia, aliquando autem ex inscitia, vel huius, vel illius. Est præterea quando in ijs, quæ recte vel dicuntur, vel fiunt, eorum, qui scandalizantur, malitia magis declaratur. Aut enim 8
mandatum Dei aliquo faciente, aut his, quæ in libera potestate posita sunt, libere vtente, scãdalizatur, qui scandalizatur. Quotiescumque igitur

igitur in ijs, quæ ex mandato, vel fiunt, vel di-
cuntur, homines offenſionem incurrunt, & in
his ſcandalizantur (vt in Euangelio in his,quæ
a Domino ex voluntate patris fiebant)tunc ea
nobis in memoriam ſunt reuocanda, quæ de
huiuſmodi hominibus idem Dominus reſpon-
derit diſcipulis dicentibus: Magiſter ſcis,quia
Phariſæi audito verbo hoc ſcandalizantur?
Matt. 15. Sic enim illis reſpondit: Omnis plantatio,quã
non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabi-
tur. Sinite illos, cæci ſunt,& duces cæcorum.
Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo
in foueam cadunt. Vbi vero in his, quæ poſi-
ta in poteſtate noſtra ſunt, ſcandalizatur ali-
quis, enimuero tunc veniendum eſt in memo-
riam eorum Domini ad Petrũ verborum, quã-
Matt. 17. do dixit: Ergo liberi ſunt filij. Vt autem non
ſcandalizemus eos,vade ad mare, & mitte ha-
mum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit,
tolle,& aperto ore eius, inuenies ſtaterem, il-
lum ſumens da eis pro me, & te. Et item eo-
rum,quæ Apoſtolus Corinthijs ſcribit his ver-
1.Cor.8. bis: Non manducabo carnes in æternum, ne
fratrem meum ſcandalizem. Et alio in loco:
Roma.14. Bonum eſt non manducare carnem, & non bi-
bere vinum, neque in quo frater tuus offendi-
9 tur,aut ſcandalizatur, aut infirmatur. Quàm
autem metuendum ſit in his,quæ videntur po-
ſita eſſe in poteſtate noſtra,pati,vt frater ſcan-
dalizetur, docet præceptum Domini, quo in
vniuerſum modus omnis interdicitur ſcanda-
Matt. 18. lizandi, quando dicit: Videte ne contemnatis
vnum ex his puſillis,dico enim vobis,quia An-
geli eorum in cælis ſemper vident faciem Pa-
tris mei,qui in cælis eſt. Quod ipſum teſtatur
Roma.14. etiam Apoſtolus, cum dicit: Sed hoc iudicate
magis,ne ponatis offendiculum fratri,vel ſcan
dalum. Alias autem cum grauius ab huiuſce-
1.Cor.8. modi peccato deterrens,ſic dicit: Si quis enim
viderit te, qui habes ſcientiam,in idolio recũ-
bentem, nonne conſcientia eius,cum ſit infir-
mus, ædificabitur ad manducandum idolothy-
ta,& peribit infirmus in tua cõſcientia frater,
propter quem Chriſtus mortuus eſt? Quibus
adiungit: Sic autẽ peccantes in fratres,& per-
cutientes conſcientiam eorum infirmam in
Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcan-
dalizat fratrem meum, non mãducabo carnes
in æternum,ne fratrem meum ſcandalizem. Et
1.Cor.9. alio in loco cum dixiſſet: An ego ſolus,& Bar-
nabas non habemus poteſtatem non operãdi?
Deinceps illud adiuuxit: Sed nõ vſi ſumus hac
poteſtate, ſed omnia ſuſtinemus, ne quod of-
fendiculum demus Euangelio Chriſti. Cete-
rum cum rem adeo formidabilem eſſe demon-
ſtratum ſit in his, quæ in poteſtate noſtra ſunt
poſita,fratrem ſcandalizare, quid de ijs dicen-
dum erit, qui rebus vetitis faciendis, loquen-
diſve ſcandalizent,& maxime quando vel ſciẽ-
tia quadã maiore præditus videatur,qui ſcan-
dalizat, vel in ſacro aliquo gradu cenſeatur,
qui cum ceteris tamquam regula,exemplarve
eſſe propoſitus debeat, ſi vel minimum quid
neglexerit, eorum, quæ ſcripta ſunt, videli-
cet,vt aut eorum, quæ interdicta ſunt,fecerit,
aut eorum, quæ iuſſa, omiſerit, aut denique
huiuſmodi aliquid diſsimulanter præterierit,
vel in hoc vno tantum iudicium commeritus
eſt illud, quod ſanguis peccantis exquiretur *Ezec. 3.*
de manibus eius.
CHRYSOSTOMVS dicit: Heri eos, 10 Homil.7.in Gen.10.1.
qui ad equeſtris ludi ſpectaculũ abierunt, ſatis
perſtrinximus demonſtrata eis iacturæ, quam
fecerant,magnitudine, ſed cogitate quòd non
hoc ſolum graue eſt, quòd qui illo confluunt
ſibi damnum adſciſcunt, ſed & quòd multis
alijs ſcandalo ſunt. Quippe Gentiles,& Iudæi
videntes eos, qui quotidie in templo verſan-
tur,& doctrinas audiunt, ſimul ibi comparere
& ſibi commiſceri, quomodo res noſtras pro
deceptionibus non habebunt, & non idem in
alijs de nobis ſuſpicabuntur? An non audis
Paulum admonentem, & conſulentem clara
voce: Abſq; offendiculo eſtote? Deinde ne pu *1.Cor.10.*
tes de noſtris tantum, admonere ſubdidit. Et
Iudæis,& Gentibus. Et tandem adijcit: Et Ec-
cleſiæ Dei. Nihil enim ita offendit, & nocet
religioni noſtræ,vt ſcandali anſam prębere in-
fidelibus. Quia quando vident paruũ aliquod
delictum noſtrorum,ſtatim linguam exacuunt
ſimul contra nos omnes,& ex vnius delicto to-
totã Chriſtianorum gentem iudicant. Neque
hoc contenti ſunt, ſed ſtatim aduerſus caput
ſuum loquentes, ob ſeruorum delicta, etiam
communem Dominum audent murmurare, &
putant velamenta errorum ſuorum eſſe alienã
deſidiam. Quod autem hoc maxime periculo-
ſum ſit his,qui blaſphemiæ occaſionẽ præbent,
Propheta ex perſona Dei clamat: Væ vobis, *Iſa.52.*
quia propter vos nomen meum blaſphema-
tur in gentibus. Terribile hoc verbum eſt, 11
& horrore plenum. Væ enim, hoc eſt, quaſi la-
mentantis ſupplicium illud nõ euaſuros. Om-
nia igitur faciamus dilecti,vt glorificetur Do-
minus noſter: quod fit cum homines vident *Matt. 5.*
opera noſtra bona, & nulli ſimus, offendicu-
li occaſio. Id quod perpetuo nos docet Pau-
lus ſic dicẽs: Si eſca ſcandalizat fratrẽ meum, *Roma.14.*
non manducabo carnes in æternum. Et iterũ
in alio loco dicit: Sic autem peccantes in fra- *1.Cor.8.*
tres,& percutientes infirmam eorum cõſcien-
tiam,in Chriſtum peccatis. Minæ illæ auſteræ
ſunt,& magnam ſecum condemnationem affe-
runt.Dicere enim vult,ne opineris,quod dam-
num hoc ad illum, qui offenditur ſolum perti-
neat, tranſit etiam ad Chriſtũ ipſum, qui pro-
pter illum crucifixus eſt. Igitur ſi Dominus
tuus propter illum crucifigi non detrectauit,
non tu omnia feres,ne quam ſcandali occaſio-
nem illi præbeas? Hoc vbique inuenies illum
diſcipulis conſilium dare: hoc enim eſt, quod
vitam noſtram conſeruat: propterea & alibi
ſcribẽs dicebat: Ne quæ ſua ſunt ſpectent ſin-
guli, ſed quæ aliorum. Et iterum alio loco:
Omnia mihi licent, ſed non omnia ædificant. *1.Cor.10.*
Vides Apoſtolicam ſapientiã? Etiamſi liceat,
inquit, mihi aliquid facere, nihilq. hinc mihi
damni accedat,ſed quia hoc non facit ad pro-
ximi

ximi ædificationem,nequaquã hoc fieri ſinam.
Vides quomodo Paulus omnibus modis oſten-
dit, virtutum longe maximam eſſe, magnam
curam gerere,quomodo proximus ædificetur?
Non vt rem paruã contemnamus, frigida hæc
verba dicentes: Quid mea refert,ſi offendatur
proximus? Hoccine fuerit animæ piæ, legeſq.
diuinas ſcientis?
12 Hom.56.in cap.9.Ioan. to.3. IDEM docens malorum hominũ conſue-
tudinem,amicitiamq. fugiendam, ait. Quam-
uis nullum inde nobis proueniat detrimẽtum,
malas tamen ſuſpiciones vitare nõ poſſumus.
Alieni enim vitam noſtram non perſcrutan-
tur, ſed a ſocijs, & conſuetudinibus iudicant.
Roma.12. Sequimini conſilium Pauli dicentis:Prouiden-
tes bona non tãtum coram Deo, ſed etiam co-
ram hominibus. Totis ergo viribus adnita-
mur,ne per nos ſcandalizetur proximus. Vita
enim etſi rectiſsima ſit, ſi alijs erit ſcandalo,
totum amittit. Et quomodo poteſt recta vita
ſcandalizare, cum peſsimorum conſuetudo nõ
bonam homini inurit opinionem. Cum enim
freti,vel ficti cum malis conuerſamur, etſi nos
non offendimus, alios tamen ſcandalizamus.
1.Cor.10. Paulus iubet,vt ſimus ſine offenſione Iudæis, &
Græcis,& Eccleſiæ Dei.
13 Hom.20.in ep.1.Pauli ad Cor. vbi explicat ca. 8. in quo late differit de ſcãdalo. to.4. IDEM explicans verba illa; Si enim quis
viderit eum, qui habet ſcientiam in idolorum
ſacris recumbentem, nonne conſcientia eius,
cum ſit infirma, ædificabitur ad manducandũ
idolothyta. Et peribit infirmus in tua con-
ſcientia frater, propter quem Chriſtus mor-
tuus eſt,inquit: Duo ſunt, quæ in hoc damno,
quod infers proximo, omni te priuant venia,
& quod infirmus eſt, & quòd frater, immo ad-
datur & tertium,quod omnium maxime hor-
rendum eſt. Quod Chriſtus quidem neq; mo-
ri propter eum recuſauit, tu autem neque ei
indulgere pateris. Dominus quidem tuus pro
eo mori non recuſauit, tu autem adeo nullam
eius facis rationem, vt neque ſcelerata menſa
propter eum abſtineas, ſed poſt tantam ſalutẽ
eum perire permittis,& quod grauius eſt,pro-
pter eſcam. Quare quattuor crimina, & ma-
xima accuſantur, quod frater, quod infirmus,
& cuius tantam Chriſtus rationem habuit, vt
pro eo moreretur,& quod poſt hęc omnia pro-
pter eſcam pereat. Sic autẽ peccantes in fra-
tres, & percutientes conſcientiam eorum in-
firmam,in Chriſtum peccatis. Animaduerte
quàm paulatim in ipſum iniquitatis cacumen
peccatum tollit. Neque enim,inquit, ſcanda-
lizantes, ſed percutientes,vt verbi ſignificãtia
crudelitatem oſtenderet. Quid enim homine
inhumanius exiſtimari poteſt,qui ægrotũ ver-
berat? Etenim omni plaga grauius ſcandali-
14 zare eſt, nam ſæpenumero & mortem affert.
Et quomodo in Chriſtum peccant? Vno quidẽ
modo,quod,quæ ſeruorum ſunt,ipſe pro ſe ac-
cipit. Altero autem quod in corpus eius, &
membra faciunt,qui percutiunt conſcientiam
infirmam. Tertio quod opus eius, quod pro-
pria morte abſoluit, ij propria ambitione de-
ſtruunt. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fra-
trem meum, non manducabo carnes in æter-
num, ne fratrem meum ſcandalizem. Non di-
cit,ſiue iuſte, ſiue iniuſte, ſed quomodocumq;
ſcandalizetur. Et non dico, inquit, idolothy-
tum, quod & propter aliam cauſam prohibe-
tur,ſed ſi quod licet, & permittitur, ſcandali-
zat, etiam illis abſtinebo. Neque vna, aut al-
tera die, ſed toto vitæ tempore, non mandu-
cabo carnes in æternum. Et nõ inquit, ne per-
dam fratrem, ſed ſimpliciter, vt non ſcandali-
zem. Etenim vltimæ amentiæ eſt,quæ Chriſto
pretioſiſsima ſunt, & talia, vt eorum gratia
mortem obire non recuſauerit, ita nos deſpi-
catiſsima arbitrari,vt eſcis propterea non ab-
ſtineamus. Hæc autem non ad illos tantum,
ſed ad nos tempus eſſet,vt dicerentur,qui pro-
ximi ſalutẽ deſpicimus, & illa Sathanæ verba
proferimus: dicere enim, quid mihi curandũ
eſt, ſi ille ſcandalizatur, & ille perit,crudelita-
tis illius, atque inhumanitatis eſt. Atqui tunc
quidem ex eorum,qui ſcandalizabantur,infir-
mitate id contingebat: in nobis autẽ non iti-
dem,talia namque peccata committimus,quæ
etiam fortes ſcandalizant. Nam cum percuti-
mus,cum rapimus, &c. nonne hæc ſufficientia
ſunt ad ſcandalizandum?
IDEM exponens illa verba Pauli ad Ro- 15
manos cap.14. Illud iudicate magis, ne offen- Serm.25.in ep.Pauli ad Roman.
diculum ponatis fratri,aut ſcandalũ,ait.Si non
ſaluare fratrem culpam habet,id quod & Euan
gelici talenti defoſſor indicat, quid non faciet
datum etiam ſcandalum? Sed inquies. Quid ſi
ſuo vitio ſcandalizatur infirmus? Propter hoc
ipſum ſi iuſtus fueris, patienter illum feres.
Nam ſi fortis eſſet, tali cura opus non habe-
ret: nunc vero,quia imbecillior eſt,multa etiã
curandi diligentia opus habet. Præſtemus ita-
que eam,vbique illum præferentes, neq; enim
propriorum tantummodo malorum rationem
dabimus,ſed & eorum,quibus alijs ſcandalum
præbemus. Quod ſi etiam per ſeipſas graues
ſunt noſtrorum delictorum pœnæ, vbi & iſtæ
accedent,quando ſaluabimur? Non enim pu-
temus nos excuſationem habituros, ſi quando
delictorũ ſocios inuenerimus: nam iſtud ſup-
plicium magis augebit. Quandoquidẽ & ſer- *Gen. 3.*
pẽs magis punitus eſt, quàm mulier, quemad-
modum & mulier plus quàm vir. Et Iezabel *4. Reg.9.*
maiores pœnas dedit, quàm Achab vineæ ra-
ptor. Ipſa quippe vniuerſum iſtud negotium
texuerat: regiſq. lapſus occaſionem dederat.
Igitur & tu quoque, ſi reliquis perditionis cau
ſa fueris, grauiora patieris, quàm qui per te
ſubuerſi ſunt. Neque enim peccare tantum in
ſe perditionis habet, quantum quod reliqui
ad peccandum inducuntur.
IDEM dicit: Sed ait quis. Non ſumus ob- 16
noxij inſipientiæ alienæ, neque ſi quis ſtulte In ſerm cõtra concubinarios.to.5.
ſcandalizetur,dignus ego ſum,qui pœnas dem
ob illius inſipientiam. Sed Paulus non dixit
hoc,ſed iuſsit,vt ſi iniuſte ſcãdalizetur aliquis, *Rom.14.*
eius infirmitati conſulatur. Tunc enim ſolum
liberamur a pœna, quæ poſita eſt in eos, qui
ſcandalũ dant alijs, ſi ex ſcandalo aliud quod-
dam

Universidad de Deusto Biblioteca

dam lucrum nascatur maius damno, quod ex scandalo fit. Adeoq. si hoc non fuerit, & hoc solum obuenerit vt scandalizentur alij, siue ob rationem aliquam, siue ob nullam, siue vt infirmi offendantur; sanguis illorum super caput nostrum, & ex manibus nostris Deus animas tales requiret. Et per hoc ne curam nullam haberemus, vel abijceremus eorũ, quibus offendiculo sumus, regulas tales nobis Christus præscripsit. Nam & hoc, & illud fecit, nũc illos curans, nunc contemnens. Enimuero cũ de natura ciborum dissereret, & a Iudaica ob-
Matt. 15. seruatione liberaret, Petro dicenti, Quia scãdalizati sunt, dixit: Sinite illos, cæci sunt. Vbi
Matt. 12. autem petebant a Petro didrachma, rationem habuit scandali, & didrachma soluit. Infra: Quanto fortiorem esse dicis, vt cohabites cum femina, quamuis te perpetuo defendas, redargueris tamen per opera: damnum ex hac cohabitatione accepturus non vulgare. Quando enim te video ita auelli non posse, & despicere millia, quæ offendunt, & non conuerti te tam multis reprehendentibus, sed & gloriam tuam cõculcare, infidelium ora laxare, & om-
17 nes mala opinione imbuere, & tanta quidem ex cohabitatione nobis nascuntur mala, nullum autem prouenit bonũ, ex separatione vero horum omnium malorum subleuationem, multorum autem aliorum bonorum possessionem adipisci licet. Ceterum cum non fers, vt a te trãseat, quomodo persuadere potero alijs quod affectionis sit expers, & a cõcupiscentia mala purus? Infra: Etiamsi grauiter quis peccet, atq; clam hoc faciat, & neminem scandalizet, minorem dabit pœnam, quàm qui leuiter peccauit, idq. impudenter, & cum multorum scandalo. Et ne plus iusto dictum putes ipsam hanc sententiam tibi de cælo afferamus,
Exo. 33. nam beatum Moysen Dei amicum, Prophetarum maximum, cui sicut amico Dominus loquebatur. Hunc talem, qui multas miserias in deserto tulit tot annis, qui in extremis sæpe periculis fuit apud Ægyptios propter Iudæos, & apud Iudæos pro ipsis ingratis, tamen hunc talem, & tantum, nihil aliud prohibuit post tot ærumnas, & labores, multaq. præclare gesta, promissione potiri, quàm quod scandalizati sunt ij, qui cum ipso erãt apud aquam. Et hoc
Num. 20. est, quod insinuabat Deus dicendo: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel: propter hoc non introducetis hos populos in terram, quam promisi eis. Nihil aliud potuit ipsum propositis præmijs priuare, quàm solum illud, quod apud aquam conti-
18 git, quod natura quidem minus alijs erat, sed quia cum damno aliorum fiebat, multo maius indicatum. Illa enim priuatim & occulte accidebant; hoc autem manifeste, & apud populum omnem committebat. Propterea & reprehendens hoc Deus, aiebat: Quia non sanctificastis me coram filijs Israel. Peccati eorũ naturam detegens, & vnde factum quòd veniam non mereatur declarans. Si autem talem virum hoc fecit impingere, nos vermiculos quomodo non destruet, & perdet? Nihil enim ita exacerbat Deum, vt quando nomen eius blasphematur. Vnde Iudæos reprehendens, hoc ait: Propter vos nomen meum blasphe- *Isaiæ 52.*
matur in gentibus. Tantam autem curam & Deus facit, vt non blasphemetur nomen suum, similiter & sancti: nõ quòd Deus opus habeat, vt a nobis glorificetur, nullius enim indiget, sed ex ea re multum damni hominibus. Quãdo enim apud nos male audit nomen Dei, & gloria eius nobis nihil vltra prodest. Omnia igitur faciamus, vt nulla sit occasio scandali, etiamsi iniuste reprehendant.

HIERONYMVS exponens verba illa; Ecce Dominus egredietur de loco suo, vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum, & reuelabit terra sanguinem suum, & nõ operiet vltra interfectos suos, dicit. Terra in hoc loco significat animam, quæ viuit carnaliter. Et reuelabit sanguinem suũ, si quempiam scan- *Gen. 4* dalizauerit, & cum Cain meretur audire: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra, quæ aperuit os suum, vt susciperet sanguinem fratris tui. Omnis igitur sanguis in die iudicij requiretur; nec abscõdet terra sanguinem suum, & interfectos, quos occidit, vel volens, vel per negligentiam, producet in medium. 19 Lib. 8. in c. 26. Isa. to. 4.

IDEM exponens verba illa; Ad iracundiam me prouocauit Ephraim in amaritudinibus suis, & sanguis eius super eum veniet, & opprobrium illius restituit ei Dominus suus, dicit: Sanguis eius super eum veniet, idest ipse erit causa mortis suæ, secũdum id, quod Dauid loquitur ad eum, qui Saulis nunciauit interitum, & a se regem Israel cæsum esse memora- *2. Reg. 1.*
bat. Sanguis tuus super caput tuum. Nõ mea sententia, sed Saulis sanguine tuus sanguis ef- *2. Reg. 12*
fundetur. Quodque sequitur: Et opprobrium eius restituet ei Dominus, illi sensui congruit, quem Nathan loquitur ad Dauid: Quia blasphemare fecisti inimicos nomen Domini, propter hanc rem, hoc est, propter hoc peccatum, quo interfecisti Vriam, ipsa blasphemia, atque opprobrium, quo per te Dominus blasphematus est, vertetur in caput tuum, vindicans in te scandalum, quo multi corruerunt, & contra Deum Israel steterunt contumeliosi. 20 Lib. 3. in c. 12. Ose. t. 6.

AVGVSTINVS ait: Neque si quisquã in recte factis nostris tam male mouetur, vt fiat etiam animo deterior, longeq. a pietate remotior; propterea recte facta deserẽda sunt, cum id nobis præcipue tenendum sit, quo vocare, atque inuitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus. Fortissimoq. animo bi- *1. Cor. 2.*
benda est Apostolica illa sententia: Alijs quidem sumus odor vitæ in vitam, alijs vero odor mortis in mortem. 21 Lib. de mendacio ad Cõsentiũ. to. 4.

IDEM docet a virtute discedendum non esse scandalis malorum: Tum vero instruẽda, & animanda est infirmitas hominis aduersus tentationes & scandala, siue foris, siue in ipsa intus Ecclesia sint, foris aduersus Gentiles, vel Iudæos, vel hereticos, intus vero aduersus areæ Domi- 22 Lib. de cathechizandis rudibus.

Dominicæ paleas. Cum vero aduersus eos instruitur, quorum peruersæ turbæ corporaliter implent Ecclesias, simul etiam præcepta breuiter & decenter commemorantur Christianæ atque honestæ conuersationis, ne ab ebriosis, auaris, fundatoribus, fornicatoribus, atque huiusmodi ceteris ita facile seducatur, & impunitum sibi fore arbitretur, quia videt multos, qui Christiani appellantur, hæc amare, & agere, & suadere. Quis enim finis præstitutus sit in tali vita perseuerãtibus, & quàm sint in ipsa Ecclesia tolerandi edocendum est. Prænunciandum etiam inuẽturum eum in Ecclesia multos Christianos bonos, verissimos ciues cælestis Hierusalem, quos imitari debet, relicta peruersa vita malorum.

23 Lib. 2. cõtra litt. Petiliani Donatistæ. to. 7. IDEM sic habet: Diabolus dicitur homicida ab initio. Quærimus autem vnde fuerit diabolus homicida ab initio, & inuenimus, qđ primum hominem occiderit, non gladiũ strin-
Ioan. 8. gendo, aut aliquam vim corporaliter infligendo, sed persuadendo peccatũ, & a paradisi felicitate deijciendo. Quod tunc paradisus, hoc nũc Ecclesia. Diaboli ergo filij sunt, qui homines ab Ecclesia seducendo interficiũt, qui alios ad peccandũ inducũt, qui fratres scandalizãt.

24 In Psal. 49. to. 8. IDEM exponens verba illa; Sedẽs aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filiũ matris tuæ ponebas scandalum, dicit: Quis est filius matris? Nonne frater? Frater aduersus fratrem detrahit, verbi gratia, vtputa quasi firmus, & alicuius iam momenti doctor & doctus, detrahit fratri suo, forte bene docenti, & bene ambulanti. Est autem alius infirmus, aduersus illum ponit scãdalum huic detrahendo. Etenim cũ detrahitur bonis, ab his, qui videntur alicuius momenti esse, & docti esse, in scan-
1. Cor. 3. dalum cadunt infirmi, qui adhuc nesciunt iudicare. Ideo infirmus ille filius matris dictus est, nõdum patris, adhuc lacte indigens, & vberibus adhærens. Portatur adhuc sinu matris Ecclesiæ: nõ valet accedere ad solidum cibum mensæ patris sui, sed de vbere matris suæ vi-
Ibidem. ctum trahit ignarus iudicãdi, quoniam adhuc carnalis est. Talibus dicit Apostolus: Nõ potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Tamquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam. Neq; enim poteratis, sed nec nunc quidem potestis. Mater
1. Thess. 2. vobis fui, quomodo dicitur alio loco: Factus sum paruulus in medio vestrum, tamquam si nutrix foueat filios suos. Quando filios matris & paruulos scandalizamus, Deum irritamus. Hæc fecisti, & tacui. Sed veniet Dominus, & non silebit. Modo tacui hæc videns, vindictam supersedi, seueritatem meam distuli, pœnitentiam tuam diu expectaui. Ego autem, cum ad
Roma. 2. hoc expectarem, vt te pœniteret, tu secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuũ, thesaurizasti tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij tui, quando scandalum pusilli fratris in te vindicabit Deus.

25 Concione 31 in Psal. 118 to. 8. IDEM exponẽs verba illa; Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum, dicit: Vtrum ipsa lex diligentibus se scandalum non est, an diligentibus eam nullum est vndecumq; scandalum? Sed vtrumq; recte intelligitur. Qui enim diligit Dei legem, etiam quod in ea nõ intelligit honorat, & quod ei sonare videtur absurde, se potius nõ intelligere, & aliquid magnum latere ibi iudicat. Ideo lex Dei non est illi scandalum. Vt autem nullum scandalum omnino patiatur, non sic homines sanctæ cuiusque professionis attendat, vt fides eius ex eorum moribus pendeat, ne aliquibus cadentibus, quos pro magno habebat, ipse scãdalo pereat, sed ipsam Dei legẽ diligat, & erit ei pax multa, nullumque scandalum. Securus enim diligit eam, in qua etiam si multi peccãt, peccare ipse non nouit.

GREGORIVS dicit: Plerumq; contingit, vt qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciunt, sed tamen per eos, qui se imitati fuerint, multiplicius delinquunt. Hinc est, quod Paulus immunda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scandalum sua hac comessatione mouentibus, dicit: Videte ne forte hæc licentia vestra offen- *1. Cor. 8.*
diculum fiat infirmis. Et rursum: Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quẽ Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Hinc est, quod Moyses, cũ diceret: Non maledices surdo, pro- *Leuit. 19.*
tinus adiunxit, nec coram cæco pones offendiculum. Surdo quippe maledicere est absenti & non audienti derogare. Coram cæco vero offendiculum ponere, est discretam quidẽ rem agere, sed tamen ei, qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere. 26 In 3. par. curæ past. admonit. 36. to. 4.

BERNARDVS inquit: Nullũ consiliũ melius arbitror, quàm si exemplo tuo fratrem docere studeas, quæ oporteat, prouocans eum ad meliora, & consulens ei non verbo, neq; lingua, sed opere, & veritate. Nullum efficacius auxilium est, quàm vt nullum ei offendiculum ponas, sed & sollicitus sis quantum præuales tamquam Angelus pacis de regno Dei scandala tollere, & occasiones scandalorum penitus dimouere. Si talem te fratri auxiliarium, & cõsiliarium exhibes, reddis ei, quod debes, nec habet vnde causetur. Vide plura lib. 12. cap. 2. 27 Serm. 3. Aduentus.

Sensus externi, qui in peccatoribus regnant, moderandi, & custodiendi sunt in bonum nostrum. Cap. IX.

ORIGENES sic habet: Sæpe diximus duplicẽ esse Christianorum pugnam. Perfectis quidem, & talibus, qualis erat Paulus, non erat pugna aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus. Inferioribus vero & nondum perfectis, pugna adhuc aduersus 1 Hom. 11. in c. 10. Iosue. to. 1.

carnem & sanguinem geritur: ijs, qui adhuc carnalibus vitijs, & fragilitatibus impugnantur, quod etiam in hoc loco indicari puto. Etenim Gabaonitis indictum esse a quinque regibus diximus bellum, quorum figuram dixi esse in ijs, qui imperfecti sunt. Isti ergo a quinque regibus impugnantur. Quinque autem reges, quinque sensus corporeos indicat, visum, auditum, gustum, tactum, & odoratum: per aliquem enim horum vnumquemq; necesse est decidere in peccatum. Qui quinque sensus illis quinq; regibus comparantur, qui Gabaonitas, idest, qui carnales homines expugnant. Quod autem dicuntur in speluncas cõfugisse, potest hoc fortasse indicari, quia spelũca locus est in profundũ terræ defossus. Igitur etiam isti, quos supra diximus, sensus, cum se terrenis actibus in corpore positi demerserint, & nihil ad opus Dei, sed totum ad ministerium corporis egerint, in speluncas confugisse dicũtur. Sciendũ tamen, quod ista ipsa regna, quorum nunc reges vincuntur ab Iesu, & confugiunt ad speluncas, postmodum in sortem veniunt sanctorum, & pars Domini appellantur, sicut regnum Hierusalem, vel Lachis, vel Chebron. In quo hoc arbitror indicari, quod etiã isti quinque sensus in corpore positi, cum per Iesum fuerint deuicti, ita vt infidelitas, & incredulitas ab eis depellatur, & cum moriũtur peccato, in eo, quod desinunt a ministerio peccati, istis ipsis postmodum ministris vtetur anima ad operandam iustitiam. Et ita fit, vt Hierusalem, in qua prius rex nequã regnabat, postmodum in ea regnet Dauid potens manu, vel pacificus Salomon. Assident etenim etiam ijs ipsis, quos diximus, corporalibus sensibus hominum malignæ virtutes, quæ eos ad malas cõcupiscentias, & fœda ministeria animæ præbenda sollicitent. Quas malignas virtutes, cum fides Christi superauerit, & in ligno Crucis eius fuerint suspensæ, vt & de ipsis triumphet in ligno Crucis suæ, interemptis ijs, regnoq. depulsis, tunc efficitur anima in parte Dei, & Hierusalem regnum Dei efficitur, & templum in ea Domino construetur. Aut non hoc de semetipso sentiebat ille, qui dicebat: Quia eramus aliquando & nos insensati, increduli, errantes, seruientes desiderijs, & voluptatibus varijs? Non enim aliud est hoc, quòd Hierusalem aliquando fuisse sub rege Adonibezec scribitur, vel aliæ ciuitates sub alijs. Sed interim Iesus interficit inimicos, futura sacramenta designans de ijs, quæ gerebãtur, vt cum interemerit eos reges, qui regnum peccati tenent in nobis, possimus illud implere, quod dicit Apostolus: Sicut exhibuimus membra nostra seruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibeamus membra nostra seruire iustitiæ in sanctificationem. Et quod dicitur: Ponite pedes vestros super collum eorũ, & interficite eos, non crudelitas, sed humanitas est, per quam solus Christus regnat in te.

Iosue 10.

3 Hom. 2. expos. 2. in Cãtica. to. 2.

IDEM exponens illa verba: Vineã meam non custodiui, dicit. Quod ait vineam meam non custodiui, institutа illa, ac mores, & propositum, in quo exercebatur secundũ veterem hominẽ viuens, indicare videtur, laudabiliter a se nõ esse seruata: ex quo autem Angelorum adiutorio dimicauit, & vicit eam, penitus a se effugauit veterem hominem cũ actibus suis, constitutaq. est ab eis vinearum custos, & sensuum. *Cant. 1.*

4 Hom. 3. expos. in Cãtica.

IDEM explicans verba illa; En dilectus meus loquitur mihi respiciens per fenestras, inquit. Possumus sensus corporeos fenestras intelligere, per quos aut mors, aut vita intrat ad animam. Sic enim designat Hieremias propheta, cum de peccatoribus loquitur, dicens: Ascẽdit mors per fenestras vestras. Quomodo ascendit mors per fenestras? Si oculi peccatoris videant mulierẽ, & mœchentur eam in corde suo, sic mors ingressa est ad animam per fenestras oculorum. Sed & cum recipit quis auditum vanum, tunc per aurium fenestras mors intrat ad animam. Si vero anima intuẽs ornamentum mundi, & ex pulchritudine creaturarum Creatorem omnium intelligat Deum, & opera eius miretur, laudetq. operum Creatorem, ad animam hãc vita ingreditur per fenestras oculorum. Sed & cum auditum inclinat ad verbũ Dei, & rationibus sapientiæ & scientiæ eius delectatur; huic per aurium fenestras ad animã sapientiæ lumen ingreditur. Per has ergo fenestras prospiciens verbum Dei, & prospectum suum ad Sponsam animam dirigens, assurgere hortatur eã, & venire ad se: idest corporea & visibilia relinquere, & ad incorporea & inuisibilia, ac spiritalia properare: quoniam quæ videntur temporalia sunt, quæ autem non videntur æterna. Quod autem per retia fenestrarum prospicere dicitur, illud sine dubio indicat, quod donec in domo huius corporis posita sit anima, non potest nudam & apertã Dei sapientiam capere, sed per exempla quædam & indicia atque imagines rerum visibilium, illa, quæ sunt inuisibilia, & incorporea, contemplatur; & hoc est prospicere ad eam sponsum per retia fenestrarum. *Hier. 9.*

5 Hom. 22. in Gen. to. 1.

CHRYSOSTOMVS explicans verba illa Gen. cap. 6. Videtes filij Dei filias hominũ, quod essent pulchrę, inquit: Pulchritudo aspectus intemperantiæ eis occasio fuit, a pulchritudine enim victi sunt, & frenum imponere inordinatæ concupiscentiæ suæ non voluerunt, sed spectando capti submersiq. sunt. Quid igitur? Reprehendet ne aliquis aspectum oculorum? Non. Neque enim oculus ruinæ causa fuit, sed voluntatis negligentia, & irrefrenata concupiscentia. Nam oculus propterea factus est, vt dum videt creaturas Dei, ipsarum Conditor glorificetur. Itaq; oculi opus est videre, male autẽ videre a mente est, quæ intrinsecus gubernat. Nam membra nostra vtpote vtilia ad facienda bona condita sunt a Domino, & gubernari possunt ab anima. Postquam autem hæc negligens esse, & habenas laxare cœperit, quasi auriga nesciens indomitorũ equorum ferociam compescere, permissis frenis, & equos currum trahentes, & seipsum in præceps ire facit, sic plane & voluntas nostra, quandoquidẽ nescit membris, vt oportet vti, indulgens inordinatis concupiscentijs, seipsam submergi facit. Propterea Dominus Iesus sciens fragilem nostram naturam, & voluntatis negligentiam, legem posuit, quæ muniret & prohiberet curiosam considerationẽ, vt nascens in nobis incendium, cum adhuc a longe est, extinguat, & inquit. Qui aspicit mulierem ad concupiscendam eam, iam adulterium commisit in corde suo. Propter hoc, inquit, interdico vobis illicitũ visum, vt ab opere illicito vos liberem. Igitur & hi visæ pulchritudinis spectaculo capti sunt. *Matt. 22.*

6 Homil. 8. in epist. Pauli ad Col. to. 4.

IDEM explicans illa verba; Mortificate membra vestra, sic habet: Concupiscunt hæc mẽbra omnia terrena. Si oculus terrenus fuerit, ea, quæ in cælis sunt non videt; ita & auditus, & manus, & quodcumq; aliud membrum dixeris. Oculus corporea videt, & pulchritudinem, & pecunias, illa vero terrena sunt, illis delectatur, auditus cõcentu delicato, turpiloquio afficitur: at illa terrena sunt. Postea quã igitur in cælos eos prope thronũ Dei statuit, tunc dicit: Mortificate membra vestra terrena. Non enim licet in cælis cum his membris stare, sed corruptibile hoc induet incorruptionem. Non autem dixit, mortificate mẽbra vestra, quæ sunt ex terra, sed quæ sunt super terram. Nam quando auris nihil eorũ audit, quæ in hac terra sunt, sed quæ in cælis dicuntur, quando oculus nihil terrenũ videt, sed quæ supra sunt in cælis, iam non super terrã est, quando manus nihil mali operatur, non est ex illis, quæ super terram sunt, sed quæ in cælis.

7 Hom. 22. ad pop. Antiochen. to. 5. 2. Reg. 11.

IDEM ait: Dedisti mihi oculos vt videã lucem tuam, ego autem his male prospexi, aiebat Dauid, erraui aliquando male intuitus, male fenestras aperui, propterea lachrymis ipsas abluo, sic igitur oportet lugere, & oculũ male conspicatum lauare. Et tu vulnus nosti, animæ tuæ ianuas munire festina, non oculum tantum, verum & aures, & os. Istæ enim sunt fenestræ, per quas pro sententia vel bona prodeunt, vel mala. Vide ne mors subeat tibi per fenestras tuas, sed sint tibi semper in oculis, honestatis mãdata, in auribus Dei præceptorum testamenta, in ore laudum cantica, & antiqui, nouiq. testamẽti meditatio. Has fenestras Deo quidem aperire, sed peccato occludere debemus. Dic tu quoque secundum illam sanctam animam: Dixi, ascendam palmam ad tenendum sublimitates eius; rectitudinem amantem, & mundum habentem cor, & ad cælestia bona currentem, nec circa terrena tantum distractam. *Cant. 7.*

8 Lib. 1. aduer. Iouinia. n. 2.

HIERONYMVS dicit: Quinq; reges, qui in terra promissionis ante regnabant, resistebantq. Euangelico exercitui, Iesu pugnante superantur. Hoc puto intellectu esse perspicuum, quòd antequam Dominus populũ suum educeret de Ægypto, & circumcideret eum, visus, odoratus, gustus, auditus, tactusq. regnauerint, & his quasi principibus fuerint vniuersa subiecta. Quos Iesus ad speluncam corporis confugientes, & ad tenebrosum locum, id est ipsum ingredientes corpus, interficit, vt per id occiderentur per quod ante regnabant.

9 Li. 2. aduersus Iouin.

IDEM inquit: Sensus noster illud cogitat quod videt, audit, odoratur, gustat, & ad eius rei trahitur appetitum, cuius capitur voluptate. Vetus sententia est, difficile est immo impossibile delicijs & voluptatibus affluentes non ea cogitare, quæ gerimus. Sensus corporum quasi equi sunt sine ratione currentes, anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium. Et quomodo equi absque rectore præcipites ruunt, ita corpus sine ratione & imperio animæ in suum fertur interitum. Alia quoque comparatio animæ & corporis a philosophis ponitur, corpus puerum, animam pædagogum esse dicentibus. Vnde & Historicus, animæ imperio, inquit, corporis seruitio magis vtimur, alterum nobis cum dijs, alterum cum belluis commune est. Igitur nisi vitia adolescentis & pueri prudentia pædagogi rexerit; omnes conatus eius, & impetus ad lasciuiam properant.

10 In epist. ad Aug. to. eo.

IDEM sic dicit vno verbo: Dauid quinq; lapides de torrente accipiens læuigatos, nihil asperitatis, & sordium inter huius sæculi turbines, in sensibus suis esse monstrabat, & idcirco superbissimum Goliath interfecit.

11 Lib. 7. in ca. 19. Isa. to. 4.

IDEM explicans verba illa; In die illa erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaan, dicit: Has quinque ciuitates plerique nostrorum quinque sensus intelligunt, visum, auditum, odoratum, gustũ, & tactum. Quando videmus mulierem ad cõcupiscendũ, visus noster loquitur lingua Ægyptia. Quando audimus iudicium sanguinis, dicente Domino: Non suscipies auditionem vanam, auditus noster loquitur lingua Ægyptia. Quando secundum Prophetam viuimus in delicijs, & iacemus super lectos eburneos, & primis vngimur vnguentis, odoratus noster loquitur lingua Ægyptia. Quãdo venter noster Deus est, gustus noster loquitur lingua Ægyptia. Si non audierimus illud, quod Apostolus loquitur: Bonum est homini mulierẽ non tangere, sed e contrario iungamur meretrici, tactus noster loquitur lingua Ægyptia. Sinautẽ e contrario eleuauerimus oculos nostros, & viderimus quòd regiones iam albæ sunt ad metendum, & nequaquam curui fuerimus in terram, sed iuxta Euangelicam mulierem, quæ decem & octo annis cælum aspicere non poterat eleuauerimus oculos nostros, & dixerimus: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Oculus noster, & visus loquitur lingua Chananitide. Si circumciderimus aures nostras, & audierimus Dominum loquentem: Qui habet aures audiendi audiat, auditus noster loquitur lingua Chananitide. Qui potuerit Spõso dicere: Post te in odorem vnguentorũ tuorum currimus; & illud Pauli: Christi bonus odor sumus in omni loco, huius odoratus loquitur

1. Cor. 7.

Psal. 122.

Cant. 1.

2. Cor. 1.

12 quitur lingua Chananitide. Gustus quoque in bonam partem accipitur eius, qui comedit panem de cælo descendentem, panem viuum, & *Psal. 33.* non mortuum. Et audit illud: Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus, statim loquitur lingua Chananitide. Sed & tactus spiritualis est, de quo Ioannes Apostolus ait: Et *Marc. 5.* manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ, & qui tangit Iesum, ita vt de eo Saluator possit dicere: Tetigit me aliquis, ego enim scio virtutem de me exisse. Didicimus quanta bona tribuat eleuata manus Domini, quæramus quare non lingua Hebræa, sed lingua Chananitide loquantur quinque Ægypti ciuitates. Ad quod ita respondere conabimur. Hebræus transitorem sonat, qui de loco transit ad locũ. Ergo & nos licet sancti, quamdiu in Ægypto sumus, & in istius mundi versamur tenebris, non possumus loqui lingua Hebræa, sed Chananitide, quæ inter Ægyptiam, & Hebræam media est, & Hebrææ magna ex parte confinis. Quando igitur ab Ægypto recedimus, & exire volumus de potestate Pharaonis, ita vt terra nostra, & confessio formidolosa sit Ægypto, tunc mouemur, & quasi respondemus voluntati, & tamen, quia adhuc in præsenti sæculo sumus, lingua Hebræa nondum loqui possumus. De his quinque ciuitatibus, cum aliarum quattuor tacita sint nomina, vna dicitur Solis ciuitas, quæ mihi videtur referri ad visum. Sicut enim, vt videatur ciuitas sole, & luna indiget, ita vt oculi nostri illuminentur indigemus sole iustitiæ.

13 IDEM explicans illa verba; Audite mu-
Lib. 2. in ca. 9. Hiere. lieres verbum Domini, & docete filias vestras lamentum, & vnaquæque proximam suã planctũ. Quia ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras disperdere paruulos de foris, iuuenes de plateis, ait: In condemnationem sacerdotum, atque doctorum, & virorum omnium mulieribus loquitur, vt illis cessantibus a doctrina istæ audiant verbũ Dei, & assumant sermones oris eius, doceantq. filias suas, & proximas planctum, & causas lachrymarum, Quia ascendit, inquit, mors per fenestras nostras, ingressa est domos nostras. Quod & de Babyloniorum impetu intelligi potest, quòd tanta sit fortitudo & velocitas præliandi, vt non expectent reserare fores, sed per fenestras & tecta conscendant, vt domos vastent Hierusalem. Quod & spiritualiter etiam potest intelligi, eo quòd per omnes sensus ad animæ interitum mors introeat peccatorum.

14 IDEM explicans verba illa; In die cum
In Abdiam proph. to. 5. starent aduersus eos, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi vnus ex eis, inquit, litteralis sensus est, quod Edom, Chaldæis, Babylonijsq. vastantibus Hierusalem, & obsidentibus ciuitatem, & ingrediẽtibus portas eius, mittẽtibusq. sortem in diuisione prædarum, tu eorum socius eras, & in hostium numero versabaris. Possumus extraneos ingredientes portas Hierusalem cogitationes pessimas dicere; portasq. Hierusalem, idest animæ quiescentis, & videntis Deum, quinque sensus interpretari, per quos introeant hostes, & spolia diuidant Hierusalem. Si viderimus mulierem ad concupiscẽdum; mors ingressa est per fenestras nostras. Si susceperimus per aures mendacium ac iudicium sanguinis: per aliam portam hostis ingressus est. Odoratus quoque gustus, & tactus, si vel varijs odoribus, vel dulcibus cibis, vel amplexibus delicatis captus fuerit, per alias portas ingressi sunt aduersarij, & spolia diuidunt miseræ Hierusalem.

15 IDEM exponẽs illa verba; Inimicis tuis
In c. 3. Nahum. adapertione pandentur portæ terræ tuæ, deuorabit ignis vectes tuos, sic habet: Hunc locum intelligere poteris assumens de Hieremia testimonium, in quo scriptum est: Ascendit *Hierc. 9.* mors per fenestras nostras. Quodque per Hieremiam in fenestris, hic in portis asseres demonstrari, & has ipsas ad sensus referes quinque, qui in nobis sunt. Portæ itaque terræ Niniue, corporales sensus intelligãtur, portæ autem Hierusalem cælestis omnis sensus diuinus & de supernis veniẽs. Has portas Niniue aperit populus eius per visum, & auditum, & omnes reliquos sensus quasi per latam, & spatiosam viam, quæ ducit ad mortem, corporales quærens capere voluptates, quibus claudunt homines Dei portas suas, obturantes aures ne audiant iudicium sanguinis, claudentes oculos suos ne videant iniquitatem, obturantes nares ne vnguenta prima in effeminationem animæ suæ odore suscipiant, claudentes os gulæ, & vẽtri auido, & a tactu molli retrahentes manus suas ne ad libidinem venter exæstuans, in femineos ardentem animam cogat amplexus. Qui autem homines Dei sunt, aperiunt sensus suos, idest portas cælestis Hierusalem, vt ad eos ingrediatur sermo Dei. Malarum portarum illud exemplum est: Qui exaltas me de portis *Psal. 9.* mortis. Bonarum hoc, Vt annunciem omnes *Nahum 3* laudes tuas in portis filiæ Sion. Quando videris amatorem voluptatum, magis quàm amatorem Dei, & luxuriæ deditum, statim de eo dicito: Inimicis suis aperuit portas terræ suæ, non enim amicis animæ suæ, sed inimicis aperiunt portas terræ Niniue. Quòd si & hi, qui principes putantur in populo, eadem fecerint; de his quoque dicere non timebis. Duces populi mei de domo deliciarum suarum eiecti sunt. Quod autẽ subdit, Comedit vectes tuos, huiusmodi est. Si quid naturalis boni in anima tua videbatur esse, quod in similitudinem vectium hostes, qui per portas sensuum tuorũ conabantur irrumpere, prohibere posset & repellere, hoc Babylonio igne succẽsum est. Nec non aquam munitionis attrahe tibi, de sermone Dei dicitur, vt circumdet sibi quasi murum firmissimum scripturarum doctrinam, ne ad interiora eius possit hostis irrumpere.

16 IDEM explicans verba illa; Tabescet ca-
Lib. 3. in ca. 14. Zach. ro vniuscuiusque stantis super pedes suos, & oculi

oculi eius contabescent in foraminibus suis, vel defluent de foraminibus eorum, vt semptuaginta verterunt, & lingua eorum contabescet in ore suo, dicit: Qui enim in Domino, & cum Domino steterit, defluent eius carnalia, vt oriantur spiritualia, & oculi, qui male videbant, cadent de foraminibus suis, vt alij reponantur, qui possint Dominum suspicere *Psal. 122.* cum propheta dicente: Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cælis. Et lingua blasphemans ideo computrescet, vt altera lingua nascatur, quæ glorificet Deum, & possit dicere: *Psal. 70.* Lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota *Luc. 2.* die laudem tuam. Vnde & Simeon suscipiens in vlnis infantem, & futura prænuncians, ait: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum, vt mala cadant, & optima suscitentur. Vnde & Dominus in iudicium, inquit, ego veni in hunc mundum, vt *Ioan. 9.* qui non vident videant, & videntes cæci fiant. *Isaiæ 61.* Venit enim Dominus prædicare cæcis visum, vt videant, & illuminentur sapientia, de qua *Eccls. 8.* scriptum est: Sapientia hominis illuminat faciem eius: Et in Psalmis legimus: Dominus *Psal. 14.* illuminat cæcos, siue sapientes facit, vt grẽcis exemplaribus consonat. Videbant Iudei, & quia lumen recipere noluerunt, æterna cæcitate cooperti sunt. Vide lib. 13. cap. 2.

Sermones audire expedientissimum est, & domi conferre multis, autem de causis hominibus non prosunt.

Cap. X.

1 ORIGENES ait: Vereor ne adhuc in tristitia,
Hom. 10. in c. 24. Genes. to. 1. & gemitu Ecclesia filios pariat. An non est ei tristitia, & gemitus, cũ vos non conuenitis ad audiẽdum Dei verbum? Et vix festis diebus ad Ecclesiam proceditis, quid igitur ego faciam, cui dispensatio verbi credita est? Qui licet inutilis seruus sim, accepi tamen a Domino distribuendam familiæ Dominicæ tritici mẽsuram. Sed distribuendam, inquit, in tempore tritici mensuram. Quid ergo faciam? Vbi, vel quando vestrum tempus inueniam? Plurimum ex hoc, immo pene totum tempus mundanis occupationibus teritis in foro, aliud in negotiatione consumitis, alius agro, alius litibus vacat, & ad audiendum Dei verbum nemo, aut pauci admodum vacant. Sed quid vos de occupationibus culpo? Quid de absentibus conqueror? Præsentes etiam, & in Ecclesia positi non estis intenti, sed communes ex vsu fabulas teritis verbo Dei, vel lectionibus diuinis terga conuertitis. Vereor ne & vobis dicatur a Domino: Conuerterunt ad me dorsa, & non facies suas. Quid igitur ego faciam? Possum ne surdis, & auersis auribus ingerere margaritas verbi Dei? Infra: Rebecca veniebat cum filiabus ciuitatis *Gen. 24.* haurire aquam de puteo. Rebecca quotidie veniebat ad puteos, quotidie hauriebat aquam. Et quia quotidie vacabat ad puteos, idcirco inueniri potuit a puero Abraham, & in matrimonium sociari Isaac. Animarum est ista eruditio, & spiritalis doctrina, quę te instituit, & docet quotidie venire ad fontes Scripturarum ad aquas Spiritus sancti, & haurire semper, ac plenum vas domum referre, sicut faciebat & sancta Rebecca. Vult te Christus sibi desponsare, sed non fit hoc, nisi venias ad puteos, & haurias aquas, ne fitim verbi Dei 2 patiaris, sed audias Dominum dicentem: Qui sitit veniat ad me, & bibat. Infra: *Ioan. 7.* Necesse est castigare eos, qui non exeunt de castris, nec procedunt de domibus luteis, vt colligant sibi manna, qui non veniunt ad petram, vt bibant de spiritali petra. Dicite mihi vos, qui tantummodo festis diebus ad Ecclesiam conuenitis, ceteri dies non sunt festi? Non sunt dies Domini? Iudæorum est dies festos, & raros obseruare solemnes. Et ideo ad eos dicit Dominus: Neomenias vestras, & *Isa. 1.* sabbata non sustineo. Ieiunium, & ferias, & dies vestros odiuit anima mea. Odit ergo Deus eos, qui vnum diem putant festum diem esse Domini. Christiani omni die carnes agni comedunt, idest, carnes verbi Dei quotidie sumunt. Et quia lex paschæ talis est, vt in vespera comedatur, propterea in vespera mundi passus est Dominus, vt tu semper manduces de carnibus verbi, quia semper in vespera es vsque quo veniat mane. Obserua quanta geruntur ad aquas, vt & tu inuiteris quotidie venire ad aquas verbi Dei, & assistere puteis eius, sicut faciebat Rebecca. Venit ad Isaac Rebecca, & inuenit eum ad puteum iuramenti deambulantem. Nusquam receditur a puteis, numquam desistitur ab aquis. Rebecca inuenitur ad puteum: rursum ad puteum Rebecca inuenit Isaac. Ibi primos eius contemplatur aspectus, ibi desilit de camelis, ibi a puero demonstratum sibi vidit Isaac. Et Iacob ad puteum venit, & ibi inuenit Rachel, & ibi innotescit ei pulchra oculis, & decora facie. Sed & Moyses ad puteum inuenit Sephoram filiam Raguel. Putas semper casu contigere, vt Patriarchæ ad puteos veniant, & ad aquas coniugia sortiantur? Sed hæc mystice intelligenda sunt. Ego puto coniunctionem animæ cum Deo non aliter fieri posse, nisi per instructionem diuinorum librorum, qui figuraliter putei appellantur. Ad quos si quis veniat, & hauriat ex his aquas, idest, medi tando in his sensum, intellectum percipiat altiorem, inuenit nuptias Deo dignas. Desilit etiã de camelis, idest, discedit a vitijs, abijciet irrationabiles sensus, & coniugetur Isaac.

3 IDEM differens de vultu Moysi glorifica-
Hom. 12. in Exo. ca. 34. to, & velamine, quod ponebat in facie suã, dicit. Videamus ergo ne non solum cum Moyses legitur, sed & cũ Paulus legitur, velamẽ sit positũ super cor nostrũ: & manifeste, si negli-

genter audimus, si nihil studij ad eruditionem, & intelligentiam conferimus non solum legis, & propheta rum scriptura, sed & Apostolorum & Euangeliorum grandi nobis velamine tegitur. Ego autem vereor ne per nimiam negligentiam, & stoliditatem cordis, non solum velata sint nobis diuina volumina, sed & signata, vt si detur in manus hominis nesciẽtis litteras liber legendus, dicat, quia nescio litteras. Si detur in manus hominis sciẽtis litteras, dicat, quia signata est. Vnde ostenditur non solum studium nobis adhibendum esse ad discendas litteras sacras: verum & supplicandum Domino diebus, ac noctibus, vt veniẽs Agnus de tribu Iuda, & ipse accipiat librum signatum digneturq. aperire.

4 IDEM ait: Præcepit mihi Dominus meus dicens. Oportebat te dare pecuniam meam ad mensam, & ego veniens cum vsuris vtiq; exegissem illam, ipsum rogabo, vt verbum meum suam pecuniam facere dignetur, vti non meam pecuniam, non meum aurum nobis, sed ipsius fœnerem. Vos iam videritis suscipientes Dominicam pecuniam quomodo vsuras eius venienti Domino præparetis. Vsuræ autem sunt verbi Dei habere in vsu vitæ, & actuum, ea quæ præcepit sermo Dei. Si ergo audientes verbum vtimini eo, & agitis secundum ea, quæ auditis, & secundum hæc viuitis, vsuras Domino præparatis, & potest fieri, vt vnusquisque vestrum de quinque talentis faciat decem, & audiat a Domino. Euge serue bone, & fidelis eris potestatem habens super decem ciuitates. Tantum istud videte, vt ne quis vestrum acceptam pecuniam, aut in sudario liget, aut defodiat in terram, quia huiusmodi hominis in aduentu Domine, quis sit exitus, bene nostis. Infra: De constructione tabernaculi inbens Dominus, ait: Vnusquisque autem nostrum, sicut corde concepit offerat initia Domino. Videamus quomodo sicut corde conceperit, quis offerat. Quanti modo hic præsentes sumus, & sermo Dei tractatur. Sicut qui concipiunt corde, quæ lecta sunt: sunt qui omnino non concipiunt, quæ dicuntur, sed est mens eorum, & cor aut in negotijs, aut in actibus sæculi, & lucri, & præcipue mulieres quomodo putas corde concipiunt, quæ tantum garriunt, tantum fabulis obstrepunt, vt non sinant esse silentium? Iam quid de mẽte earum, quid de corde discutiam? Si de infantibus suis, aut de lana cogitent, aut de necessarijs domus. Vereor magis ne sequãtur illas de quibus dicit Apostolus. Quæ discunt circuire domos non solum verbosæ, sed & curiosæ loquentes, quæ non oportet. Quomodo ergo istæ tales corde concipiunt? Non concipit, corde quis nisi vacat corde: nisi sit mente liber, & totus intentus, nisi corde vigilet non potest corde concipere, & offerre dona Deo. Iustum est enim, vt in tabernaculo Domini inueniatur vnusquisque habere portionem suam. Non enim latet Deum vnusquisque quid ei offerat. Quàm glorioſum tibi est, si dicatur in tabernaculo Domini. Aurum istud (verbi causa) quo arca testamenti obtegitur, illius est. Argentum ex quo bases, & columnæ sunt, illius est, æs de quo annuli, & candelabrum, & nonnullæ columnarum bases factæ sunt, illius est. Sed & lapides isti humerales, illius sunt. Purpura qua ornatur Pontifex, illius est, & coccus illius est, & cetera quæque per singula. Et rursum, quàm indecorum, & miserum erit, si Dominus veniens requirere ædificium tabernaculi, nihil muneris tui inueniat in eo, nihil a te cognoscat oblatum. Sic indeuotus, sic infidelis vixisti, vt nihil memoriæ tuæ in tabernaculo Dei esse gestieris? Sicut enim princeps mundi huius venit ad vnumquẽque nostrum, & quærit si quid de suis actibus inueniat in nobis, & si quidem inuenerit, sibi nos vendicat. Ita e contrario, si veniens Dominus inueniat aliquid tuum in tabernaculo suo, suum te dicit. Ego optarem (si fieri posset) esse aliquid meum in illo auro, ex quo propitiatorium fabricatur, vel ex quo arca contegitur, vel ex quo candelabrum fit luminis, & lucernæ. Aut si aurum non habeo, & argentũ saltem aliquid inueniar offerre, quod proficiat in columnas, vel in bases earum. Aut certe vel æris aliquid habere merear. Vtinam & mihi esset possibile, & vnum esse ex principibus, & offerre gemmas ad ornamentum Pontificis humeralis, & rationalis. Sed quia hæc super me sunt, certe vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo Dei, tantum ne in omnibus ieiunus, & infœcundus inueniar. Vnusquisque ergo sicut concepit corde. Videte si concipitis, videte si tenetis, ne forte effluant, quæ a me dicuntur, & pereant. Volo vos admonere religionis vestræ exemplis nostris, qui diuinis mysterijs interesse consuestis. Quomodo cum suscipitis corpus Domini, cum omni cautela, & veneratione seruatis, ne ex eo parum quid decidat, ne consecrati muneris aliquid dilabatur. Reos enim vos creditis, & recte creditis, si quid inde per negligentiam decidat. Quòd si circa corpus eius conseruandum tanta vtimini cautela, & merito vtimini, quomodo putatis minoris esse piaculi verbum Dei neglexisse, quàm corpus eius? In tabernaculo etiam offerendus est coccus bis tinctus, quia in concionibus cum scientię lumine, ignis culus seueritatis admiscendus est, color enim iste ignis indicat elementum. Ignis autem in futuro ardet, sed non lucet, hic autem ardet, & lucet. Vnde loquente Domino dixerunt discipuli euntes in Emmaus. Nonne cor nostrũ ardens erat in nobis, cum loqueretur in via, & aperiret scripturas? Vbi duo narrat, & intelligentiam scripturarum, & inflammationem cordium.

Hom. 13. in ca. 35. Exo. Luc. 19.

5

Luc. 24.

7 IDEM dicit; Mirum contuere ordinem sacramentorum. Ingrediens Pontifex in sancta sanctorum, ignem secum de hoc altari portat, & incensum de hac æde suscipit. Sed & vestimenta, quibus indutus est, de hoc loco sumpsit. Putasne dignabitur Dominus meus verus

Homil. 9. in ca. 16. Leui.

verus Pontifex, & a me suscipere partem aliquam incensi compositionis minuti, quod secum deferat ad Patrem? Putasne inueniet in me aliquid igniculi, & holocaustum meum ardens, vt dignetur ex eo batillum suum implere carbonibus, & in ipsis Deo Patri odorem suauitatis offerre? Beatus est cuius tam vilios, tamque ignitos holocausti sui carbones inuenerit, vt eos aptos iudicet, quòd altari superponat incensi. Beatus in cuius corde inuenerit, tam subtilem, tam minutum, tamque spiritalem sensum, & ita diuersa virtutum suauitate dispositum, atque compositum; vt replere ex eo dignetur manus suas, Deoq. Patri suauem odorem intelligentiæ eius offerre. At contra infelix animo, cuius fidei ignis extinguitur, & refrigescit charitatis calor, ad quam cum uenerit cælestis Pontifex noster quærens ab ea ignitos, & ardentes carbones, super quos incensum offerat Patri, inuenerit in ea aridos cineres, & frigidas fauillas. Tales sunt omnes, qui subtrahuut se, & longe faciunt a verbo Dei, ne audientes sermones diuinos accendantur ad fidem, incalescant ad charitatem, igniantur ad misericordiam. Vis tibi ostendam quomodo de verbis Dei ignis exeat, & accendat corda credentium? Audi dicentem Dauid in Psalmis. Eloquium Domini igniuit eum. Tu ergo vnde ardebis? Vnde inuenientur in te carbones ignis, qui numquam Domini igniris eloquio? Numquam verbis Spiritus sancti inflammaris? Audi & alibi ipsum Dauid dicentem. Concaluit cor meum intra me; & in meditatione mea exardescit ignis. Vnde tu concalescis? Vnde ignis accenditur, qui numquam in diuinis meditaris eloquijs? Immo quod est infelicius concalescis in spectaculis circi, in ludis, in equorum contentionibus, atque iste ignis non est de altari Domini, sed is est, qui dicitur ignis alienus, & audisti Paulo superius, quia qui obtulerunt alienum ignem ante Dominum, extincti sunt? concalescis, & cum te repleuerit iracundia, & cum te inflammauerit furor, vreris interdum, & amore carnali, quem qui accenderit, Nadab, & Abiu perferet sortem.

Psal. 38.

Leuit. 10.

8 IDEM explicans ea verba; Mutuabitur peccator, & non soluet, iustus autem miserebitur, & retribuet, inquit. Cum docet Paulus, & assistunt ei auditores Paulus est, qui pecuniam fœnerat Dominicam, auditores autem sunt, qui ex ore eius pecuniam verbi suscipiunt fœneratam. Et si quidem iustus sit, qui susciat ab eo pecuniam, reddet integrum fœnus, & dicit: Quinque mnas mihi dedisti, ecce acquisiui alias quinque. Si vero peccator est, suscepto Dei verbo non operatur ex eo opera mandati, & non reddit vsuras, sed consumit omnia, quæ accepit in fœnus. Ecce & nunc vos omnes, quibus hęc loquor, pecuniam accipitis fœneratam, verba mea hęc, pecunia Domini est. Quia eloquia Domini eloquia casta, argentum igne examinatum, vel probatum. Si ergo male doceo, pecunia mea reproba est, secundum illos quibus dictum est. Argentum vestrum reprobum. Si autem bene doceo, pecunia, vel argentum non est meum: Sed Domini est, & probatum est. Licet ergo mihi fœnerare pecuniam Domini, meam autem propriam nõ licet. Si videris aliquem non sua propria, sed Dei verba loquentem, qui vere audeat dicere. An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus? Scito quia iste fœnerat quidem, & non suam, sed Domini pecuniam. Fœnerat & facit illud, quod scriptum est. Tota die miseretur, & fœnerat, habens auctoritatem fœnerãdi a Domino, qui dixit. Negotiamini dum venio. Et ad illum seruum, qui pecuniam multiplicare contempserat, dicit, & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego veniens vtique cum vsuris exegissem illam. Iste est ergo peccator qui mutuatur, & non soluet; iustus autem acceptam pecuniam restituit cum vsuris, hoc est acceptum Dei verbum cum operibus repręsentat. Audis sermonem de castitate, collaudas doctorem, amplecteris doctrinam, admiraris magisterium, per hæc suscepisti pecuniam castitatis. Et si quidem peccator es, egressus Ecclesiam inseris te negotijs sæcularibus, excipit te lasciuia, subsequitur temulentia corruptorum hominum malefida colloquia, oblitus continuo omnium, quæ a doctore susceperas; quæ laudaueras; quæ admiratus fueras, & ad impudica rursum deuolueris scorta, & effectus peccator, qui mutuatus es verbum castitatis, & non reddis opera castitatis. Similiter etsi audieris verbum iustitię in Ecclesia, egressus es foras, occurrit tibi vicinus cuius agrum concupieras, & continuo oblitus eorum, quæ dicta sunt, vt cupiditati tuæ satisfacias, inuadis quæ aliena sunt, & sic mutuatus de iustitia, pecuniæ non reddis vsuras, operans gesta iustitiæ. Sic ergo & de singulis quibusque mutuatur peccator, & non soluet, iustus autem miseretur, & commodat.

Luc. 19.

9

Homil. 3. in Ps. 36. to. 2.

10 IDEM explicans verba illa; Domine ne in furore tuo arguas me; neque in ira tua corripias me, quoniam sagittæ suæ infixæ sunt mihi, dicit: Qui ait Domine ne infurore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, debet proferre aliquam rationem quare nolit, vel in furore argui, vel in ira corripi. Et quę sit ista ratio videamus, vt nos si delinquimus, hanc rationem dicentes & facientes secundum hoc quod docemur, non incurramus in vindictam furore arguentis, vel ira corripientis. Quoniã inquit, sagittæ tuæ infixæ sunt mihi: & confirmasti super me manum tuam. Sermo Domini sagittis est similis. Denique & Saluator, vt diximus, Posuit me sicut sagittam electam, & in pharetra sua abscondit me. Qui ergo loquitur sermonem Domini, sagittas iaculatur. Et cum loquitur corripiens, & castigans correptionis iaculo cor perforat audientis. Qui ergo, ita suscepit verba Domini, vt ex his, quę audit sermonibus cor suum configatur, & per stimulum eorum, quæ dicta sunt ad pœnitentiam suscitetur.

Homil. 1. in Psalmo 37.

10

tetur, certum est, quoniam in illum in vanum non abijt sermonis Dei iaculum, neque transvolauit, sed in ipso omnes illæ sermonum Dei defixæ sunt sagittæ. Merito ergo & nunc dicit propheta: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Digna est enim causa, quæ subsequitur, quæ ab eo correptionem furoris Domini debeat temperare, quoniam sagittæ tuæ in fixæ sunt mihi.

11 Verbi gratia: & nunc si ex ista omni multitudine auditorum sint aliqui conscij sibi in aliquo peccato, & hi si his auditis, quæ loquimur, recte, & fideliter audiant, & compungatur cor eorum ex iaculis verborum nostrorum, & trãsfixi talibus iaculis doleant, & conuersi ad pœnitentiam dicant; Domine ne infurore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me, quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Si vero audiens hæc non compungatur, sed tamquam in corpore iam emortuo, ita in anima eius nulla sagitta, nullum iaculum sensum doloris inueniat, nec vllam recordationem suorum capiat peccatorum, iste quippe est, vt stimulis furoris Domini corripiatur, atque iræ eius correptionibus arguatur. Non enim potest dicere Domino; Quoniam sagittæ tuę infixę sunt mihi. Atque vtinam omnes, qui nos audiunt cõpuncti, & stimulati ex his, quæ dicuntur, atque ad pœnitentiam conuersi, dicant ad doctorem; Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, & dum castigas nos verbo Dei, dum verberas, dum in interioribus nos conscientiæ percutis,

Psal. 37. Confirmasti super me manum tuam. Confirmat namque manum supra pueros pædagogus, dum verberat, & emendat; & confirmat manum dum verbera non negligenter, aut leuiter infiguntur. Sic cum Deus miserit sagittas verborum suorum, & infigerit eas in auditorum animam, merito tales Domino dicunt; Quoniam confirmasti super me manum tuam.

12 BASILIVS ait: Tu cogita, vbi lectum
Ho. 21. inter 29. vario. 1. est, & audisti sermonem, quid me concernit? Quæ de iracundis sunt lecta, agnosce pro tuis, qui iracundus es. Dicito, hic meus est morbus, agnosco infirmitatem meam. Accipe remedium. Si accesseris ad medicum, & videris apud eum varia pharmaca, varijs contenta tabellis, considerabis, quid tuo morbo conueniat. Non enim, qui pede offendit, quærit oculi curationem, sed qui oculum habet affectum, commodam opem quærit oculo. Itaq; quisque ex scripturis, & concinibus morbo suo conuenientia sumat. Iracundus es? cohibe iram. Vir iracundus, inquit, turpis est; discе ex hac scriptura, sit vultui tuo speculi vice.

13 IDEM in prologo ait: Quemadmodum
Lib. de reg. fusius disp. to. 2. mihi necessitas incumbit, & væ mihi est, si non euangelizauero, itidem & vos quoque in pari mecum estis periculo, si aut in exquirendo segniores, aut ad ea, quæ tradita vobis fuerint, conseruanda, & re ipsa conficienda lento animo fueritis ac dissoluto. Propterea
1. Cor. 9.
Ioan. 12. Dominus dicit: Sermo, quem locutus sum, ille iudicabit eum innouissimo die. Et item: Seruus qui nescit voluntatem Domini sui, & *Luc. 12.* fecerit digna plagis, vapulabit paucis, qui vero scierit, & non fecerit, vapulabit multis. Oremus ergo communiter fratres, vos quidem, vt hoc delatum mihi loquendi munus careat offensione; ego vicissim, vt doctrina mea vobis accidat fructuosa.

CHRYSOSTOMVS dicit; Rogamus 14 *Hom. 2. in c. 2. Gen. t. 1.* charitatem vestram, vt dictorum sitis memores, & semper horum memoria vobis insonet; & post sensibilem mensam, cum hic abieritis, apponite & spiritualem mensam. Et dicat quidem vir aliqua eorum, quæ nunc hic sunt dicta, audiat autem mulier, discant pueri, discant & familiares, fiatq. domus Ecclesia, vt effugetur diabolus inimicus salutis nostræ, requiescat autem ibi Spiritus sancti gratia, & omnis pax, & concordia muniat inhabitantes. Quod si eorum, quæ iam dicta sunt, memores eritis, pronptius etiam, quæ post hac seminaturi sumus, suscipietis: & nos quoque maiori vbertate dicemus, quæ nobis suppeditabit gratia Dei, si germinare viderimus, quæ nunc a nobis dicta sunt. Quando quidem, & agricola videns semina nasci, maiori proptitudine arua considerat, & excolit, paratus & alia seminare. Vita consonet fidei dogmatis, & dogmata prędicent vitam. Nam tametsi sanam teneamus doctrinam, vitam autem negligamus, nihil nobis proderunt doctrinæ. *Matt. 7.* Omnis, qui audit hos sermones, & facit eos, assimilabitur viro prudenti. Vide quomodo non solum audire nos vult, sed & facere, & operibus monstrare obedientiam. Et hunc prudentem vocauit, qui operibus consequentibus sermones conspicuus est: qui vero tantum ad sermones peruenit, & non ad opera, eum stultum vocauit merito, quia talis domum suam super arenam ædificauit, propterea neque ventorum vim ferre potuit, sed statim corruit.

IDEM sic incipit concione. Videns ala- 15 *Hom. 4. in Genesim.* crem, & quotidianum vestrum in hoc templo conuentum, magnam percipio voluptatem, misericordemq. Deum in profectu vestro glorificare non cesso. Nam sicut esurire sanitatis corporalis indicium est, ita & studio magno audire diuina eloquia, bonæ animę valetudinis certissimum est argumentum. Is enim Domini nostri mos est, vt quoties videt animam aliquam multo desiderio promptitudineq. intenta spiritualibus inhiantem, liberaliter illam gratia, & opulentis donis suis locu- *Lucæ 8.* pletet. Vnde nobis maior dicẽdi fiducia accedit, qui videmus non in vanum, nec frustra nos laborare, sed quotidie semẽ spirituale in vobis crescere, & nõ sicut ĩ Euãgelio seminãti euenit, *Matt. 13.* ita & nobis vobiscum. Ibi enim vna tantũ pars salua fuit, hic in gratia Dei spes est omne semẽ in terrã bonã cadere, & alios facturos fructum cẽtuplũ, alios sexagesimũ, alios trigesimum, quia sobrijs aurib', & intẽta mẽte dicta nostra accipiuntur. Videbã enim vos heri auidos doctrinę ab ore meo pẽdẽtes, & omnia facientes, ne quid

ne quid vos dictorum præteriret, dicta magna cum voluptate susçipientes. Qui autem aliquid voluptate audit; certum, quod illud bene figit in animo, ibiq. reponens facit, ne eradi queat.

16 IDEM inquit; Audiamus, quæ sunt le-
Hom. 14. in c. 2. Gen. cta, sed attenta mente, & excussis curis sæcularibus, omniq. ignauia depositа. Diuinæ enim leges sunt, & cælitus allatæ ob salutem nostrã. Iam si cum regiæ leguntur litteræ, vbique est silentium, abestq. strepitus, & tumultus, omnibus adstantibus, & aures arrigentibus, vt sciãt quæ regijs litteris manifestentur; multo magis cum magno timore, & tremore adstandum, & altum habendum silentium, & pellendæ cogitationes turbulentæ, vt quæ dicuntur intelligere possitis, quo Rex approbata obedientia vestra, maioribus vos muneribus remunerare dignetur. Infra concludens ait: Obsecro, vt omnes, qui hinc egrediuntur, cum proximis de nunc dictis inter se mutuum conferant, & ita omnia colligentes, ac recenti memoria tenẽtes, domum concedite, apud vos ipsos ruminantes diuinas hasce doctrinas, vt huc omni cura vestra conuersa, menteq. in his occupata, possitis facile, & turbulentas animi affectiones vincere, & diaboli insidias effugere. Nam cum diabolus videt animam de diuinis rebus sollicitam, & perpetuo illas versantem, neque appropiare audet, a spiritus operatione, quasi a succenso igne reiectus. Si vobis curæ fuerint diuina, & ipse quoque Deus pro nobis sollicitus erit, vt magna securitate per pelagus huius vitæ nauigemus.

17 IDEM sic habet; Principatus, & Potes-
In prologo super Euang. Ioan. to. 3. tates, Cherubim, ac Seraphim summa cum attentione Ecclesiæ auditores se exhibuerũt, quamobrem & nos multum & his adhibeamus cum æquanimitate silentium. Nam si ea, quæ in regijs fiunt domibus cognoscere exoptamus, vt quid dixerit, quid fecerit, cõsuluerit super subditis suis rex, & sæpe, quæ nihil ad nos attinẽt, quanto magis, quæ a Deo dicuntur flagramus desiderio, tum maxime, cũ ea scire nostra plurimum interfit? Quemadmodum igitur si quẽpiam e summo cælo descendentẽ repente conspicaremur, qui arcana illa certe se dicturum nobis pollicetur, omnes certatim cõcurremus, itidem & nos in præsentia faciamus. In omni igitur vita ei æquanimitatem, atque silentium præstemus, nemini segniciei, nemini somno locus sit, sed ad superna vnanimes mentes nostras erigamus. Inde enim Ioannes hic eos alloquitur, qui illic quamuis terram incolant, viuunt. Euangelium solis dæmonibus terrori est, & dæmonum seruis. Silendum ergo ore, sed maxime animo. Quænam enim tacentis vtilitas, si eius anima perturbationibus æstuet. Nulla ergo nos pecuniarum capiat cupiditas, nõ ira, non aliorum turba affectuum. Neque enim fieri potest, vt qui se non omnino his liberat, valeat illorum altitudinem intrueri, & vt oportet cognoscere mysteriorum religionem, arcana, reliquas omnes virtutes, quę his tanquam oraculis delitescunt. Nam si fidibus, & tibijs nemo 18 vmquam recte scire potest, nisi totum ad id animum intẽdat, quanam ratione huiusmodi mysteria solo auditu, animo vero alieno, & alijs curis implicito intelliget? Christus Dominus *Matt. 7.* margaritas hæc verba vocauit, quæ his longe pulchriora, præstantioraq. sunt. Verum cum ea materia non sit nobis alia charior, idcirco horum sermonum voluptatem melli sæpenumero comparare consueuit. Non quòd quicquam inter hæc conferẽdum sit, sed quod apud nos nihil est melle suauius. Quod & lapidum pretiosorum naturam, & cuiusuis mellis voluptatem plurimum diuina exuperent, audi prophetam, quibus verbis earum asserat præstantiam: Desiderabilia, inquit, super aurum, & la- *Psal. 18.* pidem pretiosum multum, & dulciora super mel, & fauum, sed bene valentibus tantum. Quamobrem subdidit: Etenim seruus tuus cu *Psal. 118.* stodit ea. Et in alio loco, cum suauia dixisset, addidit, faucibus meis: Quam suauia, inquit, faucibus meis eloquia tua, & super mel ori meo, cum in bona esset valetudine. Non igitur morbo aliquo affecti, sed animæ prius cura adhibita, hoc pabulum accip amus. Propterea tot verbis præmissis nondũ rem ipsam aggressus sum, vt quisque omni abiecta ægritudine, tamquam cælum petens ira, sollicitudine, sęculariq. omni impedimento vacuus, hic liber ingrediatur. Ad lautissimam hanc mensam verbi Dei sordidis vestibus accedere non debemus.

IDEM ait; Illud vos admonendos, hor- 19 *Homil. 2. in Ioan.* tandosq. censeo perneccssarium, vt quo nunc estis animo audiendi diuina perseueretis, nec in hoc tantum confessu, sed domi quoque vir cum vxore, pater cum filio inuicem de his frequenter loquantur, & vltro citroq. suam & ferant & inquirant sententiam, velintq. probatissimã hanc, & pulcherrimam inducere consuetudinem. Nec mihi quispiam dicat, pueros in hoc occupari non oportere. Non enim tantum opus est, vt his vacent admonitionibus, verum etiam solis, imbecillitatis tamen nostræ gratia hoc non dicimus, neque eos a sæcularibus, & terrenis rebus, sicut nec vos a ciuilibus negotijs abducimus. Vos ad spectacula filijs adductis, neque ad doctrinam, neque ad vllam bonam frugem eos vmquam hortamini. Nonne iram Dei in vos merito prouocatis, cum ceteris rebus, & certo tempore, & diligenti cura adhibita, in diuinarum rerum doctrina pueros exerceri, molestum, intempestiuumq. ducitis? Non sic fratres. Hæc profecto ætas his maxime admonitionibus indiget, tenera est, & cito, quæ ei instillantur imbibit, & audita accipit, tamquam sigillo auditus ceræ, hoc est, puerorum animis impresso. Neque enim fieri, vt sic dicã, potest, qui sermonibus aures adhibet, hisq. se Apostolicis monitionibus prompto animo offeret, quin incredibile quoddam bonum, siue vir, siue mulier, siue iuuenis, huius mensæ par- 20 ticeps consequatur. Nam si belluas verbis, & ratione nonnunquã mãsuetudinem erudimus,

longe

longe magis spirituali hac doctrina cum hominibus communicata id efficiemus, cum vtriusque, medicinæ scilicet, & eius, qui curatur, maxima sit differentia. Hanc sibi medicinam expetat, Spiritus sancti leges omni tempore audiat, & repetita domo, quæ audierit, memori tandem menti inscribat. Hoc pacto & spe bona & securitate viuet plurima, ipsaq. experientia plane quantopere proficiat, intelliget. Quippe cum diabolus diuinam legem animæ inscriptam, & cor hominis Dei tabulam factũ conspicatur, eo se amplius conferre formidat. Vbi enim litteræ regiæ, non aureo titulo, sed dilecti seruuli Iesu, menti, animoq. impressæ exuberanti Spiritus sancti gratia effulserint, ille nullo pacto perpeti, aut consistere potest, sed lõge formidolosus effugit. Nihil enim adeo eius consilia perturbat, quàm qui ad diuinarũ rerum cogitationem animus erigitur, & supernum hunc, atque vberrimum fontem haurire semper desiderat. Huiusmodi enim animus in tantis huius sæculi fluctibus, perturbationibusq. in multa viuit tranquillitate.

21 Hom. 17. in Ioan. IDEM inquit; Cibus, & balnea, & cenæ, & reliqua sæcularia statutum tempus habent, supernæ autem sapientiæ doctrina nullo tempore circumscribitur, sed omne ei tempus accommodatum est. Vnde propheta: In lege eius meditabitur die, ac nocte. Sæcularia enim, hoc est, balnea, & cenæ, quæ necessaria sunt, & frequenter petimus, corpus imbecillius reddunt, animæ autem doctrina, quanto magis imbuimur, tanto fortior efficitur. Verum enimuero in deliramentis, & nugis inutiliter vniuersum tempus consumimus, & aurora, crepusculo, meridie, vespere, frustra desidemus, locum ad hæc constituimus, diuinum autem pabulum, si semel, bisve ad summum, audimus, tamquam saturi nauseamus. Quænam horum causa? Parua animi affectio. Concupiscentiam circa hæc & appetitum dissoluimus. Magnum autem, & hoc præter alia ægritudinis indicium, quòd neque esurimus, neque sitimus, sed vtrumque in nobis iniucundum est. Nam si in corporibus, id est grauissimi morbi signum, longe magis in anima. Quonam igitur pacto oscitantem eam, & dissolutam, quibus operibus, quibus verbis sancire poterimus? Si diuinos sermones, propheticos, Apostolicos, Euangelicos, & alios omnes familiares habuerimus, tunc longe hos meliores gustatu cibos, quàm sæculi immundos cognoscemus.

Psal. 1.

22 Hom. 57. in c. 9. Ioan. IDEM dicit; Nonnulli tam misere affecti sunt, vt diutius audiendo, ne nomina librorum intelligant, nec pudet, nec verentur tam negligenter in Dei concionem ingredi. Quod si citharœdus, vel saltator, vel mimus aliquis ad scenam aduocaret ciuitatem, omnes frequenter concurrerent, & admoniti gratias haberent, in quo spectaculo diei dimidium consumunt, nulli alij negotio vacantes, Deo autem nos per Apostolos, & prophetas alloquente, oscitamus, & plurimum fastidimus, quare in forum egredimur. In hieme vero cum pluuia, & lutum impediat, domi sedemus, aut in theatris sine tecto, quo a pluuia defendamur. Maxima pars imbre, vento, frigore, luto, viæ longitudine contempta insani perstiterunt, nulla eos causa domi continet, nulla quin ad spectacula frequentes confluant, prohibet, huc sub tectum sine frigoris, & pluuiæ iniuria, ad animæ suæ salutem, nemo ea alacritate concurrit. Sunt ne hæc toleranda? Ideo in illis apprime edocti, in necessarijs, quàm pueruli imbecilliores sumus. Infra: Cur præceptorem frequenter non petijstis, neque doctrinæ vacastis? Quod autem doctrina sit Dei cultus, audi prophetam, cum inquit: Venite filij, audite me, timorem Domini docebo vos. Et iterum: Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum. *Psal. 33.* *Psal. 93.*

23 Hom. 32. in Act. Apost. IDEM ait; Heri de ira disseruimus, nihil autem prohibet quin & hodie, proficit enim plurimum continuatio. Etenim pharmacum, quod vim habet mederi vulnus, nisi continuo imponatur, totum perit. Vtinam perpetuo de ijsdem loquamur, vtinam non sit alia quædam occasio, vel cura, sed vt affectionibus nostris imperemus. Quomodo enim absurdum? Regibus quidem in delicijs viuentibus, ac tanto honore, nullum alium esse sermonem, vel in mensa, vel in aliquo alio tempore, quàm quomodo hostibus queat præualere, & propter hoc quotidie conuentus facit, & capitaneos, & milites deligit, ac tributa petit. Etiam in ciuilibus causis opinor hasce duas rationes necessarias, vt & hostibus imperent, & suos in pace contineant. Nos autem neque somniamus velle talia dicere. Sed vt seruos quidem emamus, ac agros, & vt facultates ampliemus, quotidie loquendo nulla satietate oneramur. De rebus autem nostris, & vere nostris, neque ipsi loqui volumus, neque alios loquentes sustinemus. De quo igitur die mihi, loqui vis? De prandio? Sed hæc coquorum sunt verba. De pecunijs? Sec hæc mercatorum sunt. De structuris? Sed hæc architectorum sunt, & ædificantium. De terra? Sed hæc agricolarũ. Nostrum autem nullum est opus, quàm vt opes animæ inquiramus. Non igitur super illis nobis sermo perpetuo esset? Quare nullus accusat medicos, semper de re medica differentes, neque alios opifices de sua arte loquentes. Quòd si sic nostras affectiones moderemur, ne admonitione opus merito quis nobis obijceret ostentationem, & ambitionem; immo neque sic, nam etiamsi emendatæ essent, etiam sic colloquendum, ne succumbamus, quoniam & medici nõ ægrotis solum, sed & medicis loquũtur, & sunt eis libri super ea re, vt & morbos curent, & a morbis præseruent. Et ita licet sani simus, neque sic desistendum a diuini verbi colloquijs, vt etiam conseruemus sanitatem. Quando autem & ægrotamus duplex sermonum necessitas, vna quidem, vt liberemur a morbo, alia autem, ne liberati recidamus.

24 Hom. 43. in Act. Apost. IDEM explicans verba illa capitis 19. In die autem sabbatorum congregatis nobis, vt frange-

frangeremus panem, Paulus differebat eis postridie abiturus, protraxitq. sermonem in mediam noctem, sic habet. Vide oro spectaculum, vt erant coadunati. In fenestra, inquit, sedebat, & intempesta nocte. Tantum erat audiendi desiderium. Confundamur nos, qui neque in die hoc facimus. Sed Paulus, dicis, differebat tunc. Quid dicis? Etiam nunc Paulus differit, immo neque tunc, neque nunc Paulus, sed Christus, & nullus audit, non fenestra nunc, non fames, non somnus interturbat, non angustia loci, non aliquid huiusmodi, & tamen non audimus. Et hoc sane miraculum, quod etiam ille, qui cecidit, & mortuus creditus est, cum esset adolescens, nõ erat ignauus, & cum somno grauaretur, non recessit, neque timuit periculum ne delaberetur. Tu autem oro vide promptitudinem, quod etiam in tertio cænaculo erant, nondum enim erat Ecclesia. Cum cecidit adolescens excitauit eum, & vt ascendit, fregit panem, & gustauit, inquit, diu collocutus est vsque ad diluculum, & ita exijt. Vides quomodo pernoctarint, quales mensæ fuerint? Quàm sobrie iterum auditores abierint, quàm studiosi ad audiendum fuerint.

25 Serm. 38. ad populũ Antioch. to. 5. IDEM inquit; Hoc Ecclesias subuertit, quoniam neque vos sermonem audire quæritis compunctiuum, sed qui delectare sono valeat, & verborum impositione tamquam citharœdos, & citharistas audientes. Et nos segniter, & ærumnose facientes, vestras sequimur concupiscentias, cum sit opus eas excidere. Et idem fit ac si quis pater frigido, & plus debito molli filio, licet ægrotanti placentam offerat, & aquam frigidam, & quæcumque delectare solent, vtilium vero nullam gerat curã, postmodũ a medicis incusatus se purget dicens: Quid faciam? Non sustineo flentem puerum cernere. Miser, & infelix, & proditor, nec enim huiusmodi patrem dixerim, & quanto melius est breui contristatum semper incolumem reddere, quàm momentaneam hanc lætitiam continuæ mæstitiæ materiam facere? Hæc & nos patimur verborum fucos conquærentes, & compositiones, & elegantem iuncturam, vt delectemus, non prosimus. Cõsideramus quomodo videamur admirabiles, non quomodo mores cõponamus. Infra: Officinam intra pictoriam, & ibi magnum inuenies silentium. Sic igitur & hic, nam & hic regias pingimus imagines, nullã vero priuatam per virtutis colores. Stylus autem nobis est lingua, artifex vero Spiritus sanctus.

26 Hier. in c. 37. Ezech. to. 4. HIERONYMVS explicans verba illa; Et tu fili hominis, filij populi tui loquuntur de te iuxta muros, & in ostijs domorum, & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum suum loquentes: Venite, & audiamus quis sit sermo egrediens a Domino. Et veniunt ad te quasi si ingrediatur populus, & sedent coram te populus meus, & audiunt sermones tuos, & non faciunt eos, quia in canticum oris sui vertunt illos, & auaritiã suam sequitur cor eorum. Et es eis quasi carmen musicum, quod suaui, dulciq. sono canitur, & audient verba tua, & non facient ea, & cum venerit, quod prædictum est, tunc sciẽt, quod propheta sit in medio eorum, sic habet. Iubet Dominus prophetæ, vt dicat populo, qui in Babylone versatur, & habitat cum eo, & arguat eos super insidijs blandientibus, qui prophetæ verba desiderant, non ad animæ salutem, sed ad aurium voluptatem. Isti iuxta muros sedebant, & in ostijs domorum, nequaquam in sensum prophetæ intrare cupientes, sed mutuo se hortantur, & dicunt, Venite, & audiamus qui sit sermo egrediens a Domino, & sic veniunt quasi populus, qui ingrediatur Ecclesiam Dei, & sedent coram te populus meus, qui meum esse se dicit, & nolunt facere, quod audierunt. Istiusmodi mihi videntur eorum similes, qui theatralibus ludunt carminibus, & vel tragœdos audiunt, vel comœdos, & ibi cũ voluptate palpantur: ita cum egressi fuerint a te, replicent ea, & decantent, & dulci sono se decipiant. Et audient, inquit, verba tua, & facient ea. Tales sunt vsque hodie multi in ecclesijs, qui aiunt, Venite, audiamus illum, & illum mira eloquentia prædicationis suæ verba voluentem, plaususq. commouent, & vociferantur, & iactant manus, & quæ operibus neglexerant, postquam aduenisse cognouerint, necesse est enim euenire, quod prophetæ Dei sermone pronunciat, tunc incipient approbare, & nosse, quod cuncta, quæ audierant, non fuerint hominis verba, sed Domini, qui per prophetam, & virum ecclesiasticum locutus est.

27 In Psal. 1. to. 7. IDEM exponens verba illa; Sed in lege eius meditabitur die ac nocte, ait. Meditatio legis est, non solum in legendis, vel audiendis Scripturis, sed etiam in his, quę scripta sunt, faciendo. Iustus igitur siue manducat, siue bibit, siue dormit, in nomine Domini omnia faciens, meditatur legem eius die ac nocte.

28 Li. de Cain, & Abel. c. 4. to. 1. *Deut. 4. & 19.* AMBROSIVS inquit; Ciuitates Leuitarum redemptrices significauit Moyses; quia is, qui confugit ad eam animam, in qua habitat Dei verbum, quæ vrbs modo munita, atque vallata sit, perpetuam libertatem acquirit sibi. Sicut enim in ciuitatibus Leuitarum erat pœnarum remissio, vt siquis ad eam confugeret, qui non voluntariam necem hominis admiserat, nulli eum occidere liceret, intra vrbes dumtaxat positum Leuitarum; ita quem peccati proprij pœnitet, quod aut impudenter, aut inuitus admisit, si Leuitarum adhæreat incolatui, & ab his præceptoribus, qui Dei mandata dispensant, recedendum non putet, lex ipsa ab omni eum commissi flagitij pœna, suppliciog. liberat. Remittuntur peccata per Dei verbum, cuius Leuites interpres, & quidam executor est. Remittuntur etiam per officium sacerdotis, sacrumq. ministerium.

29 Lib. senten. to. 3. AVGVSTINVS ait; Doctrina Apostolica tam salubris, atque vitalis est, vt pro capacitate vtentium neminem sui relinquat exortem; quia siue paruuli, siue magni, siue infirmi, siue fortes, habent in ea vnde alantur, vnde satientur.

tientur. Inutiliter autem meditatur legẽ Dei, qui laborat, vt memoria teneat, quod actione non implet. Infra: Auditor verbi similis esse debet animalibus, quæ ab hoc, quod ruminant, munda esse dicuntur, & non pigeat cogitare de ijs, quæ in aluo cordis accepit, & cum audit, sit similis edenti, cum vero audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti.

30 Lib. 5. quæst. in Deut. to. 4. *Deut.* 11. IDEM inquit: Quid est, quod Moyses præcepit commendans verba Domini, & ait: Scribetis ea super limina domorum vestrarum & ianuarum vestrarum, cum hoc secundũ proprietatem nemo feciſſe Israelitarum commemoretur, vel legatur, quia nec quisquam potest, nisi forte diuidat ea per multas partes domus suæ? An hyperbolica commendatio est, vt doceat quanta cura & studio verba Dei sint memoranda?

31 Lib. contra Adimantũ Manic. to. 6. *Deut.* 8. IDEM explicans illa verba Prouerb. 6. Vade ad formicam, o piger, & imitare diligentiam eius, quia ab æstatis tempore vsq; ad hiemem colligit sibi alimoniam, dicit. Illud de formica ita positum est, vt sicut illa æstate colligit, vnde in hieme pascatur, ita vnusquisque Christianus in rerum tranquillitate, quam significat æstas, colligat verbum Dei, vt in aduersitate, & tribulationibus, qua hiemis nomine significantur, habeat vnde spiritaliter viuat. Non enim in solo pane viuit homo, sed in omni verbo Dei.

32 Lib. 6. cõtra Iulianũ Pelagianũ. to. 7. IDEM explicat verba illa psalmi 118. In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos, & ait: Recte dicitur, in quo corrigit iunior viam suã. propter quod corrigit? Quoniam sequitur, in custodiendo verba tua. Propter hoc enim corrigit viam suam, quia verba Dei sicut cogitanda sunt, cogitat, & cogitando custodit, & custodiendo recte viuit. Ipsa ergo illi causa est, vt viam suam dirigat, quia Dei verba custodit.

33 Cõcione 3. Ps. 36. to. 8. *Psal.* 1. *Leuit.* 11. *Prou.* 21. IDEM exponens verba illa; Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem, sic habet. Panis est verbum Dei, quod numquam ab ore iusti discedit. De tali enim scriptum est: In lege Domini meditabitur die ac nocte. Panẽ istum manducas vna hora, & dimittis panem illum verbi die ac nocte. Quãdo enim audis, aut quãdo legis, manducas, quando inde cogitas, ruminas, vt sis animal mundum, non immundum. Quod significat Sapientia per Salomonem, dicẽs: Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis, vir autem stultus glutit illum. Quid enim glutit? Vt non in illo appareat, quod vorauit, oblitus est, quod audiuit. Qui autem non est oblitus, cogitat, & cogitando ruminat, & ruminando delectatur. Vnde dicitur: Cogitatio sancta seruabit te. Et ecce si seruat te, in ruminatione panis huius sancta cogitatio, numquam vidisti iustum derelictum, nec semen eius quærens panem.

34 In Psal. 48. IDEM dicit; Filium hominis inter homines viuentem, & mali viderunt, & boni. viderunt Apostoli, qui secuti sunt, viderunt Iudæi, qui crucifixerũt. Sic cum venerit iudicaturus, & boni eum videbunt, & mali. boni, vt percipiant mercedẽ, quia secuti sunt, mali, vt percipiant pœnam, quia crucifixerunt. Soli ergo illi damnabuntur, qui crucifixerunt? Audeo dicere soli. Ergo nos, inquiunt peccatores huius temporis, securi sumus. Si non animam interrogat Deus, securi estis. Quid est, quod dixi? Intelligat charitas vestra, ne hoc dicant in iudicio Dei, quia non intellexerunt, & Iudei, quia viderunt Christum, crucifixerunt, tu quia non vides Christum verbo ipsius resistis. Numquid ergo, qui verbo resistis, carnem non crucifigeres, si videres? Contempsit Iudæus in ligno pendentem, contemnis tu in cælo sedentem, cum ipsum loquentem non audis.

35 In Psal. 57. IDEM explicans verba illa; Sicut aspidis surdæ obturantis aures suas, quæ non exaudiet vocem incantantium, ait. Aspis cum cœperit pati incantatorem suum, qui eam quibusdam carminibus proprijs euocat, audite quid faciat. Vult incantator incantando educere aspidem de tenebrosa cauerna vtique in lucem, illa autem amando tenebras suas, quibus se inuoluta occultare dicitur, quòd cum exire noluerit, recusans tamen audire illas voces, quibus se cogi sentit, allidit vnam aurem terræ, & de cauda obturat alteram, atque ita voces illas quantum potest euitans, non exit ad incantantem. Huic similes dixit Spiritus Dei quosdam non audientes verbum Dei, & non solum non audientes, sed omnino, vt non valeant audire, faciẽtes. Factum est hoc & in primis temporibus fidei, Stephanus martyr prædicabat veritatem, & tamquam tenebrosis mẽtibus, vt eam in lucem educeret, incantabat. Sed illi clauserunt aures suas. Quia enim aures patentes in corde non habebant, violentia tamen verbi per aures carnis irruens, etiam ipsis auribus cordis vim faciebat, clauserunt & aures corporis, & ierunt ad lapides. Ecce aspides surdæ non audierunt vocem incantantis. Quia nolebant nisi sæuire, nolebant audire: quòd si audirent, forte desæuirent.

36 In Psal. 73. IDEM explicans verba illa; Dirupisti fontes, & torrentes, ait. Dirupisti fontes, & torrentes, vt manarent liquorem sapientiæ, vt manarent diuitias fidei, vt irrigarent salsitatem Gentium. Si autem ad discretionem in alijs sit verbum Dei fons aquæ salientis in vitam æternam, alij autem audientes verbum, & non sic habentes, vt bene viuant, tamen non tacentes lingua torrentes fiunt. Torrentes enim dicuntur proprie, qui non sunt perennes, fluuij, qui æstate deficiunt, aquis autem hiemalibus inundantur, & currunt. Vides hominem bene fidelem perseueraturum vsque in finem, non relicturum Deum in tentatione omni, pro veritate omnes molestias sustinentẽ. Hic vnde sic viget, nisi, quia verbum factum est in eo fons aquæ salientis in vitam æternam? Alius autem accipit verbum, non tacet, currit, sed æstas probat fontem, aut torrentem.

37 IDEM exponens verba illa; Filij Effrem intẽ-

In Psal. 77. tendentes, & mittentes arcum, conuersi sunt in die belli, dicit. Quid est aliud tendere arcus, & mittere, & conuerti in die belli, nisi attendere, & promittere in die auditionis verbi, & deserere in die tentationis, armis quasi proludere, & ad horam certaminis nolle pugnare? Filij Ephrem tendentes arcus, & mittentes sagittas. Quid sit conuersi sunt in die belli, consequentia docent, quibus id apertissime exposuit. Non custodierunt, inquit, testamentum Dei, & in lege eius noluerunt ambulare. Ecce quid est conuersi sunt in die belli, nõ obseruauerunt testamentum Dei. Vbi arcus tendentes, & mittentes, etiã promissionis verba promptissime protulerunt, dicentes: Quæcumque locutus est Dominus Deus noster audiemus, & faciemus. Conuersi sunt in die belli, quia promissionem obedientiæ, non auditio, sed tentatio probat.

Psal. 42. in fine. to. 9. IDEM explicans verba illa capitis 8. Sermo meus non capit in vobis, inquit. Si sermo meus caperetur, caperet, si caperemini, intra retia fidei, tamquam pisces concluderemini. Quid est ergo non capit in vobis? Non capit cor vestrum, quia nõ recipitur a corde vestro. Sic enim est sermo Dei, & sic esse debet fidelibus, tamquam pisci hamus, tunc capit quando capitur, nec fit iniuria illis, qui capiuntur, ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur. *Matt.* 4. Vnde Dominus discipulis ait: Venite post me, faciam vos piscatores hominum.

39 Lib. 50. Homil. Homil. 26. to. 10. IDEM sic exorditur. Ante aliquot dies propter eos, qui aut pedibus dolent, aut aliqua corporis inæqualitate laborant, paterna pietate sollicitus, consilium dedi, & quodammodo supplicaui, vt quãdo aut passiones prolixæ, aut certe aliquæ lectiones longiores leguntur, qui stare non possunt, humiliter, & cum silentio sedentes, attentis auribus audiãt, quæ leguntur. Nunc vero aliquæ de filiabus nostris putant, quod hoc aut omnes, aut certe plures, quæ sanæ sunt corpore, frequenter debeant facere. Nam vbi verbum Dei cœperit recitari, quasi in lectulis suis iam iacere volunt; atque vtinam vel iacerent tantummodo, & tacentes verbum Dei silenti corde susciperent, non etiam se ita otiosis fabulis occuparent, vt quod prædicatur, nec ipsæ audiant, nec alios audire permittant. Vnde rogo vos, vt quando lectiones leguntur, aut verbum Dei prædicatur, nulla se in terram proijciat, nisi forte quam nimium grauis infirmitas cogit, sic tamen non iaceat, sed magis sedeat, & attentis auribus, quæ prædicantur, auido corde suscipiat. Interrogo vos: Quid vobis plus esse videtur, verbum Dei, an corpus Christi? Si verum vultis respondere, hoc vtique dicere debetis, quod non sit minus verbum Dei, quàm corpus Christi. Et ideo quanta sollicitudine obseruamus, quãdo nobis corpus Christi ministratur, vt nihil ex ipso de nostris manibus in terrã cadat, tãta sollicitudine obseruemus, ne verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliquid aut cogitamus, aut loquimur de corde nostro pereat. Quia non minus reus erit, qui verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentia sua permiserit. Qui verbũ Dei libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet. Quomodo terrenis ornamentis caro luxuriosa paruo tempore ornatur, vt carnalibus oculis placere possit, ad suam, vel alterius ruinam; sic anima sancta diuinis sermonibus tamquam spiritualibus, & æternis bonorũ operum margaritis componitur, vt ad illius cælestis sponsi consortium, & nuptiale conuiuium feliciter ornata perueniat; ne audiat: Amice *Matt.* 22. quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

40 Serm. 55. de tempore. IDEM inquit; Si Scripturas diuinas, aut ipsi non legimus, aut legentes alios non libenter audimus, ipsa nobis medicamenta conuertũtur in vulnera, & inde habebimus iudicium, vnde habere potuimus remedium. Nec vobis sufficiat, quod in Ecclesia diuinas lectiones auditis, sed etiam in domibus vestris, aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libenter audite. Recondite in conscientiæ thesauro pro animæ salute, quæ auditis.

41 Serm. 56. IDEM dicit; Certissime scitote fratres, quia qualis est caro, quæ post multos dies percipit cibum, talis est anima, quę assidue non pascitur verbo Dei. Et quomodo caro per famẽ, & inopiam tenuis, & sicca, velut quoddã simulacrum efficitur, ita anima si verbi Dei cibo non pascitur, arida, & inutilis, & ad nullum opus bonum congrua inuenitur. Considerate fratres, quod si horrea, & cellaria nostra annis singulis replemus, vnde vno anno cibum habeat caro nostra, putas quantum debemus recondere, vnde in æternũ sustentetur anima nostra? Otiosis fabulis, & mordacibus iocis, & detractionibus venenatis colloquia de Scripturis sancta recedãt. Et videte fratres, si iustũ est, vt caro nostra de terra facta interdũ bis in die capiat cibũ, & anima, in qua imago Dei est, & vix post plures dies accipiat verbũ. Lectiones diuinas, & in Ecclesia, sicut cõsuestis, audite, & in domibus vestris relegite. Si quis ita fuerit occupatus, vt ante refectionẽ Scripturę diuinę nõ possit insistere, non eũ pigeat in conuiuiolo suo aliquid de diuinis Scripturis relegere, vt quomodo caro pascitur cibo, sic reficiatur anima Dei verbo.

Spes in solo sit Deo, medium stare inter desperationem, & præsumptionem, quam multa nutriunt, & augent. Cap. XI.

1 Hom. 4. in Psa. 36. to. 2. ORIGENES exponens verba illa; Spera in Domino, & fac bonitatem, sic habet. Postquam dixit, sicut olera herbarum cito decidere faciẽtes iniquitatem, & prohibuit æmulari inter malignantes, & imitari facien-

tes iniquitatem, tunc dicens, quid facere deberemus, subdit: Spera in Domino, & fac bonitatem. Contemptis scilicet illis omnibus, quæ superius culpata sunt, honoribus, diuitijs, & omni gloria carnali, atque omnibus sæculi bonis, in Domino, inquit, spera. Sperans autem in Domino non sis otiosus, sed bonitatem faciens, spera in eo, & inhabita terram, hoc est, cor tuum. Hanc, qui sperat in Domino inhabitare iubetur, hoc est, non longius euagari, non vltra citraq. discurrere, sed habitare, & consistere intra animæ nostræ terminos, & considerare eam diligentius, atque effici eius agricola, & excolere terram, quę intra nos, & nostræ animæ innouare noualia, & non seminare super spinas; quod facimus, cum animam nostram purgamus a vitijs, & incultos, atque asperos mores ad mansuetudinem Christi excolimus, atque ita demum ex virtutum diuitijs pascimur. Excole terram tuam, vt cum abundare cœperis iustitiæ fructibus, tunc pascaris diuitijs eius. Quid est autem pasci in diuitijs eius? Si habites terram tuam, & ipsam in spiritu, & non in carne seminaueris, pasceris in diuitijs eius, sicut oues illæ, quæ in loco viridi pasci dicuntur, de quibus scriptum est: In loco pascuæ ibi me collocauit. Vnde cōstat, quòd vnusquisque nostrum ipse sibi præparat intra se locum viridem, in quo pascitur a Domino, cum agros animæ suæ excolit. Hæc autem omnia contingunt illi, qui sperat in Domino, & spei coniungit bointatem.

2 Ho.33.in c.25.Matt.to.3.
IDEM exponens verba illa; Accessit autem, & qui duo talenta acceperat, ait: Domine duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum, inquit. Accessit primus, qui quinque talenta acceperat, quasi, qui habuit fiduciam, eoquod operatus fuerat, & lucratus. Nam fiducia ipsa fecit eum audere, vt ad dominum primus accederet, & audaciter faceret sermonem, dicens: Domine quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque lucratus sum. In modico autem vocatur fidelis, qui tanta lucratus fuerat, quia modica sunt omnia vitæ istius.

3 Hom. 2. in c.1.Gen.t.1. Deut. 21. Hier. 17.
IDEM dicit. Considera, ne forte & illud, quod scriptum est: Maledictus a Deo omnis, qui pendet in ligno, sic debeat intelligi quomodo & illud, quod alibi dictum est: Maledictus homo, qui spem habet in homine. Pendere enim in solo Deo debemus, & in nullo alio, etiam si de paradiso Dei procedere quis dicatur.

4 Homil.5.in Psal.36.t.2.
IDEM explicans verba illa; Eruet eos a peccatoribus, quia sperauerunt in eo, dicit. Causam, qua eripiat Dominus iustos, siue in tempore exitus, siue in tempore iudicij, subiungit, & dicit: quia sperauerunt in eo. Sperantes ergo in se eripiet, & de tribulatione, & necessitate. Sicut nemo potest duobus dominis seruire, ita nemo potest in duobus dominis sperare. Nemo potest in incerto diuitiarum sperare, & in Domino. Nemo potest sperare in principibus, & in Deo. Nemo potest sperare in viribus equi, & in Deo. Nemo potest sperare in sæculo, & in Deo. Nisi enim in solo Deo speraueris, & videat Deus spem tuam ad sæculum æternum esse conuersam, & quia aliam nullam omnino spem geris, nisi in ipso, non poteris eripi a peccatoribus.

5 Homil.4.in c.14.Ezec.
IDEM exponens illa verba; Si fuerint in medio eius Noe, Daniel, & Iob, filios suos non liberabunt, inquit. Nemo nostrum confidat in iusto patre, in sancta matre, in fratribus castis, sed spem habere debet in via recta. Maledictus homo, qui spem habet in homine. Sed & aliud: Bonum est confidere in Domino, quàm confidere in principibus. Sed omnibus derelictis, speremus in Domino, dicentes: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum, si exurgant aduersum castra, in hoc ego sperabo. Psal.26.

6 Lib. de regulis fusius disputatis in respons.42. interrogat. to.2.
BASILIVS sic habet; Illi, qui in homine spem ponit, magnopere metuendum est, ne in execrationem illam incidat: Maledictus homo, qui confidit in homine, & fulcit carnem brachij sui, (nostra exemplaria habent, & ponit carnem brachium suum) & defecit a Domino anima eius. Hier. 17. Quæ verba, cum dicunt, qui confidit in homine, illud præcipiunt, nequaquam spem in altero poni debere. Cum autem, & fulcit carnem brachij sui, in se sui habendam fiduciam vetant. Horum autem vtrumque, defectio a Deo nominatur. Similiterq. etiã exitus adiungitur vtriusque; Quia erit tamquam myrica siluestris in deserto, neque videbit quomodo venient bona. Quibus verbis illud ostenditur, quod spem suam siue in seipso ponere, siue in alio quouis, nihil est aliud, quàm deficere a Deo.

7 Homil.6.in epist. Pauli ad Tit.to.4.
CHRYSOSTOMVS inquit; Ioseph in vincula coniectus, cum carcerem egredi properaret, tunc maxime illic immorari permissus est. Audi namque ipsum dicentem: Gen.40. Et ego furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & memento, inquit, mei apud regem. Merito & ipse hoc passus existimatur, quoniam dixit, memēto mei, vt disceret in hominibus non esse confidendum, sed spem omnem in Deum dirigendam.

8 Lib. 5. in c.18.Isa.to.4.
HIERONYMVS exponens verba illa; Væ terræ cymbalo alarum, quę est trans flumina Aethiopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectantem, & conculcatam, dicit. Vbi nos legimus, væ terræ cymbalo, Aquila bis transtulit pro cymbalo vmbram. Ex quo possumus dictum intelligere, Væ terræ, quæ in vmbra alarum suarum pollicetur auxiliũ. Et cum Scriptura dicat: Qui habitat in adiutorio Altissimi, in protectione Dei cęli commorabitur, Psal.19. pro quo in Hebræo scriptum est: In vmbra omnipotentis coumorabitur, ipsa Dei similitudinem habere se iactans, & in periculis constituta, alijs suffragari repromittit. Significat autem siue No Aegypti ciuitatem, quę nunc Alexandria dicitur, siue Aegyptum, in qua semper Hierusalem quasi super quassatam arundinem innixa est, quæ cum fracta sit manum perforat incumbentis. Et est hic ordo pulcherrimus, vt quomodo in priori visione sermo propheticus Damasco minabatur, quod decem tribus in illa habuerint auxilium, misericordiam Dei non rogantes, sed sperantes in Damasco, sic etiam nunc Aegypto vastitas prædicetur, ob cuius auxilium, Dei neglecta sit inuocatio, ipsa est enim terra, quæ est trans flumina Aethiopiæ, in cuius fortitudine Israel confidebat. Qui mittit in mari legatos, & in vasis papyri super aquas. Quia legati missi sunt Hierosolymam; & vasis papyri, idest, epistolis, siue nauibus suum eis auxilium promiserint.

9 Lib.3.in c.4.Lament. Hier.
IDEM exponens verba illa; Cum adhuc sustineremus, defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum aspiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos poterat, inquit. Hoc narrat, quia instantibus eorum malis, non ad Domini misericordiam confugerunt, quatenus eius ope ab hostibus eriperentur, sed forinsecus ab alijs gentibus auxilium quærebant, ab Aegyptijs, ab Assyrijs, quæ nullo modo eos liberare poterant. Vnde dicit: Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, cum respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat. 4.Reg.25 Hinc quoq; factũ est, quod reliquiæ Iudæorum, quæ post vastationem vrbis Hierusalem derelictæ sunt a Nabuzardan principe militiæ ad colendam terram, interfecto ab Ismaele Godolia, quem præfecit memoratus Nabuzardan terræ, & ipsis reliquijs, quæ ibi remanserant, metu exterritæ, contra verbum Domini, quod eis per Hieremiam mandauerat, Hiere.40. in Aegyptum transierunt, quasi ab Aegyptijs contra Chaldæorum arma possent tueri. Sed vana fuit hæc spes eorum. Quinto siquidem anno captiuitatis Hierosolymorum (vt Iosephus refert) qui est tertius & vicesimus regni Nabuchodonosor, inferiora Syriæ castrametatus est idem Nabuchodonosor, eamq. detinens, expugnauit, & Ammonitas, & Moabitas. Cumque subdidisset has gentes, perrexit ad Aegyptum, eamq. subuertit, & regem quidem, qui tunc ibi erat, occidit, aliumq. in ea constituens, denuo Iudæos captiuos duxit in Babyloniam. Lubricauerunt vestigia nostra in itinere platearum nostrarum. Quisquis deserto vno vero Deo, adiutorium quærit a spirituali Aegypto, hoc est, ab hoc mundo, & lubrica sæculi huius pergit vestigia, vana spe delusus, hostium spiritualium fit præda. Vnde scriptum est: Aegyptus vane auxiliabitur. Isa.30. Hier. 17. Et iterum: Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & a Domino recedit cor eius, &c. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cæli, super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. Vbi per rapidum volatum auium validam, & velocem, significat persecutionem hostium, qui intra patriam constitutos, & deserta patria fugitiuos nimia crudelitate insecuti sunt eos, qui spem constituerunt in hominibus, & non in Deo.

10 Lib.1.de doctrina Christiana. to.4. 1.Tim.1.
AVGVSTINVS inquit: Cum quisque cognouerit finem præcepti esse charitatem de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, omnem intellectum diuinarum Scripturarum ad ista tria relaturus est. Cum enim diceret charitas, addidit de corde puro, vt nihil aliud, quàm id quod diligendum est, diligatur. Conscientiam vero bonam subiunxit propter spem. Ille enim se ad id, quod credit, & diligit, peruenturum esse desperat, cui malæ conscientiæ scrupulus inest. Tertio, & fide, inquit, non ficta. Si enim fides nostra caruerit mendacio, tũc & nos diligimus, quod est diligendum, & recte viuendo id speramus, vt nullo modo spes nostra fallatur.

11 Lib.de vera & falsa pœniteu. to.4.
IDEM docet, media via incedendum inter præsumptionem, & desperationem, & ait. Ideo Dominus tot saluauit febricitantes, tot languidos, tot claudos, cæcos, & aridos, ne desperet de se peccator. Ideo non scribitur aliquis, nisi semel sanatus, vt timeat quisque iungere peccatum peccato. Infra: Nullus itaque vmquam tantum peccare posset, quod pœnitens velit desperare, quid enim aliud est desperare, quàm Deum sibi comparare? Nam qui de Deo non præsumit veniam, non animaduertit plus peccato suo Dei posse clementiam. Si enim sentiret Deum magis bonum, quàm se malum, quidquid in se iustitiæ non inueniret, a Deo magis bono expectaret, & quidem diffidit, quia summi boni bonitatem maiorem sua nequitia non sentit. Ille enim solus diffidat, qui tantum peccare potest, quantum Deus bonus est. Cum sit autē nullus, qui hoc possit, quid timet de se malo, pręsumat de meliore. Diabolus enim, & omnis nequitia, minor est, quàm Dei misericordia. Ipse enim, si posset sperare, & culpam in se sentire, quod non inuenit in se, præsumeret in Dei bonitate. Adhuc qui diffidit, & suam nequitiam Dei pietati comparat, finem imponit diuinæ virtuti, dans finem infinito, & perfectionem diuinitatis auferens Deo. Timeat homo peccare, sed magis timeat desperare. Sunt alij inimici desperationis, qui a Deo præsumunt, & de Deo confidunt, quòd quandam sibi licentiam acquirunt peccandi; & sine pœnitentia expectant veniam, quia credũt, quoniam Christiani sunt, non posse damnari, non verentes multos esse vocatos, sed paucos electos. Desperantes Dei iudicant misericordiam, hi condemnant iustitiam, iniustum meum blasphemantes, qui reddere mala malis ignorat, & peccata eorum exaltat. Sed miror cur non credant Apostolo dicenti: Spes non confundit, Rom. 5. qui negant pœnam, quam idem criminosis promittit. Si enim vbi minatur verax nō est, cur confidunt, quod sperantibus verum dicat? Sed qui verus est, in promittendo, verus est etiam in minando. Sed non est sperare tandem bonum pro malis expectare. Sed cum peccat, confidat in Do-

mino, quem timeat iustum, & immunditiarum inimicum.

12 Lib. 11. contra Faustū Manic. to. 6 *Roma.* 8. IDEM sic explicat verba illa Pauli; Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Et ne putaret quisquam eos dictos, qui nondum mortui sunt, statim subiecit: Vos autem non estis in carne, sed in spiritu: ideſt, qui in spe carnalium bonorum sunt, Deo placere non possunt; vos autem non estis in spe carnalium, sed in spe spiritualium, ideſt, regni cælorum, quamuis adhuc corruptibilem carnem portetis.

13 In Psal. 9. to. 8. IDEM explicans verba illa; Et sperent in te, qui nouerunt nomen tuum, inquit. Cum destiterint sperare in diuitijs, & in alijs huius sæculi blandimentis. Quærente quippe anima, vbi figat spem, cum ab hoc mundo auellitur, opportune excipit cognitionem nominis Dei, hoc est, eius, cuius est nomen. Quapropter qui se libenter Deo famulum subdit, cognouit hoc nomen. Et sperent in te, qui cognoscunt nomen tuum; ne sperent in his rebus, quæ temporis volubilitate præterfluunt, nihil habentes, nisi erit & fuit. Quoniam, quod in illis futurum est, cum venerit, fit statim præteritum: & quod expectatur cum cupiditate, amittitur cum dolore. In Dei autem natura non erit aliquid, quasi nondum sit, aut fuit, quasi iam non sit, sed est tantum id, quod est, & ipsa est æternitas. Desinant igitur sperare, & diligere temporalia, & se ad æternam spem conferant, qui cognoscunt nomen eius, qui dixit: Ego sum, qui sum: Quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Qui eum quærunt, iam transitoria, & morituram non quærunt.

14 In Psal. 15. IDEM exponens illa verba; Sanctis, qui in terra sunt eius, mirificauit omnes voluntates meas inter illos, dicit. Sanctis, qui in terra viuentium spem suam posuerunt, ciuibus Hierusalem cælestis, cuius conuersatio spiritalis per ancoram spei in illa patria figitur, quæ recte Dei terra nominatur, quamuis adhuc in his terris carne versentur, mirificauit omnes voluntates meas in illis. His sanctis miras feci omnes voluntates meas, in profectu eorum.

15 In Psal. 30. concione 1. IDEM explicans verba illa; Odisti obseruantes vanitates superuacue, ego autem in Domino speraui, inquit. Qui non obseruo vanitatem, in Domino speraui. Speras in pecunia, obseruas vanitatem, speras in honore, & sublimitate aliqua potestatis humanæ, obseruas vanitatem, speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem. In his omnibus cum speras, aut tu expiras, & ea hic dimittis, aut cum viuis, omnia pereunt, & in spe tua deficis? Istam vanitatem commemorat Isaias dicens: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius, quasi flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit, verbum autem Domini manet in æternum. Ego autem, non quomodo illi, qui sperant in vanitates, & obseruant vanitates, sed in Domino speraui, qui non est vanitas.

Isa. 40.

16 In Psal. 31. in præfatione illius. IDEM sic habet. Anceps animus humanus, & fluctuans inter confessionem infirmitatis, & audaciam præsumptionis, plerumque hinc, atque inde confunditur, & ita impellitur, vt ei in quamlibet partem cadere præcipitium sit. Si enim se infirmitati propriæ omni ex parte donauerit, & in hanc cogitationem se inclinauerit, vt dicat, quia misericordia Dei omnibus peccatoribus, in quibuslibet peccatis perseuerantibus, tantum credentibus, quia Deus liberat, & ignoscit, ita parata est in finem, vt nemo pereat fidelium iniquorum. Qui ergo dicit neminem perire, talium cogitatione mala inclinatur in impunitatem peccatorum, & Deus ille iustus, cui cantatur misericordia, & iudicium, non sola misericordia, sed & iudicium, inuenit hominem male de se præsumentem, & ad interitum suum misericordia Dei abutentem, & necesse est, vt damnetur. Cadit etiam homo, si se iustificauerit, & de iustitia sua præsumpserit. Præsumptio de iustitia, quasi dextera est, cogitatio impunitatis peccatorum, quasi sinistra est. Audiamus vocem Dei dicentem nobis: Ne declines in dexteram, aut sinistram. Ne præsumas ad regnum de iustitia tua, ne præsumas ad peccandum de misericordia Dei.

Psal. 110.

Prou. 4.

17 In Psal. 46. IDEM exponens verba illa; Quoniam dij fortes terræ vehementer eleuati sunt, inquit. Illi, qui erant dij fortes terræ, præsumentes de terra, de seipsis, quia omnis caro terra. Homini enim dictum est: Terra es, & in terram ibis. Debet autem homo de Deo præsumere, & inde sperare auxilium, non de se. Non enim terra pluit sibi, aut lucet sibi. Quomodo autem terra de cælo expectat pluuiam, & lucem, sic homo de Deo debet expectare misericordiam, & veritatem. Illi ergo dij fortes terræ valde eleuati sunt; quia non sibi medicum necessarium putauerunt, & ideo in sua ægritudine remanserunt, & ipsa ægritudine ad mortem perducti sunt.

Gen. 3.

18 In Psal. 50. IDEM, vbi explicat psalmum Miserere mei Deus, &c. inquit. Iste psalmus sicut cautos facit eos, qui non ceciderunt, sic desperatos esse non vult, qui ceciderunt. Si aliquis iam lapsus est, verba huius psalmi aduertat; attendat quidem vulneris magnitudinem, sed non desperet medici maiestatem. Peccatum cum desperatione, certa mors. Nemo ergo dicat. Si iam aliquid mali feci, iam damnandus sum; de malis talibus non ignoscit, cur non addo peccata peccatis? Iam perdita spe reparationis, vel hoc habeam, quod video, si non possum habere, quod credo. Quisquis peccasti, & dubitas agere pœnitentiam pro peccato

3. Reg. 12. cato tuo, desperando salutem tuam, audi Dauid gementem. Ad te Nathan propheta non est missus, ipse Dauid ad te missus est. Audi eum clamantem, & simul clama; audi gementem, & cõgemisce; audi flentem, & lachrymas iunge; audi correctum, & condelectare. Si tibi non potuit intercludi peccatum, spes veniæ non intercludatur, sed clama: Miserere mei Deus secũdum magnam misericordiam tuam. Qui magnam misericordiam deprecatur, magnam miseriam confitetur. Quærant paruam misericordiam tuam, qui nesciendo peccauerunt. Sed modo subueni graui vulneri, secundum magnam medicinã tuam. Graue est, quod habeo, sed ad omnipotentẽ confugio. De meo tam letali vulnere desperarem, nisi tantum medicum reperirem.

19 In Psal. 91. IDEM ait: Spes nostra incommutabilis sit, & figatur in Deo, & non nutet, & fluctuet, nõ agitetur, sicut ipse Deus, in quo figitur, non potest agitari.

20 Cicione 1. in Psal. 101 IDEM exponens illa verba; Quoniam cinerem sicut panem manducabã, & potum meũ cum fletu miscebam, inquit. Pagani aiunt, dãdo Deus hominibus pœnitentiæ locũ, promittendo impunitatem omnium delictorum, ideo homines mala faciunt securi, quòd eis, cum cõuersi fuerint, omnia dimittentur. Et quid agis miser, si non erit portus impunitatis? Si sola fuit peccandi licentia, & nulla est peccatorum indulgentia, vbi eris? Certe & pro te factũ est, vt pauper iste cinerem sicut panem manducaret, potum suum cũ fletu misceret. Sed tamen, inquis, augent homines peccata spe veniæ, immo augerẽt peccata desperatione veniæ. Nonne & hoc tu tibi diceres, iam peccator sum, iam iniquus, iam damnandus, nulla veniæ spes est; cur iam non faciã quidquid libet, & si non licet? Cur non impleã quantum possum quæcumq; desidero, si post hæc non restant nisi sola tormenta? Nonne hoc tibi diceres, & desperatione tua peior fieres? Potius ergo te corrigit, qui indulgentiam promittit, & dicit: Redite præuaricatores ad cor. Nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur, & viuat. Hoc proculdubio portu proposito, depone vela iniquitatis, conuertis proram, velificas ad iustitiam, & speras vitam, non negligis medicinam. Nec in hoc tibi displiceat Deus, tamquam per istam indulgẽtiæ promissionem securos fecerit peccatores. Etenim ne desperatione homines peius viuerent, promisit indulgentiæ portum: rursus ne de spe veniæ peius viuerent, fecit diem mortis incertũ, prouidentissime vtrumq; constituẽs, & reuertentes quo recipiãtur, & differentes vnde terreãtur. Manduca cinerem velut panem, & potũ tuum cum fletu misce, per hoc conuiuium venies ad mẽsam Dei. Noli desperare, promissa est indulgentia tibi; time si distuleris, quia crastinum diem tibi Deus non promisit. Desperat homo, vt peccet, sperat, vt peccet. Vtrumq; metuendum est, vtrumq; periculosum. Væ a desperatione, væ a peruersa spe. Vtriq; huic periculo

Isa. 46. *Ezec.* 18. & 33.

Psal. 144.

& malo occurrit misericordia Dei. Spes, & desperatio timẽda est in peccatis. Misericors & miserator Dominus, longanimis. Misericors & miserator Dominus in his, quibus veniã dedit, in his, quibus nõ dedit adhuc, longanimis, non damnans, sed expectans. Non tamẽ modo sic longanimis in sustinendo, vt numquã iustus in vindicando. Distribuit tempora, vocat te nunc, exhortatur te nunc, expectat donec resipiscas. Quod si tardas, & secundum duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iusti iudicij Dei, tunc reddet tibi secundum opera tua.

Ibidem.

Roma. 2.

21 In Ps. 146. IDEM explicans verba illa; Beneplacitũ est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius, dicit. Alia lectio habet: Bene sentiet Dominus in timentibus eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Ecce vbi timori coniungit spem. Ecce timuit eum Iudas traditor eius, sed nõ sperauit in misericordia ipsius. Bene quidem timuisti, dicens: Peccaui tradens sanguinem iustum, sed si sperares in misericordia eius, quem timuisti. Ille desperando abijt, & laqueo se suspendit. Ergo sic time Dominum, vt speres in misericordia eius. Placabis Deum tibi iratum, si speres in misericordia eius.

Matt. 27.

22 Serm. 82. de temp. to. 10. IDEM inquit: Cum, sicut dicit Scriptura, Dominus esset cum Ioseph, & gratiam ei apud principẽ carceris dedisset, præuentus tunc est, vt ab homine auxilium postularet, dicens magistro pincernarum: Memento mei, cum bene tibi fuerit, & supplica Pharaoni, vt educat me de isto carcere. Et quia nondum scriptũ erat: Bonum est sperare in Domino, quàm sperare in homine, cum in omnibus Dei gratiam meruisset, surreptum est illi, vt ab homine auxiliũ peteret. Pro qua re additi sunt duo anni, quibus adhuc teneretur in carcere: tamquam diceret ei Deus: Ego tibi ostẽdo, vt magis a me, quàm ab homine debeas auxilium postulare. Sine vlla enim dubitatione credendũ est, quòd pro castigatione sancti Ioseph, non permisit Deus magistrum pincernarum, vt in mente haberet, quod ei sanctus Ioseph, quando de carcere dimissus est, supplicauerat.

Gen. 39.

Gen. 40.

23 Serm. 3. annũciationis *Ioan.* 8. *Psal.* 142. BERNARDVS de adultera loquẽs, quę audiuit a Domino: Nec ego te condemnabo: vade & amplius noli peccare, ait. Auditam fac mihi Domine mane misericordiã tuã, quia in te speraui. Sola nimirũ spes apud te miserationis obtinet locũ, nec oleũ misericordiæ nisi in vase fiduciæ ponis. Sed est infidelis fiducia, solius vtiq; maledictionis capax, cũ videlicet in spe peccamus. Quamquã nec fiducia illa dicenda sit, sed insensibilitas quædã & dissimulatio perniciosa. Quæ enim fiducia ei, qui periculũ nõ attẽdit? Aut quod ibi timoris remediũ, vbi nec timor sentitur, nec materia ipsa timoris? Fiducia solatium est, nec eget ille solatio, qui lætatur cum male fecerit, & in rebus pessimis magis exultat. Scrutemur vias nostras, & studia nostra, periculaq. vniuersa vigili intentione pensemus. Dicat quisque in pauore suo; va-

Isa.38. dam ad portas inferi, vt iam non nisi in sola Dei misericordia respiremus. Hæc vera hominis fiducia a se deficientis,& innitentis Domino suo. Hæc vera fiducia, cui misericordia nõ denegatur, propheta attestante: Quoniam bene placitum est Domino super timentes eũ, & in eis, qui sperant super misericordia eius. Nec parua itaq; suppetit nobis,in nobis quidẽ timoris,in ipso autem causa fiduciæ. Suauis & mitis est,copiosæ misericordiæ, præstabilis super malitia,multus ad ignoscendum. Credamus sane vel inimicis, qui in eo nihil aliunde occasionem struendæ calumniæ caperent, inuenerunt. Ideo accusauerunt adulteram dicẽtes apud se, compatiuntur peccatrici, nec sibi oblatam vllatenus occidi patientur.

24 In psal. Qui habitat. sermone 1.

IDEM explicans illa verba; Qui habitat in adiutorio Altissimi,in protectione Dei cæli commorabitur,sic habet: Quis sit diuini inhabitator adiutorij, per non inhabitantes illud melius potest agnosci. Tria siquidem eorum reperies genera. Vnum non sperantium,aliud desperantium,tertium frustra sperãtium. Neque enim inhabitat in adiutorio Dei, qui non posuit Deum adiutorem suum, sed confidit in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum. Surdus namque ad Prophetæ vocem dicentis: Quærite Dominũ,dum inueniri potest, Isa.55. inuocate eum,dum prope est, & sola tẽporalia quærens, æmulatur in malignantibus, pacem peccatorum videns, & elongatur ab adiutorio Altissimi, quod sibi ad hæc necessariũ esse non putat. Et hi sunt,qui non sperant in Domino. Sunt autem & alij, qui & desperant, hi scilicet qui considerantes imbecillitatem propriã deficiunt,& obruũtur a pusillanimitate spiritus; habitantes in carne sua,& circa pusillanimitatem propriam semper intenti, vt omnia, quæ patiuntur cursim enumerare parati sint. Sunt autem & alij, qui sperant quidem in Domino, sed frustra: quia sic de misericordia eius sibi ipsis blandiuntur,vt a peccatis suis non emendentur. Vana est omnino spes ista,& hæc confundit,eo quod charitas desit. Contra hos Pro- Psal.146. pheta: Maledictus, inquit, qui peccat in spe. Et alius: Beneplacitum est Domino super timentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia eius. Dicturus qui sperant, signanter præmisit,super timentes eum. Fruſtra siquidẽ sperat, qui contemptu suo gratiam a se repellit,& spem suam prorsus euacuat. Nullus ergo 25 horum trium habitat in adiutorio Altissimi. Primus enim habitat in meritis suis, secundus in pœnis,tertius in vitijs. Immunda habitatio tertij, anxia secundi, stulta & periculosa primi. Quid enim stultius, quàm habitare in domo vix adhuc inchoata? Consummasse te putas? At cum consummauerit homo, tunc incipit. Denique ruinosa est omnino hæc habitatio, & quæ sustentari magis opus habeat, & fulciri,quàm inhabitari. Nonne vita præsens fragilis est, & incerta? Simile esse necesse est quidquid fundatur in ipsa. Quis enim super fragile fundamentũ, stabile credat ædificium? Periculosa habitatio eorũ, qui in meritis suis sperant. Periculosa,quia ruinosa. Eorum vero,qui consideratione propriæ infirmitatis desperatione deijciuntur, habitatio est anxia, & eos in tormentis diximus habitare. Quamdiu enim & pœnas sustinent, in quibus nocte & die conteruntur, & eis quoque,quas nondum sentiunt,amplius cruciantur, vt non sufficiat diei malitia sua, sed opprimuntur his quoque, quæ fortasse numquam experientur. Quæ tormenta, quis infernus intolerabilior potest excogitari, præsertim, quia & tanto labore premuntur, & cælestis panis non sustentantur edulio? Hi sunt, qui in adiutorio Altissimi non habitant, quia desperant. Soli in adiutorio Altissimi habitant,qui id solum obtinere desiderãt, id solum amittere trepidant, sedula circa illud & sollicita cogitatione versantes,quæ est vtiq; pietas, cultus Dei. Beatus plane, qui sic habitat in adiutorio Altissimi, quia in protectione Dei cæli commorabitur, vt nihil eorum, quæ sub cælo sunt timere possit,quisquis protectionem eius habere meruerit,

Serm.9. super eundem psalm.

IDEM in expositione illius versiculi: Quoniam tu es Domine spes mea, altissimum posuisti refugium tuum, dicit: Quidquid agendum sit, quidquid declinandum, quidquid tolerandum, quidquid optandum, tu es Domine spes mea. Hæc vna mihi omnium promissionum causa,hæc tota ratio meæ expectationis. Prætendat alter meritum, sustinere se iactet pondus diei, & æstus, ieiunare bis in sabbato dicat, postremo non esse sicut ceteros hominum glorietur,mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Sperent in alijs alij, forte hic in scientia litterarum, ille in nobilitate, ille in dignitate, ille in alia qualibet vanitate confidat, propter te omnia detrimenta feci, & vt stercora arbitror, quoniam tu es Domine spes mea. Speret qui vult in incerto diuitiarum,ego vero ne ipsa quidem nisi abs te victui necessaria spero, nimirum verbo tuo confidens, in quo abiecti Psal.9. omnia. Nempe tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adiutor. Si mihi præmia promittuntur,per te obtinenda sperabo. Si insurgant aduersum me prœlia, si sæuiat mundus, si fremat malignus, si caro aduersus spiritum Psal.54. concupiscat,in te ego sperabo. Qui dicit,Quoniam tu es Domine spes mea,iactet cogitatum suum in Domino,sciens,quod enutriendus sit 1. Pet.5. ab eo, sicut scriptum est: Omnem sollicitudinem vestram proijcientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. Vt quid enim si hæc sapimus,vt quid cũctamur abijcere omnino spes miseras, vanas, inutiles, seductorias, & huic vni tam solidæ, tam beatæ spei tota deuotione animi inhærere? Si quid illi impossibile, si quid vel difficile est, quære aliud, in quo speres. Sed verbo omnia potest. Quid facilius dictu? An vero de facilitate iam non dubitas,sed ipsa tibi est suspecta voluntas. Quando in se sperãti desit illa maiestas, quæ tam studiose monet in se sperari? Plane nõ derelinquit sperantes

Psal.36. rantes in se. Adiuuabit eos, ait, & eruet eos a peccatoribus,& saluabit eos. Quare? Quibus meritis? Quia sperauerunt in eo. Dulcis causa,attamen efficax & irrefragabilis. Quis sperauit in eo,& confusus? Sed quod dicit, Tu es Domine spes mea, forte amplius aliquid sonat & sublimius, quod videlicet non modo in eo speret, sed eum. Conuenientius siquidem spes nostra dicitur quod speramus, quàm in quo speramus. Sunt autem forte nonnulli, qui a Domino obtinere temporalia, seu spiritualia quælibet concupiscunt, sed perfecta charitas solum sitit quod summum est, tota desiderij vehementia clamat: Quid mihi est in cælo, Psal.72. & a te, quid volui super terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Vnde vtrumque Hieremias complexus est, dicens: Thren.3. Bonus es Domine sperantibus in te, animæ quærenti te. Vbi sperantes quidem eo pluraliter dixit, quod hoc videatur commune multorũ, quærentem vero eum singulariter,quod singularis sit puritatis,singularis gratiæ,singularis perfectionis, non modo nil sperare, nisi ab eo, sed nil quærere nisi eum. Quod si bonus illis, quanto magis isti? Merito proinde quærenti illum animæ respondetur, Altissimum posuisti refugium tuum.

28 Serm.15.in Psalm. Qui habitat.

IDEM explicans verba illa; Quoniam in me sperauit, liberabo eum, ait. Non dedignatur esse spes miserorum, miserator & misericors Dominus, non seipsum liberatorem simul & protectorem in se sperantibus exhibere recusat. Quoniam in me sperauit, inquit, liberabo eum,protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Nempe nisi Dominus cu- Psal.126. stodierit ciuitatem,frustra vigilat,qui custodit eam, siue ille homo, siue etiam Angelus esset. Montes in circuitu Hierusalem, sed parũ hoc, immo nihil hoc foret, si non etiam Dominus in circuitu esset populi sui. Merito proinde Cant.3. Sponsa in Cantico describitur, inuentis licet vigilibus (immo ab eis magis inuẽta,nec enim eos ipsa quærebat) non substitisse, nec contenta fuisse vigilibus, sed percontata breuiter de dilecto, ad ipsum ocyus peruolasse. Erat enim cor eius non in vigilibus, sed in Domino fiduciam habens. Et aliter forte suadentibus aie- Psal.10. bat: In Domino confido,quomodo dicitis animæ meæ, transmigra in montem sicut passer. 1.Cor.1. Minus vigilanter id obseruarant Corinthij, cum inuentis quasi vigilibus secederent apud eos, & minime pertransirent, dicentes: Ego quidem sum Cephæ, ego autem Apollo, ego Cant.5. vero Pauli. Sed quid fecerunt vigiles, qui æmulabãtur Sponsam. Percusserunt me, & vulnerauerunt me, ait. Vt quid ita? Ni fallor, vrgebant vt pertransiret, tunc inuentura dilectum. Tulerunt pallium, haud dubium quin vt curreret expedita. Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Non in vigilibus, nõ in homine, non in Angelo, sed in me, inquit, sperauit, nihil boni nisi ex me expectans. Infra: Cum timore spes habet meritum, cum metu fructuose speratur. Est autem is ipse timor firmissima quędam & efficax materia spei, si quis prudenter aduertat. Siquidem maximum Dei donum timor iste,& ex perceptione præsentiũ, firma est expectatio futurorũ. Postremo: Beneplacitũ est Domino super timentes eum, & Psal.146. vtiq; vita in voluntate eius, & in beneplacito eius salus æterna. Quoniã in me sperauit,liberabo eum. Dulcissima liberalitas in se sperantibus non deesse. Hoc enim totũ hominis meritum,si totã spem suam ponat in eo, qui totũ hominem saluum fecit. In te sperauerunt pa- Psal.21. tres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Ad te clamauerunt, & salui facti sunt, in te sperauerunt, & non sunt cõfusi. Quis enim sperauit in Eccli. 2. eo,& confusus est? Sperate in eo omnis cõgregatio populi. Quemcumq; enim locum calcauerit pes vester, vester erit. Pes vester vtique spes vestra est, & quantũcumq; illa processerit obtinebit,si tamen in Deum tota figatur,vt firma sit, & non titubet. Quid timeat aspidẽ, aut basiliscum,quid leonis rugitus,aut draconis sibilos expauescat? Quoniam in me sperauit, liberabo eum. Porro liberatum quidem ne iterum egeat liberari,protegã eum, & conseruabo, si tamen cognouerit nomen meum, ne sibi tribuat,quòd liberatus est,sed nomini meo det gloriam. Spes in nomine,res in facie est. Quod enim videt quis,quid sperat? Beatus vir,cuius Psal.39. est nomen Domini spes eius, & non respexit in vanitates & insanias falsas.

30 In serm. de cãtico Ezechiæ regis. Psal.54. Isaiæ 38.

IDEM ait: Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos perseuerãtes in sua vetustate vsq; ad mortem, & hoc quia nõ timent Dominũ. Verum qui timore Dei initiatur ad sapientiam,is continuo dimidiat dies suos,exclamans præ timore; Vadam ad portas inferi. Cuius vtiq; inferi metu,cum cœperit quiescere a malis, incipit de bonis quærere cõsolationem,quia necesse est in alterutro consolari. Est autem bona consolatio de spe salutis æternæ, in quã sublatis peccatis, quæ seperabant inter ipsum,& Deum,per Dei gratiam reuiuiscit, & hilarescit. Ego dixi in dimidio dierum meorũ, vadã ad portas inferi: ac si diceret: Cũ deposita imagine terrestris hominis,imaginem cælestis vellem portare,cœpi a timore,vt præscriptum est: Concipiens exclamaui,vadã ad portas inferi. Quo tamen timore nequaquam desperans,quæsiui residuum annorũ meorum, vt iam mihi viuere inciperem, qui contra me vixeram vsq; adhuc. Quæsiui enim ab illo,qui dixit: Sine me nihil potestis facere. Neque enim Ioan.15. ad ipsum sine ipso non dicam reuerti, sed nec conuerti quidem poteram,vtpote spiritus vadens,& non rediens. Quæsiui ergo residuũ annorũ meorum. Quo accepto (non enim negat qui incitat ad quærendũ) statim tentationibus cœpi vrgeri,& spes recens, quam conceperam salutis, mihi iam iam intercludi videretur,dixi non videbo Dominum Deũ in terra viuentium,quod vtiq; in abundãtia præsumpseram. Dixi enim: In abundantia mea non mouebor in æternum, non attendens quod in voluntate tua,nõ in potestate mea præstitisti decori meo virtutem.

virtutem. Quamobrem auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus, nequaquam iam visurus Dominum Deum, ideſt Patrem, in terra viuentium, nõ aſpiciam hominem vltra, ideſt Filiũ, nec habitatorem quietis, ideſt Spiritum ſanctum. Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt a me: hoc eſt bonorum operũ proles, quam ex timore cœperam parturire, vt de anima noſtra poſsit dici; Et quæ multos habebat filios infirmata eſt. Præciſa eſt velut a texente vita mea, vt diſcerem profectus vitæ meæ non in mea, ſed in manu omnipotentis, ſicut tela in manu texentis; quandoquidem dum adhuc ordirer, hoc eſt ſtatim in initio ſuccidit me, quatenus eodem pene tempore, & dederit, & tulerit, quod donarat.

Spiritus ſanctus in die Pentecoſtes copioſiſſime datus diſcipulis, cuius exiſtentia in anima, & dona pariunt vtilitates multas. Cap. XII.

1 Homil. 1. in Pſ. 38. to. 2.

ORIGENES explicans verba illa; Cõcaluit cor meum intra me, inquit: Tunc quos diuinus ignis accenderit, nõ patientur vltra materialibus, & mũdanis ſordibus pollui, nihil in ſe tepidum recipient, & quod euomi dignũ ſit, nec patiẽtur multiplicata in ſe iniquitate refrigeſcere charitatem, ſed erũt ſemper lãpades eorum accenſæ, & lucernæ ardẽtes, & ipſi parati tamquam ſerui expectantes dominum ſuum de nuptijs redeuntem. Aut non iſte erat ignis ille, de quo Saluator noſter dicebat: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat? Iſte proculdubio ignis eſt, qui frigus peccati fugat, & calorem ſpiritus reuocat. Hoc nimirum eſt etiam, quod in Actib. Apoſtolorum refertur, cum dicit: Quia viſæ ſunt eis diſpertitæ linguæ, tamquam ignis, & conſediſſe ſuper Apoſtolos, pro eo quod ignei vigoris deberent gratia roborari, vt auditorum animæ flammã per ſermonis traducem ſumerent.

Matt. 24. *Luc. 12.* *Ibidem.* *Act. 2.*

2 Hom. 3. ſuper c. 4. Iſa.

IDEM explicans verba illa; Apprehendẽt ſeptem mulieres virum vnum in die illa, dicentes: Panem noſtrũ comedemus, veſtimẽtis noſtris operiemur, tantũmodo inuocetur nomen tuum ſuper nos, aufer opprobrium noſtrum, dicit. Septem mulieres vna ſunt, Spiritus enim Dei ſunt; & iſta vna ſeptem ſunt, Spiritus enim Dei eſt, ſpiritus ſapiẽtiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, ſpiritus timoris Domini. Iſta ſapientia patitur opprobriũ a multis ſapientijs inſurgẽtibus in ſe. Iſte verus intellectus ſuſtinet opprobrium ab intellectibus falſis. Iſtud magnũ conſilium opprobratur a multis conſilijs non bonis. Iſta fortitudo maledicitur a quadã, quæ cum non ſit fortitudo repromittit ſe eſſe fortitudinem. Iſta ſcientia patitur opprobrium a quadã falſi nominis ſcientia nomen ſuũ ſurripiente. Iſta pietas exprobratur ab eã, quæ cum ſe dicat eſſe pietatẽ impietas eſt, & impios inſtruit. Iſte timor patitur opprobrium ab eo, qui putatur eſſe timor. Multi enim pollicẽtur dininum metum, ſed non cũ ſcientia metuunt. Intellige itaq; quomodo ſapiẽtia ſæculi huius, & principũ ſæculi huius maledicunt ſapientiæ veræ, quæ ab ipſis creditur ſtultitia, & ob hoc quæritur homo, qui cum iſtis ſeptem velut ſpiritualibus mulieribus ſit, vt auferat earum opprobrium. Chriſtus Dominus homo iſte eſt, egreſſus de radice Ieſſe, ſuper quẽ requieuit ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus cõſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Harum opprobrium abſtulit Ieſus, quando ſeptem dona Spiritus ſancti recepit mundus.

Iſaiæ 11.

3 Libro 1. Pentarchõ, ſeu de principijs cap. 3. to. 4.

IDEM ait: Spiritus Dei, qui ſuper aquas ferebatur, ſicut ſcriptũ eſt in principio factur mundi, puto quod non ſit alius quàm Spiritus ſanctus. Dicebat autem & Hebræus magiſter, quòd duo illa Seraphin, quę in Iſaiam ſenis alis deſcribuntur clamãtia ad inuicẽ, Sanctus, Sanctus, Sanctus, de vnigenito filio Dei, & de Spiritu ſancto eſſent intelligẽda. Infra: In Geneſi ſcriptũ eſt: Inſufflauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animã viuentẽ. Quod ſi generaliter eſt in omnes homines, habent participiũ Dei. Si vero de Spiritu ſancto dictum intelligendum eſt, iam nõ generaliter, ſed ſanctis quibuſq; datum accipi poteſt. Deniq; etiã diluuij tempore, cum omnis caro corrupiſſet viam ſuam, iam de illis tamquã de indignis, & peccatoribus ſcriptũ eſt dixiſſe Deũ; Non permanebit Spiritus meus in hominibus iſtis in æteruũ, quia caro ſunt. In quo manifeſte oſtẽditur, quod ab indignis quibuſq; aufertur Spiritus Dei. In Pſalmo quoque ſcribitur: Auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes Spiritũ tuũ & creabũtur, & renouabis faciem terræ. Quod & manifeſte de Spiritu ſancto deſignatur, qui extinctis, atq; ablatis peccatoribus & indignis, ipſe ſibi nouum populũ creet, & renouet faciẽ terræ, cum per gratiam Spiritus deponentes veterem hominem cum actibus ſuis, in nouitate vitæ cœperit ambulare. Et ideo de eo competenter dicitur, quia non in omnibus, neq; in his, qui caro fuerint, ſed quorum terra renouata fuerit Spiritus ſanctus habitabit. Sed & Saluator noſter poſt reſurrectionem cũ vetera iam tranſiſſent, & facta fuiſſent omnia noua, Apoſtolis ait: Accipite Spiritum ſanctum. Hoc eſt nimirũ quod & ipſe Dominus in Euangelio deſignabat, cum nouum vinum in vtres nouos mitti poſſe, & in veteres denegabat, ſed videbat vtres fieri nouos, ideſt homines in nouitate vitæ ambulare, vt vinum nouum, ideſt Spiritus ſancti gratiæ ſuſciperent nouitatem.

Pſal. 103. *Gen. 1.* *Gen. 2.*

4 Lib. 4. Pentarchon.

IDEM vno verbo dicit: Sicut participatione Filij Dei quis in filio adoptatur, & participatione ſapientiæ in Deo ſapiens efficitur, ita & participatione Spiritus ſancti, ſanctus & ſpiritualis efficitur.

BASI-

5 Hmil. 2. in Hexa. to. 1.

BASILIVS exponens illa verba; Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas, docet, a maioribus probatũ eſſe, quod ſpiritus ille Spiritus Dei ſanctus dictus eſt. Super aquas hic ferebatur. Non meam tibi, ſed viri cuiuſdam Syri ſententiam recenſebo (Ephrem intelligit doctiſsimum virum.) Aiebat igitur ille Syrorũ vocem ſignificatiorem, atque euidentiorem eſſe, & ob affinitatem, quam habebat cum Hebraica lingua, ſententias aliquomodo Scripturarum proprius attingere. Dicebat verbum hoc, ferebatur, pro confouebat poſitum: vitalemq, fœcunditatem aquarum naturæ præbebat, ſumunt, atque interpretantur ad ſimilitudinem auiculæ incubantis, vimq. vitalem quãdam imprimentis in ea, quæ ab ipſa fouentur. Talem hunc is prædicabat ea voce ſenſum ſignari, ſuper aquas, inquã, Spiritum Dei ferri, ideſt, ad fœcunditatem vitalem, aquæ naturã ipſum Spiritum ſanctum præparaſſe.

6 Hom. 8. quę eſt ſup. Pſal. 32. to. 1.

IDEM explicans verba illa; Verbo Domini cæli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum, dicit. Spiritum oris Dei Spiritum ſanctum vocari. Spiritu itaque ſancto firmata eſt omnis virtus cæleſtis, hoc eſt firmitatem, ſoliditatem, ac confirmationem in ſanctitate, & omni virtute, quæ ſacras deceat poteſtates, ex Spiritus ſancti auxilio habent. Nihil enim ſanctũ eſt citra Spiritus ſancti preſentiam. Spiritus ſanctus, & ſanctos fecit Angelos; & bonos in gratia confirmauit.

7 Hom. 12. in Pſal. 45.

IDEM exponens illa verba; Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, inquit: Fluminis impetus, ſiue ſtrepitu ac leniter procedens, & illi, qui digni ſunt, aquarum ſuſceptione affluentes, ciuitatẽ Dei lætificant. Et nunc quoque iuſtus viuentem bibit aquam, poſtea vero copioſius bibet municeps, & ciuis factus ciuitatis Dei, tunc ſimul inundantem fluuium ſuſcepturus eſt. Quis porro fuerit fluuius iſte Dei alius, quàm Spiritus ſanctus, qui cordibus ſe dignis inſerit eorum, qui in Chriſtum crediderunt? Qui credit, inquit, in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Et rurſus: Si quis biberit ex aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hic itaque fluuius omnem Dei ciuitatem lætificat. Si ciuitas Dei es, ſancti Spiritus inundatione lætificaris.

8 Homil. 1. de baptiſmo.

IDEM explicans illa verba; Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt, ait. Quemadmodum, quod ſecundum carnem natum eſt ex aliquo, tale eſt, quale id, ex quo natum eſt, ita & nos neceſſario ex ſpiritu natos, ſpiritum fieri, ſuſcipiẽdo Spiritum ſanctum, & ipſius dona ad hominum vtilitatem data. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, pacientia, & quæ ſequuntur, cum præmiſiſſet: Qui autem ſpiritu aguntur, non ſunt ſub lege. Et alibi: Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Per hæc & ſimilia Dãs ex ſpiritu natos, ſpiritũ fieri dicit. Spiritus ſanctus cõfirmat interiorem hominem, vt dicere poſsimus: Noſtra cõuerſatio in cęlis eſt.

Gal. 6.

9 Lib. 5. aduc. Eunomiũ. *Pſal. 50.* *Pſal. 142.* *Pſal. 103.* *Pſal. 138.* *Iſa. 30.*

IDEM explicat loca hæc de Spiritu ſancto: Spiritũ rectũ innoua in viſceribus meis. Et illud: Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam: Spiritu principali confirma me. Emitte ſpiritum tuum; & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Et cum, dicit: Quo ibo a ſpiritu tuo, & quo a facie tua fugam? Et iterum: Væ filij rebelles, feciſtis conſilium non per me, & pactiones non per ſpiritum meum: Spiritus ſanctus eſt, qui ſanctos facit, & diuinam ijs vitam præbet, qui Deum ab ipſo quærunt: qui ſancti fiunt, cum ipſe derelinquit, corrumpuntur. Reſplendet hominibus, qui digni ſunt, ſicut ſolis radij nubem illuminantes, & ipſam ſplendere facientes, auriformem ipſi faciem præbentes, ſic & Spiritus ſanctus in hominem aduenientes, præbet vitam, dat ſanctificationem, iacentem ſuſcitauit; id autem motu ſempiterno; motum a Spiritu ſancto ſanctum animal factum eſt. Homo vero in habitante Spiritu, prophetæ, Apoſtoli, Angeli habet dignitatem, cum prius eſſet terra, & cinis. Virtute eius viuunt vniuerſa, & vbique adeſt, emittenti Deo aſsimilatus, replens Paulum euangelizantem Romæ, & Marcũ Alexandrię, & Iacobum in Hieruſalem, nullo in eodem tẽpore prohibente inteuallo eandem fieri gratiam. Per hunc etiam quilibet ſanctorũ Deus eſt: Deus deorum, ideſt, ſanctorum, locutus eſt, & videbitur Deus deorum, ideſt, ſanctorum, in Sion. Sed quemadmodum id quidẽ caliditas ignis innata, id vero participata, quam præbet aquæ; ſic & ipſe in ſe ipſo vitam habet, & qui eo participant viuunt, vt Deos decet, vitã diuinam ac cæleſtem poſsidẽtes ab eo participatam. Quia qui adhæret Deo, vnus ſpiritus eſt.

10 In li. de Sp. ſanc. cap. 15

IDEM ſic habet: Per Spiritum ſanctum datur in paradiſum reſtitutio, in regnum cælorum reditus, in adoptionem filiorum reuerſio, datur fiducia Deum appellandi Patrem ſuum, conſortem fieri gratiæ Chriſti, filium lucis appellari, æternæ gloriæ participem eſſe, & vt ſemel omnia dicam, eſſe in omni benedictionis plenitudine, tum in præſenti hoc ſęculo, tum in futuro nobis, repoſitorum bonorum, quibus interim per fidem fruimur, perinde quaſi adſint, gratiam velut in ſpeculo contemplantes. Nam ſi talis eſt arrabo, quale eſt illud, quod perfectum eſt? Et ſi tales ſunt primitiæ, quæ erit verbi conſummatio? Spiritus ſanctus eſt, de quo ſcriptum eſt. Dominus dirigat corda, & corpora noſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti. Ipſius enim munus eſt nos inducere in dilectionem Chriſti, & in ſuſtinentiam afflictionum, quæ pro Chriſto tollerantur. Spiritus eſt, de quo dictũ eſt, quod gloriã Domini ſpeculantes, in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu. Sicut enim, quæ iuxta floridos colores poſita ſunt, e ſplendore promanante colorantur & ipſa, ſic qui euidenter intendit oculos in Spiritum, ex illius gloria quodammodo transformatur, vt fiat illuſtrior, dum veritate a Spiritu promanante, ceu luce, corde illumina-

2. Theſ. 2. *2. Cor. 3.*

luminatur. Et hoc est transformari a gloria Spiritus ad propriam gloriam, haud parce, neque tenuiter, sed intantum quantum par est illustrari eum, qui a Spiritu illuminatur.

11 Hom. 74. in Ioan. to. 3. CHRYSOSTOMVS ait: Non statim post resurrectionem aduenit Spiritus sanctus, vt expectationis desiderio maiori gratia eum acciperent. Quo vsque enim dum ipsis Christus versatus est, non afflictabantur, eo abeunte, tamquam deserti formidantes maiorem in modum eum accipere desiderabant. Infra; Dicit autem de Spiritu sancto Dominus, quòd suggeret Apostolis omnia, ostendens se eos spiritales effecturum, vt vsu veniſſe non ignoramus. Qui enim prius tremebant, & formidabant, post Spiritus sancti acceptionem in media pericula prosilierunt, per ferrum, ignē, bestias, pelagus, & ad omnem calamitatem se intrepidi exposuerunt, & illitterati, & idiotæ audenter disputabant, vt auditores in admirationem adducerent, ex luteis ferreos, & in cælum erigens, nulli humano affectui subiectos reddidit spiritus. Talis illa gratia, quæ mœrorem soluit, malas cupiditates consumit, formidinem pellit, nec sinit amplius hominem esse eū, quem afflat. Sed tamquam in idipsum cælum translatus, omnia, quæ illic sunt, contemplatur.

Ioan. 14.

12 In serm. de Pentecoste. IDEM ait; Hodie nobis terra facta est cælum, non stellis de cælo in terram descendentibus, sed Apostolis ad cælos ascendentibus, quia affusa est copiosa gratia Spiritus sancti, & vniuersum orbem operata est cælum, non immutans naturam, sed voluntatem emendans. Inuenit namque publicanum, & Euangelistā effecit: inuenit persecutorem, & Apostolum reddidit: inuenit latronem, & in paradisum induxit: inuenit meretricem, & virginibus coæquauit: fugauit malitiam, & induxit benignitatē: exterminauit seruitutem, & induxit libertatē: ideo cælum factum est terra. Quid enim tales stellę sicut Apostoli? Stellæ in cælo, Apostoli super cælos: stellæ de igne insensibili, Apostoli de igne intelligibili: stellæ in nocte lucent, in die obscurantur, Apostoli in die, & in nocte suis radijs, hoc est virtutibus effulgent: stellæ in resurrectione cadent sicut folia, Apostoli in resurrectione rapientur obuiam Christo in aera. Spiritus sanctus in igne apparuit prooter velocem mentis susceptionem, non autem propter hoc solum, sed & sicut ignis spinas combu rit, sic & spiritus peccata disperdit.

13 Homil. 1. in acta Apost. IDEM dicit: Quemadmodum milites in multitudinem erupturos, nemo patitur exire, priusquam armati fuerint, neque quisquam eos sinit a carcere prosilire priusquam aurigam nacti sint, ita nec Christus discipulos passus est in acie conspici, priusquam descenderet Spiritus, ne facile caperentur, & abduceren tur a multitudine. Infra: Spiritus aduenit dum complerentur dies Pentecostes, vt eos capaces redderet, & idoneos accipiendo spiritui. Etenim si Daniel Angelū visurus semotus est, multo magis hos decebat secedere, tantū Dei donum accepturos. Oportebat illos desiderio promissi teneri, atque ita accipere donum. Ideoq; cum Dominus digressus esset, tūc aduenit Spiritus: qui si veniſſet eo præsente, non habuisset illos tam ardens expectatio. Oportebat etiam in cælo comparere naturam nostram, & perfectam reconciliationem fieri, ac tunc venire Spiritum, quo purum merumq. gaudium fieret. Infra: Non expresit Christus diem, in quo Spiritus sanctus Apostolis mittendus esset; idque iustissima sane de causa, nimirum, vt vigilantes sollicitius promissum expectarent: non enim datur Spiritus sanctus nisi vigilanti. Venit autem Spiritus sanctus in igne ferens vindictæ seueritatem impijs.

14 Homil. 4. in Act. IDEM inquit: Sedit supra singulos eorū Spiritus sanctus, hoc est, mansit apud illos, & in illis requieuit. Nam sedendi verbum stabilitatem, ac mansionem declarat. Illud autem considera, cum instant deprecationi, cum charitatem interse habēt, tūc aduenit Spiritus sanctus. Porro ignis arguit gratiæ copiam, ac vehementiam. Nequaquam idem accidit in prophetis, nam capitulum libri datum est Ezechieli, ædebatq. quæ dicturus esset. Eoq. dictū est; Et factū est, in ore eius, velut mel dulce. Rursus manus Domini tetigit linguā alterius prophetę. Ceterum hic ipse Spiritus operatur omnia. Moyses per ignē rubi vocatur. Nó itidem hic factum est, sed ipse ignis insedit. Et quemadmodū ab igne quotquot volet aliquis lucernas accendit, nec ignis imminuitur, ita & in Apostolis tunc temporis accidit. Non enim per ignem tantum gratiæ largitas demōstrabatur, sed vnusquisque spiritus fontem accepit, sicut promiserat Dominus, idq. valde congruenter. Neque enim cum Pharaone disceptaturi abierant, sed cum diabolo luctaturi, quodque mirabilius est, cum mitterentur, nihil excusarunt, neque dixerunt impeditioris linguæ esse, sicut Moyses dixerat, neq; pueros se confessi sunt, vt Hieremias. Atqui multa audierant terribilia, multoq. plura, quàm illi, & tamen veriti sunt contradicere. Ex quo liquet illos lucis Angelos fuisse, & cælestium negotiorum administratores. Vnde Apostoli intrepidi erant in medio hostium. Quemadmodum enim igneus homo, si in medias incidat stupas, nihil lædetur, sed magis vim exeret suam. Luctabantur Apostoli cum impijs, ac si quis ignem gestans, luctetur com eo, qui portat fœnum. Nonne cum innumeras paterentur persecutiones Apostoli, perinde fuerunt, affecti, quasi in somnis vidissent hæc mala, aut in pictura? Atque illud interim mirabile, quod Apostoli nudo corpore consistebant aduersus armatos: imperiti ac simplices contra philosophorum turbam. Hos ita superauit Petrus, quasi cum mutis piscibus certamen fuisset. Vbi nunc Græcię fastus, vbi nomen Athenarum, vbi philosophorum delyramēta? Ille Galilæus, ille rusticanus illos omnes deuicit. Petrus emisit vocem, quæ tamquam lumē in tenebris vehementer refulgens fugauit orbis terrarum caliginem.

Act. 2.

Cap. 8.

16 Hom. 34. in ep. Pauli ad Heb. to. 4. IDEM ait. Gratia Spiritus sancti in nobis est, vt permaneat in nobis, vel etiam discedat, a nobis. Illud enim fit, quando cælestia meditamur, istud autem quando ad sæcularia declinamus. Quem mundus, inquit, non potest accipere, quoniam non videt eum, neque cognoscit eum. Contemplaris igitur, quoniam non est sæcularis animæ habere Spiritum sanctum. Multo itaque nobis opus est studio, vt eum apud nos metipsos retinere possimus, & munitos nos reddere atque in pace collocare. Sicut.n. nauis, quæ prospero flatu fertur in pelago, non potest impediri, neq; demergi, vsque quo prospero vento, ac perseuerante fruitur, sed etiam post nauigationem gloria eis magna cōtingit, siue nautis, siue remigeris, illis quidē requiem tribuens, quòd labore remigationis non fuerint fatigati, istis autem, quòd eos maris molestia liberauit, & nauigationem illam hilarem fecit; sic etiam anima a diuino adiuta spiritu, omnibus rebus superior existit, & omnibus fluctuationibus vitæ huius eminebit, & viam in cælum ducentem vehementius, quàm illa nauis, incidit, vt pote quæ non vento impellitur, sed ab ipso, Paracleto fertur, munda vela possidens, & plena prosperibus flatibus, omnem remissionem, & dissolutionem a sua mente discutiens. Sicut enim in velis laxis vētus incidens, nihil operatur, sic etiam Spiritus sanctus in anima remissa, & segni non patitur permanere. Si spe futurorum intendamus opera nostra, bene suscipiunt operationem Spiritus sancti. In magno mari, & spacioso nauigamus, multis quidem bestijs pleno, & scopulis. Hoc mare multas nobis tempestates ingerit. Oportet igitur, si volumus sine molestia, & sine periculo nauigare, vela nostrę nauis erigere, hoc est nostræ voluntatis, sufficit enim hoc nobis. Sint nobis munda vela, non sint veteranosa; omne enim, quod veterascit, & in senium cadit, interitui proximum est. Nō sint contrita, & dirupta, vt spirituales flatus non teneant. Animalis enim homo, dixit Apostolus, non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Sicut enim aranearum stamina flatum venti non suscipiunt, sic neque anima sæcularis, neque homo animalis gratiam poterit Spiritus sancti susc ipere. Nihil enim differunt ab illis staminibus cogitationes nostræ, solo visu habentes consequentiam, totius autem virtutis vacuæ permanent.

Ioan. 14.

Rom. 8.

1. Cor. 2.

17 Hom. 11. in prim. epi. ad Thessal. c. 5. Ephes. 5. IDEM exponens verba illa; Spiritum nolite extinguere, inquit. Densa quædam caligo & tenebræ, & nubilum super omnem terram diffusa sunt, vnde dixit Apostolus: Eramus aliquando tenebræ. Quoniam igitur super hāc terram nox est, vt ita dicam, ne lunarem quidem splendorem habens, & in ea nocte nos incedimus, tradidit nobis Deus lampadem illustrem, incensam, Spiritus sancti gratiam in animabus nostris. Sed hanc lucem hi quidem, qui eam amplexi sunt, splendidiorem fecerunt & claram, vt Paulus, Petrus, vt sancti, quidam vero extinxerunt illam, vt quinque illæ virgines, vt qui circa fidem naufragium fecerunt, vt qui in Corintho fornicatus est, vt Galatæ immutati. Propterea dicit Paulus; Spiritum ne extinguatis, hoc est donum Spiritus. Extinguit autem spiritum vita impura. Nam quemadmodum, si quis lucis huius lychno, & aquam inspergeret, & puluerem, & si nihil horum inspergeret, sed oleum tantum eximeret, lucem extingueret, ita habet & donum Spiritus. Siue namque res terrenas, & rerum fluxarum curas inspserseris, extingues spiritum. Siue etiam, si tu nihil tale feceris, aliunde tamen tentationis vehemens impulsus instar cuiusdam venti irruerit, & flamma valida non fuerit, aut parum olei habuerit, aut foramen seu ostium non clauseris, omnia peribunt. Foramina in nobis sunt oculi, & aures. Ne sinas istis occurrere validum malitiæ flatū, alioquin lychnum extinguet, sed obtura foramina timore Dei. Ianua os est, claude. Ita scilicet occlude, vt & lucem exhibeat, & externum impulsum repellat. Conuinciatus est quisquam, vituperauit? Tu claude os tuum. Si enim illud aperueris, concitabis magis ventum hunc. Non vides in ædibus quando e regione, & directe duæ ianuæ oppositæ sunt, & flatus vehemēs irruerit, si alteram clauseris, & respiratio prohibita fuerit, quomodo nihil valet efficere flatus, sed plurimum de robore illius præcidatur? Ita & hic duæ sunt ianuæ, os tuum, & os illius, qui te vituperat: si tuum occluseris, & spirationem non dederis, omnem flatum istum extingues, si vero aperueris, effrenis reddetur. Ne extinguamus igitur spiritum. Fit autem sæpenumero, vt etiam nullo externo impulsu incumbente extinguatur fax, quando videlicet oleum deficit; quando misericordiam non facimus, extinguitur spiritus. Etenim ex misericordia Dei venit ad te spiritus. Postea si viderit fructum hunc misericordiæ non esse apud te, non manet apud animam immisericordem. Extincto autem spiritu, quid reliquum sit nostis, quotquot in tenebricosa nocte ambulatis. Si vero de terra in terram nocte ambulare difficile est, & molestum, quomodo tutum erit eam viam, qua ex terra in cælum tenditur, sine hac luce ambulare. Ignoratis quot dęmones sint in istius intercapedinis spatio? Quot bestię? Quot versutiæ spirituales? Si ergo lucem illam spiritus habuerimus, nihil nobis incommodare poterunt; si vero extinxerimus eam, confestim nos consument, & omnia nostra auferent. Nam & latrones lampadem primum extinguunt, & tunc demum latrocinantur. Ne extinguamus ergo lucem. Quæuis mala actio lucem istam extinguit, & conuicium, & vituperium, & quidquid huiusmodi est. Quemadmodum enim in igne quidquid alienum est ab illo, exitiosum ei est, hoc vero illum incendit, quod cognatum est. Si quid aridum fuerit, si quid calidū, si quid igneę naturæ flammam spiritus incendit. Nihil ita-

18

que

que frigidum, nihil humidum ingeramus, sunt enim ista exitiosa.

19 IDEM dicit, Christus in cælos ascendit, & sanctum Spiritum in terram demisit, vnde in cælos regressus ad Patrem suũ clamabat. Surge in occursum meum, & vide. Et tu Domine Deus virtutum, Deus Israel intende, vt visites omnes gentes. Ego vsitaui, inquit, & impleui tuam obedientiam; intende, & tu, vt visites gentes. Igitur non ad vnam tantum animam hodie dicitur: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, sed omni creaturæ, dicit Deus: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Et erunt mihi in filios, & filias, & matres, & fratres. Quisquis enim facit voluntatem Patris nostri, qui in cælis est, hic filius, & Christi frater, & mater est. Nouæ hodie orbi terrarum annunciantur leges, nouum testamentum, noua creatura. Emittes enim, inquit, spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, quæ olim audiuit; Terra es, & in terram ibis. Et vt olim in monte Synai vetus lex data est, ita & nunc nouum testamentum, de quo propheta, dicit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & testamentum faciam super domum Iuda. Testamentum nouum, non sicut testamentum, quod statui cum Patribus eorum, quando eduxi eos de terra Ægypti, dans legem in mentem eorum, & in corda eorum inscribam eã. Quomodo igitur lex vetus data est in monte Synai, post liberationem populi ab Ægypto, propterea etiam nunc nouum testamentum in monte Sion, redemptis de seruitute inimici datur. Illic cum Moyses in montem ascendisset, lex descendit, hic vbi Christus in cælum ascendit, Spiritus sancti lex nobis aduenit. Illic ignis montẽ impleuit, ideo & hodie in igneis linguis Spiritus apparuit. Illic linguã, quã non nouit, audiuit populus; & hodie linguam, quam non nouit, locutus est Apostolorum chorus. Illic cũ lex daretur, voces tubæ sonabant; & hodie factus est repente de cælo sonus, tamquam Spiritus vehemẽtis, & loquebantur varijs linguis.

20 Quàm admirabile erat spectare Galilæum piscatorem, barbarum, illitteratum lingua Græca, Persica, Arabica disserere, & rhetoricari! In specie autem ignearum linguarum Spiritus descendit hodie, vt infantilitatem gentium in theologiam conuerteret. Item in specie ignis, quia Deus noster ignis consumens est, eo quod repurgat materiam peccati, sicut ignis, qui spinas, & tribulos peccatorum repurget, & qui sedentes in tenebris errorum illustret. Porro tertia hora ad discipulos venit, tertiam legem post naturalem nobis largiens. Olim linguę multæ confusæ sunt propter sceleratam impiorum temeritatem: linguis autem hodie admirabilis sapientia conceditur propter flammã superne in discipulos venientem. Tunc obtenebrauit impios ædificatio turris scelesta, hic sapientes reddit rara Dei notitia. Illic lapsus condemnauit, hic nunc Spiritus sanctus liberos fecit. Vbi enim Spiritus Domini, illic cognoscitur & libertas. Et quod libertatis, & remissionis peccatorũ est suppeditatrix dies Pentecostes, audi Deum in Leuitico ad Moysen, vbi præsentem festiuitatem præfigurauit, & dicit: Et enumerabitis a pascha septem hebdomadas, & die sequenti facietis diem Pentecostes. Dies propitiationis est, dies remissionis, & indulgentiæ. Quibus ostendit sanctissimus Spiritus, quod quando præterierit septima sabbati legalis, & festiuitatis, & cultus, tunc Spiritus sanctus doctis gentibus in Pẽtecoste, propitiationem, & remissionem peccatorum nobis tribuit. Vnde & debitorũ remissio quinquagesimo tempore. Et idcirco quinquagesimus psalmus in figura huius quinquagesimæ remissionẽ peccatorum, & misericordiæ consecutionem Dauid continet, & variam Spiritus sancti mentionem facit, Spiritum sanctum, & Spiritum exultationis, & Spiritum rectum, & Spiritum principalem appellans. Audi & aliter Pentecostem hanc tibi figuratam. Ante multa tempora cum generale diluuium totum orbem terrarum propter impietatem comprehenderet, ædificatur diuino imperio arca pro piorum virorum salute. Trecentorum cubitorum erat longitudo eius, & quinquaginta cubitorum latitudo eius, in vnum cubitũ cogebatur summitas eius, in qua cõgregabãtur ex omnibus, quæ sub cælo sunt animalia. Aqua, quæ occidit homines, simulachrorum cultus est. Arca figura est Ecclesiæ Christi. Trecenti cubiti trinitatis signant sacramentum, qui in vnum cubitũ vnius Deitatis conueniũt. Quinquaginta autem Pentecostes præfigurabant symbolum, qua in Sion quasi in arca pecuinæ, & immundæ congregatæ sunt gentes, Parthi Medi &c. Dimissa est autem in figura Dei a Noe & columba, vt videret, si cessasset diluuiũ quæ cum nondum inueniret requiem pedibus, post tempus iterum dimissa est, & redijt seccũ ramum oliuæ in ore ferens: & post dies septem dimissa, inuenta q; sibi requie, confidens cessasse diluuium, nidificauit. Columba figura est aduẽtus sancti Spiritus, quæ ante legem inuisens creaturam, non inuenit quomodo super ea requiesceret, sicut nec Iesus, vbi reclinaret caput suum, ita impietas omnia occupauerat. Deinde post tempus quoddam iterum columba dimissa est, redijt ferens ramum oliuæ in ore, forte signans in lege ac ore prophetarum paruum quendam fructum misericordiæ Spiritum sanctum ferre. At post septem dies omnis cultus sabbatorum legis, emisit Deus Noe columbam Spiritus Filij sui, & inuenta requie apud fideles, & in eis habitauit, nidificauit, & mansionem apud nos fecit. Columba enim animal est, quod præ omnibus volatilibus cęli homines amat, & cõtubernale est, ac mansuetũ innocensq. & fœcundum, & domesticum, quod versatur, quiescit, & habitat in domibus nostris. Sicut & Spiritus sanctus dicit de nobis: Quia habitabo, & conuersabor cum eis. Significatq. hoc animal habitationem immaculati, purissimique Spiritus sancti. Quem ex summo

Ser. de Spi. sancto. to. 5.
Psal. 58.
Ioel 2.
Matt. 12.
Psal. 103.
Gen. 3.
Hiere. 31.
Exo. 19.
Act. 2.
Deut. 4.
Gen. 11.
2. Cor. 3.
Leuit. 23.
Gen. 6.
Gen. 8.
Luc. 9.

mo cælo cum Ecclesia hodie suscepit, facta est & ipsa cælum, & cælestes homines efficit, qui cælestem Spiritum intra se ferant, & huius magnalia prædicent. Spiritus sanctus, spiritus pacis, & fidei, spiritus gratiæ, & intelligentiæ, spiritus libertatis, & mansuetudinis, ipse est nostræ imaginis reformatio, mentis perfectio, animæ instauratio. Spiritus sanctus auctor est fidei in Deum, spiritualis mentalium oculorum nostrorum sol, interni nostri hominis lucifer, lucifer in pectoris cęlo. Spiritus sanctus, ipse oppulentia filiorum Dei, ipse æternorum bonorum thesaurus, ipse pignus ęterni regni, ipse primitię vitæ æternæ, ipse corda nostra Christo conglutinat; ipse est cibus diligẽtium Christum, quo nunquã satiantur, ipse potus est animarũ filiorũ Dei, copula est vnionis nostræ in Christo, animarum exultatio, cordis tripudiũ, lugentiũ cõsolatio, mœstitudinis depositio, mentis requies, sapiẽtiæ cõmunicatio. Hoc prophetæ illustrantur, hoc idiotæ sapientia condiuntur. Hic Spiritus vocatur sanctus, Dominus, viuificator, cõsolator, paracletus, inhortator. Inhortatur enim semper ad bonum corda fidelium, inhortatur animã, vt Deo se vniat, inhortatur mentẽ, vt a malis desistat. Mira res, inhortatur, & obsecrat Deus mortalẽ, obsecrat Deus lutum, obsecrat Creator creaturam, obsecrat Dominus seruũ, idq. intrinsecus in anima, & alios quidẽ alloquitur amice vt filios, alios vt fratres, alios vt amicos cõpellit, instigat, ad se attrahit ineffabili charitate, cor exhilarat, edulcat, calefacit, à terrenis trãsfert, & ad cælestia vocat, redire facit animã, & ad Deum transire, & volare, vrget mentẽ, diuino accendit desiderio, docẽs, vt bona, quæ illic sunt, cogitemus, quæ illic sũt imagimemur, quę illic sunt somniemus, quę illic sũt inquiramus, vt regionẽ cogitemus vberrimam, ciuitatem virtutum, patriã absq; turbatione, portũ absq; tempestate, ad quem semper Spiritus aduocatus vocat animam ad imaginem suam factam. Si quis vere fidelis inter vos, agnouit omnino, quæ dicta sunt, consolationes has illi soli sciũt, qui eum iuhabitatorem habent. Ita sancti Spiritus consolatione accensi simul, & alati, corroboratiq. in populo Christi viri, ac mulieres, saucijs diuino amore animabus, mortẽ contẽpserunt, naturã carnis vicerunt, tyrannidẽ voluptatum conculcarunt, flammas concupiscẽtiarum extinxerunt. Ista Spiritus sancti adhortatione incitati, omnia, quę super terram sunt, contempserunt quasi somnia, pecunias, possessiones, vestes, ædes, patres, matres, filios, cognationes, generis nobilitatẽ. Persuasit. n. eis Spiritus sancti operatio, cũ dicit: Non habemus hic manentẽ ciuitatem, sed futurã inquirimus. Hospites, & peregrini sumus nos in hoc sęculo, non habemus hic patrem, sed in cælo, ideo cupimus dissolui; & esse cum Christo, desiderantes per mortẽ ad immortalitatẽ transire, illum sitientes, sicut ceruus ad fontes aquarũ, illũ desiderantes, qui nos dilexit, qui nobiscũ dignatus est mansionem habere, vt filij, & heredes Dei efficeremur. Misit in corda nostra Spiritũ filij sui, in quo clamamus: Abba, Pater, atque adeo iam non sumus serui, sed filij Dei, Deus in hominibus domicilium habuit, & ostendit homines Deipares, stupendus sermo, at nõ meus, sed illius, qui dixit: Propter timorem tuum in vtero gessimus, & parturimus, & peperimus spiritum salutis. Nos qui sumus carnes infirmitatis, peperimus spiritum saluris, quia concepimus hodie ab excelso spiritũ adoptionis filiorum. De hac salutari, incorrũptissima spiritus conceptione volo tibi spiritualem sermonem instituere, vt manifestius scias, quis prius fueris, quid nũc factus sis, & quid intra teipsũ conceperis, & qualem fœtum in anima tua feras, & quomodo omni Christianæ menti quadret: Benedicta tu in mulieribus, vt spõsa Dei, & benedictus fructus ventris tui. Ad imaginẽ Dei facti eramus, & hæc imago corrupta, & coinquinata est. Vt hanc repararet misit Deus Spiritũ filij sui in corda nostra. Spiritus Deus noster fideliũ spiritibus vnitus est fraterno modo. Hoc donum est, quod nobis solis Deus dedit. Hic est thesaurus noster, quẽ habemus absconditum in vasis fictilibus, luteis, nostris corporibus. Hoc est granum sinapis, quod Christus in terra cordis nostri seminauit, & occultauit. Hic sãcti Spiritus in nobis thesaurus est, & pretiosissimum margaritum. Hic est ignis sanctissimus, de quo dicit Christus; Ignem veni mittere super terram, & volui videre, si iam accensus sit. Hic in nobis Spiritus sanctus regnum cælorum est, de quo dicit Christus: Regnum cælorum intra vos est. Christus intus, Spiritus sanctus intus, Pater intus, quæ oculus non vidit, & quæ aures non audierunt, hæc etiam intus. Vidit Deũ olim Abraham, sed extrinsecus apud quercum Mambrę; vidit & Iob sed extra per turbinem, & nebulas; vidit & Moyses Deum, sed extra per cauernã; & in petra vidit Isaias, sed extra in throno excelso; vidit Ezechiel, sed extra in animalibus oculatis; vidit & Daniel, sed in visione noctis; vident Deum & qui nunc apud nos mundo corde, at non extra, sed intrinsecus, sicut filij, & heredes Dei. Nondum audierãt antiqui: Regnũ Dei intra vos est; si quis autem Spiritum Dei non habet, hic non est eius, sicut dicit Paulus: Quæ lex, quam hodie e cælo datam discis? Spiritus gratia. Quę rationales tuę tabulę, in quibus hæc lex insculpitur? Anima, & corpus. Quæ tua spiritualis circuncisio? Omnis malæ concupiscentię excisio, & ab ea auersio. Quod tuum altarium? Mens tua spiritalis. Quod spirituale tuum sacrificium? Omnis bona operatio. Quis ignis altaris tui? Compunctionis calor. Quod templum tuum a Deo conditum? Mundum cor, in quo Deus habitare amat.

26 IDEM inquit: Qui accipit gratiam, vt iudicet, accipit spiritum iudicij, sicut dicit Isaias: Et purgabit eos Dominus spiritu iudicij, & spiritu adustionis: punitricem, & purgatricem vim vocat spiritum adustionis. Dauid autem petit spiritum rectum, qui diri-

Gal. 4.
Isa. 26.
Luc. 1.
2. Cor. 4.
Mar. 4.
Ibi. 17.
Gen. 18.
Iob 38.
Exo. 33.
Isa. 6.
Ezec. 1.
Rom. 8.
Luce 12.
In Hom. de Spir. sancto.
Isa. 4.
Psal. 50.

gat, & in rectam viam ferat. Et iterum petit donum principale, quo dominetur, & sit princeps affectionum, faciatq. animam non seruire suis affectionibus. Quoniam enim Dauid peccauerat, & a continentia venerat in nequitiã affectionum, & voluptatis, & quia non iuste iudicarat interficiendum virum, & seruus factus fuerat cõcupiscentiæ, in adulterium prolapsus, petit spiritum rectum, inquiens: Innoua in visceribus meis, & ne proijcias me, inquit, a facie tua, & redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me, hoc est dono, quo cohibeã voluptates. Infra: Impleuit Deus
Ex. 18. & Deut. 1. Moysen spiritu, & dicit Moyses: Non possum solus ferre pondus huius populi. Dicit ei Deus: Elige septuaginta seniores, & accipiam de spiritu, qui est in te, & dabo super eos. Non dixit accipiam tuum, sed de spiritu, qui est in te. Moyses figura erat Christi, quia sicut a Moyse septuaginta fuerunt impleti, ita & a Christo
Ioel 2. orbis terrarum accepit Spiritum sanctum. Vnde dicit Deus. Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Assumpsit Christus figmentum tuum, dedit tibi Spiritum suum.

27 In epist. ad Hedibiã in qua ref. duo decim quæstionib. to. 3. HIERONYMVS vbi quærit; Qua ratione Christus Dominus post resurrectionem statim insufflauit, & dixit Apostolis: Accipite
Ioan. 20. Spiritum sanctum; & secundum Lucam post ascensionem se misurum repromittit, ait. Prima die resurrectionis acceperunt Spiritus sancti gratiã, qua peccata dimitterent, & baptizarent, & spiritum adoptionis credentibus largirentur ipso Saluatore dicente: Quorum
Ibidem. remiseritis peccata remittuntur eis. Die autẽ Pentecostes eis amplius repromissum est, vt baptizarentur Spiritu sancto, & induerentur virtute ex alto, qua Christi Euangelium cunctis gentibus prædicarent, iuxta illud, quod scriptũ
Psal. 67. est: Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa, vt haberent operationem virtutum, & gratiam sanitatum, & prędicaturi multis gentibus acciperent genera linguarũ: quod
Act. 2. completum est, quando repleti sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui varijs linguis.
Ioel 2. Tunc completũ est illud, quod legitur in Ioel: Et erit in nouissimis diebus dicit Dominus, effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ,
28 seniores vestri somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Verbum autem effusionis significat gratiæ largitatem, & id ipsum sonat, quod Dominus repromisit: Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies. In tantum enim Spiritu sancto baptizari sunt, vt repleretur tota domus, vbi erant sedentes, & ignis Spiritus sancti stationem in eis inueniret optatam, linguasq. diuideret, & secundum Isaiam, qui immunda labia habere se dixerat, purgaret labia eorum; vt Euangelium Christi purius prædicarent. In principioq. Euangelij repletur Spiritu sancto Ecclesia; vt gratia eius, atque feruore omnium credentium peccata purgentur, & igne Spiritus sancti, quem Dominus missurum esse se dixerat, prędicatura Christum lingua sanctum. Non ergo Ioannes, Lucasq. discordant, sed quod vnus dixit exhibitum, alter exhibẽdũ; profectus Apostolicus est; vt, qui acceperant Spiritũ sanctũ prius, in die Pentecostes flumina de ventre ipsorum fluerent aquæ viuæ.

29 In lib. quæstionũ Hebra. in Gen. IDEM exponens verba illa; Et Spiritus Domini ferebatur super aquas, inquit: Pro eo quod in nostris codicibus scriptum est, ferebatur, in Hebræo habet, Merachephet, quod nos appellare possumus, incubabat, siue confouebat, in similitudinem volucris oua calore animantis. Ex quo intelligimus non de spiritu mundi dici, vt nonnulli arbitrantur, sed de Spiritu sancto, qui & ipse viuificator omnium a principio dicitur.

30 Lib. 1. in c. 1. Ezec. to. 4. IDEM exponens verba illa; Et vidi, & ecce ventus turbinis veniebat ab aquilone, & nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius; & de medio eius quasi species electri, id est, de medio ignis, sic habet. In interpretatione huius visionis omnes Synagogæ Iudæorum mutæ sunt, vltra hominem esse dicentium de hac aliquid velle conari. Nos autem, quæ a maioribus nostris accepimus, suspicari magis possumus, quàm explanare. At primum sciendum, spiritum auferentem, siue attollentem, quem nos iuxta Aquilam interpretati sumus, ventum turbinis, & iuxta Symmachum, & Theodotionem, flatum, ac spiritum tempestatis, ab alijs in bonam, ab alijs in contrariam partem accipi. Verbum enim Hebraicũ, quod nostra æditio vertit ventus, significat ventum, vel spiritum, vt septuaginta transtulerunt, vel animam. Spiritus, vt ibi; Emitte Spiritum tuũ *Psal. 103.* & creabũtur. Anima; Egredietur spiritus eius, reuertetur in terram suam. Ventus; In spiritu violento conteres naues Tharsis. Qui ventum & flatum tempestatis legunt, hoc sentiunt; irã, & furorem Dei venire ab aquilone, hoc est Nabuchodonosor, & Hierusalem post sex annos huius visionis esse capiendam. Quodque nubes magna describitur, intelligimus eam imbres euersionum super Iudæam portare. Et inuolutus ignis monstrat ventura supplicia, & captiuitatis mala. Splendorq. in circuitu eius, significat Dei aperta iudicia. Qui autem in cõtrariam partem sentiunt, hoc est bonam, spiritum auferentem, siue extollentem, Spiritũ sanctum intelligunt, qui auferat ab hominibus vitia, atque peccata, siue iacentes attollat ad sublimia, faciat recedere ab aquilone vento frigidissimo, a quo exardescunt mala super *Eccli. 43.* omnem terram. Et in Hieremia, olla illa ter- *Hiere. 1.* ribilis a facie aquilonis accenditur. Nubem quoque magnam ad personam Christi referunt, qui venit in Ægyptum huius sæculi super nubem leuem. Diciturq. nubes magna ad cõparationẽ minorum Prophetarũ videlicet, & Apostolorum, & omnium sanctorum. Ignẽ quoque micantem, & splendorem in circuitu *Deut. 4.* eius, iuxta illud accipi; Deus noster ignis consumens est. Ad quem mittendum super terrã Saluator venisse se dicit, & in nobis omnibusq. credenti-

credentibus ardere desiderat, qui cum terrorẽ peccatoribus inferat atque supplicia, tamen splendore rutilet, & lumine, ac fulgore sit plenus. Ideirco nos excoquens, vt puris, atq; purgatis tribuat lætiora.

31 Lib. 11. in c. 39. Ezech. IDEM explicans verba illa; Et egredientur habitatores vrbium Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, baculos manuum, & contos, siue lanceas, & succendent ea igni septem annis, dicit. Pollicetur Dominus ignem missurum in eos, qui in similitudinem insularum sæculi fluctibus verberantur, & putant se esse debere securos. Ille ignis veniet, de quo Dominus loquitur; Ignẽ veni mittere in terram, & quid volo nisi, vt accendatur, vt sciant omnes, & intelligant, quòd ego sim Dominus, & nomen sanctũ meum notum fiat in medio populi mei. Et egredientur habitatores vrbium Israel, credentium populi, vrbes autem Israel Ecclesias intelligimus. Et succendent, & comburent arma. *Psal. 45.* De quibus, & in alio loco scriptum est; Arcum conteret, & cõfringet arma, & scuta comburet igni. Clypeos, & hastas, arcum, & sagittas, baculos, manus, in quibus peruersum pascha celebrabãt; lãceas quibus lata, & insanabilia inferebant vulnera doctrinarum. Quodque se-
Exo. 21. Leuit. 25. quitur, & succendent ea igni septem annis, de Exodo, & Leuitico exponendum est, in quibus lege præcipitur, vt septimo anno remissionis, quando seruis Hebræis libertas redditur, & debita cuncta soluũtur, & ad Dominos reddit antiqua possessio, & quies terræ tribuitur, & omnes fruges pauperibus condonantur, quo scilicet in septem annis numero sacrato, atq; perfecto hæreticorum armatura dispereat. Tela ergo, quæ hæretici habẽt varia, igne sancti Spiritus succendenda sunt.

32 In c. 2. Ioel to. 6. IDEM explicãs verba illa; Et effundam de spiritu meo super omnẽ carnem, dicit. Omnis caro, super quam effusurũ se de Spiritu suo *Isa. 40.* Dominus pollicetur, illa est, de qua Isaias loquitur. Et videbit omnis caro salutare Dei. Ergo salutare Dei videre non potest, nisi Spiritus sanctus effundatur. Neq; vero omnis, qui acceperit Spiritum sanctum, statim habebit & gratias Spirituales, sed per effusionem Spiritus sancti diuersas gratias consequetur. Alij prophetiam, vt filij, & filiæ, qui maioris sunt meriti, alij somnia, vt senes iam prouectioris ætatis, alij visiones, vt iuuenes, qui vicerunt malignum: Serui vero, & ancillæ, qui adhuc spiritũ
1. Ioan. 4. timoris habent, & non dilectionis, quia perfecta dilectio foras mittit timorem, non habebunt prophetiam, non somnia, non visiones, sed Spiritus sancti effusione contenti, fidei tantum, & salutis gratiam possidebunt. Effundam spiritum meum, & dabo prodigia in cælo, & in terra sanguinem, & ignem. Ignis iste est, qui in actibus Apostolorum descendit super Apostolos
Act. 2. quibus apparuerunt dispertitæ linguæ tamquã ignis, seditq. supra singulos eorum, & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Ignis natura est duplicis, habet lumen credentibus, habet tene-

bras supplicia q. incredulis, qui appellantur vapores fumi. Quia in monte Sion, & in Hierusalem erit saluatio, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. *Isa. 2.*

33 Lib. 3. in c. 12. Zachar. IDEM exponẽs illa verba; Effundam super domum Dauid, & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ, & precum (vel misericordiæ, vt habent septuaginta interpretes) ait: De hac gratia scribit, & Paulus; Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctum, qui datus est nobis. Et in libro Sapiẽ- *Roma. 8.* tiæ continetur: Quæ in cælo sunt, quis inuestigabit? Nisi quod tu dedisti sapientiam, & Spi- *Sap. 9.* ritum sanctum tuum misisti de excelsis, & sic correctæ sunt semitæ eorum, qui versantur in terra, & quę tibi placent, eruditi sunt homines. Verbum autem effusionis, sensum largitatis ostendit, sicut manifestũ est in eo quod diximus; charitas Dei diffusa est in cordibus nostris. Et in alio loco ex persona Dei: Effundam de *Ioel. 2.* spiritu meo super omnem carnem. Vocat autem Spiritum sanctum spiritum gratiæ, sicut & Paulus ad Hebræos: Quanto magis putatis *Cap. 10.* deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcauerit &c. & spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Vnde & Spiritus sancti diuersæ gratiæ esse dicuntur. Et salutatio Apostoli: Gratia, inquit, vobis, & pax multiplicetur, vt postquam nobis peccata donauerit, tunc pax per misericordiam consequatur.

34 In c. 26. Iob to. 7. IDEM explicans verba illa; Spiritus eius ornauit cælos, legimus in Genesi, die quarto stellas positas esse a Deo in cælo. Spiritu etiam sancto rationabiles cælos ornauit; quos Apostolos, & Apostolicos viros intelligimus de quibus scriptum est. Operuit cælos virtus eius. Hi ergo sancti a Spiritu sãcto ita distincti sunt gratiarũ donis tamquã sydereis luminaribus. *Abac. 3.*

35 In Psal. 25. to. 8. IDEM explicans verba illa; Vre renes meos, & cor meum, ait: Vre renes meos, id est, Spiritũ sanctum adhibe delectationibus, & cogitationibus meis, qui vtraq. exurens me dignum efficiat. Vre, hoc est igne Spiritus sancti, de quo ingne, dicit: Ignem veni mittere in terram: Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, vt ab hoc igne arguar, & non exurar.

36 In cap. 3. ad Ephes. to. 9. IDEM explicans illa verba; Vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ virtute confortari per Spiritum eius in interiori homine, dicit: Deprecor, vt vos Deus roboret, atque cõfirmet per Spiritum sanctum, quia nulla fortitudo absque Spiritu sancto est, Vt interiorem hominem roboret.

37 Lib. 13. cõf. cap. 4. to. 1. *Gen. 1. Cap. 7. Rom. 5. Eph. 3.* AVGVSTINVS exponẽs verba illa Genesis: Spiritus Dñi ferebatur super aquas, inquit: In quibus requiescere dicit Spiritus tuus bonus, hos in se requiescere facit. Infra: Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sãctũ, qui datus est nobis, & de spiritualib⁹ docẽte, & demõstrãte supereminẽte viã charitatis, ideoq. ab initio supereminens superferebatur super aquas, cui dicã? Quomodo dicam de põdere cupiditatis in abruptam abyssum, & de subleuatione charitatis per spiritum tuum,

qui superferebatur super aquas? Quomodo dicã? Mergimur, & emergimus. Affectus sunt, amores sunt, immũditia spiritus nostri, defluẽs inferius amore curarũ, & sanctitas Spiritus tui attollẽs nos superius amore securitatis, vt sursum corda habeamus ad te, vbi Spiritus tuus superfertur super aquas, & veniamus ad supereminentem requiẽ, cum pertransierit anima nostra aquas, quæ sunt sine substãtia. Spiritus tuus Domine fertur incommutabiliter super omne mutabile. Alioquin, & ipsum cælũ cæli tenebrosa abyssus esset in se, nũc autẽ lux est in Domino. Tu illuminas tenebras nostras, & tenebræ nostræ sicut meridies erũt. Omnis mihi copia Deus, quæ Deus meus nõ est, egestas est. Infra: Nunquid aut Pater, aut Filius non superferebatur super aquas? Cur ergo tantũ de Spiritu sancto dictum est hoc? Quia Spiritus sanctus est donum tuum, & in dono tuo requiescimus, ibi te fruimur requies nostra: amor illuc attollit nos, & Spiritus tuus bonus exaltat humilitatem nostram de portis mortis. Pondus meum amor meus, eo feror, quocumque feror. Dono tuo accendimur, & sursum ferimur, inardescimus, & imus. Igne tuo bono inardescimus, & imus; quoniam sursum imus ad pacem Hierusalem.

38 Epist. 119. ad Ianua. to. 2.

IDEM dicit. Occiditur olim agnus, celebratur pascha, & interpositis quinquaginta diebus, datur lex ad timorẽ, scripta digito Dei. Occiditur Christus, qui tamquam agnus ad victimam ductus est, celebratur verum pascha, & interpositis quinquaginta diebus datur ad charitatẽ Spiritus sanctus, qui est digitus Dei. Infra: Sicut autem conciliatus, & placatus Spiritus sanctus requiem præstat mitibus, & humilibus corde, ita contrarius, & aduersus immites, ac superbos inquietudine exagitat. Quã inquietudinem muscæ illæ grauissimæ significauerunt, sub quibus magi Pharaonis defecerunt dicentes, digitus Dei est hic.

Li. 2. de Trinitate. to. 2.

IDEM docet: Quod in monte Sinai Spiritus sanctus fuit, qui legem Moysi dedit, quam accepit scriptam digito Dei. Dei autem digitus in sacris litteris Spiritus sanctus dicitur: Et in aduentu Spiritus sancti in die Pẽtecostes apparuerunt Apostolis dispertitæ linguæ, tamquam ignis. Quod Exodo congruit, vbi scriptum est; Sinai autem fons fumabat totus, propterea quod descendit in eum Deus in igne. Et aliquanto post, Aspectus, inquit, maiestatis Domini, tamquam ignis ardens super verticem montis coram filijs Israel.

Exod. 19.

39 Lib. de sp. & littera. to. 3.

IDEM inquit: Nos dicimus, humanam volũtatẽ sic diuinitus adiuuari ad faciẽdã iustitiam, vt præter quod creatus est homo cum libero arbitrio, & præter doctrinam, qua ei præcipitur, quid agere debeat, accipiat Spiritum sanctum, quo fiat in animo eius delectatio, dilectioq. summi illius, atque in commutabilis boni, quod Deus est, vt hac sibi velut arra data gratuiti muneris inardescat inhærere Creatori, atque inflammetur accedere ad participationem illius veri luminis, vt ex illo ei bene sit, a quo habet vt sit. Et cum id quod agendum, & quod nitendũ est cœperit nõ latere, nisi etiã delectet, & ametur, non agitur, non suscipitur, non bene viuitur. Vt autem diligatur charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per arbitrium liberum, quod surgit ex nobis, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter recteq. viuendi, littera est occidens, nisi adsit Spiritus viuificans. Quoniam legis littera, quæ docet non esse peccandum, si Spiritus viuificãs desit, occidit, sciri enim facit peccatum potius, quàm caueri, & ideo magis augeri, quàm minui. Infra: In mirabili congruentia legis datæ in monte Sinai, & Spiritus sancti dati in die Pentecostes, illud certe plurimum distat, quod ibi populus accedere ad locum, vbi lex dabatur, horrendo terrore prohibetur, hic autem in eos superuenit Spiritus sanctus, qui eum expectabant. Ibi in tabulis lapideis digitus Dei operatus est; hic in cordibus humanis. Ibi lex extrinsecus posita est, qua iniusti terrerentur: hic intrinsecus data est, qua iustificarentur. Hęc lex non in tabulis lapideis scripta est, sed diffusa est in cordibus nostris per Spiritũ sanctũ, qui datus est nobis.

2. Cor. 3.

40 Lib. de octo quæstionũ Dulcitij. q. 4

IDEM ait: Nouissime exponendum poscis de Spiritu Dei, qui ferebatur super aquas. Sed cur commemorata prius quamuis imperfecta creatura, postea cõmemoratur Spiritus Dei, prius dicente scriptura: Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi, ac deinde inferente; Et Spiritus Domini superferebatur super aquas? An quoniam egenus, atq; indigus amor, ita diligit, vt rebus, quas diligit, subijciatur? Propterea cum commemoraretur Spiritus Dei, in quo sancta eius benenolentia, atque dilectio intelligitur, superferri dictus est, ne faciendo opera sua per indigentiæ necessitatem potius, quàm per abundantiam beneficentiæ Deus amare putaretur? Cuius rei memor Apostolus, dicturus de charitate supereminente, viam demonstraturum se ait: & alio loco, supereminentẽ scientiæ charitatem Christi, dicit. Cum ergo sic oporteret insinuare Spiritũ Dei, vt superferri diceretur, commodius factum est, vt prius insinuaretur aliquid inchoatum, cui superferri diceretur, non enim loco, sed omnia superante, ac præcellente, & perficiente id, quod inane erat, & incompositum.

1. Cor. 13.

Ephe. 3.

41 Lib. 2. cont. epi. Parmeniani. to. 7.

IDEM explicat verba illa; Et foderunt, sibi cisternas dissipatas, quę continere non valent aquas, & dicit; intelligendum esse de his, qui conuertuntur ad voluptatẽ terrenam, qui non possunt sustinere Spiritum sanctum, qui in Euangelio dicitur aqua. Infra: Spiritum nolite extinguere, sic accipit Paulus. Quã tum in vobis est nolite sic agere, tamquam cõnemini spiritum sanctum extinguere, aut tãquam spiritum extinctum putetis.

Hiere. 2.

1. Thess. 5.

42 Li. 1. de anima, & eius origine ad Renatum.

IDEM exponens illa verba Isaiæ; Qui dat flatum populo, qui est super terram, & Spiritum calcantibus eam, intelligit ea de Spiritu sancto.

Isa. 42.

sancto. Quem nomine flatus intelligimus, cum in Actis Apostolorum veniente Spiritu sancto, factus est repente de cælo sonus, tamquam aduenientis flatus vehemẽtis. Et Christus Dominus in resurrectione insufflauit, & dixit: Accipite Spiritum sanctum. Id autẽ quod prophetа dixerat: Qui dat flatũ populo, qui est super terram, tunc euidentissime factum est, quando repleti sunt omnes Spiritu sancto. Qui & datus est, & datur his, qui calcant terrã, id est, cõtemnunt eam. Qui enim accipiunt Spiritũ sanctum, amore cælestium terrena contemnunt.

Act. 2.

Ioan. 20.

43 In Psal. 18. concione 1. to. 2.

IDEM explicans verba illa; Cæli enarrãt gloriã Dei, & opera manuũ eius annunciat firmamentũ, dicit. Euangelistę, & Apostoli, in quibus Deus tamquam in cælis habitat, exponũt gloriam Iesu Christi. Et facta virtutum eius annunciat firmamentũ, fiducia Spiritus sancti cor firmatum, cælum factum, annunciat, quod antea, cũ terra esset, timore tacuerat. Dies diei eructat verbum. Spiritus spiritualibus profert plenitudinẽ incõmutabilis sciẽtię Dei. Infra: Nec est, qui se abscondat a calore eius. A summo cęlo egressus Christi Domini, & occursus eius vsq; ad summũ eius. Postquã enim recurrendo remeauit ad cęlũ, misit Spiritũ sanctũ, & apparuerũt dispertitę linguæ, tamquã ignis. Sicut ignis venit Spiritus sanctus fœnum carnis cõsumpturus, aurũ cocturus, & purgaturus, sicut ignis venit, & ideo dicitur: Et nõ est, qui se abscondat a calore eius. Lex Dñi immaculata cõuertens animas, hoc est, Spiritus sanctus. Testimoniũ Domini fidele, sapientiã præstãs paruulis, nõ superbis, hoc est, Spiritus sanctus. Iustitię Domini rectę, nõ terrẽtes, sed lętificãtes corda, hoc est, Spiritus sanctus. Præceptũ Dñi lucidũ illuminans oculos cordis, hoc est, Spiritus sanctus. Timor Domini sanctus, permanẽs in sęculũ sæculi, hic est Spiritus sanctus, hunc donat.

44 In Psal. 45.

IDEM exponens verba illa; Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei, inquit. Qui sunt isti impetus fluminis? Innundatio illa Spiritus sancti, de qua Dominus dicebat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Ergo hæc flumina fluebant de ventre Apostolorum, & fidelium. Hæc flumina cum fluant ab vno flumine, multi impetus fluminis lætificant ciuitatem Dei. Et vt noueritis hoc dictum de Spiritu sancto, subdidit Euangelista, dicens: Hoc autem dicebat de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Quod in die Pentecostes impletum est. Hinc ciuitas Dei lætificatur, dum mare turbaretur sonitu aquarum suarũ, dum montes conturbarentur, quærentes quid agerent, quomodo nouam doctrinam pellerent, quomodo Christianorum genus de terra eradicarent. Sed sæuiat mare, conturbentur montes, Deus in medio eius non commouebitur.

Ioan. 7.

45 In Psal. 95.

IDEM ait: Quid sibi vult, quod Spiritus sanctus apparuit in liguis igneis, nisi quia nullius linguæ duritia est, quæ non illo igne soluatur.

46 In Psal. 118.

IDEM dicit. Aqua vocatur Spiritus sanctus propter absolutionem, vel irrigationem; oleum propter exultationem, & inflammationem charitatis. Vnde ab Isaia dictum est de Christo: Spiritus Domini super me, eo quod vnxerit me, oleo scilicet Spiritus sancti.

Isa. 61.

IDEM explicans verba illa; Cõuerte Domine captiuitatem nostrã, sicut torrens in austro, dicit. Sicut conuertuntur torrentes in austro, sic conuerte captiuitatẽ nostrã. Quodã loco dixerat Scriptura, cũ pręciperet, & moneret de operibus nostris bonis; Sicut glacies in sereno, ita soluẽtur peccata tua. Ergo peccata ligabant nos. Quomodo? Quomodo frigus ligat aquã, ne currat, ita & nos alligati frigore peccatorũ, gelauimus. Auster autẽ calidus vẽtus est. Quãdo flat auster, liquescit glacies, & implẽtur torrẽtes. Torrẽtes autẽ dicuntur flumina hiemalia, magno enim impetu repẽtinis aquis repleta currũt. Gelaueramus ergo in captiuitate, cõstrigebãt nos peccata nostra, flauit auster Spiritus sanctus, dimissa sunt nobis peccata, soluti sumus a frigore iniquitatis, tamquã glacies in sereno, sic soluuntur peccata nostra. Curramus ad patriã quasi torrentes in austro.

47 In Psal. 125

IDEM explicat verba illa Prouerb. 5. Fons aquæ tuæ sit tibi proprius, & alienus non bibat ex eo, de Spiritu sancto. Charitas enim est singularis fons, ad quem non accedunt alieni, hoc est, qui Deum non diligunt.

48 Tract. 7. in 1. canonicã Ioan. to. 9.

IDEM dicit. Numerantur quinquaginta dies post Pascha, & accipiunt discipuli Spiritũ sanctum. Sed in monte Sinai, quando data est lex, populus a lõge stabat, timor erat, amor nõ erat. Nam vsqueadeo timuerunt, vt dicerẽt ad Moysem: Loquere tu nobis, non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur. Descendit Dominus in Sinai in igne, sed plebẽ longe stantem territans, & digito suo scribens in lapide, non in corde. Hic autem, quando venit Spiritus sanctus, congregati erant fideles in vnum, nec in monte terruit, sed intrauit in domum, sonuit de cælo sonus, sed nullus expauit. Audisti sonum, vide & ignem, quia & in monte vtrumq; erat, & ignis & sonitus. Sed illic etiam fumus, hic & ignis serenus. Hic audi linguã loquentẽ, & intellige Spiritum non in lapide, sed in corde scribentẽ. Lex ergo spiritus vitæ scripta in corde liberabit te a lege peccati, & mortis. Vnde Dominus dixit: Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & consummabo super domũ Iacob testamentum nouũ, non secundũ testamentum, quod cõstitui patribus eorum in die, qua apprehẽdi manum eorum, & eduxi eos de terra Aegypti. Deinde ipsam differentiã euidẽter ostenuit: Dans, inquit, leges meas in cordibus eorũ: in cordibus, inquit, eorũ superscribã eas.

49 Serm. 6. de verbis Apostoli. to. 10.

Exo. 20.

Roma. 8.

Hiere. 31.

IDEM ait. In die Pẽtecostes factus est repente de cælo sonus, tamquã aduenientis Spiritus vehemẽtis. Flatus ille a carnali palea corda mundabat. Ignis ille fœnum veteris cõcupiscẽtiæ cõsumebat. Linguę illę, quibus loquebãtur, a Spiritu sancto impleti, per omnium Gentium linguas futuram Ecclesiã designabant. Sicut enim post diluuiũ impietas superba hominum turrim contra Dominum ædificauit ex-

50 Serm. 187. de tempore

Gen. 11.

celsam, quãdo per linguas diuersas diuidi meruit genus humanum, vt vnaquæque gens lingua propria loqueretur, ne ab alijs intelligeretur; sic humilis fidelium pietas earum linguarum diuersitate Ecclesiæ contulit vnitatẽ, vt quod discordia dissipauerat, colligeret charitas, & humani generis tamquã vnius corporis membra dispersa, ad vnũ caput Christum cõpaginata redigeret, & in sancti corporis vnitatẽ dilectionis igne conflaret. Ab hoc itaq; dono Spiritus sancti prorsus alieni sunt, qui oderunt gratiã, qui societatẽ non retinẽt vnitatis.

51 Lib. 5. Mor. c. 19. to. 2. GREGORIVS exponẽs verba illa Iob 4. cap. Porro ad me dictum est verbũ absconditum, dicit. Potest per verbum absconditum allocutio intimæ aspirationis intelligi, de qua Ioannes dicit: Vnctio eius docet vos de omnibus. Quæ nimirum aspiratio humanam mẽtem tangendo subleuat, & temporales cogitationes deprimens, æternis hanc desiderijs inflãmat; vt nihil ei iam, nisi quæ superna sunt, libeat, & cuncta, quæ inferius de humana perstrepunt corruptione, contemnat. Absconditũ ergo verbum audire, est locutionem sancti Spiritus corde concipere. Quæ profecto sciri non potest, nisi a quo haberi potest. Vnde veritatis voce de hac abscondita locutione dicitur: Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, Quia sicut Spiritus sanctus inuisibilis est, ita omnem, quem repleuerit ad desideranda inuisibilia, accendit. Et quoniã mundana corda sola visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda inuisibilia non assurgit. Sæculares enim mentes, quanto seforis per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius sinũ mentis angustant. Et quoniam pauci sunt, qui a desideriorum carnalium sorde purgati, ad perceptionẽ sancti Spiritus ipsa hac purgatione dilatantur, verbum hoc abscõditum dicitur, quia illud a quibusdam proculdubio in corde percipitur, quod a maxima hominum parte nescitur. Vel certe ipsa afflatio sancti Spiritus verbum absconditum est, quia sentiri potest, sed exprimi per verba non potest.

Ioan. 2.

Ioan. 14.

52 Lib. 11. Moral. c. 6. IDEM explicans illa verba Iob 12. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Si emiserit eas, subuertent terram, inquit. Aquæ nomine sancti Spiritus gratia designatur, sicut Ioannes ait: Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant, credentes in eum. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, quia si sancti Spiritus gratia ab audientis mente subtrahatur, arescit protinus intellectus, qui iam per spem viridescere in audiente videbatur. Quod autem non aquam, sed aquas memorat, pluralitatis appellatione ad septiformem donorum spiritualium gratiam recurrit, quia quasi tot aquis quisque infunditur, quot donis repletur. De quibus apte subditur: Si emiserit eas subuertent terram. Quid enim terra nisi peccator accipitur, cui dictum est: Terra es, & in terram ibis? Manet itaque terra immobilis, cũ præceptis Dominicis peccator obedire cõtemnit, cum ceruicem superbiæ erigit, atq; a veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia scriptũ est: Pedes eius steterunt, & mota est terra, quia cum veritas in corde figitur, mentis immobilitas agitatur. Si sancti Spiritus gratia superno munere iuxta vocem prædicantis infunditur, statim subuertitur, quia peccatricis mentis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, vt tanto se postmodum præceptis diuinis fiendo subijciat, quanto superbiendo prius cõtra Dominum ceruicem cordis erigebat. Videas namque, quod terra humani cordis aqua diuini muneris infusa post libenter iniurias toleret, quas prius vehementer irrogabat, post etiam sua tribuat, quæ prius & aliena rapiebat, post carnem abstinẽdo cruciet, quæ prius satietate carnis per mortifera turpitudinũ oblectamenta defluebat. Cum igitur mens humana diuino munere infusa contra hoc, quod consueuerat, agere cœperit, terra subuersa est, quia deorsum missa est, quæ prius eminebat, & sursum leuata est facies, quę prius in profunda premebatur. Cũ Paulus Damascum pergeret, sancti Spiritus gratia in itinere infusus, ab illa sua protinus crudelitate mutatus est, & postmodũ plagas pro Christo accepit, quas veniebat inferre Christianis, & qui prius carnaliter viuens in mortẽ conabatur sanctos tradere, gaudet postmodum pro vita sanctorum suæ carnis sacrificiũ immolare. Emissa ergo aqua, terra subuersa est, quia Pauli mens mox, vt sancti Spiritus gratiam accepit, statum suæ crudelitatis, atq; immobilitatis mutauit. Quo cõtra per prophetã Dominus cõtra Ephraim queritur, dicens: Ephraim factus est subcinnericius panis, qui non reuersatur. Panis namq; subcinnericius super se cinerẽ portans, partẽ mundiorem deorsum premit, partemq. superiorem tanto sordidiorem habet, quanto in ea cinerem tolerat. Mẽs itaque, quæ terrena cogitat, quid super se aliud, quàm cineris molẽ portat? Sed si reuersari voluerit mundam faciem, quam deorsum presserat, superius reducit, cum cinerẽ, quem portabat, excusserit. Si igitur terrenarum cogitationum cinerẽ a mente excutimus, quasi panem subcinericium reuersamus, vt illa nostra intentio iam postponi debeat, quam prius cogitationis infimæ cinis premebat, & munda facies ad superiora veniat, vt recta nostra intentio mole iam terreni desiderij non prematur. Quod nequaquam agere possumus, nisi sancti Spiritus gratia perfundamur, quia omnipotens Deus, si aquas emiserit, subertent terram.

Gen. 3.

53 IDEM exponens illa verba Iob 22. cap. Abstuliſti pignus fratrum tuorum sine causa, & nudos spoliasti vestibus, ait. In Scriptura sacra aliquando pignoris appellatione dona Spiritus sancti signantur. Vnde Paulus ait: Qui dedit nobis pignus Spiritus. Ad hoc enim pignus accipimus, vt de promissione, quæ nobis fit, certitudinẽ teneamus. Donũ ergo sancti Spiritus

54 Lib. 16. Moral. c. 2.

2. Cor. 1.

ritus pignus dicitur, quia per hoc nostra anima ad interioris spei certitudinẽ roboratur.

55 Lib. 13. Moral. c. 19. *Psal. 18.* IDEM exponens illa verba Iob. c. 26. Spiritus meus ornauit cælos, inquit. Quos cælos, nisi eos, de quibus scriptum est: Cęli enarrant gloriã Dei? Quos tunc ornauit Spiritus, cum repleuit, quando factus est repente de cælo sonus, tamquã aduenientis Spiritus vehementis, &c. & repleti sunt omnes Spiritu sancto. Ex eo ergo acceperunt ornamẽta virtutis, quos immẽsa ante possederat fœditas timoris. Scimus enim timorem Petri, qui ante acceptam huius Spiritus gratiam, dũ mori timuit, vitam negauit. Sed postea repletus Spiritu sancto contra populi principes, & seniores post multa dixit: Obedire oportet magis Deo, quã hominibus. Verberibus, & minis prohibetur, ne prædicet Christũ, nec tamen cõpescitur. Sancti enim Spiritus iam virtute solidatus, huius mundi altitudines libertatis calce deprimebat. Hęc sunt ornamenta cęlorũ, hæc sunt dona Spiritus, quę diuersis manifestari virtutibus solẽt, quas occultę dispẽsationis munere diuisas Paulus enumerat, dicens: Alij quidem per Spiritũ datur sermo sapientię: alij autem sermo scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatũ in vno Spiritu: alij operatio virtutũ, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atq; idem Spiritus, diuidẽs singulis prout vult. De his etiam cælis in psalmo dictum est: Verbo Domini cæli firmati sunt. De his quoque ornamentis subditur: Et spiritu oris eius omnis virtus eorum. Bene itaque dicitur: Spiritus eius ornauit cælos, quia prædicatores sancti, nisi promissa Paracleti dona percipe-

Act. 2.

Act. 4.

1. Cor. 12.

Psal. 32.

rent, nullo fortitudinis decore claruissent.

56 Lib. 19. Moral. c. 11. *Isa. 10.* IDEM explicans verba illa Iob 29. cap. Et petra mihi fundebat riuos olei, inquit. Potest nomine olei ipsa Spiritus sancti vnctio designari, de qua per prophetam dicitur: Computrescit iugum a facie olei. Iugum quippe a facie olei computrescit, quia dum sancti Spiritus gratia vngimur, a captiuitatis nostræ seruitute liberamur. Dumq. maligni Spiritus dominatio superba repellitur, iugum conteritur, quo libertatis nostræ colla premebantur. Petra ergo fundit riuos olei, quando Spiritus sancti gratia, abundantiaq. donorum eius peccata ab anima pelluntur.

57 Lib. 27. Moral. c. 23. *Isa. 49. 2. 7.* IDEM explicans verba illa Iob 37. cap. Nonne vestimenta tua calida sunt, cũ perflata fuerit terra austro, dicit. Vestimenta Ecclesiæ sunt, qui ei fidei adunatione iungũtur. De quibus eidem Ecclesiæ per prophetã Dominus dicit: Viuo ego, quia omnibus his velut ornamẽto vestieris. Per Austrũ vero, qui nimirũ calidus ventus est, non immerito Spiritus sanctus designatur, quo quisq; dũ tangitur, ab iniquitatis suę torpore liberatur. Vnde bene in Canticis dicitur: Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortũ meum, & fluant aromata illius. Aquilo enim iubetur, vt surgat, vt nimirũ is, qui morta-

Cant. 4.

lium corda restringit, aduersarius spiritus fugiat. Auster enim venit, & hortum perflat, vt eius aromata diffluant, quia per aduentum sancti Spiritus dum mens hominum repletur, ex ea mox opinio virtutum aspergitur, vt iure iam sanctorũ lingua, quasi hortus Austro perflatus dicat: Christi bonus odor sumus Deo. Vestimenta ergo sanctæ Ecclesię calida sunt, dum terra Austro perflatur, quia hi, qui ei per fidem inhęrent, feruentibus charitatis studijs inardescunt, dum eorum mens sancti Spiritus afflatu perfunditur.

2. Cor. 2.

58 Hom. 30. in Euangel. in die Pentecostes. to. 2. IDEM ait: Si quis diligit me, sermonem meũ seruabit. Probatio ergo dilectionis exhibitio est operis. Hinc in epistola sua Ioãnes dicit: Qui dicit, quia diligo Deum, & mandata eius nõ custodit, mendax est. Vere enim diligimus, si per mandata eius a nostris nos voluptatibus coarctamus. Qui nõ diligit me, sermones meos nõ seruat. Ad vosmetipsos fratres introrsus redite, si Deum vere amatis exquirite. Nec tamẽ sibi aliquis credat, quidquid sibi animus sine operis attestatione responderit. De dilectione conditoris lingua, mens, & vita requirantur. Numquã est amor Dei otiosus: operatur etenim magna, si est, si vero operi renuit, amor nõ est. Infra: Venit Spiritus sanctus in figura ignis, quia per hunc peccatorũ rubigo consumitur. De hoc igne veritas dicit: Ignem venimittere in terram, & quid volo, nisi, vt accendatur? Terra enim vocata sunt corda terrena, quæ dum semper in se infimas cogitationes congerunt, a malignis spiritibus conculcantur. Sed ignem Dominus in terram mittit, cum afflatu sancti Spiritus corda carnalium incendit. Et terra ardet, cũ cor carnale in suis prauis voluptatibus frigidum relinquit concupiscentias præsentis sæculi, & incenditur ad amorem Dei. In igneis autem linguis monstratus est, quia omnes, quos repleuerit, ardentes pariter & loquentes facit. In columba vero Spiritus sanctus, & in igne monstratus est, quia omnes, quos repleuerit simplices, & ardentes facit: simplices puritate, ardentes æmulatione. In Redemptore nostro in columba apparuit, quia non veniebat, vt peccata iam per zelum percuteret, sed adhuc per mansuetudinem toleraret. In igne vero venit hominibus, in columba vero apparuit Domino, quia peccata nostra, quæ Dominus per mansuetudinem tolerat, nos per zelum rectitudinis debemus caute conspicere, & ardore pœnitentiæ cremare. Videte sanctus Spiritus qualis sit artifex: Implet citharœdum puerum, & psalmistam facit: Implet pastorem armentarium sycomoros vellicantem, & prophetam facit: Implet abstinentem puerum, & iudicẽ senum facit: Implet piscatorem, & prædicatorem facit: Implet persecutorem, & doctorem Gentium facit: Implet publicanũ, & Euangelistam facit. O qualis est artifex iste Spiritus, nulla ad discendum mora agitur in omne, quod voluerit. Mox enim, vt tetigerit, mentem docet, solumq. tetigisse, docuisse est. In incarnatione

Luc. 12.

1. Reg. 16.
Amos 7.
Dan. 13.
Matt. 4.
Act. 9.
Lucæ 5.

Deus

Deus in se permanens suscepit hominē; in ista vero solemnitate homines venientem desuper susceperunt Deum. In illa Deus factus est homo; in ista homines facti sunt per adoptionem dij. Infra: Nec Deus vere sine proximo, nec proximus vere diligitur sine Deo. Hinc legimus, quòd Spiritus sanctus bis a Domino est datus, primus a Domino in terra degente, postmodum a Domino cælo præsidente. In terra quippe datur, vt diligatur proximus, e cælo vero, vt diligatur Deus. Sed cur prius in terra, & postmodum e cælo, nisi quod patenter datur intelligi, quia iuxta Ioannis vo-
1. Ioan. 4. cem: Qui fratrem suum, quem videt non diligit, Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Amemus ergo eum, qui iuxta nos est, vt peruenire valeamus ad amorem illius, qui super nos est. Meditetur mens in proximo, quod exhibeat Deo, vt perfecte mereamur in Deo gaudere cum proximo.

59 In Psal. 7. pœniten. IDEM explicans verba illa; Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus, ait. Postulat, vt velociter exaudiatur. Non enim incongrue a quodam sapiente dictum est: cupiditati ipsa celeritas tarda est. Addit etiā causam, quare exaudiri debeat, quasi instantem iam spiritum non habeat, qui spem suam omnino in Deo ponit. Dicendo enim, defecit spiritus meus, pauperem spiritu se esse testatur, & de ipso non præsumere, sed sacrificium Deo spiritum contribulatum offerre. Agnoscit hoc etiam se ex gratia Dei habere, quod humiliatus est; confidens se eius auxilio erigendum, cuius gratia se sentit elisum. Hinc namq; prophe-
Psal. 103. ta Dominum exorans, ait: Auferes spiritū eorum, & deficient, & in puluerē suum reuertentur. Emitte spiritum tuum, & creabuntur. Non enim receptaculum Spiritus Dei quisquam efficitur, nisi spiritu suo primitus euacuetur. Nā nec requiescit Spiritus Dei, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones Dei.

60 Serm. 2. An nunciationis, qui est de septiformi spiritu in Christo. BERNARDVS ait: Spiritus timoris in Christo fuit, quo Patri semper reuerentiā exhiberet, semper gloriam eius quæreret; & spiritus pietatis, quo misericorditer compateretur hominibus. Vnde & necessariū habuit spiritum quoque scientiæ, per quem timoris pariter & pietatis distributio fieret inconfusa. Et nota, quod in primo illo parentum nostrorum peccato, in quo tres auctores extiterunt, defuerunt hæc tria dona tribus. Non habuit Eua scien-
1. Tim. 2. tiam, quæ, vt ait Apostolus, seducta in præuaricatione fuit. Verum serpēti pietas defuit, quia diabolus homicida fuit ab initio. Adam vero pius forte videtur mulierem nō contristando, sed timorem Domini dereliquit, voci illius magis obediens, quàm diuinæ. Vtinā magis timor Domini præualuisset in eo, sicut de Christo le-
Isa. 11. gitur: Quia repleuit eum nō pietatis spiritus, sed timoris. In omnibus enim & per omnia pietati proximorum timor Domini præferendus est. In his igitur tribus pietate, timore, scientia, Mediator noster reconciliauit homines Deo. Nam in consilio, & fortitudine de manu aduersarij liberauit. Consilio siquidem pristino iure priuauit hostem, data potestate, vt manus iniiceret innocenti. Fortitudine præualuit, ne violenter posset retineri Redemptor, dum victor ab inferis redijt. Exinde cibat nos pane vitæ, & intellectus, & potat aqua sapientiæ salutaris. Est enim intellectus rerum spiritualium, & inuisibilium verus animæ cibus, & panis confirmans cor hominis, & ad omne opus bonum roborans in omni exercitatione spirituali.

61 Serm. 3. de Ascensione Domini. IDEM inquit: Cum consolationibus carneis funditus renunciaueris, tunc purgabitur affectus, & volūtas renouabitur, vel noua creabitur, vt omnia, quę primo difficilia, immo impossibilia videbantur, cum multa percurrantur dulcedine, & auiditate. Emitte inquit, spiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Sicut per faciem exterior homo cognoscitur, sic per voluntatem demonstratur interior. Emisso ergo spiritu, creatur, & renouatur facies terræ, ideſt, terrena voluntas fit cælestis, parata ad nutum citius obedire. De illis, qui consolationes habent carneas scriptum est: Gen. 6. Non permanebit Spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt, ideſt, carnales, & quidquid in eis spiritus fuerat, in carnem euanuit. Oremus, vt veniat Spiritus veritatis, & repleat domum istam, vbi sumus sedentes, quatenus eius vnctio doceat nos de omnibus, sicq. & intellectu clarificato, & affectu purificato, veniat ad nos, & apud nos faciat mansionem.

62 Serm. 1. in die Pentecostes. IDEM sic habet; Venit Spiritus super discipulos in linguis igneis, vt verba ignea loquerentur, & legem igneam linguæ igneæ prædicarent. Induti sunt Apostoli virtute ex alto, qui de tanta pusillanimitate spiritus ad tantā deuenere constantiam. Quis dubitet aduenisse Spiritum vehementē, qui mentes eorum inuisibili illustraret potentia? Quia nos a Deo mandatum accepimus, vt declinantes a malo, facia- Psal. 30. mus, quod bonū est. Vide quemadmodū Spiri- Rom. 8. tus in vtroq; adiuuat infirmitatē nostram. Ad declinandū a malo tria operatur in nobis, cōpunctionem, supplicationem, remissionē. Initium enim reuertendi ad Deū, pœnitentia est, quā sine dubio Spiritus operatur Dei. Quis enim, cū ad ignē venerit algens, & fuerit calefactus, dubitabit ab igne ei venisse caloré, quē habere nō poterat sine illo? Sic ergo qui prius in iniqnitate fuerat frigidus, si postmodū feruore quodā pœnitentiæ accendatur, aliū sibi Spiritū, qui suum arguit, & dijudicat, nō dubitet aduenisse. Sed quid prodest pœnitere de culpa, & non supplicare pro venia. Necesse est, vt etiam hoc Spiritus operetur, dulcedine quadā spei replens animam, per quam fiducialiter postuler, nihil hęsitans. Ipse est in quo clamamus: Abba Pater. Ipse, qui postulat pro nobis gemitibus innenarabilibus. Porro ad faciendū bonū, quid in nobis Spiritus bonus operatur? Profecto monet, & mouet, & docet. Monet memoriam, rationē docet, mouet voluntatem. Memoriæ suggerit bona in cogitationibus sanctis, atque ita ignauiam nostram, torporemque repellit.

Pro-

63 Propterea quoties huiusmodi suggestionē boni senseris in corde tuo, da honorē Deo, & age reuerentiam Spiritui sancto, cuius vox sonat in auribus tuis. Ipse namque est qui loquitur
Ioan. 14. iustitiam. Et in Euangelio habes, quia ipse suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis. Et præmisit: Ipse docebit vos omnia. Dixerā enim, quia docet rationem. Multi siquidē mouentur, vt bene faciant, sed minime sciūt quid agendum sit, nisi adsit denuo gratia Spiritus sancti, & quam inspirat cogitationē, doceat in opus proferre, ne vacua in nobis sit gratia Dei. Sed quid? Scienti bonum, & non facienti peccatum est illi gratia. Propterea non solum moneri & doceri, verumetiam moneri & affici necesse est ab eo vtique Spiritu, qui adiuuat infirmitatem nostrā, & per quem in cordibus nostris diffunditur charitas. Itaq; cum sic adueniens Spiritus totam possederit animā, suggerendo, instruendo, afficiendo, loquens semper in cogitationibus nostris, vt audiamus & nos, quid loquatur in nobis Dominus Deus, rationem illuminans, voluntatem inflammās, non tibi videtur, quia totam domum impleuerint dispertitæ linguæ tamquam ignis? Sint autem dispertitæ linguæ propter multiplices cogitationes, sed eorum multiplicitas, & vno lumine veritatis, & vno charitatis feruore, tamquam ignis.

64 Ser. 2. eiusdem solemnitatis. Psal. 67. IDEM inquit: Hodie dilectissimi cæli distillauerūt a facie Dei Sinai, a facie Dei Israel, & pluuia voluntaria segregata est hereditati Christi. Post magnificentiam enim resurgentis, post gloriā ascendentis, post residentis sublimitatem, non restabat nisi vt expectatio iustorum lætitia adueniret, & cæli muneribus cælestes homines implerentur. Hæc omnia, & eodem ordine Isaias multo ante prædixerat.
Isa. 4. Erit, inquit, in die illa germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis, & exultatio his, qui saluati fuerint de Israel. Germen Domini Iesus Christus solus, qui sine peccato conceptus fuit. Istud ergo germen, quod de virgine pullulauit, in magnificentia fuit, cum surrexisset a mortuis, quia tunc Domine Deus meus magnificatus es vehementer, confessionem & decorem induens, amictus lumine sicut vestimento. Quanta autem ascendentis gloria cum triumphatrice palma, cælis inuectus susceptum hominem in ipsa claudis diuinitatis identitate? Quis cogitet, quàm sit fructus terræ sublimis in cōsessu ad dexteram patris? Veniat ergo exultatio Domine Iesu his, qui saluati sunt de Israel, Apostolis tuis, quos elegisti ante mundi constitutionem. Veniat Spiritus tuus bonus, qui sordes abluat, & infundat virtutes in spiritu iudicij, & in spiritu ardoris Dei. Infra: Misit Christus Spiritum sanctum, qui tibi donet pignus salutis, robur vitæ, scientiæ lumen. Pignus salutis, vt ipse Spiritus reddat testimoniū spiritui tuo, quod Filius Dei sis, qui signa prædestinationis cordi tuo imprimat, & ostendat, qui donet lætitiam in corde tuo, & de rore cæli, si non continue, tamen sæpissime mentem tuam impinguet. Robur vitæ, vt quod per naturam tibi est impossibile, per gratiam eius nō solum possibile, sed & facile fiat, ita vt in laboribus, in vigilijs, in fame, & siti, & in omnibus obseruantijs (quæ nisi farinula ista dulcorentur, prorsus mors in olla appareat) delectabiliter incedas, sicut in omnibus diuitijs. Scientiæ lumen, vt cum omnia benefeceris, te seruum inutilem putes, & quidquid boni in te inueneris, illi tribuas, a quo omne bonum est, sine quo nihil omnino potes incipere, ne perficere dicam. Hoc est, quod per Prophetam idem Spiritus dicit: Se-
Osee 10. minate vobis ad iustitiam, vbi pignus salutis ostenditur, metite spem vitæ, vbi vitale robur accipitur, illuminate vobis lumen scientiæ, quod verbis proprijs subinfertur. Vnde Spiritus iste super Apostolos in igne apparuit, propter lumē pariter & ardorem. Quos enim repleuerit, & spiritu feruere, & in veritate cognoscere facit, quia sola misericordia est, quæ eos & præuenit, & perducit. Pater, vt seruum redimat, Filio nō parcit, Filius seipsum libentissime tradit, Spiritum sanctum vterque mittit, & ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. O duri, & indurati, & obdurati filij Adam, quos non emollit tanta benignitas, tanta flamma, tam ingēs ardor amoris, tam vehemens amator, qui pro vilibus sarcinulis tam pretiosas merces expendit. Quid a te quærit, qui tanta solicitudine te quæsiuit, nisi te sollicitū ambulare cum Deo tuo? Hanc sollicitudinem non facit, nisi Spiritus sanctus, qui scrutatur profunda pectorum nostrorum, discretor cogitationum, & intentionum cordis, qui nec minimam paleā intra cordis, quod possidet, habitaculum patitur residere, sed statim igne subtilissimæ circumspectionis exurit Spiritus dulcis, & suauis, qui nostram voluntatem flectat, immo erigat & dirigat magis ad suam, vt eam & veraciter intelligere, & feruenter diligere, & efficaciter implere possimus.

66 Ser. 3. in eadem solemnitate. IDEM dicit: Felix, qui in hoc sancti Spiritus thalamo commoratur, vt possit intelligere triplicem illum spiritum, de quo, qui super senes intellexerat, clamabat: Ne proijcias
Psal. 50. me a facie tua, & spiritum sanctum tuum ne auferas me. Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in visceribus meis. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali confirma me. Spiritum sanctum ipsum intellige, proprio nomine designatum. Rogat ergo ne proijciatur a facie eius, tāquā aliquid immundum, quia Spiritus iste odit sordes, nec habitare poterit in corpore subdito peccatis. Cui enim proprium est peccata repellere, ipsi & proprium est peccata odisse, nec in vno domicilio pariter morabuntur tanta munditia, & immunditia tanta. Recepto ergo sancto Spiritu per sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, audet quis ante faciem eius apparere tamquam lotus, & mundus, vt pote qui contineat se ab omni malo, & qui

actio-

actiones,etsi non cogitationes frenauerit. Sed
Sap. 1. quia peruersæ,& immundæ cogitationes sepa-
rant a Deo,orandum est,vt cor mundum cree-
tur in nobis, quod vtique fiet si spiritus rectus
67 fuerit in nostris visceribus innouatus. Spiri-
tum rectum (quod ait) Filio potest non incon-
uenienter aptari, qui nos veterem hominem
exuens, nouum induit, qui nos renouauit in
spiritu mentis nostræ, tamquam in visceribus
nostris,vt cogitemus quæ recta sunt, vt ambu-
lemus in nouitate spiritus. Formam enim re-
ctitudinis de cælis attulit, reliquit in terris,
immiscens sane & mittens dulcedinem recti-
tudinis in omnibus operibus suis, sicut de eo
Psal. 24. idem ipse prædixerat. Dulcis & rectus Domi-
nus, propter hoc legem dabit delinquentibus
in via. Castigato ergo corpore per sanctitu-
dinem operum, mundato corde vel potius in-
nouato per rectitudinem cogitationum,reddi-
tur lætitia sæcularis, vt iam in lumine vultus
Dei ambules, & in nomine eius exultes tota
die. Quid igitur restat, nisi vt spiritu princi-
pali confirmeris, hoc est charitate? Scis vas
tuum possidere in sanctificatione & honore,
non in passione desiderij? Spiritum sanctum
accepisti tibi. Vis vt quæcumque tibi vis ab
omnibus fieri, tu quoque facias illis, & quod
tibi fieri non vis, alteri ne feceris? Spiritum
rectum ad opus proximi suscepisti. Iam si in
vtroque bono, & in his,quæ ad vtrumque per-
tinent firmiter perseueras, principalem spiri-
tum recepisti. Itaq; si desideras,vt in te Deus
eligat partem sibi,esto sollicitus sicut tibi spi-
ritum sanctum, sicut proximo spiritum rectũ,
sic ei quoque tamquam vero principi, & Pa-
tri spirituum spiritum principalem exhibere.
68 IDEM inquit: Qui donum timoris ha-
In serm. de septẽ donis Spiritus sancti. bet,omnem odit iniquitatem,iuxta illud Psal-
mistæ: Iniquitatem odio habui, & abomina-
tus sum. Et in alio loco: Omnem viam ini-
Psal. 118. quitatis odio habui. Scriptum namque est:
Prou. 3. Timor Domini odit malum. Sine hac gratia,
quę totius religionis exordium est,nullum bo-
nũ pullulare potest. Sicut enim securitas cau-
sa est, & mater omnium delictorum, sic timor
Domini radix est, & custos omnium bonorũ.
Eccli. 27. Vnde scriptum est: Si non in timore Domini
tenueris te instanter, cito subuertetur domus
tua. Omne namque virtutum ædificium cor-
ruit, si huius gratiæ amiserit præsidium. Vn-
Prou. 23. de Salomon ait: In timore Domini esto quo-
tidie, quia habebis spem in nouissimo, & præ-
stolatio tua non auferetur. Vnde Apostolus:
Phil. 2. Cum metu & tremore vestram salutem opera-
mini. Et quid plura? Connexa sunt timor,&
religio, nec manere potest alterum absque al-
Act. 10. tero: vnde Cornelius vir religiosus ac timens
Deum,& Simeon iustus ac timoratus. Quem
habere debemus,sicut ille, qui dicebat: Sem-
Lucæ 2. per enim, quasi tumentes super me fluctus, ti-
mui Deum. Iste diuinus timor,qui eum,quem
Iob 31. perfecte imbuit, paupertati subijcit, & a malo
diuidit, ita est primus in ordine gratiarum,si-
cut paupertas in serie beatitudinum. Secundũ
charisma est spiritus pietatis,illi secundæ, quæ
in Euangelio ponitur, beatitudini simile, de
qua Dominus ait: Beati mites, quoniam ipsi 69
possidebunt terram. De talibus Dominus in
Isaia ait: Spiritus Domini super me,ad annun- Isa. 61.
ciandum mansuetis misit me. Moyses quoque Num. 12.
mitissimus erat super omnes homines,qui mo
rabantur in terra. De talibus Iob dicit: Do- Iob 5.
minus humiles ponit in sublime, & mœrentes
erigit sospitate. Tertium donum est Spiritus
scientiæ,de quo Salomon ait: Qui addit scien- Eccles. 1.
tiam,addit & dolorem. Vere namque scientia
est,scire nos mortales & fragiles,& in hoc exi-
lio,& in hoc ergastulo, & in hac peregrinatio-
ne dolendum, & lugendum esse. Vnde dicitur
in tertia beatitudine, huic tertio dono con-
gruenti: Beati, qui lugent, quoniam ipsi con-
solabuntur. Item: Væ vobis,qui nunc ridetis, Lucæ 6.
quia plorabitis. Hinc Salomon ait: Risus do- Prou. 14.
lore miscebitur, & extrema gaudij luctus oc-
cupat. Quarta gratia est spiritus fortitudinis
quartę beatitudini similis,de qua dicitur: Bea-
ti,qui esuriunt & sitiũt iustitiam, quoniam ipsi Matt. 5.
saturabuntur. Qui enim iustitiam esurit & si-
tit,contra quælibet aduersa fortis,insuperabi-
lis, & imperterritus existit. Vnde Salomon
ait: Iustus,vt leo confidens,absq; terrore erit. Prou. 28.
Item non contristabitur iustus quidquid ei ac- Prou. 12.
ciderit. Hoc spiritu erant præditi omnes, de
quibus ait Apostolus: Sancti per fidem vice- Heb. 11.
runt regna, &c. Ludibria & verbera experti,
insuper & vincula,& carceres,lapidati sunt,se-
cti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mor-
tui sunt. Circuierunt in melotis,in pellibus ca-
prinis,egẽtes,angustiati,afflicti,quibus dignus
non erat mundus; in solitudinibus errantes,in
montibus, in speluncis, & in cauernis terræ.
Hoc & ipse Apostolus de se ait: Quis nos sepa- Roma. 8.
rabit a charitate Christi? Tribulatio, an angu
stia, &c. Iste spiritus omnem alienam malitiã
sustinet,& aduersus hostiles insidias instruit,&
munit. Vnde Sponsus in Sponsæ præconio ait: 70
Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Cant. 6.
Hierusalem, terribilis vt castrorum acies or-
dinata. Quintum donum est spiritus consilij,
qui alijs facit compati & misereri, quintæ cõ-
petens beatitudini: Beati misericordes, quo- Matt. 5.
niam ipsi misericordiam consequentur. Hinc
& Salomon ait: Qui pronus est ad misericor- Prou. 22.
diam,benedicetur. Hanc exercemus vel quã-
do sex misericordiæ opera implemus, de qui- Matt. 25.
bus Dominus loquitur in Euangelio,vel quan
do delinquentes corrigere, & ad bonum redu-
cere studemus, vel quando iniurias nobis illa-
tas facile indulgemus. Iste secundus clemen-
tiæ modus,siue consilij spiritus, Deum fecit se-
metipsum exinanire, formam serui accipere,
vt sic posset ouem errantem corrigere, & ad
proprium ouile reducere. Sexta gratia est spi
ritus intelligentiæ, illi sextæ beatitudini con-
gruens: Beati mũdo corde, quoniam ipsi Deũ Matt. 5.
videbunt. Nisi enim mentis intuitus diligen-
ter purificatus fuerit, diuina liquide intellige-
re nequit. Nam scriptum est: Spiritus sanctus Sap. 1.
disci-

disciplinæ effugiet fictum, & auferet se a cogi-
tationibus,quæ sunt sine intellectu. Vnde Sa-
Prou. 15. lomon: Abominatio Domini cogitationes ma
læ. Peruersæ cogitationes separant a Deo.
71 Qui ergo vult sincerum ac lucidum intellectũ
habere, prauarum cogitationum phantasias,
ac nebulas studeat effugare,& omni diligentia
Prou. 4. & cautela cor seruare. Vnde Salomon: Omni
custodia serua cor tuum,quoniam ab ipso vita
procedit. Septimum donum est, spiritus sa-
pientiæ, quidã internus sapor, ac suauissimus
Psal. 33. gustus. Vnde Psalmista: Gustate, & videte,
quoniam suauis est Dominus. Et iterum: Ac-
cedite ad eum, & illuminamini. Hoc diuinæ
sapientiæ interno gustu superna prælibamus,
videlicet contemplantes, quàm amœnum sit
Angelicis cœtibus interesse, vbi nihil poterit
quod displiceat esse, nec quod placeat abesse.
Ista septima gratia illi beatitudini congruit:
Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur.
Qui enim mentem pacificam & serenam ha-
bent, de supernis dulcius sapiunt, & subtilius
vident. Nam quisquis patientior, eo proba-
Prou. 19. tur esse sapientior. Vnde Salomon: Doctrina
viri per patientiam dignoscitur. De talibus
Psal. 118. alibi dicitur: Pax multa diligentibus legem
tuam, & non est illis scandalum. Hæ septem
gratiæ sunt septem mulieres virum vnum ap-
prehendẽtes, septem spiritus super florem re-
quiescentes,septem in candelabro lucernæ ful-
gentes, septem in lapide oculi,septem spiritus
ante thronum Dei.

Superbia varia causat damna, variosque habet gradus, insidiaturq. viris iustis quàmplurimum.

Cap. XIII.

1 Homil. 5. in c. 19. Gen.
ORIGENES referens
historiam Loth, qui cum
euasisset Sodomorum in-
cendium, & egresus de
Segor, nec respiciens re-
tro,sicut vxor eius,quę in
statuam salis versa est, cũ
in montem ascendisset,a duabus filiabus suis
turpiter delusus est ac deiectus,inquit. Obser-
uare debes,ne forte etiam cum effugeris flam-
mas sæculi, & incendia carnis euaseris, etiam
cum pusillam, & nõ pusillam ciuitatem Segor,
qui est medius quidam & ciuilis profectus, su-
peraueris,& ad scientiæ altitudinem, velut ad
quædam cacumina montis ascenderis. Vide
ne tibi insidientur duæ filiæ istæ, quæ a te non
discedunt, sed sequuntur te etiam, cum ascen-
dis in montem, idest vana gloria, & maior so-
ror eius superbia. Vide ne te istæ filiæ sopitũ
ac dormientem, dum tibi nec sentire, nec in-
telligere videris,complexibus suis instringãt.
Quæ idcirco filiæ dicuntur, quia in nobis ex-
trinsecus superueniunt, sed de nobis, & de a-
ctuum nostrorum velut quadam integritate
procedunt. Vigila ergo quantum potes, &
obserua, ne de his generes filios, quia qui de
his nati fuerint, non introibunt in Ecclesiam
Domini.
IDEM exponens verba illa; Ergo & tu 2
confundere,& porta ignominiam tuam,dicit. Hom. 10. in
Primum quidem est, nullum opus facere con- c. 16. Ezec.
fusionis,sed omnia talia quæ possunt Deum li- to. 2.
bera fronte respicere. Quia vero sæpe pecca-
mus, sciendum secundam nauem post confu-
sionis opera esse erubescere, & pro sceleribus
suis verecundos oculos deijcere, neq; sic pro-
caci vultu incedere,quasi nihil omnino pecca-
uerit. Bonum est quippe post confusionis ope-
ra confundi, quia sæpe & hoc malitiæ artifex
inoperatur, ne peccator ad pœnitentiam re-
deat, & sic agat quasi adhuc in iustitia perse-
ueret. Videre possumus & ex quotidiana vita
discere,multos hominum post peccata sua non
solum non lugere,quod fecerunt, verumetiam
procaci fronte defendere proprias ruinas.
Vnusquisque seipsum consideret, quid fecerit
confusione dignum, quid turpe locutus sit, su-
per quo non habeat audaciam quasi dicto bo-
no, quid cogitarit tale, quod rubore dignum
videtur ab eo, qui cordis & renis occulta con-
siderat: & cum diligenter peruiderit cogita-
tiones, facta, sermones, tunc audierit prophe-
tam dicentem: Et tu confundere. Et accipe
ignominiam tuam, & dat Deus ei, qui confu-
sione digna gessit,etiam ignominiam. Vt cum
te humiliaueris, atque dixeris iustum de te fa-
ctum esse iudicium, forte misericordiam con-
sequeris ab eo, qui potest post condemnatio-
nem ad pristinum statum te reuocare.
CHRYSOSTOMVS explicans verba 3
illa 2. Paralypom. 26. Elatũ est cor Oziæ,'ait. Hom. 3. to-
Elatio periculosum vulnus,est enim malorum mo 1.
omnium fons. Et vt compendio discas morbi
malitiam, illud audi,cetera quidẽ peccata cir-
ca nostram versantur naturã, at superbia vir-
tutem incorpoream e sublimi detraxit, ac de-
iecit,eo quod diabolum,cum diabolus non es-
set,vt hoc esset effecit,nimirũ diabolus. Quod
si testem adducam Isaiam ita de illo loquen-
tem: In cælum ascendam, & ero similis Altis- Isaiæ 14.
simo,&c. Infra: Peccauit superbe diabolus,
& insuper suasit Adam, vt conciperet cogita-
tionem sua conditione maiorem, sibiq. cum
Deo speraret æqualitatem. Si enim, inquit,
hæc res me cælo expulit, multo magis eadem Gen. 3.
hunc eijciet e paradiso. Vnde scriptum est:
Deus superbis resistit. Non dixit, Deus super- Iaco. 4.
bos dimittit,& in peccatis deserit,suoq. nudat
auxilio, sed aduersatur, inquit, non quod in-
structa acie aut pugna Deo sit opus aduersus
superbum. Quid enim esse posit superbo in-
firmius? Nam,vt qui orbatus est oculis omniũ,
oppositus est iniuriæ, ita & superbus, qui non
videt Dominum,nam superbia,vt inquit Scri-
ptura,est nõ nosse Dominum, etiam ab homi-
nibus facile superatur, postea quam excidit ab
illius luce. Quod si etiam validus ac potens
esset superbus, nihil opus esset Deo exercitu
aduersus

aduersus illum, quādoquidem & voluntas sufficiebat illi ad inuertenda omnia, multo magis sufficeret ad tollendos illos. Cur igitur resistit? Quo vehemens odium declarat erga superbum. Quod si vultis etiam causam ipsam, vnde vulnus hoc accidit, discamus, vt nos tutiores simus, ne in eadem incidamus mala. Sicut enim medici ad ægrotantes ingressi, antequam curent morbum inquirunt, vestigantq. vnde morbus sit inflictus, vt ab origine coerceant malum, propterea quod, qui manente radice ramos tantum execat, nihil aliud quàm inanem sumit operam. Vnde de Ozia nō modo docuit, quod fuit elatum cor eius, verum addidit vnde fuit elatum. Cum potens esset, inquit, elatum est cor eius. Non ferebat principatus magnitudinē, sed quemadmodum ex edacitate nascitur ignea inflatio, ex inflatione gignitur febris, deinde ex febri plerūq; mors, itidem & hic ex actionum eminentia nata est superbia, nam quod in corporibus est inflatio, hoc in animis est superbia, mox ex superbia nata est appetentia rerum ipsi non congruentium. Hoc ne temere dixerim, sed ne felices ducatis eos, qui principatum gerūt, cum sciatis quantum habeat negotij cōditionis dignitas, nec vmquam illos iudicetis miseros, qui in egestate & afflictionibus viuunt, scientes hanc vitam esse multo tutiorem. Vnde *Psal.* 118. Propheta clamat: Bonum mihi Domine quod humiliasti me. Vide igitur quantum ex eminentia natum sit malum. Elatum est, inquit, *2.Par.16.* cor eius vsque ad corruptionem. Quid est vsque ad corruptionem? Vsque ad prauas cogitationes, quæ prorsus non ascendunt in animum nostrum, si nos ipsos tutamento circumsepiamus; sed eadem si negligenter egerimus, nascuntur in nobis, germinantque; sin occupentur, protinus præfocantur, & obruuntur. Aliæ simul & gignuntur, & adolescunt, atque ad prauas actiones euadunt, omnemq. mentis nostræ sanitatem corrumpunt, siquando vehementer cessauerimus. Hoc itaque dicit, Elatum est cor eius, neque se intus continuit concupiscentia, neque extincta est, sed prorupit, & ad opus vsque prauum progressa, totam illius virtutem corrupit. Beatitudo ergo est, cogitationem improbam prorsus non admittere, *Psal.* 130. quod & a Propheta dictum est: Domine non est exaltatum cor meum: nō dixit, elatum quidem est, sed illud cohibui, verum non est omnino elatum, hoc est iugiter seruaui animam meam inaccessam malitiæ. hoc igitur est felicitatis. Huic proximum illud est, malas cogitationes iam ingressas celeriter repellere, nec sinere, vt illic diutius immorentur, ne in nobis mala pascua, malamq. sibi gignant alimoniā.

5 IDEM inquit: Ozias rex erat, ac vir iustus, multis florens egregijs factis, verū postea tandem ad superbiam venit malorum matrē, ad arrogātiam tumultibus plenā, ad elationē, qua diabolus homines ad exitium trahit. nihil enim arrogantia peius. Vis tibi dicam quantū bonum sit modestia, & quantū malum arrogātia. Peccator iustū superauit, publicanus pharisæum, & verba factis fuere superiora. Quomodo verba? Publicanus dicit: Deus propitius esto mihi peccatori. Pharisæus dicit: Nō sum sicut ceteri homines, rapax, auarus; sed quid? Ieiuno bis in sabbato, decimas do de omnibus, quæ possideo. Pharisæus opera iustitiæ præstabat, publicanus verba dicebat modestię, & verba plus potuerūt quàm facta, tātusq. thesaurus cum contumelia reijcitur, & tanta inopia in diuitias commutata est. Venerunt duæ naues habentes onus, ambæ portum ingressæ sunt, sed publicanus pulchre in portum appulit; Pharisæus autem naufragiū perpessus est, vt disceres quantum malum sit animi tumor. Iustus es, ne deijcias fratrem. Flores recte factis, ne probra iacias in proximum, tuasq. laudes contrahes. Quanto maior es, tanto magis submitte teipsum. Attende quod dicitur, magis iustus metuere debet arrogantiam, quàm peccator, eo quod peccator habet conscientiam velit nolit humilem ac submissam, iustus autem ob benefacta extollitur. Quemadmodum igitur fit in nauigijs, qui vacuam habent nauem, non metuunt piratarum insultum. Non enim veniunt, vt conterant nauem nihil vehentem. ceterum ij, qui nauem habent opustam, metuunt piratas. Nam pirata illuc properat, vbi aurum, vbi argentum, vbi lapides pretiosi; sic & diabolus non facile persequitur peccatorem, sed iustum potius, vbi multæ sunt opes. Quoniam igitur frequenter per arrogantiam insidiatur diabolus, vigilandum est. Quanto maior es, tanto magis submitte te ipsum. Cum ascenderis in altum, opus est, vt tibi prospicias, ne cadas. Quamobrem & *Lucæ 17* Dominus dicit: Cū feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite, quia serui inutiles sumus. Quid efferis animo, cum sis homo, cognatus terræ eiusdem substantiæ cum cinere? Hodie dives, cras pauper, hodie sanus, cras ægrotus, hodie gaudes, cras doles, hodie in gloria, cras in ignominia, hodie iuuenis, cras senex. Numquid in rebus humanis consistit aliquid, an non potius amnium prætерfluentium cursum imitantur omnia, simul atq; apparuerunt, citius nos quā vmbra relinquunt? Quid igitur cristas erigis homo, fumus, & vanitas? Homo enim vanitati similis, factus est *Psal.147.* veluti fumus dies eius. Exaruit gramen, & flos decidit. Hæc dico, non vt substantiam deijciam, sed vt arrogantiam refrenem. Alioqui & magna res est homo, & pretiosa res vir misericors. Verum hic Ozias, cum esset rex cinctus diademate, quoniam erat iustus, elatus est animo, maiore spiritu concepto, quàm pro dignitate, ingressus est templum.

7 IDEM explicans illa verba; Qui post me *Hom.15.in cap.1.Ioan. to.3.* venit, ante me factus est, cuius non sum dignus corrigiam calceamenti eius soluere, inquit. Soluere calceamenta vilissimi serui officium est. Quòd si Ioannes indignus, qui corrigiam solueret, Ioannes inquam, quo maior inter natos mulierum non surrexit, quo nos loco ponemus?

nemus? Si is, qui terrarum orbi æquiparatur, immo qui maior est, ne inter vltimos quidem ministros connumerari se dignum dicit, quid nos innumerorum scelerum pleni dicemus, qui tanto Ioanne sumus inferiores, quanto terra minor est cælo? Hic neque qui soluat corrigiam calceamenti dignum se profitetur, inimici autem veritatis in tantam prorumpunt insaniam, vt qui Deum cognoscant, digni se arbitrentur. Quid hac amentia scelestius? quid hac superbia insanius? Bene, in- *Eccli. 10.* quit Sapiens: Initium superbiæ non cognoscere Dominum. Non esset e cælo eiectus, neque in diabolum versus cecidisset angelus, nisi hoc se scelere coinquinasset. Hoc eum præcipitem dedit, hoc in gehennam intrusit, hoc malorum omnium ei causa fuit, hoc tantarum virium est, vt omnem animi virtutem, eleemosynas, orationes, ieiunium, cetera animi bona corrumpat. Superbia in hominibus, im- *Ibidem. 8* munda, inquit, est apud Deum. Non ergo fornicatio dumtaxat, neque adulterium hominem polluit, sed & superbia, ac etiam illis longe magis. Quamobrem? Quoniam fornicatio, etsi indigna venia sit, potest tamen quispiam voluptatem in excusationem adducere: superbia autem ne minimam quidem, propter quam vel vmbram saltem veniæ consequatur, sed nihil aliud est, quam depravatio animi, & morbus grauissimus, non aliunde, quam ex insania ortum ducens. Nihil enim superbo homine insanius, quamuis ditissimus sit, quamuis potens, quamuis multa hac exteriori sapientia præditus, quamuis omnia, quæ hominī exoptanda videntur, in illum congerantur. Quippe, qui humanis bonis superbit, miser est, & infelix, & illorum omnium mercedem amittit. Qui eorum gratia, quæ nulla ex parte bona sunt, propter vmbram & florem fœni inflatur, nonne omnium maxime ridiculus est? Miser sane, & infelix, qui cum animam tuam grauissimo morbo consumas, & victima in miseria verseris, tumescis tamen, quòd auri tibi talenta sint plurima, quod seruorum multitudo. Idem is facit, quod quiuis pauper, & mendicus, & semper famelicus, qui siquādo lætum somnium viderit, de eo lætatur.

9 IDEM inquit. Cognoscentes Deum ho- *Homil.2.in 17. Pauli ad Hebr. to.4.* minem factum, ne in superbiam subleuemur. Si enim ipse, cum Deus esset, & Dominus, non respuit formam serui suscipere, multo amplius nos oportet humilia cuncta tolerare. Dic mihi o homo, ex qua re, vel cur sapis altiora? Num de prosperitate sæculi? Sed hæc antequam pareat, sicut fumus euanescit. Num ex spiritualibus in sublime sustolleris? Sed etiam hoc vnum est spiritualium rerum, vt altum non sapias. Cur ergo altum sapis? An te assecutum cunctas virtutes existimas? Aduer- *Lucæ 17.* te Christum dicentem: Quia cum feceritis hæc omnia, dicite, quia serui inutiles sumus. An pro diuitijs in superbiam subleuaris? Nōne vides omnes, qui ante te fuerunt, nudos hinc ac deferros rebus omnibus discessisse? Nonne nudi ingressi sumus in hanc vitam, nudi quoque sumus exituri? Numquid debet quisque, qui possidet aliena, superbus existere? Altum sapis, o homo, quia dives es. Cur obsecro, vel pro qua causa? Hoc enim potest etiam latronibus prouenire, vel furibus, vel homicidis, vel fornicarijs, & pessimis vniuersis. Cur ergo altum sapis? Si enim ad quod opus est facultatibus tuis vteris, multo minus altum sapere debes. Noli, quod misericordias tuas superbiæ morbus interimat. Si autem non ad quod opus est vteris, non etiam altum sapere debes: quoniam pecuniarum tuarum seruus effectus es, & sub earum dominatu detineris. Nam cur altum sapias, dic obsecro? Num quia plurimos habes dominos? Quoniā pluribus sollicitudinibus angeris? Quia plurimi homines adulantur? Enimuero seruus illis es, & dura fungeris seruitute. Aliarum passionum iuterdum demonstratur vtilitas. Iracundia plerumque vtilis est, quādo quis rationabiliter indignatur. Iterum æmulatio, vel cupiditas, non sunt omnifariam noxiæ, cum procreandorum liberorum causa hæc assumitur, illa vero cum studio imitandi bona suscipitur, sicut dixit Paulus: Æmulamini charismata *1.Cor.12.* meliora. Et sic etiam in ceteris passionibus inuenitur, si per eas cōsiderantis peruigil curat intentio. Arrogantia vero numquam bona potest existere, sed vbique inutilis & noxia reperitur.

10 IDEM exponens verba illa; Ne quis ar- *Serm.20.in c.12.epist. Pau.ad Romanos.* roganter de se sentiat, præterquam oporteat de se sentire, ait. Ad stultitiam prudentia abuti, plus est, quàm si natura quis hoc pacto seipsum deturparet. Natura siquidem stultum fieri, nihil habet criminis, per prudentiam vero stultum fieri, & venia priuat, & maius adfert supplicium. Tales sunt, qui in sapientia superbiunt, inq. extremam incidunt arrogantiam. Nihil enim adeo stultum facit, sicut arrogantia. Vnde & Propheta barbarum ita voca- *Isa.32.* bat, dicens: Stultus stulta loquitur. Vt autem, & ab ipsius verbis stultitiam illius discas, audi quid dicat: Supra astra cæli ponam thronum *Isa.14.* meum, & similis ero Altissimo. Apprehendam *Isa.10.* manu mea orbem, sicut auiculę pullum, & sicut oua relicta tollam illum. His itaq; verbis quid nā poterit fieri stultius? Vnicuiq; vero iactantiæ facile incumbit hoc probrum. Et si singula arrogantium verba in medium protulero, cognosci non poterit, verba ne sint arrogantis, an stulti, ita vnum est, atque idem in vtroque vitium. Nam & alius item barbarus dicit: Deus ego sum, & non homo. Rursus & alius: Nū poterit & Deus eripere de manibus meis? Et Ægyptius ille: Deum, inquit, non noui, & *Exo.5.* Israelem non dimittam. Et stultus ille apud prophetam talis est, dicens in corde suo: Non *Psal.9.* est Deus. Non potest ergo dignosci vtrum hæc verba arrogantiū sint, an stultorum. Arrogantia siquidem, quæ extra modestiam decidit, atque a mente fit, & stultos facit, & superbos. Et si principium sapientiæ est timor Domini;

principium stultitiæ erit non cognoscere Dominum. Extrema igitur stultitia est superbia. Quemadmodum enim corpus commensurata complexione amissa, intemperatumq. factum, quibusuis passionibus est obnoxium, ita & animus posteaquam prudentiam, humilitatemq. amiserit, habitum quendam nactus diuersum, infirmus, tumidus, temerarius, ac stultus redditur, seq. ipsum deinceps ignorat, quomodo quæ supra se sunt cognoscet? Quemadmodum enim, qui phrenesi laborat, cum se ipsum non agnoscat, neque, quæ ante pedes sunt, nouit. Et oculus cum ipse cæcus est, omnia reliqua membra in tenebris sunt, ita & cum arrogantia se habet. Vnde & insanis, ijsque, qui natura stulti sunt, miseriores sunt arrogantes: æque siquidem risum mouēt, atque æqua cum illis molestia laborant, sed licet exorbitent, nō aliter quàm illi, eorum tamen nemo miseretur, quemadmodum illorum. Pariter desipiunt cum illis, veniam tamen quemadmodum illi non merentur, sed solum exosi sunt. Forsan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes, forsan & prodigium esse desideras. Iam vero non prodigium ac monstrum ex te ipso fecisti, qui cum homo sis, volare conaris, immo & ab intus volas, & vndique accensus furis? Quomodo tuam arrogantiam deijciam? Quomodo te vocabo? Si cinerem te dixero, & puluerem, & fumum, & cœnum, vilitatem quidem dixero, nondum tamen satis exacte similitudinem eam, quam volebā, consecutus fuero: nam & morbū ipsum, omnemq. simul illorum vanitatem repræsentare volo. Mihi videtur accensæ stupæ similes esse. Nam & illa post incendium tumidum quid esse, & in nescio quid præcipui immutata videtur, modicum vero passa contactum, totum amisit, omni cinere vilior apparens. Tales sunt & illorum animi: nam & illorum inanem inflationem si facilis quidā contactus apprehenderit, humiliare, deijcereq. poterit. Oportet enim omnino vt infirmus sit, qui arrogans est. Altitudo siquidem valida non est, sed quemadmodum aquaticæ ampullæ facile rumpuntur, ita & illi facile pereunt. Videbis arrogantem animum, quouis elanguido timidiorem factū, idq; aliquo apprehensum incommodo. Quemadmodum enim & flamma illa, quæ in stupidis aridis sursum fertur, simul atque contacta fuerit in cinerem vertitur: solidorum vero lignorum ea natura est, vt neque facile incendantur, neque cum accensa fuerint, ardentem flammam facile dimittant: ita & illi quidem animi, qui solidi sunt ac firmi, neque facile incenduntur, neque facile extinguuntur; isti vero vtraque illa vnico temporis momento patiuntur. Arrogantia aranearum textura scinditur citius, fumo leuius dissoluitur.

12 HIERONYMVS inquit: Quamuis mihi multorum sim conscius peccatorum, & quotidie in oratione flexis genibus loquar: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris, tamen sciens scriptum esse ab Apostolo: Ne inflatus superbia incidam in iudicium diaboli, & in alio loco scriptum est: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, nihil ita a pueritia conatus sum vitare, quam tumentem animum, & ceruicem erectam, Dei contra se odium prouocantem. Noui enim magistrum, & Dominum meum, & Deum meum in carnis humilitate dixisse: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde; & ante per os Dauid cecinisse: Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius; & in alio loco legimus: Ante gloriam humiliabitur cor viri, & ante ruinam eleuatur.

1. Tim. 3. Iaco. 4. Matt. 11. Psal. 131. Prou. 16.

13 IDEM exponens verba illa Isaiæ cap. 47. Descende, sede in puluere virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filiæ Chaldæorum, quia vltra non vocaberis mollis, & tenera. Tolle molam, & mole farinam, denuda turpitudinem tuam, ait. In hoc loco sub persona captiuæ mulieris, quæ quondam regina fuerit, Babylonis seruitus indicatur: dicitur q. ei, vt descendat de regni superbia, & in puluere sedeat. Virgo autem appellatur, & filia ob luxuriam, & ornatum vrbis quondam potentissimæ, quæ cum senuisset, & vicina esset occasui, virginem, ac puellam se esse iactabat. Diciturq. ei, quod nequaquam vltra vocetur mollis, & tenera, & delicijs affluens, quæ cunctarum gentium manibus portabatur, ita vt terræ plantas vix imprimeret. Præcipiturq. ei, vt tollat molam, & molat farinam, quod est duræ captiuitatis & extremæ seruitutis indicium, vt quæ quondam regina fuerat, & in superbiam elata, postea molendæ farinæ operi seruiat. Denuda turpitudinem tuam, &c. Recte contra Babylonem inuerecundis vtitur nominibus, cui precipitur, vt nudet pectora, & vadat in captiuitatem, videaturque ignominia eius, & opprobrio pateat sempiterno.

Lib. 13. in c. 47. Isa. 10. 4.

14 IDEM explicans illa verba; Dic principi Tyri, hæc dicit Dominus, eo quod eleuatum est cor tuum, & dixisti: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, in corde maris, cum sis homo, & non Deus, & dedisti cor tuum quasi cor Dei, propterea hæc dicit Dominus, eo quod eleuatum est cor tuum, quasi cor Dei, ecce ego adducam super te alienos robustissimos gentiū, & nudabunt gladios suos super pulchritudinem sapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Interficient & tradent te, & morieris in interitu occisorum in corde maris, dicit. Ad principē Tyri sermo fit prophetalis, quod erectus sit per superbiā, & abusus opibus, quas habebat, & deinde luctus, & lamentatio: de quantis bonis ad mala quanta peruenerit, scriptum est in Isaia ad regem Babylonis Nabuchodonosor, quòd se Dei potentiæ coæquauerit, & in tantam elatus sit arrogantiam, vt auderet dicere: Super sydera cæli ascendam, & ero similis Altissimo. Præcipitatusq. de solio meruit audire: Quomodo cecidisti de cælo lucifer, qui mane oriebaris. Et de Pharaone in eodē Propheta: Mea sunt flumina, & ego feci ea.

Lib. 9. in c. 28. Ezech. Isa. 14. Isa. 29.

Et

Et de principe Tyri, quod elato corde dixerit arroganter: Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi, siue in habitaculo Dei habitaui, cum sit
15 homo, & non Deus. Quæ quamquam videantur vires humanæ fragilitatis excedere, & non tam hominum verba esse, quàm insanientium dæmonū, tamen per hyperbolem debemus accipere: quod intantū intumuerint, & nescierint mensuram suam, vt elati felicitate sæculi, & regni potentia, dum præsentia bona putant esse perpetua, homines se esse nescierint, & æternum sibi imperium vindicarint, licet sub typo principum, & regum, & singularum vrbium, vel prouinciarum potestates aduersariæ demonstrentur. Infra: Tu cherub in medio lapidum ignitorū ambulasti, perfectus in vijs tuis a die conditionis tuæ, donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate, & peccasti, & eieci te de monte Dei. Si hæc pertulit cherub elatus, quid de nobis existimandum est? Causasq. reddit cur eductus sit, siue proiectus de medio lapidum ignitorum. Eleuatum est enim cor tuum in decore tuo, dum tuum putas esse quod Dei est. Vnde
1. Cor. 12. & Paulus stimulum carnis, angelumq. Sathanæ accepisse se dicit, qui eum collaphizaret, ne reuelationum magnitudine superbiret, & in iudicium incideret diaboli. Et idcirco corrupta est, inquit, doctrina tua cum decore tuo, siue perdidisti sapientiam tuam in decore tuo, vt dum plus vis esse, quàm conditus es, & magis sapere, quàm a Deo acceperas, etiam id perderes, quod habebas, vt pro pulchritudine, atque doctrina, deformitas te, & stultitia possideret. Vnde in terram proiectus es, qui ante habitabas in monte Dei. Quod & Hieremias loquitur ad Hierusalem: Quomodo obseruauit Dominus in ira sua filiam Sion, proiecit de cælo in terram inclitam Israel? Proiectus es autem in conspectu omnium regum, vt tuo terrerentur exemplo.

Trem. 2.

16 IDEM ait: Consiliū dedit Daniel Nabuchodonosor, vt eleemosynis peccata sua redimeret. Et subdit; Post duodecim mensiū finem in aula Babylonis deambulabat. Respondit q. rex, & ait: Nonne hæc est Babylon ciuitas magna, quam ego ædificaui in domum regni robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei? Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo irruit: Tibi Nabuchodonosor rex regnum tuum transijt a te, & ab hominibus ejcient te, & cum bestijs & feris erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, donec scias, quod excelsus dominetur in regno hominum, & cuicumque voluerit det illud. Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum vt bos comedit, & rore cæli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem leonum crescerent, & vngues eius, quasi vngues auium. Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos ad cælum leuaui, & sensus meus redditus est mihi, & Altissimo benedixi: quia habitatores terræ apud eum in nihilum reputati sunt, qui gradientes in superbia potest humiliare. Fecit Nabuchodonosor iuxta Danielis consilium misericordias in pauperes, & idcirco vsque ad mensem duodecimum, in eum est dilata sententia. sed quia postea ambulans in aula Babylonis gloriatur in potentia sua, bonum misericordiæ perdidit malo superbiæ. Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo venit, arrogans gloriatio statim punitur a Deo. Statim enim, vt locutus est, per superbiam perdidit regnum, quod ob eleemosynas fuerat reseruatum. Postea leuauit oculos ad cælum, si non leuasset, sensum pristinum non recepisset. Intelligitq. se ideo humiliatum, quia contra Deum superbierit.

Dan. 4.

17 AVGVSTINVS inquit. Vanitas opposita veritati a superbia proficiscitur. De quo scriptum est: Initium superbiæ hominis apostatare a Deo, & initium omnis peccati superbia. Non potuit autem melius demonstrari quid sit superbia, quàm in eo, quod dictum est: Quid superbit terra & cinis, quoniā in vita sua proiecit intima sua? Cum enim anima per se ipsam nihil sit, quidquid autem illi esse est, a Deo sit, in ordine suo manens, ipsius Dei præsentia vegetatur in mente, atque conscientia. Itaque hoc bonum habet intimum. Quando vero superbia intumescit, hoc illi est in extera progredi, & vt ita dicam inanescere. quod est minus, minusq. esse. Progredi autem in extera, quid est aliud, quàm intima proijcere, ideſt longe a se facere Deum, non locorum spatio, sed mentis affectu. Iste autem animæ appetitus, est sub se habere alias animas proximorum. De his appetit operari anima superba, & tanto excellentior videtur hæc actio, quàm illa de corporibus, quanto anima omnis omni corpore est melior.

Libro 6. de musica. to. 1. Eccli. 10.

18 IDEM dicit: Humilitas homines sanctis Angelis similes facit, & superbia dæmones ex Angelis fecit. Ipsa est omnium peccatorum initium, & finis, & causa: quia non solum peccatum est ipsa superbia, sed etiam nullum peccatum esse potuit sine illa. Siquidem nihil aliud omne peccatum est, nisi Dei contemptus, quo eius præcepta contemnimus, & hoc nulla res alia persuadet homini, nisi superbia. De superbia namque nascuntur hæreses, schismata, detractiones, inuidiæ, iræ, rixæ, dissensiones, contentiones, ambitiones, verbositas, vanitas, inquietudo, mendacium, periurium, & cetera huiusmodi. Per superbiam, & cupiditatem diabolus dicit; In cælum conscēdam. Christus cum humilitate dicit: Humiliata est in terra anima mea. Diabolus per superbiam, & cupiditatem dicit; Ero similis Altissimo. Christus per humilitatē, cū esset in forma Dei, semetipsum exinaniuit, formā serui accipiens. Diabolus per superbiā, & cupiditatem dicit; Supra astra cæli exaltabo solium meū. Christus cum humilitate dicit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Diabolus cupidus

Lib. de salutaribus docum. to. 4. Isaiæ 14. Psal. 43. Matt. 11.

& ſuperbus per Pharaonem loquitur, dicens:
Exo. 5. Neſcio Dominum, & Iſrael non dimittã. Chriſtus cum humilitate dixit; Si dixero, quia non
Ioan. 7. noui eum, ero ſimilis vobis mendax, ſed noui eum, & mandata eius ſeruo. Diabolus cupi-
Ezec. 29. dus, & ſuperbus dicit; Mea ſunt flumina, & ego feci ea. Chriſtus cum humilitate dicit:
Ioan. 14. Non poſſum a me ipſo facere quidquam, ſed Pater meus in me manens, ipſe facit opera. Diabolus ſuperbus, & cupidus dicit; Sicut colliguntur ouũ, quæ derelicta ſunt, ſic vniuerſam terram ego congregaui: & non fuit, qui
Iſa. 10. moueret pennam, & aperiret os, atque gan-
Pſal. 101. niret. Chriſtus cum humilitate dixit: Similis factus ſum pellicano ſolitudinis, vigilaui, & factus ſum ſicut paſſer ſolitarius in tecto. Diabolus per ſuperbiã, & cupiditatem dicit; Exic-
Iſa. 37. caui veſtigio pedum meorum omnes riuos aggerum. Chriſtus per humilitatem dicit: Nũ-
Matt. 26. quid non poſſum rogare Patrem, & ipſe exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones Angelorum? Et vt concludam, diabolus cum ruina magna per ſuperbiam ad infernum præcipitatur, Chriſtus cum humilitate ad cęlos ſubleuatur.

19 IDEM ait: Rex enim & conditor ciuitatis huius, de qua loqui inſtituimus, in ſcriptura populi ſui ſententiam diuinæ legis aperuit;
Lib. 1. de ciuit. Dei. c. 1. to. 5.
Iaco. 4. qua dictum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Hoc vero, quod Dei eſt, ſuperbæ quoque animæ ſpiritus inflatus affectat, amatq. ſibi in laudibus dici,

Aeneid. 6. Virgi. *Parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos.*

Hoc dicit, vel quia ſuperbia ſua illi ſibi attribuerent, quod eſſet Dei, videlicet reſiſtere ſuperbis: vel quod tam inuiſa eſt ſuperbia etiam ſuperbis, vt ſuperbiſſima Romana gens gaudeat inter laudes ſuas illud poni, quod ſuperbos debellet. Superbos fuiſſe Romanos, & alijs ſuperbis ſuperbię eorum gratia ſuccenſuiſſe, declarant Catonis cenſorij verba, ex oratione, quam pro Rhodienſibus in Senatu habuit. Rhodienſes, inquit, ſuperbos eſſe aiunt, ſunt ſane ſuperbi, quid id ad nos attinet? Id ne iraſcimini, ſi quis ſuperbior eſt, quàm nos? Addit his verbis Gellius lib. ſexto; Nihil prorſus hæc compellatione dici poteſt grauius aduerſus homines ſuperbiſſimos facta, qui ſuperbiam in ſe ſe amarent, in alijs reprehenderent.

20 IDEM inquit: Initium malæ voluntatis,
Lib. 14. de ciuit. Dei. c. 13. & omnis peccati ſuperbia eſt. Quid eſt autem ſuperbia, niſi peruerſæ celſitudinis appetitus? Peruerſa enim celſitudo eſt, deſerto eo, cui debet animus inhęrere, principio, ſibi quodammodo fieri, atque eſſe principium. Hoc fit cum ſibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum ab illo bono immutabili deficit, quod ei magis placere debuit, quàm ipſe ſibi. Vnde ſuperbi ſecundum Scripturas ſanctas ălio nomine vocantur, ſibi placentes. Bonum eſt enim ſurſum habere cor, non tamen ad ſe ipſum, quod eſt ſuperbiæ, ſed ad Dominum, quod eſt obedientiæ, quæ niſi humilium non poteſt eſſe. Eſt igitur aliquid humilitatis miro modo, quod ſurſum faciat cor, & eſt aliquid elationis, quod deorſum faciat cor. Hoc quidem quaſi contrarium videtur, vt elatio ſit deorſum, & humilitas ſurſum: ſed pia humilitas facit ſubditum ſuperiori, nihil eſt autem ſuperius Deo; & ideo exaltat humilitas, quæ facit ſubditum Deo. Elatio autem, quæ in vitio eſt, eo ipſo quod reſpuit ſubiectionem, cadit ab illo, quo non eſt quidquam ſuperius, & ex hoc erit inferius, & fiet quod ſcriptum eſt: Deieciſti eos dum extollerentur. Non enim, ait, cum elati fuiſſent, vt prius extollerentur, & poſtea deijcerentur, ſed cùm extollerentur, tunc deiecti ſunt: ipſum quippe extolli, iam deijci eſt. Quapropter quod nunc in ciuitate Dei, & ciuitati Dei in hoc ſæculo peregrinanti maxime cõmendatur humilitas eſt, & in eius rege, qui eſt Chriſtus, maxime prædicatur: contrariumq. huic virtuti elationis vitium in eius aduerſario, qui eſt diabolus, maxime dominari, ſacris litteris edocetur. Profecto iſta eſt magna differentia, qua ciuitas vtraque diſcernitur, vna ſocietas piorum hominum, altera 21
impiorum, ſingula quæque cum Angelis ad ſe pertinentibus, in quibus præceſsit hanc amor Dei, hanc amor ſui. Dictum eſt primis parentibus; Eritis ſicut dij: quod melius eſſe poſſent Gen. 3.
ſummo, veroq. principio cohærendo per obedientiam, non ſuum ſibi exiſtendo principium per ſuperbiam. Dij enim creati non ſua virtute, ſed Dei veri participatione ſunt dij, plus autem homo appetendo, minus eſt, qui dum ſibi ſufficere delegit, ab illo, qui ei vere ſufficit, defecit. Diabolus hominem non cæpiſſet, niſi iam ille ſibi ipſi placere cœpiſſet. Verum eſt enim quod ſcriptum eſt: Ante ruinam Prou. 16.
exaltatur cor, & ante gloriam humiliatur. Illa prorſus ruina, quæ fit in occulto, præcedit ruinam, quæ fit in manifeſto, dum illa ruina eſſe non putatur. Quis enim exaltationem ruinam putat, cum iam ſit ibi defectus, quo eſt relictus excelſus? Et ideo audeo dicere, ſuperbis eſſe vtile, cadere in aliquod apertum peccatum, vnde ſibi diſpliceant, qui iam ſibi placendo ceciderant. Salubrius enim Petrus ſibi Matt. 26.
diſplicuit, quando fleuit, quàm ſibi placuit, Pſal. 82.
quando præſumpſit. Hoc dicit Pſalmus: Imple facies eorum ignominia, & quærẽt nomen tuum Domine, ideſt, vt tu eis placeas quærentibus nomen tuum, qui ſibi placuerant quærendo ſuum. Infra: Sed eſt peior damnabiliorq. ſuperbia, qua etiam in peccatis manifeſtis ſuffugium excuſationis inquiritur. Sicut illi primi homines, quorum & illa dixit: Gen. 3.
Serpens decepit me, & iſte dixit: Mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno, & comedi. Nuſquam hic ſonat petitio veniæ. Nam licet iſti non ſicut Cain, quod commiſerunt, negent, Gen. 4.
adhuc tamen ſuperbia quærit in alium referre, quod perperam fecit, ſuperbia mulieris in ſerpentem, ſuperbia viri in mulierem.

22 IDEM vbi explicat cãticum Annæ 1. Re-
Lib. 17. de ciu. Dei. c. 4 gum 2. & dicit: Confirmatum eſt cor meum in Do-

in Domino, & exaltatũ eſt cornu meum in Deo meo. Vere confirmatum eſt cor, & cornu vere exaltatum, quia non in ſe, ſed in Dño Deo ſuo. Nolite multiplicare loqui ſublimia glorianRoma. 10. tes. Nolite loqui excelſa, neque exeat magniloquium de ore veſtro: quoniam Deus ſcientiarum Dominus eſt: quoniam, qui putat ſe aliquid eſſe cum nihil ſit, ſeipſum ſeducit. Hæc dicuntur aduerſarijs ciuitatis Dei ad Babyloniam pertinentibus, de ſua virtute præſumentibus, in ſe non in Domino gloriantibus, ex quibus ſunt etiam carnales Iſraelitæ terrenæ Hieruſalem, qui, vt dicit Apoſtolus, ignorantes Dei iuſtitiam, ideſt, quam dat hominibus Deus, qui ſolus eſt iuſtus, & iuſtificans, & ſuam volentes conſtituere, ideſt, velut a ſe ſibi paratam, non ab illo impertitam, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Et ipſi præparantur cogitationes, vel præparãs adinuentiones ſuas. Quas adinuẽtiones putamus, niſi vt ſuperbi cadant, & humiles ſurgãt? Has adinuẽtiones exequitur dicẽs. Arcus fortiũ infirmatus eſt, & infirmi accincti ſunt robore, ſeu virtute. Infirmatus eſt arcus, ideſt, intẽtio eorũ, qui tã potẽtes ſibi vidẽtur, vt ſine Dei dono, atq; adiutorio, humana Pſal. 6. ſufficientia diuina poſsint implere mãdata, & prącingũtur virtute, quorũ interna vox eſt: Miſerere mei Domine, quoniam infirmus ſum.

23 IDEM dicit: Iã ſciens homo gratia Dei ſe
Libro de S. virg. tom. 6. eſſe, quod eſt, nõ incidat in aliũ ſuperbię laqueũ vt de ipſa Dei gratia ſe extollẽdo ſpernat ceteLuc. 18. ros. Quo vitio Phariſæus, & de bonis, quæ habebat, Deo gratias agebat, & tamẽ ſe ſuper publicanũ peccata confitentem extollebat. Quid igitur faciat virgo, quid cogitet, ne ſe extollat ſuper eos, vel eas, qui hoc tã magno dono carẽt? Neq; enim ſimulare debet humilitatẽ, ſed exhibere, nam ſimulatio humilitatis maior ſuperbia eſt. Idcirco ſcriptura volens oſtendeEccli. 3. re humilitatem veracem eſſe debere, ait: Quãto maior es humilia te in omnibus; moxq. ſubdidit; & coram Deo inuenies gratiam. vtique vbi ſe fallaciter humiliare non poteſt. Non ſe præponat virgo viduæ, aut nuptæ. Occulta ſunt, dona Dei. Vt enim cetera taceam vnde ſcit virgo, quamuis ſollicita, quæ 1. Cor. 7. ſunt Domini, quomodo placeat Domino, ne forte propter aliquam ſibi incognitam mentis infirmitatem nuptæ ſit poſtponenda.

24 IDEM ait; Cetera vitia tantum in male-
Lib. de nat. & gratia cõtra Pelagianos. to. 7. factis valent, ſola autem ſuperbia etiam in rectę factis cauenda eſt. Vnde admonentur illi, ne dona Dei ſuæ poteſtati tribuendo, ſe ſeque extollendo grauius pereant, quàm ſi nil operarentur boni. Et quidem ſuperbia cum magnum ſit ipſa peccatum, ita ſine alijs per ſeipſa eſt, vt etiam plerumque, vt dixi, non in peccatis, ſed in ipſis rectę factis pede celeriore ſuperueniat. Vbi lætatus homo fuerit in aliquo bono opere, ſe etiam ſuperaſſe ſuperbiam, ex ipſa lætitia caput erigit, & dicit: EcPſal. 2. ce ego viuo, & ſuperbit de ſuperbia victa. Vnde Dominus, ait: Apprehendite diſciplinam, ne quando iraſcatur Dominus, & pereatis de via iuſta, cum exarſerit in breui ira eius ſuper vos. Non ait, ne quando iraſcatur Dominus, & non vobis oſtendat viam iuſtam, aut non vos introducat in viam iuſtam: ſed iam illic ambulantes, ſic terrere potuit, vt diceret, ne pereatis de via iuſta. Vnde, niſi quia ſuperbia in ipſa via iuſta cauenda eſt, ne homo dũ, quod Dei eſt, deputat ſuũ, amittat, quod Dei eſt, & redeat ad ſuum?

IDEM explicans verba illa; Non ſic im- 25
pij, non ſic: ſed tamquam puluis, quem proijcit In Pſal. 8 ventus a facie terrę, dicit. Terra hic accipienda eſt ipſa ſtabilitas in Deo. Secundum hanc dicitur: Suſtine Dominũ, & exaltabit te, vt he- Pſal. 36.
reditate capias terram. Et illud; Beati mites, quoniam ipſi poſsidebunt terram. A cuius terræ facie proijcit ventus impium, ideſt, ſuperbia, quia inflat. Quam cauens ſanctus Dauid aiebat: Nõ veniat mihi pes ſuperbiæ. Ab hac Pſal. 35.
terra proiecit ſuperbia eũ, qui dixit: Ponã ſe- Iſa. 14.
dẽ meã ad aquilonẽ, & ero ſimilis altiſsimo. Ab huius terræ facie proiecit etiã eũ, qui guſtauit Gen. 3.
de ligno vetito, vt eſſet ſicut Deus. Ideo nõ reſurgũt impij in iudicio, quia tãquã puluis proijciuntur a facie terræ. Et bene hoc eis dixit auferri, quod ſuperbi ambiunt, ideſt, vt iudicent.

IDEM explicans verba illa; Et emunda- 26
bor a delicto maximo, ait. Delictum maximũ In Pſal. 18. arbitror eſſe ſuperbiam. Quæritis quam magnum ſit hoc delictum? quod deiecit Angelum, & ex Angelo fecit diabolũ, eiq. in æternum intercluſit regnum cælorum. Magnum hoc delictum eſt, & cauſa omnium delictorum, & caput, quia initium omnis peccati ſuperbia. Et Eccls. 10.
ne quaſi leue aliquid contemnas: Initium, inquit, ſuperbiæ hominis apoſtatare a Deo: ab hoc vitio, quia inde cetera vitia nata ſunt, facta eſt apoſtaſia a Deo. Ita inquit, emundabor a delicto maximo, quia Deus ſuperbis reſiſtit, Iaco. 4.
humilibus autem dat gratiam. Et per hoc erunt, vt complaceant eloquia oris mei, & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper. Nã ſi ab hoc magno delicto non mundabor, in conſpectu hominum placebunt eloquia mea, non in conſpectu tuo. Superba anima in conſpectu hominum vult placere, humilis anima in occulto, vbi Deus videt vult placere. Gloria no- 2. Cor. 1.
ſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Dominus adiutor meus, & redemptor meus: adiutor in bonis, redemptor a malis.

IDEM exponẽs illa verba; Nõ veniat mi- 27
hi pes ſuperbię, ait. Certe iã dixit; Filij hominũ In Pſal. 35. in tegmine, ſeu vmbraculo alarũ tuarũ ſperabũt. & inebriabũtur ab vbertate domus tuę. Cũ cęperit, quiſque iſto fonte vberius irrigari, caueat ne ſuperbiat. Nõ .n. inerat Adę primo homini, ſed venit illi pes ſuperbię, & mouit illum manus peccatoris. i. manus dæmonis ſuperba. Quomodo ille, qui eũ ſeduxit, dixit: Ponã ſedẽ Iſa. 14.
meã ad aquilonem, ſic illi perſuaſit. Guſtate & eritis ſicut Dij. Superbia ergo lapſi ſumus, vt ad iſtã mortalitatẽ peruenirемus. Et quia nos ſuperbia vulnerauerat, humilitas ſanos fecit.

venit humilis Deus, vt a tanto superbiæ vulnere curaret hominem. Et manus pecatoris non moueat me. Si enim venerit pes superbię, moueat manus peccatoris. Quæ est manus peccatoris? Male suadentis operatio. Si factus es superbus, cito te corrumpit, qui male suadet. Satage humilis fieri in Deo, & non valde cures quid tibi dicatur. Hinc est, quod alibi dicitur: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Quid est, ab occultis meis? Non veniat mihi pes superbiæ. Quid est, & ab alienis parce seruo tuo? Neque manus peccatorum moueat me. Serua quod intus est, & non timebis foris. Ibi ceciderunt omnes, qui operantur iniquitatem, vt ad illud profundum peruenirent, vbi peccator, qui cõtemnit, cecidit. Ceciderunt? Vbi primo ceciderunt? In pede superbiæ. Audite pedem superbiæ. Qui cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, venit illis pes superbiæ; vnde venerunt in profundum. Tradidit illos Deus in concupiscentias cordis eorum, facere, quæ non conueniant. Radicẽ peccati, & caput timuit, qui dixit, non veniat mihi pes superbiæ. Pedem illum dixit, quia superbiendo Deum deseruit, & discessit. Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me. Idest, opera peccatoris non moueant me, vt imitari illos velim. Quare autem contra superbiam hoc dicit; Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem? Quia, qui iniqui sunt, in superbia ceciderunt. Ideo cum cautam faceret Dominus Ecclesiam, ait: Illa obseruabit caput tuum, & tu calcaneum eius. Serpens obseruat calcaneum, quando veniat tibi pes superbiæ; quando labaris, vt dejiciat. Tu autem caput eius obserua. Initiũ omnis peccati superbia. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulsi sunt, nec potuerunt stare. Primo ille in veritate non steterit, deinde per eũ illi, qui de paradiso sunt expulsi.

Roma. 1.

Gen. 3.

28 In Psal. 37.

IDEM explicans verba illa; Miser factus sum, & curuatus vsq; in finem, dicit. Vnde curuatus est? Quia elatus erat. Si fueris humilis, erigeris, si fueris elatus, curuaueris; non enim deerit Deo pondus, vnde te curuet. Illud erit pondus, fascis peccatorum tuorum, hoc replicabitur in caput tuum, & curuaueris. Quid est autem curuari? Non se posse erigere. Talem inuenit Dominus mulierem perdecem & octo annos curuatam, non se poterat erigere.

Lucæ 15.

39 In Psal. 61. *Matt. 23.*

IDEM explicans verba illa; Nonne Deo subiecta erit anima mea? ait. Audierat, qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur. Et trepidus ne transiliendo superbiret, nec elatus exhis, quæ infra essent, sed humilis ex eo, quod supra esset, tãquam minantibus ei ruinam inuidis, qui eum transiluisse doluerãt, respondit. Nonne Deo subijcietur anima mea? Quid est, quod mihi veluti transilienti, quæritis laqueos? Nunquid ita memini supra, quod sum, vt oblitus sim sub quo sum? Nonne Deo subiecta erit anima mea? Quantumcũq; accedam, quantumcumque ascendam, quantumcumque transiliam, sub Deo ero, non contra Deum. Ab ipso enim salutare meum. Etenim ipse Deus meus, & salutaris meus, susceptor meus, non mouebor amplius. Scio sub cuius alarum tegmine sperem, nõ mouebor amplius. Agitis quidem vos, vt mouear, sed non veniat mihi pes superbiæ. Ex hoc enim fit, quod & in ipso Psalmo sequitur; Nec manus peccatorum dimoueat me: cui consonat, non mouebor amplius. Ad illud enim, quod ibi dictum est, nec manus peccatoris dimoueat me, respõdet hic, non mouebor amplius. Ad illud autem, quod ibi dictum est. Nom veniat mihi pes superbiæ, respondet hic, nonne Deo subiecta erit anima mea?

Psal. 35.

30 In Psal. 67.

IDEM explicans illa verba; Verumtamen Deus confringet capita inimicorum suorum, verticem capilli perambulantium in delictis suis, inquit. Deus conquassabit capita nimis se extollentium, & superbientium indelictis suis, inquibus saltem humiles esse deberent dicentes; Deus propitius esto mihi peccatori. Sed conquassabit capita eorum, quia qui se exaltat humiliabitur. Duobus modis conquassantur capita inimicorum, cum a superbia dejiciuntur, siue humilitate corrẽcti, siue in ima tartari absorpti.

Lucæ 18.

31 In Conc. 2. Psal. 90. *Matt. 8.*

IDEM ait, Quidam de turba cum vellet sequi Dominum, vidit illum Dominus superbum, non quærere viam humilitatis, sed typhũ pontentiæ, & ait: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Vulpes dolus est; volucres cæli superbia est. Sicut enim volucres alta petunt, sic superbi; & vt vulpes cauernas dolosas, ita omnes insidiatores. Quid ergo respondit Dominus? Potest inte habitare superbia, & dolus, Christus non habet, vbi inte habitet, vbi reclinet caput suum, quia reclinatio capitis, humilitas Christi est, nisi reclinaret caput, non iustificareris. Vnde discipulis duobus postulantibus sedes in regno Dei dictum est: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Quid cogitatis altitudinem regni, & non imitamini humilitatem meam.

Matt. 20.

32 In Psa. 128.

IDEM explicans verba illa; Dominus iustus concidet ceruices peccatorum, inquit. Non dixit Dominus iustus concidet manus peccatorum, aut pedes, sed quia peccatores superbos volebat intelligi: superbi autem omnes ceruicati sunt, qui non solum faciunt mala, sed nec agnoscere volunt, & quando corriguntur excusant mala, & erigunt ceruicem suam, & currunt aduersus Deum erecto collo incrassa ceruice. Quia sic te erigis, & non elidis oculos ad terram, & tundis pectus, sed iactas te de meritis tuis. Fiant sicut fœnum tectorum, quod priusquam euellatur exaruit. Fœnum tectorum herba est, quæ nascitur in tectis, in alto videtur, & radicem non habet. Quanto melius, humilius nasceretur, & lætius viresceret, modo nascitur altius ad celeriorem ariditatem, nondum euulsum est, & aruit. Nondum finiti sunt in iudicio Dei, & iam non habent succum viriditatis. Aruerunt, sed nondum auulsi sunt, euellentur, & in ignem proijcientur sicut & zizania, quia non implebit manum suam, qui metet, quia non colligitur ad horreum fœnum tectorum.

Iob 15.

Lucæ 18.

33 Sermo. 9. de verb. Apost. Pauli to. 10. *Matt. 18.*

IDEM comparat superbos montibus, & humiles valibus. Quia valles sunt humiles, quia quod infuderis capiunt, non dimittunt. Si venerit aqua super altitudinem, decurrit, & defluit, sic sunt homines superbi. Christus Dominus reliquit nonaginta nouem oues in montibus. Quia qui superbiebant, & alta sapiebant relicti sunt in montibus, relicti sunt in tumore terreno.

34 Lib. 3. Mor. ca. 18. to. 2. *Isa. 47.*

GREGORIVS sic habet. Babylonia, idest, confusa multitudo peccantium, dicit. Sedeo regina, & vidua non sum. Quisquis ergo introrsus intumescit, in altum se apud semetipsum ponit: sed eo se grauius in infimis deprimit, quo de se infima veraciter sentire contemnit. Sunt vero nonnulli, qui nihil quidem virtutis studentagere, sed tamen cum alios peccare conspiciunt, iustos se in eorum comparatione suspicantur. Neque enim corda omnium vna, vel similis culpa transfigit. Hunc namque superbia illaqueat, illum ira supplantat, hunc auaritia cruciat, illum vero luxuria inflammat. Et plerumque contingit, vt is, quem superbia deprimit, alium respiciat qualiter ira succendat, & quia se non citius ira instigat, meliorem se iracundo iam reputat, atque apud semetipsum quasi de iustitia extollitur, quia pensare vitium negligit, quo grauius tenetur. Dumq. in alio pensat malum, quod ipse non habet, in se negligit considerare, quod habet, & eo durius contra aliena superbit, quo sua negligentius non considerat. Iustus autem exemplo Iob in sterquilinio sedet, quia qui vere se humiliat, continuæ considerationis oculo, quibus circumseptus sit delictorum sordibus, proficiens pensat.

35 Lib. 14. Mor. cap. 8. *Iob 18.*

IDEM exponens illa verba; Deuoret pulchritudinem cutis eius, & consumat brachia illius primogenita mors, dicit. Pulchritudo cutis est gloria temporalis, quę dum foris concupiscitur, quasi species in cute retinetur. Brachiorum vero nomine non incongrue opera designantur. Quid autem mors, nisi peccatum est, quod animam occidit? Si autem peccatum mors, non incongrue primogenita mors superbia valet intelligi, quia scriptum est: Initium omnis peccati superbia. Pulchritudinem igitur cutis eius, & brachia illius primogenita mors deuorat, quia iniqui gloriam, vel operationem superbia supplantat. Sæpe enim quosdam diuites videmus, qui opes, & gloriam habere sine culpa potuissent, si hęc habere cum humilitate voluissent. Sed extolluntur rebus, inflantur honoribus, dedignantur ceteros, omnemq. vitæ suæ fiduciam in ipsa abundantia rerum ponunt.

Ecclí. 10.

36 Lib. 22. Moral. cap. 10.

IDEM explicans verba illa Iob cap. 31. Et celaui in sinu meo iniquitatem meã, ait. Sciẽdum est, quod plerumque homines, & culpas confitentur, & humiles non sunt. Nam multos nouimus, qui arguente nullo peccatores se esse confitentur, cum vero de culpa sua fuerint fortasse correpti, defensionis patrocinium quærunt, ne peccatores esse videantur. Qui si tunc, cum id sponte dicunt, peccatores se esse veraci humilitate cognoscerent, cum arguuntur ab alijs, esse se, quod confessi fuerant, non negarent. Nam quia scriptũ est; Iustus in principio acculator est sui, non magis peccator, sed iustus videri appetit, cum peccatorem se quisque nullo arguente confitetur, sed confessionem veritatis probat, cum alter malum, quod fecimus, increpat. Quòd si superbe defendimus, liquet quia peccatores nos ex nobis ficte dicebamus. Superbiæ quippe vitium est, quod de se fateri quisque quasi sua sponte dignatur, hoc sibi dici ab alijs dedignetur.

Prou. 18.

37 Lib. 23. Moral. cap. 4.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 32. quæ Eliu dixit: Sed vt video spiritus est in hominibus, & inspiratio omnipotentis dat intelligentiam, sic habet. Hæc recte diceret, si eandem intelligentiam sibi præ ceteris non erogaret. Quattuor sunt species, quibus omnis tumor arrogantium demonstratur; cum bonum aut a semetipsis habere se æstimant, aut si sibi datum desuper, credunt pro suis se hoc accepisse meritis putant, aut certe cum iactant se habere, quod non habent, aut despectis ceteris singulariter videri appetunt habere, quod habent. A semetipso enim bonum se habere iactabat, cui per Apostolum dicitur: Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Rursus, ne dari nobis bonum gratiæ pro nostris præcedentibus meritis crederemus, idem Apostolus admonet, dicẽs: Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, vt ne quis glorietur. Rursum nonnulli iactant se habere, quod non habent. Sicut diuina voce per prophetam de Moab dicitur. Superbiã eius, & arrogantiam eius ego noui; & quod nõ sit iuxta eũ virtus eius. Et sicut Angelo Ecclesię Laodiciæ dicitur scribe: Quia dicis: quod diues sũ, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus. Rursus nonnulli despectis ceteris videri appetunt singulariter bonũ habere, quod habent. Vnde & Pharisæus idcirco de templo absque iustificatione descendit, quia bonorum operum meritum sibi quasi singulariter tribuens, oranti poblicano se prætulit. Sancti quoque Apostoli ab hoc elationis vitio reuocantur, qui de prædicatione redeuntes cum elati dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt: ne de hac miraculorum singularitate gauderent, dixit:

1. Cor. 4.

Ephes. 2.

Hiere. 48.

Apo. 3.

38 *Lucæ 9.*

dixit eis Dominus: Videbam sathanam sicut fulgur e cælo cadentem. Ipse quippe singulariter elatus dixerat: Super astra cæli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, similis ero altissimo. Et mire Dominus, vt in discipulorum cordibus elationem premeret, mox iudicium ruinæ retulit, quod ipse magister elationis accepit, vt in auctore superbiæ discerent, quid de elationis vitio formidarent. In hac arrogantiæ quarta specie crebro humanus animus labitur, vt id quod habet, habere se singulariter glorietur. In qua tamen similitudini diabolicæ vicinius appropinquat; quia quis bonum se habere singulariter gaudet, videri sublimior ceteris quærit, illum imitatur, qui despecto bono societatis Angelorum, sedem suam ad Aquilonem ponens, & altissimi similitudinem superbe appetens, per iniquum desiderium quasi ad quoddam culmen conatus est singulariter erumpere. Eliu ergo quamuis dari a Domino sapientiam confitetur, in hac tamen elationis specie labitur, vt sapientiorem se ceteris gaudeat, & quasi de singulari bono se se inaniter extollat. Respondebo & ego, ait, partem meam, & ostendam scientiam meam. Hanc enim partem suam omnis arrogans æstimat, si scientiam non tam habeat, quàm ostendat: quia nimirum omnes elati scientiam habere non appetunt, sed ostendere. Arrogantes enim cum scientiam accipiunt, nihil se accepisse æstimant, si hanc eos occultam habere contingat. Vnde & fatuæ virgines in vasis suis oleum non sumpsisse referuntur, quia arrogantes omnes cum se ab aliquibus fortasse vitijs continent, bonum gloriæ intra conscientias habere non possunt. Quo contra bene per Moysen dicitur: Vas, quod non habuerit operculum, nec ligaturam desuper, immundum erit. Quasi enim vas sine operculo, vel ligatura polluitur, quia per studium ostentationis patens, nullo velamine taciturnitatis operitur.

Isaiæ 14.

Matt. 25.

Num. 19.

39 Lib. 33. Moral. cap. 11.

IDEM ait: Nonnulli per accepta dona virtutum, per impensam gratiam bonorum operum in superbiæ vitium cadunt, sed tamen, quod ceciderint, nõ cognoscunt. Proinde contra eos hostis antiquus, quia iam interius dominatur, etiam exterius sæuire permittitur, vt qui in cogitatione elati sunt, per carnis luxuriam prosternantur. Scimus autem, quia aliquando minus est in corporis corruptionem cadere, quàm cogitatione tacita ex deliberata elatione peccare, sed cum minus turpis superbia creditur, minus vitatur. Luxuriam vero eo magis erubescunt homines, quo simul omnes turpem nouerunt. Pia ergo Domini dispensatione laxatus nonnumquam Behemot iste de culpa ad culpam trahit, & vnde vicisse cernitur, inde superatur. Ecce qui de virtute se extollit, per vitium ad humilitatem reddit. Qui vero acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed (vt ita dixerim) medicamento vulneratur. Quid est enim virtus, nisi medicamentum? Et quid est vitium, nisi vulnus? Quia ergo nos de medicamento vulnus facimus, facit ille de vulnere medicamentum, vt qui virtute percutimur, vitio curemur, vt qui humilitatem currentes fugimus, ei saltem cadentes hæreamus.

IDEM exponens verba illa Iob cap. 41. Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ, sic habet. Vt Leuiathan iste in cunctis, quæ superius dicta sunt, caderet, sola se superbia perculit. Neque enim per tot illos vitiorum ramos arescceret, nisi per hanc prius in radice putruisset. Scriptum est namque, quia initium omnis peccati superbia. Per hanc enim ipse succubuit, per hanc se sequentem hominem strauit. Sed idcirco hanc Dominus fini suæ locutionis inseruit, vt cum post mala omnia Leuiathan istius superbiam diceret, quid esset malis omnibus deterius indicaret. Quãuis etiã per hoc, quod in immo ponitur, vitiorum radix esse monstretur. Sicut enim inferius radix tegitur, sed ab illa rami extrinsecus expanduntur, ita se superbia intrinsecus celat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Hæc est, quæ Leuithan istius sensum feruescere sicut ollam facit. Intus prius ebullit in elatione, quod foris postmodum spumat in opere. Alia vitia eas solummodo virtutes impetunt, quibus ipsa destruũtur, vt videlicet ira patientiam, gula abstinentiam, libido continentiam expugnet. Superbia autem, quam vitiorum radicem diximus, nequaquam vnius virtutis extinctione contenta, contra cuncta animæ membra se erigit, & quasi generalis ac perstifer morbus corpus omne corrumpit, vt quidquid illa inuadente agitur, etiam si esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vanæ gloriæ seruiatur. Quasi enim tyrannus quidã obsessam ciuitatem intercipit, cum mentem superbia irrumpit, & quo ditiorem quemq; cœperit, eo in Domino durior exurgit, quia quo amplius res virtutis sine humilitate agitur, eo latius ista dominatur. Nonnumquam vero ad tantam eletionem mens ducitur, vt in eo quod timet, etiam per ostentationem locutionis effrenetur: sed tanto facilius ruina sequitur, quanto apud se quisque impudentius exaltatur. Hinc enim scriptum est: Ante ruinam exaltatur cor. Hinc per Danielem dicitur: In aula Babylonis deambulabat rex, respondit q. & ait; Nonne hæc est Babylon magna, quã ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, in gloria decoris mei? Sed hunc tumorem, quam concita vindictæ ira repressserit, illico adiunxit, dicens. Cum adhuc sermo esset in ore regis, vox de cælo ruit. Tibi dicitur Nabuchodonosor rex, regnum transiet a te, & ab hominibus te eijcient, & cum bestijs, ferisq. erit habitatio tua, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te. Ecce quia tumor mentis,

40 Lib. 34. Moral. cap. 18.

Eccli. 10.

41

Prou. 16.

Dan. 4.

tis vsque ad aperta verba se protulit, patientia iudicis protinus vsque ad sententiam erupit, tantoq. hunc districtius perculit, quanto eius se superbia immoderatius erexit: & quia numerando bona dixit, in quibus sibi placuit enumerata mala, in quibus feriretur, audiuit. Sciendum vero, quod elatio, alios ex rebus sæcularibus, alios ex spiritualibus possidet. Alter namque intumescit auro, alter eloquio, alter infimis, terrenisque rebus, alter summis, cælestibusque virtutibus, vna tamen eademque res ante oculos Dei agitur, quamuis in humana corda veniens, in eorum obtutibus diuerso amictu pallietur. Nam cum is, qui de terrena prius gloria superbierat, postmodum de sanctitate extollitur, nequaquam cor eius elatio deseruit, sed ad eum consueta veniens, vt cognosci nequeat, vestem mutauit. Infra: Sæpe subditi rectoris sui dictis proterue obuiant, & eandem vocis superbiam libertatem vocant. Sic quippe elatio se quasi pro libertatis rectitudine obijcit, sicut sæpe se & timor pro humilitate supponit. Nam sicut plerique reticent ex timore, & tamẽ tacere se æstimant ex humilitate; ita nonnulli loquuntur per impatientiam elationis, & tamen loqui se credunt per libertatem rectitudinis. Soli ruinę crescit, quod ædificant, qui ante molem fabricæ humilitatis fundamenta non procurant. Igitur, quia humanos animos aliter tentari ex rebus carnalibus, atque aliter ex rebus spiritualibus diximus, audiant illi: Omnis caro fœnum, & gloria eius, sicut flos fœni. Audiant illi, quod quibusdam post miracula dicitur: Nescio vos vnde sitis, discedite a me omnes operarij iniquitatis. Audiant illi: Diuitiæ affluant, nolite cor apponere. Audiant isti: quia fatuæ virgines, quæ cum vacuis vasculis veniunt, ab internis nuptijs excluduntur. Rursus, quia aliter tentari prælati solent, aliter subditi. Audiant illi, quod per quemdam sapientem dicitur: Ducem te constituerunt? Noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex eis. Audiant isti: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Audiant illi, cum de accepta potestate gloriantur, quod ardenti diuiti voce Abrahæ dicitur: Memẽto fili, quia recepisti bona in vita tua. Audiant isti, cum contra rectores suos in querela prosiliunt, hoc, quod murmuranti populo Moysi, & Aaron vocibus respondetur: Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Nos enim quid sumus? Audiãt simul omnes: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Audiant simul omnes: Immundus est apud Deum, omnis qui exaltat cor suum. Audiant omnes: Quid superbis terra, & cinis? Contra huius languoris pestem audiamus Dominum dicentem: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Ad hoc namque Dei Filius formam infirmitatis nostræ susIsa. 40.

Lucæ 13.

Psal. 61.

Matt. 25.

Eccli. 32.

Heb. 13.

Luc. 16.

Exod. 16.

Iaco. 4.

Eccli. 10.

Matt. 11.

42

43

cepit, ad hoc visibilis, immo & despectus apparuit, passionumq. tormenta toleranit, vt superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta ergo humilitatis virtus est, propter quam veraciter edocendam, is, qui sine æstimatione magnus est, vsque ad passionem factus est paruus? Quia enim originem perditioni nostræ superbia præbuit diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inuenta est humilitas Dei. Hostis noster magnus inter omnia conditus, videri super omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est paruus. Mortis auctor ait: In cælum conscendam. Iste autem per prophetam ait: Repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit. Ille dicit: Supra astra cæli exaltabo solium meum. Iste humano generi a paradisi sedibus expulso dicit: Ecce venio cito, & habitabo in medio tui. Ille dicit: Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Iste dicit: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit: Ascendam super altitudinem nubium, & similis ero Altissimo. Iste cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est se æqualem Deo, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Ille nihil aliud mentes sibi subditas docet, quàm celsitudinis culmen appetere, societatem omnium hominum alta elatione transire, ac sese & contra potentiam Conditoris erigere: sicut de eisdem per psalmistam dicitur: Transierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti sunt nequitias, iniquitatem in excelso locuti sunt. Iste ad sputa, & ad mortem veniens, membra sua admonet, dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Quia ergo Redemptor noster corda regit humilium, & Leuiathan iste rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod euidentissimum reproborum signum superbia est, at contra humilitas electorum. Cum ergo quam quisque habeat cognoscitur, sub quo rege militet, inuenitur. Vnusquisque enim quasi quemdam titulum portat operis, quo facile ostendat, sub cuius seruiat potestate rectoris.

Isa. 14.

Psal. 87.

Isa. 14.

Zacha. 2

Isa. 14.

Psal. 21.

Isa. 14.

Phil. 2.

Psal. 72.

Ioan. 12.

BERNARDVS sic habet. Scimus, quia fontium natura est riuos sectari conuallium, montium ardua declinare, sicut scriptum est: Qui emittis fontes conuallibus, inter medium montium pertransibunt aquæ. Hoc est, quod admonere sæpe vos studeo, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Fons enim ad altiora non ascendit, quàm sit locus eius, vnde procedit. Sed videri potest, secundum hanc regulam non impediri a superbia vias gratiæ, præsertim, quòd ille primus superbus, qui secundum Scripturam rex est super vniuersos filios superbiæ, dixisse non legitur, altior ero, sed similis ero Altissimo. Attamen non mentitur Apostolus: quoniam ille extollitur supra omne, quod creditur,

44 Serm. 4. in vigil. natalis Domini.

Psal. 103.

Iacobi 4.

Iob 41.

2. Thess. 2.

ditur, aut quod colitur Deus. Horret humanus auditus verbum, sed vtinam horreat similiter animus cogitatum malignum pariter & affectum. Dico enim vobis, quod non ille tantum, sed & omnis superbus extollitur supra Deum. Vult enim Deus fieri voluntatem suam, & superbus vult fieri suam. Iam videtur æqualitas: sed attende male congruam proportionem. Deus in his tantum, quæ ratio approbat, vult suam fieri voluntatem; superbus vero & cum ratione, & contra rationem. Vides, quoniam altitudo est, & non illuc proueniunt fluenta gratiæ. Para proinde riuulos, aggeres terrenæ, & elatæ cogitationis dispergere, conformare filio hominis, non primo homini, quia fons gratiæ in cor hominis carnalis, & terreni non ascendit.

45 Serm. 4. in natali Domini. *Lucæ 2.* IDEM ait, exponẽs illa verba; Inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio. Quid est, quod sola ab Angelo commendari videtur humilitas? Quod hæc quasi propria virtus diuinæ exhibenda sit maiestati. Humilitas Deo nos conciliat, Deo facit esse subiectos, Deo placet in nobis, sicut ait virgo beata: Respexit humilitatem ancillæ suæ. Itaque, qui fornicatur, peccat in corpus suum, qui iniuriosus est, in proximum, qui extollitur, & inflatur, in Deum. Fornicator seipsum dehonestat, iniuriosus molestat proximum, elatus, quod in se est, Deum inhonorat. Gloriam meam, Dominus ait, alteri non dabo. Et superbus ego, inquit, mihi eam, licet non dederis, vsurpabo. Nec enim placet ei angelica distributio, dans gloriam Deo, pacem hominibus. Non ergo colit Deum, sed aduersus eum extollitur impius, qui Deo non est subiectus.

Lucæ 1. *Isa. 42.*

46 Serm. 2. in c. ieiunij. *Matt. 18.* IDEM inquit; Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum. Ad paruulum conuerti necesse est, vt discamus ab eo: quia mitis est, & humilis corde. ad hoc siquidem paruulus datus est nobis. Quid tu inflaris, o homo? Quid extolleris sine causa? Quid alta sapis, & oculi tui omne sublime vident, quod tibi non cedet in bonum? Sublimis quidem Dominus, sed non ita proponitur tibi. Eleuata est magnificentia illius, & non poteris ad eam accedere. Accedet, inquit, homo ad cor altũ, & exaltabitur Deus. Excelsus siquidem Dominus, & humilia respicit, & alta a longe cognoscit. Humiliare, & apprehendisti. Si forte sublimitatis esset via proposita, & illic iter, quo ostenderetur salutare Dei, quanta facerent homines, vt exaltarentur? Quàm crudeliter inuicem sternerent, & inuicem conculcarent, quàm impudenter reperent, manibusque, & pedibus conarentur in altum, vt imponerent sese homines super capita aliena? Et certe, qui contendit supergredi proximos, multas inueniet difficultates, multos habebit æmulos, multos patietur contradictores, ascendentes equidem ex aduerso. Nihil vero facilius est volenti, quàm humiliare seipsum.

Psal. 62.

47 Sermone de Dauid, & Golia. IDEM dicit. Golias, qui populo Dei iam repromissionis terram ingresso, iamq. multis ex hostibus triumphanti solus exprobrare præsumit, elatus, & inflatus spiritu carnis suæ, credo non incongrue in superbo homine superbiæ vitium designari. Ipsum namque est peccatum maximum, quod Dei populo magis insultat, & insurgit specialiter aduersus eos, qui cetera iam videntur vicisse peccata. Hinc est, quod prouocat ad singulare certamen, tamquam ceteris iam subiectis. Nam Philistæi illo in tempore timebant omnino aduersus Israel inire conflictum, nisi quod de Golia enormis magnitudinis viro tota eorum fiducia pẽdebat. Vnde enim eiusmodi animam superbia tentet, quam sibi subiugauit inuidia, seu tepiditas ea, quæ solet Dei vomitum prouocare, aut pigritia, quæ facit, vt bonum stercoribus lapidetur? Vnde inquàm ei superbia, vnde extollentia oculorum, cui adeo cetera vitia dominantur, vt dijudicare se ab vniuersis tamquam male sibi conscius arbitretur? Quis denique nisi manu fortis, qui cetera iam sibi potenti virtute vitia subiugauit, aduersus nequissimum superbiæ vitium dimicaturus accedat? Procedat, inquit, Dauid, manu fortis, quoniam non est vincere tantum hostem, nisi in manu forti.

48 Serm. 3. ex paruis. *Cant. 6.* IDEM inquit. Sicut oculi sathanæ omne sublime vident, ita oculi Domini omnem humilem intuentur. Vnde ait in Cantico canticorum: Reuertere, reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Quater dicit, reuertere, propter quadruplicem superbiam, per quam auersa a Domino videbatur. Est enim superbia cordis, superbia oris, superbia operis, superbia habitus. Superbia cordis est, quando homo in oculis suis magnus est: contra quam sapiens orat, dicens: Extollentiam oculorum meorum ne dederis mihi. Et alibi: Væ, qui sapientes estis in oculis vestris. Superbia oris, quæ & iactantia dicitur, est quando homo non solum magna de se sentit, sed etiam loquitur. Vnde psalmista: Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, linguam magniloquam. Superbia operis est, quando homo exteriori quadam superbia, vt magnus appareat, agit. De qua idem psalmista ait: Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam. Superbia habitus est, quando homo, vt glorioſus videatur, pretiosis se ornat vestibus. Vnde Dominus: Qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt, vbi superbia abundat.

Eccli. 22. *Isa. 5.* *Psal. 11.* *Psal. 100.* *Matt. 11.*

49 Serm. de donis Spiritus sancti. IDEM sic habet. De humilibus Iob ait, quod Dominus ponit humiles in sublimi. Vnde illud de Domino dicitur: Humiles spiritu saluabit. E contra de superbis dicitur: Dominus superbis resistit. Ante ruinam exaltatur cor. Superbia de supernis ad ima præcipitat, humilitas de imis ad superna eleuat. Angelus enim in cælo superbiens, ad tartara corruit,

Iob 5. *Psal. 33.* *Prou. 16.*

fuit, homo in terra se humilians, ad cælos ascendit. Tanto vero quisque debet esse humilior, quanto sublimior. Vnde scriptum

Eccli. 3. est: Quanto maior es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Hinc

Matt. 20. ipse Christus Dominus ad discipulos ait: Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sine humilitate reliquæ virtutes nequeunt prodesse. Vnde etiam beatus Gregorius ait: Qui virtutes sine humilitate congregat, est quasi, qui in ventum puluerem portat. Sicut enim puluis venti validi flatu dispergitur, sic omne bonum sine humilitate inanis gloriæ vento rapitur. Multo melius etiam est peccatorem esse humilem, quàm iustum arrogantem. Quod a Domino euidenter ostenditur, vbi publicanus, & pharisæus in exemplum adducuntur: sicut quidam sapiens ait: Melior est in malis factis humilis confessio, quàm in bonis factis superba gloriatio.

50 Tractatu de gradibus humilitatis. IDEM sic inquit. Humilitas est virtus, qua homo verissima sui agnitione sibi ipsi vilescit. Nihil aliud est superbia, quàm amor propriæ excellentiæ. Vnde & nos possumus dicere per contrarium, humilitatem, propriæ excellentiæ esse contemptum.

Infra: Narrat duodecim gradus superbiæ, primus est curiositas. Audi curiose Salomonem in Prouerbijs suis sic dicentem: Omni custodia serua cor tuum, vt omnes videlicet sensus tui vigilent ad id, vnde vita procedit, custodiendum. Vt quid a te curiose recedis, vt alios inspicias? Vt quid audes oculos leuare in cælum, qui peccasti in cælum? Terram intuere, vt cognoscas teipsum. Ipsa te repræsentabit, quia terra es, & in terram ibis. Curiositas Dinæ illam perdidit. Curiositas Euam, & nos in ingentia mala demersit. Sed & tu signaculum similitudinis in delicijs paradisi Dei positus es. Quid amplius quærere debes? Sta in te, ne cadas a te, si ambulas in magnis, & mirabilibus super te. Iam te perspicio, nescio quæ supra te curiosius alia rimantem, vt in Isaia scriptum

Prou. 4. *Isa. 14.* est: Ponam sedem meam ad Aquilonem. Ceteris astantibus cælicolis, dum tu solus sedere affectas, ciuibus scandalum, iniuriam facere regi intentas. Millia millium ministrant, & astant; solus ille sedet, qui sedet super Cherubim, vnde tu hoc curiose volens, quod illius est, in tartarum demergeris. O lucifer, qui mane oriebaris, immo non iam lucifer, sed noctifer, aut etiam mortifer, rectus cursus tuus erat ab oriente ad meridiem, & tu præpostero ordine tendis ad Aquilonem.

51 Quanto magis ad alta festinas, tanto celerius ad occasum declinas. Secundus gradus; monachus, qui sui negligens, alios curiose circumspicit, dum quosdam suspicit superiores, quosdam despicit inferiores, & in alijs quidem videt, quod inuidet, in alijs, quod irridet, fit, vt pro mobilitate oculorum leuigatus animus, nulla vtique sui cura aggrauatus, modo per superbiam ad alta se erigat, modo per inuidiam ad ima demergat. In altero nequam, in altero vanus, in vtroque superbus existit, quia & quod superari se dolet, & superare se gaudet, amor propriæ excellentiæ facit. Iste gradus leuitas dicitur. Tertius; proprium est superborum, læta semper appetere, & tristia deuitare, iuxta illud Ecclesiastes: Cor stultorum, vbi lætitia. Vnde superbus, in quo ipse videtur præcellere, curiosius notat, in quo alter præcellit, semper dissimulat, vt dum deuitat, quod triste putatur, lætitia continuetur. Quartus gradus, esurit, & sitit auditores, quibus suas iactitet vanitates, quibus omne, quod sentit, effundat, quibus qualis, & quantus sit, innotescat. Inuenta autem occasione loquendi, si de litteris sermo exoritur, vetera proferuntur & noua, volant sententiæ, verba resonant ampullosa. Ipse quærit, ipse soluit, & verbo collocutoris imperfecta præscindit. Non curat te docere, vel a te doceri ipse, quod nescit, sed vt scire sciatur, quod scit. Quod si de religione laudat ieiunia, commendat vigilias, orationes exaltat, de patientia, de humilitate, de singulis virtutibus plenissime, sed vanissime disputat, vt tu, si audieris, dicas, quod ex abundantia cordis os loquitur, & quia bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quintus gradus, singularitas est. Turpe est ei, qui se supra ceteros iactat, si non plus ceteris aliquid agat, per quod vltra ceteros appareat. Nec tamen melior esse studet, sed videri: non melius viuere, sed videre viuere gestit, quatenus dicere possit, vt in Euangelio legitur: Non sum sicut ceteri hominum. Plus sibi blanditur de vno ieiunio, quod ceteris prandentibus facit, quàm si cum ceteris septem dies ieiunauerit. Commodior sibi videtur vna oratiuncula peculiaris, quàm tota psalmodia vnius noctis. Ad omnia denique sua strenuus, ad communia piger. Sextus gradus, arrogantia, vt intimo cordis affectu omnibus se credat sanctiorem. Et quinquid de se laudatum agnouerit, non ignorantiæ, aut beneuolentiæ laudatoris, sed suis meritis arroganter ascribit. Septimus gradus, præsumptio. Qui enim alios se præcellere putat, quomodo non plus de se, quàm de alijs præsumat? Primus in conuentibus residet, in consilijs primus respondet, non vocatus accedit. Quod quid ipse non fecerit, aut ordinauerit, nec recte factum, nec ordinatum existimat. Cum ei culpa imputatur, non confitetur, quia non eam agnoscit. Sed si cum argutus fuerit, declinauerit cor in verba malitiæ, in octauum gradum, qui dicitur defensio peccatorum, noueris corruisse. Multis modis fiunt excusationes in peccatis. Aut enim dicit, qui se excusat, non feci, aut feci quidem, sed bene feci, aut si male, non multum male, aut si multum

Luc. 6. *Matt. 12.* *Luc. 18.*

tum male, non mala intentione. Nonus gradus est simulata confessio; est quippe qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo. Vultus demittitur, prosternitur corpus, aliquas sibi lachrymulas extorquent, si possunt, verba gemitibus interrumpunt. Gloriosa res humilitas, qua ipsa quoque superbia palliare se appetit, ne vilescat. Decimus gradus rebellio: ille, qui frontosus, & impudens factus est. Sciendum autem est, quod omnes gradus, quos in duodecim partitus sum, in tres colligi possunt, vt in sex superioribus contemptus fratrum, in quattuor sequentibus contemptus magistri, & in duobus, qui restant, consummetur contemptus Dei. Post decimum itaq; gradum, sequitur libertas peccandi. Impius siquidem cum venerit in profundum malorum, contemnit. Duodecimus gradus, est consuetudo peccandi, ita, vt suæ rationis, diuiniq. timoris oblitus, dicat insipiens in corde suo, non est Deus. Vnde hoc gradu Dei metus amittitur, contemptus incurritur.

Eccli. 19.

Prou. 18.

Psal. 13.

FINIS LIBRI DECIMI SEXTI.



LIBER

LIBER XVII.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES.

Tempus perdere, & emere, qui dicantur, quo bene vti grandes habet vtilitates. Cap. 1.

1 Homil. 1. in lib. 1. Iudic. to. 1. Ephes. 5.

ORIGENES expli cans locum Pauli; Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, inquit. Dies malos habemus, quando carnalia pro spiritalibus quærimus, terrena pro cælestibus, pro æternis caduca, præsentia pro futuris. Si quando ergo huiusmodi desideria videris exoriri, scito te in diebus malis, & pessimis positũ. Et ideo insiste orationibus, vt libereris a die illo, & sicut dicit Apostolus, eripiaris de præsenti sæculo nequam, & redimas tempus.

2 In lib. Moral. sentent. in regula 1. c. 10. 2.

BASILIVS ostendit, quòd confestim, vbi de hac vita migrauerimus, omnis nobis benefaciendi facultas præcisa est, quòdq. hoc ipsum, quod hic viuimus temporis, nobis pro bonitate sua Deus ad ea facienda præfiniuerit, per quæ eius gratiam ineamus. Tunc simile erit regnum cælorum decem virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obuiam sponso, & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Sed fatuæ nõ sumpserunt oleum secum, &c. Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clausa est ianua, &c. Domine domine aperi nobis. At ille respondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Item cõtendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem intrauerit paterfamilias, & clauserit ostium, & incipietis foras stare, & pulsare ostium dicentes: Domine domine aperi nobis, & respondens, dicet vobis: Nescio vos, vnde sitis. Ecce nũc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibentes nos, sicut Dei ministros. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

Matt. 25.

Luc. 13.

1. Cor. 6.

Galat. 6.

3 Hom. 50. ad Popul. Antioch. to. 5.

CHRYSOSTOMVS inquit. Nidus est præsens vita charissimi ex festucis, & luto co-

agmẽtatus: licet mihi magnas ædes ostendas, siue regias ipsas auro multo fulgentes, nihil ab hirundinum nido differre censebo. Hieme siquidem instante, omnia corruent sponte. Hiemem vero diem illum voco, non omnibus hiemem, quoniam Deus noctem simul & diem vocat. Illud quidem quantum ad peccatores, hoc autem quantum ad iustos. Itidem & ego hiemem nunc eum voco, si non in æstate bene alamur, vt volare possimus instante hieme. Non nos matres susci pient, sed esurie sinent perire, vel nido ruente perdi. Tamquam enim nidum, quinimmo & facilius quàm nidum, omnia Deus tunc destruet, delens, & transmutans omnia. Volatu vero carentes, & ipsi non valentes occurrere in aera, sed ita vulgariter nutriti, ne leues habeant pennas, statim pereunt: nos vero nõ morimur, sed continue punimur. Frequenter hæc dicimus, sed quibusdam non persuademus, vt dum tempus habent, bonum operentur. Nec mirum, nam Sedechias a Hieremia redarguebatur, & non confundebatur. Propterea prophetæ dicebant: Væ, qui dicitis, appropinquet in celeritate, vt videamus, quæ faciat Deus, & veniat voluntas sancti Israel, vt cognoscamus. Nec hoc admiremur, nec enim qui arcam fabrefieri videbant, crediderunt, sed tunc credidere demum, cum fidei lucrum erat nullum. Neque Sodomorum habitatores expectauerunt, verum & ipsi crediderunt, cum ipsis nihil profuit.

4 In c. 9. Ecclesiastes. to. 5.

HIERONYMVS exponens verba illa; Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas, inquit. Fac quodcumque nunc potes, & labora, quia cum ad infernum descenderis, locus non erit pœnitentiæ. Huic quid simile a Saluatore præcipitur: Operamini, dum dies est: venit nox, quando nemo potest operari.

Ioan. 9.

5 Lib. 3. in c. 6. epist. Pauli ad Galat. to. 8.

IDEM exponens illa verba; Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, ait. Tempus sementis, tempus est præsens, & vita, quam currimus. In hac licet nobis,

quod volumus seminare: cum ista vita transierit, operandi tempus auferetur, vnde & Saluator dicit: Operamini, dum dies est, veniet
Ioan. 9. nox, quando iam nullus poterit operari. Ortus est nobis Dei sermo, sol verus, & congre-
Psal. 103. gatæ sunt bestiæ recedentes in cubilia sua, procedamus vt homines ad opus nostrum, & vsq; ad vesperam laboremus. Breue est vitæ istius curriculum. Hoc ipsum, quod loquor, quod dicto, quod scribo, quod emendo, quod relego, de tempore meo mihi aut crescit, aut deperit. Titus filius Vespasiani, qui in vltionem Dominici sanguinis, subuersis Hierosolymis, victor Romam ingressus est, tantæ dicitur fuisse bonitatis, vt cum quadam nocte sero recordaretur in cœna, quòd nihil boni die illa fecisset, dixerit amicis, Hodie diem perdidi. Nos putamus non perire nobis horam, diem, momenta, tempus, ætates, cum otiosum verbum loqui-
Matt. 12. mur, pro quo reddituri sumus rationem in die iudicij? Quod si hoc ille sine lege, sine Euangelio, sine Saluatoris, & Apostolorum doctrina naturaliter & dixit, & fecit: quid nos oportet facere, in quorum condemnationem habet & Iuno Vniuiras, & Vesta virgines, & alia idola continentes?

6 IDEM explicans illa verba; Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt, inquit.
Lib. 3. in c. 5. epist. Pauli ad Ephes. Qui sapiens est, & idcirco caute ambulat, redimit tempus. Tempus autem redimit, quia dies mali sunt. Quando in bono opere tempus consummimus, emimus illud, & proprium facimus, quod malitia hominum venditum fuerat. Nemo autem de diuitijs, & sollicitudinibus, quas Euangelium spinas nuncupat, cogitans, potest sibi tempus redimere. Redimentes autem tempus, quod in diebus malis est, quodammodo immutamus illud, & dies malos in bonos vertimus, & facimus illos non præsentis sæculi, sed futuri. Potest & aliter locus iste edisseri. O vos Ephesij, quibus de somno sæculi vestri exurgentibus, Sol iustitiæ ortus est Christus, caute ambulate, & prudenter, & abiecta insipientia, tenete sapientiam, per quam positis non cum varietate temporum commutari, sed diuersitatem temporum vobis vnum tempus efficere. Non in morem stulti instantibus persecutionibus, vt luna mutemini, sed quod semel cœpistis firma mente teneatis, & quod nunc estis, omni tempore seruate. Ioseph, quia in carcere, & in
4 imperio, seruus, & liber, vnus semper fuit, tempus sibi redemit, & malos dies vertit in bonos.

7 AVGVSTINVS exponens illa verba
Lib. 17. de ciuit. Dei c. 4. to. 5. Hieremiæ 9. Non glorietur prudens in prudentia sua, & non glorietur potens in potentia sua, & non glorietur diues in diuitijs suis; sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire, & nosse me, & facere iudicium, & iustitiam in medio terræ, ait. Facere iudicium, & iustitiam ex Deo est. Sed quid est in medio terræ? Neque enim non debent facere iudicium, & iustitiam, qui habitant in extremis terræ, quis hoc dixerit? Cur ergo additum est in medio terræ? Quod si non adderetur, & tantummodo diceret facere iudicium, & iustitiam, magis hoc præceptum ad vtrosque homines pertineret, & mediterraneos, & maritimos. Sed ne quisquam putaret post finem vitæ, quæ in hoc agitur corpore, superesse tempus iudicium, iustitiamq. faciendi, quam, cum esset in carne, non fecit, & sic diuinum euadi posse iudicium; in medio terræ mihi videtur dictum, cum quisque viuit in corpore. In hac quippe vita suam terram quisque circumfert, quam moriente homine recipit terra communis, resurgenti vtique reddituta. Proinde in medio terræ, id est, cum anima nostra isto terreno clauditur corpore, faciendum est iudicium, & iustitia, quod nobis prosit in posterum, quando recipiet vnusquisque propria corporis, provt gessit, siue bonum, siue malum. Corpus quippe ibi dixit Apostolus per tempus, quo vixit in
2. Cor. 5. corpore. Isto modo congruenter intelligi potest, quod in psalmo legitur: Deus autem rex
Psal. 73. noster ante sæcula operatus est salutem in medio terræ, vt Dominus accipiatur Iesus, qui est ante sæcula, operatus est salutem nostram in medio terræ, hoc est, cum terreno habitaret in corpore.

8 GREGORIVS explicans verba illa; Fi-
Lib. 5. in c. 13. 1. lib. reg. c. 3. to. 1 lius vnius anni erat Saul, cum regnare cœpisset: duobus autem annis regnauit super Israel, dicit. De rege, qui prius bonus, postea malus fuit, dicitur: quia vnius anni fuit, cum cœpit regnare, & duobus annis regnauit. Licet enim multis annis regnauerit, illis solis regnare dicitur, in quibus innocens, & humilis fuisse perhibetur. Nam postea superbus, & inobediens audiuit: Quia proiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus, ne sis rex. Se quidem a regno proiectum cognouit, & tamen proiectum regnare non timuit. Quanta postea fortiter egit? Sed ecce omnia illa tempora ad regnum Dei deputata non sunt. Illo ergo solum tempore nos vixisse gaudeamus, quo innocenter, & humiliter viximus. Nam illa tempora, quæ in sæculi vanitate, & fluxa carnis vita consumpsimus, quasi perdita, minimè memorantur.

9 BERNARDVS inquit. Cogita de
Lib. qui dicitur formula honestæ vitæ. tempore, quòd perdis, quòd illi, qui in inferno sunt, darent totum mundum, si haberent, pro eo omni die, cum vadis iacere, examina diligenter quid cogitasti, & quid dixisti in die, & quomodo vtile tempus, & spatium, quod datum est ad acquirendum vitam æternam, dispensasti. Et si bene transiuisti, lauda Deum, si male, vel negligenter, luge, & sequenti die non differas confiteri.

Testimonia patienter ferenda, sicut & tentationes, ipsis tamen nos ingerere non debemus. Cap. II.

1 ORIGENES inquit. Quis
Homil. 9. in c. 16. Num. to. 1. sciret bonam esse lucem, nisi noctis tenebras sentiremus? Quis dulcedinem nosceret mellis, nisi gustu amaritudinis accepisset? ipsum denique diabolu, & obluctantes aduersum nos contrarias potestates si auferas, virtutes animi sine obluctante non poterunt enitescere. Sic & fidelium gloria non poterit resplendere, nisi eam infidelium reprobatio, & pœna commendet.

2 IDEM mansiones populi peregrinan-
Hom. 27. in c. 33. Num. tis in deserto narrans, dicit, quod transierunt per medium maris rubri, & applicuerunt ad
Heb. 12. amaritudines. Audiens amaritudines, non paueſcas, neque terrearis. Omnis enim disciplina in præsenti, ait Paulus, non videtur esse gaudij, sed mœroris, postea vero fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ. Non est possibile peruenire ad terram promissionis, nisi per amaritudines transeamus. Sicut enim medici amaritudines quasdam medicamentis inserunt, salutis prospectu, & sanitatis languentium, ita & salutis prospectu medicus animarum nostrarum, amaritudines nos vitæ huius noluit pati in diuersis tentationibus, sciens quia finis huius amaritudinis animæ nostræ dulcedinem adquirat. Profecti sunt de amaritudine, & venerunt in Helim, vbi sunt duodecim fontes, & septuaginta duæ palmæ. Vides post amaritudines, post asperitates tentationum, quàm te amœna suscipiunt loca? Non venisses ad palmas, nisi tentationum amaritudines pertulisses. Nec venisses ad dulcedinem fontium, nisi prius, quæ tristia fuerant, & aspera, superasses. Non quod iam finis itineris sit in
3 ijs, & perfectio cunctorum, sed dispensator animarum Deus in ipso itinere interserit laboribus etiam quædam refrigeria, quibus refota anima, & reparata promptior redeat ad reliquos labores. Infra: Venit populus
Psal. 70. Isa. 2. in Lebna, quod interpretatur dealbatio. In quo illam intellige dealbationem, de qua dicit propheta Dauid: Lauabis me, & super niuem dealbabor. Et iterum Isaias: Si fuerint peccata vestra, sicut coccinum, vt niuem dealbabo. Post hæc mansio fit in Ressa, quod apud nos dici potest, laudabilis tentatio. Quid est hoc, quod quamuis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Vnde apparet, quia velut custodia quædam, & munimen, ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro, si sale non aspergatur, quamuis sit magna, & præcipua, corrumpitur; ita & anima nisi tentationibus assiduis quodammodo saliatur, continuo resoluitur, ac relaxatur. Vnde constat propter hoc dictum esse: quod omne sacrificium sale salietur. Inde denique est, quod Paulus Apostolus dicebat: Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ, qui me colaphizet, &c. Nam virtus in infirmitate perficitur. Infra: Post venitur in Galgat, quod interpretatur tentamentum, siue constipatio. Fortitudo quædam (vt video) & munimen est animæ tentamentum. Ita enim virtutibus admiscetur, vt videatur absque ijs virtus nec decora esse, nec plena: & ideo proficientibus ad virtutem, & variæ, & frequentes mansiones in tentationibus fiunt. Quas cum transieris, applicabis in Tabatha. Tabatha interpretatur bona. Ad bona ergo non nisi post tentamenta venitur. Post hæc applicatur ad Pharancades, quod est fructificatio sancta. Vides inde quo venitur, quia tentationum sulcos fructificatio sancta subsequitur. Iterum venitur Sin. Iterum tentatio est Sin. Diximus enim quia nec aliter expedit iter istud incedere. Sicut verbi gratia, si quis aurifex vas necessarium facere volens, frequẽter illud igni admoueat, frequenter malleis subdat, vt & purgatius fiat, & ad illã speciem, quam prospicit artifex, atque ad illam pulchritudinem deducatur.

4 BASILIVS sic habet; Duplex est ten-
Homilia 6. inter varias huius tomi to. 1. tationum genus. Nam vel corda hominum tamquam aurum in fornace, per patientiam afflictis rebus, aduersisq. probantur, quæ ipsorum coarguant, ac declarent probitatem: aut certe ipsa vitæ prosperitas sæpenumero multis tentationis, & experimenti loco est. Aeque enim durum videtur, in rerum difficultate minime deijci, & infractum seruare animum, ac in felicitate non extolli ad irrogandam contumeliam. Et quidem prioris exemplum magnus Iob, inuictus athleta præ se tulit, qui omnem diaboli violentiam veluti torrentis impetum inconcusso corde, firmoque proposito cum excepisset, tanto maior tentationibus apparuit, quanto duriora illi, vixq. eluctabilia ab hoste visa sunt obiecta illi certamina. Earum vero tentationum exempla, quæ ex lætiore rerum successu contingunt, cum alia multa sunt, tum etiam diuitis illius, qui opes
Lucæ 12. quidẽ ingentes habuit, in ijsq. maxime spem collocauerat, qui abundantia diuitiarum tentatus, damnatus est.

5 CHRYSOSTOMVS explicans verba
Hom. 9. imperfecti in Matt. to. 2. illa; Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, dicit. Multi quidem homines propter causam Dei fiunt nobis inimici, sed non aperte nos persequuntur, forsitan quia nec possunt, tamen circumeuntes omnia blasphemant nos, & dicunt de nobis, quæ sunt probrosa. Sed sicut verum est, quoniam, qui calicem aquæ nobis porrexerit, merces eius non perit; sic qui vel vnus leuissimi verbi nobis iniuriam fecerit, anima nostra vacua non erit a mercede. Vt ergo blasphematus sit beatus, duo hæc conuenire

debent: vt mendaciter blasphemetur, & propter Deum, ita vt testimonium mendax contra te proferatur. Quia si quod dictum est de te malum, verum est, non es beatus, quia verum dictum est de te, & illa blasphemia pertinet tibi, non ad mercedem iustitiæ, sed ad vindictam peccati. Gaudete, & exultate. Quare? Quia merces vestra multa est in cælo. Ponderate confusionem terrenam cum gloria cælesti, & videte, si non multo leuius est, quod patimini super terram, quàm quod expectatis in cælo. Sed forte dicis: quis potest blasphematus mendaciter, non dicam gaudere, sed nec magnanimiter ferre? Qui enim concupiscit, quæ in cælo sunt, opprobria non timet in terris, nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet Deus de ipso. Qui enim lætatur de laude hominum, & quantum lætatur, tantum contristatur; ille de vituperatione hominum contristatur, & tantum contristatur, quantum lætatur. Qui autem de laude hominum non extollitur, nec de vituperatione humiliatur. Vnusquisque vbi gloriam quærit, illic timet confusionem. Qui gloriam quærit in terris, confusionem timet in terris: qui autem tantummodo quærit gloriam apud Deum, ille non timet confusionẽ, nisi tantummodo Dei. Si miles periculum belli sustinet, dum spetat victoriæ prædam, quanto vos opprobria mundi non debetis timere, qui regni cælestis præmium expectatis?

6 Homil. 9. in 2. epistolam Pauli ad Timoth. to. 4.

IDEM dicit. Forti, ac robusto animo opus est, & nihil graue nobis, durumq; videbitur: sicut e contra, si ille infirmus sit, nihil erit, quod non grauissimum videatur. Ex nostro itaque proposito, & voluntate, & tolerabilia, & intolerabilia videntur. Hanc itaque muniamus, & cuncta feremus constanter, ac fortiter. Nam & arbor, cum in altum radices miserit, ne vehemens quidem illa procella agitare poterit, si vero superficie tenus, neque ad profunda descenderit: paruus licet venti flatus irruat, eam a radicibus euulserit: & in nobis, si affixerimus diuino timore carnes nostras, nihil mouere nos poterit, si autem verbo tantum diuinæ religionis sacramenta percepimus, exigua impulsio totum perimit, ac perdit.

7 Epist. 3. Ciriaco episc. exuli Ioannes exul. to. 1.

IDEM sic habet. Quid est, quod mæres, & luges? An quod periculosa tempestas, & luctuosum naufragium Ecclesiam inuaserunt? Hoc & ego scio, nec est, qui contradicat: ne mæsto, & pusillo animo sis. Etenim ego cum a ciuitate fugarer, dicebam intra meipsum, si quidem vult regina me exulem, agat in exilium: Domini est terra, & plenitudo eius. *Psal. 13.* Et si vult secare, secet: idem passus est & Isaias, subscribar illi: si vult in pelagus me mittere, Ionæ recordabor: si vult in caminum inijcere, idem passi sunt tres illi pueri: si me feris vult obijcere, obijciat, Danielis in lacum leonum obiecti recordabor: si me lapidare vult, lapidet me, Stephanum habeo primum martyrem socium: Si & caput tollere vult, tollat, habeo socium Ioannem Baptistã: *Matt. 14.* si & substantiam auferre, auferat, nudus exi- *Iob 1.* ui de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Me admonet Apostolus, hominis perso- *Act. 10.* nam Deus non accipit. Et si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Multa qui- *Gal. 1.* dem aduersum me confixerunt testimonia, quòd ad communionem non ieiunos receperim. Et si quidem hoc feci, expungatur nomen meum de numero Episcoporum, & non scribatur in libro Orthodoxæ fidei. Quoniam ecce si tale quid admisi, abijciat me etiã Christus de regno suo. Dicunt, quod cum muliere dormiuerim, exuite me, & inuenietis membrorum meorum mortificationem. Sed hæc omnia per inuidiam excogitarunt. Iam multum contristaris frater Cyriace, quod illi nos in exilium abegerunt, ipsi autem in concione fidenter ambulant, & loquuntur, multitudineq. satellitum stipantur. Verum hoc loco mente versa diuitem, & Lazarum. Vter illorum hoc sæculo afflictus? Vter fructum accepit? Quid nocuit illi inopia? Nõne quasi athleta & victor in sinus Abrahæ abductus? Quid profuit huic opulentia, & quod in purpura, & bysso vitam egit? Vbi satellites? Vbi equi aureis frenis? Vbi parasiti, & regia mensa? Nõ- 8 ne, vt latro vinctus in sepulchrum abductus *Luc. 16.* est, nudam animam exportans, & clamans voce magna: Pater Abraham mitte Lazarum, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Est & hæc dispensatio Domini, vt quando impios punit, & iustos remunerat, mutuum se videant, & agnoscant. Etenim nũc martyres suos quique tyrannos agnoscent, & tyranni suos, quos afflixerunt, martyres. Sa- *Sap. 5.* pientis sunt verba hæc, qui dicit: Tunc stabunt iusti in magna constantia, aduersus eos, qui se angustiauerunt. Ita & Deus Adamum punire volens, fecit eum e regione paradisi terram operari, vt locum illum desiderabilem quotidie videns, maiorem in anima dolorem haberet. Videbimus alibi eos, qui in exilium nos miserunt, sicut Lazarus diuitem, & martyres tyrannos. Ne igitur animo conficiaris, sed esto memor prophetæ Isaiæ dicentis: Subsannationem hominum ne timueritis, *Isa. 51.* & ab improbitate eorum ne vincamini. Nam sicut lana a tinea deuorabuntur, & sicut vestes veterascent. Cogita autem & Dominum *Matt. 2.* quomodo statim a cunabulis persecutionem tulerit, & in terram barbaram fuerit missus. Qui terram continet, factus est nobis figura, ne deficeremus in tentationibus. Recordare passionum Saluatoris, & iniuriarum, quas tulit pro nobis. Alij eum Samaritanum vocabant, alij dæmoniacum, & voracem, & pseudoprophetam, dicebant enim: Ecce ho- *Matt. 11.* mo vorax, & potator vini, & in principe dæmoniorum dæmonia eijcit. Quid quod in fa- *Matt. 12.* ciem eius conspuerunt, flagellauerunt, occiderunt? Cogita etiam Apostolos, quod vbique persecutionem ferebant, & occultabantur in

tur in ciuitatibus, non valentes in aperto ambulare, & quomodo Petrus apud Simonem coriarium, & Paulus apud mulierem purpurariam latuerint; sed post hæc facta sunt omnia prospera, ita & nunc. Igitur ne sis tristi animo. In Cilicia me exulem regina manere iussit. Porro in itinere multa aduersa mihi acciderunt, quæ non curauimus. Vbi autem in Cappadociæ prouinciam venimus, multi sanctorum patrum chori nobis occurrerunt, in primis examina monachorum & virginum, iuges lachrymarũ fontes effundentium, eo quòd in exiliũ nos proficisci videbant, dicebantque: Tolerabilius fuisse, si sol radios suos retraxisset obscuratus, quàm quòd os Ioãnis tacuisset. Turbauerunt, & afflixerunt me hæc non parum, eo quod omnes propter me flentes videbam, alia enim omnia non admodum curabam. *Act. 9. & 16.*

9 Epist. 4. ad Episcopos, & presb. ob pietatem in carcere inclusos.

IDEM dicit: Beati vos ob carcerem, ob catenas, ob iniecta vincula: beati, inquam, & ter beati, immo sæpius. Totum orbem vobis conciliastis: etiam longe absentes, amicos vobis fecistis. Nihil quod alijs videtur graue, vos deterruit, non tribunal, non carnifex, non tormentorum coaceruationes, non minæ, quæ innumeras mortes nunciabant, non iudex, qui ignem ab ore flabat, non aduersarij, qui frendebant dentibus, & innumeris alijs insultandi modis gestiebant, non tantæ calumniæ, non impudentissimæ accusationes; sed hæc omnia vobis vberem potius ac sufficientem consolationis materiam præstitere. Inscripta sunt nomina vestra in libro vitæ, cũ sanctis martyribus connumerati estis. Epistola prima Chrysostomi est ad Innocentium primum, in qua conqueritur, quod sine culpa ob testimonia falsa in exilium sit missus, a quo postulat, vt his malis prouideat. Et in epistola secunda, cum iam tertium annum ageret in exilio, scribit, gratias agens, quod maxima cura libertatem ipsius curauerit, a qua supplicat, vt non cesset.

10 Epist. 49. ad Innocentiũ de muliere septies icta. to. 1.

HIERONYMVS miraculum refert, quòd maritus quidam vxorem innoxiam detulerat adulterij, quæ conijcitur in carcerem, admonentur tormenta. Mulier constanter negauit. Damnata ducitur ad supplicium, & hæc sæpius icta vixit: demum admoto iugulo mucrone, visa est mori. Sublatum cadauer reuixit, & ait. Infelicissimus iuuenis, qui vna cum femina accusabatur, volens compendio mortis longos cruciatus vitare, dum in suum mentitur sanguinem, accusauit alienum, soluſq. omnium miser, merito iussus est percuti. At vero mulier sexu fortior suo suspexit ad cælum, & volutis per ora lachrymis, Tu, inquit, testis es Domine Iesu, cui occultum nihil est, non ideo me negare velle, ne peream, sed ideo mentiri nolle, ne peccem. At tu miser homo, si interire festinas cur duos interimis innocentes? Equidem & ipsa cupio mori, cupio inuisum hoc corpus exuere, sed non quasi adultera, micantem intrepida excipio mucronem, innocentiam tamen mecum feram. Non moritur quisquis victurus occiditur. Vna interim, cum vreretur ad stipitem ligatis crinibus, vox est, cæde, vre, lacera, non feci. Si dictis tollitur fides, veniet dies, quæ hoc crimen diligenter disutiat: habeo iudicem meum. Iam lassus tortor suspirabat, ingemit, nec erat nouo vulneri locus. Pari pro- 11 lata in vtrumque sententia, damnatos carnifex trahit, totus ad spectaculum populus effunditur, vt prorsus quasi migrare ciuitas putaretur. Et quidem miserrimi iuuenis ad primum statim ictum amputatur gladio caput, truncumque in suo sanguine volutatur cadauer. Postquam vero ad feminam ventum est, & flexis in terram poplitibus, super tremẽtem ceruicem micans eleuatus est gladius, & exertam carnifex dexteram totis viribus concitauit: ad primum corporis tactum stetit mucro letalis, & leuiter perstringens cutem, rasuræ modicæ sanguinem asperſit: imbecilem manum percussor expauit, in secundos impetus torquet. Languidus rursus in feminam mucro delabitur, & quasi ferrum eam timeret attingere, circa ceruicem torpet innoxiam. Iam tertius ictus iam fruſtratus est. Nouus ensis, nouus percussor apponitur. Stat victima, Christo fauente munita. Quæ prius fuerat quarto percussa, nec læsa, ideo post paululũ visa est mori. Clerici, quibus id officij erat, cruẽtum linteo cadauer obuoluunt, & fossam humum lapidibus construentes, ex more tumulum parant. Subito feminæ palpitat pectus, & oculis quærentibus lumen, corpus animatur ad vitam. Iam spirat, iam videt, iam in illam potest vocem erumpere, Dominus auxiliator meus, non timebo quid faciat mihi homo: & sic libertate donata est.

12 Ep. 2. ad Damasum Papam. to. 3. *Cant. 2.*

IDEM explicans verba illa Canticorum: Surge, propera amica mea, iam enim hiems transijt, pluuia abijt sibi, inquit. Quando anima in cogitatione tranquillitatem sentit, quãdo supra petram fundata est, & fides eius alta radice fixa est, vniuersi tentationum fluctus sibi pertranseunt: & ei non pertranseunt, qui tentatur, quia tentationum merita semper ei manent.

13 In c. 2. Abacuc. lib. 1. to mo 6. *3. Reg. 17. Psal. 109.*

IDEM exponens verba illa; Væ, qui potum dat amico suo, mittens fel suum, & inebrians, inquit. Torrens Corath, de quo bibit Elias, & torrens alius, de quo Dominus bibit in via, hoc significant, quod quicumq; in Ægypto fuerit, & in via huius sæculi, quãuis Moyses, & Aaron, quamuis Hieremias sit, & Elias, tamen necesse est eum de tentationibus Ægypti, & solitudinis bibere. Vnde & Dominus, qui ob hoc carnem assumpserat, vt biberet de torrente, considerans maiestatem suam, dixit: Pater si possibile est, transeat a me calix iste. *Matt. 27.* Rursum videns se esse in Ægypto, & aquas nõ posse mundari, nisi ipse potasset, ait. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis.

14 In c. 42. Iob to. 7.

IDEM explicans illa verba; Auditu auris audiui te, nũc autem oculus meus videt te, in-

quit. Post tentationis probationē, proximior factus diuinæ cognitioni, dicit se iam Deum videre, quem ante, dum examinaretur, audisse dicit. Vbi post tentationem illam per centum quadraginta annos vitæ suæ benedicente Domino, cumulatas in duplum diuitias possideret, filiorum vero eius duplicatum numerū non legimus. Vnde arbitror, quod cum ea, quæ omnino perierant, illa ei in duplum fuerint restituta, etiam filij eius viginti pro decem redditi sint. Hi enim ipsi decem primi, quos ruina domus labentis oppresserat, apud Deum non putantur extincti. Propter ædificationem itaque fidei nostræ, tantos ei filios a Deo redditos, quantos amiserat, sentiēdum est, vt omni bonorum suorum substantia in duplum sibi a Domino reddita, etiam filios in duplum habere se crederet, qui vtpote fidelissimus Dei seruus, minime dubitare deberet eos, quos ad Deum præmiserat, non periisse.

15 IDEM explicans illa verba; Adiutor in
In Psalm. 9. to. 8. opportunitatibus, in tribulatione, dicit. Vocatur Deus adiutor in opportunitatibus, quādo
1. Cor. 10. opportunū est, vt ait Apostolus: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam prouentum, vt possitis sustinere; ne cum peccatoribus in supplicio damneris æterno.

16 IDEM exponit verba illa; Tu dominaris
In Psal. 88. potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas, & inquit. Tu dominaris huius sæculi potestatibus, mitigans tentationes, quas commouent seruis tuis.

17 AVGVSTINVS explicans illa verba;
In Psal. 45. to. 8. Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, dicit. Sunt quædam refugia, vbi non est virtus, quo quisque cum fugerit, magis infirmatur, quàm confirmetur. Non est refugium nostrum tale, sed refugium nostrū virtus est. cum illuc confugerimus, securi erimus. Adiutor in tribulationibus, quæ inuenerūt nos nimis. Multæ sunt tribulationes, & in omni tribulatione ad Deū confugiendum est, siue sit tribulatio in re familiari, siue in salute, siue in filijs: omnino aliud refugium non debet esse homini Christiano, quàm Saluator eius, quàm Deus eius, quo cum confugerit, fortis fit. Infra: Quando sine alicuius admonitione ipse homo considerat peccatum suum, & rogat Deum, dicit tribulationem & dolorem inueni. Alia est ergo tribulatio, quam tu inuenis; alia, quæ te inuenit. In vtraq; tamen siue quæ te inuenit, siue quam tu inuenis, vt vtramque depellat, ille rogādus est, qui est adiutor in tribulationibus. Nam & ille, cum inuenit hoc, dicit: Et nomen Domini inuocaui. Et hi in tribulationibus, a quibus se inuentos esse dixerunt, hoc dixerūt: Deus noster refugium & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Et ideo non timebimus dū turbabitur terra, quia Deus facit vt sit in mari tranquillitas magna, & transferentur montes in cor maris.

18 IDEM explicans verba illa; Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & glorificabis me; In Psal. 49. ait. Ad hoc permisi diē tribulationis tibi fieri, quia forte si non tribulareris, non inuocares me. Cum tribularis autem inuocas me, cum inuocas me, eximam te, cum eximam te, glorificabis me, vt iam non discedas a me. Obtorpuerat quidem, & friguerat a feruore orationis, & dixit: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Inuenit tribulationem tamquam aliquid vtile, putruerat tabe peccatorum suorum, iam fine sensu remanserat, inuenit tribulationem tamquam vstionem, & sectionem. Inueni, inquit, tribulationem, & dolorem, & nomen Domini inuocaui. Et quædam fratres sunt tribulationes omnibus notæ. Alius damno affectus plangit, alius orbitate percussus luget, alius patria exulatus mæret, intolerabilem peregrinationem deputans, alteri vinea grandinata est. Plangunt hæc omnes & dolēt, & tribulationes sunt istæ, & in his inuocant Dominum, & recte faciunt. Inuocent Deum, potens est vel docere tolerandum, vel sanare toleratum. Nouit ille non finere tentari nos supra quam possumus 1. Cor. 10. ferre. Istæ tribulationes inueniunt nos, sicut in alio psalmo scriptum est: Adiutor in tribu- Psal. 35. lationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Est quædam, quā nos debemus inuenire. Quæ est ista? Ea ipsa in hoc mundo felicitas, affluentia rerū temporalium, non quidem ipsa tribulatio est, solatia sunt nostræ tribulationis. Cuius tribulationis? Nostræ peregrinationis. Hoc enim ipsum, quod cum Deo nondum sumus, hoc ipsum quo inter tentationes, molestiasq. versamur, quod sine timore esse non possumus, tribulatio est, non enim est illa securitas, quæ nobis promissa est. Hanc tribulationem peregrinationis suæ, qui non inuenerit, ad patriam redire non cogitat.

19 IDEM exponens illa verba; Tribulatio-
In Psal. 114 nem & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui, inquit. Latebat me tribulatio, & dolor vtilis: tribulatio, de qua dat auxilium, cui dictum est: Da nobis auxilium de tribulatione, Psal. 59. quia vana salus hominis. Tribulationem & dolorem inueni. Non hoc eis dicitur, vt quærant miseriam, quam non tenent: sed vt inueniant eam, quam nescientes habent. Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Primum misericors, quia inclinauit aurē suam mihi: iustus autem, quia flagellat: & iterum miseretur, quia recipit. Flagellat autem omnem filium, quem recipit. Nec tam mihi amarum debet esse quod flagellat, quam dulce quod recipit.

20 IDEM sic habet. Si numquam tentaris,
In Psal. 144 numquam probaris. Nonne melius est tentari, & probari, quàm non tentatum reprobari? Ne accidat aliquid quod ferre non possitis, ipse facit.

21 IDEM inquit. Apostolo Paulo nō deerat
Serm. 3. de verbis Apostoli Pauli. to. 10. tentatio, qui dicebat; Ne magnitudo reuelationū extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ, qui me colaphizet.

Ne

Ne extollar, inquit, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus sathanæ. O venenū, quod non curatur nisi veneno. Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ, qui me colaphizet. Caput cædebatur, ne caput extolleretur. O antidotum quasi quod de serpente conficitur, & propterea theriacū nuncupatur. Quod ait Apostolus, propter hoc ter Dominum rogaui, vt auferret eum a me, vbi est, adhuc te loquente dicam, ecce adsum? Nonne cum ter
Psal. 6. Dominum rogauit, & ipse dicebat: Sed tu Domine vsquequo? Sed numquid quia differebat, inde non aderat, & falsum erat; Adhuc
Isa. 58. te loquente dicam, ecce adsum? Quid enim? medicus, quādo dat quod desideras, adest, quādo secat, non adest? Nonne sub medici ferramēto clamas, vt parcat? Et quia magis adest, magis secat.

22 GREGORIVS explicans illa verba
Lib. 11. Moral. cap. 25. to. 2. Iob cap. 14. Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur a tinea, dicit. Quia immunda tentatio non aliunde, sed ab ipso homine nascitur, more tineæ carnem tentatio, quasi vestem, de qua exijt, consumit. In semetipso quippe habet homo vnde tentetur: quasi ergo tinea vestem consumit, quæ ex veste eadem processit. Sciendum quoque quod tinea sine sonitu perforat vestimentum, & plerumq; cogitatio ita transfigit mentem, vt mens ipsa non sentiat, nisi postquam fuerit eius aculeo transfixa. Bene ergo dicitur, quod homo tamquam vestimētum a tinea consumitur, quia nonnumquam tentationum nostrarum vulnera non agnoscimus, nisi postquam ab eis confossi in mente fuerimus.

23 IDEM exponens verba illa Iob cap. 14.
Lib. 12. Moral. cap. 13. Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur: & homines ergo similiter perdes, inquit. Quid est hoc, quod cadenti monti, & saxo translato, quod excauato lapidi, & per alluuionem terræ consumptæ perditio humana comparatur, nisi hoc quod patenter datur intelligi, quia duo sunt genera tentationum? Vnum, quod in mente etiam iusti hominis per repentinum euentum agitur, quatenus sic subito tentetur, vt hunc inopinato prouentu concutiat, & prosternat, casumque suum, nonnisi postquam ceciderit videat. Aliud vero, quod paulatim venit in mentem, & resistentem animum lenibus suggestionibus inficit, & omnes in eo vires iustitiæ non nimietate sua, sed assiduitate consumit. Quia ergo alia est tentatio, quæ iustos plerumque subita inuasione prosternit, dicatur; Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo, id est mens sancta, cuius locus iustitia fuerat, impulsu subito transfertur ad culpam. Rursus, quia alia est tentatio, quæ se cordi hominis leniter infundatur, omnemq. duritiam fortitudinis consumit, dicatur; Lapides excauant aquæ, quia videlicet duritiam mentis absorbent assidua & mollia blandimēta libidinis, & lentum, atque subtile vitium corrumpit durum, & forte propositum mentis. Bene ergo dicitur, & homines ergo similiter perdes: id est, quia cum tentationem iusto iudicio eius menti, quæ stare in alto cernitur, repentine dominari permittis, cadere ac defluere montes facis, & cum voluntas ad vitium commutatur, quasi ad locum alium transfertur saxum. Cum vero tentationem lentam, atque subtilem, sed tamen assiduam, eorum, qui fortes esse creduntur, prævalere mentibus finis, quasi lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur, quia nimirum suggestione leni subiecta mentis duritia mollitur. Videamus Dauid ille quan- 1. Reg. 11. tum mons altus fuerit, qui tanta Dei mysteria prophetico spiritu valuit contemplari. Sed aspiciamus quàm subito casu defluxit, qui dum in solario deambulans, alienam coniugem concupiuit, & abstulit, eiusque virum cum damno sui exercitus interemit, repentino casu mons cecidit, cum mens illa mysterijs cælestibus assueta, inopinata tentatione deuicta est. Saxum itaque de loco translatum est, cum Prophetæ animus a tanta virtute exclusus, ad cogitandas turpitudines venit. Videamus etiam qualiter lapides excauēt aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur. Salomon quippe immoderato vsu, atque assi- 3. Reg. 11 duitate mulierum ad hoc perductus est, vt templum idolis fabricaret, & qui prius Deo templum construxerat, assiduitate libidinis etiam perfidiæ substratus, idolis construere templa non timuit. Sicque factum est, vt ab assidua carnis petulantia, vsque ad mentis perfidiam perueniret. Consideret ergo beatus Iob vtrasque tentationes, vel subitam, & immensam, vel lentam, atq; longiorem. Consideret casus hominum, & ex his, quæ exterius accidunt, rapiat interius contemplationem, dicens: Mons cadens defluit, & saxum transfertur de loco suo. Lapides excauant aquæ: & homines ergo similiter perdes.

25 IDEM explicans illa verba Iob cap. 33.
Lib. 23. Moral. cap. 18. Tabescet caro illius, & ossa, quæ tecta fuerant, nudabuntur, ait. Nemo quippe vires suas in pace cognoscit. Si enim bella desunt, virtutum experimenta non prodeunt. Improuidus miles est, qui fortem se in pace gloriatur. Cum ergo flagellis prementibus omnis exterior voluptas atteritur, internæ fortitudinis ossa nudantur. Quid autem hoc loco carnis nomine, nisi ipsa delectatio carnalis accipitur? Quid per ossa, nisi virtutes animæ designantur? Tabescit ergo caro, & ossa nudantur, quia dum flagellis arguentibus carnalis delectatio extenuatur, ea, quæ dudum quasi sub carne latuerant, virtutum fortia patefiunt. Nemo quippe quantum profecerit, nisi inter aduersa cognoscit. Vnde alias scriptum est: In die mandauit Dominus miseri- Psal. 41. cordiam suam, & nocte declarauit: quia videlicet vnusquisque superni doni gratiam in tranquillitate quietis percipit, sed quantum perceperit in aduersitate perturbationis ostē-

dit.

dit. Tabescat ergo caro, vt nudentur ossa. Flagellis enim Domini, pinguedo carnalis delectationis atteritur; sed virtutum nostrarum
26 ossa patefiunt. Decus nostrum exterius, ipsa huius mundi aduersitate fœdatur; sed quid intrinsecus in nobis latebat, ostenditur. Cæsis namque Apostolis denunciatum est, ne loquerentur vltra in nomine Iesu, suisque aduersa-
Act. 5. rijs cum fiducia responderunt: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. Ecce inter aduersa validius fidei robur emicuit: ecce concisa est integritas carnium, sed patefacta sunt ossa virtutum. Hinc scriptum est de eis: Quo-
Sap. 3. niam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. Tentati sunt quippe aduersitate plagarum, sed digni inuenti sunt nudatione ossium. Tamquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos. Sed quia non solum detegitur robur fortitudinis, sed etiam cognoscitur infirmitas humanitatis, tentatus ostendit quantum de Deo, profecerit, & quantum de semetipso infirmus sit: ideo subditur: Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis.
Cap. 33. Quia per tentationem compellitur, qualis sit ex propria infirmitate cognoscere. Corruptioni appropinquat, quia ex suis se viribus perditioni proximũ non ignorat, vt hoc, quod a perditione longe est, non sibi, sed Domino tribuat. Appropinquat vero mortiferis, quia ex infirmitate carnis proximum se peccatis mortem ferentibus respicit, a quibus diuino munere tanto magis longe fit, quanto se eis proximum ex suis meritis deprehendit.

27 IDEM exponens verba illa Iob cap. 35.
Lib. 26. Mo ral. cap. 10. Propter multitudinem calumniatorum clamabunt, & eiulabunt propter vim brachij tyrannorum, dicit. Quisquis male viuere suo nos exemplo compellit, adhuc in nobis voce calumniatoris vtitur. Quisquis vero peccatum suadens etiam terrere nos appetit, iam contra nos brachio tyrannidis sæuit. Aliud enim est vitia suadere viuendo, aliud iubere terrendo. Dum ergo exempla malæ actionis aspicimus, quasi adhuc strepitum calumniatoris audimus. Dum vero vi peccare cogimur, iam tyrannum in corde sustinemus. Sed robustorum mentes in Deo immobiliter fixæ, tanto ista despiciunt, quanto cernunt, quod contra præcepta Conditoris excrescunt. Æternitatis quippe præmia præstolantes, vires ex aduersitatibus sumunt, quia crescente pugna glorioſiorem sibi non ambigunt manere victoriam. Sic itaq; electorum desideria dum premuntur, aduersitate proficiunt: sicut ignis flatu premitur, vt crescat, & vnde quasi extingui cernitur, inde roboratur. In eo namque ostendimus quanta ad Dominum cupiditate flagramus, si non solum ad eum per tranquilla & mollia, sed etiam per aspera, & dura transimus. Hinc namque Propheta in psal-
Psal. 17. mis dicit: Qui perfecit pedes meos tamquam ceruorum. Ceruus enim, cum montium iuga conscendit, quæque aspicit aspera, quæque se obijciunt sentibus illigata, dato saltu transgreditur, & absque vllo cursus sui obstaculo in superioribus eleuatur. Ita etiam electorum mentes, quæque sibi in hoc mundo obsistere, atque obuiare conspiciunt, contemplationis saltu transcendunt, & more ceruorum, despectis terrenorum sentibus, in superna se euehunt. Hinc rursum dicit: Et in Deo meo transgrediar murum. Murus quippe est omne, quod itineri nostro obijcitur, ne ad eum, qui diligitur, transeatur. Sed murum transgredimur, cum præ amore supernæ patriæ quæque in hoc mundo fuerint obiecta calcamus. Hinc per eundem Prophetam dicit Dominus certanti animæ: Exaudiui te in abscondito tempestatis, probaui te ad aquas cõtradictionis. Absconditum quippe tempestatis est, cum in corde contrito cogitationum tentantium fluctus intumescunt. In abscondito ergo tempestatis auditur, quia clamor deprecantis est hæc ipsa tribulationis fluctuatio. Quia vero omnino non desunt, qui bona quærentibus suadere peruersa moliantur, aquę cõtradictionis sunt populi resistentes. Et quia tunc probatur desiderium, cum aliqua ei aduersitate resistitur, recte dicitur: Probaui te ad aquas contradictionis.

Ibidem. Psal. 80.

29 IDEM exponens verba illa Iob cap. 41.
Lib. 34. Mo ral. cap. 6. vbi de Leuiathan ait: Et stringetur quasi malleatoris incus, sic habet. Diabolus malleatoris incus vocatur, quia non solum æterni supplicij continua percussione tunditur, sed & modo quoque percutitur, dum iusti quique illo in insidijs vigilante, sed doloribus tabescente, saluantur. In incude autem alia vasa formantur, ipsa vero tot percussionibus in vas aliud nõ transfertur. Recte ergo diabolus incudi comparatus est, quia nos illo persequente componimur, ipse autem & semper percutitur, & in vas vtile numquam mutatur. Æternæ illum percussioni relinquimus, & nos superni artificis manu in eius tentatione percussi, per illum quasi vascula formata transimus. In ipso enim tundimur, sed vt ad vsum domus supernæ veniamus.

Vide li. 11. cap. 15.

Timor bonus, qui semper est in iustis, varias habet vtilitates, non autem timor malorum, seruilis autem donum Dei est.

Cap. III.

1 BASILIVS exponens verba illa; Timeat Dominum omnis terra, ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem, inquit. Iam quando timor Domini initium est sapientiæ, qui terrena sapiunt per timorem erudiantur. Timor enim quasi quidam introductorius necessario ad pietatem condi-
Hom. 8. quę est super ps. 32. to. 1.

condiscendam assumitur. Charitas a vero timore instructiuo exercitatos suspiciens, perficere solet. Terræ igitur vniuersæ timorem præcipit hic sermo: sic intelligo illud, commoueãtur ab eo, vt videlicet, nec oculus, nec manus præter Dei voluntatem moueatur. Sed ne cor quidem ea, quæ Deo displicent, excogitet: nec ab vlla prorsus alia causa moueatur, neque ipsos quiduis aliud moueat, nisi Dei timor.

2 IDEM explicans illa verba; Timete Dominum omnes sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum, ait. Nisi timor instituendæ vitæ nostræ rudimenta iaciat, impossibile fuerit castitatem, sanctimoniamq. legitime seruari. Confige, inquit, timore tuo carnes meas. Nam quemadmodum, qui corporis membra habent clauis trãsfixa, ad actionem quamlibet immobilia ea retinent, sic ij, quorum animã occupauit Dei timor, omnem prorsus importunam peccati, & obstreperam occasionem vitant. Timenti itaque non est inopia, hoc est nulla ad complectendam virtutem desit facultas, cum per timorem ab indecora omni, & absurda actione reuocatur, & impeditur. Sed perfectus est nullo bonorum, quod humanæ conueniat naturæ, destitutus. Vt enim perfectus corpore non est, qui vna quauis parte spoliatur, eorum, quæ necessaria sunt, sed est imperfectus secundum eam, quæ deficit, partem: itidem, & qui contemptim, & supine efficitur circa vnum aliquod mandatorum, per id quod deest ei censetur imperfectus. Cõtra, qui hunc in se recepit perfectum timorem, nihilq. non veretur, tuendæ pietatis gratia in nullum prolabetur peccatum per hoc, quod nihil contemptim trãsilit. Nullius rei hic inopiam experietur, quòd ad omnia obeunda ei timor abunde præsto est.

Homil. 9. in Psal. 33.

3 CHRYSOSTOMVS ait: Quemadmodum quercus altius dimissis radicibus, nullius vẽti viribus sternitur, ita animã diuino confixã timore, nullus tẽtationũ ventus euellet. Idcirco inquit Propheta: Cõfige timore tuo carnes meas. Ita & tu configere quasi clauo quodam, & adhæreas, vt difficulter mouearis: qui autẽ sine timore est, facile labitur.

Hom. 53. in Ioann. to. 3.

Psal. 118.

4 IDEM exponens verba illa cap. 2. Cum timore, & tremore vestram salutem operamini, inquit. Talem timorem habebat Paulus, cum dicebat: Metuo, ne quo pacto cum alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Si enim temporalia sine timore comparari nequeunt, quanto minus spiritualia? Si vero vbi nihil insidiatur diabolus, sed sola socordia interturbat, tanto nobis timore opus est, vt solum naturalem desidiam vincamus, vbi tantum bellum est, tanta impedimenta, quomodo fieri poterit, vt vmquam sine timore saluemur? Quomodo vero comparabitur iste timor. Si cogitauerimus Deum vbiq. præsentem esse, omnia audire, omnia videre, & quæ dicuntur, & quæ cogitantur, iudex enim est consiliorum, & cogitationum cordis. Dic mihi, si tibi semper Proxime principem standum esset, non cum timore adstares? Quando irasceris, quando rides &c. semper cogita, præsentem esse Deum, & id non facies; si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris, ac tremore, tamquam si prope regem adstes. Artifex etiã si peritus sit, cum timore tamen stat, metuens, ne ab ædificio decidat. Et tu multa bona patrasti, in sublime ascendisti, caute teipsum continebis, & cum timore stabis, oculumq. vigilantem habebis, ne inde decidas. Sunt enim multæ nequitiæ spirituales, quæ te deijcere conantur. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Et quomodo exultatio est cum tremore? Est igitur ea sola vera exultatio. Quando enim boni quicquam fecerimus, & tale, quod deceat eos, qui cum tremore quid faciunt, tunc solum lætabimur.

Psal. 2.

Sect. 8. in ep. Pau. ad Philippen. to. 4.

1. Cor. 9.

5 IDEM sic habet. Iustantis calamitatis timor pro omni admonitione, & consilio cunctorum animas moderari sufficit. Quis tam insensatus, vt ciuitate, sic fluctuante, & naufragio tali imminente non sobrius sit, & vigilet, & hac anxietate diligentius quàm omni consilio, & admonitione corrigatur? Non enim tantum efficere poterit sermo, quantum timor operatur. Quot namque sermones impendimus torpidorum multos admonentes, vt theatra dimitterent, nec quicquam valuimus efficere? Sed ecce nunc tacentibus nobis circus inaccessibilis factus est, & nunc omnes ad Ecclesiam confugerunt, & nostrum laudant Deum. Vides quantum ex timore lucri factum est? Nisi bonum esset timor filijs, patres pædagogos non præponerent, non legislatores ciuitatibus vllos magistratus. Quid gehenna grauius? Sed huius metu nil vtilius. Gehennæ namque timor, regni nobis affert coronam. Vbi timor est, liuor non est. Vbi timor est, pecuniarum amor non vexat. Vbi timor est, extinctus furor est, cupiditas improba correpta, omnis irrationabilis passio exterminata. Et sicut in domo stante milite semper armato, non latro non alius quis talia mala patrantium apparere propius audebit: sic & metu animas nostras detinente, illiberalium nulla perturbationum facile nobis subrepit, sed omnes fugiunt, & pelluntur, timoris imperio vndique exactę. Nec hoc solum est, quod ex timore lucramur, verum & aliud hoc multo maius. Non enim improbas tantum nostras expellit passiones, ceterum & omnem cum multa facilitate virtutem inducit. Vbi timor est ibi, & eleemosynæ studium, & orationis, & lachrymæ feruentes, & continuæ, & gemitus multam habentes compunctionem. Nihil enim tantum peccata quidem consumit, virtutem vero creferere facit, & germinare, quantum continui timoris natura. Propterea, qui non viuit in timore, recte illum agere non est facile, sicut vicissim cum timore viuentem est dificile peccare. Vnde igitur diabolus ciuitatem nostram euertere sperauit, inde restituit ipsam, & correxit. Diabolus nempe quibusdam impijs hominibus inspirauit, vt regis statuas

Hom. 15. ad pop. Antio. to. 5.

contu-

contumelijs afficerent, quo & ipsum orbis solum destrueretur. Deus autem hoc ipso facto ad maiorem nostram correctionem vsus est expectatę comminationis timore, omnem extrudens torporem. Ciuitas enim quotidie nobis expurgatur, biuia, & plateæ meretricijs absolutæ sunt cantibus, & quocumque respexerit aliquis, supplicationes, & benedictiones, & lachrymæ pro risu soluto, & verba philosophiã habentia proverbijs turpibus. Et Ecclesia facta nobis est ciuitas tota, officinis clausis, & omnibus in his vniuersalibus supplicationibus diem totum agentibus. Infra: Nisi bonũ esset timor, non multos impendisset Christus, sermones, & longos de pœna æterna loquens. Timor nil aliud est, quam murus, & munimentum, & turris inexpugnabilis. Etenim multa nobis munitione opus est, quia multę sunt, vndiq. insidię, Salomone dicente: Agnosce, quod in medio laqueorum transis, & super propugnaculis vrbium ambulas: Si enim vnus tantum, & duo laquei forẽt, facilius esset custodia. Nunc autem ipsorum multitudinem ostendere volens, ait Salomon, Agnosce, quod in medio laqueorum pertrãsis. Non dixit iuxta laqueos pertransis, sed in medio laqueorum. Et in domo laquei, & in cõcionibus laquei &c. Vndiq. igitur res cum diligentia perscrutemur. Et vxor sæpe non aduertentibus laqueus est facta, sæpe filij, sæpe amici, vicini sæpius. Vnde donec laqueus contritus sit, timendũ est semper.

Eccli. 1.

6 HIERONYMVS inquit. Profecti de Maceloth castramenti sunt in Thaath, quod interpretatur pauor. Venisti ad Ecclesiam, ascendisti ad montem pulcherrimum, vides ibi multos virtutis tuæ socios, noli altum sapere, sed time. Qui stare videtur, videat ne cadat. Timor virtutum custos est, securitas ad lapsum facilis. Vnde & in quodam Psalmo, postquam propheta dixerat: Dominus regit me, & nihil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocauit, iungit timorem, qui custos est beatitudinis, & infert: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Et est sensus. Dum tormenta, formido, seruaui gratiam, quam acceperam.

Ep. ad Fabi. to. 3.

7 IDEM explicans verba illa; Timor Domini principium scientiæ, dicit. Duo sunt timores Domini: prior seruilis, qui principium sapientiæ vocatur: secundus amicalis, qui perfectiorem sapientiam comitatur. Timor seruilis principium sapientiæ est; quia quisquis post errorem delictorum sapere incipit, primo timore diuino corripitur, ne ad tormenta ducatur. Sed hunc timorem perfecta dilectio foras mittit. Succedit autem timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi: quem non excludit, sed auget charitas. Ipse est, quo timet filius bonus, ne vel in modico oculos amantissimi patris offendat. Nam inchoatiuo timore seruilis adhuc animus metuit, ne ab iratoDomino subigatur. Vterq. autem timor in futura vita cessabit. Charitas vero numquam excidet, sed in plenitudine sapiẽtiæ perpetua manebit.

Lib. 1. in c. 1. Pro. to. 8.

1. Ioan. 4.

Psal. 18.

8 IDEM exponens illa verba; Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem deos diiudicat, dicit. Res formidabilis res terroris plena: si Deos diiudicat, de peccatore quid facit?

In Psal. 8

9 AMBROSIVS inquit. Christus Dominus quamuis dicat septuaginta duobus discipulis, quos elegerat secunda classe, qui ab illo postea recesserunt: Nomina vestra scripta sunt in cælo. Sed hoc propter iustitiam, quia hoc est iustum, vt vnicuique pro merito respondeatur. Qui enim boni erant electi sunt ad ministerium, & erant nomina illorum scripta in cælo propter iustitiam, secundum præscientiam vero in numero erant malorum. Vnde & Moysi dicit: Si quis peccauerit ante me, delebo eum de libro meo vitæ, vt secundum iustitiam iudicis, tunc videatur deleri, cum peccat, iuxta præscientiam vero numquam in libro vitæ fuisse. Denique quos scit in bono mã suros, frequenter ante sunt mali, & quos malos scit permansuros, aliquoties prius sunt boni. Iudas, & Saul ante fuerũt boni dicente Scriptura de Saul. Erat vir bonus, & non erat illo melior in filijs Israel. Et de Scarioth dicit Petrus: Qui sortitus est sortem ministerij huius in signis, & prodigijs faciendis. Quomodo ministerium salutare sortiretur, nisi esset bonus? In sorte enim Dei iudicium fuit, dignum illum fuisse tempore illo, quo electus est, sicut illi septuaginta duo, quos supra memoraui.

In ca. 9. epi. Pau. ad Romanos. to. 3. Luc. 10. Exo. 32. 1. Reg. 9. Act. 1.

10 IAVGVSTINVS inquit. In illà vita beata, quæ sempiterna promittitur, timor plane separandus est. Timor namque ille, de quo dicit Apostolus Ioannes: Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor pœnam habet: qui autem timet, non est perfectus in charitate: non est eius generis timor, cuius ille, quo timebat Apostolus Paulus, ne Corinthij serpentina seducerentur astutia. Hunc enim timorem habet charitas, immo non habet, nisi charitas. Sed illius est generis timor, qui non est in charitate, de quo & ipse Apostolus Paulus ait: Non accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Timor vero ille castus permanens in sæculum sæculi, si erit & in futuro sæculo, nam quo alio modo potest intelligi, permanere in sæculum sæculi? non est timor exterrens a malo, quod accidere potest, sed tenens in bono, quod amitti non potest. Vbi enim boni adepti amor immutabilis est, profecto, si dici potest, mali cauẽdi timor securus est. Timoris quippe casti nomine ea voluntas significata est, qua nos necesse erit nolle peccare, & non sollicitudine infirmitatis, ne forte peccemus, sed tranquillitate charitatis cauere peccatum. Aut si nullius omnino generis timor esse poterit in illa certissima securitate perpetuorum, feliciumq. gaudiorum, dictum est: Timor Domini castus permanet in sæculum sæculi, quemadmodum dictum est: Patientia pauperum non peribit in æternum. Neque enim æterna erit ipsa patientia, quæ necessaria non est, nisi vbi toleranda sunt mala, sed æternum erit, quod per patientiam

Lib. 14. de ciuit. Dei c. 11. to. 5. 1. Ioan. 4. 1. Cor. 11. Rom. 8. Psal. 18. Psal. 9.

tiam possidebitur. Ita fortasse timor castus in sæculum sæculi dictus est permanere, quia id permanebit, quo timor ipse perducit.

11 IDEM explicans lamentationem Cain, qua dixit: Ecce eijcis me a facie tua, quicumq; inuenerit me occidet me, ait. Vere inde gemit, & tremit, ne regno etiam terreno perdito, ista visibili morte occidatur. Abscondi autem, & eijci a facie Dei, idest, iratum habere Deum, graue non putat.

Lib. 12. cõt. Faust. manichæum. to. 6 Gen. 4.

12 IDEM ait. Paulus dicit: Cum timore, & tremore vestram salutem operamini. Deus enim est, qui operatur in vobis, & velle, & operari pro bona voluntate sua. Quare ergo cum timore, & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur, nisi quia propter voluntatem nostram, sine qua bene non possumus operari, cito potest subrepere animo humano, vt quod bene operatur, suum tantummodo existimet, & dicat in abundantia sua, non mouebor in æternum? Ideo qui in voluntate sua præstiterat decori eius virtutem, auertit paululũ faciem suam, vt qui hoc dixerat fieret conturbatus, quoniam ipse est ille tumor sanandus doloribus.

Lib. de nat. & gratia cõtra Pelagia. to. 7. Phili. 2. Psal. 29.

13 IDEM explicans verba illa; Timor Domini sanctus (vel castus) permanet in sæculum sæculi, inquit. Timor Domini non seruilis, sed castus, gratis amans, non puniri timens ab eo, quẽ diligit: iste est timor castus, nõ quẽ cõsũmata charitas foras mittit, sed permanẽs in sæculũ sæculi. Hũc donat, hũc inserit Spiritus sanctus.

In Psal. 18. 1. Ioan. 4.

14 IDEM exponens illa verba; Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo: Dominus protector vitæ meę, a quo trepidabo, dicit. Protegitur imperator scutatis, & non timet, protegitur a mortalibus mortalis, & securus est, protegitur mortalis ab immortali, & timebit, & trepidabit? Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Castra munita sunt, sed quid munitius Deo? Si exurgat in me bellum, quid mihi faciet bellum? Potest mihi auferre spẽ meã? Potest mihi auferre, quod dat omnipotens? Sicut non vincitur, qui dat, sic non aufertur, quod dat. Ergo nec ipsa, quæ temporaliter accipimus, auferre nobis quisquam potest fratres mei, nisi solus ille, qui dedit. Spiritualia, quæ donat, non auferet, nisi tu dimiseris, carnalia vero, & temporalia ipse aufert, quia & quisquis alius aufert, ipso donante potestatem aufert. Nouimus hoc in libro Iob, quia nec diabolus, cuius magna videtur potestas, aliquid potest, nisi permissus. Ergo quia nobis nemio potest auferre, quod dat Deus, non timeamus, nisi Deum. Quidquid aliud fremuerit, quidquid aliud superbierit aduersum nos, non timeat cor nostrum. Qui vnam petijt a Domino, & hanc requirit, non timet alium, nisi Deum.

Enarr. 2. in Psalm. 26. Iacob. 4. Iob 1.

15 IDEM explicans verba illa; Dixit iniustus, vt delinquat, in semetipso, non est timor Dei ante oculos eius, ait. Proposuit delinquere homo, sed nunquid qui proponit delinquere, publice hoc dicit, & non in semetipso? Quare in semetipso? Quia homo illum non videt. Quid ergo quia homo non videt, in ipso corde, vbi sibi dicit, vt delinquat, ibi Deus non videt? Videt ibi Deus. Sed quid sequitur, nõ est timor Dei ante oculos eius. Ante oculos timor hominum est, non enim audet publice profiteri iniquitatem, ne vel reprehendatur, vel damnetur ab hominibus. Discedit autem a conspectu hominum. Quo? Ad semetipsum ducit se intro, & nemo illum videt, vbi meditatur dolos, & insidias, & nemo illum videt. Posset & nec ibi apud se meditari, si cogitaret, quia Deus illum videt: sed quia non est timor Dei ante oculos eius, cum discesserit a conspectu hominum ad cor suum, ibi quem timeat? Nunquid non ibi præsens est Deus? Sed non est timor Dei ante oculos eius. Ideo dolose egit in conspectu eius. In cuius conspectu? Cuius timor non est ante oculos eius, qui dolose egit.

In Psal. 35.

16 IDEM exponens verba illa; Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, inquit. Nũquid enim timor est, si quis perdat diuitias? Non est ibi timor, & ibi timetur. Si quis autem perdat sapientiam, ibi vere timor est, & ibi nõ timetur. Ne aurum perdas perdidisti fidem, grauiori damno percuteris, & tu de lucro lætatus es, ibi timuisti timore vbi nõ erat timor. Martyres omnia libenter amittebant, ne fidem perderent, ibi timebant, vbi timendum est. Illi vero, qui Christo dixerunt, non est Deus, ibi timuerunt, vbi non est timor: dixerunt enim; Si dimiserimus eum, venient Romani, & tollent gentem nostram, & regnum. O stultitia dicens in corde suo, non est Deus, timuisti perdere terram, & perdidisti cælum.

In Psal. 52.

17 IDEM explicans verba illa; Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius, quia commota est, ait. Quomodo conturbata est terra? Conscientia peccatorum. Quo imus? Quo fugimus, quando ille gladius vibratus est? Agite pœnitentiã, appropinquabit enim regnum cælorum. Commouisti terram, & conturbasti eam, sana contritiones eius quoniam mota est: non digna est sanari, si mota non est. Sed loqueris, prædicas, minaris de Deo, venturum indicium non taces, præceptũ Dei mones, ab his rebus non quiescis, & qui audit, si non timet, si non mouetur, non est dignus sanari. Audit alius, mouetur, stimulatur, pectus tundit, lachrymas fundit, sana contritiones eius, quoniam mota est.

In Psal. 59. Matt. 3.

18 IDEM exponens illa verba; Conturbati sunt omnes, qui videbant eos, & timuit omnis homo, dicit. Qui non timuerunt, nec homines fuerunt. Timuit omnis homo, ideſt, omnis vtens ratione, ad intelligenda omnia, quæ facta erant in morte, & resurrectione Christi, & in aduentu Spiritu sancti, quando audierunt Apostolos prædicantes. Vnde illi, qui non timuerunt, pecora potius nominandi sunt, bestiæ potius immanes, & truces. Leo rapiens, & rugiens, ille adhuc populus. At vero omnis homo timuit, ideſt, qui credere voluerunt, qui iudicium venturum contremuerunt. Et timuit

In Psal. 63.

omnis

omnis homo. Et annũciauerũt opera Dei. Ille, qui dicebat: A timore inimici erue animã meã, timuit omnis homo. A timore inimici eruebatur, sed timori Dei subdebatur. Non timeas
Matt. 10. eos, qui occidũt corpus, & nõ habent amplius, quid faciant: sed eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam. Prædicauerunt Dominum. Nam primo Petrus timuit, & ad vocem ancillę lapsus est, timuit inimicum, quia nondum erat anima eius eruta ab inimico: resurrexit Dominus, firmauit columnam, iam Petrus prædicat sine timore, & cum timore: sine timore eorum, qui corpus occidunt: cum timore eius, qui animam, & cõrpus potest occidere in gehennam ignis. Timuit omnis homo, & annunciauerunt opera Dei, dicentes Pharisæis præcipientibus, vt tacerent: Obedire oportet magis Deo, quàm hominibus. illi sciebant, quæ iuberet Deus, & contempserunt minantes sacerdotes. Quia ergo timuit omnis homo, non terruit homo: & annunciauerunt opera Dei. Si timet homo, non terreat homo: eum enim timere debet homo, a quo factus est homo. Quod supra homines est time, & homines te non terrebunt: mortem sempiternam time, & præsentem non curabis: voluptatem illam incorruptam, & quietem sine labe concupisce, & promittentem dona ista temporalia, & totum mundum deridebis. Ama ergo, & time: ama, quod promittit Deus, time, quod minatur Deus, nec corrumperis ex eo, quod promittit, nec terreberis ex eo, quod minatur homo.

19 IDEM inquit. Vt facias bene, amas Deũ,
In Psal. 79. & times Deum; vt autem facias male, amas mũdum, & times mundum. Hæc duo conuertentur ad bonum. Amabas terram, ama vitam æternam, timebas mortem, time gehennam. Quidquid tibi iniquo promiserit mundus, nũquid potest dare, quantum dabit iusto Deus? Quidquid tibi iusto minatus fuerit mundus, nũquid potest facere, quod facit iniquo Deus? Si iuste vixeris, regnũ cęlorum dabit tibi Deus, si male, gehennam. Bene quidem tu nihil aliud vis, quãm vt bene tibi sit, nam in eo, quod amas, vis, vt bene tibi sit; & in eo, quod times, non vis, vt male tibi sit. Sed non in ea regione quæris, in qua quærendum est. Succensa igni, & effossa. Quid fecerat amor malus? Tamquã ignis succenderat. Quid fecerat timor malus? Tamquam effoderat. Amor quippe inflammat, timor humiliat. Ideo peccata mali amoris igne succensa sunt, peccata mali timoris effossa sunt. Humiliat & bonus timor, accendit, & bonus amor. Sed aliter, atque aliter. Nam & colonus intercedens pro arbore, quæ fru-
Lucæ 13. ctus non dabat, ne subuerteretur, ait: Circumfodiam, & adhibeo cophinum stercoris. Fossa significat piam humiliatem timentis, & stercoris cophinus sordes vtiles pœnitentis. De igne autem boni amoris Dominus dicit: Ignem veni mittere in terram. Ac per hoc sicut omnia iusta opera bono timore, & bono amore fiunt, sic malo timore omnia peccata committũtur.

20 IDEM exponẽs illa verba; Lætetur cor
In Psal. 85. meum, vt timeat nomen tuum, dicit. Ergo timor in iucunditate est. Et quomodo iucunditas, si timor? Nonne timor amarus solet esse? Erit ergo aliquando iucunditas sine timore: modo iucunditas cum timore. Nondum est enim plena iucunditas, nec perfecta securitas, si nulla iucunditas, deficimus, si plena securitas, male exultamus. Ergo & iucunditatem aspergat, & timore incutiat; vt de dulcedine iucunditatis perducat nos ad sedem securitatis. Dando timorem, non nos faciat male exultare,
Psal. 2. & recedere de via: ideo sicut dicit Psalmus: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum
Phili. 2. tremore: sic & Apostolus Paulus dicit: Cum timore, & tremore vestram salutem operamini. Quia abũdãt tribulationes, & tentationes, & dissensiones, & schismata, & cetera mala, sine quibus non potest esse hoc sæculum, donec transeat iniquitas, exultatio non nos faciat securos, sed ita iucundetur cor nostrum, vt timeat nomen Domini. Securitatem non expectetis in peregninatione: quando hic illam voluerimus, viscum erit corporis, non securitas hominis.

21 IDEM explicans verba illa; Qui respicit
In Psa. 103. terram, & facit eam tremere, qui tangit montes, & fumigant, ait. O terra, exultabas de bonitate tua, tibi tribuebas vires opulentiæ tuæ; ecce respicit Dominus, & facit te tremere: melior est tremor humilitatis, quàm confidentia superbiæ. Videte quomodo aspiciat Deus terram, & faciat eam tremere. Ad terrã quasi præuidentem sibi, & exultatem loquitur Apo-
Phili. 2. stolus: Cum timore, & tremore vestram ipsorũ salutem operamini. Cum timore, & tremore, Deus enim est, qui operatur in vobis. Quare cum timore, & tremore? Deus enim est, inquit, qui operatur in nobis. Ideo ergo cum tremore, quia Deus operatur, quia ipse dedit, non ex te est, id quod habes. Cum timore, & tremore operaberis, nam si non timueris eum, auferet, quod dedit. Cum tremore ergo operare, dicente Domino: Seruite Domino in ti-
Psal. 2. more, & exultate ei cum tremore. si cum tremore exultandum est, Deus aspicit. Et terremotus aspiciente Deo tremãt corda nostra, nam
Isa. 66. tunc ibi requiescet Deus. Audi eum alio loco: Super quem requiescet spiritus meus? super humilẽ, & quietum, & trementem verba mea.

22 IDEM exponens verba illa; Statue seruo
Cõc. 12. in Psa. 118. tuo eloquium tuum in timore tuo, inquit. Statuit Deus eloquium suum, dãs, vt faciat homo, quod loquitur, in timore suo, eis, quibus dat spiritus timoris sui. Timoris autem, non illius,
Rom. 8. de quo dicit Apostolus: Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore. Hunc enim consummata charitas foras mittit timorem: sed illius timoris, quem dicit Prophera:
Isaiæ 11. & repleuit eum spiritus timoris Domini. Timoris vtique casti, permanentis in sęculum sęculi, timoris, quo timetur offendi, qui amatur. Aliter quippe timet adultera virũ suum, aliter casta: Adultera, ne veniat, casta, ne deserat.

IDEM

23 IDEM exponens illa verba; Beati omnes,
In Psa. 127. qui timent Dominũ, ait. Timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Non de omni timore dicit, quod mittitur
1. Ioan. 4. foras a charitate, habes enim Psalmum dicentem: Timor Domini castus permanet in sæculũ sæculi. Alius ergo timor permanet, alius excluditur. Timor, qui excluditur iste est. Aliqui propterea tantum timẽt, ne aliquid mali in terra patiantur, ne illis ægritudo accedat, ne damnum, ne orbitas, ne alicuius omissio chari, ne exilium, ne damnatio, ne carcer, ne aliqua tribulatio, propterea timent, & tremunt. Adhuc timor iste non est castus. Adhuc audi. Alius nõ in hac terra pati timet, sed gehennã timet. Vn-
Mar. 9. de terruit Dominus, audistis in Euangelio: Vbi vermis eorum non morietur, & ignis nõ extinguetur. Audiunt hæc homines, & quia vere futura sunt impijs, timent, & continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant iustitiã. Cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo iustitiæ, & incipit, quod durũ erat, amari, & dulcescit Deus, & iam incipit homo iuste viuere, propterea, non quia timet pœnas, sed quia amat ęternitatem. Exclusus est ergo timor a charitate, sed successit timor castus. Iste est timor, de quo debemus intelligere: Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Vt intelligas, quid sit timor iste castus, pone aliquam feminam castam, timentem virum, aliam pone adulteram, & ipsa timet virum. Casta timet, ne discedat vir, adultera, ne veniat. Quid si ambo absentes sunt? Illa ne veniat, illa, ne tardet. Absens est quodãmodo, cui despõsati sumus, absens est, qui arram dedit Spiritũ sanctũ, absens est, qui nos redemit sanguine suo, sponsus est ille, quo nihil est pulchrius: pulcher est ille, & absens est. Interroget se spõsa, si casta est. Videat vnusquisque qualẽ timorem habeat; an eum, quẽ excludit charitas, an castum permanentem in sæculum sæculi. Absens est sponsus noster, interroga conscientiam
24 tuam; Vis vt veniat, an adhuc vis, vt tardet? Quam multi, si dicatur illis; Ecce iam Christus, cras dies iudicij, non dicunt; Vtinã veniat. Qui enim dicunt, multum amant; et si dicatur illis, Tardabit, timent ne tardet, quia timor castus est. Quomodo autem nunc timetur, ne tardet, sic cum venerit, timebitur ne discedat. Erit autem castus iste timor, quia tranquillus, & securus. Castus ergo timor hoc habet, quia venit de amore. Ille autem timor nondum castus, præsentiam Domini, & pœnas timet; timore facit, quidquid boni facit, nõ timore amittẽdi bonũ illud, sed timore patiẽdi illud malũ. Nõ timet, perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennã. Bonus est iste timor, vtilis est, non tamẽ permanebit in sæculũ sæculi, nondum est iste castus. In quo est castus? Si Deus veniẽs voce propria loqueretur, & diceret homini: Peccare vis? pecca, fac quidquid te delectat, quidquid amaueris in terra, tuũ fiat, cui fueris iratus, intereat, quẽ cędere volueris, cędatur, quem damnare, damnetur: nemo tibi resistat, nemo tibi dicat, quid facis? nemo, noli facere, quod velis, nemo quare fecisti? abũdẽt tibi ista terrena omnia, quę cõcupisti, & viue in illis nõ vsq; ad tẽpus, sed sẽper, faciẽ tãtũ meam nũquã videbis. Fratres mei vnde ingemuistis, nisi quia iã natus est timor castus permanẽs, in sæculũ sæculi? Quare percussũ est cor vestrum, si diceret Deus, faciẽ meã nũquã videbis? Ecce omni ista terrena felicitate omnibus rebus abundabis, circũfluent te bona tẽporalia, nõ illa amittis, non illa deseris, quid vis amplius? Fleret quidẽ, gemeret timor castus, & diceret; immo tollantur omnia, & faciẽ tuã videã. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret: Deus virtutum conuerte nos, & ostẽde faciem tuam, & salui erimus. Timor castus exclamaret; Vnã *Psal. 79.*
petij a Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

25 IDEM explicans verba illa; In hoc perfecta est dilectio in nobis, vt fiduciam habeamus
Tracta. 9. in 1. canonicã Ioann. to. 9. in die iudicij, ait. Quid est habere fiduciam in die iudicij? Non timere, ne veniat dies iudicij. *Cap. 4.*
Cœpit aliquis credere diem iudicij? si cępit credere, cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nõ habeat fiduciam in die iudicij, nondum est in illo perfecta charitas. Nũquid tamen desperandum est? In quo vides initium, cur desperas finem? Initium timorem dico, quia initium sapientiæ timor Domini. Cœpit timere diem iu-
Eccli. 1. dicij, timendo corrigit se, vigilat aduersus hostes suos, ideſt, peccata sua, incipit reuiuiscere interius, & mortificare membra, quæ sunt super terram. Cum mortificãtur membra terrena, incipiunt membra cælestia, quæ sunt omnia opera bona. Surgentibus illis, incipit desiderare, quod timebat: timebat enim, ne veniret Christus, & inueniret impium, quem damneret, desiderat, vt veniat, quia inuenturus est pium, quem coronet. Infra: Timor non est in charitate. Sed in qua charitate? Nõ in inchoata, sed in perfecta, quę foras mittit timorẽ. Ergo incipiat timor, & locum prępparet charitati. Cũ autẽ cœperit charitas habitare, pellitur timor, qui ei prępparauit locũ. Quantũ.n. illa crescit, ille decrescit, & quãtum illa fit interior, timor pellit foras. Maior charitas, minor timor, minor charitas, maior timor. Si autẽ nullus timor, nõ est, qua intret charitas. Sicut videmus per setã introduci linũ, quando aliquid suitur: seta prius intrat, sed nisi exeat, nõ sucedit linũ. Sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceret charitatem. Perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor tormentum habet. Stimulat timor, sed noli timere, intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor. Timor Dei sic vulnerat mentem, quomodo medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, miuus erat vulnus, sed periculosum. Accedit ferramentum medici, minus dolebat illud vulnus, quã dolet modo, cum secatur, plus dolet cũ curatur, quã si nõ curare tur, sed ideo plus dolet accedente medicina, vt

nũquã dolet succedente salute. Occupet ergo
26 cor tuũ timor, & inducta charitate succedat ci
catrix ferramenti medici: nam qui sine timore
est, non poterit iustificari. Opus est ergo, vt in-
tret timor primo, per quẽ veniat charitas: ti-
mor medicamẽtũ, charitas sanitas. Timor tor-
mẽtũ habet, quomodo sectio medici tormẽtum
habet. Timor inferni est timor, de quo dixim⁹,
quod introducit charitatem; sed sic venit, vt e-
xeat. Sic. n. adhuc propter pœnã times Deũ, nõ-
dũ amas, quẽ sic times: non bona desideras, sed
mala caues. Sed ex eo, quia mala caues, corri-
gis te, & incipis bona desiderare. Cũ bona cœ-
peris desiderare, erit in te timor castus, ne amit
tas ipsa bona, & ne Deus recedat a te. Timor
ille, quo times ne in ignẽ mittaris cũ diabolo,
nõdũ est castus, non. n. venit ex amore Dei, sed
ex timore pœnę. Cũ aũt times Deũ, ne deserat
te, præsentẽ amplecteris eũ, ipso frui desideras,
ipse est timor castus. Pone duas mulieres ma-
ritatas, quarũ vna vult facere adulteriũ, dele-
ctatur nequitia, sed timore, ne dãnetur a mari-
to: timet maritũ, sed quia adhuc amat nequi-
tiã, ideo timet maritũ: huic nõ grata, sed onero
sa est mariti prẽsentia. Tales sunt, qui timẽt, ne
veniat dies iudicij. Fac alterã amare virũ, de-
bere illi castos amplexus, quæ timet, ne mari-
tus discedat. Pone hoc in animo Christianorũ
& inueniſti timorẽ, quẽ foras mittit charitas,
& aliũ timorẽ castũ permanẽtẽ in sæculũ sæcu-
li. O anima, sic times Deũ, ne damnet te Deus,
quomodo mulier, quæ diligit nequitiã, timet,
ne damnetur a viro, quomodo displicet tibi il-
la mulier, displice, & tu tibi. Castã vxorẽ vis, vt
te diligat, nõ vt te timeat. Exibe te talem Deo
qualis vis amare vxorem.

GREGORIVS explicãs verba illa; Sa-
27 gittę Dñi in me sũt, & terrores Domini militãt
Li. 7. c. 3. t. 1 contra me, dicit. Sagittarũ indignatio iusti spi-
Iob 6. ritũ ebibit, quia supernę sententię electos, quos
in peccatis inueniũt, dũ vulnerant, immutãt, vt
duritiã suam trãsfixa mens deserat, atq; ex sa-
lutifero vulnere sanguis confessionis currat.
Pensant namq; vnde, vel quo lapsi sunt, pensant
a quanta beatitudine ad quæ corruptionis suæ
tormenta ceciderunt, & non solum gemunt in
his, quæ sustinẽt, sed insuper metuũt hoc, quod
districtus iudex delinquẽtibus de gehẽnę igni-
bus minatur. Vnde recte, ait: Et terrores Do-
mini militant contra me. Iustorũ mens nõ so-
lũ perpendit, quod tolerat, sed etiã pauet, quod
restat. Videt qualia in hac vita patitur, metuit,
ne post hanc grauiora patiatur. Luget, quia in
huius cæcitatis exilio a paradisi gaudijs cecidit, timet, ne cũ exiliũ reliquitur, mors æterna
subsequatur. Iam ergo sententiã tolerat in pœ-
na, sed minas adhuc vẽturi iudicis formidat ex
culpa. Hinc Psalmista ait: In me transierũt irę
Psal. 137. tuæ, & terrores tui conturbauerunt me. Inter-
ni quippe iudicis postquam iræ pertranseũt, e-
tiã terrores cõturbant; quia iam aliud de dam-
natione patimur, & ad huc aliud de æterna vl-
tione formidamus. Dicat iustus percussus qui
dem de præsentibus doleo, sed hoc in dolore fit
grauius, quia in pœna positus, adhuc supplicia
æterna pertimesco.

IDEM exponẽs verba illa Iob cap. 29. Si
quando ridebam ad eos, non credebant, ait: E- 28
lecti quiq; quandiu in hac vita sunt, securitatis Lib. 20. Mo
sibi confidentiã non promittunt. Horis. n. om- ral. cap. 5.
nibus contra tẽtamẽta suspecti, occulti hostis
insidias metuũt, qui etiam tentatione cessante,
vel sola grauiter suspicione turbantur. Nã sæ-
pe multis graue periculum incauta securitas
fuit, vt callidi hostis insidias nõ tentati, sed iam
prostrati cognoscerent. Vnde Abacuc Prophe- Abac. 2.
ta ait: Super custodiam meã stabo. Hinc rur- Hier. 31.
sum scriptum est: Statue tibi speculam, pone a-
maritudines, qui euangelizas Siõ. Hinc per Sa- Prou. 28.
lomonẽ dicitur: Beatus vir, qui semper est pa-
uidus: qui autẽ mentis est duræ, corruet in ma-
lum. Hinc iterum dicit: Vniuscuiusq; ensis su- Cant. 3.
per femur suũ, propter timores nocturnos. No-
cturni quippe timores sunt insidiæ tentationis
occultæ. Ensis autem super femur, est custodia
vigilans, carnis illecebras premens. Ne ergo
nocturnus timor, id est, occulta, & repentina tẽ
tatio subrepat, semper necesse est, vt femur no-
strum superpositus custodiæ ensis premat. Sã-
cti etenim viri sic de spe certi sunt, vt tamẽ sẽ-
per sint de tentatione suspecti, quippe quibus, Psal. 2.
dicitur: Seruite Dño in timore, & exultare ei cũ
tremore, vt & de spe exultatio, & de suspicione
nascatur tremor. Quorũ voce iterum Psalmi- Psal. 85.
sta ait: Lætetur cor meũ, vt timeat nomen tuũ.
Qua in re notandum, quod non ait, lætetur,
vt securũ sit, sed lætetur, vt timeat. Meminerũt,
quod tentatio est vita hominis super terram;
Meminerunt, quia corpus, quod corrũpitur, ag-
grauat animam. Meminerunt, & metuunt, &
certitudinem sibi in se promittere non præsu-
munt, sed positi inter gaudium spei, & tentatio
nis metum, confidunt, & timent, confortantur,
& titubant, certificantur, & suspecti sunt. Bene
ergo per vocem electi membri sub figura no-
stri capitis dicitur: Si quando ridebam ad eos,
non credebant mihi, quia Redemptori nostro,
quasi arridenti non credimus, dũ multis iã eius
donis testantibus, & gratiam fauoris eius ac-
cipimus, & tamen adhuc sub eius iudicio de no
stra infirmitate titubamus. Paulus vas electio- Act. 9.
nis vocatur, & illi arridetur iã per supernã gra
tiã, & ipse adhuc quasi non credit, per suspicio
nis metũ: iã paradisi verba audierat, & nihilo-
minus aiebat: Castigo corpus meũ, & in serui- 1. Cor. 9.
tutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim
ipse reprobus efficiar. Ecce arridenti sibi di-
uinæ gratiæ iam credit per spem, & necdum
tamen credit per securitatem.

IDEM exponens illa verba; Cũque sederẽ 29
quasi rex circũstãte exercitu, erã tamen mœrẽ- Cap. 7.
tium cõsolator, dicit. Ecclesia fidelibus suis de Iob 29.
pietate, & iustitia Redẽptoris in prædicatione
spem miscet & metum, quatenus, nec in cau-
te de misericordia confidant, nec desperate iu-
stitiam timeant. Nam verbis sui capitis for- Lucæ 12.
midantes refouet, dicens; Nolite timere pu-
sillus grex, quia complacuit Patri vestro dare
vobis

Luc. 10. vobis regnum. Atque iterum præsumentes
terret, dicens: Videbam sathanam, sicut fulgur
de cælo cadentem. Metuentes refouet, dicens:
Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus
Matt. 24. erit. Præsumentes deterret, dicens: Cum ve-
nerit Filius hominis, putas, inueniet fidem in
terra? Metuentes refouet, cum latroni dicit:
Luc. 23. Hodie mecum eris in paradiso. Sed terret præ-
sumentes, dum Iudas ex Apostolatus gloria in
Ioan. 6. tartarum labitur. De quo dicitur: Duodecim
vos elegi, & vnus ex vobis diabolus est. For-
Hier. 3. midantem refouet, cum dicit: Si dimiserit vir
vxorem suam, & recedens ab eo duxerit virũ
alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? Tu
autem fornicata es cum amatoribus multis,
tamen reuertere ad me, dicit Dominus. Sed
Hier. 30. præsumentem deterret, cum dicit. Quid cla-
mas super contritione tua? Insanabilis plaga
Hier. 3. tua. Formidantem refouet, dicens: Ergo sal-
tem ammodo voca me, Pater meus, dux virgi-
nitatis meæ tu es. Sed præsumentem deterret,
Ezec. 16. dicens: Pater tuus Amorrhæus, & mater tua
Cethea. Formidantem refouet, cum ait: Re-
Hier. 3. uertere auersatrix Israel, & non auertam fa-
ciem meam a vobis: quia sanctus ego sum, di-
cit Dominus, & non irascar in perpetuum. Sed
præsumentem deterret, cum prophetam suum
Hier. 7. ab intercessione prohibet, dicens: Non assu-
mas pro eis laudem, & orationem, quia non e-
xaudiam clamorem eorum in tempore affli-
ctionis: quia si steterint coram me Moyses, &
Samuel, non est anima mea ad populum istum.

30 IDEM explicans verba illa Iob cap. 34.
Lib. 25. Mo- Conteret ergo multos, & innumerabiles; &
ral. cap. 8. stare faciet alios pro eis, ait. Hac sententia, &
spes nutritur humilium, & elatio premitur su-
perborum, dum & illi bona possunt amittere,
de quibus superbiunt, & isti ea percipere, quæ
quia non habebant, contemnuntur. Formide-
mus igitur in his, quæ accipimus, nec eos,
qui illa nec dum assecuti sunt, despiciamus.
Quid enim sumus hodie, nouimus, quid autem
post paululum possimus esse, nescimus. Ti-
mendum itaque est, ne etiam nobis cadenti-
bus surgat, qui a nobis stantibus irridetur,
quamuis stare iam non nouit, qui non stantem
1. Cor. 10. nouit irridere. Hunc autem supernorum iu-
diciorum metum Paulus discipulorum cordi-
bus incutiens, ait: Qui se existimat stare, vi-
31 deat, ne cadat.
Serm. 54. in BERNARDVS explicans illa verba;
Cantica. Ecce iste venit, saliens in montibus, transiliens
colles, inquit. Hic attendamus, quo cauti si-
mus, sponsi salutiferis saltibus præparare nos;
ne veluti a montibus Gelboe forte transeat &
a nobis, si indignos nos sua visitatione conspe-
xerit. Ad hoc salit, vt transiliat, qui non vult
ad omnes pertingere. Certe audio, omnes mõ-
tes in circuitu eius visitet Dominus, a Gelboe,
autẽ transeat. Heu omnes montes in circuitu
meo visitat Dominus, ad me autem non appro-
pinquat. Nam alium quidem intueor singula-
ris abstinentiæ, alium vero patientiæ ad mira-
bilis, alium autem summæ humilitatis, & man-
suetudinis, alium multæ misericordiæ, illum in
contemplatione frequenter excedere, hunc pul
sare, & penetrare cælos orationum instantia,
alios. q. in alijs præeminere virtutibus: hos om-
nes conspicio tamquam spirituales reuera mõ-
tes, qui a Domino visitantur, & sponsum in se
salientem frequenter recipiunt. Ego autem,
qui horum in me inuenio nihil, quid me aliud
putem, quàm vnum de montibus Gelboe, quẽ
præterit in ira, & in indignatione sua ille cete-
rorum omnium benignissimus visitator? Fi-
lioli hæc cogitatio tollit extollentiam oculo-
rum, conciliat gratiam, sponsi saltibus præ-
parat. In veritate didici, nihil æque efficax
esse ad gratiam promerendam, retinendam,
recuperandam, quàm si omni tempore coram
Deo inueniaris non altum sapere, sed timere.
Beatus homo, qui semper est pauidus. Time er- Prou. 28.
go cũ arriserit gratia, time cũ abierit, time cũ
denuo reuertetur, & hoc est semper pauidum
esse. Succedant vicissim sibi in animo isti tres
timores, secundum quod gratia, vel adesse di-
gnatur, vel offensa recedere, seu iterum placa-
ta redire sentiatur. Cum adest, time, ne non di-
gne opereris ex ea. Nã hoc monet Apostolus,
cum ait: Videte, ne in vacuum gratiam Dei re- 2. Cor. 6.
cipiatis. Sic ergo timendum manente gratia:
quid si recesserit? Multo magis tunc timendũ,
quia vbi deficit gratia, deficis & tu. Time, quia
reliquit te Deus, sine quo nihil potes facere. Iã
si gratia repropitiata redierit, multo amplius
tunc timendum, ne forte contingat recidiuum
pati iuxta illud: Iã sanus factus es, noli pecca- Ioan. 5.
re, ne deterius tibi aliquid contingat. Proinde,
quia recidere deterius est, quàm cadere, inua-
lescente periculo, inualescat & metus. Beatus
es si cor tuum triplici isto timore repleueris,
vt timeas quidem pro accepta gratia, amplius
pro amissa, longe plus pro recuperata. Quia ti-
mor Domini fons vitæ, aqua superbia, & omnia
vitia excluduntur, quãdo timor plenus fuerit.

Tribulationibus plena est vita, in quibus ad Deum confugiendum est, quæ autem videntur prospera, reuera sunt aduersa.

Cap. IIII.

ORIGENES explicat A- 1
brahæ præclarum opus in Homil. 8. in
immolatione Isaac filij c. 22. Gene.
sui, dicens. Accenderat a- tomo 1.
nimum ipsius non solum,
vt filium diligeret poste-
ritatis gratia, sed & pro-
missionum spe. Sed hunc, in quo ei positæ sunt
promissiones magnæ istæ, & mirabiles, hunc in
quam filium holocaustum Domino iubetur of-
ferre in vno ex montibus. Quid tu ad hæc o A-
braham? Quæ, & quales cogitationes mouen-
tur in corde tuo? Prolata est vox a Deo, quæ di
scutiat, & probet fidem tuam. Quid ad hæc di-
cis? Putas ne reuoluis in corde tuo, quia si in

Isaac data est mihi repromissio, huc autem offero holocaustum, supereſt, vt non speretur illa promissio? Verum ego, quia minimus sum, tãti Patriarchæ cogitationes nonvaleo perscrutari, nec scire possum, vox Dei, quæ ad tentandum eum processerat, quas ei cogitationes mouerit, quid animi attulerit, cum iuberetur vnicum iugulare. Sed nunc tentabat Deus Abraham, & dicit ad eum: Accipe filium tuum charissimum, quem diligis. Non enim sufficerat dixisse filium, sed additur, & charissimum; esto & hoc, quod adhuc addidit, quem diligis? Sed vide tentationis, & tribulationis pondus. Charis & dulcibus appellationibus iterum, ac sæpe repetitis, paterni suscitantur affectus, vt amoris euigilante memoria ad immolandum filium paterna dextera retardaretur, & aduersus fidem animi tota carnis militia repugnaret, additur tentationis tempore; accipe filium tuum, quem diligis Isaac. Esto Domine, quia commemoras de filio patri, addis & charissimum, quem præcipis iugulari: sufficiat hoc, ad supplicium patris: addis rursum, & quem diligis. Sint & in hoc parente triplicata supplicia: quid opus est adhuc, vt commemores, & Isaac? Nũquid nesciebat Abraham, quia filius suus ille charissimus, ille, quem diligebat, Isaac vocaretur? Sed cur hoc additur in tempore? Vt recordaretur Abraham, quia dixeras ad eũ, quod in Isaac vocabitur tibi semen, & quod in Isaac erunt tibi repromissiones. Quid post hęc? Vade, inquit, in terram excelsam in vnum mõtium, quem mostrauero tibi, & ibi eum offeres in holocaustũ. Intuemini per singula quomodo fiunt tentationum augmenta. Vade in terram excelsam. Nunquid non potuerat duci prius Abraham cum puero ad illam terram excelsã, & imponi prius in montem, quẽcumque delegerat Dominus, & ibi ad eum dici, vt afferret filium, sed prius ei dicitur, quia offerre debebat filium suum, & tunc iubetur ire in terram excelsam, & ascendere in montem? Quo hoc spectat? Vt dum ambulat, dum iter agit, per totam viã cogitationibus discerpatur, vt hinc perurgente præcepto, hinc vero vnici affectu oblu ctante crucietur. Propterea ergo etiam via iniungitur, etiam montis ascensio, vt in his omnibus spatium certaminis accipiat affectus, & fides, amor Dei, & amor carnis, præsentium gratia, & expectatio futurorum. Surrexit Abrahã mane, & strauit asinam suam, & concidit ligna ad holocaustum, & accepit filium suum Isaac, & duos pueros, & peruenit ad locum, quem dixerat ei Deus, die tertia. Strauit asinam suam, ligna præparauit, assumpsit filium. Non deliberat, non detractat, non communicat cum vllo homine consilium, sed statim occupat iter, & peruenit ad locum, quem dixerat ei Deus, die tertia. Sic in proximo non erat mons aliquis, cum totum ageretur in montibus? sed per triduum iter protenditur, & per totum triduum recusantibus curis, paterna viscera cruciantur, vt hoc spatio tam prolixo intueretur filium pater, cibum cum eo sumeret, tot noctibus penderet in amplexibus patris, cubitaret in gremio. Vide in quantum tentatio cumulatur. Post hæc dixit Isaac ad Abraham patrẽ suum: Pater. Et hæc, pro tempore a filio prolata, tentationis est vox. Quomodo enim putas, immolandus filius per hanc vocem viscera paterna concussit?

IDEM exponens illa verba; Non solum autem, sed & gloriamur in tribulationibus, scientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio vero spem, dicit. Quoniam in superioribus multa nobis per Dominum Iesum præstita esse perdocuit, vt cum dicit iustificatos nos esse ex fide per Dominum Iesum, & per ipsum accessum habere in gratiam istam, per ipsum etiam gloriari in spe gloriæ Dei, ad hęc omnia, quæ dicta sunt, referri puto, nonsolum autem hæc, quæ supra dixi, sed & hoc, quod gloriamur in tribulationibus nostris. Ceteris enim in tribulatione tristantibus, nos gratiæ ipsius virtute roborati, in tribulationibus gloriamur. Didicimus namque nouam eruditionẽ ipsius disciplinam, vt per tribulationes bonum patientiæ capiamus. Habentes vero patientiæ bonum, probabiles iudicemur, & per patientiam multarum tribulationum probati, spem futuræ a Deo remunerationis habeamus. Infra: Tribulatio proprie sanctorum est, impiorum autem tribulatio flagella appellantur. Denique in Psalmo sic dicitur: Multæ tribulationes iustorum. De ista autem, ait: Multa flagella peccatorum. Et fortasis propterea tribulatio, & angustia ad sanctos pertinẽt, quia ipsi sunt, qui arctam viam, & angustam incedunt, & propterea tribulati dicuntur. Tribulationes ergo iustorum, non solum eas debemus accipere, quæ extrinsecus veniunt ex istis rebus, quas indifferentes vocamus, quæ ex se, nec bonæ sunt, nec malæ, ideſt, vel damnis, vel languoribus, vel ex quolibet corporis circuitu, sed & in eo, quod etiam in requie positi, semetipsos affligunt, & atterunt, resistendo voluntatibus suis, refrenando libidinem, coercendo licentiam, & omnia, quæ ad bonum continentiæ pertinent, profligando, secundum hunc ipsum, qui dicit: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Et hoc modo, iustorum tribulatio non potest indifferens dici, sed aperte bona, per quam bona virtutis implentur. Iniusti vero etiam si tribulentur, quod magis a scriptura flagella diximus appellari, quoniam nihil in his ipsis flagellis, & correptionibus secundum virtutem animi gerunt, nihil ad patientiam ducunt, nec probationem per patientiam sperant, idcirco in illis non tribulatio, quæ ad hæc bona peruenit, sed flagella, vt Scriptura voluit, nominanda sunt; etiam si abusiue aliquando, & super iustos dici tribulationis nomen inuenias. Vt autem scias, quia iustorum tribulatio non angustat animi virtutem, sed potius dilatat, audi & ipsum Paulum Corinthijs scribentem: In omnibus tribulationem patimur, sed

sed non angustiamur, deijcimur, sed non perimus. Vides quoniam se tribulationem pati, nõ in vno, sed in omnibus dicit, hoc est, & in his, quæ forinsecus accidunt, & ab alijs inferuntur, & in his, quæ ipse intra semetipsum pro corporis cõtinentia, & optimarum institutionũ laboribus perfert. Et propterea dicit: quia in his omnibus tribulationem patimur, sed nõ angustiamur. Neque enim angustiari potest, qui virtutibus dilatatur. Et vt adhuc quod dicimus, hoc modo clarius fiat, ipse Paulus scribit in consequentibus: Scio humiliari, scio & abundare, & in omnibus, & ad omnia imbutus sum, & saturari, & esurire, & abundare, & penuriam pati. Igitur si verum illud, quod superius dixit, in omnibus tribulationem patimur, certum est hoc ab eo indicari, quia & cum penuriam patitur, tribulatur, & cum abundat, nihilominus tribulatur. Tribulatur autem in penuria, quia deest: in abundantia vero, quia semetipsum refrenat, ne per abundantiam resoluatur, vel ne minus competenter ea, quæ videntur abundare, dispenset: sic & cum esurit, & cum saturatur, & cum persecutiones patitur, & cum in requie degit. Aque hoc modo, qui in his omnibus tribulatur, recte in tribulationibus gloriatur.

HIERONYMVS sic habet. Si Deus pacem, tranquillitatem, quietem, prosperitatem, & alia iucunditatum genera, seruis, & cultoribus suis tam in præsenti, quàm in futuro promitteret, esset nobis non immerito dolendum, si qua in præsenti vita contraria pateremur, eo quod præter insperatum dolorem, cuius eo semper acerbior vis est, quo magis repentinus acciderit, futura quoque promissio esset ambigua, præsentis spei sollicitatione frustrata. At vero, cum e contrario sollicitudines, bella, tempestates, inquietudines, miserias, odia, ac alia quæcumque incommodorum, atque ærumnarum genera esse creduntur, in præsenti nos passuros esse prædixerit, contra prędictæ commutationis tædium, vnde promissa non erit quis prosperitate securus. Si vero commonitus fueris, in ipsa commonitione habebis solatium. Et quamuis ex prædicto malo aduersæ valetudinis quispiam acerbissime perturbetur, perturbationem tamen non absque consolatione suscipiet, qui in ea promissæ sanitatis signa esse cognoscit. Pari ratione nos quoque iucundos esse, ac lætos, dum spei nostræ signa conspicimus, comprobationem eius sumimus, cum per mala præsentia, futura bona indubitatæ fidei manibus iam tenemus. Siquidẽ salus nostra in tempore tribulationis. Vnde ait Dominus: Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In hoc autem mundo pressuram habebitis. Quid hoc est, quod dicit, vt in me pacem habeatis, in hoc autem mundo pressuram habebitis? Nisi, vt tanta in nobis sit eius credulitas pollicitationis, vt cum mundi mala patimur, futuræ spei fiducia in summa pace nos esse credamus, tãtaq. sit in nobis spes futurorum, vt omnino non sentiamus nos sustinere illa, quæ patimur. Sed ea potius arbitremur iam obtinere, quæ credimus, & præsentes angustias non sentiamus, dum in fututam spem tota animi intentione protendimur. Ac si bellator aliquis dolorem vulneris, aut contemnat, aut nesciat, dum omnibus viuacitatis sensibus solam videtur cogitare victoriam; ita certa spes rem vincit instantem, vt illud quodammodo esse incipiat, quod futurum est, & desinat esse, quod præsens est. Vnde dicit: Mulier, cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius, cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundo. Et vos nunc quidem tristitiam habebitis, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Aptissimum namque ad comparationem tribulationum præsentium, & futurorum gaudiorum, prægnantis mulieris induxit exemplum: quæ quãuis causam partus non absque ingenti sciat dolore transire, quia auiditate nimia liberos cupit, doloris tormentum spernit, dum, quod satis diligit, concupiscit, & ante gaudet ex prole, quàm contristetur ex partu, nec recusat fœcunditatis exordia, quamuis certa sit ea nõ absque magnis angoribus euentura. Sed & in omnibus pene rebus humanis difficile potest esse lætitia, nisi tristitia ante præcesserit, & amaritudo præeuntis doloris, commendat amplius gaudia secutura. Sic quidem pretiosior sanitas est, quæ post languoris recuperatur incommodum, & a qualibet parte, ex maiori sæpe laboris necessitate, ad ampliorem solet felicitatem veniri. Sic, qui litteræ scientiam desiderat habere, si discendi non susceperit tædia, peritiæ gaudia adipisci non poterit. Agricola quoque de vbertate frugum lætari non poterit, nisi prius terram multo labore confecerit, & tanto magis prosperitatis spem congerit, quanto se amplius desudasse cognouerit, & de labore impenso sperat vbertatis augmentum. Arbores namque ipsæ tanto numerosiore grauantur fructu, quanto acerbioris frigoris violentia reprimuntur, cum precoces flores opportuna castigatio refrenando ad periculum festinare non patitur, vtile impedimentum pruinæ, & quod reprimit, non obfocat, sed includit. At vero si paulo clementior vis extiterit imbrium, quanto luxuriant prius indisciplinata festinatione, tanto post fructibus deseruntur, cum futuræ vires importuno tempore consumuntur. Semina quoque ipsa terræ iacta, quanto glaciali frigore arcente, tardius surgunt, in frugem, vtili radice proficiunt, ac tanto postmodum amplioribus fructibus prægrauata curuantur. Nauigantibus quoque ipsis longæ serenitatis spem pollicetur nimis valida, & diuturna tempestas. Sic & omnium fere creaturarum spei, difficile exultatio aliqua nisi mærore præeunte succedit. Quæ cum ita sint, æquanimiter ferre conue-

nit, etiam si nos tribulationum, ac dolorum asperioris hiemis procella concusserit, tanto ampliorem æstatis fructum delaturi, quanto præsenti frigore vitam habere contigerit acriorem. Nec vlla nos insurgentis pelagi debet terrere tempestas, cum ventura nostra sit etiam numquam finienda tranquillitas. Vnde congestio laboris vitanda non est, quæ est augmentatio commodorum. Sic namque negotiatorum auiditas, amplioris quæstus causa, nec maria pertimescit, nec terrena, quæ interdum etiam causæ solent esse damnorum, & propter maioris lucri spem, nauigationis, & peregrinationis incommoda libenter assumit, quia quamuis magnus, facile contemnitur labor, vbi non tam laboris quantitas, quàm eius vtilitas cogitatur. Et si id fieri propter temporalia, & incerta lucra conspicimus, quid nobis propter æterna, & sine vlla ambiguitate ventura sit agendum, cogitemus. Sed ego te cur ad tribulationis patientiam hnmanis, aut præsentis vitæ pronocare conor exemplis, cum nullum pene sciamus fuisse sanctorum, qui procellosum huius temporis agonem absque tribulationis tempestate transierit, & tantorum odia, insectationemq. pertulerit, quantos vitæ suæ dissimilitudine castigarit? Castigare enim alium videtur, qui ab eius conuersatione dissentit. Nonne sanctus Abel, qui in hoc mundo primus innocentiam conseruasse reperitur, cum illibata Deo obtulisset munera, mox vsque ad mortis illationem humanum, vel quod sceleratius est, fraternum statum inuenitur odium, inuidiamque sensisse. O Cain miserande, quid agis? Quid tibi solitarius commeruit frater? Quã vim intulit, quam fecit iniuriam? Sed quæ maior iniusto iniuria esse potest, quàm vita iustitiæ? Conditionem iustitiæ hoc facto pandimus, quæ statim cum odio sui cœpit, quæ ne tunc quidem absque multa persecutione esse potuit, cum vnum tantum haberet inimicum. Et si tam grande odium ab vno hoste perpessa est, vt vsque ad vitæ interemptionem veniret non homo quicumque, sed frater, quid ex ea tunc sustinere posse credendum est eum, qui hostes tot extraneos habet, qui dicunt, Venite, circumueniamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris? Sanctus quoque Abraham, quæ vel quanta perpessus est, dum patriam, & propinquos deserit, dum vxoris sterilitatem dolet, dum propter escæ inopiam, modo in Aegypto, modo in Geraris peregrinationis sentit iniurias, dum mori propter vxoris pulphritudinem timet, dum se circumcidit, dum filium cum matre ejicit, dum in Isaac dilecto tentatur, dum religiosus parricida esse præcipitur? Ipse vero Isaac, quibus tribulationum generibus quatitur, dum escæ inopiam patitur, dum peregrinationis experitur labores, dum propter vxoris speciem nimiam ipse metuit, dum regis æmulationem patitur? Sanctus quoque Iacob quàm multa patitur. Primum, cum fratris sui Esau propter collatam sibi benedictionem, dum eius odium, & indignationem declinans ad Laban solus pergit, cum post viginti annorum mercenariam seruitutem, occulta magis fuga, quàm libera proficiscendi expeditione discedit, cum Laban persecutionem timet, cum fratris sui occursum, cum dilectissimæ vxoris Rachel funus deflet, cum dilectissimum Ioseph acerbo funere consumptum a bestijs dolet. Sanctissimus etiam Ioseph tentationum generibus conflictatur, cui ac si tribulationum semina species videntur fuisse iustitiæ. Nam quoties aliquid sancte, vel pie gessit, toties intolerabilium tentationum discrimina subire compulsus est, iustitiæ consentiens, & spe confortante perduraus.

10 In Psal. 76. to. 7. Psal. 119.

IDEM exponens illa verba; In die tribulationis meæ Deum exquisiui, inquit. Ipsum est, quod & in alio psalmo dicit: Ad Dominum, cum tribularer clamaui, & exaudiuit me. In die tribulationis meæ Deum exquisiui. Difficilem rem dicit. Nos quando tribulamur, in terram deijcimur, nihil aliud nisi de tribulatione cogitamus: iste vero in tribulatione commouetur, vt Deum deprecetur. Ac si aperte dicat: Filium perdidi, incensa est domus mea, ad mendicitatem veni, non quæro illud, quod perdidi, sed Dominum quæro. Si enim istum inuenero, in isto inuenio omnia.

11 Lib. cuius ti tuius est, expositio quarumdã propositionum ex ep. Pauli ad Rom. 4

AVGVSTINVS explicans verba illa; Similiter & spiritus adiuuat infirmitatem nostram. Quid enim oremus, sicut oportet, nescimus, dicit. Nos quid oremus, sicut oportet, nescimus: duas ob res & illud, quod futurum speramus, & quo tendimus, nondum apparet, & in hac ipsa vita multa possunt nobis prospera videri, quæ aduersa sunt, & aduersa, quæ prospera. Nam & tribulatio, quando accidit seruo Dei ad probationem, vel emendationem, videtur nonnunquam minus intelligentibus inutilis: sed si referatur ad illud, quod dictũ est: Da nobis auxilium de tribulatione, & vana salus hominis, intelligitur, quia plerumque de tribulatione nos adiuuat Deus, & frustra salus optatur, quæ aliquando aduersa est, cum delectatione, & amore huius vitæ implicat animam. Inde est illud: Tribulationem, & dolorem inueni. Cum enim dicit, inueni, significat vtilem. non enim recte gratulamur nos inuenisse, nisi quod quærebamus. Ergo quid oremus, sicut oportet, nescimus. Deus enim nouit, & quid nobis in hac vita expediat, & quid post hanc vitam daturus sit.

Psal. 59. Psal. 114.

12 Lib. 1. de ciuit. Dei. c. 8. to. 5.

IDEM sic habet. Patientia Dei ad pœnitentiam inuitat malos, sicut flagellum Dei ad patientiam erudit bonos. Itemq. misericordia Dei fouendo amplectitur bonos, sicut seueritas Dei puniendo corripit malos. Placuit quippe diuinæ prouidentiæ, præparare in posterum bona iustis, quibus non fruentur iniusti, & mala impijs, quibus non excruciabuntur iusti. Ista vero temporalia bona, & mala vtrisque voluit esse communia, vt nec bona cupidius appetantur, quæ mali quoque habere cernuntur, nec mala turpiter euitentur, quibus & boni plerumque afficiuntur. Interest autem plurimum, qualis sit vsus, vel earum rerum, quæ prosperæ, vel earum, quæ dicuntur aduersæ. Nam his bonis temporalibus, nec bonus extollitur, nec malis frangitur: malus autem ideo huiuscemodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. Ostendit tamen Deus sæpe etiam in his distribuendis operationem suam. Nam si nunc omne peccatum manifestata plecteretur pœna, nihil vltimo iudicio reseruari putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte diuinitas, nulla esse prouidentia diuina crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas Deus quibusdam petentibus euidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere diceremus. Itemque si omnibus eas petentibus daret, non nisi propter talia præmia seruiendum illi esse arbitraremur. Hæc cum ita sint, quicumque boni, maliq. pariter afflicti sunt, non ideo ipsi distincti non sunt, quia distinctum non est, quod vtrique perpessi sunt. Nam sicut sub vno igne aurum rutilat, palea fumat, & sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur, nec ideo cum oleo amurca confunditur, quia eodem præli pondere exprimitur, ita vna eademq. vis irruens, bonos probat, purificat, eliquat, malos damnat, vastat, exterminat. Vnde in eadem afflictione, mali Deum detestantur, boni autem precantur, & laudant. Nam pari modo exagitatum, & putorem suũ exhalat cœnum, & suauiter fragrat vnguentum.

13

14 In Psal. 118.

IDEM exponens illa verba; Cum inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ: in tribulatione dilatasti mihi, ait. Cum inuocarem, exaudiuit me Deus, a quo est iustitia mea. In tribulatione dilatasti mihi, ab angustijs tristitiæ in latitudinem gaudiorum me duxisti. Tribulatio enim, & angustia in omnem animam hominis operantis malum. Qui autem dicit; Gaudemus in tribulationibus, scientes quoniã tribulatio patiẽtiam operatur, vsque ad illud, vbi ait: Quoniam charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis, non habet cordis angustias, quãuis extrinsecus a persequentibus ingerantur.

Roma. 2.

Roma. 5.

15 In Psal. 34. concione 2.

IDEM explicans illa verba; Ego autem, cum mihi molesti essent, induebam me cilicio, inquit. Admonemur his verbis in omni tribulatione nostra, non cogitare quemadmodum respondeamus inimicis nostris, sed quemadmodum orando Deum, propiciemus, & maxime, ne tentatione vincamur: deinde vt etiam illi, qui nos persequuntur ad sanitatem iustitiæ conuertantur. Nullum maius, nullum melius negotium est in tribulatione, quàm recedere ab eo strepitu, qui foris est, & ire in interiora mentis: ibi Deum innocare, vbi nemo videt gementem, & subuenientem: illius cubiculi aduersus omnẽ extrinsecus illatam molestiam ostium claudere, humiliare seipsum in confessione peccati, magnificare, & laudare Deum, & corripientem, & consulentem.

Matt. 6.

IDEM exponens verba illa; In die mandauit Dominus misericordiam suam, & nocte declarauit (nostra lectio habet, & nocte canticum eius) dicit. Nulli vacat audire in tribulatione. Attendite, cum vobis bene est, & audite. Discite, cum tranquilli estis, sapientiæ disciplinam, & verbum Dei vt cibum colligite. Quando enim quisque in tribulatione est, prodesse illi debet, quod securus audiuit. Etenim in rebus prosperis mandat tibi Deus misericordiam suam, si ei fideliter seruieris, quia liberat te de tribulatione. Sed non tibi declarat ipsam misericordiam, quam tibi per diem mandauit, nisi per noctem. Cum venerit ipsa tribulatio, tunc adiutorio te non deserit, ostendet tibi verum fuisse, quod tibi per diem mandauit. Etenim scriptum est: Speciosa misericordia Domini, in tempore tribulationis, sicut nubes pluuiæ in tempore siccitatis. In die mandauit Dominus misericordiam, & nocte declarauit. Non tibi ostendit, quia subuenit tibi, nisi venerit tibi tribulatio, vnde erueris ab illo, qui tibi per diem promisit. Ideo admonemur imitari formicam. Sicut enim prosperitas sæculi significatur die, aduersitas sæculi significatur nocte, ita alio modo prosperitas sæculi significatur æstate, aduersitas sæculi significatur hieme. Et quid facit formica? Per æstatem colligit, quod ei per hiemem prosit. Ergo cum est æstas, cum bene est vobis cum tranquilli estis, audite verbum Domini. Vnde enim fieri potest, vt in hac tempestate huius sæculi, sine tribulatione totum hoc mare transeatis? Cui hoc contigit? Et certe si contigit alicui, plus metuenda est ipsa tranquillitas.

16 In Psal. 41. Eccli. 35. Prou. 6. & 30.

IDEM explicans illa verba; Ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum, dicit. Vita nostra in hac peregrinatione non potest esse sine tentatione, quia profectus noster per tentationem nostram fit, nec sibi quisque innotescit, nisi tentatus, nec potest coronari, nisi vicerit, nec potest vincere, nisi certauerit, nec potest certare, nisi inimicum, & tentationes habuerit. Angitur ergo iste a finibus terræ clamans, sed tamen non relinquitur. Quoniam & nos ipsos, quod est corpus suum voluit præfigurare, & in illo corpore suo in quo mortuus est, & resurrexit. Ergo nos transfigurauit in se, quando voluit tentari a sathana. In Christo tu tentabaris, quia Christus de te sibi habebat carnem, de se tibi salutem, de te sibi mortem, de se tibi vitam, de te sibi contumelias, de se tibi honores. Ergo de te sibi tentationem, de se tibi victoriam. Si in illo nos tentati sumus, in illo diabolum superamus. Agnosce te in illo tentatum, & te in illo agnosce vincentem. Iste in tentationibus clamat a finibus terræ, sed non vincitur, quia subdit: In petra exaltasti me, quæ est Christus. Propterea petra illa, in qua ædificati sumus, prior percussa est ventis, flumine, pluuia, quando Christus a diabolo tentaba-

17 In Psal. 60.

tabatur. Ecce in qua firmitate te voluit ſtabilire. Deduxiſti me, quia factus es ſpes mea. Habemus duas vitas, ſed vnam in qua ſumus, alteram, quam ſperamus. In qua ſumus, nota nobis eſt, quam ſperamus, ignota nobis eſt. Tolera in qua es, & habebis, quam nondum habes. Chriſtus laboribus ſuis, tentationibus ſuis, paſsionibus, morte ſua declarauit vitam, in qua es, reſurrectione ſua demonſtrauit tibi vitam, in qua eris. Ideo ergo factus eſt ſpes noſtra in tribulationibus, in tentationibus. Videte Apoſtolum dicentem: Nō ſolum autem, ſed
Rom. 5. & gloriamur, inquit, in tribulationibus, ſcientes, quia tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio ſpem; ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Inter hæc omnia cū angitur cor meū, clamabo a finibus terræ. Sed non me deſerit ipſe, qui me exaltauit ſuper petrā, vt deducat me vſque ad ſe. Ipſe etiam turris factus eſt a facie inimici. Ne feriaris a diabolo, fuge ad turrim; ſi enim ibi fugero non ſolum vitabo tela inimici, ſed etiam in illum, quæ voluero, ſecurus ipſe iaculabor. Ante te eſt turris, recordare Chriſtum, & intra in turrim. Quicquid pateris, cogita, quia prior paſſus eſt Chriſtus, & cogita, quo fine paſſus eſt, vt moreretur, & reſurgeret. Talem & tu finem ſpera, qualis in illo præceſsit, & intraſti in turrim, non conſentiendo inimico.

18 In Pſal. 83. IDEM dicit. Quia titulum impoſuit Dauid pro torcularibus, & nihil poſtea in omni verſu pſalmi dixit de his torcularibus notiſsimis oculis noſtris, non dubitatur alia eſſe torcularia, quæ nos intelligere voluit Spiritus Dei. Propterea, quid agatur in his viſibilibus torcularibus, recordemur, & hoc videamus quemadmodum ſpiritaliter agatur in Eccleſia. Vua certe pendet in vitibus, & oliua in arboribus, pro his enim fructibus ſolent torcularia præparari. Et quamdiu pendent in frutetis ſuis, tanquam libero aëre perfruuntur, & nec oliua oleum eſt, nec vua vinum ante preſſuram. Sic ſunt & homines, quos prædeſtinauit Deus conformes fieri imaginis filij ſui, qui præcipue in paſsione magnus botrus expreſſus eſt. Huiuſmodi ergo homines, antequā accedant ad ſeruitutem Dei, fruuntur in hoc ſæculo tamquam delitioſa libertate, velut vuæ, aut oliuæ pendentes. Sed quoniam dictum eſt:
Eccls. 2. Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Accedens quiſque ad ſeruitutem Dei, ad torcularia veniſſe cognoſcat, contribulabitur, cōteretur, comprimetur, non vt in hoc ſæculo pereat, ſed vt in apothecas Dei defluat. Exuitur
19 carnalium deſideriorum integumentis, quaſi vinacijs. Vnde Paulus ait: Exuite vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induite nouum. Hoc totum non fit, niſi de preſſura; propterea torcularia nominantur. In preſſuris cōſtituti ad hoc cōterimur, vt amorem noſtrum, quo ferebamur in iſta mūdana, ſecularia, fluxa,
Epheſ. 4. peritura exuētes, paſsi in eis in hac vita tormēta, & tribulationes preſſurarum, & abundantiā tentationum, incipiamus quærere illam quietem, quę non eſt de hac vita, & fit Dominus refugium pauperi: & in hac preſſura defluunt vinum, defluunt oleum, quæ ſunt bona deſideria. Si felicitatē tibi iſte mundus arrideat, in preſſura te computa, vt dicas: Tribulationem, Pſal. 114. & dolorem inueni, & nomen Domini inuocaui. Tribulationem inueni, quæ latet. Qui intelligunt in qualibet circumfluentia copiarum, & voluptatum, quamuis ad nutum cuncta deſeruiant, nihil aduerſum terreat, tamen in malo ſe eſſe, quamdiu peregrinantur a Domino, acutiſsimo oculo tribulationem, & dolorem inuenerunt, & nomen Domini inuocauerunt. In his tribulationibus, & preſſuris clamemus: Quàm amabilia tabernacula tua Domine virtutum. Erat in tabernaculis quibuſdam, ideſt, in torcularibus, ſed deſiderabat alia tabernacula, vbi nulla preſſura eſt. In his illuc ſuſpirabat, ab his in illa per deſiderium quodammodo defluebat.

20 In Pſal. 106. IDEM exponens verba illa; Cōfiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum, ait. Iſti verſus quantum animaduertere potui, quater repetiti ſunt, in quo numero ſignificat nobis quattuor quaſdā tentationes, ex quibus nos liberat ille, cui confitentur ſuæ miſerationes. Fac enim hominem primo nihil quærentem, ſecundum vitam veterem ſeductoria ſecuritate viuentem, nihil putantem aliud eſſe poſt hanc vitā, quandoq; finiendam, negligentem, quemdam & ſocordē, obrutum cor habentē, illecebris mūdi, & mortiferis delectationibus conſopitum, vt excitetur iſte ad quærendā gratiā Dei, vt fiat ſollicitus, & tamquā de ſomno euigilet, nonne manus Dei excitat eū? Sed tamen a quo ſit excitatus, ignorat. Incipit autē eſſe iam Dei, & eius ſuauitatem guſtare, cum cognouerit veritatis fidē. Sed antequam cognoſcat, doler, & delet errorē ſuū. Inuenit enim ſe in errore, vult cognoſcere veritatē, pulſat vbi poteſt, tentat, quod poteſt, vagatur qua poteſt, famē etiam patitur ipſius veritatis. Prima ergo tentatio eſt erroris, & famis. Vbi in hac tentatione fatigatus exclamauerit ad Deum, perducitur ad viam fidei, vnde incipiat pergere ad ciuitatē quietis. Cū ergo ibi fuerit iā ſciens, quod obſeruari debeat, nōnumquā multum ſibi tribuēdo, & quaſi de ſuis viribus præſumendo, incipit cōfligere velle bella contra vitia, & propter ſuperbiam ſuperāri. Inuenit ergo ſe ligatū difficultatibus cupiditatū, & non poſſe viā propter cōpedes ambulare. Incluſum ſe ſentit difficultate vitiorū, & tāquā muro impoſsibilitatis erecto, portiſq. clauſis, qua euadat, vt recte viuat, non inuenit; conatur, & non poteſt, ligatum ſe ſentit, exclamat ad Dominū. Secunda ergo tentatio eſt difficultatis in bene operando, ſicut illa prima erroris, & famis. Exclamat in hac ad Dominum,
21 liberat Dominus de neceſsitatibus, rūpit vincula difficultatis, incipit ei iā facile eſſe, quod

difficile fuerat abſtinere a malis. Potuit hoc Dominus ſine difficultate præſtare. Sed ſi hoc ſine difficultate haberemus, largitorem huius boni non agnoſceremus, & non confiterentur Domino miſerationes eius. Poſt has duas tentationes, tertia tentatio excipit hominem: ei loquor, qui iam tranſijt has duas, qui vicit illas difficultates, & probabiliter iam conuerſatur inter homines, ſine vlla querela malorū morum, excipitur tertia tentatione tædij cuiuſdam in moram huius vitæ, ita vt aliquando eum nec legere, nec orare delectet. Tertia tentatio priori contraria: prius enim periclitabatur fame, poſtea faſtidio: iam non te illicit adulterium, nec tamen delectat Dei verbum. Non eſt iſta leuis tentatio: agnoſce te in illa, & exclama ad Dominum, vt de neceſsitatibus tuis etiam hic liberet te, & de hac tentatione liberatus cum fueris, confiteantur illi miſerationes eius. Liberatus autem ab errore, liberatus a difficultate bene operandi, liberatus a tædio, faſtidioq. verbi Dei, fortaſsis dignus eris, cui populus committatur, conſtitueris in gubernaculis nauis recturus Eccleſiam; ibi quarta tentatio. Quanto plus honoramur, tāto plus periclitamur. Poſt has quattuor tētationes, quattuor exclamationes, quattuor liberationes, Eccleſiæ fit commendatio. Primā tentationem explicat, cum dicit; Errauerunt in ſolitudine, in ſiccitate, viam ciuitatis habitationis non inuenerunt. Errorem miſerabilem audiuimus, quid de inopia? Eſurientes, & ſitientes erant, anima eorum in ipſis defecit. Et ideo poſt hunc errorem, & famem, & ſitim, clamauerunt ad Dominum cum tribularētur, & de neceſsitatibus eorum eripuit eos, & deduxit eos in viam rectam, vt irent in ciuitatē habitationis. Quomodo ſubuenerit fame, & ſiti, dicit; Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Quia
22 ſatiauit animam inanem, animam eſurientem ſatiauit bonis. Viue ergo bene, iam in via poſitus es, iam audiſti quid agere debeas, quid ſperare. Quid aliud excipit, quoniam conaris, & ſuperaris. Sedentes in tenebris, & vmbra mortis, vinctos in mendicitate, & ferro. Vnde hoc, niſi quia tibi tribuebas, quia gratiam Dei non agnoſcebas? Nam vide quid adiungat, quoniam inamaricauerunt, ſeu exacerbauerunt eloquium Domini. Per ſuperbiam, iuſtitiam Domini neſcientes, & ſuam volentes conſtituere. Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum, infirmati ſunt, nec fuit qui adiuuaret. Vnde clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſsitatibus eorum ſaluos fecit eos. Liberati ſunt de ſecunda tentatione. Reſtat tædij atque faſtidij. Et eduxit eos de tenebris, & vmbra mortis, & vincula eorum dirupit. Confiteantur Domino miſerationes eius. Quare? quas difficultates vicit? quia contriuit portas æreas, & vectes ferreos confregit. Suſcepit eos de via iniquitatis eorum, propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt. Quia ſibi tribuebāt, non Deo. Sed quod aliud genus reſtat? Omnem eſcā abominata eſt anima eorum. Iam faſtidium patiuntur, faſtidio languent, faſtidio periclitantur. Et ne eos putares de ſatietate ſecuros, & non magis videres de faſtidio morituros, ait. Et appropinquauerunt vſque ad portas mortis. Quarta tentatio eſt, in qua omnes periclitamur. Omnes enim in naui ſumus: alij operantur, alij portantur, ſimul tamen omnes, & in tempeſtate periclitantur, & in portu ſaluantur. Vnde ſequitur: Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis, ideſt, in populis multis. Aſcendunt vſque ad cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos, & exaltati ſunt fluctus eius; foris pugnæ, intus timores. Turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius. Et quid reſtat, niſi quod ſequitur? Et clamauerunt ad Dominum, cum tribularentur, & de neceſsitatibus eorum eduxit eos. Et imperauit procellæ, & ſtetit in auram. Confiteantur Domino miſericordiæ eius. Ille ametur in omni noſtra liberatione, qui eſt inuocatus in omni noſtra tribulatione.

23 In Pſal. 118 ſerm. 31. IDEM exponēs illa verba Prouerbiorum cap. 24. Septies in die cadet iuſtus, & reſurget, inquit. Septies cadit, & reſurgit, ideſt, non peribit iuſtus modis omnibus humiliatus; ſed non præuaricatus, alioquin non erit iuſtus. Nā pro omni genere tribulationis, quæ in conſpectu hominum deijcitur, poſitum eſt, ſepties cadit: & pro eo, quod ex ipſis omnibus tribulationibus proficit, poſitum eſt, reſurget. Satis illuſtrat in eo libro conſequens ſententia præcedentem. Ibi enim ſequitur. Impij autem infirmabuntur in malis: hoc eſt itaque iuſto ſepties cadere, & reſurgere, in omnibus malis non infirmari. Merito igitur ſepties in die laudauit Eccleſia Deum, ſuper iudicia iuſtitiæ ipſius, quia cum tempus eſſet, vt inciperet iudicium 1. Pet. 4. a domo Dei, in omnibus tribulationibus ſuis non infirmata, ſed coronis martyrum glorificata eſt. De re hac multa diximus libro 5. capite 9. libro 6. capite 9. 10. & 11. libro 10. capite 1. & 2. libro 14. capite 1.

Trinitatis ſanctiſsimum myſterium figuris, & comparationibus explicant Sancti, quod rudi plebi caute proponendum eſt. Cap. V.

1 Homil. 9. in Exo. to. 1. Ecclſ. 4. ORIGENES exponit verba illa; Funiculus triplex difficile rumpitur, de fide Trinitatis, ex qua dependet, & per quam ſuſtinetur omnis Eccleſia.

2 Homil. 9. in cap. 6. Iſaię. to. 2. IDEM inquit. Saluator noſter Dei verbum, ſplendor gloriæ dicitur. Splendor enim non ſemel naſcitur, & deinceps deſinit naſci; ſed quotieſcumq; ortum fuerit lumen, ex quo ſplēdor paritur, toties oritur & ſplendor. Splēdor gloriæ Saluator noſter ſapiētia eſt, & ſplendor lucis æternæ. Sic igitur Saluator ſemper naſcitur,

nascitur: & ideirco dicit: Ante omnes colles generat me, non vt quidam male legunt, genuit. Si semper ex Patre nascitur Deus, etiam tu in similitudine eius, iam adoptionis habens spiritum, generaris a Domino per singulos intellectus, per singula opera, & efficeris filius Dei in Christo.

3 CHRYSOSTOMVS intendit ex sacris litteris mysteriũ Trinitatis probare, ad quod primus locus est: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. In quibus verbis loquitur Pater ad coopificem Filium, & ad Spiritum sanctum. Et vt veritas hæc tibi persuadeatur, audi Psaltem dicentem: Verbo Domini cæli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Dicit ergo Deus Pater Deo Filio, & Deo Spiritu sancto, faciamus hominem ad imaginem nostram: & non dixit meam, & vestram, neque meam, & tuam. Significans autem Scriptura, esse vnam imaginẽ sanctæ Trinitatis, dicit: Et fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit illum. Iterum & alio loco dicit Scriptura: Venite & descendamus, & cõfundamus eorum linguas. dicendo, venite, pares honore exhortando vocat. Neque enim si Angelis imperasset, dicere debuit, venite, sed imperando, ite. Quia autem dixit, venite, vnius est vox ad duos honore æquales. Audi quoque & beatum Iob, qui manifeste declarat inseparabilẽ Trinitatem; dicit enim: Viuit Dominus, qui sic me iudicauit, & omnipotens, qui amaram fecit animam meam, & spiritus diuinus, qui tenetur in naribus meis. Dicendo Dominum, & omnipotentem, & spiritum Dei, consubstantialem prædicat. Discе & hymnum Seraphin clamantium tertio, Sanctus, Sanctus, Sanctus: non enim dicunt semel Sanctus, neque bis Sanctus, neque quater dicunt sancti, vt ne multis nominibus multos deos nobis inducerent, sed vnum solũ. Ter autem dicendo, Sanctus, Sanctus, Sanctus, manifestat vnam & æqualem gloriam Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Paulus autem dicit: Vnus Deus Pater, ex quo omnia, & nos ex illo, & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per illum, & vnus Spiritus sanctus.

Ser. de Trinitate. to. 5.
Gen. 1.
Psal. 32.
Gen. 11.
Iob 27.
Isa. 6.
Eph. 4.

4 IDEM inquit. Contẽdere scire, quid substantiæ Deus sit, postremæ esse insaniæ iudico. Sapientiam Dei Prophetæ perfecte percipere non valent, quantum ij insaniunt, qui substantiam ipsam suis obijcere rationibus posse arbitrantur? De ea, quid Dauid propheta præclarus dicat, audiamus: Mirabilis facta est sciẽtia tua ex me. Vel potius altius repetamus: Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es. Quid, cum terribiliter dicat, significat? Miramur cum timore magnifica ædificia columnarum, maris vastitatem, immensosq. gurgites, sed nõ sine metu, cum eius aspicimus altitudinem. Sic & Propheta, cum vastum id, immensumq. diuinæ sapientiæ mare aspiciat, vertigine quasi tentatus stupescit, ac summo cum timore demirans, recedit, atque exclamat: Confitebor tibi, quoniam terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua. Ac rursus: Mirabilis facta est scientia tua ex me. Corroborata est, & non potero ad eam. Vide modestiam famuli, nota animi gratitudinem. Gratias, inquit, propterea tibi ago, quod te Dominum habeo incomprehensibilem. Non de substantia agit hoc loco, illam enim vtpote inter omnes constantem esse incomprehensibilem omittit. Sed cum Deum esse vbiq; cogitaret, hæc retulit, explicauitq. ne id quidem se intelligere, quomodo fieri possit, vt Deus vbique adsit. Si ascendero in cælum, inquit, tu illic es, si descendero ad infernum, ades. Vides Prophetã id intelligere non valere. Quomodo igitur fieri potest, vt non ad postremum insaniæ sint profecti, qui tantum ab illius gratia absunt, quantum quid ipsa Dei substantia sit, curiose quærunt, & perscrutantur? Atqui hic est ille Propheta, qui dicit: Incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi. verumtamen qui occulta & incerta diuinæ sapientiæ percepit, de hac eadem sapientia refert; Immensa est, incomprehensibilis est. Quippe qui, Magnus Dominus, dicat, & magna virtus eius, & scientiæ eius non est numerus, ideſt nulla est cõprehensio. Vnde Isaias cũ hæc omnia de Deo cõtemplaretur, dixit: Generationem eius quis enarrabit? Non quis enarrat, sed quis enarrabit, vt omnem posteri temporis rationem secluderet. Paulus etiam pacem Dei dicit exuperare omnẽ sensum, iudicia vocat inscrutabilia, viæ sunt inuestigabiles, inenarrabile, quod præparauit diligentibus se, magnitudo finem non habet, scientia caret numero, omnia eius incomprehensibilia sunt, & cum ipse solus sit incomprehensibilis, quis ad tantam insaniam possit accedere? Ex parte cognoscimus, tunc autem cognoscã sicut & cognitus sum. Deum igitur ipsum ex parte cognoscit; nõ tamen ita ex parte, vt partem substantiæ nouerit, & partem ignoret, cum Deus natura simplicissima sit: sed quod Deum sapientem esse certo sciti, quantum sapientia valeat, nescit. Magnum esse minime ignorat, sed quemadmodum, & quæ sit eius magnitudo intelligere non valet. Vbique Deum adesse exploratũ habet, sed quemadmodum, nescit. An prouideat, contineat, regat, gubernet summa cum diligentia omnia, non dubitat, sed modũ quo hæc agat, ignorat. Hac de causa ex parte cognoscimus. Sed iam si placet dimissis Prophetis, & Paulo, cælum petamus, & an illa regione superiori alicui sint, qui Dei substantiam norunt, quæramus. Audiamus Angelos ipsos, non quod de diuina substantia illi disputent inter se se, sed quod glorificant, adorant, & modulos triumphales assidue referunt summo cum timore. Alij gloriam in excelsis Deo modulantur, alij hoc est Seraphin, Sanctus, Sanctus, Sanctus, concinunt, & suos auertunt oculos, cum indulgentiam Dei valeant tolerare. Angeli glorificant, honorant, colunt, adorant, homines pertulanter scrutantur, temere, plus quàm capere possunt:

Hom. 1. de incõprehẽsibili Dei natura.
Psal. 138.
Ibidem.
Psal. 50. 5
Psal. 146.
Isa. 53.
1. Cor. 2.
2. Cor. 9.
1. Cor. 13.
Luc. 2.
Isa. 6.

possunt: illi doulos tegunt, & venerantur, hi contendunt impudenter, aspicere ineffabilem gloriam.

6 IDEM dicit. Vides cælum hoc, quàm pulchrum, quàm amplum, quàm magnificum sit, quemadmodum vario stellarum ordine exornetur, & splendeat, quantum edurare potuerit temporis. Iam enim quinque millia annorum atque etiam plus seruatur, & constat, nec tamen longo temporis spatio effectũ est, & quam principio sortitum est pulchritudinem, eandẽ integerrimam seruat, nulla ex parte factum deterius tanto spatio temporis. Attamen hoc pulcherrimum, splendidissimis stellis elegantissime ornatum, eduransq. tãdiu, Deus, quasi quis per ludum tugurium faceret, ita summa cum facilitate creauit. Quam rem Isaias propheta pulcherrime exprimit, cum dicit: Qui instituit cælum sicut cameram, & extendit sicut tabernaculum super terram. Quid de ipsa terra? Qui cõtinet gyrum terræ, qui fecit terram quasi nihil, tam ingens corpus, tam opus arduum. Animaduerte quot montium moles, quot mortalium gentes, quot arborum, quot quadrupedum, reptilium denique animãtium genera suo dorso sustinet tellus. Sed hanc talem, tantamq. Deus facile adeo condidit, vt Propheta, quòd ne exemplum quidem tantæ facilitatis haberet, perinde ac nihil factum tradiderit. Cum enim non satis rerum conditarum magnitudo, & ornamenta, potentiam, facultatemq. sui Conditoris exprimerent, sed longe ab omni illius vi & excellentia iacerent inferius, modum Prophetæ excogitarunt aliũ, quo possent plus aliquid nobis explicare de diuina potentia, quo magnitudinem non solum creaturarum, sed etiam modum creationis referrent, vt vtraq; ex parte, videlicet tum rerũ 7 magnitudine conditarum, tum facilitate condendi, possemus dignius quid pro virili nostra de Deo omnipotenti intelligere. Non solum autem facilitas hæc in terra patet, sed etiam in ipsa hominum natura. Quippe cum auctor dicat, Qui continet gyrum terræ, & habitantes in ea, quasi locustas, aut quasi stilla situlæ omnes gentes in conspectu eius. Repete omnes gẽtes, complectere animo Syros, Cappadoces, Bithynios, Mysos, Phrygios, Lycios, Assyrios, Arabes, Indos, Ægyptios, Æthiopes, Hispanos, Gallos, Germanos, Pannonios, Medos, Persas, Parthos, Armenos, Thraces, Macedonas, Græcos omnes; adde, Datiam, Dalmatiam, Italiam, &c. ceteraſq. innumerabiles gẽtes, quarum nec nomina quidem nouimus, hæc omnia mortalium genera instar guttæ labentis de situla coram Deo versari autumat. Accipe accuratius, dic quæso quota eius guttæ particula sis, qui Deum, cui vniuersæ gentes pro stilla situlæ habentur, scrutaris atq, examinas? Sed cur de cælo, terra, mari, & natura hominum loquar? cælum superet ipsum nostra oratio, & vlterius pergat ad Angelos. Verum millia Angelorum sunt innumerabilia, mille millia Archangelorum, adde sedes, dominationes, potestates, principatus, cœtus incorporeos virtutum innumeros, denique genera cælestia innumerabilia, quæ omnia Deus creauit tantæ cum facilitate, quantam nemo valeat verbis exprimere: satis enim illi ad omnia fuerat voluisse. Itaque vt vobis voluntas nihil laboris affert, nihil negotij, sic illi creare tot, tantasque virtutes facile fuit. Quod Propheta expressit, cum diceret: Omnia, quæcumque voluit Dominus, fecit in cælo, & in terra. Infra cæli, quod quotidie cernis, naturam scire nequis, & inuisibilis Dei substantiam scire indubie profiteris?

6 Hom. 2. de incõprehẽs. Dei nat.
Isa. 40.
Ibidem.
Isa. 40.
Psal. 113.

8 IDEM explicat locum Pauli, qui de Deo dicit, quod est Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem. Attẽdas velim diligentiæ Pauli; non enim dicit, qui lux inaccessibilis est, sed qui lucem inaccessibilem habitat: scilicet, vt intelligas, quàm ipse habitans Deus inaccessibilis sit, quando domiciliũ quod inhabitat inaccessibile est. Nec dicit lucem incomprehensibilem habitat, sed inaccessibilem, quod longe plus quàm incomprehensibile est. Quod enim inquisitum, inuestigatumq. comprehendi non potest, id esse incomprehensibile dicimus: quod autem, ne inuestigãdi quidem vllo pacto operam patitur, & ad quod nemo propius accedere potest, id inaccessibile est. Nec dixit Paulus quod habitat lucem inaccessibilem hominibus, sed non Angelis; sed absolute quod lucem habitat cunctis creaturis inaccessibilem. Vnde Isaias ait: Vidi Dominum sedentem in solio excelso, & eleuato, & Seraphin stabat iuxta illũ: sex alæ vni, & sex alæ alteri; duabus velabãt facies suas, & duabus velabant pedes suos. Dic quæso quam obrem alas proponũt, & suas operiunt facies? Quid aliud dixeris causæ, quàm splendorem procursantem e solio illo, & fulgur prosiliens ferre nequire? Seraphin stabant iuxta illum; quod loci non significat propinquitatem. Sed cum Spiritus sanctus vellet ostendere, illas essentias quamquam diuinæ substantiæ propiores, non tamen propterea posse prospicere, idcirco dixit: Seraphin stabant iuxta eum, vt ex ipsa loci propinquitate propius quàm nos illas esse ostenderet. Deum namque incomprehensibilem esse, non pari modo nos atque Angeli nouimus. Quemadmodum lucem radiorum solis, non tam cæcus, quàm qui videt esse inaccessibilem nouit, sic naturam Dei inaccessibilem, nõ eodem nos nouimus modo, quo illæ supernæ virtutes, & incorporeæ. Quantum enim inter hominem cæcum, & videntem discriminis est, tantum illæ a nobis differunt. Sed cur de beata illa substantia loquor, quando ne Angeli quidem substantiam homo videre valeat? Quod vt ita esse intelligatis, hominẽ vobis in medium adducam, Dei immortalis familiarem, cum sapientia & religione, cum iustitia, ceterisq. virtutum officijs, sanctum Danielem, vt cum eum ostendam expauescẽtem, deficientem, languentem, destitutum, omnino

8 Hom. 3. de incõprehensibili Dei natura.
1. Tim. 6.
Isa. 6.
Dan. 8.

propter

propter præsentiam Angeli, nemo causa peccatorum, malæq. conscientię hoc accidisse existimet, sed expressa animi illius, virtutisq. amplissima confidentia, naturæ humanæ fragilitas plane deprehendatur, & pateat. Hic igitur
Dan. 10. Daniel trium hebdomadarum diebus panem desiderabilem non comedit, & vinum non introiuit in os eius, nec vnguento vsus est. Tunc visionem meruit illā, cum iam aptior animus eius esset ad recipiendam eiusmodi faciem, leuior scilicet ieiunij beneficio factus, & spiritalior. Quid igitur inquit? Leuaui oculos meos,
Ibidem. & vidi, & ecce vir lineis vestitus, & renes eius accincti auro obrizo, & corpus eius quasi chrysolitus, & facies eius quasi species fulguris, & oculi eius quasi lampas ardēs, & brachia eius, & crura quasi species æris cādentis, & vox sermonum eius, vt vox multitudinis. Vidi autem ego solus hanc visionem, porro viri, qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius irruit super eos, & fugerunt, ego solus relictus vidi, & non remansit in me fortitudo, sed species mea immutata est in me, & emarcuit, nec habui in me quidquam virium. Fuit ille adolescens corpore pulchro, forma per quam venusta. Quem florem, quam elegantiam oris cum summus præsentiæ Angeli pauor absumpsisset, palloremq. induxisset, & vultus tristitiā, adeo, vt perinde quasi animam expirare videretur, hac de causa dixit; Species mea immutata est, & emarcuit. Loquitur ei Angelus, & consolatur, & audiens verba Angeli, rursum frāgitur, & exanimatus labitur in terram. Laborabat Propheta, & occumbebat, animus enim metu vehementi perculsus, conspectuq. impatiens Angeli, minime lucem illam ferre idoneus, admodū conturbatus cadebat. Audiant qui principem Angelorum perpensant, atq; examināt.
Dan. 6. Daniel, quem venerati leonum oculi sunt beluarum ferocissimarum: Daniel, qui plus quàm natura pateretur humana efficere potuit, præsentiam Angeli sui conserui ferre nequiuit, sed defectissimus viribus atq; exanimatus iacuit. Qui tam lōge ab illius iustissimi hominis virtute absunt, & iacent, & sordent, ipsam substantiam Dei se se diligentissime nosse profitentur, quæ millia Angelorum creauit, quorum vnum Daniel videre non potuit. Cum autem Seraphin alis productis se operiunt, nulla prorsus alia ratio est, quam lux, quam inaccessibilem Deum habitare præclare Paulus retulit. Ezechiel etiā, cui verbum Domini factum est iuxta fluuium Chobar, vidit speciem electri, &c. Post hoc, cum vellet exprimere, nec a Propheta, nec a virtutibus illis meram ipsam substantiam recipi, illud addidit; Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.
Ezec. 2.

10 In ep. 1. ad Damas. Papam. to. 3.

HIERONYMVS in epistola 1. ad Damasum Papam, in qua exponit cap. 6. Isaiæ, ait. Isaias postulat ad eloquendum hoc mysterium carbonem: postulat vt omni peccatorum sorde deterſa, primum possit Dei sacramenta cōspicere, dehinc enarrare, quæ videro. Seraphin duabus velabant faciem, & duabus velabant pedes, & duabus volabant. Velabant faciem non suam, sed Dei. Quis enim eius potest scire principium, qui antequā istum conderet mundum; & Angelos, iam in sua erat æternitate? Et duabus velabant pedes, non suos, sed Dei. Extrema quippe eius scire quis potest? Priora annūciate mihi, & nouissima, quæ futura sunt, & dicam, quia dij estis, ait Isaias, significās neminem posse, quid ante mūdum fuerit, & quid post mundum futurum sit, enarrare. Et duabus volabant. Media tantum cognoscimus, quæ ex Scripturarum nobis lectione panduntur, quando mundus plasmatus sit, quando lex data, quando diluuium. Et clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. In ambobus testamentis, quæ significant illa duo Seraphin, Trinitas prædicatur.

11 Lib. 1. de fide ad Gratianum Augustum. c. 2. to. 4.

AMBROSIVS inquit. Secunda Trinitatis persona Verbum dicitur, Filius dicitur, Dei virtus dicitur, & Dei sapientia. Verbum, quia immaculatus. Virtus, quia perfectus. Filius, quia genitus ex Patre. Sapientia, quia vnū cum Patre. Est plenitudo diuinitatis in Patre, est plenitudo diuinitatis in Filio, sed vna diuinitas, vbi nec substantiæ, nec voluntatis vlla est differentia. Infra: Credere mihi iussum est, non discutere permissum est. Credidit Abraham Deo. Filius consempiternus est Patri. Noli credere, quod fuerit vel momentum aliquod, quo fuerit sine sapientia Deus, aut sine splendore lux. Abraham tres vidit, & vnum adorauit. Nam etsi tribus parabat obsequiū, vnius tamen expectabat imperium. Legimus primogenitum Filium, legimus vnigenitum. Primogenitum, quia nemo ante ipsum; vnigenitum, quia nemo post ipsum. Infra: Si Isaias miserum se dicit, qui vidit Dominum Sabaoth, quid ego de me dicam, qui cum immunda labia habeam, cogor de Dei generatione tractare?
Gen. 18.

12 In prologo 2. libri.

IDEM dicit. De bono gignitur bonitas, de sapiente sapientia, de forti virtus, de vero veritas, de viuente vita. Infra: Seraphin dicunt: Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quid sibi vult sub vno nomine sanctitatis, trina repetitio? Si trina repetitio, cur vna laudatio? Si vna laudatio, cur trina repetitio? Trina repetitio cur, nisi quia Pater, & Filius, & Spiritus sanctus sanctitate vnum sunt? Et vt ostenderet Trinitatis vnam esse Deitatem, cum tertio dixisset, Sanctus, Sanctus, Sanctus, addidit singulariter, Dominus Deus Sabaoth. Sanctus igitur Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus sanctus. Adoratur Trinitas, & laudatur.

13 Lib. 1. Hexam. cap. 8. to. 1.

IDEM dicit: Et spiritus Domini ferebatur super aquas. In quibus verbis spiritum cū sanctorum & fideliū sententia pro Spiritu sancto accipimus: vt in constitutione mundi operatio Trinitatis eluceat. Præmisso enim, quia in principio fecit Deus cælum, & terram, idest in Christo fecit Deus, vel Filius Dei Deus fecit, vel per Filium Deus fecit, quia omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil,
Ioan. 1. super-

Psal. 32. supererat plenitudo operationis in Spiritu, sicut scriptum est: Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hic dicimus, quia Deus dixit, & Deus fecit, Spiritus quoque Dei superferebatur super aquas. Denique Syrus, qui vicinus Hebræo est, & sermone consonat, in plerisque sic habet: Et Spiritus Dei fouebat aquas, idest, viuificabat, vt in nouas cogeret creaturas, & fotu suo animaret ad vitam. Nam etiam Spiritum sanctum legimus Creatorem, dicente Iob: Et Spiritus diuinus, qui fecit me.

14 Lib. de dignitate animæ. cap. 2.

IDEM docet, qua ratione imago Trinitatis & vnitatis diuinarum personarum sit in homine, vnde hominis nobilitas pensanda est. Primo, quòd sicuti Deus vnus semper vbique totus est, omnia viuificans, mouens, & gubernans, in quo viuimus, mouemur, & sumus, sic anima in suo corpore vbique tota viget, viuificans illud, mouens, & gubernans: & hæc est imago vnitatis omnipotentis Dei, quam anima habet in se. Quæ quoque quandam sanctæ Trinitatis habet imaginem. Primo in eo, quia sicut Deus est, viuit, & sapit, ita anima secundum suum modum est, & viuit, & sapit. Est quoque & alia trinitas in ea, qua ad imaginem sui Cōditoris perfectæ quidem & summæ Trinitatis, quæ est ex Patre, & Filio, & Spiritu sancto, condita est. Et licet vnius illa naturæ, tres tamen in se dignitates habet, ideſt intellectum, volūtatem, & memoriam. Nam sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre, Filioq. procedit Spiritus sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his item ambobus procedit memoria. Nec enim anima perfecta esse potest sine his tribus, nec horum trium vnum aliquod quantum ad suam pertinet beatitudinem sine alijs duobus integrum constat. Et sicut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus est, non tamen tres dij, sed vnus Deus tres habens personas, ita & anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, non tamen tres animæ in vno corpore, sed vna anima tres habens dignitates, atq; in his tribus eius imaginem mirabiliter gerit in sua natura noster interior homo. Ex quibus quasi excellētioribus animæ dignitatibus iubemur diligere Conditorem, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, ideſt ex toto intellectu, & tota voluntate, & ex tota memoria: vt inquātum intelligitur diligatur, & quantū diligitur semper in memoria habeatur. Nec solus sufficit de eo intellectus, nisi fiat in amore eius voluntas, immo nec hæc duo sufficiunt, nisi memoria addatur, qua semper in mente intelligentis & diligentis maneat Deus, vt sicut non potest esse momentum, quo homo non fruatur Dei bonitate, & misericordia, ita nullum debeat esse momentum, quo præsentem eum non habeat memoria. Et ideo optime videtur mihi dictum, interiorem hominem imaginem esse Dei.
Matt. 22.

15 Lib. 1. de interpellatione. cap. 9.

IDEM dicit. Profunda est altitudo sapiētiæ & sciētiæ Dei, & inscrutabilia iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Non calcauerunt eas, ait Iob, filij glorificantium, nec transiuit per eas leo. Quis enim potuit vias eius cōprehendere, quæ abdite occulta penetrāt? Vnde, inquit, inuenta est sapientia, aut quis locus disciplinæ? Nescit mortalis homo viā eius, nec inuenta est in hominibus. Abyssus dicit, non est in me, & mare loquitur, non est mecū. Non tibi licet scire, o homo, alta sapientiæ, ideo tibi scriptum est: Noli altum sapere, sed time.
Iob 28. *Roma. 11.*
Quid curiosè quæris inuestigare, quod tibi nō expedit scire, nec cognoscere datur? Paulus audiuit aliqua secreta sapientiæ, quæ prohibitus est alijs intimare, & ideo raptus est in paradisum, raptus vsque ad tertium cælum, vt audiret ea, quæ in terris audire non poterat. Si quæ audiuit homo, nō licuit ei loqui, quemadmodum quod non audiuit, inquirit? Imperatoris huius in terris non licet tibi scire consilia, & vis scire diuina? Non licet tibi curiosius inuestigare, quæ in terra geruntur, & curiosius requiris, quid supra cælum agatur? Nescit homo viam sapientiæ, nec in hominibus perfecta inuenta est. Non in Moyse, non in Aaron, non in Iosue, non in Dauid, qui ait:
2. Cor. 12. 16
Incerta, & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi, quid ipse dixit in posterioribus? Vt iumentum factus sum apud te. Supra te est scire, o homo, altitudinem sapientiæ, satis est tibi, vt credas. Si enim non credideritis, inquit, nec intelligetis. Abyssum scire non potes, abyssum non potes comprehendere, quomodo altitudinem sapientiæ comprehendes? Abyssus dixit, non est in me, & tu potes dicere, quia in te est sapientia? Et tu ergo in hoc sæculi istius positus freto, noli perfectam illā Dei sapientiam in hoc mundo quærere, quia mundus eam non cognouit. sed si vis eam inuenire, calca fluctus huius mundi, sicut calcauit Petrus, & ambula super aquas huius sæculi, & porriget tibi dexteram sapientia. Nemo potuit noscere sapientiam, quia nemo nouit Filium, nisi Pater, & nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui voluerit Filius reuelare, sicut reuelauit illi, qui dixit: In principio erat verbum. O homo, quid vis profunda scire sapientiæ, quæ supra te sunt? Timere Deum sapientia est, abstinere a malo disciplina est.
Psal. 50. *Psal. 72.*

17 Lib. de Trinit. to. 3.

AVGVSTINVS dicit vno verbo loquēs de Trinitate, quod nec periculosius alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur.

18 Libro 2.

IDEM inquit. Si in illis vocibus, quæ fiebant in Exodo, & illis omnibus corporalibus demōstrationibus Dominus Iesus ostendebatur, alias Spiritus sanctus, nō ex hoc sequitur, vt Deus Pater numquā tali aliqua specie patribus visus sit. Multa enim talia visa facta sunt illis tēporibus, nō euidenter nominato, & designato in eis vel Patre, vel Filio, vel Spiritu sancto, sed tamen per quasdam valde probabiles

significationes nonnullis indicijs existentibus, vt minus temearium sit dicere, Deum Patrem numquam patribus aut Prophetis per aliquas visibiles formas apparuisse. Danieli apparuit antiquus dierum; Pater dans regnum, & Filius accipiens apparuerunt in specie corporali. *Dan. 7.*

Infra: Visus est Dominus Abrahæ, non vnus, aut duo, sed tres apparuerunt viri, quorum nullus excelsus alijs eminuisse dictus est, nullus honoratius effulsisse, nullus imperiosius egisse. *Gen. 18.*

19 IDEM dicit. Omnis res, quamcumq; cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui: ab vtroque enim notitia paritur, a cognoscente, & cognito. Itaq; mens, cum seipsam cognoscit, sola parens est notitiæ suæ, & cognitum enim, & cognitor ipsa est. Quod ergo cognoscit se, parem sibi notitiam sui gignit, quia non minus se nouit quàm est, nec alterius essentiæ est notitia eius, qua seipsam nouit. Quid ergo de amore dicendum est, cur non etiam, cum se amat, ipsum quoq; amorem sui genuisse videatur? Erat enim amabilis sibi, & antequam se amaret. Cur itaque amãdo se non genuisse dicatur amorem suum, sicut cognoscendo se genuit notitiam suam? Est ergo quædam imago Trinitatis ipsa mens, & notitia eius, quod est proles eius ac de seipsa verbum eius, & amor tertius, & hæc tria vnum, atq; vna substantia. Nec minor proles, dum tantam se nouit mens, quanta est, nec minor amor, dum tãtum se diligit, quantum nouit, & quanta est. In libro etiam vndecimo dicit esse in sensibus vestigiũ Trinitatis, licet non sit imago: quia quãdo videmus, verbi gratia, ibi sunt tria, res, quam videmus, & ipsa visio, & animi intentio, qua detinetur visus in re visa. *Libro 9.*

20 IDEM dicit. Si mysteriũ Trinitatis quærimus, Deus quærentibus adiuuabit, vt spero, ne sit infructuosus labor noster, & intelligamus quemadmodum scriptum sit in Psalmo: *Psal. 104.* Lætetur cor quærentium Dominum, quærite Dominum, & confirmamini, quærite faciem eius semper. Et Isaias ait: *Isa. 55.* Quærite Dominum, & mox vt inueneritis, inuocate eum, & cum appropinquauerit vobis, derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas. Si ergo quæsitus inueniri potest, cur dictum est, Quærite faciem eius semper? An & inuentus forte quærendus est? Sic enim sunt incomprehensibilia requirenda, ne se existimet nihil inuenisse, qui quàm sit incomprehensibile, quod quærebat, potuit inuenire. Cur ergo sic quærit, si incomprehensibile comprehendit esse, quod quærit, nisi quia cessandum non est quamdiu in ipsa comprehensibilium rerum inquisitione proficitur, & melior, meliorq. fit quærens tam magnum bonum, quod & inueniendum quæritur, & quærendum inuenitur? Nam & quæritur, vt inueniatur dulcius, & inuenitur, vt quæratur auidius. Secundum hoc accipi potest, quod dictum est, in Ecclesiastico dicere Sapientiam: Qui edunt me, adhuc esu- *Eccli. 24.*

rient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Manducant enim & bibunt, quia inueniunt, & quia adhuc esuriunt & sitiunt, adhuc quærunt. 21

Deus respexit super filios hominum, vt videat, si est intelligens, aut requirens Deum. Ad hoc ergo debet homo esse intelligens, vt requirat Deum. *Psal. 13.*

Infra: In difficultate & angustia cognoscendæ Trinitatis libet exclamare ad Deum: Mirifica est scientia tua ex me, inualuit, & non potero ad illam. Ex me quippe intelligo quàm sit mirabilis, & incomprehensibilis scientia tua, qua me fecisti, quando nec meipsum comprehendere valeo, quem fecisti, & tamen in meditatione mea exardescet ignis, vt quæram faciem tuam semper. *Psal. 138.* *Psal. 38.*

Inter hæc, quæ multa iam dixi, & nihil illius summæ Trinitatis ineffabilitate dignum me dixisse audeo profiteri, sed confiteri potius mirificatam scientiam eius ex me inualuisse, nec posse me ad illam. Coram te est firmitas, & infirmitas mea, illam serua, istam sana. Coram te est scientia & ignorantia mea. Vbi mihi aperuisti, suscipe intrantem, vbi clausisti, aperi pulsanti: meminerim te, intelligam te, diligam te. Sapiens quidam, cum de te loqueretur, ait: Multa, inquit, dicimus, & non peruenimus, & consummatio sermonum vniuersa est ipse. Domine Deus vnus, Deus Trinitas, quæcumque dixi in his libris de tuo, agnoscant & tui, si qua de meo, & tu ignosce, & tui. *Eccli. 43.*

22 IDEM sic habet. Trinitatem Deus Pater nobis manifestauit, cum propter nimiam charitatem suam, qua nos dilexit, misit Filium suum in similitudinem carnis peccati, vt nos saluaret: misit etiam Spiritum sanctum, quo nos adoptaret in filios. Filium dedit in pretium redemptionis, Spiritum sanctum in priuilegium amoris, se denique seruat hereditatem adoptatis. Pater, & Filius, & Spiritus sanctus nomina sunt pietatis, nomina dulcedinis, nomina suauitatis & amoris. Quid enim dulcius Patre, & tanto Patre, tam dulcissimo, atq; misericordiosissimo? Quid suauius Iesu Christo? Saluator noster totus est vnctus, totus est pius, totus est dulcis, atque suauis, Quid amabilius, & quid suauius, & quid sanctius Spiritu sancto? *Lib. de spir. & anima.*

23 IDEM dicit. Quemadmodum ignis, & splendor, qui igne gignitur, & circumquaque diffunditur, simul esse incipiunt, nec genitus a gignente præceditur, & sicut ignis gignens, & splendor genitus coæui sunt, ita Deus Pater gignens, & Deus Filius genitus, coæterni sunt. *Lib. de Trinit. & vnitate. to. 4.*

24 IDEM ait. Pater non est Filius, sed Pater est Filij, Spiritus sanctus non est Pater, nec Filius, sed Spiritus est Patris, & Filij, tres psonę, sed vnus Deus, quod ostendimus hac similitudine. In igne tria quædã conspicimus, lumen, ignis splendorem, & calorẽ, & cũ sint tria, vnũ lumen & vnus ignis est, simul exurgũt, simulq. cõsistũt, nec ignis præcedit splendorẽ, nec splẽdor calorẽ, & hæc non confuse vnum sunt, nec disiun- *Libro 3. de symbolo ad Cathecumen. to. 9.*

disiuncte tria, sed cum vnũ sint, tria sunt, simul operantur, & cum inseparabiliter operantur, aliud igni tribuitur, aliud splendori, aliud calori. nam cum ad ignem refers combustionem, ibi operantur, & splendor, & calor, & cum ad splendorem refers illuminationẽ, simul operatur & ignis, & calor, cum vero ad caloré refers calefactionem simul operatur ignis, & calor, & splendor. Ita cum dicitur, quod Deus fecerit mũdum, intelligitur Pater cum Filio, & cũ Spiritu sancto. & cum remissio peccatorum tribuitur Spiritui sancto, intelligimus totã Trinitatem etiam hoc donum inseparabiliter operari. Ideo in igne apparere Deus voluit, nam & sancto Moysi in rubo in flamma apparuit, & filijs Israel ducatum in columna ignis prębuit, & super discipulos congregatos donũ Spiritus sancti in linguis igneis effudit. Habet enim hoc elementum magnum sacramentum ad ea, quæ diximus. *Exo. 3.* *Exo. 13.* *Act. 2.*

25 IDEM sic habet. Scriptum est, quia non debemus loqui sublimia gloriantes. Quæ sunt ista sublimia, de quibus non licet multũ loqui, nisi de Dei omnipotẽtia, de vnigeniti eius coæternitate, de sancti Spiritus magnificentia? Veniat igitur contra volentes scire vltra id, quàm necesse est Salomon, & reprehendendo, atque docendo dicat: Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scruteris. Et Paulus: Nõ plus sapere, quàm oportet sapere. Philosophus Aristodemus annis multis insudauit naturam apis inuestigare, nec finaliter potuit. Quomodo ergo nos Trinitatem capere valeamus? Cur miramur o fratres, qui lutei sumus, si nescire possumus naturam Dei? Numquid Angeli in cælo ipsam inuestigare valent? Certum est, quod in die iudicij non damnabuntur Christiani, quòd naturam Dei scire non potuerunt, sed quia Deo obedire neglexerũt. Sufficiat nobis scire de mysterio Trinitatis tantum, quantum Dominus discipulis suis exposuit, quãdo dixit: *Matt. 28.* Baptizate gentes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tres aperte pronunciat personas, sed vnitatẽ ostendit, dicens, in nomine, & non in nominibus. Sancta Trinitas vnus Deus est, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia sunt. Et ne tres Deos putaremus esse, ait *Roma. 2.* Apostolus: Ipsi gloria, non ipsis. Ipsi quidem *Gen. 1.* gloria semper sit, qui ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Cum enim singulariter dicit imaginem, ostendit vnam esse naturam eius, ad cuius similitudinem 26 homo fieret. Cum vero pluraliter dixit nostram, demonstrat Deum non vnam esse personam, ad cuius imaginem homo fiebat. Si enim essentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti vna esset persona, non dixisset nostram, sed meam, nec faciamus, sed faciam. Si vero in illis tribus personis tres essent essentiæ, non dixisset nostrã, sed nostras. Et ideo cum dicit, ad imaginem nostram, indicat Trinitatem vnitatis, ad cuius imaginẽ factus est homo noster interior, qui similitudinem sanctę Trinitatis retinet. Sicut enim Pater Deus, Filius Deus, Spiritus sanctus Deus, non tres Deos credimus, sed vnum Deum tres personas habentem, ita anima intellectus, anima voluntas, anima memoria, nõ tamen tres animæ in vno corpore sunt, sed vna anima, quæ licet vnius sit substantiæ, & naturę, tres tamen habet dignitates, intellectũ, voluntatem, & memoriam. Et sicut ex Patre generatur Filius, & ex Patre Filioq. procedit Spiritus sanctus, ita per intellectum generatur voluntas, & ex his duobus procedit memoria. Sine his tribus anima perfecta esse non potest, nec horum trium vnum sine alijs duobus aliquid integrum consistit. Diximus de re hac libro sexto, cap. 4. *Eccli. 3.* *Roma. 2.*

Tristitia, quæ est in iustis, gratanter suscipienda est, peccatorum autem nocina, & a corde pellenda.

Cap. VI.

CHRYSOSTOMVS exponens verba illa; Et si cõtristaui vos, nõ me pœnitet, nam contristati estis secundum Deum. Nam qui secũdum Deum est dolor, is pœnitentiam in salutem stabilem operatur, inquit. In his verbis ostendit Paulus, quod non semper tristitia grauis res sit, sed quando secundum mundum est. Quid autem est secundum mundum? Quando contristaris propter diuitias, propter gloriam, propter mortuum, omnia hęc secundum mundum, ideo & mortem facit. Nam qui propter gloriã contristatur, inuidet, & sæpe perire cogitur, qualis erat tristitia Cain, & Esau. Hanc tristitiam vocat secũdum mundum, quæ tristibus perniciosa est. Etenim tristitia illa solum ad peccata vtilis est, quod hinc manifestatur. Qui pro amissis diuitijs cõtristatur, damnum non soluit; qui pro mortuo contristatur, iacẽtem non excitat; qui propter morbum contristatur, non solum non curatur, sed etiam auget morbum; qui vero in peccatis contristatur, hic solum vtilitatis aliquid amplius a tristitia accepit, absumit enim & euanescere facit peccata. Nam quoniã ad hoc remedium confectum est, hoc loco solum valet, & vtilitatem declarat, in alijs autem & nocet. Atque ipse Cain, dicet aliquis, propterea quod Deo non placeret, contristabatur; quod verum non est, sed tristabatur, quia fratrem videbat clarum, cuius munera Deo probabantur. Alioquin si propter Deum doluisset, quia eius dona Deo non erant accepta, imitari debebat fratrem, & illi congratulari, sed declarat se dolendo, secundum mundum contristari. Verum non sic Dauid, neque Petrus, neque aliquis iustorum, ideo vel pro suorum, vel pro aliorum peccatis dolere voluerunt. Quamuis quid tristitia molestius? Sed quando secundum Deum fit, mundi gaudio melior est. Illud enim in nihilum desinit, hæc autem pœni- 1 *Hom. 15. in 2. epi. Pauli ad Cor. to. 4*

tentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Etenim quod admirabile in iſta, hoc eſt, quod nullum pœnitet ſic doluiſſe, id quod mundanæ triſtitiæ proprium eſt. Quid morte filij maiorem dolorem infert? Attamen parentes ſe ipſos præ dolore plangentes in impetu luctus, quamuis nullam ferant inde vtilitatem, ij tamen poſt tempus pœnitentiam agunt, quòd immodice doluerunt, cum nihil vtilitatis inde conſecuti ſint, immo & ſe magis afflixerint. Sed non talis eſt triſtitia ſecundum Deum, ſed habet gemina commoda, & quod quis ſe non incuſat ob dolorem, & quod triſtitia in ſalutem deſinit. Ambobus illis commodis iſta priuata eſt. Etenim ſuo damno dolent, & poſt quam multum doluerint, ſeipſos accuſant, maximum ſignum hoc eſſe oſtendentes, quod dolor ſibi nocuerit. Porro triſtitia ſecundum Deum diuerſo modo ſe habet; ideo & dicebat Paulus, quod pœnitẽtiam in ſalutem ſtabilem operatur. Nullus enim ſeipſum incuſat, ſi de peccato contriſtetur, & lugeat. Id quod & Paulus dicens, non opus habebat aliunde exempla afferre, neque adducere in medium eos, qui in antiquis hiſtorijs triſtes fuerunt, ſed ipſos Corinthios producit, & ab illorum factis ſuum argumentum confirmat. Ecce enim, inquit, hoc ipſum, quod ſecundum Deum contriſtati fuiſtis, quantam in vobis operatũ eſt ſollicitudinem, quaſi diceret: Triſtitia non ſolum non fecit, vt incuſaretis vos ipſos, quaſi temere hoc, & fruſtra feciſſetis, ſed & magis ſollicitos reddit.

3 IDEM inquit. Chriſtus dicebat ſuis: In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite. Et iterum: Plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contriſtabimini: ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudium. Non poteſt citra triſtitiam præſens vita tranſmitti: ſed nos mæreamus, non huiuſmodi rebus, de quibus reges, ſed ex quibus magnũ habemus emolumentum. Nam quæ ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Ex his oportet triſtari, his dolere, his morderi. Ita Paulus pro peccantibus triſtabatur, ita lugebat, ait enim: Ex multa tribulatione, & compreſsione cordis, ſcripſi vobis per multas lachrymas. Quoniam enim de proprijs non habebat quid lugeret, hoc pro alienis agebat, quin & illa ſecundũ luctus rationem propria putabat. Alij ſcandalizabantur, & ipſe vrebatur, alij infirmabantur, infirmabatur & ipſe. Bona eſt talis triſtitia, omni mundana melior lætitia, ita lugentem omnibus hominibus prępono; immo vero & ipſe Dominus ita lugentes beatos vocat miſericordes. Triſtitia hæc ex anima religioſa fit & pia, ex charitate, quam ipſe Chriſtus quærebat, ex fraterna, paternaq. pietate. Huiuſmodi lachrymæ multa ſunt plenæ lætitia, huiuſmodi luctus lætitiæ materia, licet nihil deploratis profimus, nobis ſaltim ipſis proderimus. Qui namq; ſic de alienis dolet, multo magis ex proprijs hoc patietur. In alienis ita deflens, nõ ſine lachrymis ſua pertranſibit errata, quinimmo nec facile peccabit. Id autem grauiſsimum eſt, quod 4
ita ſuper peccantibus lugere viſi, neque de proprijs vllam exhibemus pœnitentiam, ſed ſine dolore cadimus, omnium maiorem gerimus curam, & omnia plus quam propria recogitamus peccata, propterea gaudio lætamur inutili, quod eſt mundi, quod ſtatim extinguitur, & infinitos parit mærores. Triſtemur triſtitia gaudij genitrice, non autem lætitia triſtitiæ parente gaudeamus: lachrymas fundamus, multam ſeminantes voluptatem, neque riſu rideamus, dentium nobis ſtridorem pariente: affligamur tribulatione, ex qua remiſſio naſcitur: neque delicias quæramus, ex quibus multa tribulatio paritur, & anguſtia: in terra pauliſper laboremus, vt in cælo lętemur: in corruptibili vita nos ipſos affligamus, vt in immortali requiem aſſequamur: ne in hoc breui effundamur momento, ne in infinitum angamur: ſuſtine tribulationem, & dolorem, & triſtitiam, ſpe futurorum te paſcens. Tu neque Paulo melior es, neque Petro: ſi vis eadem cum illis aſſequi, quid contrariam ambulas viam? Ad ſupernam ciuitatem non perducit remiſsionis via, ſed tribulationis. Illa lata, hæc anguſta, hanc perambulemus, vt vitam aſſequamur æternam. vbi namque tribulatio, ibi & conſolatio. Cum itaque & Paulus in carcerem cecidit, tunc illa fecit mirabilia, cum naufragatus eſt, & in barbaram eiectus regionem, tunc maxime glorificatus eſt, cum vinctus forum intrauit, tunc vicit & iudicem. Si non propter Deum triſteris, & tribuleris, tribulari omnino neceſſarium eſt ex alia materia ſine lucro. Nam & inuidus, & pecuniarũ amator, & meretrices deperiens, & gloriæ cupidus, & aliorum quiſque malas exercentium actiones, multas ſuſtinet triſtitias, & tribulationes, & lugentibus nihilominus tribulatur. Si vero neque lachrymas fundit, neque luget, propter inuerecundiam, & inſenſibilitatem id facit. Itaque ſi ipſius animam diſcutias, innumeris fluctibus plenam videbis. Cum igitur & illam, & hanc degentes vitam, tribulari neceſſe ſit, cur hanc non eligimus, quæ cum tribulatione nobis infinitas coronas accumulat? Nam & omnes ſanctos Deus ita per tribulationem & anguſtiam agebat, ſimul & illis vtilitatem afferens, & reliquos inſenſatos cautos faciens, ne maiorem meritis de ipſis ſententiam habeant. Sic enim & idololatria principium cœpit, cum homines nimiæ ſupra meritum haberẽtur admirationi. Ita tertiumdecimum deum eſſe putauit Alexandrum, Romanorum Senatus: hic enim hãc habebat poteſtatem deos creandi, & decernendi. Cum igitur ei omnia Chriſti opera renunciata fuiſſent, miſit Gentis princeps interrogatum, an Senatui videretur & ipſe deus decernendus. Illi vero non annuerunt, indignantes & ægre ferentes, quod ante decretum & ſententiam ſuam, effulgens Crucifixi virtus omnem terrarum orbem in ſui traxiſſet admirationem, & venera-

veneratione. Hoc autem & ipſis nolentibus diſpẽſatum eſt, ne mortali decreto Chriſti prędicaretur diuinitas, nec vnus de multis eſſe putaretur, qui ab eis fuerant inſtituti. Macedonẽ inter diuos retulerunt Romani, quia multa magnaq. viuens geſsit, nam & ciuitates ſubegit, & multa bella profligauit, & erexit trophæa: & quid hoc? Non enim hæc diuinæ ſunt argumẽta naturæ: ſed quæ Chriſtus fecit magna ſunt hæc, & inenarrabilia, ſoliq. Deo poſsibilia. Et quæ ſunt hæc? Quæ totus terrarum orbis per opera clamat. Et id quidẽ eſt admirabile, quod poſt crucem hæc Chriſtus operatus eſt per vn- 6
decim mendicos, & piſcatores. Nam quod viuens bella quidem expediat, & victorias, cum ſit rex, & exercitus habeat, & pecuniarum copiam, nihil eſt mirandum, inopinatum nihil, & nouum; quod vero poſt ſepulturam tanta facta ſint vbique terrarum, & maris, hoc diuinam, & ineffabilem prædicat virtutem. Et Alexander quidem poſt mortem ſuam diſsipatum imperium ſuũ, & penitus exterminatũ non reparauit, non aliud geſsit, neque magnum, neq; parvum; quomodo namq; facturus erat mortuus? Chriſtus autem tunc omnem terrarum orbem ad ſe traxit adorandũ, cum mortuus fuiſſet. Et quid de Chriſto loquor? Cũ & diſcipulos, poſtquam obierunt, tunc effulgere fecerit? Quid dico diſcipulos, nam & eorum loca, & ſepulchra, ſimul & tempora peremni memoria celebrari curarit? Tu vero mihi ſepulchrum oſtendas Alexandri, & profer diem, quo vitam finiuit, ſed nihil horum inſigne, ſed omnia deſtructa ſunt, & exterminata: Chriſti vero ſeruorum & ſepulchra clara ſunt, regiam aſſecuta ciuitatem, & dies notiſsimi mundo feſtam afferentes lætitiam. Et illius quidem loculum & proprij neſciunt, horum autem ſciunt & Barbari. Et ſeruorum crucifixi ſepulchra regijs aulis ſunt clariora, non ædificiorum pulchritudine, ſed cõuenientium ſtudio. Nam & ipſe, qui purpuram indutus eſt, accedit illa complexurus ſepulchra, & faſtu depoſito ſtat ſanctis ſupplicaturus, vt pro ſe apud Deum intercedant, & ſcenarum fabrum, & piſcatorem etiam mortuos, vt protectores orat, qui diademate redimitus incedit. Conſtantinum magnum ipſius filius honore magno cenſuit haberi, ſi pro foribus piſcatoris paternum corpus collocaret. Et quod in regijs ſunt ianitores regibus, hoc ſunt in monumento piſcatoribus reges, & illi quidẽ vt domini loca tenent interiora, hi vero tamquã inquilini, & vicini aulæ ianuam ſibi gratum habuere deputari, & infidelibus ex his oſtendentes, quod in reſurrectione maior erit piſcatoribus dignitas: ſi hic enim ita in ſepulchris, multo magis & in reſurrectione ordo commutatus eſt. In ſepulchris regum magna ſolitudo, hic autem magnus concurſus. Et hic quidem regnãs alicui ſubiecto præcipit, vt hunc quidem ſoluat, illum vero liget, ſanctorum autem oſſa nõ hanc habent miſerabilem, & abiectam poteſtatem, ſed illa multo maiorem. Dæmones enim ſiſtunt, & torquent, & vinctos ab illis ſoluũt ſæ- 7
uiſsimis vinculis. Quid hoc foro magis reuerẽdum, cum videatur nemo, nemo dęmonis in ſtet lateribus, voces ſentiũtur, & lacerationes, flagella, tormentaque, ac linguæ ardentes, terribilem illam vim dæmone non ferente? Et cinis, & oſſa, & fauilla inuiſibiles illas poteſtates dilaniant, cuius ſpectaculi gratia multi reges plerumq; peregrinati ſunt. Futuri namque iudicij veſtigia, & ſigna ſanctorum ædes exhibẽt, 01
vbi dæmones flagellantur, corriguntur homines, & liberantur.

AVGVSTINVS exponens verba illa; 8
Tota die cõtriſtatus ingrediebar, ait. Tota die, In Pſa. 37. ſine intermiſsione, tota vita. Sed ex quo cognotomo 8.
uit? Ex quo ſabbatum recordari cœpit. Quandiu enim recordatur, quod nondum habet, non vis, vt contriſtatus incedat? Tota die contriſtatus ambulabã, quoniam anima mea impleta eſt illuſionibus, caro ſanitatem non habet, quid remanet, vnde ſit lætitia? Nõne oportet, vt cõ triſtetur? Triſtitia nobis ſit donec anima noſtra exuatur illuſionibus, & corpus noſtrum induatur ſanitate. Infra: Rugiebam a gemitu cordis mei. Homines, ſi quando audiunt gemitum hominis, plerumque gemitum carnis audiunt, gementem a gemitu cordis non audiũt. Abſtulit neſcio quis res huius, rugiebat, ſed nõ a gemitu cordis, alius, quia abſtulit filiũ, alius, quia vxorem, alius, quia grandinata eſt vinea quia cuppa acuit, quia diripuit iumentum ipſius neſcio quis, alius, quia damnum aliquod paſſus eſt, alius, quia timet hominem inimicũ: omnes iſti a gemitu carnis rugiunt. At vero ſeruus Dei, quia ex recordatione ſabbati rugit, vbi eſt regnum Dei, quod caro, & ſanguis non poſſidebunt, rugiebam, inquit, a gemitu cordis mei.

IDEM ſic habet. Fratres ſic ſe habet miſe- 9
ria noſtræ conditionis, & Dei miſeratio, vt tem Ser. 151. de
pus mæſtitiæ tempus lætitiæ præcedat; ideſt, vt tẽpore. t. 10.
prius ſit tempus mæſtitiæ, poſterius tempus lętitiæ. Tempus mæſtitiæ peccata noſtra repererunt nobis, tempus vero lætitiæ non venit de meritis noſtris, ſed de gratia Saluatoris. Triſtitia ſic eſt, quomodo ſtercus. Stercus non loco ſuo poſitum immunditia eſt, ſtercus non ſuo loco poſitum immundam domum facit, loco ſuo poſitum fertilem facit agrum. Videte ſtercoris locum ab agricola prouiſum. Ait Apoſtolus: Et 2. Cor. 2.
quis eſt, qui me lætificet, niſi qui contriſtatur ex me? Et alio loco: Triſtitia ſecundum Deum, 2. Cor. 7.
inquit, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Qui ſecundum Deum triſtis eſt, in pœnitentiam triſtis eſt de peccatis ſuis. Triſtitia de iniquitate propriam iuſtitiã parturit. Prius tibi diſpliceat, quod es, vt poſsis eſſe, quod non es. Numquid fratres in maſſa tritici purgata inuenies ſtercus? Tamen ad illum nitorem, ad illam pulchritudinem per ſtercus peruenitur. Vnde merito Dominus dicit in Euangelio de quadam arbore infructuoſa: Iam ecce Lucæ 13.
triennium eſt, quod venio ad eam, & fructum in ea non inuenio, præcidam illam, ne mihi agrum impediat. Intercedit colonus, iã ſecuri

imminente infructuosis radicibus, & pene feriente, dicit: Domine dimitte illã, & hoc anno circũfodio ei, & adhibeo cophinũ stercoris; si fecerit fructum, bene, sin minus, succides eam. Arbor ista genus est humanum, adhibeatur cophinus stercoris, si forte det fructum. Ergo fratres, stercoris locus opportunius dat fructũ, importunius autem locum facit immundum.

10 Nescio quis tristis est, inuenio nescio quem tristem, stercus video, & locum quæro; dic amice, vnde tristis es? Perdidi, inquit, pecuniam. Locus immundus, fructus nullus, audiat Apostolum: Tristitia mundi mortem operatur. 2.Cor.7. Non solum fructus nullus, sed etiam magna pernicies. Sic & de ceteris rebus ad gaudia sæcularia pertinentibus, quas res longum esset enumerare. Video alium tristantem, gementẽ, flentem, multum stercoris video, & ibi locum quæro. Et cum viderem tristem, flentem inueni, & orantem: orans nescio quid mihi bonæ significationis ingessit. Sed adhuc locum quæro. Quid enim si iste orans gemens mortem orat inimicis suis? Etiam sic iam plorat, iam rogat, locus immundus, fructus nullus. Inspexi alium rursus gementem, flentem, orantem, stercus agnosco, locum quæro. Intendo autem orationis eius, & audio dicentem: Ego dixi Domine, Psal.40. miserere mei, sana animam meam, quia peccaui tibi. Gemit peccatum, agnosco agrum, expecto fructum, Deo gratias. Bono loco est stercus, non ibi vacat, fructum parturit. Hoc est vere tempus fructuosæ mœstitię, vt conditionem mortalitatis nostræ, abundantiam tentationum, surreptiones peccatorum, aduersitates cupiditatum, rixas concupiscentiarum contra bonas cogitationes semper tumultuantium doleamus, hinc tristes simus. Hoc tempus miseriæ nostræ, gemitus nostri quadraginta dies illi significant ante pascha. Lætitia vero, quæ posterior erit, quietis, felicitatis, vitæ æternæ, his diebus quinquaginta post pascha significatur. Vnum tempus, in quo sumus, alterum, in quo nos futuros esse speramus. Domini passio tempus nostrum significat, in quo nos sumus, & flemus. Flagella vincula contumelię, sputa, spinea corona, opprobria, postremo ipsa crux, quid aliud significãt, nisi tempus, quod agimus, tempus mæroris? Ideo fœdum tempus, sed fœditas ista stercoris sit in agro, nõ in domo. Mæror sit de peccatis, non de cupiditatibus.

11 GREGORIVS explicans verba illa Iob Lib. 1. Moral. cap. 11. to. 2. cap. 1. Vir erat in terra Hus nomine Iob, inquit. Si Iob dolens, & Hus consiliator dicitur, non immerito per vtraq; nomina electus quisque figuratur, quia nimirum consiliatorem animum inhabitat, qui dolens de præsentibus ad æterna festinat. Nam sunt nonnulli, qui vitam suam negligunt, & dum transitoria appetunt, dum æterna, vel non intelligunt, vel intellecta contemnunt, nec dolorem sentiunt, nec habere cõsilium sciunt. Cumque superna, quæ amiserunt non considerant, esse se (heu miseri) in bonis felices putant. At contra electorũ mentes, dum transitoria cuncta nulla esse conspiciunt, ærumnam exilij, quam tolerant, deplorant, & ad sublimem patriam incessantibus se amoris stimulis excitant. Cum ergo dolens videt, quam sit æternum, quod perdidit, inuenit salubre consilium, temporale hoc despicere, quod percurrit, & quo magis crescit consilij scientia, vt peritura deserat, eo augetur dolor, quod necdum ad mensura pertingat. Vnde bene per Salomonem dicitur: Qui addit scientiã, addit, & dolorem. Eccls. 1. Qui enim scit iam summa, quæ adhuc non habet, magis de infimis, in quibus detinetur, dolet. Recte ergo in terra Hus habitare Iob dicitur: quia in scientiæ consilio electi vniuscuiusq; dolens animus detinetur. Iob ergo in terra Hus habitat, dum mens electi, quo magis per consilium viuere nititur, eo angusti itineris dolore fatigatur.

12 IDEM explicans verba illa; Mærens incedebam, sine furore consurgens in turba clamaui, dicit. Sanctus vir, qui paulo superius dixit, Eleuasti me, inferius adiungit, Mærens incedebam. Miro enim ordine vno eodemq; tẽpore conuenire in actibus honorum solet, & foris honor culminis, & intus afflictæ mæror humilitatis. Vnde sanctus quoque vir eleuatus rebus, & honoribus, mærens incedebat, quia etsi hunc prælatum hominibus gloria potestatis ostenderat, interius tamen mærore suo secretum sacrificium Domino cõtriti cordis offerebat: Sacrificium quippe Deo est spiritus Psal.50. contribulatus. Quis terrena sapiens, temporalia amplectens, beatum Iob inter tot prospera lætum non crederet, cum ei supperetet salus, corporis vita, filiorum incolumitas, familiæ integritas, integritas gregum? Sed quia in his omnibus non gaudebat, ipse sibi testis est, qui ait; Mœrens incedebam. Sancto enim viro adhuc in hac peregrinatione posito, omne, quod sine visione Dei abundat, inopia est: quia cum sibi omnia electi adesse vident, gemunt, quòd omnium auctorem non vident. Sed hæc, quæ iuxta historiam de vno diximus, necesse est, vt de diuersis electis Ecclesiæ sentiamus. Ipsa quippe in electis suis etiam per prospera incedit mærens; quia nil sibi vere prosperum deputat, quousque bonum, quod singulariter quę rit, apprehendat. Fideles quippe illius temporali quidem pace perfruuntur, sed perpetue suspirant, honorantur, & afflicti sunt, quia plerũque ibi videntur in culmine, vbi ciues nõ sunt,

13 IDEM exponens verba illa Iob cap. 33. Et Lib. 23. Moral. cap. 13. erudiens eos instruit disciplina, sic habet. Hoc dicit, quia consideranti menti, & se se per pœnitentiam laceranti, quasi quædam plagæ percussionis, sunt lamenta compunctionis. Vnde etiam Salomon recte vim percussionis vtriusque coniungens, ait: Liuor vulneris abstergit Prou. 20. mala, & plagæ in secretioribus ventris. Per liuorem quippe vulneris, disciplinam insinuat corporeæ percussionis. Plagæ vero in secretioribus ventris, sunt interna mentis vulnera, quę per compunctionem fiunt. Sicut enim venter cibis repletus extenditur, ita mens prauis cogitationibus dilatata sublenatur. Abstergunt igitur mala, & liuor vulneris, & plagæ in secretioribus ventris, quia & disciplina exterior culpas diluit, & extensam mentem compunctio pœnitentiæ vltione transfigit. Sed hoc inter se vtraq; hæc differunt, quòd plagæ percussionũ dolent, lamenta compunctionum sapiunt. Ille affligentes cruciant, ista reficiunt, dum affligunt. Per illas in afflictione mæror est, per hęc in mærore lætitia. Quia tamen ipsa compunctio mentem lacerat, eandem compunctionem non incongrue disciplinam vocat. Quattuor quippe sunt qualitates quibus iusti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Cum aut malorum suorum reminiscitur, considerãs vbi fuit, aut iudiciorum Dei sententiam metuens, & secum quærens, cogitat, vbi erit, aut cum malę vitæ prę sentis solerter attendẽs, mærens considerat vbi est, aut cum bona supernæ patriæ contemplatur, quæ quia necdum a dipiscitur, lugens conspicit, vbi non est. Malorum 1.Cor.15. fuorum Paulus meminerat, & ex eis se inquibus fuerat affligebat, cum diceret: Non sum 14 dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei. Rursum diuinum iudicium 1.Cor.9. subtiliter pensans, in futuro male esse mutuebat, dicens: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne forte alijs prædicans, ipse reprobus efficiar. Rursus mala præsentis vitæ 2.Cor.5. Rom.7. pẽsabat, cum diceret: Dum sumus in hoc corpore, peregrinamur a Domino. Et video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mẽtis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ergo homo, quis meliberabit de corpore mortis huius? Et rursus bona æternæ patriæ considerabat, dicens: Videmus nunc per speculũ in ænig- 1.Cor.13. mate, tunc autem facie ad faciem. Atque iterum: Scimus quoniam, si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manu factam, sed æternam in cælis. Mala vitæ præsentis considerans Iob, ait: Tentatio est vita humana super terram. Vnde Dauid quoque Psal.13. ait: Vniuersa vanitas omnis homo viuens. Et quamquam in imagine Dei ambulet homo, vane conturbatur. Qui rursus æternam patriam contemplatus, & hæc mala pensans, in quibus Psal.119. erat, & illa bona considerans in quibus adhuc non erat, ait: Heu me, quia incolatus meus prolongatus est. Et ego dixi in pauore meo, Psal.30. proiectus sum a vultu oculorum tuorum. Subleuatus in extasi (quod nostri interpretes non proprie pauorem vocauerũt) a vultu oculorum Dei vidit se esse proiectum. Post interni quippe luminis visionem, quæ in anima radio claritatis emicuit, ad semetipsum rediit, & cognitione percepta, vel quibus illic bonis deesset, vel quibus malis hic adesset, inuenit. Neque enim quis præsentis vitæ mala, sicut sunt, cõspicere prævalet, si bona æternæ patriæ per contemplationis gustum contingere necdum valet. Vnde & a vultu oculorum Dei proiectum se esse cognouit. Subleuatus quippe vidit, quod se hic videre nõ posse ad se relapsus ingemuit. Perfectam scilicet animam ista compunctio afficere familiarius solet. Vnde aliquando ad 15 quandam inusitatam dulcedinem interni sapo ris admittitur, ac raptim aliquomodo ardenti spiritu afflata renouatur, tantoq, magis inhiat, quanto magis, quod amet, degustat. Atque hoc intra se appetit, quod sibi dulce sapere intrinsecus sentit, quia videlicet eius amore dulcedinis, sibi coram se viluit, & postquam hanc vt cumque percipere potuit, quid sine illa dudum fuisset, inuenit. Cui inhærere conatur, sed ab eius fortitudine sua adhuc infirmitate repellitur, & quia eius munditiæ contemperari non valet, flere dulce habet, sibiq, ad se cadenti infirmitatis suæ lachrymas sternere. Quia ergo, sic affecta anima, contra semetipsam graue certamen tolerat: & quia omnis hæc de nobis controuersia, cum nos afficit, affligit, quamuis delectatione permixta, non modicum dolorem parit. Eliu postquam dixit, Deum nobis per somnium loqui, & locutione eius nostras aures aperiri, non immerito eandem apertionem auriũ disciplinam vocat, quia eo magis nos afficiendo conterit, quo magis ad nos per occultam eius inspirationis gratiam internæ intelligentiæ sonus erumpit. Neque enim fieret quisque extrinsecus, quod est, si non intrinsecus potuisset sentire, quod nondum est. Flemus, cum nos metipsos inspicimus, conditione quidẽ integros, sed culpa vitiatos. Proinde compuncti appetimus vitare, quod fecimus, vt ad id, quod facti fuimus, reformemur. Vnde subdit; vt auertat hominem ab his, quæ fecit, hoc est a peccatis. Vide lib. 7. cap. 4. & lib. 10. cap. 2.

FINIS LIBRI DECIMI SEPTIMI.



LIBER

LIBER XVIII.

LOCORVM COMMVNIVM AD SACRAS CONCIONES.

Vana gloria periculosum, & frequens malum est, & quomodo vincendum. Cap. 1.

QVONIAM vanę gloriæ filia hypocrisis est, & de hypocrisi maloq. eius diximus lib. 8. ca. vltimo (finis enim inanis gloriæ est manifestatio propriæ excellentiæ, si autē homo ad id tēdat per falsa, hypocrisis est in doctrina D. Thomæ 2. 2. quæstione 132. artic. 5) ea propter illa consulēda sunt.

1 In lib. cōst. monast. ca. 11. to. 2.

BASILIVS intendit docere, quod ad recta studia consectanda neutiquam impellere nos inanis gloria debet, & ait. Fugienda cum primis inanis gloria est, quæ non ante labores, a laborum nos susceptione deterret (si quidem leuius hoc esset malum) sed ijs iam transactis, mercedis præmijs exuit, spoliat ve. Illa expugnatu difficilis, & callida salutis nostræ insidiatrix, illa vel in ipsius cæli conuexis insidiarum aduersum nos collocatrix, virtutes ramis in cælum vsque licet expansis, ac porrectis adornatas profligare, ac deturbare pertinacissime contendit. Simul ac enim illa pietatis mercatorem cuiusque modi virtutum mercibus onerariam mentis nauem subsarcinasse, & complesse animaduertit, procella sua ocyus excitata, in eo omni conatu operam dat, vt illam euertat, atque aquis pessundet. Illius enim, qui ad regnum supernum nauigationis suæ cursum instituerat, mente illa ad res humiles gloriasq. hominum contemplandas detorta, vniuersas repentino spiritu ex animo diuitias exufflat, & subrutis virtutum fundamētis, proceritate sua ad cælum vsq; pertingentes labores deturbat, & terræ allidit; cum nos, vt eorum ab homini bus præmia expectemus impellat, quos equum erat, cum oculos in solum Deum haberemus in tētos, illiq. vni recte facta nostra reseruaremus, meritam ab eo solum mercedem referre. Nos vero, cum ad amplectendas virtutes hominum iudicio impulsi potius accedamus, quàm Dei, inanemq. ab illis glorię mercedem flagitemus, iure optimo diuinorum præmiorum frustratio

2

nem incurrimus, quippe qui non propter Deū labores adeamus, sed hominibus operarios nos metipsos locemus. A quibus cum mercedis loco mercedis iacturā auferamus, quid est, quod nobis a Deo reddi amplius poscamus, propter quem animum, vt operis aliquid faceremus, nostrum numquam induximus? Vnde de huiusmodi hominibus Dominus in Euangelio dicit: Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Age igitur, quando hæc ita sunt, fugiamus inanem gloriam, dulcem spiritualium operum expoliatricem, iucundum animarum nostrarum hostem, tineam virtutum, blandissimam bonorum nostrorum deprędatricem, eādemq. meldis illitu fraudis sue veneni coloratricē, & mortiferi hominum mentibus poculi porrectricē, quod opinor ea de causa facit, vt vitio se illi quidius ingurgitent, nec vlla illius expleātur satietate. Dulce quid imperitis humana gloria est. Quin & qui ab hac captiui tenētur, ij facile ab ea impelluntur, vt a recto rerū iudicio aberrent. Qui enim hanc concupiscit, is spreto dormesticorū consilio, id vnum tantūmodo perfectum, & magnificiēdū iudicabit, quod apud imperitam, & promiscuam multitudinē in admiratione esse animaduerterit. Quo fit, vt si nequissimi etiam, ac omnis prorsus iudicij experies sint, qui, quæ mala sūt, admirentur, necessario tamen ea omnia, quæ a studiorū suorum iudicibus probata esse crediderit, facturus sit, qui laudari se cupit. Ex quo intelligi facile potest inanē gloriam, non ad euertendas modo honestas actiones valere, sed ad improbas etiā iter munire. Quo circa danda opera est, ne quoquā omnino a recta ratione, Deoq. recte rationis auctore oculos dimoueamus, sed iter illud, qđ a Deo nobis mōstretur, teneamus. Atqui in huiusmodi cursu, siue is ab aliquibus laudetur, siue cōtra vituperetur, cōiectis in cęlestem laudatorē oculis, neq; illorum laudes magnopere curemus, sed tantū de recto in rebus bonis iudicio illorū gratulemur, neq; istorū vituperatione ab eo vllo modo dimoueamur, potiusq. eorū vicē, tāquam recto iudicio carentiū, atq; in grauissimis tenebris versantiū doleamus.

CHRY-

3 Homil. 3. in 66. Isa. to. 1.

CHRYSOSTOMVS explicās illa verba 2. Paralip. 29. Et fecit Ozias, quod rectum est in conspectu Domini, sic habet. Hoc testimonio magnā illius virtutem declarauit. Non enim solum fecit, quod rectum erat, verum etiam fecit in conspectu Domini. Non apud homines ostentans, quemadmodum apud Iudęos faciebant illi, qui ante eleemosynam tuba canebant, & in ieiunijs facies suas obscurabant; qui orabant in compitis: quibus rebus quid potest esse miserius, vbi post toleratos labores omni præmio frustrabantur? Quid facis homo? Alij redditurus es rationem factorū tuorum, & alium testem citas eorum, quæ facis? Aliū habes iudicem, & alium adhibes spectatorem? Non vides aurigas, qui prætercurrentes totam illam stadij partem, qua vniuersa ciuitas e sublimi spectat sedens in equestri certamine, ibi cōtendunt concertatorum currus subuertere, vbi Cæsarem viderint sedentem, & vnum oculum digniorem, cui fidant, ducūt, quàm tot hominum vultus? At tum, cum videas ipsum Angelorum regem tuo cursui agonetham, hoc est, certaminis iudicem, & præmiatorem præsidere, eo prætermisso, ad conseruorum fugis oculos? Atque ideo sane post innumerabiles luctas incoronatus recedis, post sudores plurimos absque brabijs venis ad Agonothetam. At non talis erat Ozias, sed in conspectu Domini faciebat, quod rectū erat.

Matt. 6.

4 Hom. 15. in c. 5. Matth. to. 2.

IDEM dicit. Quid infelicius credatur esse, quàm cum in portu sedens, naufragium pateris etiam? Hoc autem faciunt hi, qui ob inanem gloriam bona operantur. Ne igitur istud eueniat, cum boni quippiam feceris, noli a me gratiam flagitare, vt Deum certe habeas debitorem. Accipit enim ille fœnus, a quibus non putatur accipere. Habes igitur locupletissimum debitorem, cur illū relinquens, me exigis hominem pauperem prorsus ac tenuem? Numquid enim indignatur hic debitor, cum fœnus exigitur? Num aut verax in soluendo non est, aut soluere sponte dissimulat? Non cernis eius nullo explicabiles sermone thesauros? Non liberalitatem illam inenarrabilem donatoris? Ipsum igitur tene, ipsumq. exige, hac enim exactione iactatur. Nam si ab alio exigi viderit, quæ ipse debet, suam reputabit iniuriā; nec tibi vltra iam reddet, quinimmo te sibi vltionis faciet debitorem. Vnde me indicas, inquit, ingratum? Cuius vero mihi es idoneus conscius paupertatis? Quia scilicet me prætermisso, ad alium importunus accedis, alterum fœneratus es, & alterius exactor efficeris. Nam etsi homo accepit, quod in eleemosyna dedisti, Deus tamen, vt tribueres, imperauit. Se igitur principalem debitorem tuū vult esse, præbens tibi occasiones innumeras exigendi. Noli igitur tantas relinquendo diuitias, tantamq. facultatem, & copiā largiendi, a me, vt accipias, postulare, qui nihil omnino possideo. Cuius enim rei gratia mihi tē ostendis, cum misericordiam pauperibus impendis? Num ego tibi, vt tribueres, imperaui? Numquid a me, vt retribuerem, audisti, vt a me consequenter mercedem videaris exigere? Ipse dixit: Qui miseretur pauperi, fœneratur Deo. Deo igitur fœneratus es, ipsum reposce, sed non tibi in præsenti cuncta restituet: verum hoc quoque tuo commodo facit. Est quippe talis hic debitor non qui (vt alij) festinet ipsum tantummodo fœnus exoluere, sed agit omnia, & vt vsura currat, & creditum ipsum maneat in tuto. Propterea hic quidem reddit ex parte, maximum autem tibi in futuro thesaurum reseruat.

Prou. 19.

5 Hom. 72. in c. 22. Matt.

IDEM inquit. Grauis, atque multiceps certe hæc passio est, alij enim principatu, alij diuitijs, alij robore corporis gloriātur, & progredientes quasi ordine quodam, ad eleemosynam, ieiuniū, orationes, doctrinamq. veniunt, ita multa sunt huius belluæ capita. Verum non est mirabile, inani gloria propter alias res cōmoueri, ieiunio autem, atque oratione iactare, mirabile simul & lachrymis dignum est. Sed ne solum criminemur, modum etiā quemdam exponamus, quo tam truculentam possimus effugere bestiam. Quos igitur primo aggrediamur? Eos ne qui diuitijs, an eos, qui vestibus gloriantur? Eos, qui principatu, an eos, qui doctrina, aut arte quadam, aut robore corporis, aut forma, aut ornatu iactant? Eos ne, qui atrocitate, an eos, qui humanitate, & eleemosyna tumescunt? Multos enim hæc passio riuos possidet, vt vltra vitam nostram progreditur. Mortuus enim est ille, ac ille, inquit, & vt mirabilis quidem fuisse videatur, talia, & talia testamento iussit fieri. Hac ratione ille est inops, ait, ille autem diues. Nam quod acerbum est, a contrarijs etiam hæc fera constat. Primo igitur inuadamus illos, qui eleemosyna gloriantur. Mihi certe ita videtur. Doleo enim, cum inanem considero gloriam rei, quā vehementer quasi pestem insidere, & quasi nutricem regiæ puellæ insidiantem, alit enim eā, sed ad impudicitiam, & infamiam. Nam patrem contemnere iubet, & vt sceleſtis, ac perditis iuuenibus placeat, impudico expollit ornatu, non qualem pater desiderat. Age igitur, aduersus hos ensem stringamus. Fiat ergo a quodam eleemosyna cumulate ad ostentationem. Sic igitur a thalamo paterno primum eam educit, cumque pater iubeat, ne sinistræ quidem eam apparere, ipsa seruis notis, atque ignotis, & quibuscumque obuijs ostentat. Vides a qua lena hoc scortum ad amores turpes hominum impellitur, & quemadmodum ipsi iubeant, ita ornetur? Vis videre quomodo non meretrix simpliciter, sed furiosa meretrix huiusmodi anima efficitur? Quali mente prædita sit, discere studeas. Quid enim furiosius est, quàm omisso cælo, post seruos fugitiuos, & perditos homines per vicos, & angiportus currere, ad inquirendos inimicos, atque amplectendos? Nemo quippe maiore odio multitudini est, quàm qui falsam gloriam ab ea quouis modo aucupatur. Mille namque crimina-

6

tiones in huiusmodi hominem confingunt, nec

aliter

aliter fit, quàm si quis puellam regiam a solio regali depulsam, adulteris viris tradat. Isti ergo quãto magis eos amplecteris, tanto a te magis auertuntur. Deus autem si ab eo gloriam quæras, amplectitur te, atque laudat, & magna retribuere paratus est. Ad hæc, si detrimentum huius iactantię melius perdiscere velis, si quãdo ad ostentationem te, & laudẽ dederis, cõsidera, quomodo mæror confestim surrepat, & continuus permaneat, præceptũq. Christi clamantis in mentẽ veniat, omnem te mercedem perdidisse. Nã si beneficij cõmemoratio, quasi exprobratio est, quid dicemus eum facere, qui beneficia libenter multis ostentat? Quomodo igitur hoc venenum effugiemus? Certe si diligẽter considerabimus, a quibus quærimus gloriam. Dic enim quæso, quemnam eleemosynæ opificem esse putas? Eum videlicet, qui rem ipsam adinuenit, qui optime omnium id facere nouit, & sine termino factitat. Age igitur, responde: si luctas exercitatorias disceres, ad quosnam spectares, aut quibus te in palestra ostenderes? Olera ne, ac pisces vendentibus, an huius luctationis principi, atque magistro? Et certe illi quidem multi sunt, hic vero vnicus. Nonne igitur, si hic te admiratur, illis deridentibus, tu quoque vna cum magistro illos irridebis? Quid, si eloquentiæ artibus præstare velles, nonne si a præcipuis oratoribus laudareris, multitudinis verbã cõtemneres? Quo modo igitur turpe non est, in ceteris quidem artificijs, ac certaminibus, ad magistrum te dumtaxat respicere, hac vero in re contrarium penitus facere, præsertim cum æquale detrimentum non sit? Nam si ad voluntatẽ multorum, non ad iudicium magistri luctaris, in ea re solummodo damnum est, sin vero ostentatione iactas, vitam æternam perdidisti. Si ergo misericorditer dando, similis Deo factus es, diligenter stude in contemnenda etiam ostentatione, similis ei efficiaris, qui morbos hominum cũrans, præcipiebat, ne alicui dicerent. Sed misericors, ac liberalis vocari ab hominibus desideras; quamobrẽm? Nonne nullum est huius rei lucrum, damnum autem inæstimabile? Ipsi enim, quos ad testimonium tuæ liberalitatis citas, latrones absẽte constituuntur, qui te regno cælorum spoliant: immo vero non ab ipsis hoc patimur, sed a nobis. O nouæ calamitatis genus! O furiosam hanc tu batione, quæ tinea corrodere non potest, nec fur violare, ea inanis gloria omnino dispergit! Hæc est tinea cælestis thesauri, hic est fur, qui æterna regna furatur, qui immarcescibiles a nobis diuitias aufert, qui tamquã contagiosus morbus omnia corrumpit. Ita, quoniã prospexit diabolus, tã latronibus, & vermibus, quàm alijs machinis inexpugnabile illud esse præsidium, per inanem gloriam illud expugnat. Sed gloriæ, inquies, cupidus sum. Nõne satis habes a conscientia eius, cui beneficium collatum est, & ab ipso Deo laudari? Sed apud reliquos homines etiam te ostentare cupis. Caue ne contrarium eueniat, quàm desideras. Tu quidem maxime cupis, vt de te admirans, ille misericors, ille humanus, ille benignus, dicat, ipse autem, ille inanis gloriæ cupidus, prædicabit, ille, qui omni quouis modo placere hominibus studet, ceteraq. his deteriora. Sin vero tu celabis, tunc exclamabit, O misericordem illum, atque humanum! Non enim grande aliquid, atque præcipuum occultari diutius Deus patitur, sed si tu celabis, ille manifestabit, & ita maiora lucraberis. Quare ad acquirendam gloriã contraria est omnino ostentatio. Nam ad quod festinanter pergimus, ad illud impedimento solet maxime esse.

9 Hom. 13. in perfecti in Mat. c. 6.

IDEM exponens illa verba; Non habebitis mercedem apud Patrem vestrum, dicit. Quid enim a Deo accipies, qui Deo nihil dedisti? Nam quod propter Deum fit, Deo datur, & ab eo recipitur, quod autem propter homines fit, in ventos effunditur, & a nullo speratur. Quid est enim aliud hominũ laus, quàm ventorum transeuntium sonus? Cessauerunt homines loqui, & perdidit fructum suum, quia propter homines fecit, vt ab eis laudaretur. Quæ est autem sapientia res dare, & verba vacua comparare, aut certe mercedem Dei contemnere in perpetuum manentem in cælis, & fugitiuos hominum sermones eligere? Melius est enim non facere, quàm propter homines facere. Qui enim non facit, etsi in cælo non inuenit, vel super terram nihil perdit, qui autem propter homines facit, & in terra perdit, & in cælo non inuenit. Vel illum aspice, a quo laudem expectas. Ideo te laudat, quia propter Deum te facere putat: si autem intelligeret, quia propter eum facis, vituperaret potius. Quid ergo illi placere festinas, qui si te aliquando intellexerit, deridebit? Sic est homo, qui propter homines facit bonum, sicut mercenarius malus, qui intra tempus locationis suæ comedit omnes mercedes suas, cum autem tempore completo recesserit, nudus egreditur. Sic ergo vacuus vadit ad Deũ, qui mercedem omnium bonorum suorũ accipere desiderauit in sæculo. Tu ergo cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt. Vere hypocritæ, qui propter homines facit: aliud enim habet in corde, aliud mõstrat in opere. In facie quidem propter necessitatem hominum facit, & videtur misericors, in corde autem propter vanam gloriam, & est vanæ gloriæ mercator. Tuba enim est omnis actus, vel sermo, per quem operis iactantia demonstratur. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quod facit dextera tua. Dextra manus est voluntas animę, semper ad bonum contendens, sinistra autem voluntas carnis, semper Deo contraria. Nescit ergo carnis voluntas, quod facit voluntas animæ. Quando ergo voluntas est nobis faciendi eleemosynas propter Deum, voluntas est animæ, & dextra manus nostra. Si subeuntem nobis voluntatem vanam, vt ab hominibus videamur, id est, voluntatem carnis, & manum sinistram repressérimus, nescit sinistra volun-

10 Matt. 6.

tas

tas, quid facit dextra. Si autẽ subeũti huius mũdi voluntati vanæ consenserimus, cõiungimus sinistram voluntatem dextræ, & notum facimus sinistræ, quod dextera operabatur. Et Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Si tu te ipsum ostendas, pauci sunt, qui te laudent, ideſt, qui non intelligant, quod tu latere potueris, qui autem intellexerit, vituperat magis, non laudat. Si autem te Deus ostendat, nemo vituperat, nisi forte malus, cui displicet bonus. Impossibile est enim, vt bonum opus hominis in abscondito dimittat Deus, sed in hoc sæculo manifestat eum, & in illo glorificatur, quia gloria Dei est. Sicut malum opus hominis ad gloriam diaboli est, in eo enim malitiæ eius virtus ostenditur, sic & opus bonum gloria Dei est, in eo enim gloria eius ostenditur. Sicut ergo diabolus, qui suggerit malum fieri, ipse manifestat malum, vt puta ipse suggerit adulterium facere, & ipse manifestat adulterium, ipse suggerit homicidium, & ipse publicat homicidium. Sic Deus, qui dat bonum fieri, ipse publicat omne bonũ in manifesto, ideſt, in sæculo illo futuro, quia hic merces iustitiæ manifesta non potest esse, nisi forte sic in hoc mundo reddit in manifesto, faciens eum omnibus manifestum, & glorificans eum, vt omnes cognoscentes eum Dei hominem esse, venerentur eum. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, &c. Qui amant orare in angulis platearum. Non dixit, in plateis, sed in angulis platearum: vt ne si in plateis orauerint, quasi simulatores religionis vituperarentur, sed in angulis, vt videantur absconse orare. Astuta vanitas, sciunt enim quia hoc ipsum absconse orare laudabilius est, ideo fingunt se abscondere, vt dupliciter laudentur. Primum, quia orant, secundo, quia absconse orant, & amplius se manifestãt per hoc ipsum, quod se abscondunt. Dic hypocrita, vt quid vis, vt videaris orans? Nonne, quia laudabilis res est orare? Vt quid ergo non vis esse laudabilis, qui vis, vt laudaris? O insania vanitatis, esse nolunt, quod desiderant apparere! Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Vnusquisque vbi seminat, ibi metet, & quod seminat, hoc & metet. Propter homines orant, non propter Deum, sic & ab hominibus, nõ a Deo laudantur. Speciem vacuam religionis vendunt, & verbum vacuum laudis emunt, menda citer orant, cum non orent, & mendaciter laudantur, cum non sint laudabiles. Sicut oratio eorum Deum non delectat, sic nec laus hominum eos adornat. Quod enim in verbo positum est, tandiu est, quamdiu dicitur verbum, cum autem finitum fuerit verbum, finitur & bonum, quod positum erat in verbo.

Matt. 6.

12 Rom. 2. in Ioan. to. 3. Ioan. 12.

IDEM explicans verba illa; Ex principibus multi crediderunt in eũ, sed propter Pharisæos non confitebantur, vt de synagoga non ejicerentur, potius enim hominum, quàm Dei gloriam optarunt, ait. Nullo pacto fieri potest, vt is, qui tanto studio sæculari gloriæ seruiat, diuinam vmquam assequatur. Idcirco his verbis reprehenduntur: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam inuicem accipitis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quæritis? Intolerabilis quædam ebrietas est inanis gloria, ideoque, quẽ suæ subiecit ditioni, is ægre in sanitatem restituitur. Et quàm pestifera rabie infecit animam, a cælo abscindens, terræ affigit, neque eam amplius sinit, vt ad veram lucem dirigere possit intuitum, sed in huius sæculi sordibus semper eius persuasione deuoluitur, & dominos nobis tam potentes imponit, vt etiam sine iussu aliquo nos exuperent, nobisq. perpetuo dominentur. Qui enim hoc morbo afficitur, nullo præceptore omnia sua sponte operatur, quę dominis suis placere, quibusque plurimum eos lætari arbitratur. Etenim pulchra veste eorum causa induitur, faciemq. ornat, non sibi, sed alijs, caterua sequentium stipatur, quo omnes ipsum admirentur, quidquid denique facit, aliorum tantum gratia facit. Num quicquam posset esse molestius? Vt alijs admirationi sit, præceps frequẽter agitur. Vis eius intelligere tyrannidem? Satis tibi ex Christi verbis constabit; audi & quæ sequuntur. Nam si quempiam negotiatorem, qui pretiosissimas sibi merces magno auri pondere comparauerit, rogaueris, quanam gratia tantum auri profundat, quidve tantos sibi sumptus velit, nullam aliam ab eo rationem accipies, quàm vt populo placeat. Quod si deinde, quid populus sit, percõtaberis, quidam, inquit, tumultus, perturbationisq. plenum, e stultitia maiori ex parte constans, atque compositum temere, per maris fluctus varia, & pugnante sententia sæpenumero iactatum. Qui igitur sub eiusmodi dominij seruitio premitur, nonne omnium sane est miserrimus? Alij animæ affectus, etsi magno sint homini no cumento, aliquã saltem afferunt voluptatem, quamuis breui duraturam. Nam qui pecuniarum, aut mulierum flagrant desiderio, eaſq. sectantur, nonnullam tandem voluptatem cum damno licet breuissimam capiunt. Quos vero hic morbus irretiuerit, hi semper omni priuati voluptate vitam viuunt quàm miserrimam. Neque enim, quod tantopere exquirunt, multitudinis gloriam assequuntur, sed cum ea frui videantur, ea tamen omnino carent, cum id nulli prorsus gloriæ sit adnumerãdum: ideoq. non gloria, sed inanis gloriæ opus appellatur. Inanem gloriam hanc maiores nostri omnes merito dixerunt. Inanis namque est, nihil in se habens, neque clarum, neque glorioſum, tamquam personæ, quæ pulchræ quidem visu, & decoræ, intus inanes reperiuntur: quare cum aspectu ipso elegantiores appareant, neminem tamen vmquam ad se amandum allexerunt. Ita nihil etiam miserius, quæ multitudine cõpararur, gloria, difficilem nobis, & violentum affectum significat, aspectu namque solo pulchra, atque ẽlegans videtur, intrinsecus autem non inanis modo, verum etiam ignominiosa, crudelitatis, & violentiæ plena. Vnde igitur tam temerarius, tam insanus absque vlla

Ioan. 5.

13

volu-

voluptate affectus? Non aliunde sane, quàm a vili, & abiecto animo. Neque enim fieri potest, vt qui gloriæ dulcedine capitur, magnum aliquid egregium sapiat, sed ignominia illico ipsum notari necesse est, & animi abiecti, infamis, atque exigui existimari. Qui enim nihil propter virtutem, sed vt hominibus, & rudibus, & indoctis placeat, operatur, quive in omni re fallacem hominum, atque erroris plenã exquirat sententiam, quam is gloriam meretur? Animaduerte, si quis eum percontaretur, quid tu multitudinem esse arbitraris? Proculdubio & desidem, & nullę bonæ rei deditam respondet. Quid autem? An ex illius numero fieri optares, si quis eumdem iterum interrogaret, non vtique mihi assensurum persuadeo. Nonne igitur maxime ridiculũ est eorum gloriam aucupari, quorum ne similis quidem esse velis? Si autem dixeris multos etiam constantes viros hac esse sententia, idcirco longe magis contemnendos dicimus. Nam si sponte sua contemptibiles sunt, cum multi fuerint, maiorem in modum digni sunt, qui contemnantur. Singulorum enim amentia simul collecta, multitudine ipsa fit auctior. Agite, quid hanc popularem gloriam, tantopere desideratis? Nolite, inquam fratres obsecro; gloriæ namque cupiditas omnia commiscuit, auaritiam, inuidiam, calumniam, insidias peperit, & qui nulla affecti sunt iniuria, in illos, qui de ipsis nihil meriti sunt male, & armat, & efferat. Hæc amicitiæ, & consuetudinis obliuiscitur. Nihil se pudet, sed omni abiecta virtute, omnibus bellum indicit, semper inconstans, semper inuisa. Et sane ira, & violẽtus, & intolerabilis morbus est, non tamen semper nocumento esse solet, sed dumtaxat cum irritatur: inanis autem gloria omni tempore pestifera est. Numquam cessat, numquam remittitur, nisi ratione, & cohibeatur, & sedetur, semper præsto est, nõ solum peccandi se hortatricem exhibens, verum etiam si quid recte faciamus, id e manibus summa vi eripere cõtendit, vt nihil recte a nobis inchoari, perficiq. permittat. Quod si auaritiam Paulus idolorum seruitutem appellat, eius matrẽ, radicem, fontem, hoc est, inanem gloriam, quo nomine merebitur appellari? Nullum quidem, si recte eius malitiã contemplabimur, dignum inueniemus. Abstineamus ergo fratres, & pernitiosum hoc exuamus vestimentum, quo abiecto, fiamus aliquando liberi, veram induti libertatem, & veræ nobilitatis, quæ a Deo nobis elargita est, cognitionem non negligamus, sed sæcularem gloriam, qua nihil risu dignius, nihil turpius, nihil ignominiosus; si quidem huius gloriæ cupiditas, ignominia est. Est autem vera gloria, eam vt nullius momenti contemnere, & ad diuinam voluntatem omnia, & verba, & opera nostra dirigere. Ab eo enim mercedem accipere poterimus, si eo solo erimus spectatore contenti. Nonne hoc ridiculum, atque absurdum, cum quidquid seruus operatur, ad gratiam, & amorem sui domini conciliandum facit, eoq. vidente, & probante seruitium suum, contentus sit, neque aliorum laudibus moueatur, nos cum tantum, tamq. summum Dominum habeamus, alios, qui nos, & opera nostra videant, & probent, disquirere, maxime cum nihil vel nobis vtiliratis afferre, sed tantum inspicere possint, quæ facimus? Accedit ad hoc, quod omnis noster labor inanis fit, & irritus.

14

IDEM sic habet. Non minus peccat gloriæ seruus, quàm fornicator, immo longe plura, & grauiora committit. Gloriæ cupiditas in Gentilibus malorum omnium causa fuit. Hinc & Iudæi in perfidia manserunt, quos arguens Christus, inquit: Quomodo potestis vos credere, qui gloriam ab inuicem accipitis? Fugiamus igitur inanem gloriam, quæ ceteris est affectibus violentior, hinc auaritia, hinc bella, hinc odia. Quam si absconderimus, reliqua malitiæ membra interibunt, & nihil prohibuerit, quin terram, vt cælum incolamus. Vana gloria multis nos laboribus subijcit, quorum omnem fructum penitus aufert.

16 Hom. 27. in Ioan.

Ioan. 5.

17 Hom. 28. in Ioan.

IDEM inquit, quod omnium malorum causa est gloriæ insania. Iudæos in contentionem traxit hæc, temerario ausu excitauit, vt ad Iesum venientes, dicerent: Quare discipuli tui non ieiunant? Fugiamus hunc affectum, vt gehennam, hic namque maxime eius ignem accendit, hic diaboli vndique ditionem propagat, hic ætatem, & dignitatem omnem sæuissimo premit imperio, hic Ecclesias huc illuc distrahit, hic ciuilia opera corrumpit, domos, ciuitates, populos, gentes euertit, & si in desertum venerit, multã & illic vim ostendit. Nam qui sępenumero pecunias, & mundi illecebras, & valentioris corporis voluptates valere iubent, & vincunt, hi nonnunquam inani gloria capti, omnia perdiderunt. Qui multum laborauit propter hunc affectum, non laborantis, sed grauiter peccantis præmium accipiet. Pharisæus quàm publicanus propter inanem gloriam minus meruit. Quomodo vincere hanc poterimus? Si gloriam glorię comparabimus. Quemadmodum enim terrenas diuitias contemnimus, cum alias speramus diuitias, ita & huius vitæ gloriam, cum longe maiorem, & veram gloriam coniectabimur, contemnemus. Hæc namque inanis, & stulta est, & nomine tãtum, non re, gloria, illa vero cælestis vera, quæ non homines, sed Angelos, & Archangelos, & Angelorum Dominum, immo & cum his etiã homines laudatores habet. Si illud spectaculum contemplaueris, si illas coronas noueris, si ad illum plausum te transtuleris, numquam aduersum te terrena poterunt prævalere, neq; hæc magnifacies, si habebis, sin minus nõ quæres. Etenim in huius sæculi regijs nemo satellitum ijs omissis, quibus coronato regi, & in solio sedenti placeat, graculorũ voces, muscarũ, & culicũ obuolantiũ stridorẽ prosequitur, neq; enim ijs vlla ex parte potiores hominũ laudes inueniũtur. Humana igitur intellecta miseria, omnia in tutissimos recondamus thesauros, & manentẽ, & incorruptibilẽ gloriã inquiramus.

Mat. 9. & Mar. 2.

IDEM

18 Hom. 28. in Act. Apost.

IDEM ait. Vana gloria subuertit, ac perdit omnia, contra domum, contra mutuam salutem stare facit. Ita cæcitate percutit, vt etiã ductores quærant. Vtinã hoc facerent, vtinam ductores quærerent, sed hoc iam non ferunt, sibi ipsis autem totum permittunt, nullũ sinit videre, sicut caligo imponit, & nebula, non permittens translucere. Qualem ab affectione habebimus defensionẽ, propter timorẽ Domini affectioni non imperantes? Valde intẽperantes, ac amari existẽtes, propter pecuniarũ parsimoniã refrenarunt voluptatẽ, alij contra, propter voluptatẽ contempserunt pecunias. Iterũ, qui vanę glorię dediti sunt, vtrisq; imperãt, opes insumentes largiter, & sobrij sine causa. Alij iterũ, vanæ gloriæ cupidi cũ sint, despexerunt passionẽ, multa fœda sustinentes, & propter amores, & propter pecunias. Alij iterũ, vt irę suę satisfaciant, voluerunt innumeris damnis exponi, neq; illis vllius horũ curę fuit, vt solum voluntatẽ suam perficiant, & id, quod potest affectio, nõ potest apud nos Dei timor? Et quid dico passio, id quod pudor hominũ valet, non potest Dei timor? Multa etiã facimus, & peccamus, homines timentes, Deum autẽ non timemus? Dic mihi, quare non potes gloriam vincere, cum alij eius generis animã sortiti, & eamdem vitã viuentes, possint? Cogita Deum, cogita supernam gloriam, & statim ab hac resilies. Omnino si gloriam quæris, verã gloriam quære, & cõcupisce. Si omnino gloriam amas, magis ama eã, quæ a Deo est. Vt libereris ab illa, cogita, quod plurimos sumptus sine vtilitate facis, cogita mortuos, qui hanc gloriã adepti erant, vt nusquam illa stabilis sit, sed perijt, ac dissipata est. Cogita esse solum nomẽ absq; re. Quid frigidius iusto, si rem talem faciens, concupiscit a multis gloriam? Hoc enim facit, quod & pictor optimus existens, & regiã imaginem pingens, si imperitorũ laudes expectet.

19 Homil. 5. in 2. epist. Pauli ad Cor. 4.

IDEM inquit. Hæc summa virtus est, omnia Deo accepta referre, nihil nostrum ducere, nihil ad humanam gloriam facere, sed ad Dei placita, quia is est, qui rationem exacturus est. Nunc vero ordo inuersus est, cum, qui pro tribunali sedet, & causas excutit, non admodum metuimus, eos vero, qui nobiscũ sunt, simulq. iudicantur, timemus. Vnde igitur hic morbus, vnde in nostras animas inuasit? Ex eo, quod non assidue versamus animo, quæ illic sunt, sed rebus præsentibus affixi sumus. Hinc venit, quod in prauas actiones facile prolabimur, & si quid boni facimus, ad ostentationem facimus. Itaque ne respicias ad conseruos: nam etiam si laudet homo, nulla hinc vtilitas, si Deus non approbet: rursum quamuis damnet homo, nullum detrimentum, si nõ condemnet Deus. Negligamus igitur laudem ab hominibus venientem. Quousque viles, & humilium rerũ admiratores, quousq; Deo nos ad cælum erigente, ipsi studemus humi repere? Cõsiderato, quod & Abraham, cũ hostiam adferret, ac gladium teneret manibus, non vxorẽ, non seruum, non alium quemquã passus est adesse, itaque nec tu sinas seruilium, illiberaliumq. affectuũ quicquam adesse tibi, sed solus ascende in montẽ, quò ascendit ille, quò fas non est quempiam alium ascendere. Quod si quæ talium cogitationum conentur tecum ascendere, imperato illis cũ auctoritate, ac dicito: Sedete hic, ego vero & puer, adorato Domino, reuertemur: & asina, & pueris deorsum relictis, aut si quid aliud brutum est ac mentis indignum, si quid est rationale, assumito, atque ascendito, quemadmodum ille assumpsit Isaac, aramque quemadmodũ & ille ædifica, tamquã nihil habẽs humanũ, sed velut a natura factus alienus.

Gen. 22.

20 Hom. 25. in 2. epist. ad Cor.

IDEM exponens illa verba capitis 11. In quo quis auder (in insipientia dico) audeo & ego. Quoniam multi gloriantur secũdum carnem, & ego gloriabor, sic habet. Insipientiam esse audere de seipso magnaloqui, etiam vbi necessitas postulat, multum nos, vt hoc fugiamus, erudiens. Nam si postquam omnia fecerimus, debemus nos pro inutilibus habere. Vbi autem nulla causa impulerit, qua venia dignus erit, qui seipsum extollit, & gloriatur? Propter hoc & Pharisæo acciderunt ea, quæ euenerunt, nempe, quod in portu naufragium fecit, eo quod impegerit in hunc scopulum. Et idcirco Paulus magna in necessitate recusabat, & subinde inculcabat memorijs insipientiam esse sic agere.

Luc. 17.

21 Hom. 29. in eamdẽ epist.

IDEM exponens illa verba; Gaudemus, quod infirmi fuerimus in hac parte, ait. Quid est, infirmi sumus? Quando existimamur infirmi, non quod simus infirmi, hoc animæ fuerit vanæ gloriæ expertis. Tunc certe virtus maxime a corporis libertat vinculis, & a terra in cælum sublimem esse facit, si pura sit, & vana gloria, quemadmodũ hæc admissa, in plurima inducit peccata. Fieri enim non potest, vt qui non sit purus a vana gloria, sublimis, magnus, & strenuus fiat, sed necesse est, vt humi repat: & magis corrumpit sibi seruientẽ tam polluta domina, quouis barbaro crudelior. Quid enim illa ferocius fuerit, quàm si ei maxime seruitur, tunc enim maxime ferocit, quamuis hoc neque bestiæ efferæ solent, quæ multo ministerio mansuescunt: cõtra vanæ gloriæ cupiditas, quando contemnitur, mansuescit: quando autem colitur, effertur, & se armat contra se colentem. Hanc cum colerent Iudæi, graui supplicio affecti sunt, hanc cum despicerent discipuli, coronati sunt. Et quid dico supplicia, & coronas? Nam si illam respuere maxime facit apparere claros, & videbis etiam hic eos, qui illam colunt, damnum, eos vero, qui contemnunt, vtilitatem accipere. Nam discipuli illam contempsere, clariores sole fulserunt, immortalem adepti memoriam, etiam post mortem. Iudæi vero, qui ab illa victi, sine ciuitate, sine domo, sine honore exules, & instabiles facti sunt, vilesque, ac contemptissimi. Et tu quoque, si vis gloria fulgere, gloriam contemne, sin gloriam sectaberis, gloria excides. Si autem placet, hunc sermonem & in sæcularibus rebus approbabimus. Quos enim maxi-

22

me vituperamus? Nonne eos, qui illius cupidi sunt? Igitur ea isti maxime destituuntur, qui plurimos habēt vituperatores, & ab omnibus contemnuntur. Quos autem admiramur, dic oro? Nonne eos, qui illam maxime contemnunt? Igitur hi sunt, qui glorificantur. Quemadmodum enim dives est, non qui multis, sed qui nullo eget, ita gloriosus est, non qui gloriæ amans est, sed illius contemptor. Vmbra enim gloriæ est ista gloria. Nullus enim panem videns pictum, & iam si multum a fame vexetur, picturam attinget: igitur neque tu vmbras. Vmbra enim gloriæ hæc est, non gloria: quæ & oritur a pusillanimitate, & mente pueruli. Desinamus igitur esse pueruli, & fiamus viri, & vbique veritatem, non vmbras sectemur, & in diuitijs, & in voluptatibus, & in delitijs, & in gloria, & in potentia, & cessabit morbus hic, multaq. alia, vmbram enim sequi, insanientis est. Dic obsecro, si quis ventum sectaretur, vel cohibere attentaret, nonne diceremus illum insanire? Quid autem est tenere vmbram neglecta veritate? Si quis mulierem suam odio habeat, vmbram autem eius amplectatur, vel filium auersetur, & vmbram iterum illius diligat, quæreres ne aliud insaniæ certius indicium? Tales quinam sunt? Et hi, qui ad præsentia stupent. Etenim omnia vmbra, etiā si gloriam dicas, etiam si potentiam, etiam si bonam existimationē. Ea propter & propheta
Psal. 38. dicebat: In imagine pertransit homo, verum-
Psal. 102. tamen frustra conturbatur. Et alibi: Fumum, & florem graminis vocat res humanas.

23 AVGVSTINVS ait. Qui laudatur, mi-
Epist. 64. ad Aurelium Episc. nus sibi assumere debet, quàm offertur; sed tamen ab eis, qui se honorant, nec totum, nec nihil accipiendo, & id quod accipitur laudis, aut honoris, non propter se, qui totus coram Deo esse debet, & humana contemnere, sed propter illos accipiatur, quibus consulere non potest, si nimia deiectione vilescat. Ad hoc enim per-
1. Tim. 6. tinet, quod dictum est: Nemo adolescentiam tuam contemnat, cum hoc ille dixerit, qui alio
Galat. 1. loco ait: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Magnum est, de honoribus, & laudibus hominum non lætari, sed omnē pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad vtilitatē honorantium, salutemq. conferre. Non enim frustra dictum est: Deus confringet ossa eorum, qui ho-
Psal. 52. minibus placere volūt. Quid enim languidius, quid tā sine stabilitate, & fortitudine, quod ossa significant, quàm homo, quē male loquentiū lingua debilitat, cum sciat falsa esse, quę dicuntur? Cuius rei dolor nullo modo animæ viscera dilaniaret, si non amor laudis ossa eius confringeret. Mecum considera, quàm sint grauia, quàm difficilia, quæ dico. Non enim huius hostis vires sentit, nisi, qui ei bellū indixerit, quia etsi cuiquam facile est laude carere, dum denegatur, difficile est ea non delectari, cum offertur. & tamen tanta mentis in Deum debet esse suspensio, vt si non merito laudemur, corrigamus eos, quos possumus, ne arbitrentur, aut in nobis esse, quod non est, aut nostrum esse, quod Dei est, aut ea laudent, quæ quamuis sint in nobis, nequaquam tamen sunt laudabilia, velut sunt bona omnia, quæ vel cum pecoribus habemus communia, vel cum impijs hominibus. Si autem merito laudamur, propter Deum gratulemur eis, quibus placet verum bonum, non tamen pro his, quia placemus hominibus, sed si coram Deo tales sumus, quales nos esse credunt, & non tribuitur nobis, sed Deo, cuius dona sunt omnia, quæ vere, meritoq. laudantur. Hæc mihi ipse canto quotidie, & tamen vehementer cum aduersario dimicans, sæpe ab eo vulnera capio, cum delectationem oblatæ laudis mihi auferre non possum.

24 IDEM de resecando amore laudis humanæ, quoniam iustorum gloria omnis in Deo
Libro 5. de Ciuit. Dei. c. 14. to. 5. sit, sic habet. Huic cupiditati melius resistitur, quàm ceditur. Tanto enim quisque est Deo similior, quanto ab hac immunditia mundior. Quæ in hac vita etsi non funditus eradicatur ex corde, quia etiam bene proficientes animo tentare non cessat, saltem cupiditas gloriæ superetur dilectione iustitiæ; ut si alicubi iacent, quæ apud quosque improbantur, si bona, si recta sunt, etiam amor humanæ laudis erubescat, & cedat amori veritatis. Tam enim est hoc vitium inimicum piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor, vel amor, vt Dominus diceret: Quomodo poteſtis credere, gloriam ab inuicem expectantes, & gloriam, quæ a solo Deo est, non quærentes? Item de quibusdam, qui in eum crediderant, & verebantur palā confiteri, ait Euan-
Ioan. 5. gelista: Dilexerunt gloriam hominum magis
Ioan. 12. quàm Dei. Vnde respiciendum est ad Dominum dicentem: Videte, ne iustitiam vestram
Matt. 6. faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cælis est. Sed rursus, ne hoc peruerse intelligentes hominibus placere metuerent, minusq. prodessent latendo, quod boni sunt, demonstrans, quo fine innotescere deberent, Luceant, inquit opera vestra
Matt. 5. coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est. Sed Sceuolæ, & Curtij, & Decij, qui erant in ciuitate terrena, & regnum non in cælo, sed in terra erat, quid aliud amarent, quàm gloriam, qua volebant etiam post mortem tamquam viuere in ore laudantium?

25 IDEM docet tam turpiter seruire virtu-
In cap. 10. tes humanæ gloriæ, quàm corporis voluptati, & ait. Solent philosophi, qui finē boni humani in ipsa virtute constituunt, ad ingerendum pudorem quibusdā philosophis, qui virtutes quidem probāt, sed eas voluptatis corporalis fine metiuntur, & illā propter seipsam putant appetendā, istas propter ipsam, tabulam quamdam verbis pingere, vbi voluptas in sella regali, quasi delicata quædā regina cōsidat, cui virtutes famulæ subijciantur, obseruantes eius nutum, vt faciant, quod illa imperauerit. Quæ prudentiæ iubeat, vt vigilanter inquirat, quomodo

modo voluptas regnet, & salua sit. Iustitiæ iubeat, vt præstet beneficia, quæ potest, ad comparandas amicitias corporalibus commodis necessarias; nulli faciat iniuriam, ne offensis legibus, voluptas viuere secura non possit. Fortitudini iubeat, vt si dolor corpori acciderit, qui non compellat in mortem, teneat dominam suam, idest voluptatem, fortiter in animi cogitatione, vt per pristinarum delitiarum suarum recordationem mitiget præsentis doloris aculeos. Temperantiæ iubeat, vt tantum capiat alimentorum, & siqua delectant, ne
11 per immoderationem noxium aliquid valetudinem turbet, & voluptas, quam etiam in corporis sanitate Epicurei maximam ponunt, grauiter offendatur. Ita virtutes cum tota suæ gloriæ dignitate, quamquam imperiosæ cuidam, & inhonestæ mulierculæ, seruient voluptati. Nihil hac pictura dicunt esse ignominiosius, & deformius, & quod minus bonorum
16 ferre possit aspectus; & verum dicunt. Sed non existimo satis debiti decoris esse picturam, si etiam talis fingatur, vbi virtutes humanæ gloriæ seruiant. Licet enim ista gloria delicata mulier non sit, inflata tamen est, & multum inanitatis habet. Vnde non ei digne seruit soliditas quædam, firmitasq. virtutum, vt nihil prouideat prudentia, nihil distribuat iustitia, nihil toleret fortitudo, nihil temperantia moderetur, nisi vnde placeatur hominibus, & ventosæ gloriæ seruiatur. Nec illi se ab ista defenderint fœditate, qui cum aliena spernant iudicia, velut gloriæ contemptores, sibi sapientes videntur, & sibi placent: nam eorum virtus, si tamen vlla est, alio modo quodam humanæ subditur laudi. neque enim ipse, qui sibi placet, homo non est. Qui autem vera pietate in Deum, quem diligit, credidit, & sperat, plus intēdit in ea, in quibus sibi displicet, quàm in ea, siqua in illo sunt, quæ non tam ipsi, quàm veritati placent. Neque id tribuit, vnde iam potest placere, nisi eius misericordiæ, cui metuit displicere. In capite anteriori dixerat: Qui gloriam concupiscit, aut vera via nititur, aut certe dolis, atque fallacijs contendit, volens bonus videri, quod non est. Et ideo virtutes habenti magna virtus est contemnere gloriam, qui contemptus eius in conspectu Dei est, iudicio autem non aperitur humano. Quidquid enim fecerit ad oculos hominum, quo gloriæ contemptor appareat, ad maiorem laudem, hoc est, ad maiorem gloriam facere, si credatur, non est vnde se suspicantium sensibus aliter esse, quàm suspicantur, ostendat. Sed qui contemnit iudicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem, quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem. In laudatoribus autem suis quamuis paruipendat, quod eum laudant, non tamen paruipendit, quod eum amant, nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque instat ardenter, vt potius ille laudetur, a quo habet homo, quidquid in eo iure laudatur.

27 IDEM inquit. Plato, cum amicos nobiles inuitasset, tricliniumq. iussisset ornari, non
Lib. 21. de Ciuit. Dei. c. 16. in expos. Ludouici Viues. omnino sordide irrupit Diogenes Cynicus, & spurcis suis, cœnosisq. pedibus cœpit lectulos conculcare, ingressus cum conuiuis Plato, Quid agis, inquit, Diogenes? Calco, inquit ille, Platonis fastum. Calcas, respondit Plato, sed alio fastu maiore, videlicet arrogantia, & iactantia. Diogenes idem multa horrenda faciebat, vt omnium oculos ad se suspiciendum, mirandumq. conuerteret. Idcirco cum in media hieme in rigidissima lauaret aqua, frequensq. populus id spectans, misertus hortaretur, vt sibi parceret, Plato exclamauit: si vultis eius misereri, discedite. Quippe illud Diogenes non virtutis causa, sed circumfusæ multitudinis agebat.

28 IDEM explicans verba illa; Et gloriam
In Ps. 7. t. 8. meam in puluerē deducat, ait. Hic est ille puluis, quem proijcit ventus a facie terræ, superborum scilicet vana, & inepta iactantia, & inflata, & non solida, tanquam vento elatus puluēris globus. Recte itaque hic posuit gloriam, quam non vult, in puluerem deduci, vult enim eam solidam habere in conscientia corā Deo, vbi nulla iactantia est: Qui gloriatur, inquit, in Domino glorietur. Ista soliditas in puluerem deducitur, si per superbiam quisque contemnens secreta conscientiæ, vbi solus Deus hominem probat, velit apud infantes gloriari. Hinc est, quod alibi dicit Deus: Conteret ossa *Psal. 52.* eorum, qui hominibus placent. Qui autē bene didicit, vel expertus est vitiorum superandorū gradus, intelligit hoc vitium inanis glorię, vel solū, vel maxime cauendū esse perfectis. Quo primo enim vitio lapsa est anima, hoc vltimū vincit. Initium autem omnis peccati superbia, *Eccls. 10.* & initium superbię hominis apostatare a Deo.

29 IDEM dicit. Aperuisti mihi oculos lux, &
Lib. soliloquiorū. to. 9 excitasti, & illuminasti me, & vidi quoniā tentatio est hominis vita super terrā, & quod gloriari nō valeat ante te omnis caro; quia si quid boni est, parui, vel magni donum tuū est, & nostrū non nisi malum est. Vnde gloriabitur omnis caro? Numquid de malo? Hęc non est gloria, sed miseria. Sed numquid gloriabitur de bono, numquid de alieno? Tuum Domine est bonum, tua gloria. Qui enim de bono tuo gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est, & latro, & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam. Qui enim laudari vult de tuo bono, & non quærit in illo gloriam tuam, sed suam, hic licet propter tuum donum laudetur ab hominibus, a te tamē vituperatur, quia de tuo dono non tuam, sed suam gloriam quæsiuit. Qui autem ab hominibus laudatur vituperante te, nō defendetur ab hominibus iudicante te, nec liberabitur condemnante te. At tu Domine formator meus ex vtero matris meę, non me finas cadere in illam exprobrationem, vt exprobretur mihi furari voluisse gloriam tuam. Tibi enim sit gloria, cuius est omne bonum, nobis autem confusio faciei, & miseria, quorū est omne malū, nisi tu volueris misereri.

30 GREGORIVS explicãs verba illa Iob 29. capitis. Iustitia indutus sum,& vestiui me
Lib.19. Moral.c.13.t.2. sicut vestimento, & diademate iudicio meo, dicit. Magnopere oportet & bona semper agere, & ab ipsis nos bonis operibus caute in cogitatione custodire, ne si mentem eleuant, bona non sint, quæ non auctori militant, sed elatione. Eleazar namque in prœlio elephantem
1.Mach.6 feriens strauit, sed sub ipso, quem extinxit, occubuit. Quos ergo ille significat, quem sua victoria oppressit, nisi eos, qui vitia superant, sed sub ipsis, quæ subijciunt, superbiendo succumbunt? Quasi enim sub hoste, quem prosternit, moritur, qui de culpa, quam superat, eleuatur. Pensandum ergo magnopere est, quia bona prodesse nequeunt, si mala, quæ subrepunt, non cauentur. Perit omne, quod agitur, si non sollicite in humilitate custoditur. Vnde bene quoque de ipso primo parente dicitur:
Gen. 2. Posuit eum Dominus in paradiso voluptatis, vt operaretur, & custodiret illum. Operatur quippe, qui agit bonum, quod præcipitur, sed quod operatus fuerit, nõ custodit, cui hoc subrepit, quod prohibetur. Beatus igitur Iob, quia ex omni parte bono se opere texerat, dicat: Iustitia indutus sum,& vestiui me sicut vestimento.

31 IDEM exponens illa verba Iob 31. Si vidi
Lib.22. Moral. c.5. solem, cum fulgeret, & lunam incedentẽ clare, inquit. Sunt nonnulli, quos operatio propria non extollit, sed cũ laudari ab hominibus pro hac bona operatione cœperint, ipsis hominũ fauoribus deuicti, quasi magnos se quosdam in sua cogitatione conspiciunt, atque a cordis custodia dissoluuntur. Hi profecto, etsi fulgentem solem videre noluerunt, quia opus bonũ etiam cum alijs exemplorum lucẽ tribueret, ad præsumptionis gratiam non attendit, lunam tamen incedentem clare aspiciũt, quia inter huius vitæ tenebras, dum in opinionis suæ claritate animum defigunt, humilitatis gratiam quasi ex nocturno lumine amittunt, & intuentes lunam se non vident, quia semetipsos nescire incipiunt, dum mentis oculos in transitorium fauorem figunt. Sic autem profectus est hominum, sicut incremẽta esse cõspicimus arbustorum. Vis quippe futuræ arboris prius in semine est, postmodum in ortu, atque ad extremum producitur in ramis. Sic virtus seminatur in intelligentia, oritur in operatione, atque ad vltimum conualescit vsque ad profectus magnitudinem. Sed cum quemlibet sua intelligẽtia extollit, arbor, quæ oriri poterat, in semine putrescit. Cum vero post operationem bonã elationis peste corrumpitur, quasi iã orta siccatur. Cum autem neque intelligentia, neque operatio corrumpit, sed excrescente magnitudine, dum fauor laudantium sequitur, atque a statu suo bene operantis animum auertit, linguarum ventos arbor pertulit, & omne, quod in ea robustum creuerat, tempestas famæ radicitus euulsit. Quo enim altius arbor ad superiora surrexerit, eo ventorũ vim vehementius sentit, quia, quo plus quisq; in bonis operibus
32 attollitur, eo ampliori ab ore laudantium flatu fatigatur. Vnde si arbor valenti robore iam ad alta se subleuat, valde formidandũ est, ne hanc admotæ laudis ventus grauior radicitus euellat. Sed inter hæc sciendum est, quia, ne immoderatis laudibus erigamur, plerumq; miro rectoris nostri moderamine etiã detractionibus lacerari permittimur, vt cũ nos vox laudantis eleuat, lingua detrahentis humiliet, quia & arbor sæpe, quæ vnius venti impulsu ita impellitur, vt pene iam erui posse videatur, alterius e diuerso venientis flatu erigitur, & quæ hac ex parte inflexionem pertulit, ab alia ad statũ redit. Vnde & illa arbor alte radicata, quasi interaduersantes ventos fixa steterat, quæ dicebat: Per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam. Et lætatum est in abscondito
2.Cor.6. cor meum. Qua attestatione quid nobis innuitur, nisi quod nobis magno metu, & circumspectione opus est, ne mẽs nostra vmquam de suis laudibus vel tacita lætetur? Quãuis nonnumquam etiam sancti viri de bona sua opinione gaudeant, sed cum per hanc ad meliora proficere audientes pensant, non iam de opinione sua, sed de proximorum gaudẽt vtilitate, quia aliud est fauores quærere, & aliud de profectibus exultare. Cum humanæ linguæ attestatione laudamur, occulta pulsatione requirimur, quid de nobis ipsis sentiamus, vt in hoc humiles permaneamus. Superba etenim mẽs, etiam cum de se falsa bona dicuntur, exultat, quia nõ apud Deum qualiter viuat, sed apud homines qualiter innotescat, excogitat. Iudicium enim de se omnipotentis Dei despiciens, & solummodo hominum quęrens, inter auditas laudes extollitur, & quę hoc solum quæsierat, quasi de brauio operis lętatur. At cõtra, si cor veraciter humile est, bona, quæ de se audit, aut minime recognoscit, & quia falsa dicuntur, metuit, aut certe si adesse ea sibi veraciter sciat, eo ipso formidat, ne ab æterna retributione Dei sint perdita, quo hæc considerat hominibus diuulgata, pauetq. vehementer, ne spes futuri muneris in mercedẽ permutetur trãsitorij fauoris.
33 Qua ex re agitur, vt electorum animus magno laudum suarũ igne crucietur. Cauta enim consideratione trepidat, ne aut de his, in quibus laudatur, & non sunt, maius Dei iudicium inueniat, aut de his, in quibus laudatur, & sunt, cõpetens præmium perdat. Vnde bene per Salo-
Prou.27. monem dicitur: Sicut probatur in conflatorio argentum, & in fornace aurũ, ita probatur homo ore laudãtis. Argentũ quippe, vel aurum, si reprobum est, igne consumitur, si probũ vero, igne declaratur. Sic nimirũ est & sensus operantis; nam qualis est in eo, quod laudatur, ostenditur. Si enim se auditis suis laudibus extollit, quid iste aliud quàm aurum, vel argentũ reprobũ fuit, quem videlicet fornax linguę consumpsit? Si autem fauores suos audiens, ad superni iudicij considerationem redit, ac ne de his apud occultum arbitrũ grauetur, metuit, quasi ex purgationis igne ad magnitudinem claritatis excrescit, & vnde incendium trepidationis

sustinet,

sustinet, inde clarius fulget. Beatus igitur Iob, quia nequaquam de operatione se prætulit, fidenter dicit: Si vidi solem cum fulgeret. Quia vero hunc a iudicij interioris intuitu fama laudabilis non diuertit, adiungit, Et lunam incedentem clare. Quia autem opinionis suæ gratia animum deuinci nec tacita cogitatione permisit, protinus subdidit; Et si lætatum est in abscondito cor meum. Et quia plerumque inconsiderata mens, dum transitorio fauori non renititur, ad hoc vsque pertrahitur, vt laudet ipsa, quod facit, dicitur: Et osculatus sum manum meam ore meo. Manum osculatur ore suo, qui laudat quod facit, & testimonio propriæ locutionis sibi virtutem tribuit operis. Qua in re quis despicitur, nisi is, qui
1.Cor.4. ipsa operandi munera largitur? Vnde Paulus ait: Quid habes, quod non accepisti? si autem
Apoc.4. accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Vnde sancti adorauernnt viuentem in sæcula sæculorum, mittentes coronas suas ante thronum Domini. Coronas namq; suas ante thronum Domini mittere, est certaminũ suorum victorias non sibi tribuere, sed auctori, vt ad illum referant gloriam laudis, a quo se sciunt vires accepisse certaminis. Iob ergo manum suam ore suo osculatum se negat, ac si patenter dicat: Ego opera mea tamquam mea non profero; quia auctoris sui gratiam negare cõuincitur, quisquis sibi tribuit quod operatur: quæ est iniquitas maxima, & negatio contra Deum altissimum. Liquet enim, quia illum negat, cuius despecta gratia, sibi vires boni operis arrogat.

34 IDEM concludens expositionem Moralẽ
Lib.35. Moral. cap.16. in librum Iob, ait. Ad me intrinsecus rediens postpositis verborum foliis, postpositis sententiarum ramis, dum ipsam subtiliter radicem meæ intentionis inspicio, Deo quidẽ ex ea me summopere placere voluisse cognosco, sed eidẽ intentioni, qua Deo placere studeo, furtim se nescio quomodo intentio humanæ laudis interserit. Quod, cum iam postmodũ, tardeq. discerno, inuenio me aliter agere, quod scio me aliter inchoasse. Sic enim sæpe intẽtionem nostrã, dũ ante Dei oculos recte incipitur, occulte sibi subiuncta, & eam velut in itinere cõprehendens, intentio humanæ laudis assequitur, sicut pro necessitate quidem cibus sumitur, sed in ipso esu dum furtim gula surrepit, edendi delectatio permiscetur. Fatendum est igitur, quod rectam quidem intentionẽ nostram, quæ soli Deo placere appetit, nonnumquam intentio minus recta, quæ de donis Dei placere hominibus quærit, insidiando comitatur. Igitur quæso, vt quisquis hæc legerit apud districtum iudicem solatium mihi suæ orationis impendat, & qui per me verba accipit, pro me lachrymas reddat.

35 IDEM dicit. Ipsis virtutibus quædam vi-
Hom.32.in Euang.to.3. tia iuxta sunt. E vicino namque abstinentiam carnis nonnumquam vana gloria obsidet, quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur: & tanto se celerius foras fundit, quantum ad humanos oculos per ostensum pallorẽ exit. Et plerumq; fit, vt hoc, quod causa Dei agi creditur, pro solis humanis fauoribus agatur. Quod bene Simon ille significat, qui inuentus in itinere, crucem Dominicam in angaria portat. Matt. 27. Aliena quippe onera in angaria portantur, quãdo per vanitatis studiũ aliquid geritur. Qui ergo per Simonem designantur, nisi abstinentes, & arrogantes? Qui per abstinẽtiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiæ interius non requirunt. Crucem ergo Domini in angaria Simon portat, quia cum ad opus bonum ex bona voluntate non ducitur, rem iusti sine fructu peccator operatur. Vnde idem Simon crucem portat, sed non moritur, quia abstinentes, & arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium vanæ gloriæ mundo viuunt.

36 IDEM exponens illa verba; Ionathas extendit summitatem virgæ, quam habebat in
Lib.5. in c. 14. lib. primi Regũ. manu, & intinxit in fauo mellis, & conuertit manum suam ad os suum, & illuminati sunt oculi eius, sic habet. Quid est virgam extendere, & manum ad os cum melle reuocare, nisi tam de prædicationis verbo, quàm de studio boni operis vani fauoris gustum recipere? Sed quia more electorum peccat, non virga, sed extremitate virgæ mel leuare dicitur. Virgam quippe, & manum melle plenam ad os conuertunt, qui iuxta veritatis vocem omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dum enim suis laudibus saturantur, mel non ad tenuem gustum habent in summitate virgæ, sed vel in tota virga, vel in manu ad plenam refectionem. Tales vtique erant, quibus Dominus in Euangelio dicebat: Quomodo potestis credere, gloriam ab inuicem accipientes? Quid ergo est hæc virgæ extremitas, nisi quia plerumque & Dominum glorificare in suo opere quidam volunt, & apparere ipsi laudabiles non refugiunt? Quid vero 37 est, quod ex gustu mellis illuminati sunt oculi Ionathæ, nisi quia, qui vani fauoris auram recipiunt, ex eodem ad agenda fortia roborantur? Aperti oculi dicuntur, quia reparato vigore corporis, ad videndos, & extinguendos hostes reparati sunt. Quod nimirum elatis omnino conuenit, qui ex eo maiora, & fortia agunt, quo laudabilia opera sua efferri conspiciunt. Iusti laudari vehementer refugiunt, sed quia non possunt omnino effugere ne laudentur, conantur esse, quod audiunt. Infra: Et versus populus ad prædam, tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauere in terra, comeditq. populus cum sanguine. In terra oues, & boues, & vitulos mactare, est de virtutum conscientia ima, & carnali lætitia exultare. Vnde & per Oseam pro-
Oseæ 5. phetam de arrogantibus dicitur: Victimas demergebant in profundum. In profundũ quippe victimas mergunt, qui cælestes virtutũ hostias non in cælum per gratiarum actionẽ subleuant, sed ad terram per appetitum vanæ lau-

dis inclinant. Vnde subditur: Comeditq. populus cum sanguine. Mentis cibus interna eius lætitia est. Quid est ergo comedere cum sanguine, nisi ab interno appetitu mentis intentionem vani fauoris nequaquam remouere? Velut enim sanguis abijcitur, cū mens à gaudio boni operis intentionem remouet vanitatis. Cum sanguine ergo comedere, est gaudium boni operis sumere permixtum vanitatis intentione.

38 BERNARDVS ait. Mirabilem te apparere, & contemptibilem reputare, hoc ego ipsis virtutibus mirabilius iudico. Fidelis reuera famulus es, si de multa gloria Domini tui, etsi non exeunte ex te, tamen transeunte per te, nil tuis manibus adhærere contingat. Tunc iuxta Prophetam proijcis auaritiā ex calumnia, & excutis manus tuas ab omni munere. Tunc iuxta mandatum Domini lux tua lucet coram hominibus, ad glorificandum, non te, sed Patrem, qui in cælis est. Sed & imitator Pauli, fideliumq. prædicatorum non prædicantium semetipsos, æque nec tu, quæ tua sunt quæris, sed quæ Iesu Christi. Quamobrē audies & tu: Euge serue fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam. Ioseph, cum domum & omnia bona Ægyptij domini sui sibi credita sciret, dominam non ignorauit exceptam, & ob hoc non acquieuit contingere. Non est, inquit, ex omnibus bonis domini mei, quod nō in mea potestate sit, vel non tradiderit mihi præter te, quæ vxor eius es. Mulierem nouerat gloriam esse viri, & iniquum sibi iudicauit vice contraria inglorium facere eum, qui se fecerat gloriosum. Quid ergo? Homo zelat gloriam suam, & Deum audet velle fraudare de sua quasi non zelantem? Sed audi quid dicat: Gloriā meā, inquit, alteri non dabo. Quid ergo dabis nobis Domine? Pacē, inquit, do vobis, pacem relinquo vobis. Sufficit mihi, grataanter suscipio, quod relinquis, & relinquo quod retines, sic mea interesse non dubito. Abiuro gloriā prorsus, ne forte si vsurpauero non cōcessum, perdam merito & oblatum. Cautus sum, nec ingratus fore beneficio datæ pacis, nec sacrilegus inuasor gloriæ tuæ. Tibi Domine, tibi gloria tua maneat illibata, mecum bene agitur si pacem habuero. Golia prostrato, lætatus est populus pace recepta, sed Dauid singulariter extitit gloriosus. Iosue, Iephte, Samson, Gedeon, Iudith, glorioſe in diebus suis triumpharunt de hostibus, sed pace cum gaudio fruentibus ceteris, nemo eis cō municauit in gloria. Iudas Machabæus multis & ipse inclitus victorijs, cum frequenter exultanti populo pacem fortiter pugnādo tribuisset, numquid gloriam quandoque est partitus alicui? Denique & facta est, inquit, lætitia magna, non gloria in populo. Quid minus ab his omnibus Cōditor omnium fecit, quominus & ipse debeat gloriari singulariter? Solus cuncta creauit, solus de hoste triumphauit, solus captiuos liberauit, & socium habebit in gloria? Quid ergo mihi cum victoria, si nec in prælio fui? Impudentissime mihi arrogo, vel gloriam absque victoria, vel victoriam sine pugna; Sed suscipite montes pacem populo, pacem suscipite nobis, non gloriā, ipsi soli eam seruantes, qui solus & pugnauit, & vicit. Ità quæso, ita sit gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. At vero non bonæ, sed plane iniquæ voluntatis est, qui nequaquam pace contentus, superbo oculo, & insatiabili corde inquietus anhelat & ad gloriam Dei, nec pacem proinde retinens, nec gloriam apprehendens. Quis credat parieti, si se dicat parturire radium, quem suscipit per fenestram? Aut si glorientur nubes, quod imbres genuerint, quis non irrideat? Si qua sane in sanctis digna laude vel admiratione intueor, clara luce veritatis discutiens, profecto reperio laudabilem, siue mirabilem alium apparere, atque alium esse, & laudo Deum in sanctis eius: Deus enim in sanctis manens, ipse facit opera, solus mirabilis, qui facit mirabilia solus. Nec laus calami laudabilis est pictura, siue scriptura, nec gloria linguæ, aut labiorum sermo bonus. Tempus est, vt Propheta loquatur: Numquid gloriabitur, inquit, securis contra eum, qui secat in ea, aut exaltabitur serra contra eum, a quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, & exaltetur baculus, qui vtique lignum est, sic contra Dominum omnis, qui gloriatur, si non in Domino glorietur. Si gloriandum est, Paulus me docuit vnde, & in quo. Gloria, inquit, nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. Securus glorior, si teste conscientia de gloria Conditoris nihil mihi vsurpo. Securus plane, quia non contra Dominum; sed in Domino. Hæc gloriatio nobis suadetur, cum dicitur: Gloriam ab inuicem quæritis, & gloriam, quæ a solo Deo est, non vultis? Reuera gloriari in solo Deo, non nisi a solo Deo est. Eant ergo vani filij hominum, mendaces, filij hominum eant, & decipiant ipsi de vanitate in idipsum, Nam sapiens gloriator probabit opus suum, atque ad lumen veritatis diligenter examinabit, & sic habebit in semetipso gloriam, & non in ore alterius. Stultus sum, si ciſtellæ labiorum tuorum gloriam meam credidero, & cœpero mendicare eam abs te, cum habere voluero. Retineo gloriam meam penes me, & ei repono seruandam, qui potens est depositum meum seruare in illum diem, cautus in custodiendo, fidelis in restituendo. Secura tunc erit vnicuiq; laus a Deo, his dumtaxat, qui humanas laudes contempserint. Nam gloria in confusione eorum, qui terrena sapiunt, dicente etiam Dauid: Qui hominibus placent, confusi sunt, quoniā Deus spreuit eos. Fratres, si hæc scitis, nemo vestrum velit laudari in vita ista; quia quidquid hic fauoris captas; quod ad Deum non retuleris, ipsi furaris. Tibi enim vnde gloria putride puluis? De vitæ sanctitate? Sed spiritus est, qui sanctificat, non tuus, sed Dei. An blanditur popularis fauor, quòd verbum bonum, & bene

Isa. 33. Matt. 5. Phil. 2. & 4. Matt. 25. Gen. 39. 1. Cor. 7. Isa. 48. Psal. 71. Luc. 2. Psal. 61. 2. Tim. 1. Psal. 52.

& bene forte deprompseris? sed Christus donauit os & sapientiam: nam lingua tua, quid nisi calamus scribæ? Et hoc ipsum mutuo accepisti. Talentum creditum est repetendum cum vsura. Si inuentus fueris ad opus impiger, ad fructum referendum fidelis, pro labore tuo mercedē accipies. Immolemus ergo Deo hostiam laudis, & reddamus vota nostra de die in diem. Oleum effusum nomen tuum. Non recordamini, in sponsę vberibus extremā commendatam esse suaueolentiam vnguentorum? Quid ergo consequentius, quàm vt eādem fragrantiam sponsa ne sibi arrogare putetur, de sponsi beneficio recognoscat? Quod vbera, inquit, mea sic redolent, & sic placēt, nec studijs, nec meritis ascribo meis, sed tuæ, o sponse, tribuo largitati, de oleo vtique effuso nomine tuo. Nunc hoc solum admonitos vos esse sufficiat, si vtique sponsa de omni virtute sua, vel gratia minime audet sibi quidpiam arrogare, quanto minus adolescentulæ forte, quæ nos sumus? Dicamus igitur & nos sponsæ vestigia insectantes: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Dicamus non verbo, & lingua tantum, sed opere & veritate, ne forte (quod nimis vereor) dicātur & de nobis; Quoniam dilexerunt eum in ore suo, & lingua suā mentiti sunt ei: Cor autem eorum nō erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius. Dicamus clamantes, plus medullis cordis, quàm labijs oris: Saluos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus, vt cōfiteamur nomini sancto tuo, non nostro, & gloriemur in laude, non nostra, sed tua.

Psal. 113. Psal. 77.

Verbum Dei varie comparatur, vt ipsius effectus explicentur, & virtus, quæ multiplex est. Cap. II.

1 Homil. 7. in Exod. to. 1.

ORIGENES inquit. Māna verbum Dei est. Tu ergo, si vis manducare manna, ideſt, si vis suscipere verbum Dei, scito illud minutū esse, & valde subtile, sicut semen coriādri. Habet enim aliquid in se oleris, quo nutrire, & recreare possit infirmos; quia qui infirmus est, ait Paulus, olera manducet; habet aliquid rigoris, & ideo vt pruina est. Candoris autem & dulcedinis habet plurimum. Quid enim cādidius, quid dulcius, quidve suauius eloquijs Domini, quæ sunt super mel & fauum? Sed in die sexto duplum colligere iubet Dominus, quantum sufficiat etiam sabbato. Sextus dies est hæc, in qua nunc sumus, vita. Hac enim dic tantū reponere, & recondere debemus, quantum sufficiat & in futuro die. Sed dicit aliquis; si manna est verbum Dei, quomodo vermes facit? Nec aliunde fiunt vermes in nobis, nisi ex verbo Dei. Sic enim dicit ipse: Si non veniſſem, & locutus eis non fuiſſem, peccatum non haberent. Post susceptum ergo verbum Dei si quis peccet, efficitur ei ipsum verbum vermis, qui eius semper conscientiam fodiat, & arcana pectoris eius rodat. Infra: Vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus. In hoc tempore, quo adhuc in principijs sumus, quæ principia ipsum mane significat, quod est initium diei, carnes verbi Dei comedere non possumus, ideſt, perfectæ & consummatæ doctrinæ nondum capaces existimus. Sed post longa exercitia, post profectum plurimum, cum iam proximi sumus ad vesperam, & ad ipsum finem perfectionis vrgemur, tunc solidioris cibi, & perfecti verbi capaces fieri possumus. Nunc ergo festinemus cæleste manna suscipere. Istud enim manna, prout vult quisque, talem saporem reddit in ore eius. Tu si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, tota deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcumque desideras. Verbi gratia, si tribularis, consolatur te, dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non spernit. Si lætaris pro spe futura, cumulat tibi gaudia, dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti. Si iracundus es, mitigat te, dicens: Desine ab ira, & derelinque furorem. Si in doloribus, sanat te, dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Si paupertate consumeris, consolatur te, dicens: Dominus suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Sic ergo manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcumque volueris. Hoc tamen si quis infideliter suscipiat, & non comedat, sed abscondat, vermes ex eo ebulliunt. Sicut enim de Christo Domino, qui vermis dicitur, scriptum est, quod factus est in ruinam, & resurrectionem multorum, ita & ipse est, qui nunc in manna fidelibus quidem dulcedo mellis, infidelibus autem vermis efficitur. Ipse est enim sermo Dei, qui iniquorum mentes arguit, & corruptionum spiculis peccatorum cōscientias terebrat. Ipse est, qui & ignis efficitur in cordibus illorum, quibus adaperit Scripturas, qui dicunt: Nōne cor nostrum ardens erat in nobis, cum aperiret Scripturas. Et alijs ipse ignis est, qui conflagrat spinas de terra mala, ideſt, qui malignas cogitationes in corde consumit, & ideo peccatoribus quidem nec vermis arguens inique moritur, neque ignis exurens aliquando restinguitur, iustis autem & fidelibus permanet dulcis & suauis.

Exo. 16. Luc. 24. Deut. 4. Psal. 112.

3 IDEM vbi loquitur de cultris lapideis, quibus Iosue secūdo circumcidit filios Israel, dicit. Verbum Dei, quod loquimur ad vos, gladius est, quod circumcidit omnem immunditiam, resecat omnem impuritatem, abscindit vitia de auditoribus, & sic si vos hoc verbo circūcidamini, audietis, quia abstulit opprobriū Ægypti a vobis hodie. Quid enim nobis prodest exisse de Ægypto, & nobiscum opprobria Ægypti circumferre? Quid prodest ambulare per eremum, hoc est, quid nos iuuat in baptismo renunciasse sæculo, & morum nostrorum pristinas sordes, ac vitiorum carnaliū immun-

Hom. 26. in c. 22. Iosue. Luc. 2.

ditias

ditias retinere? Oportet ergo post digressionem rubri maris, idest post gratiam baptismi, auferri a nobis etiam carnalia veteris consuetudinis vitia per verbum Dei, vt ita Ægyptiacis carere possimus opprobrijs. Ponunturq. illæ macheræ petrinæ, & cultri lapidei, quibus secundo circumcisi sumus a Iesu, in eo loco, quem petit, & accipit. In loco, quem possidet in anima iusti, in ipso recondit & machæras. Hæc ergo virtus verbi diuini reconditur in eo loco, cui datur sermo scientiæ, & sermo sapientiæ, vt opportuno tempore anima illa, quæ per donum spiritus repleta est verbo sapientiæ, & scientiæ, proferat istas machæras in Ecclesia, & circumcidat secundo eos, qui indigent circumcisione secunda. Dicitur autem cultrus lapideus, & non e ferro, artificis opere fabricatus, quia sermo hic non ab hominibus virtutem habet, sed ex illa petra descendit, quæ de monte sine manibus abscissa est, & orbem terræ compleuit, ac dona spiritualia credentibus tribuit.

4 Homil. 5. in c. 4. Iudicū. IDEM explicans mortem Sisaræ, quæ facta est a Iahel, quæ dedit ei lactis potum, dicit. Verbum Dei, quod incipientibus datur, lac dicitur. Sed iste cibus ijs quidem, qui ad bonum proficiendi propositum gerunt, vitam tribuit & salutem; ijs vero, quibus contraria placent, quibus luxuria, auaritia, & omnis impietas cordis est, huiusmodi doctrina necē & interitum præstat. Sic ergo fit, vt ex ijs, atq; ijsdem cibis, quibus aluntur boni, suffocentur mali, & in quo pijs vita est, ibi sit impijs mors. Deniq; vt exemplo res, quā dicimus, planior fiat, vinū sanos, & commode degentes iuuat, & cor hominis lætificat, febricitātibus vero, si sumpserint, perniciem continuo & interitū parit. Ita fit, vt eadem res eodem modo sumpta, vni quidem vitam, alij autem conferat mortem. Sic intelligendum est & Sisaram istum animalem hominem, & vitiorum principem, per doctrinam Ecclesiæ, quam non ex fide suscepit, extinctum. Sed & vnaquæque anima satis agat, lacte isto Euangelico, atque Apostolico sopire in semetipso, & extinguere Sisaram. Si enim per hæc edoctus quis mortificauerit membra sua, quę sunt super terram, auaritiam, fornicationem, &c. Sisaram in semetipso videbitur peremisse, vt hæc non solum in persona Ecclesiæ consummari, verumetiam vnusquisque in sua anima ostendat impleri.

5 Homil. 1. in psal. 37. to. 2. IDEM sic exorditur. Creator humanorū corporum Deus sciebat, quod talis esset fragilitas humani corporis, quę languores diuersos posset recipere, & vulneribus, alijsq. debilitatibus esset obnoxia, & ideo venturis passionibus prouidens, etiam medicamenta procreauit ex terra, & medicinæ tradidit disciplinam, vt si accideret ægritudo corpori, non deesset medela. Animam cum Creator omnium condidisset, sciebat quod futura esset vitiorum capax, & ob hoc subdita, atque obonerata peccatis. Et ideo sicut corpori medicamēta præparauit ex herbis, arte, disciplinaq. composi-

tis: ita etiā animæ medicamenta præparauit in his sermonibus, quos per diuinas Scripturas seminauit, atque dispersit, vt hi, qui aliqua ęgritudine fuerint oppressi, statim vt vim morbi senserint, atq; alicuius vulneris stimulū, doloremq. perspexerint, requirant aptam, & conuenientem sibi rationabilem disciplinam, quæ eis ex verbis Dei possit mederi. Medici autem sunt omnes, quibus curandorum vulnerum disciplina commissa est, quos voluit Deus in Ecclesia sua esse medicos animarum, quia nō vult Deus mortem peccatorum.

6 Homil. 1. in c. 1. Hiere. IDEM exponens illa verba; Ecce dedi te hodie super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & ædifices, & plantes, inquit. Quicumq; a Deo accepit verba, sumens gratiam cælestis eloquij, idcirco eam accipit, vt regna, genteśq. eradicet, atq; subuertat. Sed cum nominentur gentes, & regna, omnis, qui diuina verba suscipit, nolo eū corporaliter intelligere gentes, & regna, sed considerans animas hominū regnatas a peccato, dicente Apostolo: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, gentes, & regna intelligat varia delicta, quæ humanas animas possederunt: & hæc erunt, quæ euellētur a sermonibus Dei, qui dati sunt siue Hieremiæ, siue ceteris sanctis. *Rom. 6.*

7 Hom. 13. in c. 2. Hiere. IDEM explicans illa verba; Etiam si laueris te nitro, & multiplicaueris herbā poam, vel borith, vt nostra lectio habet, maculata es in iniquitate tua, inquit. Verbum Dei herba poa est, datum ad sordes animæ abluendas. Sed quomodo sunt quædā vulnera, quæ malagmatibus, & oleo, & alligaturis redduntur pristinæ sanitati, alia sunt istiusmodi, de quibus dicatur: Non est malagma imponere, neque oleum, neq; alligaturas, sed terra vestra deserta, ciuitates vestræ igne succensæ sunt, sic sunt quædā peccata, quæ animam sordidāt, & indigent homine, qui habeat poam, nitriq. sermonē; alia vero talia sunt, vt non possint supradicti sermonis virtute curari.

8 Homil. 5. in ps. 28. to. 1. BASILIVS exponens illa verba; Et reuelabit condensa, dicit. Primum vox Domini omnibus absoluit numeris ceruos: deinde reuelat condensa, hoc est, locos siluosos, & agresti, ac infrugifera lignorum materia conspissatos, ad quos plerumq; venenata animantia cōfugere solent. Quoniam igitur perfectus iam est ceruus per eam perfectionem, quę est a Domino, iustus, qui illi assimilatur, reuelat cōdensa, vt nudi, & omnium oculis expositi prodantur, qui vitam nostrā suis lædebant corruptelis. Et quoniam omne lignum non faciens fructum bonum inciditur a securi, & in ignē mittitur, necesse est, vt inhorrescentes, & condensæ siluæ, animæ videlicet siluescentes, in quibus quasi feræ quædam affectiones multiuariæ latebant peccatorum, a verbo Dei, quod omni gladio ancipiti cæsim penetrat acutius, purgentur. Quoniam autem plures homines curis humanis aggrauati, veluti quandam terram spinis opertam, suas gerunt animas oneratas, vnde nec sinunt eas enutriri ad

ad proferēdam diuini verbi frugē, reuelat Dominus condensa, hoc est curarū existentium in vita deformitatem, & fœditatem, & incommodum aperit, vt loco, qui de bonis ac malis est, veluti siluosis arboribus elucato & aperto, nō habeant homines, quo de agendis iudicia perinscitiam peruertant. Multi namq; bona, vbi laborioſa vident, mala existimant; mala e diuerso ob insitam voluptatem, vt bona persequuntur. Malorum ergo condensa, ne dicipiantur, qui aliquem in eis fructum inuenire se putant, reuelat, ac manifestat Dei vox, & diuinum verbum.

9 Hom. 11. in Psal. 44. IDEM exponens verba illa; Sagittæ tuæ acutæ potentissime populi sub te cadent in corda inimicorum regis, inquit. Sagittæ potentis acutæ sunt sermones solerter, & ingenioſe excogitati, audientium corda pertingentes, animasq. probe sensatas ferientes, atque sauciantes. Verba namque sapientium stimuli sunt boum. Ex quo Psalmista cupiens quandoque a dolosis hominibus suæ ętatis, & generationis liberari contra dolosam linguam, sagittas potentis acutas in remedium exquirit. Quærit item carbones sibi adesse desolatorios: vt quorum corda ob duriciem callosam spirituales sagittæ non contingant, his paratum sit suppli cium, quod carbones desolatorios appellauit. quicumque enim se priuarunt Dei præsentia, his carbonum desolatoriorū apparatus necessarius est. Nunc igitur sagittæ tuæ acutæ. His sagittis, quæ fidem amplexæ sunt, animæ saucia tur, & quæ summa in Deum exarserunt charitate, simulq. cum sponsa illa dicunt; Vulnerata charitate ego sum. inexplicabilis profecto, & ineffabilis verbi pulchritudo, & sapientiæ species, & forma Dei in ipsius imagine. Beati, qui contemplatione inardescunt veræ illius pulchritudinis, hi enim domesticorum obliuiscūtur, & amicorum, immo familiæ quamlibet opulentæ. Intelligere item possis sagittas acutas eos, qui ad spargendum per vniuersum orbem semen Euangelij missi sunt. Hi, quòd se exacuissent, fulgebant operibus iustitiæ, & subtiliter in eorum irrepebant animas, quos erudiebant ad fidem. Hæ igitur sagittæ in primis quaque versum emissæ populos se, vt Christi iugo substernerent, præparabant. Et verba hæc ad præcedentia sic cōiunguntur: intende prospere, procede, & regna, & deducet te mirabiliter dextera tua, & populi sub te cadent, propterea quod sagittæ tuæ acutæ sunt in corde inimicorum regis. Nullus Deo aduersarius, aut contumax, aut superbus sub Deo cadit, vel ei se subigit, nisi illi, qui fidei obedientiam susceperunt, Sagittæ namque in corda cadentes quādoque inimicorum regis, trahunt eos ad veritatis desiderium, & ad ipsum Dominum, vt inimici Dei existentes, eidem per doctrinam concilientur.

10 In ho. 2. de baptismo. IDEM dicit. Quemadmodum statua obtrita iam, & obtusa, amissa illustri regis figura, denuo a sapiente artifice reparatur, vt pristino splendori restituatur: ad istum modum & nos propter præcepti diuini transgressionē deprauati, vt scriptum est: Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis, ad pri stinam imaginis Dei gloriam reuocamur, ad quam facti eramus. Quomodo vero hoc factū sit, Paulus Apostolus docuit, dicens: Gratias Deo, quod cum fueritis serui peccati, obedistis ex corde formę illi, in quam traditi estis, doctrinæ. Vt quemadmodum cera sculpturæ typo mandata, figuram eam, quæ sculpturæ inest, diligenter ex primit, ita & nos typo Euangelicæ doctrinæ nos ipsos tradentes, secundum internum hominem figuremus. *Psal. 48.* *Roma. 6.*

11 Hom. in Psal. 93. to. 1. CHRYSOSTOMVS verbum Dei vocat puteos fossos a Patriarchis, vt adaquēt multitudinem gregum. Fodiunt legem doctores de sarculo linguæ, purgant terrenas cogitationes, veniunt ad spirituales, & perueniunt ad illam altitudinem sapientiæ, & scientiæ Dei, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, & profluit eis aqua de altitudine fontis saliētis in vitam æternam. Cum ergo ad puteum venit Iacob, siue Moyses, vel ceteri, qui ad puteos agnouerunt futura coniugia, quid intelliguntur, nisi in altitudine legis Ecclesiam agnoscere. Inde adaquantur oues, idest, de verbo spirituali. Nam ipse Iacob, dum adhuc pastor esset soceri, & auunculi sui, videbat fructum, & fœcunditatem ouium non ad se transire, fecit pactum cum socero, vt si quid nasceretur varium in agnis pertineret ad Iacob. Fecit populeas virgas decorticari, vt albæ essent, & virides. Posuit has virgas vario colore decoratas, vt quoties biberent greges tempore conceptus, conciperent ibi varios fœtus, & huius sacramenti res erat. Virgæ intelliguntur verba, & præcepta legis, dicente Deo: Reges eos in virga ferrea. Et alio loco: Virgā virtutis suæ emittet Dominus ex Sion. Et ipse Moyses virgam ferebat, quam ante Pharaonē proijciebat. Intelligitur in virga vigor legis. Qui audit nūc verbum Dei, quod est illi virga, ponitur supra aquam, idest, in fontem baptismi, & ibi bibentes oues baptizatæ, in aqua cōcipiunt varietatem vitæ suæ, alij continentiam coniugalem, alij virginitatem, alij religionem profitentes. *Gen. 30.* *Psal. 2.* *Psal. 109.*

12 Hom. 25. in Matth. to. 2. IDEM exponens illa verba cap. 7. Omnis, qui audit verba mea, & facit ea, assimilabitur viro sapienti, ait. Vt ostendat quanta sint etiā in præsenti vita beneficia virtutis, primum beneficium narrat, tutum viuere, atq; munitum, nulliq. aduersantium rerum in prædam patere, quinimmo cunctis, quæ obsistunt, superiorem omnino consistere. Hoc est enim omnino mirabile, quia cum nulla serenitas sit, immo cū sit valida tempestas & crebra tentationum, ipse ne tantulum quidem proterit commoueri. Descendit, inquit, pluuia, venerunt flumina, flauerunt venti, & impulerunt in domum illā, & nō cecidit, fundata enim erat supra petram. Hic autem, & pluuiam, & flumina, & ventos, afflictiones, & ingruentia hominibus pericula nun-

nuncupauit, calumnias videlicet, insidias, fluctus, interitus, aliorum impugnationes, desertiones suorum, ceteraq. omnia vitæ præsentis incommoda. Sed nulli, inquit, horum talis anima succumbit: causa vero istius firmitatis est, supra petram esse fundatam. Petram autem doctrinæ suæ munimentum vocauit.

13 Hom. 20. in perfecti in Mattheum. *Isa. 5.*

IDEM ait. Pluuia est doctrina, quia sicut pluuia irrigat terram, vt proferat fructum, sic doctrina hominem irrigat, vt iustitiam operetur. Sicut Dominus per Isaiam de tollenda a Iudæis doctrina, Et mandabo, inquit, nubibus ne pluant super eam pluuiam. Nubes enim dicuntur prophetæ, & Apostoli, quia sicut nubes baiulant pluuiam, & effundunt eam super terram, sic & prophetæ, & Apostoli accipiunt verba a Deo, & effundunt super rationabilem terram. Sunt autem nubes, quæ a Spiritu sancto excitantur, & sunt nubes, quæ a spiritu potestatis aeris, sicut dicit propheta: Tenebrosa aqua in nubibus aeris. *Psal. 17.* Nubes enim, quę a Spiritu sancto excitantur, eandidam baiulant aquam, ideſt veram, & sanctam doctrinam: quæ autem a spiritu potestatis aeris, tenebrosam baiulant aquam, ideſt, falsam, & impiam doctrinam, quę non illuminat, sed tenebrescere facit montes, qui suscipiunt illam. Sanctę nubes doctrinam iustitiæ persuadēt hominibus, & rationabiliter placant; Spiritus autem sanctus, vel Angeli, quasi prosperi venti prosperantes in cordibus, faciunt homines acquiescere veritati. Sicut enim non est possibile, vt ex sola pluuia fructificet terra, nisi flauerit super eam ventus, sic non est possibile, vt sola doctrina corrigat hominē, nisi cooperatus fuerit Spiritus sanctus in corde ipsius.

14 In hom. 26.

IDEM de verbo Dei intelligit locum Pauli ad Hebręos 4. Viuus est sermo Dei, & efficax, & acumen habens super omnem gladium acutissimum, penetrans vsque ad interiora animę & spiritus, compagum quoque & medullarum, scrutans corda, & cogitationes. Iste est ergo gladius bis acutus, ex vna quidem parte bonos ab errore præcidens, ex altera autem parte malos ab excusatione, vt nec bonos ignorātia perdat, nec malos excuset: vt & boni cognita veritate, cum secuti fuerint veritatem, cum iudicio & iustitia saluentur, & mali, cum veritate cognita secesserint a veritate, cum iudicio, & iustitia puniantur.

15 Hom. 13. in Ioan to. 3.

IDEM dicit. Sermo sceleribus obnoxios corripit: qui autem omni liberi sunt crimine, eos etiam longius abducit. Medicina igitur, ais, communis est, & remedia omnibus proponit, cura non communis est, sed ad vtentium voluntatem. Qui vult medicina vti, curatur, qui eam vulneri adhiberi negligit, magis læditur, & torquetur vehementius. Nolimus ergo ægre medicinam ferre, sed læto animo accipiamus. Licet non paruum dolorem nostræ afferant admonitiones, suauissimus tamen fructus sequitur.

16 Homil. 29.

IDEM inquit. A Scripturis spiritualia arma accipimus: verum si ea nos induere, & discipulos armare ignorabimus, ipsa quidem proprias habent vires, accipientibus autem nihil afferunt vtilitatis. Esto thorax, & galea firmissima, & clypeus, & hasta, inde quis thoracē pedibus, galeam pro capite oculis aptet, clypeo, non pectus, sed pedes protegat, nunquid huic homini hæc arma quid coferent, & non potius lædent? Plane hoc constat, non tamen armorum culpa, sed ijs vti recte nescientis. Ita & in Scripturis vsu venit, si earum ordinem confundemus, ipsę quidem vim suam retinent, nobis autem nihil conferunt. Paulus docet: Quęcumque scripta sunt, ad nostram doctrinā scripta sunt, vt per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus. Et licet me frustra loqui non ignorem, non tamen cessabo, ita enim apud Deum excusabor, quamuis nemo me audiat. *Rom. 15.*

17 Hom. 10. in ep. Pauli ad Heb. c. 6. t. 4

IDEM explicans verba illa; Terra sępe veientem super se bibens imbrem, & germinans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo: proferens autem spinas, & tribulos, reproba est, & maledicto proxima, cuius cōsummatio in combustionem, sic habet. Imbrem doctrinam Scripturę dicit. Mandabo enim inquit, nubibus, ne pluāt super eam imbrem, de vinea dictum est. quod alibi famem panis, & sitim aquæ vocat. Et iterum; Flumen Dei repletum est aquis, terra bibens veniētem super se imbrem, declarat, quia susceperunt, & combiberunt verbum, & sæpius hanc rem perceperūt, & nec sic vtiles facti sunt. Si enim nō excolereris, inquit, si non potareris imbribus, non esset tantum malum. Si enim nō venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent. Si vero sæpius bibisti, & excepisti, qua ratione pro fructibus alia protulisti? Expectaui enim, inquit, vt faceret vuas, & fecit spinas. Semper bibimus, semper audimus, sed confestim humorem amittimus sole exorto, propter hoc spinas proferimus peccatorum: sic enim ait Dominus: Quia cura huius sæculi, & deceptio diuitiarum suffocant verbum, & in fructuosum efficitur. Herbam opportunam vocat virtutem; nihil enim sic opportunum sicut vita optima. Proferens autem spinas reproba est, & maledicto proxima. O quantam habet consolationem hic sermo! Maledictioni, inquit, proxima, non maledicta. Qui autē necdum in maledictionem incidit, sed proximus est, & longe fieri poterit. Cuius consummatio in combustionem. Si vsque ad finem permaneat, inquit. *Isa. 5.* *Amos 8.* *Psal. 64.* *Ioan. 15.* *Isaiæ 5.*

18 Ep. 1. ad Damas. Papā to. 2.

HIERONYMVS ait, explicans verba illa; Et missum est ad me vnum de Seraphin, & in manu sua habebat carbonem, quem forcipe sumpserat de altari, & tetigit os meum, & dixit: Ecce tetigi labia tua, & abstulit iniquitates tuas, & peccata tua purgauit. Nos Euangelicum testamentum missum asserimus ad prophetam, quod habens in se ignitum sermonem Dei, tactis labijs, quidquid fuerat ignorantiæ, hoc siquidem nos labia interpretamur immūda, purgationis suæ expulit veritate. Hanc forcipem *Isa. 6.*

cipem Iacob in scala conspicit, hic est gladius bis acutus. Forcipe carbo comprehensus mittitur ad prophetam, quem in Psalmo scimus prophetæ esse concessum. cum enim Dominū rogat dicens: Domine libera animam meam a labijs iniquis, & a lingua dolosa, dictum est: Sagittę potentis acutæ cum carbonibus desolatorijs. Vere quippe desolatorius carbo, qui linguam puram facit a peccato, sermo diuinus est, de quo & in Isaia dicitur: Habes carbones ignis, sedebis super eos, hi erunt tibi in adiutorium. *Psal. 119.*

19 Ep. 2. ad eūdem.

IDEM ait. Vbi nostra æditio habet de Seraphin, quod in manu habebat carbonē, Aquila Theodotion, & Symmachus calculum interpretati sunt, quē sumpserat de altari, & detulit ad os Isaiæ. Ille ignis mittitur, quē Hieremias ferre non poterat, qui cum animæ nostræ arcana penetrarit, ita nos dissoluit, ita a veteri homine in nouum excoquit, vt in illam vocē possimus erumpere; Viuo autem iam non ego, sed viuit in me Christus. Quia in Hebræo pro carbone legitur calculus, mihi videtur sermo diuinus calculi appellatione signari. Sicut enim calculus genus est lapidis durissimi, & rotundi, & omni puritate leuissimi, ita sermo Dei, qui neque hæreticorum, neque omnium aduersariorum potest contradictionibus cedere, calculus dicitur; De hoc calculo Sephora filiū circūcidit, & Iesus populum purgat a vitijs: & in Apocalypsi Dominus pollicetur vincentibus, vt accipiant calculum, & scribatur super eum nomen nouum. Siue igitur calculum, siue carbunculum lapidem accipimus, in calculo diuini sermonis veritas & rigor, in carbunculo lucens doctrina, & manifesta mōltratur. Eloquia enim Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. Et alibi: Mandatum Domini lucidum illuminans oculos. Quod autem ait, in manu habebat carbonem, manū intelligamus operationem, vt non solum in lingua sit verbum Dei. *Isa. 6.* *Apoc. 2.* *Psal. 17.* *Psal. 18.*

20 Lib. 3. in ca. 1. Isa. to. 4.

IDEM explicans illa verba; Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quę vadunt cū silentio, & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes, & multas, Regē Assyriorum, & omnem gloriam eius, dicit. Omnis hæreticus, qui iunxerit auxilio suo sapientiam sæcularem, & Hierusalem, ideſt, Ecclesiā voluerit oppugnare, derelinquens aquas Siloe fontis, qui salit in vitam æternam, tradetur Assyriorum principi, cuius traditus potestati in profundum veniet peccatorum. Legimus in Euāgelio, quod cæcum a natiuitate, cuius oculos luto ex saliua sua facto Dominus linierat, misserit ad aquas Siloe, quibus cum cæcus lauisset lutum, cæcitate detersa, clarum oculorū lumen accepit; quod indicat, non aliter cæcitatem Iudæorum, & omnis increduli posse sanari, nisi doctrina aquarum Christi, quæ absque strepitu, & clamore verborum leniter fluit, tenebræ prius fugentur erroris. *Ioan. 9.*

21

IDEM explicans verba illa; Tetendit arcum suum, & possuit me quasi signum ad sagittam, sic habet. Aliquando per arcū sacra Scriptura designatur. Ipsa quippe arcus Ecclesię; ipsa arcus Domini, de quo ad corda hominum, sicut ferientes sagittæ, sic terrentes sententiæ veniunt. Vnde recte per Psalmistam dicitur: Arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit. Arcum namque suum Dominus tetendit, quia cunctis peccatoribus per Scripturam sacram minas exhibuit. In quo arcu scilicet vasa mortis præparat, quia secundū eloquij sententias eos, qui nunc corrigi negligunt, reprobos damnat. In quo etiam sagittas suas ardentibus effecit, quia ad eos, quos per terrorem corrigit, accensas verborum sentētias emittit. Lib. 2. in ca. 3. lam. Hie. *Psal. 7.*

22 Lib. 14. in c. 47. Ezech.

IDEM exponens verba illa; Et conuerti me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebātur subter limen domus ad orientem, ait. Perspicuum est sacras esse aquas, & Saluatoris nostri significare doctrinam, iuxta illud, quod scriptum est: De Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et alibi: Repleta est terra scientia Domini, sicut aqua multa operiens mare. De his aquis & Zacharias propheta vaticinatus est, dicēs: In die illo egredietur aqua viuens de Hierusalem, & medium eius in mare primum, medium autem illius in mare nouissimum. De his aquis & ad Samaritanam Dominus loquebatur, dicens: Si scires quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, tu forsitam petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Et in templo clamabat: Si quis sitit, veniat ad me, & bibat. Iste sunt aquæ, de quibus propheta loquebatur in Psalmo: Super aquas refectionis educauit me. Et alibi: Eleuauerūt flumina Domine; eleuauerūt flumina vocem suam, a vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris. Istæ sunt aquæ Siloe, quæ vadunt cum silentio, de quibus loquitur Isaias: Hauritis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris. Et idē Isaias de Domino Saluatore, Iste, ait, habitabit in excelsa spelunca petrę fortissimæ. Panis ei dabitur, & aqua illius fidelis. Erupit enim in deserto aqua, & vallis in terra sitienti. Et rursum: Qui sititis, ite ad aquam. Et per Hieremiā loquitur Deus: Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Sed sicut legimus in bonam partem aquas, quæ egrediuntur de limine templi, & referuntur ad doctrinam Ecclesiæ, sic sunt aquæ amaræ, & aquæ pessimæ, ad quas Hieremias propheta nos prohibet accedere, dicens: Quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam, & cænosam? De quibus iratus super hæreticis loquitur Deus: Ecce ego cibabo eos angustijs, & dabo eis potum aquam fellis, in quo regnat draco Ægyptius, qui dicit: Mea sunt flumina, & ego feci illa, De qua Dauid aiebat: Nisi quia Dominus erat in nobis, &c. Cū irascereture furor eorum in nos, forsitam aqua absorbuisset nos. Ista est aqua, de qua dicit Oseæ: Contēpsit me Galaad ciuitas, quæ operatur vanitates conturbans *Isa. 43.* *Isa. 55.* *Hiere. 2.* *Ibidem.* *Hiere. 9.* *Hiere. 29.* *Psal. 123.* *Osee 6.*

turbans aquam, & fortitudo eius viri piratæ. Iste aquæ sunt, quæ lectorem suum, non tam ædificant, quàm perdunt. Aquæ autem, quæ egrediuntur de templo Domini, & pergunt ad orientem, & descendunt in latus templi dextrũ ad altaris meridiem, illæ sunt, vbi sponsus conuiuas suos pascit, & accubat. Infra. Cũq; me conuertissem, ecce in ripa fluminis ligna multa nimis ex vtraque parte. Et ait ad me; Aquæ istæ, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli (arenæ) orientis, quæ descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. De verbo Domini hæc intellige, de quo dixerat Isaias: Apparebit in Sion fluuius decurrens, gloriosus in terra sitienti. Super hunc fluuium erant arbores plurimæ ex vtraq; parte ripæ, vt inter duo testamenta clausus curreret fluuius. Ligna autẽ multa, vel arbores plurimas, & multas nimis, illas arbitror, quas in paradiso Scriptura commemorat pomis varijs abundare. Quæ aquę egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & intrabunt mare, & sanabuntur aquæ. Quia si verba Dei egrediantur de limine templi Domini, & Apostolicam teneant disciplinam, tumulos subuli steriles prius, & infertiles, faciunt esse frugiferos, & omnia plana, atque deserta ita irrigantur, vt exprimant in se Hierichontini fluuij sacramentum, quem Eliseus Euangelico, & Apostolico curauit sale, in tantum, vt vbi prius sterilitas fuerat, & mors, ibi vbertas esset, & vita. Nec solum deserta sanarunt, sed intrat mare orientale, mare videlicet mortuum, in quo nihil poterat esse vitale, & mare amarissimum. Mirumq. in modum aquis Euangelicis aquæ sanantur mortuę; quæ mortuæ dicuntur eo, quod nihil in se vitale habent, nec ibi viuere præ amaritudine pisces possunt. Sed postquam fuerint in Ecclesia pisces, de quibus Dominus dixit: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, tunc plurimæ species, immo genera piscium erunt in mari quondam mortuo, vbi nullus poterat reperiri pisces, ita vt præ multitudine retia rumperentur, extraxit enim Petrus centum quinquaginta tres pisces. Aiunt autem, qui de animantium scripsere natura, & proprietate, de quibus Oppianus Cilix est poeta doctissimus, centum quinquaginta tria esse genera piscium, quæ omnia capta sunt ab Apostolis, & nihil remansit incaptum, dum & nobiles, & ignobiles, & diuites, & pauperes, & omne genus hominum de mare huius sęculi extrahitur ad salutem. Quod autem sequitur; In littoribus eius, & in paluſtribus, siue in his, quæ extra littora egrediuntur, aquæ non sanabũtur, istud latenter ostendit, quod qui in Noe arca nõ fuerit, pereat regnante diluuio, & quos iste fluuius sacræ doctrinę non attigerit, non suscipiant sanitatem, sed in salinas dabuntur, vt in perpetuũ frugibus careant, & virore. Quod & vrbs post ruinam sale conspersa demonstrat. Super fluuium orietur in ripis eius, ex vtraque parte omne lignum pomiferum; non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos menses afferet primitiua. Quia aquæ eius de sanctuario egredientur, & erit fructus eius in cibum, & folia eius ad medicinam. hæc omnia euenient, quia aquæ de sanctuario egrediuntur. Illud quoque quod dicitur, & erunt fructus eius in cibum, & folium eius ad medicinam, diuinorum librorum sacramenta demonstrat, quorum alterum pertinet ad literam, alterum ad spiritum, vt verba simplicia intelligamus in folijs, in fructibus vero sensum latentem. Sicut enim scientia Scripturarum ducit ad regna cælorum, & præbet nobis panem, qui de cælo descendit, sic folia eius doctrinam moralem continent, & tribuunt sanitatem, vt peccantiũ curent vulnera.

IDEM exponens verba illa; Adducet vrẽtem ventum Dominus de deserto ascendentẽ, & siccabit venas eius, & desolabit fontẽ eius, & ipse diripiet thesaurum omnis vasis desirabilis, dicit. Sermo Ecclesiasticus, & Dei verbum vrens intelligendus est ventus, qui omnium hæreticorum dogmata arefaciat, & perducat ad nihilum, & diripiat eos, atque dispergat, qui hæreticorum doctrinæ in morte fuerant congregati.

IDEM explicans verba illa; Suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus, quę locutus es. Semper fluuios scindes terræ, inquit. Septuaginta, sic verterunt; Intendens, extendes arcum tuum super sceptra, dicit Dominus, Diapsalma. Fluuijs scindetur terra. Intendens Dominus arcum, siue sagittas verbi sui, sceptra, ideſt, regna, aduersum quæ Hieremias missus est, eradicauit, destruxit, & perdidit, fecitq. vt peccatum non regnaret in nostro mortali corpore. Sceptra autem, ideſt, regna diaboli, quæ ostendit & Domino, intellige diuersa peccata, auaritiam, luxuriam, detractionem, furta, periuria, aduersum quæ sermo Dei sedens in equis, & in curribus suis, intendit fulgoris sui contorta spicula, & interim non emittit, vt qui ad extentum arcum territus fuerit, emissionem non sentiat sagittarum: & hoc facit semper. quod Aquila interpretatus est prodiaplasmate. Semper enim sedet in sanctis suis, semper armatus est: & acutas sagittas in linguis eorum præparans, equitat, & huc illucq. discurrit in orbis salutem. Fluuijs scindetur terra. Legimus in volumine Olympiadum Græciæ, vbi exponitur, quid in singulis annis noui acciderit in mundo, quod inter cetera terræmotu eruperint flumina, quæ ante non fuerãt, & rursum alia absorpta sunt, & disparuerint, quod scilicet omnes terrarum venæ, quasi in humano corpore sanguinem, ita in se habeant latentes aquas, quæ terræ concussione rumpantur, & manent flumina. Hoc si intelligamus, videamus animam humanam habere fluuios, & aquas, & per socordiam nostram eos esse abscõditos, & non fluere, cum autem ad prædicationem sermonis Dei concussa fuerint, & de priori statu mota, tunc erumpere, quod latebat, & in refectionem potantium fluere. Hoc ipsum reor & illud significare in Genesi, quod fodiũ-

tur

tur putei a seruis Isaac, quos ab Abrahã factos Philistijm terra obruerant. Vide Petrũ, & Paulum, & de puteis Christi, fluuijsq. non ambiges. Cerne omnes Apostolos, & non iam quattuor flumina, sed duodecim fluuios intelliges exire de paradiso Scripturarũ. Isti fluuij subito proruperunt: quando posſuit Dominus desertum in paludes aquarum, & terram sine aqua in fontes aquarum, & habitare fecit ibi esurientes, & constituerunt ciuitatem habitationis. Tunc posuit flumina in desertum, & exitus aquarum in sitim. Tunc enim terra Israel, de qua fluuij ante manabant, & irrigabant vniuersum Iudæi populum, aruit, & fontes illius obturati sunt. vniuersus autem orbis, qui erat desertus, & sterilis, & aquas prædicationis Dominicæ non habebat, versus est in paludes aquarum, & quot doctores emisit, tot habuit & fontes. Nec sufficit eis, fontibus videlicet, atq; fluminibus irrigare orbis populos, sed in vnaquaq; prouincia eos, qui esuriebant, & patiebantur famem sermonis Dei, in vnum populum cogregantes, extruxerunt Ecclesiam, quæ dicitur cuitas ad inhabitandum, & quam lætificat impetus fluminis. Infra: In luce sagittarum tuarũ ibunt, in splendore fulgurantis hastæ tuæ. Vel vt septuaginta habẽt; in luce iacula tua ibũt, in splẽdore coruscationis armorũ tuorũ. Iacula Dei, ideſt, sagittæ euntes, atq; pergentes, non ad hoc mittũtur, vt interimant, sed vt illuminẽt. Ad harũ sagittarũ, iaculorũq. distinctionẽ Christus electũ iaculũ dicitur, per Isaiã vociferans: Posuit me sicut sagittã electã, in pharetra sua abscondit me. Hæc sagitta plures habebit sagittas, quas mittat in vniuersum orbem. Vnde & sponsa electo iaculo vulnerata, dicit: Vulnerata charitate ego sum, iuxta quod & nos possumus dicere, vulneratus castitate ego, vulneratus sapientia ego. Hæ igitur sagittæ, quæ mittuntur in lucem, pergunt etiam in splẽdore coruscationis armorũ eius, ideſt Dei. Quicũq; enim armatus fuerit, vt stet contra insidias diaboli, & accinctus armatura Apostoli, veniẽt ad illum iacula lucis. Siquis aũt peccator est, & ingemiscit, quod habitet in tabernaculis cedar, Mittuntur ei sagittæ potentis acutę cum carbonibus desolatorijs, vt primũ, cõpũgatur sermonibus Dei, & dicat: Versatus sum in miseria, cũ cõfigitur mihi spina; & postquã cõpunctus fuerit, tunc ei desolatorius per Seraphin, ideſt, ardentẽ sermonem Dei, carbo mittatur: qui non solum labia, quæ Isaias tantum habebat immũda, sed omnes partes mẽbrorũ eius excoquit, & ad solitudinem peccatorum reducat.

IDEM exponens illa verba; Auferrubiginem de argẽto, & egredietur vas purissimum, dicit. Auferlitteræ superficiem de sacro eloquio, & inuenies sensum purissimum sub vilitate litteræ reconditum, & sub carnaliũ figuris ceremoniarũ spiritualia latuisse mysteria. Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbũ in tẽpore suo. Sacra eloquia rectissime lectis cõparãtur argenteis: lectis videlicet, quia requiẽ præstãt animabus audiẽtiũ; argenteis aũt, quia splendidã fulgent virtutibus patrũ. Vnde scriptũ est: Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatũ. Quorum ornatui lectorum mala superaddit aurea, quisquis eadẽ diuina eloquia & spiritualibus plena sensibus, & mysterijs, exponendo demonstrat. Qui nimirũ sensus apte mala vocantur, quia de arbore vitæ, ideſt, Dei sapiẽtia sunt orti. Apte aurea mala, quia notitiam amoremq. perpetuæ claritatis mentibus infundunt. Mala ergo aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbũ in tempore suo; quia qui verbum Dei opportune nouit iuxta audientium capacitatem predicare, modo exempla ac dicta patrum, per quorum custodiam ad requiem perueniatur æternam, iuxta litteram replicat; modo suauiores in his sensuũ spiritualium fructus, quibus pia audiẽtium desideria pascat, remoto litteræ velamine pãdit. Inauris aurea, & margaritum fulgidum, qui arguit sapientem, & aurem obedientem. Recte humilis auditor inauri cõparatur aureę; quia dum libenter increpanti, ac docenti aurem ac comodat, iam se se ad recipiendum claritatem sapiẽtię cęlestis prępparat, iam supernę lucis visioni appropiat. Recte magister eruditus margaritæ fulgenti assimilatur, quia dũ emendationẽ morũ, dũ supernorũ scientiã desiderantibus, ac pie quærentibus animis ostendit, quasi aureo ornatui maiorem insuper, gratioremq. fulgorem gemmæ ardentis annectit.

IDEM exponẽs verba illa; Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se, ait. Omnis sermo diuinæ auctoritatis, corda electorũ & igne charitatis accẽdit, & sciẽtia veritatis illustrat, & vitiorum sordes, si quas in eis inuenerit cõsumit, & ab hostiũ insidijs sperantes in se, cunctisq. defendit aduersis.

IDEM explicans verba illa; Quis dedit vehementissimo imbri cursum, & viam sonantis tonitrui, vt plueret super terram absque homine, in deserto, vbi nullus mortalium commoratur, vt impeleret inuiam, & desolatam, & produceret herbas virentes, dicit. Hic vehemẽtissimus imber Saluatoris est Euangelium, qui emisit eloquium suum terræ, vt velociter curreret sermo eius. hic inquam imber in montibus Hierusalem, de immo terræ in sublime surrexit; Quoniam de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. Et eleuatus a sanctis Apostolis nubibus, velut aqua effluens copiose currit, aura sibi flante Spiritus sancti in varijs signis, atq; virtutibus. Viam sibi fidei fecit in nationibus, terrore nominis Dei, atque miraculorum tonitruo precedente. Quod autem in laudem imbris Euangelici dicitur, quod pluerit super terram inhabitabilem, quæ hominem non haberet, non erit mirabile, si vt sonat tantum intelligatur. Sed in deserto, ideſt, nationibus doctrinam Dominicæ prædicationis copiose effudit. In deserto, vbi nullus fuerat commoratus hominum, quoniam nullus prophetarum ad Gentes a Deo erat missus, vt impleret inuia, & desolata, & produceret herbas virentes. Euangelij imber terræ Ecclesiæ, quæ fuerat desolata a Deo, & pluuia charitatis Dei, adipe repleuit eã, atq; in pinguedine, vt ex

vbertate bonorũ cælestiũ produceret, ac proferret herbas virētes, vt homo ferret fructũ tricesimũ, sexagesimũ, cētesimũ. Quis est pluuiæ pater, vel quis genuit stillas roris? Quis est huius pluuiæ, & huius imbris Dominici auctor, & cõditor, nisi Deus? Quã pluuiã volũtariã segregauit Deus hereditati suæ, dãs Filio gẽtes in here ditatẽ suã. Proinde in fluuio affluẽtissimã largitatẽ diuinæ gratiæ demonstrauit. In rore autẽ, eandem gratiam sensim insuescentem visceribus, & medullas animæ penetrantem.

Psal. 2.

32 IDEM exponens verba illa; Parasti in cõ-
In Psal. 22. t. 3 spectu meo mensam, aduersus eos, qui tribulãt me, ait. Vt non iam lacte quasi paruulus alar, sed solido cibo, ideſt, vt spirituali dente ruminans Scripturas sanctas, possim peruersis resistere. Parasti in conspectu meo mensam: mensam vocat Scripturam diuinam. Sicut post laborem in mensa inuenitur consolatio, & refectio, sic & sancti per mensam, ideſt, per Scripturam diuinam habent consolationem, & refectionem. Aduersus eos, qui tribulant me. Persecutores Ecclesię, qui sunt dęmones, Iudęi, & hæretici. Contra istos omnes in Scripturis sacris inuenimus consolationem. Impinguasti in oleo caput meum. Per oleum intelligitur consolatio, quia sicut per oleum consolatur corpus, ita & per sacras Scripturas mens Ecclesiæ. Et calix tuus inebrians, quàm præclarus est. Calix intelligitur verbum Dei. Inebrians, quia per prædicationem compungitur homo in mente, quando separat patrem a filio, & filium a patre suo, matrem a filia, & filiam a matre. Vel mystico me calice inebriasti, vt obliuioni traderem delectationes prioris vitæ.

33 IDEM exponens illa verba; Et mandauit
In Psal. 77. nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, sic habet. Mãdauit nubibus, hoc est, prophetis, & Apostolis præcipitur, vt nobis verbũ prædicationis, quo anima spiritualiter pascat, annunciẽt: cibaria misit eis in abũdantia, vt iã nõ litteræ hordeo, sed spiritualis tritici dogmate satiẽtur.

34 AMBROSIVS inquit. Euangelium est
Lib. 5. Hex. cap. 7. to. 4. mare, in quo Hebræus euasit, Ægyptius interẽptus est. Euangeliũ est mare, in quo est sponsa
Psal. 23. Christi Ecclesia, & diuinæ gratiæ plenitudo, quæ super maria fundata est, sicut dixit prophe ta: Ipse super maria fundauit eã. Euangelium est mare, in quo piscantur Apostoli.

35 AVGVSTINVS ostendit vim diuini
Lib. 9. conf. cap. 10. to. 1. verbi, quãdo ipse, & mater eius soli starent incumbentes ad quandam fenestram, vnde ortus intra domum, quæ illos habebat, prospectabatur, & ait. Illic apud ostia Tyberina, vbi
Phil. 3. remoti a turbis colloquebamur soli valde dulciter, & præterita obliuiscentes, in ea, quæ ante sunt, extẽti, quærebamus apud nos qualis futura esset æterna vita sanctorũ. Sed inhiabamus ore cordis in superna fluenta fontis vitæ. Cũq; ad eum finem sermo perduceretur, vt carnaliũ sensuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ iucunditate non cõparatione, sed ne cõmemoratione quidẽ digna videretur: erigẽtes nos ardentione affectu in idipsũ, &c. Et dũ loquimur & inhiamus illi, attigimus eã modice toto ictu cordis, & suspirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias spiritus. Tu scis Dñe, quòd illo die, cũ talia loqueremur, & mundus iste inter verba nobis vilescebat cũ delectationibus suis. Tunc ait illa, Fili quantum ad me attinet, nulla iam re delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic sim nescio, iam consumpta spe huius sæculi.

36 IDEM ait. Muri ciuitatis Hiericho, quæ
Epi. 119. ad Ianuariũ. de ritibus Eccleſię. to. 2. luna interpretatur, septimo circuitu arcę testa mẽti corruerũt. Quid enim nũc aliud agit prędicatio regni cælorũ, quã circuitio arcæ significauit, nisi vt omnia munimenta mortalis vitæ, ideſt, omnis spes huius sæculi, quæ resistit spei futuri sæculi, in dono septenario Spiritus sancti per liberum arbitrium destruatur? Ob hoc enim circumeunte arca, non impulsu violento illi muri ceciderunt, sed sponte.

37 IDEM exponit verba illa; Deus ab austro
Lib. 18. de ciuit. Dei c. 32. to 5. *Abac. 3.* veniet, & sanctus de monte Pharan, seu vmbroso, & ait. Montẽ vmbrosũ, atq; condẽsum libẽtius acceperim Scripturarũ altitudinẽ diuinarũ. Multa quippe ibi vmbrosa, atq; condensa sunt, quæ mentẽ quærentis exerceãt. Qui ascẽdes super equos tuos, & equitatio tua salus: hoc est Euangelistæ tui portabũt te, quia regũtur a te, & Euãgeliũ tuũ salus est eis, qui credũt in te. Fluminibus scindetur terra, hoc est, influẽtibus sermonibus prędicãtium te, aperientur ad confitendum hominum corda, quibus dictum est: Scindite corda vestra, & non vestimẽta vestra. Gurges aquarum trasijt, vel disperges aquas in cessu. Quid est disperges aquas incessu, nisi ambulando in eis, qui te vsque quaq; prædicant, hac atq; illac dispergis fluenta doctrinæ?

38 IDEM docet, qua dispensatione prouidẽ-
Ca. 42. eiusdem libri. tiæ Dei Scripturæ sacræ veteris testamenti ex Hebræo in Grecum eloquium trãslatæ sint, vt vniuersis gentibus innotescerent, & dicit. Has sacras litteras etiam vnus Ptolemæorum Regum Ægypti nosse studuit, & habere. Primus Rex ex Ptolemæis Lagi filius, multos ex Iudæa captiuos in Ægyptum transtulit. Huic autem succendens alius Ptolemæus, qui est appellatus Philadelphus, omnes, quos ille adduxerat subiugatos, liberos redire permisit, in super, & dona regia in templũ Dei misit, petiuitq. ab Eleazaro tunc Pontifice, dari sibi Scripturas, quas profecto audierat fama prędicante dininas, & ideo concupiuerat habere in bibliotheca, quã nobilissimã fecerat. Has ei cum idẽ Pontifex misisset Hebræas, post etiã ille interpretes postulanit, & dati sunt ei septuaginta duo de singulis duodecim tribubus seni homines, linguæ vtriusque doctissimi, Hebreæ scilicet, atque Græcæ. Traditur sane tã mirabilẽ, ac stupendũ planeq. diuinũ in eorũ verbis fuisse consensum, vt cũ ad hoc opus separatim singuli sederint, ita enim eorũ fidẽ Ptolemæo Regi placuit explorare, in nullo verbo, quod idẽ significaret, & tantũdem valeret, vel in verborum ordine alter ab altero discreparet, sed tamquam, si vnus esset interpres, ita quod omnes interpretati sunt, vnum erat, quoniam reuera spiritus erat vnus in omnibus, vt isto etiam modo illarum scripturarũ, quæ

quæ diuinæ erant, commendaretur auctoritas, credituris quandoq; gentibus profutura, quod iam videmus effectum.

39 IDEM explicans verba illa; Arcum suum
In ps. 7. to. 8 tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vasa mortis, inquit. Arcum istũ Scripturas sanctas libenter acceperim. Hinc tamquam sagittæ emittuntur Apostoli, vel diuina præconia iaculantur. Quas sagittas ardentibus operatus est, ideſt, qui percussi diuino amore flagrarent.
Cant. 2. Qua enim alia sagitta percussa est, quæ dicit; Inducite me in domum vini, constituite me inter vnguenta, constipate me inter mala, quia vulnerata charitate ego sum? Quibus alijs sa-
Psal. 119. gittis accenditur, qui redire ad Deum cupiens, & ab ista peregrinatione remeare, aduersus dolosas linguas petit auxilium, & ei dicitur; Quid detur tibi, aut quid adijciatur tibi aduersus linguã dolosam? Sagittæ potentis acutæ cũ carbonibus vastatoribus: ideſt, quibus percussus, atq; inflammatus tanto amore ardeas regni cælorũ, vt omniũ resistentiũ, & a proposito reuocare volentiũ linguas contemnas, & perse
Rom. 8. cutiones eorũ derideas, dicens: Quis nos separabit a charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an periculũ, an gladius? Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angelus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei. Sic ardentibus sagittas suas operatus est. Nam in Grecis exẽplaribus ita inuenitur, sagittas suas ardẽtibus operatus est. Latina autem ardentes pleraque habent. Sed siue ipsæ sagittæ ardeant, siue ardere faciant, quod vtraque non possunt, nisi & ipsæ ardeant, integer sensus est. Sed quia non sagittas tantum, sed & vasa mortis dixit in arcu Dominum parasse, quæri potest, quæ sint vasa mortis, an forte hæretici? Nam & ipsi ex eodẽ arcu, ideſt, ex ijsdem Scripturis in animas non charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt; quod non contingit, nisi pro meritis. Propterea diuinæ prouidentiæ etiam ista distributio tribuenda est. Malo enim voto per peccatum legentes, male coguntur intelligere, vt ipsa sit pœna peccati quorum tamen morte filij catholicæ Ecclesiæ tamquam quibusdam spinis a somno excitantur, vt ad intelligentiã diuinarum proficiant Scripturarum. An forte easdem sagittas, & vasa mortis disposuit ad
1. Cor. 2. perniciem infidelium, & ardentibus operatus est, ad exercitationem fidelium? Non enim falsum est, quod Apostolus dicit: Alijs sumus odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortẽ. Apostoli enim igneæ sagittæ fuerunt ad inflammandum per verbum Dei corda credentium.

40 IDEM explicans verba illa; Pluet super
In Psal. 10. peccatores laqueos, dicit. Si nubes non nisi boni, & veri prophetæ intelliguntur, & de his manifestum est super peccatores laqueos pluere Deum, quamuis de his etiam pios ad fructi-
2. Cor. 2. ficandum irriget. Quibusdam, inquit, Apostolus sumus odor vitæ in vitam, quibusdam odor mortis in mortem, non enim prophetæ tantũ, sed omnes verbo Dei animas irrigantes, nubes dici possunt. Qui cum male intelliguntur, pluit Deus super peccatores laqueos. Cum autem bene intelliguntur, fœcundat pectora piorum, atque fidelium. Dominus dicit: Non quod intrat in os coinquinat hominem. Audit hoc pec cator, & gulam parat voracitati: audit hoc iustus, & a ciborũ discernẽdorũ superstitione munitur. Et hinc igitur eadem Scripturarũ nube, pro suo cuiusq; merito, & peccatori pluuia laqueorũ, & iusto pluuia vbertatis infussa est.

IDEM inquit. Sermo Dei aduersarius tuus
41 In Psal. 35. est, si tu amicus sis iniquitatis tuæ. Si autẽ tu aduersarius sis iniquitatis tuę, sermo Dei amicus est, & aduersarius iniquitatis tuę. Si ergo odisti iniquitatẽ tuã, iungis te sermoni Dei, & eritis duo aduersus illã perimendã, tu, & sermo Dei. Tu enim per te ex viribus tuis nihil potes, adiuuat te ille, qui tibi sermonẽ misit, & vincitur iniquitas: si tu illã odisti, & Deus dimisit, & eris liber; si autem ipsam diligas, contrariũ est tibi intelligere, quid quid contra illam dicitur.

IDEM exponens illa verba; Quoniam sa-
42 In Psa. 37. *Cantic. 2.* gittæ tuæ infixæ sunt mihi, ait. Solemus & verba Dei sagittas accipere. Sed numquid ab his posset iste sic dolere se percuti? Verba Dei tãquam sagittæ excitant amorem nondum excitatum, non dolorem. An quia & ipse amor non potest esse sine dolore? Quidquid enim amamus, & non habemus, necesse est, vt doleamus. Nam ille amat, & non dolet, qui habet, quod amat. Qui autem amat, & nondum habet, gemit. Inde illud in persona Ecclesiæ in Cantico *Cant. 2.* Canticorum sponsa dicit: Quoniam vulnerata *& 5.* charitate ego sum. Vulneratam se dixit charitate, amabat enim quidem, & nondum tenebat, dolebat, quia nondum habebat: ergo si dolebat, vulnerata erat, sed hoc vulnus ad verã salutem rapiebat. Qui hoc vulnere non fuerit vulneratus, ad veram sanitatem nõ potest peruenire. Possumus itaque etiam sic infixas sagittas accipere, ideſt, verba tua infixa cordi meo, & ex ipsis verbis tuis factum est, vt recordarer sabbatum, & ipsa recordatio sabbati, & nondum retentio facit me nondum gaudere, & agnoscere, nec sanitatem esse in ipsa carne, neque dici debere, quoniam comparo istam sanitatem illi sanitati, quam habebo in requie sẽptierna, vbi corruptibile hoc induet incorruptionem, & mortale hoc induet immortalitatem, & video, quia in illius sanitatis comparatione ista sanitas morbus est.

IDEM explicans illa verba; Vocem dede-
43 In Psal. 76. runt nubes, ait. Inde sonitus aquarum in laudibus Dei, in confessionibus peccatorum, in orationibus, inde abyssorum perturbatio, quia vocem dederunt nubes. Quæ nubes? Predica-
Isaiæ 5. tores verbi veritatis, de quibus minatur cuidam vineæ Deus, quæ pro vua fecit spinas, & dicit: Mandabo nubibus meis, ne pluant super eam imbrem. Etenim sagittæ tuæ transeunt. Easdem voces nubium, rursus sagittas dixit. Verba enim Euangelistarum sagittę fuerunt, quia propter similitudinem verbum Dei & sa-

gitta est, quia percutit, & pluuia, quia rigat. Nemo ergo, iam miretur abyssorũ cõturbationẽ, quoniã sagittæ tuæ pertrãsierũt. Quid est pertrãsierũt? Non in auribus remãserunt, sed corda transfixerunt. Apparuerunt fulgura tua orbi terræ. Vox tonitrui tui in rota, vnde vidit, & commota est terra, cum Dei verba in ore Apostolorum, vt fulgura percuterent, & occiderẽt, & velut tonitrua exterrefacerent.

44 Conc. 1. in Psa. 88. IDEM exponens illa verba; Confitebuntur cæli mirabilia tua Domine: etenim veritatem tuam in Ecclesia Sanctorũ, dicit. De cælis nulla est dubitatio, quod intelligantur prædicatores verbi veritatis. Et vbi confitebuntur cæli mirabilia tua, & veritatem tuam? In Ecclesia Sanctorum. Excipiat Ecclesia rorẽ cælorum, sitienti terræ pluant cæli, & germinet excipiens pluuiã germina bona, opera bona, ne pro bona pluuia det spinas, & pro horreo expectet ignẽ, cõfitebũtur cæli mirabilia tua Domine, & veritatem tuam in Ecclesia Sanctorũ. Prædicatores cæli sunt, & nubes. Cæli, propter fulgorẽ veritatis, nubes, propter occulta carnis, propter mortalitatem, & sunt prædicatores veritatis propter imbrem nubium.

45 In Psal. 129 IDEM explicans verba illa; Esto consenties aduersario tuo, dum es in via, ne forte tradat te iudici, & iudex tradat te tortori &c. ait. Concordandum est cum aduersario, dũ es cum eo in via. Est enim sermo Dei aduersarius tuus, quandiu cum illo non concordas: cõcordas autẽ, cum cęperit te delectare facere: quod dicit sermo Dei: Iam qui erat aduersarius, fit amicus. Sic finita via nõ erit, qui tradat te iudici. Ergo propter legẽ tuã sustinui te Domine.

Matth. 5.

46 In Psal. 149 IDEM in expositione illius loci: Gladij ancipites in manibus eorũ, ait. Frameæ bis acutę, & spatæ. Magnum mysterium habet hoc genus ferramenti, quod ex vtraque parte acutum est. Frameas bis acutas intelligimus sermonẽ Domini, & vna framea est, sed ideo multæ dicũtur, quia multa sunt ora, & linguæ Sanctorum; Sermo Dei gladius bis acutus. Dicit de temporalibus, dicit de ęternis, in vtroque probat, quod dicit, & eum, quem ferit, separat a mundo. Ipse est gladius, de quo Dominus dicit: Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Filius vult seruire Deo, pater non vult; venit gladius, venit sermo Dei, & separat filium a patre: veniat gladius bis acutus, afferat promissionem vitæ præsentis, & futuræ, consolationem temporalium, æternorũ fruitionem. Quidquid temporaliter nobis promissum est, ad vnam partẽ gladij pertinet, quidquid in sempiternũ, ad alteram partem gladij pertinet. Pater, mater, soror, vxor sit, amicus sit, non te retrahant, & vtilis tibi erit gladius bis acutus, vtiliter te ille separat, male te tu conglutinas. Sed gladij in manibus, & non in linguis? In manibus, dixit in potestate. Acceperunt enim sermonem Dei potestate, vt vbi vellent dicerent, cui vellent, dicerent, non timerent potestatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium, qua volebant vibrabant, versabãt, percutiebant, & hoc totum erat in potestate prędicantiũ. Nam si non est in manibus sermo, ne forte aliquis dicat, quomodo sermo est gladius bis acutus, & quomodo in manibus? Si ergo sermo non est in manibus, quare scriptum est: Factus est sermo Domini in manu Aggæi prophetæ? Nunquid fratres sermonem suum Deus in digitis ipsius fecit? Quid est in manu ipsius factus est? In potestate illi datum est, prædicare sermonem Domini. Postremo possumus etiam has manus aliter intelligere, nã qui locuti sunt, in lingua habuerunt sermonem Dei, qui scripserunt, in manibus, & frameæ bis acutæ in manibus eorum. Iam fratres videtis sanctos armatos: attendite strages, attendite glorioſa prelia. Quid fecerunt isti habentes gladios in manibus? Vindictã in nationibus, increpationes in populis, alligauerunt reges in cõpedibus, & nobiles in manicis ferreis. Per verbum Dei prædicatores sancti hæc operati sunt in gẽtibus &c.

Heb. 4.

Matt. 10.

Aggæi 1.

47 Ho. 8. in Apoc. to. 9. IDEM exponens verba illa, quibus dictum est Ioanni: Accipe librũ, & comede illum, & faciet amaricare ventrem tuum, sed in ore tuo erit tamquam mel dulce, inquit. Cum perceperis verbum Dei, delectaberis eloquij diuini dulcedine, sed amaritudinem senties, cum prędicare, & operari cœperis, quod intellexeris sicut scriptũ est: Propter verba labiorum tuorũ ego custodiui vias duras, & aliter. Erit, inquit, in ore tuo dulce, vt mel, & in vẽtre amaritudo. In ore intelliguntur boni, & spirituales Christiani, in vẽtre carnales, & luxurioſi. Inde est, quod cum verbum Dei prædicatur, tunc spiritualibus dulce est, carnalibus vero, quorum Deus venter est, amarum videtur, & asperum.

Psal. 16.

Phil. 3.

48 Ser. 1. de verbis Dñi in Matt. to. 10. IDEM in explicationem illorum verborũ Mattæi 5. Esto cõsentiens aduersario tuo, cito, cum es cum illo in via. Ne forte aduersarius tradat te iudici, iudex ministro, minister in carcerem, dicit. Queramus istum aduersarium, & consentiamus illi. Si peccas, aduersarius tuus sermo Dei est: Verbi causa, delectat te inebriari, dicit tibi, noli: delectat te nugari, adulterari, dicit tibi, noli: in quibuscumque peccatis volueris facere voluntatem tuam, dicit tibi, noli: aduersarius est voluntatis tuæ, o quam bonus, & quàm vtilis aduersarius: non quærit nostram voluntatem, sed vtilitatem. Aduersarius est nobis, quamdiu sumus & ipsi nobis. Quandiu tu tibi inimicus es, inimicum habes sermonem Dei: esto tibi amicus, & concordas cum illo. Non homicidium feceris, audi, & concordasti. Non furtum feceris, audi, & concordasti &c. In his omnibus cum tuo aduersario concordasti, dic mihi, quid perdidisti? Non solum nihil perdidisti, sed & te ipsum, qui perieras, inueneris. Via vita ista est. Si concordaueris cum illo, si consenserimus illi, finita est via, non timebimus iudicem, ministrum, carcerẽ. Quia nescimus quando via finienda est, semper cum aduersario nostro debemus concordare. Si cõcordaueris in via, seruans aduersario bonam voluntatem, pro iudice inuenies patrem, pro ministro sæuo Angelum ducẽtem in sinũ Abrahæ,

hæ; pro carcere paradisum, quàm cito in via cuncta mutasti, quia tuo aduersario consensisti.

49 Serm. 91. de tempore. IDEM ait. Semper nobis Deus pluit manna de cælo: cælestia namque sunt eloquia ista. Si vis suscipere verbũ Dei, & manducare manna, scito illud minutum esse, & valde subtile, sicut semen coriandri. Habet aliquid oleris, quo nutriri, & recreari possit infirmus. Habet aliquid rigoris, & ideo vt pruina est. Candoris autem, & dulcedinis habet plurimum, quia eloquia Domini dulciora sunt super mel, & fauũ. Multa alia de re hac habet, quæ adnotauimus iam in Homilia Origenis in Exodum.

50 Lib. 20. Moral. c. 2. to. 2 GREGORIVS explicans illa verba Iob 29. cap. Super illos stillãbat eloquium meũ, sic habet. In hac stillatione eloquij quid aliud, quàm mensura prædicationis accipitur? Quia oportet, vt exhortationis gratia singulis iuxta capacitatem ingenij, conferatur. Debet enim subtiliter is, qui docet perspicere, ne plus studeat, quàm ab audiente capiatur, prædicare. Debet enim ad infirmitatem audientiũ semetipsum contrahendo descendere, ne dum paruis sublimia, & idcirco non profutura, loquitur, se magis curet ostendere, quàm auditoribus prodesse. Expectabant me sicut pluuiam, & os suũ aperiebant quasi ad imbrem serotinum. Verba quippe sanctæ prædicationis, sicut pluuiam sustinemus, cum vera humilitate ariditatem nostri cordis agnoscimus, vt potu sanctæ prædicationis irrigemur. Vnde recte per psalmistam dicitur: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. His doctrinæ fluentis infundi, propheta nos admonet, dicens: Omnes sitientes venite ad aquas. Qui dum extrema parte iam sæculi verba sanctæ prædicationis accipimus, quasi ad imbrem serotinum os cordis aperimus. De hoc imbre serotino aliàs scriptum est: Dabo vobis pluuiam temporaneam, & serotinam. Temporaneam quippe pluuiã dedit, quia electis suis priori tẽpore legis intellectum contulit. Serotinam quoq; pluuiam tribuit, quia prędicari diebus vltimis incarnationis suæ mysterium fecit. Quod quia sancta Ecclesia quotidie annunciare non desinit, ora cordis audientium velut ex imbre serotino infundit.

Psal. 142.

Isa. 55.

Hier. 5.

51 Lib. 23. Moral. c. 17. IDEM explicans verba illa Iob 33. cap. Abominabilis ei fit in vita sua panis, inquit. Per panem diuinæ doctrinæ eruditio designatur, sicut per prophetam dicitur: Qui habitatis in terra austri, cum panibus occurrite fugienti. In terra quippe austri habitant, qui in sancta Ecclesia positi, superni Spiritus charitate perflantur. Fugit autem, qui huius mundi mala euadere concupiscit. Qui ergo in terra australi habitat, fugienti cum panibus occurrat: ideſt, is, qui iam Spiritu sancto intra Ecclesiam plenus est, eum, qui mala sua euadere nititur, eruditionis alloquio consoletur. Fugienti scilicet cum panibus occurrere, est metuenti æterna supplicia doctrinæ sacræ escas offerre, & modo tumorem terrore comprimere, modo pauorẽ exhortatione refouere. Quia panis refectio Scripturę sacrę nõ inconuenienter accipitur, per eundẽ prophetam Iudęis solã litteram seruantibus dicitur: Quare appẽditis argentũ, & nõ in panibus. Ac si diceret pẽsatis sacra eloquia, sed nõ in refectione, quia dũ solam litteræ speciem custoditis, de spiritali intelligẽtia pinguedinẽ internæ refectionis amittitis.

Isa. 21.

Isa. 55.

52 Ser. de multiplici vtilitate verbi Dei. BERNARDVS ait. Beati, qui audiunt verbũ Dei, & custodiunt illud. Vultis nosse quã beati? Primũ quidem sonans in auribus animę vox diuina conturbat, terret, dijudicat, sed cõtinuo, si bene aduerteris, viuificat, liquefacit, calefacit, illuminat, mandat. Denique & cibus noster est, & gladius, & medicina, & confirmatio, & requies, resurrectio quoq; & cõfirmatio nostra. Verbũ Dei omnia cordis secreta rimatur, atq; dijudicat, sermo viuus, & efficax, cordiũ, atq; cogitationũ perscrutator. Vnde, & licet mortuus in peccato, si audieris vocẽ Dei, vives. Sermo enim, quẽ loquitur, Spiritus, & vita est. Si cor tuũ induratũ est, memento Scripturæ dicẽtis: Emittet verbũ suum, & liquefaciet ea. Et itẽ: Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. Si tepidus es, & euomi iã formidas, nõ discedas ab eloquio Domini, & inflãmabit te, quia eloquium eius ignitum valde. Quod si tenebras ignorantię plangis, diligenter audi, quid loquatur in te Dominus Deus, & erit lucerna pedibus tuis verbum Domini, & lumen semitis tuis? At fortasis tanto amplius doles, quanto clarius peccata etiã minima illuminatus agnoscis, sed sanctificabit te Pater in veritate, quæ est vtiq; sermo eius, vt inter Apostolos audire merearis: Iam vos mundi estis propter sermonẽ meum. Iam vero cum laueris manus tuas, Ecce parauit in conspectu tuo mensam, vt non de solo pane viuas, sed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei, & in fortitudine cibi illius curras viam mandatorum Dei. Vbi si consistunt aduersum te castra, & prœliũ tentationis insurgit, arripe gladiũ spiritus, quod est verbũ Dei, & in eo facile triũphabis. Quod si forte (vt est certaminis consuetudo) contigerit aliquando vulnerari, mittet verbum suũ, & sanabit te, & eripiet de interioribus tuis, vt in te quoq; impleatur, quod ait Centurio: Domine, dic tantũ verbo, & sanabitur puer meus. Sed si titubas adhuc, clama ad Dominum, & in verbis suis confirmabit te, vt experimento discas, quoniam verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Si trepidas nescius vtrum amore, vel odio dignus sis, tunc maxime memor esto verbi tui ieruo tuo Domine, in quo mihi spem dedisti, vt ab auditione mala non timeam.

Ioan. 13.

Psal. 22.

Matt. 4.

Matt. 8.

Eccls. 9.

Psal. 118.

53 Serm. 67. in Cantica. IDEM explicãs verba illa; Dilectus meus mihi, & ego illi, dicit. Sũt Sermones Dei quàm suaues ad gratiam, tam fœcundi ad sensus, tam etiam profundi ad mysteria. Similatur illi cibo, qui triplici quadam emineat gratia, delitioſa ad saporem, solida ad nutrimentum, efficax ad medicinã. Sic, inquam, sic singulis quisque sponsæ sermo, & ex eo, quod suauiter sonat, affectum mulcet, & de sensuum vbertate mentem impinguat, & nutrit, & de altitudine

mysteriorum, dum intellectum, quo plus exercet, plus terret, miro modo tumorem sanat instantis scientiæ. Vide lib. 16. cap. 13.

Verbum Dei prædicatur populo ex Dei misericordia, est autem ira grandis, vel quod non proponatur, vel eius virtus eneruetur. Cap. III.

1 Homil. 3. in c. 3. Num. to. 1.

ORIGENES sic ait; Scriptum est de manna, quia secundum tempus illud, si quis id ita sumpsisset, vt præceperat Deus, nutriretur ex eo. Si quis vero cõtra præcepuum Dei, & contra statutum diuinitus modum voluisset assumere, non frueretur eo, vt vitali cibo, sed vermes ebullirent ex eo. Et ita fiebat, vt vna atque eadem species manna alijs quidem vermes, & putredines generaret, alijs salubrem cibum conferret, & vitæ necessarium. Igitur & nostrum manna verbum Dei est, & apud nos ergo sermo Dei alijs efficitur ad salutem, alijs cedit ad pœnam. Et propter hoc arbitror, quod ipse Dominus, & Saluator, qui est viuum Dei verbum, dicebat: In iudicium ego veni in hunc mundum, vt qui non vident videant, & videntes, cæci fiant. Quanto melius esset nonnullis omnino nec audire verbũ Dei, quàm audire cum malitia, vel audire cum hypocrisi? Melius autem dicimus, ad comparationem malorum. Vere autem melius, & vere rectius, ac perfectius est, vt qui audit verbum Dei, audiat corde bono, & simplici, audiat corde recto, & parato, vt quasi in terra bona fructificet & crescat.

Ioan. 9.

2 Hom. 8. ex imperf. in Mat. to. 2.

CHRYSOSTOMVS inquit. Sicut infirmus, qui ipse venit ad medicũ, ex parte iam sanus est, sic & ipse peccator, qui venit ad sacerdotem, vt doctrinæ medicinam quærat, ex parte iam iustus est. Illum autẽ grauis tenet infirmitas, quẽ sacerdos sequitur verbis, & ille spiritualium verborum medicamentum non sentit, nec melioratur, sed quasi qui stomachũ patitur, quidquid manducauerit, & biberit, iterũ vomit. Sic & illa anima patiens, quidquid audierit, statim de sensibus suis proijcit foras, sic illi infideles Iudæi, de quibus dictum est: Omnem escam abominata est anima eorum, ideſt, omnem escam doctrinæ animam nutrientem. Circuibat Iesus totam Galilæam, docens, & prædicans Euangelium regni. Aliud est docere, aliud Euangelium prædicare. Docebat enim eos dicens iustitias naturales, quas etsi ille non diceret, ipsa ratio naturalis eos doceret, vt puta castitatem, & cetera huiusmodi, quæ etsi homines non audiunt, tamen a semetipsis bona esse intelligunt, sicut ait Paulus Apostolus Romanis: Cum enim Gentes, quæ legem Dei non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, &c. Sed forte dicis, si ea eos docebat, quæ omnes intelligunt, quid opus habebat eos docere? Audi, doctrina non tantum propter manifestationem rerum obscurarum inuenta est, quantum propter excitationem cordis, & spiritus. Talis est enim humana natura, vtpote prævalentibus delectationibus carnalibus in homine, scientia, quæ est in eo iustitiæ naturalis, excluditur, & quasi in obliuionem deducta, de memoria foras expellitur, & obdormit. Cum ergo cœperit doctor in illis reprehendere, & repercutere mala carnalia, quasi præcisis delectationibus carnalibus, iterum scientiam in memoriam eorum reducit, & in sensibus reparat. Vnde & gladius dicitur sermo diuinus, quia sicut gladius carnes præcidit, sic & sermo diuinus concupiscentias carnales.

Pſal. 106. *Matt. 4.* *Roma. 2.* *Eph. 6. & Heb. 4.*

3 Ho. 38. imperfecti in c. 21. Mat.

IDEM sic habet. Sicut stomachus accipiẽs cibum coquit eum in seipso, & per totum corpus dispergit, sic & sacerdotes accipiunt scientiam sermonis per Scripturas ex Deo, & excoquentes eas in se, ideſt, tractantes, & meditantes apud se, vniuerso populo subministrãt. Et sicut stomacho ministrante, vnumquodque membrum suscipit nutrimentum, & conuertit ipsum in se, secundum suam naturam, vt puta, quod suscipit iecur, totum fit sanguis, quod autem suscipit fel, bilis efficitur totũ, quod vero ascendit in pulmonem phlegmata fiunt, quod autem in mammillas totum efficitur lac: sic sacerdotibus in Ecclesia loquentibus, verbum omnes suscipiunt, vnusquisq; autem conuertit illud secundum proprium cor, ita vt vnum idipsum verbum in cordibus quidem rectis procedat ad vitam, in cordibus autem peruersis suscitet iracundiam, quasi bilis, in alijs autem operatur dilectionem dulcissimam, quasi lac, in alijs autem odia, quasi phlegma nociuum, & expuendum.

4 Ho. 41. imperfecti in c. 22. Mat.

IDEM explicans verba illa; Misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, ait. Prandiũ est doctrina iustitiæ, & verba cælestium mysteriorum. Quæ omnia mandens homo, ideſt, audiens, acquirit sibi vitam æternã. Multas enim proprietates habet sermo ad escã. Sicut enim, qui mittit in os suum fragmentum panis, aut qualemcumq; cibum, primum molit eum dentibus, & ita dimittit in stomachum, sic & cum audimus omne verbum, necesse est ipsum meditari in ore sensus, & quasi quibusdam dentibus, ideſt, tractatibus molere, & videre quid est, quod dicit, aut propter quam rem dicit. Nam quemadmodum qualemcumque cibum nisi masticauerimus dentibus, non sentimus saporem eius, ita & verbum, quod audimus, nisi masticauerimus ipsum tractantes in nobis, nõ possumus intelligere virtutem verbi illius. Nam & manna, quod edebatur in eremo, figuram habebat verbi, ideo dicebatur manna, quod interpretatur Hebraice, quid est hoc? vt quoti escumq; audimus verbum, admoneat nos ipsum nomen requirere, quid est hoc, quod audimus? Et sicut cibum postquam masticauerimus, dimittimus in stomachum, ita & verbum, postquam bene tractauerimus, commendamus

Deut. 18. Exod. 16.

damus ipsum memoriæ quasi stomacho. Nam quemadmodum non prodest cibus, nisi cum fuerit masticatus, & in stomachum descenderit, sic non proficit ad salutem verbum, nisi cum fuerit intellectui, & memoriæ traditum. Nam sicut cibus nihil prodest, si manducauerimus, & iterum euomimus eum de stomacho, sic nihil nobis prodest verbum, quod audimus, & illico obliuiscimus. Cibus, qui in stomacho stat, ille confortat, & sermo, qui in memoria manet, ille saluat. Vnde & apud Iudæos illa animalia sunt munda, quæ reuocant cibum, & ruminant. Ergo animal illud est mundum, quod masticat, & tradit vtero, & iterum de vtero reuocat, & ruminat. Et homo ille spiritualis est, & sanctus, qui audiens verbum tractat, & cum intellexerit, memoriæ quasi vtero tradit, & iterum de memoria reuocat, & considerat. Ille autem homo immundus est ante Deum, qui non recordatur aliquando, nec retractat, quod audit. Qui autem manducat de spirituali conuiuio, repletur spiritu, dilatatur sensibus, nutritur in veritate, pingueſcit in fide, & sic ingreditur ad interiora voluntatis Dei, & manens in eis, acquirit sibi vitam æternam. Qui autem ab hoc conuiuio verbi longe fuerit factus, euacuatur spiritu, angustatur sensibus, deficit a veritate, distillat a fide, & sic egrediens ab omnibus voluntatibus Dei ad inferiora, nouissime cadit in mortem. De incarnatione Christi, & cælesti illa terra mel, & lac fluxerunt. Lac enim opus est miraculorum, quoniam & sine labore dentium, & cum suauitate comeditur, per quod rudes in fide, quasi pueri sustentantur. Mel autẽ, eloquia, & doctrinæ dicuntur, sicut ait prophe-

Leuit. 11. & Deu. 14.

Pſal. 118. ta: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, sicut mel ori meo. Ergo terram fluentem lac, & mel, quam Abrahæ promisit, Christi incarnatio fuit, qui lacte miraculorum, & melle doctrinæ nutriturus fuerat gentes rudes in fide. Cõuiuium autem hoc cœpit præparari, quando lex Domini data est irreprehensibilis, conuertens animas, quando testimonium Domini fidele datum est, sapientiam præstans paruulis, quando iustitiæ Domini recte lætificantes corda, quando præceptum Domini lucidum illuminans oculos. Sicut enim regale prandium multis ciborum speciebus ornatur, ita & hoc conuiuium Scripturarum diuersis iustitiarum speciebus est decoratum. Ecce prandium meũ parauī: ideſt, ex omni lege, & ex omnibus prophetis Scripturarum mensas ornaui.

Gen. 12.

Pſal. 18.

5 Lib. 2. in c. 3. Mic. to. 4.

HIERONYMVS exponens verba illa; Ecce dominator Dominus exercituum auferet ab Hierusalem, & Iuda validum, & fortem, omne robur panis, & omne robur aquæ, dicit. Nihil apud Iudæos post passionem Domini forte, nihil validum est, sed omnia infirma, & languida. Fortitudo igitur panis aufertur ab eis, & fortitudo aquæ, de qua idem Dominus loquebatur: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua, quam ego do ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. De huiusce modi panibus, & in Prouerbijs legitur: Aperi oculos tuos, & replere panibus. Habent Iudæi panem, sed absque fortitudine, habent aquas, sed absque robore. Legunt enim Scripturas, sed non intelligunt, tenent membranas, & Christum, qui in membranis scriptus est, perdiderunt. Et quia fortitudinem perdiderunt, & infirmi sunt, propterea olera comedunt. Athletarum autem solidus cibus est, qui & vitam sustentat humanam, & viuentibus præbet fortitudinem. De istiusmodi pane, & aqua, quod auferantur a Iudæis, etiam alius propheta testatur, dicẽs: Ecce dies veniet, dicit Dominus, & emittam famem super terram: non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi sermones Domini.

Prou. 20.

Amos 8.

7 Inc. 5. Iſa.

IDEM exponens verba illa; Vinea facta est dilecto meo: & sepsit eam, & lapides elegit ex illa, sic habet. Vineæ nomine describit populum Iudæorum, quem sepsit Angelorum auxilio. Et lapides elegit ex ea, vel idola, vel omnia, quæ ad Dei cultum poterant impedire. Et plantauit eam vineam Soreth. Aiunt enim Hebræi, Soreth genus esse vitis optimæ, quod vberes fructus faciat, atq; perpetuos. Ædificauit quoque turrim in medio eius, templum videlicet in media ciuitate, & torcular extruxit in ea, hoc est, altare. Cuncta, quæ dicuntur de vinea, possunt & ad animæ humanæ referri statũ, quæ a Deo plantata in bonum, non vuas attulerit, sed labruscas, & postea sit tradita bestijs conculcanda, nec diuinum imbrem susceperit doctrinarum, quia præterita dona contempserit. Et expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Aquila interpretatus est fructus pessimos, Symmachus imperfectos, & Theodosio spinas. Domino enim expectante, vt vindemiæ tempore deferrent vuas ad torcularia, isti securis, & vitijs sæculi demergentes blasphemiarum stimulos obtulerunt. Nunc ergo habitatores Hierusalẽ, & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam, &c. Feci, inquit, vniuersa, quæ debui, plantaui vineam in loco vberrimo, circumdedi maceriam, elegi lapides. Vitis quoque ipsa non fuit vna de pluribus, sed electa. Iudicate ergo inter me, & vineam meam. Et illis tacentibus subdit: An quod expectaui, vt faceret vuas, & fecit labruscas? Nisi forte, inquit, in hoc erraui, quod pro labore meo expectaui, vt faceret vuas non labruscas, quas incuria, ac deserta vinea afferre consueuit. Et nunc ostendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ. Auferam sepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam, non putabitur, & non fodietur, & ascendent super eam vepres, & spinæ. Et nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem. Quoniam feci vineæ meæ cuncta, quæ debui, & pro vuis attulit labruscas, auferam vniuersa, quæ dederam. Tollam Angelorum auxilia, destruam muros, & inimicis gentibus subiacebit, eritq. deserta, & non putabitur in æternum, vt rediga-

8

tur in vepres. Et nubibus mandabo, ne pluant super eam. Istæ sunt nubes, quas eduxit Dominus ab extremo terræ, de quibus & in psalmo legimus: Veritas tua vsque ad nubes. Hæ nubes, quoniam sub Elia propheta omnes idololatræ erant, tribus annis, & sex mensibus super terram Israel non pluerunt. Quod quidem non solum de Prophetis, sed de Apostolis possumus intelligere, quod post passionem Domini nec Apostolos, nec Prophetas habuerunt Iudæi, ne pro vuis afferrent spinas, sed pro ariditate, & sterilitate sua precarentur eum, qui potest imbres mittere. Vnde & in Leuitico loquitur ad eos: Ponam cælum ferreum vobis, & terram æneam. Et in Deuteronomio: Erit cælum super caput tuum æneum, & terra subter te ferrea. Et rursus: Dabit Dominus pluuiam terræ tuæ, & cinis de cælo descendet super te, donec eradicet te, & deleat, quia terra, quæ frequenter super se venientem suscipit pluuiam, & non facit segetem, reproba est, & maledicto proxima.

Leuit. 26.

Deut. 28.

9 IDEM exponens verba illa; Luxit Iudæa, & portæ eius corruerunt, & obscuratæ sunt super terram, & clamor Hierusalem ascendit. Maiores eius miserunt minores suos ad aquam, & non inuenerunt, reportauerunt vasa sua vacua. Confusi sunt, & afflicti, & operuerunt capita sua, propter terræ vastitatem, quoniam defecerunt, quia non venit pluuia super terram. Confusi sunt agricolæ, operuerunt capita sua, inquit. Tempore siccitatis, quando famem patitur multitudo audiendi, & discendi sermonem Dei, luget Iudæa, cultum Dei prius habere se iactans, & confessionem veræ fidei. Tunc obscurantur omnia, & inuoluuntur tenebris, & nequaquam in Hierusalem ratio regnat, & sermo doctrinæ, sed clamor, atque confusio. Maiores quoque, qui deberent ipsi pergere ad hauriendas aquas, mittunt iuniores, in quibus carni non sunt sapientiæ, & idcirco veniunt ad puteos, & non inueniunt aquas, quas patriarchas inuenisse narrat historia. Reportant vasa sua vacua, iuniores videlicet, non quod aquæ non fuerint, sed quod illi inuenire non potuerint. Confusi sunt, & afflicti, siue erubuerunt, & operuerunt capita sua, quia non potuerunt dicere cum Apostolo: Nos autem reuelata facie gloriam Domini contemplamur. Causaque præcipua, quia non venit, inquit, pluuia super terram. Mandatum est quippe ne pluerent super eam. Agricolæ quoque, quorum vnus loquitur: Dei agricultura estis, Dei ædificatio estis, & in alio loco: Dei cooperatores sumus, operiunt caput suum, & confunduntur, intelligentes sine Dei gratia, & adiutorio frustra se tendere. Nam & cerua in agro peperit, & reliquit, quia non erat herba. Et onagri steterunt in rupibus, & traxerunt ventum quasi dracones, defecerunt oculi eorum, quia non erat herba. Grandis sterilitas, quando & ceruæ in agro pariunt, & relinquunt fœtus suos, quia non sit herba, vel fœnum, vt quæ odore narium serpentes extrahunt de cauernis, & venenata interficiunt animantia, cibo gratiæ non vtantur. Onagri quoque plana, & campestria relinquentes, illi, de quibus scriptum est: Quis dimisit in solitudine onagrum liberum, stent in rupibus, & currere nequeant, & attrahant ventum in similitudinem draconum, deficiantque oculi eorum, & claram lucem cernere nequeant, rationalibus subtractis cibis. Siccitas hæc sæpe accidit in Ecclesijs, quando cerui, & onagri inueniuntur in populis, & magistrorum penuria contabescunt. Sunt, qui possunt discere, & non sunt, qui possunt docere. Si dubitamus, quare non descendunt pluuiæ super terram, quare cuncta ariditate marcescunt, audiamus: Iniquitates nostræ restiterunt nobis, propterea Domine, non secundum opera nostra, sed secundum sanctum nomen tuum, vince multas auersiones nostras. Hæc nos dicamus in tempore siccitatis, aquarumq. penuria. Infra: Ah ah ah Domine Deus meus, prophetæ dicunt eis: Non videbitis gladium, & fames non erit in vobis. Prophetæ falsa prædicabant, dicentes: Saturabimini fermonibus Dei. Deducant oculi mei lachrymam per diem, & noctem, & non taceant. Si egressus fuero ad agros, ecce occisi gladio, & si introiero in ciuitatem, ecce attenuati fame. Audiant hoc nostri prophetæ, & sacerdotes, quod nec intus, nec foris propter negligentiam eorum sit vlla securitas, quòd & eos scandalizent, qui foris sunt, & eos, qui intus, fame interire patiantur. Concludit: Nunquid sunt in sculptilibus Gentium, qui pluant, aut cæli possunt dare imbres? Nonne tu es Domine Deus, quem expectauimus? Tu enim fecisti omnia hæc. Dicamus hoc & contra hæreticos, qui pluuiam doctrinarum tribuere nó possunt. Et cum se cælos esse promittant, & de se scriptum glorientur: Cæli enarrant gloriam Dei, tamen imbres non possunt dare doctrinæ. Solus est enim Deus, qui suum instruat populum, & diuersitates gratiæ tribuat expectantibus se. Pluuia enim verbi Dei ab ipso est, quam propter peccata negat, & hanc ab ipso postulandam, docet propheta, si tamen peccata relinquamus, quæ huius mali sunt causa, & origo.

Lib. 3. in c. 14. Hier.

Isa. 5.

1. Cor. 3.

Ioh. 39. 10

11 GREGORIVS explicãs verba illa Iob 12. cap. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur. Si emiserit eas, subuertent terram, inquit. Si aqua scientia prædicationis accipitur, sicut scriptum est: Aqua profunda verba ex ore viri, & torrens redundans fons sapientiæ, cum aqua continetur, cuncta siccantur: quia si scientia prædicatorum subtrahitur, eorum, qui vident, scire in spe æterna poterant, corda protinus arescunt, vt in desperata siccitate remaneant, dum fugitiua diligentes nesciunt spe rare mansura. Si emiserit eas subuertent terram. Quid enim terra, nisi peccator accipitur, cui dictum est: Terra es, & in terrã ibis. Manet itaq; terra immobilis cũ præceptis Dominicis pecca-

Lib. 11. Moral. c. 6. to. 2.

Prou. 15.

Gen. 3.

peccator obedire contemnit, cum a veritatis lumine oculos mentis claudit. Sed quia scriptum est: Pedes eius steterũt, & mota est terra, quia cũ veritas in corde figitur, mẽtis immobilitas agitatur; si sancti Spiritus gratia supernо munere iuxta vocẽ prædicantis infunditur, statim terra subuertitur, quia peccatricis mẽtis duritia ab immobilitatis suæ obstinatione permutatur, vt tantum se postmodum præceptis Dominicis flendo subijciat, quantũ superbiendo prius contra Dominum ceruicem cordis erigebat. Cum igitur mẽs humana diuino munere infusa, contra hoc, quod consuerat, agere cœperit, terra subuersa est, quia deorsum missa est, quæ prius eminebat. Sicut in Paulo vides, cum audiret: Saule, Saule, quid me persequeris? emissa enim aqua terra subuersa est.

12 BERNARDVS docens, quòd aliter reprobis, aliter electis verbũ Dei sapit, sic exorditur. Legimus in Euangelio, quod prædicante Dño, dixerint, durus est hic sermo, & ex hoc iã nó fuerint cum eo. Interrogati vero discipuli, an & ipsi vellent abire, Dño inquiunt, ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes. Ita dico vobis, vsque hodie quibusdam manifestum est, quoniam verba, quæ loquitur Iesus, spiritus, & vita sunt, & propterea sequuntur illũ: alijs dura videntur, & miseram alibi quærunt consolationem. Sapientia siquidem in plateis clamitat, in lata videlicet & spatiosa via, quæ ducit ad mortem, vt reuocet ambulantes per eam. Semel locutus est Deus. Semel vtique, quia semper, vna enim, & non interpolata, sed continua & perpetua locutio est. Reuocat autem peccatores ad cor, de cordis errore redarguit, pro eo, quod ibi habitet ipse, ibiq. loquatur, faciẽs nimirum quod docuit per Prophetam dicentem: Loquimini ad cor Hierusalem. Nam Babylon, quoniam terra est, nec potest sustinere vniuersos sermones eius, elongatur a corde, & in carne magis ambulat, tamquam mortua a corde, immo tamquam columba seducta, non habens cor. Vult enim lætari, cum male fecerit, & exultare in rebus pessimis, audiensq. vocẽ Domini, huiusmodi gaudia nullatenus approbantem, sed detestantem, sed arguentem, sed condemnantem, fugit & abscondit se sicut Adam, ne Dominum audiat. Audies vocẽ iudicij, quæ vocem consilij cõtempsisti. Salubriter modo admonet nos Propheta, dicens: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra. Vtilius namq; & multo salubrius est, hodie audire eum consulentem, consolantem, admonentem, docẽtem, & vt multum arguentem, quàm in die illa tam amara, tam lugubri audire illum iudicantem, indignantem, vlciscentem, sæuientem, condemnantem. Bonum mihi, propter verba labiorum eius cum propheta custodire vias duras, quàm pariter cum impio interfici spiritu labiorũ eius. Nunc autẽ, si quid amaritudinis sentio in voce eius, nõ sine dulcedine est, quoniam cum iratus fuerit, misericordiæ recordabitur: immo vero & ipsa indignatio non aliunde quàm de misericordia est. Sic Deus vinum reprehensionis infundit, vt non desit oleum consolationis. Vnde Abacuc propheta Dominicam non dissimulat increpationem, sed sedula, ac sollicita circa eã cogitatione versatur. Ait enim; Super custodiam meam stabo, & figã gradum in munitionem, vt videam quid dicat mihi, & respondeã ad arguentem me. Primus gradus est, vt videamus, quid velit Dominus, quid placeat ei, quid loquatur.

Psal. 61.

Isa. 40.

Psal. 18.

Psal. 94.

Psal. 16.

Abacuc 2

Via cæli lata dicitur, & angusta, & quòd hæc perambulanda sit, non illa, sicut neque viæ hominis, quæ pessimæ sunt.

Cap. IIII.

1 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Intrate per angustam portam, quoniã lata & spatiosa via est, quæ ducit ad mortem, & multi sunt, qui intrant per eam, quàm arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam, dicit. Certe post hęc Dominus inferius clamat: Iugum meũ suaue est, & onus meum leue. Quomodo igitur hic arctam illam angustamq. pronunciat? Quomodo enim, quæ arcta & angusta est, facilis iudicatur? Quia & via est videlicet & porta, sicut etiam illa ipsa lata, & spatiosa via, in vtroque tamen nihil est omnino constans: nam cuncta prætereunt, & aspera huius vitæ, & prospera. Haud vero hoc solum est facile etiam virtuti, quam certe etiã facilem ipse præstat finis viæ. Non enim trãsire solum labores, atque sudores, sed ad bonum quoque properare finem (ad facilem vitam quippe contendit) potest consolationem afferre certantibus, ita & temporale sudorũ & perpetuum coronarum. Et quia prius sunt laboriosa, quæ transeunt, postea glorioſa, quæ permanent, maximum potest laborum esse solatium. Propter quod & Paulus tribulationem leuem vocauit, non vtique ad qualitatem tribulationum, sed spem respiciens futurorum. Quod enim in præsenti momentaneum est, & leue tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternum gloriæ põdus operatur in nobis non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed quæ non videntur. Quod si nautis minaces illi pelagi fluctus, si tempestates, atque hiemes agricolis, si vulnera, cædesq. militibus leues videntur, atque tolerabiles propter spem temporalium, ac pereuntium commodorum, multo magis cum cælum proponatur in præmio, nihil ex præsentibus his aduersitatibus sentietur. Si vero aliqui etiam sic viam istam esse laboriosam putant, de sola eorum profecto desidia oritur ista suspicio. Sed hoc quoque ipsum quod illam arctam vocauit, maxime ad facien dam illam facilem profuit, per hoc siquidem,

Matt. 11.

2. Cor. 4.

2

vt semper vigilarent, admonuit. Sed sicut Pau-
Ephes. 6. lus, cum ait: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, non idcirco dixit, vt deijceret animos militum, sed vt potius erigeret, ita hic Dominus velut a somno suscitans viatores, viam eorum asperam nuncupauit. Nec hoc tantum illos modo ad vigorem mentis hortatus est, sed illud etiam commonendo, quia multos habeat via ipsa ad supplantãdum paratos, quique, quod est periculosius, nõ aperte se proferant, sed calidissime tegant. Sed tu nequaquam, inquit, istud aspicias, quia hæc arcta vel aspera est, nec quia lata, & spatiosa est illa contraria, sed quo nam hæc vtraque perducat. Non igitur angamur, cum nobis multa in hoc itinere mæsta contigerint. Arcta est enim via, & porta prorsus angusta, sed non talis etiam illa est, ad quam tendimus, ciuitas. Dicendo vero, pauci sunt, qui inueniunt eam, segnitiem plurimorum vehementer expressit, ac docuit auditores, vt non ad multorum prospera hæc ac læta respicerent, sed potius ad laboriosa paucorum.

3 IDEM in expositione eorumdem verbo-
Hom. 18. ex imperfecto in Matt. rum: Intrate per angustam portam, &c. ait. Quoniam omnis quidem iustitiæ introitus ad vitam æternam angustus est homini viuenti in carne, propter aduersitatem naturæ carnalis. nullis autẽ sic est angustus & laboriosus, quomodo ieiunantibus. Propter omnes quidem iustitias, præcipue autem propter laboriosissimum ieiunium, dicit, Intrate per angustã portam, &c. Porta perditionis est diabolus, per quam introitur in gehennam, porta autem vitæ est Christus, per quam introitur in cælum,
Psal. 117. de qua dictum est: Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam. Lata autem porta dicitur esse diabolus, non magnitudine potestatis extensus, sed effrenatæ superbiæ licentia dilatatus. Porta autem angusta dicitur Christus, nõ paruitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus. Et alias intelligitur diabolus porta lata, & Christus angusta, quoniam diabolus omnibus peccatis inuolutos, & vniuersa mundi sarcinam baiulantes recipit, & ducit in mortem: Christus autem non recipit in se, nisi qui se omnibus peccatis exuerint, & deposuerint omnem sarcinam mundi, & facti fuerint subtiles, & spirituales, vt quales intrãt in mundum, tales exeant de mundo. Via autẽ perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spatiosa, quia non est intra regulam veritatis & disciplinæ inclusa, sed per diuersa carnalium voluptatum diffusa. Ambulantes in ea, non quod debent agere, hoc agunt, sed quidquid eos delectauerit, hoc sequuntur. Voluntas eorum lex est ipsorum, & non ipsi sub lege sunt, sed lex est sub illis. Via vitæ est omnis iustitia. Dicitur autem esse arcta, quia intra regulam veritatis & disciplinæ est inclusa, & ambulantes in ea, non quod delectat eos, hoc faciunt, sed quod debent, quia lex non est eorum voluntas, sed ipsi sunt sub lege. Per viam venitur ad portam. Si viam ambules iustitiæ, ad Christum, qui via vitæ est, peruenies, si viã iniquitatis, ad diabolum. Vis non incurrere ad diabolum? declina a via, quæ ducit ad illũ, & nullam habet in te diabolus potestatem. si autem ambulaueris in via, quæ ducit ad illum, iam non diabolo imputes perditionem tuam, quasi ille te traxerit ad se, sed tibi, qui tu iuisti 4
ad illum. Numquid porta ducit ad viam? sed via ducit ad portam, sic nõ prius diabolus homines ducit ad peccata, sed peccata ad diabolum ducunt. Vides ergo, hæc via perditionis quàm nociua est, quàm spatiosa est? Et ideo non solum volentes, sed & quodammodo nolentes incurrunt in eam, & difficile est, vt natus in hoc mundo aliquantulum non incidat in eam. Quasi lata de longe videtur, & ideo etiam infantes antequam viam vitæ videant, vel intelligant, istam vident, & cum intrauerit quis in eam, prout vult se agit, nec coangustatur in aliqua parte, ita vt delectet eum ambulare per eam. Ambulant enim in ea gaudẽtes, ridentes, manducantes, bibentes, deuorantes, & inebriantes: ambulant in ea diuites, mentientes, periurantes, cum vxoribus, cum meretricibus: quid sit tribulatio, nesciunt. Hæc autem iustitię via angusta, primum nec facile videtur, & ideo, qui vult intrare in eam, necesse est, vt aliquantulum euagetur in via illa spatiosa, donec ante considerans aliquando inueniat istam. Et cum intrauerit in eam, nõ prout vult, agit: ex omni parte coangustatur, ita vt aliquando pœniteat eum intrasse in eam. Ambulant enim tristes, lugentes, ieiunantes, etsi manducantes, & bibentes, tamen non sine lege timoris manducantes, & bibentes: ambulant pauperes, etsi diuites nõ sibi, sed alijs, aliena non tangentes, sua dispergentes. Et quem non pœniteat, quantum ad carnem, intrasse in eam? Et ne mireris, quia dixi pœniteat, cum
Psal. 72. Propheta dicat: Mei autem pene moti sunt pedes, pene effusi sunt gressus mei, quia zelaui in peccatoribus, pacẽ peccatorum videns. Ideo videntes homines hanc tribulatam, & angustã viam, multi recedunt ab ea, & quidam ab initio nec accedunt ad eam, nec volunt eam videre. Quidam vero accedunt ad eam, sed dum considerãt angustias & labores eius, recedunt ab ea. Adhuc autem spatiosa dicitur illa via etiam hac de causa, quia omnia, quæ sunt, vxores, filij, parentes, amici, aurum, argentum, vestimenta, domus, possessiones, omnes species bonorum ciborum, & potuum, omnia artificia, omnes negotiationes, militiæ, honores, & quid quid in hoc sæculo est, quod aut visum delectat, aut gustum, aut odoratum, viæ perditionis sunt. Non quia omnes, qui ambulant in illis rebus, peccant, sed quia omnes istæ res ad peccatum impellunt. Via autem vitæ angusta est, quia vna est species, idest abstinentia omnium rerum.

5 IDEM inquit. Ne insaniamus ad externa
Homil. 9. in 1. ep. Pauli ad Thessal. illa bona, & in sobrietate in finem vsque perseuerabimus, cõponamus nos ipsos vndique: & quemadmodum super funem extensum ambulan-

bulantibus non licet, vel parum negligentes esse, nam parum illud magnum illis malum generat, mox enim subuersi decidérent, ac perirent, ita neque nobis pigrescere licet. Viam enim incedimus angustam, & vtrinque præcipitijs obnoxiam, pedemq. simul duorum non capacem: vides qua nobis opus sit diligẽtia? Non vides eos, qui tam periculosa illa itinera conficiunt, quomodo non solum pedes, sed & oculos communiunt? Quando enim putauerunt vtrinque attendendum, & si pes firmus steterit, oculi autem ex subiecta profunditate vertiginem passi fuerint, toti dilabuntur, sed oportet, vt & sibiipsis, & incessui simul attendant. Multa est malitiæ profunditas, magna sunt præcipitia, densæ subiectæ tenebræ, angustiam obseruemus, cum timore & tremore ambulemus. Nemo talem viam ingrediens, risu diffunditur, aut ebrietate grauatur, sed sobrius & ieiunus huiusmodi viam ambulat. Nemo talem viam ingrediens, superfluum quidquid secum defert, mauult enim expeditus esse, quo
6 commode illam percurrere queat. Nemo pedes suos ligat, sed liberos esse sinit. Nos vero innumeris curis nos ipsos, quasi quibusdam vinculis cõstringentes, & mille temporalium rerum onera deferentes, more stultorum hiantes ac dissoluti, quomodo angustam hãc viam
Matt. 7. ambulaturos nos speramus? Non simpliciter angustam illam esse dixit, sed cum admiratione, quàm angusta est via, inquit: hoc est vehementer angusta est. Quàm arcta est via, dixit, quæ ducit ad vitam. Et bene dixit; quoniam enim & verborum, & cogitationum, & actionum, omniumque aliorum rationem reddere oportet, vere angusta est. Angustiorem vero nos eam facimus extendentes, ac dilatantes nos ipsos, pedesq. effundentes. Angusta quippe via, cuius quidem difficilis est, maxime vero impingenti. Quantum quisque seipsum extenuauerit, & macerauerit, ita & angustiã non sentiet, quantumcumque quisque in angustam se cogere curauerit. Nemo speret se viam angustam cum delicijs ambulaturum. Nemo latam viam ingressus, vitam speret. Si quando igitur balnea videris, & mensam sumptuosam, aut satellitum comitatu insolescentem aliquẽ, ne miserum te putes, quod nihil cum illis participas, sed magis ingemisce, quod perditionis hic viam ambulat. Quæ enim viæ istius vtilitas est, cum in tribulationem & angustiam desinat? Et rursus quid damni est, ab illa angustia quando ad requiem tendat? Dic mihi, si quis in regias vocatus, & per angiportus arctiores, & præcipitia ingrederetur, alius vero quisquam ad mortem abducendus per medium forum traheretur, vtrum felicem putaremus, vtrum deploraremus? An nõ eum, qui per spatiosam viam incederet? ita & nunc nõ putemus felices eos, qui in delicijs agunt, sed eos, qui non deliciantur.

7 HIERONYMVS exponens illa verba;
Lib. 16. in c. 59. Isa. 20. 4. Et conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, dicit. Conuersum est retrorsum iudicium, & iustitia longe stetit. Quæ enim pars iustitiæ cum iniquitate, 2. Cor. 6.
aut quis cõsensus Christo ad Belial? Quia corruit in platea veritas. Lata enim & spatiosa Matt. 7.
via, quæ ducit ad mortem, quia angustam viã, in qua veritas commoratur, intrare nolebant. Et propterea facta est veritas in obliuionem, hoc est Filius Dei.

AVGVSTINVS explicans verba illa; 8
Deduxit me in semitas iustitiæ propter nomen In Psal. 22. to. 8.
suum, ait. Deduxit me in angustis itineribus, qua pauci ambulant, iustitiæ suæ, non propter meritum meum, sed propter nomen suum.

IDEM exponens illa verba; Statuisti in 9
loco spatioso pedes meos, inquit. Certe angu- In concione 1. psal. 30.
sta via est, laboranti angusta est, amanti lata est: eadem, quæ angusta est, lata fit. In spatioso, dicit, posuisti pedes meos, ne angustiati pedes mei irent in se, & incurrendo in se, deijcerent me. Ergo quod ait, posuisti in loco spatioso pedes meos, hoc est, plane feci sti mihi facilem iustitiam, quæ mihi erat aliquãdo difficilis, hoc est, posuisti in loco spatioso pedes meos.

BERNARDVS explicans illa verba; 10
Angelis suis Deus mandauit de te, vt custo- Serm. 11. in Psalm. Qui habitat.
diant te in omnibus vijs tuis, sic habet. In quibus omnibus vijs? Quibus declinas a malo, quibus fugis a ventura ira? Multæ sunt viæ, & genera multarum viarum, magnum profecto periculum viatori. Quàm facile in multarum occursu errabit in via sua, qui viarum discretione caruerit. Nam neque Angelis mandatum, vt in omnibus vijs custodiant nos, sed in omnibus vijs nostris. Sunt autẽ a quibus, & in quibus oporteat custodiri. Scrutemur proinde vias nostras fratres, etiam vias dæmonum, vias quoque beatorum spirituum, & vias Domini inuestigemus. Viæ igitur filiorum Adam in necessitate, & cupiditate versantur. Ab vtraque siquidem ducimur, & ab vtraque trahimur, nisi quod videmur magis vrgeri necessitate, trahi cupiditate. Et necessitas quidem corpori specialiter tribuenda videtur. Nec simplex illa est, sed anfractus habẽs plurimos, plurimaq. dispendia, nam compendia pauca admodum, si qua tamen. Quis hominum nesciat, quod necessitas hominum reuera quàm multiplex sit? ipsa nos docet experiẽtia, quàm necessarium sit clamare ad Dominum, non de necessitate, sed de necessitatibus meis erue me. Nec modo ab hac via necessitatis, sed ab ea quoque, quæ cupiditatis est, optabit educi, quisquis nõ surda aure monita sapientis exceperit. Quid enim ille ait? A voluntatibus tuis Eccli. 18.
auertere. Et item: Post concupiscentias tuas non eas. Siquidem a duobus malis longe melius est, in necessitate gradiri, quàm in cupiditate. Multiplex illa, sed ista amplius per omnem modum, immo vltra omnem modũ multiplicior inuenitur. Res cordis est ista cupiditas, propterea tanto maior, quãto anima plus est, quàm corpus. Denique hæ sunt viæ, quæ

viden-

videntur hominibus bonæ, sed finem non habent, nisi cum demergunt in profundum inferni. Si inueniſti vias hominum, illud quoque
Psal.13. considera, ne forte de his ſcriptum ſit: Contritio, & infelicitas in vijs eorum, vt ſit contritio in neceſsitate, infelicitas in cupiditate. Quomodo in cupiditate infelicitas? ideſt non felicitas, vt putatur. Quid enim, ſi cui forte videtur in terrenarum affluentia rerum felicitas
11 arridere cupita? Eo ipſo infelicior eſt, quo vehemẽtius ipſam pro felicitate amplectitur infelicitatem, aut magis immergitur ei, & abſorbetur ab ea. Væ filijs hominum ab hac felicitate falſa, atque fallaci. Væ, qui dicit, quia diues ſum, & nullius egeo, cum ſit pauper, & nudus, & miſer, & miſerabilis. Et neceſsitas quidem ex infirmitate carnis, cupiditas ex cordis inedia, & obliuione procedit. Viæ dæmonum ſunt præſumptio, & obſtinatio, vt in primi angeli lapſu viſum eſt. Quia conuerti noluerunt a via preſumptionis, inciderunt in viam obſtinationis. Quàm peruerſo & euerſo ſunt corde, qui ingrediuntur dæmonum vias. Hæc enim tota aduerſum nos ſpiritualiũ colluctatio nequitiarum eſt, vt nos ſeducant, & nos inducãt in vias ſuas, vt deducant in eis, & perducãt ad deſtinatum finem, qui paratus eſt eis. Fuge homo præſumptionem, ne gaudeat de te inimicus. Nempe in his maxime vitijs gaudet, in ſeipſo expertus, quàm difficile poſsis ab hac tanta voragine reſpirare. Nolo autem ignorare vos fratres, quonam modo deſcendatur, immo cadatur in illas. Primus enim gradus deſcenſionis huius, diſsimulatio eſt proprię infirmitatis, iniquitatis, inutilitatis, dũ ſibi parcens, ſibi blandiens, ſibi perſuadens homo ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, iam ipſe ſe ſeducit. Secundus gradus, ignorantia ſui. Vbi enim in primo gradu inutilia ſibi conſuerit perizomata foliorum, quid ſupereſt, niſi vt vulnera tecta non videat, præſertim cum ad hoc ſolum texerit ne videret? Ex hoc tandem fit, vt etiã alio reuelante, vulnera non eſſe contendat, cõuerſus in verba malitiæ, ad excuſandas excuſationes in peccatis; is tertius gradus eſt. Ceterum difficile hic hærebit, præſertim, cum nõ deſit Angelus Domini malus perſequẽs, & impellens. Itaque quartus gradus, vel quartum
Prou. 18. potius præcipitium, contemptus eſt: Impius enim, cum in profundum venerit malorũ, contemnit. Ex hoc & deinceps magis ac magis vrget ſuper eos puteus os ſuum, quia cõtemptus tradit huiuſmodi animam impœnitentiæ, & impœnitentia obſtinatione firmatur. Qui ſic in omnibus vijs ſuis adhæret diabolo, manifeſte factus eſt vnus ſpiritus cum eo. Viæ autem Angelorum aſcenſio ſunt, & deſcenſio. Aſcenſio propter ſe, deſcenſio, vel potius condeſcenſio propter nos. Aſcendunt per contemplationem Dei, deſcendunt per compaſsionem tui, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Viæ autem Domini miſericordia ſunt, & veritas: in miſericordia, & veritate ad nos venit.

12 IDEM inquit. Iuſtum deduxit Dominus, & non alius, quia ipſius eſt de via iniquitatis ad viam veritatis reducere, & deducere per eam. Per vias, inquit, rectas. Viæ Domini viæ rectæ, viæ pulchræ, viæ plenæ, viæ planæ. Recte ſine errore, quia ducunt ad vitam. Pulchræ ſine ſorde, quia docent munditiam. Plenæ multitudine, quia totus iam mũdus eſt intra Chriſti ſagenam. Planæ ſine difficultate, quia donãt ſuauitatem. Iugũ enim eius ſuaue eſt, & onus eius leue. In ſerm. de expoſitione illius loci Sap. 10. Iuſtum deduxit &c.

13 IDEM dicit. Viæ, quæ ducunt ad mortem, ratione trifaria diuiduntur. Alia ærumnoſa, alia laborioſa, alia delicioſa. Ærumnoſa eſt in pauperibus: laborioſa eſt in auaris, & cupidis, qui dum diuerſarum anxietate curarum miſerabiliter diſtenduntur, obliuiſcuntur ea, quæ Dei ſunt, quærere, & auaritiæ æſtibus anhelantes vſque ad vitæ terminum, ab inquietudine temporali ad æterni laboris anguſtias transferuntur. Delicioſa in diuitibus delicatis, qui in delicijs & voluptatibus enutrientes corpora, poſt dulcedines momentaneas, & horarias ſuauitates, ad ſempiternas amaritudines deferuntur. In lib. Sententiarum.

Vigilare multis de cauſis debent homines, maxime autem quia vita præſens, & ſtatus futurus incerta ſunt.

Cap. V.

1 CHRYSOSTOMVS explicans verba illa; Vigilate ergo, quia neſcitis, qua hora Dominus veſter venturus ſit, inquit. Qua enim ratione homini abſcõditus eſt dies mortis ſuæ? Videlicet, vt ſemper benefaciat, ſemper mortem ſuam ſperans. Eadem ratione & ab omnibus hominibus abſcõditus eſt dies aduentus Chriſti, vt non vna tantum generatio ſaluetur ſciẽs aduentum ipſius, ſed omnes, dum in ſingulis quibuſq; generationibus Chriſti aduentus ſperatur. Vnde interrogãtibus ſe diſcipulis ſuis: Act. 1. Domine, ſi in tempore hoc reſtitues regnum Iſrael. Reſpondit: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate. Illud autem ſcitote, quia ſi ſciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Paterfamilias eſt vnuſquiſque ſecũdum animam in domo patris ſui, fur autem diabolus eſt, domus autem noſtra corpora, ianuæ ſunt ſenſus. Sicut ergo per ianuas cito ingreditur latro, & ſpoliat patremfamilias; ſic per ſenſus facile inuenit diabolus occaſionem ad animam, & facit eam captiuam. Si ergo vis eſſe ſecurus, vigila, pone feram ianuæ tuæ, ideſt legem diuini timoris ori tuo, vt dicas cum Propheta: Dixi, Pſal. 38. cuſtodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam. Item Sapiẽtia docet: Obſtrue aures tuas ſpinis, ne au- Eccli. 28.

1 Hom. 51. in c. 24. Matt. to. 2. Luc. 12.

dias verba maligna. Sed quoniam fragiles ſunt noſtræ ſeræ, niſi Deus illas ſeruauerit, quia
Pſal.126. niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam, rogemus Dominum;
Pſal.140. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labijs meis. Item, quia fragiles ſunt ſeræ feneſtrarum noſtrarum, Dominum
Pſal.118. inuocemus cum Propheta dicentes: Inclina cor meum in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Quid ergo? neſcit anima, quando per iſtos introitus fur ingreditur ſuper eam? vere neſcit. Et quidem quando ducitur ad peccatum ſcit, quando autem ingreditur, neſcit. Ideo vigilare debet, & claudere omnes iſtos introitus: os quidem narrationibus ſanctis, aures auditionibus pijs, oculos conſideratione mirandorum operum Dei, mentem cogitationibus occupare cæleſtibus. Si ergo te negligente domum corporis hoc modo ſeruare, ingreſſus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit veſtimenta iuſtitiarum, quibus te renatum in baptiſmo induit Deus, ſi furatus fuerit aurum intellectus tui, ſi diuinorum eloquiorum argentum, ſi quæ dedit tibi Deus, cum te adoptaret in filium, ceteraſque diuitias ſpirituales tollens de dormiente, feceritq. te mendicum, & nudum ſicut ſerpens Adam, quid facies? Quomodo nudus ante conſpectum Domini tui accedes? Et ille quidem nudatus abſcõdit ſe inter ligna paradiſi, tu autem ſub qua ſciſſura petrarum te abſcondes a facie Domini, cum venerit confringere terram? Et Adam quidem a Deo quæſitus eſt, & inuentus; tu autem abijcieris, & peribis.

3 IDEM exponens illa verba; Morã autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes, & dormierunt, ait. Hoc ſignificat ſermo, quia tardãte conſummatione, non ſolum peccatores, ſed etiam iuſti, & ſpirituales ad negligentiam ſunt reuoluendi, & relicta via virtutis ad carnalia delectamẽta ſunt aliquatenus tranſituri, vt illud impleatur quod Chriſtus dicebat: Putas, cum venerit filius hominis, inueniet fidem in terra? Nam vigilare eſt iuſtitiam facere, dormire autem negligere eſt eam, ſicut dicit: Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora veniet Dominus. Et vere non tardat, ſed quantum ad inconſtantiam noſtram tardare videtur.

Hom. 52. in c. 25. Matt.
Lucæ 18.
Matt. 24.

4 IDEM exponens illa verba; Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, dicit. Non inueniunt Chriſtum niſi vigilantes. Vnde dicit Sponſa: Ego dormio, & cor meum vigilat. Et: Non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſrael. Phariſæis & pontificibus dormientibus Chriſtus inuenitur a vigilantibus.

In hom. de tactu Dom. Cant. 5. Pſal. 120.

5 IDEM exponẽs illa verba; Baptizabimini Spiritu ſancto non poſt multos hos dies, ſic habet. Nec expreſsit quãdo, quo ſemper vigilarent, tantum dixit breui futurum ne deijceretur animus, quando vero id eſſet futurũ nondum addidit, vt ſemper eſſent vigilantes. Quid igitur miraris, ſi non exprimit diem, quo hæc erant perficienda, quandoquidem hunc inſtan-

Homil. 1. in Act. Apoſt.

tem ac vicinũ noluit eſſe manifeſtum; idq. iuſtiſsima ſane de cauſa, nimirum vt vigilantes ſollicitius promiſſum expectarent: non enim datur gratia, niſi vigilanti. An non vides quid 4. Reg. 2. dicat Elias diſcipulo? Si videris quando tollar a te, erit quod petiſti. Sic & Paulo non ſtatim Act. 9. data eſt gratia, ſed triduũ interceſsit, quo fuit cæcus, atq; ita metu præparatur. Etenim quẽadmodum, qui purpuram tingunt, prius alijs quibuſdam coloribus præparant id, quod tinctura accipiet, ne flos dilutus, & euanidus fiat, itidem & hic prius animi ſollicitudinem Deus præparat, ac deinde infundit gratiam.

6 IDEM dicit. Peccatum maxime circumuallat vndique vrgens, & obſidens, & a fronte, & a tergo, atque ita nos proſternens. Aduerſarium habemus diabolum, quod & Deum incuſat apud homines, & nos apud Deum, & rurſus nos inuicem inter nos. Olim quidem Iob incuſauit apud Deum, cũ diceret: Num gratis Iob Iob 1. colit Deum? Et contra Deum apud Iob: Ignis Ibidem. deſcendit e cælis. Quaſi mala inflicta illi eſſent a Deo, vt aduerſus Deum ipſum commoueret, cum tamen permiſſu Dei, diabolus hæc damna illi intulerit. Similiter Deũ inſimulauit apud Adam, cum diceret futurum cum aperirentur illorum oculi, ſicut & apud Iudæos Chriſtum inſimulabat deceptorem, ac impoſtorem illum appellans. Homil. 2. in 2. epi. Pauli ad Corint. to. 4.

7 IDEM ait. Dies Domini, vt aduentus furis eſt, dormientibus nobis inopine imminens. Quòd ſi non opprimemur inerti ſomno, iam non vt fur inſtat nobis, nec imparatos pertrahet ad ſuum illud horrendum, ac cunctis formidabile tribunal. Etenim ſi euigilauerimus, non item tamquam fur ex inſidijs proſiliens nos adorietur, quin potius ceu nuncius quidam regius benigniſsime nos inuitans ad præparata bona tranquilliſsimæ illius felicitatis. Quòd ſi inerti ſomno vitã tranſmittemus, iam dixi, velut fur imparatos oppreſsurus. Nemo igitur noſtrum obdormiſcat, nemo ſit ad excolendam virtutem ſegnis. Hoc plane eſt, quod ſacræ litteræ vocant ſomnum. Numquid non ſcitis, quod quæ poſsidemus, in tuto eſſe non poſſunt nobis graui ſopore depreſsis, vt quæ peruia ſint & expoſita inſidiantibus? Quòd ſi ſolerter vigilemus, iam non tanta cuſtodum obſeruatione opus ſit. Cũ vero dormierimus, multa licet circumſpectione vigilum muniti, plerumq; tamen periclitamur, etiam ſi ianuæ, ſi repagula, ſi excubitores ab ingreſſu arceant inſidiantem, alicunde tamen ſæpenumero fur irrupit ex inſidijs. Sed quo demum hæc dixerim? Quia ſi in vigilijs ipſi perſeueremus, iam non admodum fuerit alieno opus auxilio. contra ſi dormiamus nihil nos magnopere iuuerit aliorum vigilantia. In c. 1. epiſt. 1. ad Theſſ.

8 IDEM explicans verba illa; Vos autem fratres non eſtis in tenebris, vt dies iſte tamquam fur vos comprehendat, dicit. Hoc loco non de incertitudine vltimæ diei loquitur, ſed de calamitate, quam afferet. Quaſi dicat, non veſtro malo veniet, incertus quidem veniet & Homil. 9. in c. 5. epiſt. ad Theſſ.

ipsis, verumtamen nulla calamitate eos cõtristabit. vt dies ista furis instar, inquit, vos occupet. Nam etiam si latro ad vigilantes, & in luce constitutos subingrediatur, nihil tamen eos lædere poterit: ita etiam eos, qui recte viuunt, sed quotquot dormientes, ac de præsentibus præsumentes repererit, hos omnibus spoliatos abducet. Et non sumus noctis, neque tenebrarum, ne dormiamus itaq; sicut & ceteri, sed vigilemus, ac sobrij simus. Qui namq; dormiũt, nocte dormiunt, & qui inebriantur, noctu inebriãtur: nos autẽ, qui diei sumus, sobrij simus. Quod ad spiritalem noctem, & somnũ attinet, in nostra est potestate non esse in nocte, nec dormire, sed possumus semper vigilare, semper in die agere. Animæ siquidem oculos claudere, & malitiæ somnum inducere, non est naturæ, sed voluntatis. Sed vigilemus, inquit, & sobrij simus. Potest enim & qui vigilat dormire, dum nihil boni operatur. Quapropter subiunxit, & sobrij simus. Nam & in die si quis vigilauerit quidem, sobrius vero non fuerit, in mille incidet mala. Quamobrem autem malitiam somnum vocauit? Eo quod ad virtutem ignauus ac deses est, qui malus est, deinde omnia imaginatur, nihil veri videt, sed plenus est somnijs, & de absurdis plerumq; rebus. Si vero etiam iucundum quid viderit, nihil tamen firmum, nihil habet solidum. Talis enim est præsens vita, somnijs & imaginationibus vanis abundat. Somnium sunt diuitiæ, gloria, quæcũque talia. Qui dormit, ea quidem quæ sunt, & vere subsistũt, non videt, quę vero nõ sunt, pro existentibus imaginatur. Talis est vita, quæ in malitia est, spiritualia quæ sunt non videt; sed quæ auolant, & celeriter a nobis transiliunt.

9 Serm. 21. cõtra desperationẽ. to. 5.

IDEM inquit. Est futurum omne incertum, diesq. Domini non secus ac fur quispiam dormitantibus nobis inopinato incumbit, vigilantibus vero nihil obsistit, neq; abducet imparatos: quòd si fuerimus forte sopore capti, quamprimum inuadet. Nemo itaq; obdormiscat, nemo vel hebetior fiat, vel tardior ad virtutem, id enim dici somnolentia potest. *1. Thess. 4.*

10 Hom. 22. ad pop. Antiochenum.

IDEM dicit. Sobrij estote, & vigilate. Nemo dormiens coronabitur, neque recumbens, & stertens brauium capit. Vnde, postquã experientia didicimus quàm sit graue & difficile diaboli ministerium, (fugit enim vigilantem, & dormientem spoliat) ne des somnium oculis tuis, nec palpebris tuis dormitationẽ, vt salueris velut auis ex laqueis. Vos similes estote hominibus expectantibus Dominũ suũ, quando reuertatur a nuptijs, quale*m* iam Dominus beatum censet, dicens: Beatus seruus, quem, cum venerit Dominus inuenerit vigilantem. Sicut autem vigilantem beatificat, ita miserum vocat negligẽtem, sic inquiens: Si vero cœperit dicere malus ille seruus, moratur dominus meus venire, & incœperit verberare conseruos suos, comedereque, & bibere cum ebrijs, veniet dominus eius in die, qua non expectet, & in hora, quam nesciat, & per mediũ diuidet eum, & partem ipsius ponet cum hypocritis. Paratos igitur nos esse, & expeditos ad hinc nauigandum, & dicere oportet: Paratum cor meum Deus, in bello enim sumus in mundo, in circuitu impij ambulant, peccatores intendunt arcum. Recordemur fratres, quòd tempus breue est, & iudicium præ foribus est. Nox præcessit, expergiscamur iam a somnijs, etenim iucunda præsentia, sed somnijs nihilominus fallacia, nemo debet dormire solem cernens. Infra: Opus est vigilantia dilecti. Nam & miles dormit, non in lecto, sed humi: piscator non dormiens piscatur, se stans aliquando peragit noctem: agricola vigilat, ne domini vinea lædatur: & pastor sub diuo stans noctem consummat, gregem custodiens, sicut Iacob dicebat: Æstu vrgebar & gelu, & somnus fugiebat ab oculis meis. Et quæ ipsius vigiliæ ratio? Ne vlla ouis a fera voraretur. Si vero tanta de irrationali pecude cura, quales esse decet de rationali anima sollicitudinem gerentes. Propter hanc Iacob operarius lapidem ad caput sibi posuit dormiens, vt facilius euigilaret, vnde scalam vidit ad cælos vsque pertingentem. Nos esse vult Dominus paratos, propterea q. posuit incertum exitum nostrum, vt continue vigilemus, & pugnemus. *Psal. 56.* *Roma. 13.* *Gen. 31.* *Gen. 28.*

11 Epist. 80. ad Hesychium to. 2.

AVGVSTINVS ait. Iustis aiebat Paulus: Vos fratres non estis in tenebris, vt vos dies ille tamquam fur comprehendat. Omnes enim vos filij lucis estis, & filij diei, non sumus noctis, neque tenebrarum. Ille autem, qui sic dicit: Moram facit dominus meus venire, vt percutiat conseruos suos, epuletur cum ebriosis, non est lucis, sed tenebrarum, & ideo tamquam fur dies ille comprehendet: quod vnusquisque debet de die huius vitæ suæ formidare, quoniam qualis in die isto quisq; moritur, talis in die illo iudicabitur. Ad hoc pertinet, quod in Euãgelio secundum Marcum ita scriptum est: Vigilate ergo, quia nescitis quando dominus domus veniat, sero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Quæ verba, non solum discipulis, sed & nobis omnibus dicta sunt. Numquid autem omnes nos inuenturus est dies ille in hac vita, aut defunctis dicit vigilate? Vigilare ergo docet, ne cũ ab hac vita migrauerimus, imparati recedamus, cogitare debemus, quàm olim dictum sit, fratres nouissima hora est. Et Paulus: De temporibus autẽ vel momentis non necesse habemus scribere vobis, vos enim ipsi diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Et cum dixerint, Pax, & securitas, tunc subitaneus illis apparebit interitus, quomodo dolores parturientis, & non effugient. Et hic non dixit post quãtum temporis hoc futurum sit, sed quomodo futurum sit: idest non quantum erit ætatis breuitas, vel prolixitas, sed quantumlibet interuallum sit, spatiumq. temporis: non tamen eis hoc veniet malum nouissimum, nisi cum dixerint, pax & securitas. *Marc. 12.* *1. Thess. 5.*

Hoc

Hoc ergo scire opus est, vt curẽt filij lucis esse, & parato corde vigilare, qui nolunt ab illa hora sicut a nocturno fure comprehendi. Nam si ad cauendum hoc malum, ideſt, ne hora Domini tamquam fur inueniat imparatum, opus esset nosse temporum spatia, non diceret Apostolus, non opus esse, vt hoc scriberet, sed hoc potius eis esse scribẽdum iudicaret. Nunc autem nec illis hoc opus esse monstrauit, quibus sufficiebat, vt scirent imparatis, atq; dormientibus horam Domini sicut furem esse venturam, atque hoc sciendo essent ipsi vigilanter parati. Vigilemus, & oremus, quia breuis, & incerta est ista vita, & nescimus tempus, quando venturus est Dominus.

12 In Psal. 62. in. 8.

IDEM explicans verba illa; Deus Deus meus, ad te de luce vigilo, inquit. Quid est vigilare? vtique non dormire. Quid est dormire? Est somnus animæ, est somnus corporis. Somnũ corporis omnes debemus habere, alias deficit homo. Non potest corpus nostrum fragile diu sustinere animã vigilantem, & intentã in actionibus: ideo Deus donauit somnũ corpori, quo reparãtur membra corporis, vt possint vigilantem animã sustinere. Illud autẽ cauere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat: malus enim est somnus animæ. Somnus animę est obliuiſci Deũ suum. Quæcumq; anima oblitã fuerit Deũ suũ, dormiuit. Ideo dicit Paulus quibusdã oblitis Deum suũ, & tamquã in somno agentibus deliramenta culturæ idolorũ. Sic sunt enim, qui colũt idola, quomodo, qui videt in somnis vana. Si autẽ euigilet anima ipsorũ, intelligit a quo facta est, & non colit quod ipsa fecit. Dicit ergo quibusdam Apostolus: Surge qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Numquid corpore dormientẽ, excitabat Apostolus? Sed excitabat animam dormientẽ, quando ad hoc eã excitabat, vt illuminaretur a Christo. Ergo secundum istas vigilias dicitur: Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Non enim vigilares in te propheta sancte, nisi oriretur lux tua, quæ a somno excitaret. Illuminat enim animas Christus, & facit eas vigilare: si autem lumen suum detrahat, obdormiũt. Ideo enim illi dicitur in alio psalmo: Illumina oculos meos, ne vmquam obdormiã in morte. Aut si ab illo auersi obdormiũt, præsens est illis lumen, & non possunt videre, quia dormiũt. Quomodo & corpore qui dormit inter diem, iam ortus est sol, iam dies calet, & ille tamquam in nocte est, quia non vigilat, vt videat iam ortum diem. Sic quibusdam iam præsente Christo, iam prædicata veritate, ineſt adhuc somnus animæ illius. Ergo vos, si vigiletis, dicite quotidie: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Vita enim vestra, & mores vestri vigilare debent in Christo, vt sentiant alij pagani dormientes, & ad somnum vigiliarum vestrarum excitentur & ipsi, excutiant somnum, & incipiant in Christo vobiscum dicere; Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. *Ephes. 5.* *Psal. 12.* *Ephes. 5.*

13 In Psal. 120.

IDEM dicit. Videtis certe, quia hora Domini sicut fur in nocte ita veniet. Si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret, & non sineret perfodi domum suam. Nescis qua hora veniat, semper vigila, vt quòd nescis quãdo veniat, paratum te inueniat, quando venerit: & ad hoc forte nescis quãdo venturus est, vt semper paratus sis, illum enim patrem familias subito occupabit illa hora, qui paterfamilias superbus significatus est, qui præsumẽs de cupiditatibus suis, & in delicijs huius sæculi diffluens. Talibus veniet illa hora subito, quia tales erant & in diebus Noe, quorum dierum cõmemorationem audistis factã in Euangelio. Sic erit aduentus Filij hominis, inquit, sicut in diebus Noe, manducabant, bibebant, nubebãt, vxores ducebant, plantabant, ædificabant, donec introiuit Noe in arcã, & venit diluuium, & perdidit omnes, qui in rebus temporalibus confidebant. Qui autem his vtuntur, vt donis Dei, a donatore non recedentes, qui his vtuntur tamquam non vtantur, non hos inueniet imparatos dies illa sicut fur. Talibus dixit Apostolus: Vos autem non estis in tenebris, vt dies ille vos tamquam fur comprehendat, omnes enim vos filij lucis, & filij diei. Ideo Dominus cum diceret, timendã esse horam sicut furem, noctem posuit, & Apostolus ita ait: Quia hora Domini sicut fur in nocte ita veniet. Non vis vt te inueniat? noli esse in nocte. Quid est noli esse in nocte? Filij lucis estis, & filij diei, nõ sumus noctis, neq; tenebrarum, vt sunt impij, iniqui, & infideles. Sed & ipsi audiant antequã veniat hora, & dicat illis Apostolus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Matt. 24.* *1. Thess. 5.* *Matt. 24.* *Ephes. 5.*

14 In Ps. 131.

IDEM exponens verba illa; Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, sic habet. Multi, cum dormiunt, non faciunt locum Domino. Tales excitat Apostolus: Surge, qui dormis, & exurge a mortuis, & illuminabit te Christus. Et alio loco: Nos autem, qui diei sumus, vigilemus, & sobrij simus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt, & qui inebriantur, nocte inebriantur. Noctem dicens iniquitatem, in qua illi obdormiunt cupiendo ista terrena. Et omnes istæ felicitates, quæ videntur, sæculi, somnia sunt dormientium. Et quomodo, qui videt thesauros in somnis, dormiens dines est, sed euigilabit, & pauper erit; sic omnia ista vana huius sæculi, de quibus homines gaudẽt, in somno gaudent: euigilabunt, quando nolent, si non modo euigilant, quando vtile est, & inuenient somnia illa fuisse, & transisse, sicut dicit Scriptura, velut somnium surgentis. Et alio loco: Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis. Dormierunt somnum suum, finitus est somnus, & nihil inuenerunt in manibus suis, quia in somnis videbant diuitias transituras. Iste ergo, qui vult inuenire locum Domino, dixit etiam; Si dedero somnum oculis meis. Sunt autem quidam, qui non dormiunt, sed dormitant: aliquantum retrahunt se ab amore temporalium, & rursus reuoluuntur in eum, quasi *1. Thess. 5.* *Psal. 72.* *Psal. 75.*

dormitantes, caput crebro inclinant. Euigila, excute somnum, dormitando casurus es, non vult psalmus oculis suis dare somnum, nec palpebris dormitationem eum, qui vult inuenire locum Domino. Et requiem, inquit, temporibus meis. A requie temporum somnus venit ad oculos. Tempora circa oculos sunt: veluti futurus somnus, grauedo temporum est. Nam omnibus dormituris grauari tempora incipiunt, & cum senserint sibi grauari tempora, iam imminet somnus. Qui si dandus est oculis, dat requiem temporibus suis, & venit somnus: si non dederit requiem temporibus suis, non venit somnus. Cum ergo cœperit te aliquid temporale delectare ad peccatum, iam grauantur tibi tempora. Vis euigilare, & non dormire, neque dormitare? Noli te credere tali delectationi, maiores dolores habebis, quàm suauitates. Ista cogitatione quasi confricans frontem, excutis somnum, & paras locum Domino, donec inuenias locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.

15 Serm 23. de verb. Dom. in cap. 25. Matt. to. 10.

IDEM inquit. Dum tardat sponsus, dormitauerunt omnes virgines, & dormierunt. Putamus bonus est somnus iste? Quid est somnus iste? ne forte tardante sponso, quoniam abundat iniquitas, refrigescat charitas multorum? Siccine intellecturi sumus istum somnū? Non mihi placet, quia sunt ibi prudentes virgines. Vnde, de somno mortis verba hæc accipiēda sunt: Ecce media nocte clamor factus est. Quid est media nocte? Quando non speratur, quando omnino non creditur. Noctem posuit pro ignoratione, ne aliquis quasi computet sibi, & dicat; Ecce ab Adam complentur sex millia annorum, & adhuc remoratur sponsi aduentus, & dormiunt virgines, quæ obuiam ierant. Ecce, dum non speratur, dum dicitur sex millia annorum expectabantur, & ecce transierunt, vnde scimus iam quando veniet? Media nocte veniet: dum nescis veniet: Quia non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate. Dies Domini, ait Apostolus, tamquam fur in nocte ita veniet. Ecce, vigila nocte, ne furem patiaris: nam somnus mortis, velis nolis, veniet: sed cum factus fuerit clamor media nocte, quando in ictu oculi, in nouissima tuba surgent mortui. Canet enim tuba, & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Matt. 24. *Act. 1.* *1. Thess. 5.* *1. Cor. 15.*

16 Hom. 13. in c. 12. Lucæ to. 3.

GREGORIVS exponens illa verba; Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, ait. Vigilat, qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet. Vigilat, qui seruat operando, quod credit. Vigilat, qui a se torporis, & negligentiæ tenebras repellit. Hinc etenim Paulus dicit: Euigilate iusti, & nolite peccare. Hinc rursus ait: Hora est iam nos de somno surgere. Sed veniens Dominus, quid seruis vigilantibus exhibeat, audiamus: Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet discumbere, & transiens ministrabit illis. Præcinget se, ideſt, ad retributionem præparabit. Et faciet illos discumbere, ideſt æterna quiete refoueri. Infra: Vt probet vigilandum, inquit: Hoc autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati, quia qua hora non putatis, Filius hominis veniet. Nescient enim patrefamilias fur domū perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormit, improuisa mors veniens carnis nostræ habitaculum irrumpit, & eum, quem dominum domus inuenerit dormiētem, necat, quia cum ventura damna spiritus minime præuidit, hūc mors ad supplicium nescientē trahit. Furi autē resisteret, si vigilaret, quia, aduentū iudicis, qui occulte animam rapit, præcauens, ei pœnitendo occurreret, ne impœnitens periret. Horam vero vltimam Dominus noster ideirco voluit nobis esse incognitam, vt semper possit esse suspecta, vt dum illam præuidere non possumus, ad illam sine intermissione præparemur. Audite quid Salomon dicat: Quodcumq; potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec scientia, nec ratio, nec sapientia erunt apud inferos, quo tu properas. Quia ergo & venturæ mortis tempus ignoramus, & post mortem operari non possumus, superest, vt ante mortem tempora indulta rapiamus.

Ibidem. *Eccles. 9.*

17 Serm. 3. in vig. Natalis Domini.

BERNARDVS sic ait. Dies noster, & vita nostra tamquam custodia in nocte pro sua breuitate dicitur, qui tāquam nihilum, & inane ab illo familiari Spiritus sancti organo nominatur, cum dicit: Quoniam omnes dies nostri defecerunt, & dies mei sicut vmbra declinauerunt. Illuminemus nobis lumen scientiæ, priusquam de mundi huius tenebris exeamus, ne de tenebris transeamus ad tenebras, & tenebras sempiternas. Quæ est autem ista scientia? Profecto scire, quia veniet Dominus, etsi quando veniet, scire non possumus. Sed hæc scientia, quæ omniū fidelium videtur, non omnium est, sed nec multorum, paucorū est, quia reuera pauci sunt, qui saluantur. Putasne, quia illi, qui cum malefecerint, lętantur, & exultant in rebus pessimis, vel sciant, vel recogitent, quia veniet Dominus? Non enim se ita omni impuritate polluerent, si Dominum vēturum scirent, vel formidarent, sed vigilarent vtique, & non sinerent tam grauiter perfodi conscientias suas. Scientia autē ista facit, vt mens multa circumspectione indefessa vigilet, & attendat, vt sollicitus homo incipiat ambulare cum Deo suo, & ex omni parte scrutetur, ne vel in leuissima re tremendæ illius maiestatis offendatur aspectus. Sed sic ardens & lucēs lucerna animæ nondū in domo se esse confidat, vbi sine vllo timore ventorum accensum lumen soleat deportari, sed meminerit se esse sub Deo, & vtraque manu studeat operire, quod portat, nec credat aeri, etiam si videat esse tranquillum. Repente enim & hora, qua non putauerit, mutabitur, etsi vel modicum manus remiserit, lumen extinguetur. Nunc tribus malignissimis, & validissimis vētis sumus expositi, carni, diabolo,

Psal. 39. *Psal. 101.* *Prou. 2.*

18

bolo, & mundo, qui conscientiā illuminatā moliūtur extinguere. Ideo vtrisq; manibus, & cordis, & corporis anima est tegenda, ne forte, quę iā illuminata fuerat, extinguatur. Clamemus: Anima mea in manibus meis sēper, & eligamus potius ardere quā cedere. Et sicut, quod in manibus nostris tenemus, nō facile obliuiscimur, sic nunquam obliuiscamur negotium animarū nostrarū, & illa cura principaliter vigeat in cordibus nostris. Cum ergo sic lumbi nostri accincti fuerint, & lucernæ ardentes, custodiendę sūt vigiliæ noctis supra gregem cogitationū, & actionum nostrarum, vt si in prima, vel secunda, vel tertia vigilia Dominus venerit, paratos nos inueniat. Prima vigilia est rectitudo operis vt ad hanc, quam iurasti, regulam omnem vitā exæquare coneris, in omnibus viæ, & vitæ huius exercitijs, non declinans ad dexteram, neq; ad sinistram. Secunda puritas intentionis, vt simplex oculus totum corpus lucidum faciat, vt quidquid feceris, propter Deum facias, & ad locum, vnde exeunt, gratiæ reuertantur, vt iterum fluant. Tertia est custodia vnitatis, vt in congregatione positus, voluntates aliorum tuis voluntatibus anteponas.

Psal. 118. *Luc. 12.* *Luc. 11.* *Eccles. 1.*

19 Ser. 1. Dominicæ 1. post oct. Epiph.

IDEM ait. Studeamus similes fieri hominibus expectantibus Dominū suū, quādo reuertatur a nuptijs. Illi sunt similes expectantibus, qui non surda aure audierūt, Vacate, & videte quoniam ego sum Deus. Veniet Dominus expectantibus eum in veritate: veniet tamquam reuertens a nuptijs inebriatus vino charitatis, & immemor iniquitatum nostrarum. Veniet non expectātibus tamquā reuertens a nuptijs, tamquā potens crapulatus a vino: vere ebrius & immemor miserationum suarū: tunc enim quantum ad illos obliuiscetur miserari Deus.

Psal. 45.

20 Serm. 17. in Cantica. 4. Reg. 2.

IDEM sic habet. Petijt quōdā aliquid Eliæus a magistro suo, cū discessū eius imminere præsensit, nec obtinuit, sicut scitis, nisi ea quidē cōditione, si videret quando tolleretur a se. In figura contigit hoc illis, scriptum est autem propter nos. Vigiles esse, & solliciti circa opus nostræ salutis, prophetico docemur, & monemur exemplo. Nūquā sane sine nostra conscientia magistra vnctio, quę docet de omnibus, tollatur a nobis, si duplicato volumus munere nō fraudari. Nūquā cum venerit, inueniat imparatos, sed semper vultus suspensos, expansosq. habentes sinus ad largam Domini benedictionem. Tales deniq; quærit, similes hominibus expectantibus dominum suū, quando reuertatur a nuptijs. Vigilandū proinde, & vigilandū omni hora, quia nescimus qua hora spiritus vē turus sit, seu iterum abiturus.

Luc. 12.

21 Serm. 48. in Cantica.

IDEM exponit verba illa; Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: dicit. Donec in carne est anima, inter spinas profecto versatur, & necesse est, vt patiatur inquietudines tentationum, tribulationum aculeos. Quod si lilium est ipsa iuxta sponsi verbum, videat, quàm vigilem sollicitamq, esse oporteat super custodia sui, septa vndique spinis, hinc inde aculeos intendentibus. Nec enim vel leuissimam spinæ sustinet vllatenus punctionem floris teneritudo, sed mox, vt modice premitur perforatur. Sentis quàm merito, necessarieq. hortetur nos propheta, seruire Domino in timore, & item Apostolus: Cū timore, & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Tenebant nimirum proprio experimento huius sententiæ veritatem, vt pote amici sponsi, qui minime prorsus ambigerent, & ad suas animas pertinere, quod dicitur; Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.

Psal. 2. *Phili. 2.*

Virginum, & viduarum status laudatur, virginitas autem quomodo tutanda sit, inqua gloriari non expedit.

Cap. VI.

BASILIVS inquit. Probet intuitum suum Domini spōsa, & si quidē sponso suo gratum esse agnouerit, tunc iā illū plena fiducia moneat. Sin autem illi minus placere persenserit, non se fallat, nec quia nullus hominum videt, illum etiam latere se putet. De illa dicendum est: Astitit regina a dextris tuis, in vestitu deaurato, circundatá varietate, vt quæ nuuc pannosa seruiliq. habitu vilis habita est, in cęlestibus regnis Regina, & nobilis, & honesta, ornatu vario regi adsistere inueniatur. Perquam vero iniquū & indignum est, cum sponsus nimia vi amoris impulsus, nobilitatem, & diuitias spreuerit, ignominiaq, calcata extremam quoque sit passus inopiam, vt nos illius paupertate ditaremur, sponsam immortalitatis cōsequendę causa nolle pro se mortuo paria reddere, sed affluere delitijs, & in lasciuiam solui, & sæculo configurari malle, ac renuere cum illo pauper effici, & humiliari, qui propter se factus est pauper, vt ad proprias diuitias diuinitatis remeanti illi, qui pauperi pro se effecto, paupertatis accesserit consors, diuitiarum quoque & regni in cælis socia inueniatur. Caueat virgo, ne aut aspectum, aut motum, aut sermonem suum affectu minus pudico in quēpiam ferat, motusq. omnes, & animi, & corporis in sponsi sui seruitium redigat, vbique enim ille eius intuetur cor, & motus omnes diligenter explorat. Nulla igitur ex parte mechari conuenit virginem, non lingua, non aure, non oculo, non tactu, non vllo denique sensu, multoq. minus animo, sed corpus quidem veluti delubrum quoddam, aut sponsi thalamum aptissime instruere, atq; seruare, animam vero in hoc ipso, vt sponsam nitidam ac purissimam sponsi amplexibus iungere. Si sollicite cogitat quomodo placeat Domino, nihil eorum præsumere debet, quæ illi non placent. Quòd si quia nullus hominum videt, fuerit, vel verbo, vel nutu fortasse procacior aperte deprehēditur ad spōsi sui cæcutire dignitatem, cum intentionum cordis testis in-

Lib. de vera virg. ad Letoiū Melitēsē ep. to. 2. *Psal. 44.*

timus sit, atque arbiter, qui maxime auersatur eiusmodi fallacem simulatamq. voluntatem. Et idcirco in primis fucatam virginitatis speciem, & habitum odit, quòd quæ eiusmodi est, quæ oculos hominũ fallat, sponsamq. se illi iugiter exhibere putetur, cum neq, sponsa ipsius, neq; hominis apertæ sit vxor, sed hæc profecto, dum opinionem virginitatis per exteriorẽ habitum ab hominibus captat, in oculis sponsi adultera est. Impieq. in eum contumelioſa est, quando ante hominum oculos, ne existimationem suam fœdet, indecens aliquid agere nõ audet, sub eius autem obtutibus, qui semper præsto est, sine vllo pudore gerit omnia. Quasi igitur præsente spõso, & inspectante omnia, & audiente, virgo se habebit in omnibus. Etsi enim adsit nemo, ipsa tamen sibi virgo adest, debetq. præ omnibus se ipsam reuereri, etiã si sola sit, deinde Angelum custodem adstantem sibi: præcunctis autem ipsum sponsum suũ reuerebitur, sibi vbiq; assistentẽ, Angelorũq. infinitã multitudinẽ: nullus enim æxhis est, qui non singula vbiq; consideret. Exhac ergo ratione, si latere virgo plures querit, longe hos magis, qui tanti ac tales sunt, quã homines reuereri merito debebit, & quia paueſcit multitudinis obtutus, hos autẽ vitare impossibile est, qui sunt infinita multitudo, nihil vmquã indecens facit, aut a proposito suo alienũ. Infra; Nullus itaq; seruus ad id impietatis erumpat, vt sponsam Domini contingere audeat: nullus adeo insanus, ac sacrilegus sit, vt immaculatam hostiam impudicis manibus tractet: nemo in tantum audaciæ, temeritatisq. prosiliat, vt eiusmodi vltionem sacrilegij impendere considerans, non vasa inanimata ex auri, argẽtiq. materia elaborata, sed animata ipsa & viua donaria latronis more profanis manibus temerare, atq; incestare præsumat. Immo vero nullus adeo impius, atrox, ipuruſq. sit, vt nõ inanimata tẽpli vasa, sed ipsum Domini tẽplũ, virgineũ scilicet corpus, ipsamq. omniũ animã pretiosissimã in tẽplo Dei sacritissimi donarij vice locatã, libidinis facibus barbarica immanitate succẽdat. Verũ & si spõte sua se virgo spõsi fœdera trãsgressa substernat, cũctaq. simul, & tẽpla, & donaria, & charitatẽ sponsi pernicioſæ voluptatis gratia confundere, atq; calcare nitatur, noli huiusmodi ad scelus vti, neq; te peccati communionẽ commacules: nam & eximius ille Ioseph dominę suæ amoris magnitudine ebrię, ac pene furioſæ seipsum ad impuditiã minime permisit. Si autem, qui dimissam a mortali viro ducit, adulter, atq; impius est, qui immortalis viri spõsam numquã dimissam violare præsumit, multo profecto funestior adulter, atq; impius erit. Itaque & si illa pessima se mutatione deijciat, ad carnis vitia vltro deuoluta, tu tamen eam noli tangere, viuit enim eius vir, neq; illam dimittere vult. Quæ se a Christo, qui lux est, & resurrectio, & incorruptio, & vita, dimouit, quid aliud, quàm de luce ad tenebras, a vita ad mortẽ ab incorruptione ad corruptionem, a resurrectione ad inferni ac mortis maximum ac periculoſissimum casum se detorsit infelix? Antè omnia oportet virginem cogitationes suas puras, inuiolatasq. seruare: anima quippe perdurãte incorrupta, corpus quoq; impollutũ seruatur. Porro si pessimis cogitationibus contaminetur anima, quamlibet corpus permanere in corruptũ videatur, non tamẽ nunda eius censetur integritas, cũ sordibus cogitationũ inquinata vitietur. Quòd si pro spõsa sua seipsum tradidit Dominus, vt eã sanctificaret, mundans aquę lauacro, & exhiberet eã sibi glorioſam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed esset sancta corpore, & spiritu, debet omnes occasiones, quæ ipsam maculare possint, longe cohibere, serenum oportet esse virginis animum, ac diuinis cogitationibus velut 4
ex quodam purissimo fonte stagnantem, tranquillum, pacificumq. durare, vt neq; inuectis extrinsecus per aures verbis agitẽtur, neq; irruẽtibus per oculos formis a statu illo suę quietis fluctuans deuiet, ita velut in lucidissimo speculo, & suam speciem, & sponsi pulchritudinẽ intuẽs, illius amore charius ac germanius exatiabitur. Quo circa necesse est virginem in hoc aquæ speculo nullam aliam intendere faciem, ne illam, quæ prius inerat, ipsa continuo subrepens deleat, nulliusq. in se nisi spõsi solius præferat speciẽ, vt solus ille in ea propriam cernat imaginem, solamq. anima ipsius formam in speculo suo habeat lucentem, eiusq. pulchritudine ornari iugiter appetat. Idcirco prẽmuniẽs ipsius animã Deus, sacro illam eloquio instruit, dicẽs: Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuũ ne dimiseris, se scilicet Eccli. 10.
ascendens potestatiua cogitatione imago illa veluti nacta locum in speculo, obsistente nemine, peccati ei insinuet speciem, impleatur Christi facie tota anima virginis, nulluſq. omnino in ea locus vacet, quo ascendens otiosa cogitatio inueniat, vbi sua, & se ipsam speculetur. Nullius igitur (vt breuiter dixerim) absentis, nullius prẽsentis hominis speculum sit virginis anima, nisi sancti sponsi sui: nulla prorsus in eo alia quàm sponsi inspiciatur forma. Nullam aliam ob rem speculum animæ studiose ipsa detergat, nisi vt ille huic suæ pulchritudinis irradians speciem, illam beatissimam faciat. Sicut autem, qui adhæret meretrici, vnum corpus est: ita & qui adhæret Domino, vnus Spiritus est. Sicut enim sponsus eius thronos, & dominationes deserens, illi ratione mortalitatis adhæsit, vt vnum cum illa misericorditer factus, sua illam gloria, & immortalitate donaret, ita & ipsa ei, qui sui gratia exuit principatus, & potestates, & se ipsum a forma Dei ad serui formam per nimiam amoris vim exinaniuit, immortalitatis ratione inhærere debet, vt in cęlestem quoque thalamum ad Patrem ascendenti coascendat: neque enim ideo descendit Christus, vt inhærendo sponsæ remaneret in terris, sed vt assumens eam, atq; in meliora commutans ad cælos reueheret. Non enim in morem carnalis sponsi, qui integram virginẽ carnali coniugio violat, & mulierem facit, animarum

5 marum quoq; nostrarũ spõsus incorruptã animam sua cõmunione cõmaculat, sed inquinatã potius a diabolo per voluptates corporis, nactus eã, ex muliere polluta immaculatã virginẽ efficit, & dicitur dux, & auctor virginitatis spõsæ. Magnum autem quid & splendidissimũ virginitas est. Si enim in resurrectione neq; nubẽt,
Matt. 22. neq; nubentur, sed sunt sicut Angeli, efficiũtur filij Dei, & hi prophecto, qui virginitatẽ seruãt, Angeli sunt, qui viuentes in carne corruptibili mortalium vitam illustrando tuentur: Angeliq. sunt nobilissimi: illi enim carneis nexibus liberi integritatẽ suã in cęlis seruant, & loco, & natura inuiolabiles, & apud summũ Regẽ omniũ Deum constituti. At vero isti in terra carnis illecebris, & voluptatibus diu reluctantes, ac diaboli tẽtamẽta perpetua exercitatione vincentes, incorruptionem Angelicæ puritati parem virtute præcipua ante Creatoris oculos custodierunt. Quæ igitur in hoc sæculo pares maritibus animo sunt, & si per amictum feminei corporis ad eam æqualitatem non aspirant, eas in futuro sæculo per omnia æquales Angelis virtutis merito inueniri certum est. Mortificatis quippe corporibus, edomitaq. voluptate, quæ per naturam inest vtriq; sexui ad se mutuo concupiscendum, sola iam anima in eis viuere per incorruptionis meritum cernitur. Porro quòd incorruptibilis vitæ semẽ e terris ad cælũ trãs ferẽdum singulari gloria virginitatẽ Dominus noster esse voluerit, & incorruptionis honestati per integerimam castitatẽ corpora nostra consuescere, ex eo in primis constat, quòd cum legi in omnibus obtẽperauit, solũ coniugium renuit. A corruptis per iugalem copulã naturali integritati nostræ incrementa suppeditans, quemadmodũ Adam præsentis vitæ semen per coniugij voluptatem fuerat, ita & ipse semẽ futuri sæculi per virginitatis fieret integritatẽ, vt sicut illum per matrimonium multiplicantẽ humanum genus hominem in terrena vita secuti sumus, ita & Dominum per virginalẽ puritatem futurũ sæculũ multiplicantem prudenter sequeremur. Quòd si non otiose paradisum, primiq. Adam in eo conspicias vitam, inuenies profecto illum adhuc in paradiso constitutum, opus non habuisse cognoscere vxorem suã. Post præuaricationem vero, mortisq. sententiã, post paradisi amissionem, tunc iam vxorem cognouit suam, vt vitæ postea mortalitatẽ prolis successione solaretur. Neq; vero nos idcirco ista dicimus, vt quasi virginitatem nos humano generi præcipiamus, sed his, quæ prætiosissimam illius margaritam emere instituũt, eius ex omni parte munditiam insinuamus. De virginitate seruanda Deus legem nõ tulit, sed voluit, vt sicut ab incorruptione ad corruptionẽ præter naturã immoderata potestate vtens, homo defluxerat, ita rursus a corruptione ad incorruptionẽ naturã suã pręstãtiori voluntate vim sibi inferendo proueheret. Nõ inquã iubet hanc rem: excellẽs quiddam, & supra naturã, supraq. legem, ac virtutis studio deditę animæ propriã esse non ignorans. Cum enim audisset dicentẽ sibi: Nõ expedit nubere, volens illius excellen- Matt. 19.
tiam pandere, Non omnes, inquit, capiunt ver- 7
bum istud, sed quibus datum est. Muniantur ergo vndiq; virgines, ac se obseruent summa diligẽtia, ne sicut a terra, & hominibus in cęlestẽ Angelicãq. dignitatem ascenderunt, ita e contra ab Angelis, & cælis in terram pessima ruina delabantur. Neq; vltra lignum aridum pro infœcunditate carnis existimandi sunt, sed vt virentia arbusta plurimis iustitiæ fructibus omni ex parte redimiti. Plantati enim, inquit, in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri flore Psal. 91.
bunt. In lege præcipit Deus adipem, & ipsos re- Leuit. 3.
nes ignibus tradi. Nempe enim sine renibus, ideſt, sine coniugio in terris viui potest, virginitatisq. vita nullo inferior Angelis ad perpetuam gloriam hinc iam exerceri. Verum summa tolerantia laboris, atq; continentia præcipua fortiter illa incendamus, corporaq. nostra Rom. 12.
hostiam sanctam, placentem Deo, tãquam vitulũ pro sacerdotio studioſe offeramus, & modo quidem prauam concupiscentiam, veluti fibram iecoris, modo superfluitatem cibi quasi adipem, quo venter operitur, modo totam simul concupiscentiam coitus, veluti renes vna cũ adipe, diuino continentiæ igne consummamus, vt iuxta propositam virginitatis destinationem omni praua ac turpi concupiscentia, omniq. voluptate superiores euadentes, per cõtinentiæ sacra certamina proposito certantibus præmio digni inueniamur.

CHRYSOSTOMVS docẽs nõ cohabi- 8
tandũ cũ virgine, ait. Esto quod sis etiã cohabi- Ser. cont. cõ
tando purus, quamuis ne Iob quidẽ ille beatus cubinarios.
ausus fuit tantam virtutẽ, & sapientiam sibi ad tom. 5.
scribere, & de se ista testari. Sed qui omnẽ trãscenderet virtutẽ, ex omnibus diaboli retibus extractus, & primus, & solus tantã fortitudinẽ demonstrauit, & omne ferrũ, & adamantẽ sua continentia prætergressus, subneruauit diaboli potestatem, sic veritus erat talem pugnã, & putauit impossibile esse cohabitare virgini sine damno, & purũ adeo, vt non solũ a cohabitatione tali procul & longe seipsum, sed & ab aspectu prorsus, & occursu subduxerit, legẽq. pos- Iob 31.
suit oculis suis, omnino in virginẽ ne respicere quidẽ: sciebat enim manifeste, quòd non solum cohabitantẽ, sed & videntem curioſe in faciem virginis difficile, forte autẽ & impossibile sit effugere damnum, quod inde oritur. Propter quod & dicebat: Ne cogitem quidẽ de virgine. At si paruus vobis videtur ad certamen Iob, quamuis reuera, neq; stercore illius simus digni, cogita prædicatorẽ veritatis, qui totũ orbem circuit, & dicere potuit verba illa multa sapientia referta: Quod iam non ipse sit viuẽs, Gal. 2.
sed Christus in ipso, & quod crucifixus sit mun- Ibid. 6.
do, & mundus ipsi, & quod quotidie moriatur, 1. Cor. 15.
post tantã spiritus gratiã, post tam innumera pericula declarat nobis, & demõstrat, quòd do nec spirauerimus, & hac carne fuerimus circũdati, certaminibus nobis opus est, & laboribus, neq; vnquã otio tẽperantia paratur, sed multis sudoribus, & laboribus opus est. Ad hoc enim

tro-

Ibid. 9. trophæum parandũ, sic dicebat: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne dum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar. Hæc autem dicebat, declarans seditionem carnis, & concupiscentiæ rabiem, pręliumq; cõtinuum, ac vitam semper in agone constitutam. Et idcirco etiam Christus arduitatem rei declarãs, neque vel licite aspicere permittit mulierum facies, quoniam, & adulterorũ pœna puniendos sic spectantes interminatus est. Et cum dixisset Petrus, non expedit vxorem ducere, non statuit legem, ne ducantur vxores, sed naturam rei declarans dicebat: Qui potest capere capiat. Audimus autem & hoc nostro sæculo, quòd nonnulli ferro totum corpus obligantes, & sacco vestientes, & ad vertices mõtium currẽtes, ac cõtinuis vigilijs, ac inedia sũma viuentes, & omnem disciplinæ seueritatem ostendẽtes, ab omnibus mulieribus segregati, ascendere in domunculam, & tugurium, vt hac ratione seipsos castigantes, concupiscentiæ furorem comprimant. At tu dicis, quòd licet videas cohabitantem virgini, & alligatum, & deliciantem, & animam potius amittentem, quã cohabitatricem, paratumq. omnia, & facere, & pati potius quàm separari a dilecta, ne suspiceris aliquid mali, ne putes concupiscentiæ negotium, sed pietatis potius. Admirande vir, is affectus est his, qui lapidibus cohabitant, non hominibus: & tu quidem forte non credis ob magnam tuam continentiam. Ego autem audiui multos dicentes, quod etiam multi apud lapides, & statuas aliquid passi sunt. Quod si tantum valuit dura effigies, quantam operabitur insaniam in effigie pulchra tenerum corpus? Quòd si quid difficultatis habet diuelli consuetudine longa, illud nobis persuadeamus, vel si principium solum imponamus operi, non vltra vissuros nos difficultatem, sic aduersus consuetudinem prævalebis. Nam si decem dies te abstraxeris, facile feres viginti, & iterum bis tantos, deindeq. via progrediens, neque senties difficultatem, quam habuisti initio, videbisq. facillimum factu, quod tot agones prius exposcebat, & in aliam te mutabis consuetudinem, viuesq. libere, & iucunde. Quid enim fuerit suauius, quàm perpetuum concupiscentiæ bellum dirimere, & multa facilitate bonam continentię coronam plectere, & liberis oculis in cælum respicere? Nullus cathenis pondere, & alijs carcerum incommodis exemptus, immo nullus, qui cæcus erat, apertis oculis, & vissa hac dulci luce, sic exultat, vt cum ab hac seruitute liberari contigit. Longe enim dulcior hac luce est liberatio ab hac tyrannide, & omni caligine grauior seruitutis huius miseriæ.

Matt. 5.

Ibid. 19.

10 Lib. 1. de virgin. ad Marcel. for. suã. to. 4.

AMBROSIVS ait. Quæ non nubẽt, neq; nubentur, erũt sicut Angeli Dei in cælo. Nemo ergo miretur, si Angelis cõparẽtur, quæ Angelorũ Domino copulãtur. Quis igitur neget hãc vitã fluxisse de cælo, quã non facile inuenimus in terris? Nisi postquã Deus in hæc terreni corporis mẽbra descendit, tunc in vtero virgo cõcepit. Dicet aliquis: sed etiã Elias nullis corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus inuenitur, ideo ergo curru raptus ad cælũ, ideo cũ Domino apparet in gloria, ideo Dominici venturus est præcursor aduentus. Et Maria sumẽs tympanũ, pudore virgineo choros duxit. Sed cõsiderate cuius illa speciẽ tũc gerebat. Nõne Ecclesiæ, quę religiosos populi cętus, qui carmina diuina cõcinerẽt, immaculato virgo spiritu copulauit? Nam etiã tẽplo Hierosolymis fuisse legimus virgines deputatas. Sed quid Apostolus dicit? Hęc autem infigura contingebant illis, vt essent indicia futurorum. Figura enim in paucis est, vita in pluribus. At vero posteaquã Dominus in corpus hoc veniẽs, diuinitatem, & humanitatẽ in vnũ sociauit, tunc toto orbe diffusus, corporibus humanis vitæ cælestis vsus inoleuit. Hoc illud est, quod ministrantes interris Angeli decantarunt, futurũ genus, quod ministeriũ Dño immaculati corporis obsequijs exhiberet. Hæc est cælestis illa militia, quã laudantiũ exercitus Angelorũ promittebat in terris. Habemus ergo auctoritatẽ vetustatis a sæculo, plenitudinẽ professionis a Christo, Certe non est hoc mihi cõmune cũ gentibus, non populare cũ barbaris, non cũ ceteris animãtibus vsitatũ, cũ quibus etsi vnũ, eundẽq. vitalẽ aeris huius carpimus spiritũ, vulgarẽ terreni corporis participamus statũ, generandi quoq; non discrepamus vsu, hoc solo tamen naturæ parilis cõuitia declinamus, quod virginitas affectatur a gentibus, sed cõsecrata violatur, incursatur a barbaris, nescitur a reliquis. Quis mihi prætẽdit Vestæ virgines, & Palladis sacerdotes? Qualis ista est non morũ pudicitia, sed annorũ, quæ non perpetuitate, sed ætate præscribitur? Petulantior est talis integritas, cuius corruptela seniori seruatur ætati. Ipsi docent virgines suas non debere perseuerare, nec posse, qui virginitati finẽ dederũt. Qualis autem est illa religio, vbi pudicę adolescentes iubentur esse, impudicæ anus? Sed nec illa pudica est, quæ lege tenetur; o mysteria, o mores, vbi necessitas imponi turcastitati, auctoritas libidini datur. Itaq; nec casta est, quæ metu cogitur, nec honesta, quæ mercede conducitur, nec pudor ille, qui intẽperantium oculorum quotidiano expositus cõvitio flagitiosis aspectibus verberatur. Quid de sacris Phrygijs loquar, in quibus impudicitia disciplina est, atq; vtinam sexus fragilioris? Qualis igitur potest ibi vita esse sacerdotum, vbi colitur stuprum deorum? Non habent igitur sacram virginem. Pythagoræa quædam vna ex virginibus celebratur fabulis, cum a tyranno cogeretur secretum prodere, ne quid in se ad extorquendam confessionem vel tormentis liceret, morsu linguam abscidisse fertur, atque in tyranni faciem despuisse, vt qui interrogandi finem non faciebat, non haberet, quam interogaret. Eadem tamen forti animo, sed tumenti vtero, exemplum taciturnitatis, & proluuium castitatis, victa est cupiditatibus, quæ tormentis vinci nequiuit. Igitur, quæ mentis potuit tegere secretum, corporis nõ texit opprobrium. Quàm vellet in voce muni-

1. Cor. 12.

Ibidem.

11

munimentum sui pudoris existere, eo fortasse erudierat illam pœnitentia, vt culpam negaret. Non igitur inuicta vndique, quanto nostræ virgines fortiores, quæ vincunt etiã, quas non vident, potestates, quibus non tantum de carne, & sanguine, sed etiam de ipso mundi principe, sæculiq. rectore victoria est. Ego licet laudationem non susceperim virginitatis, sed expressionem, ad rem tamen pertinere arbitror, vt quæ sit ei patria, quis auctor appareat. Si ibi est patria, vbi genitale domicilium, in cælo profecto est patria castitatis. Itaque hic aduena, ibi incola est. Atq; eius auctorem, quem possumus existimare, nisi immaculatum Dei Filium, cuius caro non vidit corruptionẽ? Videte igitur quanta virginitatis merita sint, vbi Christus de virgine nasci voluit in sæculo, qui a Patre natus est ante sæcula. Spectate aliud virginitatis meritum. Christus virginis sponsus, & si dici potest, Christus virgineæ castitatis. Virginitas enim Christi, non virginitatis est Christus. De virginibus præceptum

1. Cor. 7.

Domini non habuit Apostolus, sed exemplum. Non enim imperari potest virginitas, sed optari: nam quæ supra nos sunt, in voto magis, quàm in magisterio sunt. Infra: Primum, quod nupturæ præ ceteris concupiscunt, vt sponsi decore se iactent, eo necesse est impares se fateantur sacris esse virginibus, quibus solis

Psal. 44.

contingit dicere: Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis. Quis est iste sponsus? Non vilibus addictus obsequijs, non caducis superbus diuitijs, sed cuius sedes in sæculum sæculi, filiæ regum in honore eius. Astitit regina a dextris eius in vestitu deaurato, veritate circumamicta virtutum. Audi igitur filia, & vide, & inclina aurem tuã, & obliuiscere populum tum, & domum patris tui, quoniam concupiuit rex speciem tuam, quia ipse est Deus tuus. Et animaduerte quantum tibi Spiritus sanctus Scripturæ diuinæ testificatione detulerit; regnum, aurum, pulchritudinem. Regnũ, vel quia sponsa es Regis æterni, vel quia inuictum animum gerens, ab illecebris voluptatum non captiua haberis, sed quasi regina dominaris. Aurum, quia sicut illa materies examinata igne pretiosior est, ita corporis species virginalis spiritu consecrata diuino, formæ suæ acquirit augmentum. Pulchritudinem vero quis potest maiorem existimare decore eius, quæ amatur a rege, probatur a iudice, dicatur Domino, consecratur Deo, semper sponsa, semper innupta, vt nec amor finem habeat, nec damnum pudor. Hæc

Cant. 4.

profecto vera pulchritudo est, cui nihil deest, quæ sola meretur audire a Domino: Tota pulchra es amica mea, & reprehensio non est in te. Veni de libano a capite Sanir, & Hermon, de cubilibus leonũ, & a montibus pardorum. Quibus indicijs ostenditur perfecta, & irreprehensibilis virginalis animæ pulchritudo, altaribus consecrata diuinis, inter occursus, & latibula spiritualiũ bestiarum non inflexa mortalibus, sed intenta mysterijs Dei meruisse dilectum, cuius vbera plena lætitiæ. Et odor, inquit, vestimentorum tuorum super omnia aromata. Digna virginitas, quæ apibus comparetur, sic laboriosa, sic pudica, sic continens. Rore pascitur apes, nescit cõcubitus, mella componit. Ros quoque virginis est sermo diuinus, quia sicut ros Dei verba descendunt. Pudor virginis est intemerata natura. Sume alas virgo, sed spiritus, vt superuoles vitia, si contingere cupis Christum. In altis habitat, & humilia respicit. Amat generari fons iste in hortis, in quibus eum Susanna, dum deambularet, inuenit, mori prius, quàm violari parata. Qui sint autem horti, ipse demonstrat, dicens: Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: eoquod in hortis huiusmodi impressam signaculis imaginem Dei synceri fontis vnda resplendeat, ne volutabris spiritualium bestiarũ sparso cœno fluenta turbentur. Hinc ille murali septus spiritu pudor clauditur, ne pateat ad rapinam. Itaque sicut hortibus furibus inaccessus, vitem redolet, fragrat oleam, rosam renidet, vt in vite religio, in olea pax, in rosa pudor sacratæ virginitatis inolescat. Hic est odor, quem Iacob patriarcha fragrauit, quando meruit audire: Ecce odor filij mei sicut odor agri pleni. Accingere itaque virgo, & si vis huiuscemodi tibi vt hortus aspiret, propheticis eum claude præceptis. Pone custodiam ori tuo, & ostium circumstantiæ labijs tuis, vt dicere possis: Veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Veni fraterne mi, exeamus in agrum, pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. Custodit Dominus virgines grandi cura. Dixerat Salomon: Lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios. Post ait: Mille Salomoni & ducenti, qui seruant fructum eius. Ante sexaginta, modo mille ducenti. Creuit numerus, vbi creuit & fructus, quia quo sanctior quisque, eo mitior. Sic Elisæus propheta exercitus Angelorum præsidio sibi adesse monstrauit. Possunt igitur in nobis fructum custodire, qui possunt etiam militare pro nobis. Vobis autem virgines sanctæ speciale præsidium est, quæ intemerato pudore sanctum Domini seruatis cubile. Neque mirum, si pro vobis Angeli militant, quæ Angelorum moribus militatis. Meretur eorum præsidium castitas virginalis, quorum vitam meretur. Castitas Angelos fecit: qui eam seruauit, Angelus est, qui perdidit, diabolus. Hinc religio etiam nomen accepit. Virgo est, quæ Deo nubit, meretrix, quæ deos fecit. Quàm præclarum autem angelo propter intẽperantiam suam in sæculum cecidisse de cælo, virgines propter castimoniam in cælum transisse de sæculo. Dicet aliquis: Tu nobis quotidie virginum canis laudes, quid faciam, qui eadem quotidie cantito, & proficio nihil? Sed non mea culpa. Denique de Placentino sacrandæ virgines veniunt: de Bononiensi veniunt: de Mauritania veniunt, vt hic velentur. Ma-

Cant. 2.

Cant. 4.

Gen. 27. 14

Psal. 140.

Cant. 5.

Cant. 7.

gnam

gnam rem videtis, hic tracto, & alibi persuadeo. Pleraſque virgines cognoui velle, & prohiberi etiam prodire a matribus. Nempe ſi hominem amarent filię veſtræ, per legem poſſent eligere, quem vellent. Quibus igitur hominem eligere licet, Deum non licet? Ex vltimis infra vltraq. Mauritaniæ partibus deductæ virgines, hic ſacrari geſtiunt, & cum ſint omnes familiæ in vinculis, pudicitia tamen neſcit eſſe captiua. Nam quid de Bononienſibus virginibus loquar, fœcundo pudoris agmine, quę mũdanis ſe delitijs abdicantes, ſacrarium virginitatis incolunt ſine coutubernali ſexu, contubernali pudore prouectæ ad vicenarium numerum, & centenarium, relictoq. parentum hoſpitio, tendunt in tabernacula Chriſti indefeſſæ milites caſtitatis? Nunc canticis ſpiritualibus perſonant, nũc victum operibus exercent. Bonum itaque, ſi virgini ſtudia parentum quaſi flabra pudoris aſpirent. Sed illud glorioſius, ſi teneræ ignis ætatis, etiam ſine veteribus nutrimentis ſponte ſe rapiat in fomitem caſtitatis. Dotem negabunt parentes? ſed habes diuitem ſponſum, cuius cõtenta theſauro, patriæ ſucceſſionis emolumenta non quæras. Sed eſto maneant vos damna patrimonij: nõne caducarum, & fragilium diſpendium facultatum futura cæli regna compenſant? Memoriæ noſtræ puella, dudum nobilis in ſæculo, nũc nobilior Deo, cum vrgeretur ad nuptias a parentibus, & propinquis, ad ſacroſanctum altare confugit. Quo enim melius virgo recurreret, quàm vbi ſacrarium virginitatis offertur? Ne is quidem finis audaciæ: ſtabat ad aram Dei pudoris hoſtia, victima caſtitatis, nunc capiti dextram ſacerdotis imponens, precem poſcens, nunc iuſtę impatiens moræ, ac ſummum altari ſubiecta verticem, Num melius, inquit, quàm altare velabit, quod ſanctificat ipſa velamina, frontem? Quid agitis vos propinqui? Quid exquirẽdis adhuc nuptijs ſollicitatis animum? Iamdudum prouiſas habeo. ſponſum offertis? meliorem reperi. Quaslibet exaggerate diuitias, iactate nobilitatem, potentiam prædicate: habeo eum, cui nemo ſe comparet, diuitem mundo, potentem imperio, nobilem cælo: ſi talem habetis, non refuto opertionem; ſi non reperitis, non prouidetis mihi, ſed inuidetis. Silentibus ceteris, vnus abruptius, Quid ſi, inquit, pater tuus viueret, innuptam te manere pateretur? Tum illa maiori religione, moderatiore pietate, Et ideo, ait, fortaſſe defecit, ne quis impedimentum poſſet afferre. Quod il le reſponſum de patre, de ſe oraculum maturo ſui probauit exitio. Ita ceteri eadem quiſque metuentes, fauere cœperunt, qui impedire quærebant. Habetis puellæ deuotionis præmium, parentes cauete offenſionis exemplum.

16 Libro 2. de virginibus. IDEM incipit exemplis erudire virgines. Vbi poſtquam multa de Deipara Virgine dixerat, quæ vnicum eſt virginum exemplum, ſubdit. Thecla copulam fugiens nuptialem, & ſponſi furore damnata, naturam etiam beſtiarum virginitatis veneratione mutauit. Namque parata ad feras, cum aſpectus quoſque declinaret virorum, ac vitalia ipſa ſæuo offeret leoni, fecit, vt qui impudicos detulerant oculos, pudicos referrent. Cernere erat lingentem pedes beſtiam, cubitare humi, multo teſtificatem ſono, quòd ſacrum corpus virginis violare non poſſet. Ergo adorabat prædam ſuam beſtia, & propriæ oblita, naturam induerat, quam homines amiſerant. Videres quadam naturæ transfuſione homines feritatem indutos, ſæuitiam imperare beſtiæ, beſtiam exoſculantem pedes virginis docere, quid homines facere deberent. Tantum habet virginitas admirationis, vt eam etiam leones mirentur. Non impaſtos cibus flexit, non concitatos impetus rapuit, non ſtimulatos ira exaſperauit, non vſus decepit aſſuetos, non feros natura poſſedit. Do cuerunt religionem, dum adorant martyrem, docuerunt etiam caſtitatem, dum virgini nihil aliud, niſi plantas exoſculantur, demerſis in terram oculis, tamquam verecundantibus, ne mares aliqui, vel beſtia virginem nudam videret. Antiochiæ nuper virgo quædam fuit fugitans publici vſus, ſed quo magis virorum vitabat aſpectum, eo amplius incendebat. Pulchritudo enim audita, nec viſa, plus deſideratur, duobus ſtimulis cupiditatum amoris, & cognitionis, dum & nihil occurrit, quod minus placeat, & plus putatur eſſe, quod placeat: quod non iudex oculus explorat, ſed animus amator exoptat. Itaque ſancta virgo, ne diutius alerentur ſpe potiendæ cupiditatis, integritatẽ pudoris profeſſa, ſic reſtrinxit improborum faces, vt non iam amaretur, ſed produceretur. Ecce perſecutio, puella fugere neſcia, certe pauida, ne incideret in perſecutores pudoris, animum ad virtutem parauit, tam religioſa, vt mortem non timeret, tam pudica, vt expectaret. Venit coronæ dies, maxima omniũ expectatio, producitur puella duplex profeſſa certamen, & caſtitatis, & religionis. Vt ergo ſpecie caſtitatis religionem tollerent, aut ſacrificare virginem, aut lupanari proſtitui iubent. Puella, non quòd de religione ambigeret, ſed de pudore trepidaret, aiebat ſecum, Quid agimus hodie? Aut martyr, aut virgo, altera nobis inuidetur corona. Sed nec virginis nomen agnoſcitur, vbi virginitatis auctor negatur. Tolerabilius eſt mentẽ virginẽ, quàm carnẽ habere: vtrumque bonum, ſi liceat, ſi non liceat, ſaltem non homini caſtę, ſed Deo ſimus. Iudith ſe, vt adultero placeret, ornauit, quia tamen hoc non amore, ſed religione faciebat, nemo eam adulteram iudicabat. bene ſucceſſit exemplum. Nam ſi illa, quæ ſe commiſit religioni, & pudorem ſeruauit, & patriam, ſortaſſis & nos ſeruando religionem, ſeruabimus etiam caſtitatem. Ducitur ad lupanar, ſed vbique Dei virgo eſt, Dei templum eſt, nec lupanaria infamant caſtitatem, ſed caſtitas etiam loci abolet infamiam. Clauditur intus columba, ſtrepunt accipitres foris, certant ſinguli, qui prædam primus inuadat. At illa manibus ad cęlũ leuatis, quaſi ad domum veniſſet oratio-

17

tionis, non ad diuerſorium libidinis, Chriſte, inquit, qui domuiſti Danieli virgini feros leones, potes etiam domare hominũ feras mẽtes. Suſanna ad ſupplicium genu fixit, & de adulteris triumphauit. Aruit dextra, quæ templi tui dona violabat, nunc templum ipſum attrectatur tuum, non patiaris inceſtum ſacrilegij, qui non paſſus es furtum. Benedicatur & nunc nomen tuum, vt quæ ad adulterium veni, virgo diſcedam. Vix compleuerat precem, & ecce vir militis ſpecie terribilis irrupit, cum quo mutauit habitum ſacra virgo, & egreſſa eſt, ne caſtitas violaretur, ſed poſtea ambo de martyrio mirabiliter concertarunt, quod vterque mirum in modum optabat, & tandem vterque martyr effectus eſt.

18 Libro 3. de virginibus. IDEM ait. A virginibus conuiuiorum deuitandæ celebritates ſunt, fugiendæ ſalutationes, ipſas viſitationes in iunioribus eſſe paciores volo. Teritur officijs pudor, audacia emicat, riſus ſubrepit, modeſtia ſoluitur, dum affectatur vrbanitas. Deeſſe igitur ſermonem
1.Cor.14. virgini, quàm ſupereſſe malo. Nam ſi mulieres etiam de rebus diuinis in Eccleſia iubentur tacere, domi viros ſuos interrogare, de virginibus quid cautum putamus, in quibus pudor ornat ætatem, taciturnitas commendat pudorem? An vero mediocre pudoris exemplum eſt, quod Rebecca, cum veniret ad nuptias, & ſponſum vidiſſet, velamen accepit, ne prius videretur, quàm iungeretur? Et vtique pulchra
Gen.24. virgo non decori timuit, ſed pudori. Quid Rachel? Quemadmodum extorto oſculo fleuit, & gemuit? Virginẽ mihi prius grauitas ſua nunciet, pudore obuio, gradu ſobrio, vultu modeſto, & prænuncia integritatis ante eant ſigna virtutis.

19 Lib. de viduis. IDEM inquit. Quodammodo magiſterium virginitatis viduarum valeſcit exemplis. Quæ cum viro caſtum cubile cuſtodiunt, documento virginibus ſunt, integritatem Deo eſſe ſeruandam. Et propemodum non interioris virtutis eſt eo, abſtinere coniugio; quod aliquando delectauerit, quàm coniugij oblectata neſcire. In vtroque fortes, vt eas & coniugij non pœniteat, cui fidem ſeruent, & coniugalia oblectamenta non allegent, ne videantur infirmæ, quæ ſibi adeſſe non poſſunt. In hac ipſa
1.Cor.7. tamen virtute præmia ſunt repoſita libertatis. Mulier enim vincta eſt, quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, libera eſt, cui vult nubat tantum in Domino. Beatior tamen erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum conſilium meum. Puto enim, quod & ego ſpiritum Dei habeam. Euidenter igitur expreſſit Apoſtolus, quid interſit, cum aliam vinctam eſſe dixerit, aliam beatiorem eſſe memorauerit. Quid vero illud, quod temporibus ijs, quibus fames omne genus vrgebat humanũ, Elias ad viduam deſtinatus eſt? Et vide quemadmodum propria ſingulis gratia reſeruetur. Angelus ad virginem, propheta ad viduam. Adde, quod Gabriel ille, hic Elias, vt ex Angelorum, & prophetarum numero, præſtantiſsimi principes videantur electi. Sed non ſimplex viduitatis laus eſt, niſi virtus etiam viduitatis accedat. In nullo grauius ludæi Dominum læſiſſe produntur, quàm quod viduę gratiam, minorumq. iura violarent. Hæc propheticis cauſa vocibus conclamatur, quæ meritum Iudæis refectionis inuexerit. Hæc ſola cauſa delicti *Iſa.1.* inuidiam mitigatura memoratur, ſi honoretur vidua in honoribus, æqui iuſtitia iudicij deferatur. Sic enim habes, iudicate pupillo, & *Pſal.1.* iuſtificate viduam, & venite, arguite me, dicit Dominus. Et alibi: Pupillum, & viduam ſuſci- *Pſal.145.* piet. Et alibi: Viduam eius benedicens bene- *Pſal.131.* dicam. Videtis igitur ſanctæ viduæ nequaquã lubrico munus ſtudio deſerendum, quod diuinæ benedictionis ſubſidijs honoratur. In viduarum commendationem adducit Iudith, & *Iudith.8.* Deboram, quæ vidua cum eſſet, multa millia *Iudic.4.* virorum, & in pace rexit, & ab hoſte defendit, cuius iudicio populus tantus regebatur. Et in pace quidem nulla querimonia, nullus error muliebris inuenitur, quæ Chananæam gentem ferocem debellauit. Et ſicut virgines conſilium acceperunt a Paulo de virginitate ſeruanda, ita & viduæ.

AVGVSTINVS ait. Bonum Suſannæ 20
in caſtitate coniugali laudamus, ſed tamen ei Lib. de bono cõiugali
bonum viduæ Annæ, ac multo magis Mariæ c.6.
Virginis anteponimus.

IDEM dicit. Maria non diceret Angelo: 21
Quomodo fiet iſtud, ſi virginitatem non antea Lib. de ſancta virginitate
vouiſſet; virginitatem illa Deo dicauit. Non *Dan.13.*
eſt ergo cur Dei virgines contriſtentur, quòd *Lucæ 2.*
etiam ipſæ virginitate ſeruata matres carnis *Lucæ 1.*
eſſe non poſſunt, ille enim vnius ſanctæ virginis partus, omniũ ſanctarum virginum eſt decus. Infra: Illa virgo coniugatę merito præponitur, quæ nec multitudini ſe amandam proponit, cum amorem vnius ex multitudine inquirit, nec ſe vni iam componit inuento, cogitans, quæ ſunt mundi, quomodo placeat viro, ſed ſpecioſum forma præ filijs hominum ſic amauit, vt quę eum ſicut Maria carne concipere non poſsit, ei corde concepto etiam carnem integram cuſtodiret. Non parit virgines ſacras, niſi virgo ſacra, quæ deſponſata eſt vni viro Chriſto. Ex illa non tota corpore, ſed tota virgine ſpiritu naſcuntur ſacræ virgines, & corpore, & ſpiritu. Quæ habent nuptæ in procreatione filiorum, humani officij ſunt munera, virginalis autem integritas, & per piam continentiam ab omni concubitu immunitas, angelica portio eſt, & in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Vnde Paulus virginitatem conſulens, ait: De virgini- *1.Cor.7.*
bus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do. Exiſtimo hoc bonum eſſe propter inſtantem neceſsitatẽ. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo. Qui cum vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt mũdi, quomodo placeat vxori, & diuiſus eſt. Dicens autem nuptias licere, addidit: Tribulationem autem carnis habebunt huiuſmodi. Ego autem vobis parco: hoc modo exhor-

tans

tans ad virginitatem, continentiamq. perpetuam, vt aliquantulum a nuptijs etiam deterreret, modeste sane, non tamquam a re mala, & illicita, sed tamquam ab onerosa, ac molesta. Quod autem se dicit eis parcere, quos ait tribulationem carnis habituros, nihil mihi interim sanius occurrit, quàm eum noluisse aperire, & explicare verbis eandem ipsam carnis tribulationem, quam prænunciauit eis, qui eligunt nuptias, in suspicionibus zeli coniugalis, in procreandis filijs, atque nutriendis, in timoribus, & mæroribus orbitatis. Quotus enim quisque, cum se connubij vinculis alligauerit, non istis trahatur, atque agitetur affectibus? In hoc virgo maioris gloriæ palmam præparatam esse confidat, quæ non damnari, si nuberet, timuit, sed honoratius coronari, quia non nubere concupiuit. Qui ergo sine coniugio manere voluerint, non tanquam foueam peccati nuptias fugiant, sed tanquam collem minoris boni transcendant, vt in maiori continentiæ monte requiescant. Infra: Pergite itaque sancti Dei pueri, ac puellæ, mares, ac feminæ cælibes, & innuptæ, pergite perseueranter in finem: laudate Dominum dulcius, quem cogitatis vberius, sperate felicius, quem seruitis instantius, amate ardentius, cui placetis attentius. Vos offeretis ad nuptias agni canticum nouum, quod cătabitis in citharis vestris (hoc est, in cordibus dicatis laudibus). Non vtiq; tale, quale cantat vniuersa terra, cui dicitur: Cantate Domino canticum nouum, cantate vniuersa terra, sed tale quale nemo poterat dicere, nisi vos. Sic enim vos vidit in Apocalypsi quidam præ ceteris dilectus agno, qui bibebat, & eructabat mirabilia Dei. Ipse vos vidit duodecies duodena millia sanctorũ citharedorum illibatæ virginitatis in corpore, inuiolatæ veritatis in corde, & quia sequimini agnum quocumque ierit, scripsit ille de vobis. Quo ire putamus hunc agnum? Quo nemo eũ sequi vel valeat, vel audeat, nisi vos. Quo putamus eũ ire? Vadit, vbi nõ sunt gaudia sęculi vana, nec gaudia qualia in ipso regno Dei ceteris non virginibus erunt, sed a ceterorum omniũ gaudiorum sorte distincta, gaudium virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, gaudia propria virginum Christi. Ite in hæc, sequimini agnum, quia & agni caro vtique virgo. Hoc enim inseruit corporibus, & cordibus nostris, quòd matri non abstulit conceptus, & natus. Merito eũ sequimini virginitate cordis, & carnis, quocumque ierit. Quid est eum sequi, nisi imitari? Sequantur agnum ceteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocumque ille ierit, sed quousque ipsi potuerint. Possunt autem vbique, præter cum in decore virginitatis incedit. Vos ergo ite post eum virgines eius, tenendo perseueranter, quod vouistis, ne virginitatis bonum a vobis pereat. Videbit vos cetera multitudo fidelium, & licet illud canticũ nouum proprium vestrum dicere non poterit, & delectari vestro tam excellenti bono. Cum ergo perpetuæ continentiæ professores se coniugatis comparantes, viderint eos infra esse, & opere, & mercede, & voto, & præmio, statim veniat in mentem, quod scriptum est: Quanto magnus es, tanto humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Metuo tibi vehementer, ne cum te agnum quocumque ierit secuturam esse gloriaris, eum præ tumore superbiæ sequi per angusta non possis. Custos virginitatis charitas, locus autem huius custodis humilitas. Infra: Non solum abstinere debet virgo a peccatis grauibus, verum etiã illa, quæ leuiora vel sunt, vel putantur, non inueniantur in vobis: non improbus vultus, non vagi oculi, non infrenis lingua, non petulans risus, non scurrilis iocus, non indecens habitus, non tumidus, aut fluxus incessus. Hæc addita virginitati, angelicam vitam hominibus, & cæli mores exhibent terris. Si nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum, toto corde amate speciosum forma præ filijs hominum, vacat vobis, liberum est cor a coniugalibus vinculis, inspicite pulchritudinem amatoris vestri, & quid quid amoris nuptijs vestris impendendum habebatis, illi rependite. Non quærit sponsus a vobis tantum pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frenetis & carnem. Totum teneat sponsus in animo vestro, quidquid voluistis occupari connubio. Parum vobis amare non licet, propter quem non amastis, & quod liceret.

Apo. 14.

Psal. 95.

Apo. 14.

23

Eccli. 3.

Virtutem in hac vita, ac felicitatem collocauit Deus in octo beatitudinibus Euangelicis.

Cap. VII.

1 ORIGENES dicit. Omnes beatitudines, quas locutus est in Euangelio Iesus, suo firmauit exemplo, & quod docuit, pro testimonio probat: Beati, inquit, mites. Huic simile est de semetipso: Discite a me, quia mitis sum: Beati pacifici. Et quis alius ita pacificus, vt Dominus meus Iesus, qui est pax nostra, qui soluit inimicitias in carne sua: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Nemo sic persecutionem passus est propter iustitiam, vt Dominus Iesus, qui pro peccatis nostris crucifixus est. Ad quam similitudinem etiam illud, quod dixerat: Beati, qui lugent, & ipse fleuit, vt huius quoque beatitudinis iaceret fundamenta.

Hom. 38. in c. 19. Lucæ. Videns Iesus ciuitatẽ fleuit. to. 3.

Matth. 5. & 11. Eph. 2.

2 CHRYSOSTOMVS ait. Vt doceret octo beatitudines, aperuit Dominus os suũ, vt proculdubio disceres, quia non cum loqueretur modo, verum etiã cum taceret, docebat. Nunc quidem os aperiens, nunc vero ipsis operibus vocem emittens: Beati pauperes spiritu, quoniam

Hom. 15. in c. 5. Matt. 2.

niam ipsorum est regnum cælorum. Qui sunt pauperes spiritu? Humiles scilicet mente, atque contriti spiritu. Spiritum enim hic posuit pro anima, & voluntate. Quia enim sunt humiles plurimi, non sua sponte ducti, sed necessitate rerum coacti, relinquens huiusmodi, neque enim hoc inter laudanda numerandum est, eos, qui se humiliant, & comprimunt voluntate, primos beatos appellat. Et quam ob causam non humiles voluit appellare, sed pauperes? Quia hoc loco vtique præstantius est, siquidem illos hic humiles memorat, qui Dei præcepta metuunt, atque etiam contremiscunt. Quod per Isaiam prophetam Deus amanter excipiens dicebat: Super quem requiescam, nisi super humilem, & quietum, & trementem sermones meos? Multi quippe sunt humilitatis modi, & hic quidem est humilis mediocriter, alter vero cumulate. Hanc igitur humilitatem etiam propheta collaudat, non vtcumque compressam designando mentem, sed omnino contritam: Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet. Sed etiam tres pueri pro magno sacrificio hanc offerunt Deo, dicentes: Sed in anima contrita, & spiritu humiliato suscipiamur. Hanc ergo nunc etiam Christus beatam vocauit. Quia enim in primo angelo, & in primo parente videmus superbiam omnium malorum radicem; qui in superbiam elati, in iudicium inciderunt, & in laqueum diaboli, quia inquam constat superbiam malorum esse fontem (vt Paulus Apostolus ait) contrarium ægritudini remediũ docendo conficiens, quasi fundamentum quoddam forte, atque munitum hanc primum sententiam collocauit. Si quidem vnusquisque humilitate supposita, tutissime cuncta alia superponit ædificans, hac vero subducta, etiam si ad ipsum vsque cælum conuersationis sublimitate peruenias, simul omnia subtrahuntur, atque in finem pessimum relabuntur. Quod pharisæo legimus accidisse, qui cum ad ipsum virtutis cacumen ascenderet, amittens simul vniuersa descendit, quia scilicet non habuit matrem bonorum. Quia igitur discipuli indigebant maxima cautione post signa, post honorem ab vniuerso sibi pene orbe delatum; (non enim diuitiæ, non potentia, non ipsum omnino regnum ita quemquam poterant efferre, vt ea, quæ beatis Apostolis suppetebant. Quinimmo etiam antequam potestatem acciperent signa faciendi, abunde extolli quibant, cum viderent magistrum theatro illo vndique admirante circumdari, per quod certe pati poterant aliquid humanum). idcirco in primis mentes eorum humiliat, & comprimit: & vt sermonem suum faciat gratiorem, doctrinam suam non sub specie mandatorum, sed beatitudinis posuit. Beati, qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Et certe isti infelices ab hominibus iudicantur. Sed idcirco ante doctrinam signa præmisit, vt facillime crederent talia sentienti. Verum hic quoque non simpliciter lugentes posuit, sed propter peccata lugentes. Quippe cum illud aliud etiam vehementer vetetur de sæcularium scilicet rerum dispendijs, quod significabat & beatus Paulus Apostolus, dicendo: Quoniam sæculi quidem tristitia mortem operatur, quæ autem secundum Deum est tristitia, pœnitentiam in salutem stabilem operatur. Istos hic igitur beatos, atque felices vocat, qui vtilem voluerunt habere tristitiam. Et non simpliciter posuit tristes, sed omnino cum cumulo, non mærentes, sed lugentes. Siquidem præceptum istud totius philosophiæ magisterium est. Si enim illi, qui vel filios lugent, vel coniuges, vel alium quempiam suorum proximorum, toto illo doloris sui tempore non pecuniarum, atque diuitiarum tenentur amore, non corporum, non gloriam concupiscunt, non consummuntur inuidia, non iniurijs permouentur, non alijs vitijs obsidentur, vtpote solis luctibus mancipati, multo magis, qui propria peccata lugent, ac detestantur, sicut ea lugere dignum est, celsiorem philosophiam mentis ostendunt. Deinde præmium illis aptissimum ponens: Quoniam ipsi, inquit, consolabuntur. Vbi vero, dic mihi, consolabuntur? Et hic profecto, & quod est amplius in futuro. Quia enim præceptum ipsum valde videbatur onerosum, atque vehementer molestum, hoc se promisit daturum, quod illud quàm maxime leue possit efficere. itaque si velis consolari, luge. Lugere autem iubet non tantum propria peccata, sed etiam aliena. Quales etiam sanctorum orationes fuerunt, vt Moysi, vt Samuelis prophetæ, vt Pauli Apostoli, isti quippe omnes aliena peccata lugebant. Beati, inquit, mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Dic, quæso quam terram? Terram quidam intelligibilem dicunt. Sed hoc omnino falsum est, sed sensibile hic præmium pollicetur, sicut & prius: Honora patrem tuum, & matrem tuam, vt sis longæuus super teram. Neque enim de futuris solummodo, verum etiam de præsentibus cohortatur, propter tardiores scilicet auditores, & antequam futura veniant, præsentia requirentes. Sic Christus spiritualibus sensibilia miscebat. Quia ergo mitis quisque propria putatur amittere, contrarium pollicetur dicens, quod ipse sit, qui tutissime cuncta possideat, non audax scilicet, & proteruus. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Considera quanta idipsum exaggeratione cumulauerit. Non enim dixit: beati, qui iustitiam seruant, sed beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, vt non vtique mediocriter, sed cum omni illam cupiditate teneamus. Iustitiam vocat hic virtutem illam, quæ ex aduerso auaritiæ collocatur. Quoniam ipsi saturabuntur. Quia enim pluri-

1. Tim. 3.

Isa. 66.

Psal. 50.

Dan. 3.

Luc. 18.

3

Exo. 17. & 32. 4 Reg. 15. Roma. 9.

Deut. 5.

4

mos diuites facere putatur auatitia, dicit hoc esse contrarium, magisq. id præstare iustitiam. Noli igitur iustitiam exercens formidare pauperiem, neque famem timere, cum certe illi magis omnibus bonis excidant, qui aliena diripiunt, vt ex aduerso ille, qui iustitiã diligit, tutissime omnia bona possidet. Si enim qui aliena non inuadunt, tanta rerum vbertate potiuntur, quanto magis, qui propria fideliter largiuntur? Beati misericordes. Hic non pecuniarum solummodo erogatores designare mihi misericordes videtur, sed idipsum cum aliorum quoque mandatorum obseruatione facientes. Quoniam ipsi misericordiam consequentur; huius virtutis præmium est. Et videtur quidem æqualis esse retributio, sed est tamen longe ipsa virtute præstantior. Isti enim quasi homines profecto miserentur, cum ab omnium Deo misericordiam consequantur. Par autem non est humana miseratio, atque diuina, sed quantum beneuolentiæ, malitiæq. discrimen est, tantum ab illa ista discernitur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Mundos hic appellat, aut vniuersalem virtutem tenentes, & nullius sibi mali cõscios, aut continentia conspicuos. Nihil enim nobis ita opus est ad videndum Deum, vt istius puritate virtutis. Propter quod Paulus Apostolus ait: Pacem sectamini, & sanctimoniam, *Heb.12.* sine qua nemo videbit Deum. Beati pacifici. Hic non modo dissentire illos prohibet, atque aduersum se mutuo dimicare, sed aliud quiddam maius inquirere, scilicet, vt etiam alios dissidentes in sacram studeant reuocare concordiam. Dicitur autem de his, quoniam filij Dei vocabuntur: siquidem vnigeniti hoc præcipuum opus fuit, distantia copulare, conciliare pugnantia. Deinde ne opineris bonam esse vbique pacem, subiungit: Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, ideſt, pro virtute, atque pietate, pro defensione ceterorum. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint, &c. Quidnam possit his præceptis inusitatius inueniri, per quæ 6 illa nobis desideranda dicit, quæ alij putant esse fugienda? Egere dico, atque lugere, persecutionem pati, audire maledicta, idq. facile persuasit vniuerso iam pene mundo, cumque dicerentur illa, quæ videntur onerose, & grauia, contraque multorum consuetudinem venientia, nihilominus admirabatur venerans omnia illa audientium multitudo, tanta quippe erat virtus docentis. In cunctis autem his omnibus octo, quæ hic iusserat, beatitudinem posuit, vt ne quid sensibile sperandum putares. neque enim esset beatum talibus coronari, quæ in præsenti vita continuo soluuntur, ac defluunt, & fugacius, quàm vmbra præteruolant. Beati estis, cum maledixerint vobis homines, & exprobrauerint. Nescio quomodo omnibus pene rebus amarius solent mordere maledicta. In periculis quippe multa sunt, quæ laborem ipsum faciunt leuiorem, vt multorum exhortatione succendi, vt habere plurimos applaudentes, dignisq. passionem ipsam præconijs coronantes. In maledictionibus vero etiam consolatio ipsa subducitur. Iob omni lapide, atque adamante tolerantior, cum qui- *Iob.11.& 19.& 22.* dem patrimonium amitteret, malaq. innume- *& fere per* ra sustineret, cumque subito numerosa sobo- *totum.* le esset orbatus, cum quasi fontem quemdam vermium toto videret corpore bullientem, perfacile cuncta superauit; vbi vero exprobrare sibi amicos vidit, & malignam illam de se existimationem fouere, & dicere, quod talia propter peccata pateretur, ac malitiæ suæ solueret vltionem, tunc demum vtique turbatus est ille vir maximus, ille fortissimus. Dauid quoque omittens cuncta, quæ pertulit pro male- *2.Reg.16.* dicto patienter audito, vicem a Domino reposcebat: Dimitte, inquit, vt maledicat, quoniam Dominus mandauit ei, vt videat afflictionem meam, & reddat mihi pro maledictione hac in die illa. Considera vero post quot mandata idipsum locarit. Non enim 7 hoc absque certa ratione fecit, sed quia voluit ostendere, quod nisi quis illis, quas superius posuit, armatus fuerit, ornatusque virtutibus, ad hæc nequaquam possit prodire certamina. Propterea de priore semper etiam mandato sequentis viam struens, auream quamdam nobis catenam texuit. Cum enim quis humilis fuerit, erit consequenter & mitis: qui autem mitis, etiam peccata lugebit: qui vero ob peccata luget, esurit, sititq. iustitiam: qui iustus est, iste etiam misericors: qui & misericos fuerit, & iustus, idem etiam compunctus, & mundo corde: qui vero talis est, erit etiam pacificus: porro qui ista perfecerit, absque dubio ad pericula præparatus, nec ad maledicta prorsus vlla terrebitur.

8 IDEM sic habet. Beati pauperes spiritu. Pauper spiritu est humilis corde, ideſt, pauperem spiritum habens, qui non magna sapit de se. Sicut ex diuerso diues spiritu intelligitur magna de se sapiens, & superbus, qui non implet præceptum Christi dicentis: *Matt. 18.* Nisi conuersi fueritis, & efficiamini sicut parnuuli, non intrabitis in regnum cælorum. Qui enim iam conuersus factus est sicut puer, ille est & pauper spiritu: & qui pauper est spiritu, ille conuersus factus est sicut puer. Et quia perditionis initium a superbia cœpit per diabolum, initiumq. salutis ab humilitate per Christum, propterea conuenienter & omnium beatitudinum humilitatem fecit initium. Et quare non manifeste dixit, humiles spiritu? Vt non solum humiles ostendat, sed etiam indigentes humiles, qui sic sunt humiles, vt semper adiutorium Dei sint mendicantes. Vnde in Græco non dicit: Beati pauperes, sed beati egeni, vel beati mendici. Nam pauper est, qui angustiam habet, non tantam, vt mendicare cogatur. Ergo ideo dicit: Beati mendici spiritu, vt in vltima necessitate humiles ostendat, qui adiutorium Dei pulsare non cessant, & mendicare, dum nimis timent de se. Subdit: Quoniam ipsorum est regnum cælorum. Quid enim aliorum alias studentium non est regnum cælorum? Etiam. Nam sicut cetera vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia, sic & omnes virtutes inducunt in regnum cælorum, maxime tamen humilitas, quę omnium bonorum radix est, sicut superbia omnium malorum; & quia proprium est, vt qui se exaltat, humilietur, sic & qui se humiliat exaltetur. Beati, qui lugent. Et qui sua quidẽ peccata lugẽt, beati sunt, sed mediocres beati, beatiores autem sunt, qui aliena lugent peccata, quoniam qui aliena lugent peccata, non habẽt sua, quæ lugeant, nisi leuia. Tales conuenit esse doctores omnes, & qui sunt super montem. Nã cum sint omnes doctores populi Christiani patres, quomodo possunt esse sine luctu, cum videant quotidie Christianorum animas vsque ad infernum cadentes? Nam de Angelis, qui exituri sunt in fine sæculi, vt signẽt seruos Dei, *Ezech.9* qui lugent de alienis peccatis, sic scriptum est: Ite per Hierusalem, & signate omnes, qui lugent super iniquitates, quæ sunt in medio Hierusalem. Quoniam ipsi consolabuntur. Si consolatio lugentium est cessatio luctus pœnæ, quoniam qui sua lugent peccata, consecuti indulgentiam consolabuntur in sæculo illo, qui aliena lugent peccata, quomodo in sæculo illo consolabuntur? Numquid desinent de peccatoribus lugere? Etiam. Quoniam quamdiu sunt in mundo, omnes peccantes lugent, sed in cælo depositio luctu consolabuntur in sua beatitudine lætantes. Beati mites, vel mansueti. Mansuetus enim neque irritat malum, neque irritatur a malo, neque aduersus eum prævalet causa peccati, neque aduersus alterum aliquando ex illo nascitur causa peccandi, sed magis contentus est iniuriam pati, quàm facere. Ille est ergo vere mansuetus, qui cum nocitus fuerit, nec cogitat facere malum, nec facit. Quoniam ipsi hereditabunt *Psal.36.* terram. Sine dubio terram viuorum, de qua scriptum est: Credo videre bona Domini in terra viuentium. Terra autem hæc, quamdiu est in hoc statu terra est mortuorum, quia vanitati subiecta est, cum autem liberata fuerit de corruptionis seruitute in libertatem gloriæ filiorum Dei, terra fit viuorum, vt immortales hereditent immortalitatem. Alij dicunt, 10 quia corpus nostrum terra est, & quamdiu quidem subiaceat morti terra est mortuorum, cum autem fuerit transformatum, & conforme factum corpori gloriæ Christi, erit terra viuorum, & hereditabunt eam æternam æterni, & spiritualem, & sanctam spirituales & sancti. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Esurire, & sitire iustitiam, est desiderare iustitiam Dei; & siue faciãt homines iustitiam Dei, siue audiant, non quasi inuiti audiant, vel faciant iustitiam Dei, sed ex desiderio cordis, ex amore boni bonum operantes. Vnde Dominus per Ioannem non omnes simpliciter vocabat ad potum, sed tantummodo sitientes, dicens: Qui sitit, veniat ad me, & bibat. Æsti- *Ioan.7.* mo, quod non sine ratione esurire dixit iustitiam, & sitire: nunc ergo esurit iustitiam, qui secundum iustitiam Dei desiderat conuersari. Quoniam ipsi saturabuntur; videlicet largitate remunerationis Dei: quoniam maiora erunt præmia Dei, quàm desideria sanctorum. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Non tantum ille misericors est, qui miseretur pauperis, aut pupilli, aut viduæ, hæc enim misericordia & apud illos inuenitur frequenter, qui non agnoscunt Deum: ille autem misericors est, qui & inimico proprio miseretur, & benefacit ei, secundum, quod scriptum est: Diligite inimicos ve- *Lucæ 6.* stros, & benefacite his, qui vos oderunt. Vnde & ita dicit: Estote misericordes, sicut & Pa- *Ibidem.* ter vester misericors est. Beati mundo corde, *Luc. 6.* quoniam ipsi Deum videbunt. Mundo corde sunt, qui non solum non faciunt malum, nec cogitant, sed adhuc etiam, qui omne bonum & faciunt semper, & cogitant. Qui autem omnem iustitiã facit, & cogitat mente sua, Deum videt, quoniam iustitia imago est Dei; qui iustitiam facit, Deum videt, licet imperfecte, & secundum possibilitatem humanam. Hoc ipso 11 modo, & qui male agit, & cogitat, diabolum videt, quia omne malum diaboli est figura. in sæculo autem futuro mundi corde Deum videbunt facie ad faciem. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Pax est vnigenitus Dei, de quo dicit Paulus Apostolus: Ipse est *Ephes.2.* pax nostra. Qui ergo pacem diligunt, filij sunt pacis. Pacifici autem non solum dicuntur, qui inimicos in pace reconciliant, sed etiam illi, qui immemores sunt malorum, ipsi diligunt pacem. Multi enim sunt, qui aliorum quidem inimicos libenter in pace reconciliant, & ipsi inimicis suis numquam ex corde reconciliantur: isti tales illusores sunt pacis, non amatores: pax enim bona est, quæ in corde posita est, non in verbis. Vis cognoscere, qui est vere pacificus? Audi prophetam dicentem: Cohibe *Psal.33.* linguam tuam a malo, & labia tua, ne loquantur dolum, ideſt, lingua tua malum sermonem non dicat. Illius labia dolum loquuntur, qui pacẽ portat in labijs, & malitiã seruat in corde. Inquire pacem, & sequere eam. Non dixit: si te pax sequatur, suscipe eam, sed etsi te fugerit, sequere eam. Vt puta (si quod humanum est) cum aliquo feceris litem, si quidem ille te prius inuitat ad pacem, pax te sequitur, cum gaudio suscipe eam: quòd si ille quasi malus permanet in malo, pax absconditur ab oculis tuis, tu quasi filius pacis pulsa ianuam pacis, & hoc est inquirere pacem. Ne dicas, ille mihi prior iniuriam fecit, & prius me debet rogare. Quære pacem, vt inuenias præmiũ pacis, & filius Dei voceris. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Non posuit Dominus personas persequentium, sed solam causam persecutionis, vt tu non aspicias quis te persequitur, sed vt quid te per-

sequatur. Beati eritis, cum vos oderint homines, & exprobrauerint. Postquam locutus est de persecutionibus sustinendis, tanquam si respondeat quis ad eum: Domine quid si persecutionem passi fuerimus propter te, vel propter iustitiam tuam, in opprobrium autem venerimus, & in blasphemiam hominum iniquorum? Beati, inquit, eritis, cum vos exprobrauerint homines. Ecce multi homines propter causam quidem Dei fiunt nobis inimici, sed non aperte persequuntur nos, forsitan quia nec possunt, tamen circumeuntes omnia, blasphemant nos, & dicunt de nobis, quæ sunt probrosa. Beati eritis, cum vos exprobrauerint homines. Vt ergo blasphematus sit beatus, duo hæc conuenire debent, vt mendaciter blasphemetur, & propter Deum blasphemetur. Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in cælo. Quis potest blasphematus mendaciter, non dicam gaudere, sed magnanimiter ferre? Qui concupiscit, quæ in cælo sunt, opprobria non timet in terra, nec cogitat quid loquantur homines propter ipsum, sed quid iudicet Deus de ipso. Qui gloriam quærit in terris, confusionem timet in terris, qui gloriam quærit in cælis, confusionem tantum timet Dei.

AVGVSTINVS inquit. Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Legimus scriptum de appetitione rerum temporalium: Omnia vanitas, & præsumptio spiritus. Præsumptio autem spiritus audaciam, & superbiam significat. Vulgo etiam magnos spiritus superbi habere dicuntur: & recte, quādoquidem spiritus etiam ventus vocatur. Quis vero nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento distentos? Quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu humiles, & timentes Deum, idest, non habentes inflantem spiritum. Nec aliunde omnino incipere oportuit beatitudo, siquidem peruentura est ad summam sapientiam: Initium autem sapientiæ timor Domini. Quoniam & e contrario, initium omnis peccati superbia scribitur. Superbi autem appetunt, & diligunt regna terrarum. Beati autem pauperes spiritu, quoniā ipsorum est regnum cælorum. Beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram. Illam credo terram, de qua in psalmo dicitur: Spes mea tu, portio mea in terra viuentium. Significat enim quamdam soliditatem, & stabilitatem hereditatis perpetuæ, vbi anima per bonum affectum tanquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra, & inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra, ipsa est requies, & vita sanctorum: Mites autem sunt, qui cedunt improbitatibus, & non resistunt malo, sed vincunt in bono malum. Rixentur ergo immites, & dimicent pro terrenis, & temporalibus rebus. Beati autem mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram, de qua pelli non possunt. Beati lugentes, quoniam ipsi consolabuntur. Luctus est tristitia de amissione charorum; conuersi autem ad Deum, ea, quæ in hoc mundo chara amplectebantur, amittunt. Non enim gaudent his rebus, quibus ante gaudebant, & donec fiat in illis amor æternorum, nonnulla mœstitia saucciantur. Consolabuntur ergo Spiritu sancto, qui maxime propterea Paracletus nominatur, ideſt, consolator, vt tēporalia amittentes, æterna lætitia perfruantur. Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam; quoniam ipsi saturabuntur. Iam istos amatores dicit veri, & inconcussi boni. Illo ergo cibo saturabuntur, de quo ipse Dominus dicit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, quod est iustitia, & illa aquā, de qua quisquis biberit, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus. Beatos esse dicit, qui subueniunt miseris, quòd eis ita rependitur, vt de miseria liberentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hoc est mūdum cor, quod est simplex cor, & quemadmodum lumen hoc videri non potest, nisi oculis mundis, ita nec Deus videtur, nisi mundum sit illud, quo videri potest. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. In pace perfectio est, vbi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quoniam nihil in his resistit Deo, & vtique filij similitudinem patris habere debent. Pacifici autem in semetipsis sunt, qui omnes animi sui motus componentes, & subiacentes rationi, & spiritui, carnalesq. concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei. In quo ita sunt ordinata omnia, vt id, quod est in homine præcipuum, & excellens, hoc imperet, ceteris non reluctantibus, quæ sunt nobis, bestijsq. communia. Atque idipsum, quod excellit in homine, ideſt, mens, & ratio subijciatur potiori, Deo scilicet: neque enim imperare inferioribus potest, nisi superiori se subijciat. Et hæc est pax, quæ datur in terra hominibus bonæ voluntatis, hæc vita consummati, perfectiq. sapientis. De huiusmodi regno pacatissimo, & ordinatissimo missus est foras princeps huius sæculi, qui peruersis, inordinatisq. dominatur.

IDEM sic habet. Beati pauperes spiritu, imitamini eum, qui propter vos pauper factus est, cum dines esset. Beati mites, imitamini eū, qui dixit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Beati lugentes, imitamini eum, qui fleuit super Hierusalem. Beati, qui esuriūt, & sitiunt iustitiam, imitamini eum, qui dixit: Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me. Beati misericordes, imitamini eum, qui vulnerato a latronibus, & in via iacenti semiuiuo, desperatoq. subuenit. Beati mundo corde, imitamini eum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Beati pacifici, imitamini eum, qui pro suis persecutoribus dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, imitamini eum, qui pro vobis passus est, vobis relinquens exēplum, vt sequamini vestigia eius. Hæc qui imitantur, in his agnum sequuntur.

IDEM

IDEM explicans illa verba; Deus iudiciū tuum regi da, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio, dicit. Quod ait prius populum tuum, hoc ait posterius pauperes tuos. Vbi sane demonstrat populum Dei pauperem esse debere, ideſt non superbum, sed humilem: Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qua pauertate beatus Iob etiam pauper fuit antequā magnas illas, terrenasque diuitias amisisset. Quod ideo commemorandum putaui, quoniā sunt quidā, qui facilius omnia sua pauperibus distribuunt, quàm ipsi pauperes Dei fiant: inflati sunt enim iactātia, qua putant sibi esse tribuendum non gratiæ Dei, diuites sui sunt, non pauperes Dei, abundātes sibi, nō egentes Deo. Sed ait Paulus: Si distribuero omnia mea pauperibus, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Tamquam si diceret, Si distribuero omnia mea pauperibus, & pauper Dei non fuero, nihil mihi prodest. Et ideo tales nō pertinent ad populum Dei, quia non sunt pauperes Dei. Pauperes quidem Dei dicunt: Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ a Deo donata sunt nobis.

BERNARDVS ait. Beati pauperes spiritu. Eructat Dominus abscondita a constitutione mundi: quid enim tam absconditum, quàm paupertatem esse beatam? Vere eius est hæc doctrina, qui in Apocalypsi loquitur: Ecce noua facio omnia. Sed non simpliciter pauperes nominat, propter plebeios pauperes necessitate miserabili, non laudabili voluntate. Spero equidem profuturā eis apud diuinæ bonitatis misericordiam hanc ipsam afflictionis suæ miseriam; scio tamen Dominum hoc in loco non de huiusmodi fuisse locutum, sed de his qui possunt dicere cum Propheta: Voluntarie sacrificabo tibi. Attamen nec voluntaria quidem paupertas omnis, laudē habet apud Deū. nam & philosophi omnia sua reliquisse leguntur, vt expediti mundialibus curis, studio vanitatis possent vacare liberius, & nolebāt sensu abundare terreno, vt abundarent magis in sensu suo. Hoc discernit, quod dictum est, spiritu, ideſt spirituali voluntate. Beati vero pauperes spiritu, spirituali scilicet intentione, desiderio spirituali, propter solum beneplacitū Dei; horum est regnum cælorum. Et vere fratres, si miserrimus ille e cælo deiectus est, quoniam affectauit celsitudinem, altitudinem concupiuit, sublimitatem præsumpsit, nonne consequens est beatos esse, qui sponte in paupertatis humilitatem sese deponunt? Et attende quàm sapienter ordinauerit sapientia contra peccatum primum, remedium primum opponens. Ac si apertius dicat, vis obtinere cælum, quod perdidit superbiens angelus, qui confisus est in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum? Paupertatis vilitate amplectere, & tuum erit. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Bene optime, sic enim oportebat commendata paupertate, etiam mansuetudinem prædicari, quoniā relinquentibus omnia prima solet esse tentatio de molestijs corporis, & afflictione carnis insolita. Quid vero paupertas proderit, si (quod absit) pauper in murmurationem deueniat, factus exasperans, & impatiens disciplinę? Optime quoque post regni promissionem, minus aliud regnum velut in arram datur, vt secundum Scripturarum promissionem habeamus vitæ eius, quæ nunc est pariter & futuræ, & de exhibitione præsentium firma sit expectatio futurorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebūt terram. Hanc ergo terram corpus nostrum intelligo. Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat super membra sua, necesse est vt sit ipsa mitis, & superiori suo subiecta, quoniam tale inueniet inferius suum, qualem se exhibuerit superiori. Armatur enim creatura ad vlciscēdam sui iniuriam creatoris. Et ideo nouerit anima, quæ rebellem sibi inuenit carnem suā, se quoque minus, quàm oporteat superioribus potestatibus esse subiectam. Mansuescat ipsa, & humilietur sub potenti manu Altissimi, subiecta sit Deo, & prælatis, & continuo corpus suum inueniet obediens & subiectum. Veritas enim est, quæ loquitur: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Sed iam fortasis ad hanc Domini vocem desiderio mansuetudinis æstuas, & conquæreris super asperitate cordis tui, & beluinis quibusdam motibus, atq; indomita feritate. Attende quod sequitur: Beati, qui lugent, quoniā ipsi consolabuntur. Equum indomitum flagella domant, animam immitem contritio spiritus, & assiduitas lachrymarum. Ergo in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, mortis horrorem, iudicij horrendum discrimen, gehennæ metum, cogita peregrinationis tuæ miseriam, recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ vitæ, humanæ pericula, fragilitatem propriam, & si in huiusmodi cogitatione perseueraueris, parum senties quidquid foris videtur esse molestum, dum toto corde circa inferiorem molestiam occuparis. Sed nec patietur Dominus sine cōsolatione te esse, qui Pater est totius consolationis; & complebitur omnino, quod Veritas pollicetur: Beati, qui lugent, quoniam ipsi cōsolabuntur. Verum quid aliud est hæc cōsolatio, quàm procedens de spe veniæ gratia deuotionis, & suauissima delectatio boni, & gustus sapientiæ, licet exiguus, quibus interim benignus Dominus afflictā refrigerat animā? Sed gustus ille nihil aliud est, quàm irritamentum desiderij, & incentiuū amoris, sicut scriptū est: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Propterea illico subinfertur: Beati, qui esuriunt, & sitiunt iustitiā, quoniam ipsi saturabuntur. Qui esurit, esuriat amplius, & qui desiderat, abundantius adhuc desideret, quoniam quantumcumque desiderare potuerit, tantum est accepturus. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Sic oportet fieri fratres, vt numquā propter alium homo peccet, quod est iustitiæ,

& libenter aliena peccata portet, quod est misericordiæ. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati plane, & omnino beati, qui videbunt, in quem desiderant Angeli
Psal. 26. prospicere. Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram. Quid enim est in cælo, & a te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor
Psal. 72. meum, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Væ mihi ab immunditia cordis mei, qua impediente necdum mereor ad beatam illam visionem admitti. Quanta sollicitudine danda est opera, vt mundari possit oculus, quo videndus est Deus? Et ego triplici sorde inquinari me sentio, concupiscentia carnis, & concupiscentia gloriæ temporalis, & præteritorum conscientia delictorum. His liberari debet homo, vt mundus Deum videat. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Merito filij nomine vocabuntur, qui Filij opus impleuerint: ipse enim est, per quem reconciliati pacem habemus ad Deum. Ipse, qui pacificauit per sanguinem suum, quæ in cælis sunt, & quæ super terram, mediator Dei, & hominis Dominus Christus Iesus. Et at-
20 tende quemadmodum in tribus quidem prioribus sibiipsi reconciliatur anima, in duobus quæ sequuntur proximo, in sexto Deo. In septimo etiam alios reconciliat, tamquam receptus in gratiam Domini, & felici familiaritate donatus. Nam paupertate, mansuetudine, & fletu renouatur in anima similitudo quædam, & imago æternitatis omnia tempora complectentis, dum paupertate futura meretur, mansuetudine sibi præsentia vendicat, luctu pœnitentiæ præterita quoque recuperat. Porro iustitia, & misericordia perfecte proximo cohæremus, dum quidquid nolumus nobis fieri alijs non faciamus per iustitiam, & quæcumque volumus vt faciant nobis homines, & nos faciamus illis per misericordiam: iam reconciliati nobis, recõciliati etiam proximo, fiducialiter per munditiam cordis recõciliamur Deo. Beati vero, qui de sua reconciliatione non ingrati, & pro fratribus suis pie solliciti, eos quoque quantum præualent, & sibi, & Deo reconciliare laborant. Octaua beatitudo martyrum est prærogatiua; Beati, qui persecutionem patiuntur propter iustitiã, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Verumtamen quid sibi vult, quod eadem promissio facta est pauperibus, & martyribus, nisi quia vere martyrij genus voluntaria paupertas est? Beatus vir, ait Propheta, qui post au-
Eccli. 31. rum non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Quis est hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita sua. Quid mirabilius, aut quod martyrium grauius est, quàm inter epulas esurire, inter vestes multas & pretiosas algere, paupertate premi inter diuitias, quas offert mundus, quas ostentat malignus, quas desiderat noster iste appetitus? Deniq; propterea pauperibus pariter & martyribus regnum cælorum promittitur, quia paupertate quidẽ emitur, sed in passione pro Christo absque omni dilatione percipitur.

21 IDEM sic habet. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Est enim homo pacatus, qui bona pro bonis reddens, quantum in se est nemini vult nocere. Est alius patiens, qui non reddens mala pro malis, etiam potens est sustinere nocentem. Est & pacificus, qui bona pro malis reddens, in promptu habet & prodesse nocenti. Primus quidem paruulus est, & facile scandalizatur. Secundus in patientia sua possidet animam suam. Nam tertius quidem non modo suam possidet, sed & multorum animas lucrifacit. Primus quantum in ipso est, pacem habet. Secundus pacem tenet. Tertius pacem facit. Merito proinde beatificatur nomine filij, quòd opus filij impleuerit, vt post suam non ingratus reconciliationem, etiam alios reconciliet Patri suo. Infra: Ordinem ipsum Dominici sermonis attende. Beati, inquit, mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ac deinde, Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Mundos corde vtiq; vocat Pater cælestis, qui non quærunt quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi, nec quod sibi vtile est, sed quod multis. Hi audiunt: Petre amas me? Pasce oues meas. Hi pacificatores esse debent animarum. Infra: Impudenter pacifici gradum, & filij Dei vices occupat homo, qui nec primam quidem adhuc vocem Domini ad cor reuocantis audiuit, aut si quando forsitan cœperit audire, resiliens fugit ad folia, vt absconderetur, in eis. Necdum factus est vir videns paupertatem suam, sed dicit; Quia diues sum, & nullius egeo, cum sit pauper, & nudus, & miser, & miserabilis. Nihil illi de spiritu mansuetudinis, quo præoccupatos in delicto posit instruere, considerans seipsum, ne & ipse tentetur, compunctionis lachrymas nesciens, lætatur magis, cum malefecerit, & exultat in rebus pessimis. Pecuniam, non iustitiam concupiscunt oculi eius, & omne sublime videt, miserabiliter esurit dignitates, gloriam sitit humanam, procul ab eo misericordiæ viscera, quæstum æstimat pietatem. Quid de munditia cordis loquar? Vtinam non illud obliuioni dedisset tãquam mortuus a corde, vtinam non esset columba seducta non habens cor, vtinam esset vel quod deforis est mundum, nec ea, quæ corporalis est maculata tunica inueniretur, vt obediret, vel in hac parte discenti:

In serm. de conuers. ad cleric. c. 16.
Cap. 27.
Cap. 28.
Ioan. 20.
Tren. 3.
Apo. 3.
Gal. 6.
Prou. 2.
Osea 7.
Isa. 52.
Mundamini, qui fertis vasa Domini.

Virtus in hac vita nusquam est perfecta, vnde semper in ea proficere expedit, etsi laboriosum id sit.

Cap. VIII.

1 Hom. vnica in 1. lib. Regum. to. 1. Exo. 17.

ORIGENES inquit. Vt vinceretur Amalech, manus continuo leuatas habebat Moyses, hoc est opera. Quoniam enim innouari semper iubetur is, qui secundum Euangelium viuit, & cantare Domino iubemur canticum
2. Cor. 4. nouum, & interior homo noster non dixit Paulus quia renouatur, & stetit, sed renouatur de die in diem. Cum ergo Moyse eleuãte manus vincebat Israel, demittente vero, & deijciente deorsum vincebat Amalech. Hæc scripta sunt propter nos, quare intelligere debemus, quia donec famulus Dei eleuat actus suos ad Deũ, & proficit in bono, vincit gens Dei, cum autẽ deiecerit, & demiserit manus, idest actus suos, vincit Amalech inimicus Dei.

2 Lib. 3. in c. 3. ep. ad Roman. to. 3. IDEM explicans verba illa, quæ ex psalmo adducit Paulus; Non est qui faciat bonũ, non est vsq; ad vnum, dicit. Hoc modo intelligẽdum puto, quod neget quenquam fecisse bonitatem; verbi gratia, si quis fundamenta iaciat domus, & vnũ aut duos parietes extruat, aliquid etiam materiæ conuehat, nũquid dicetur fecisse domum, quãuis operatus videatur in domo? Sed ille dicitur domũ fecisse, qui totius ædificij ad perfectum singula quæq; membra produxerit. Ita arbitror & hic Apostolum dicere, neminem fecisse bonitatem, hoc est, a nullo eam ad perfectũ, & ad integrũ cõsumma tã esse. Si autẽ requiramus, qui sit vere bonus, & qui perfectam fecerit bonitatẽ, illum inueniemus solũ, qui dicit: Ego sum pastor bonus.
Ioan. 10.

3 Lib. 6. in c. 6. ep. ad Romanos. IDEM exponens verba illa; Gratia Deo, quia fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis, ait. Serui omnes fuimus peccati, sed vbi tradita est nobis forma doctrinæ, & huic non vtcumq; neq; solis verbis, sed ex corde, & animo, ex tota deuotione elegimus obedire, liberamur a seruitute peccati, & efficimur serui iustitiæ. Quam autem dixit formam doctrinæ, in qua traditi estis, requirendum puto quomodo vnusquisque tradatur. Inuenimus namq; quia eos, qui non probant habere Deum in notitia, tradat Deus secũdum desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumelijs afficiant corpora sua in semetipsis, & alios, qui commutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, tradat in passiones ignominiæ. Et hic ergo, qui semetipsos exhibent seruos per obedientiam iustitiæ, Deus tradidit, vt instituantur, & imbuãtur secũdum formam iustitiæ doctrinæ. Mouet me etiam hoc, quod non dixit, obedistis ex corde doctrinæ, in qua traditi estis, sed formã doctrinæ posuit. Nec puto quod vnum esse sentiat Apostolus doctrinam, & formam doctrinæ, sed mihi videtur, quod formam doctrinæ minus esse scierit, quàm ipsam doctrinam. Et
Sap. 1. nunc quidem in præsenti vita, dum in hoc corpore sumus, & aggrauat terrenum hoc habitaculum sensum multa cogitantem, formam doctrinæ habemus, nõ ipsam doctrinam, sicut idẽ Apostolus in alijs dicit: Nunc autem videmus
1. Cor. 13. per speculum in ænigmate. Ipsa autem doctrina sit, de qua dicit: Tunc autem videbimus facie ad faciem. Vnde & in præsenti vita puto, quod formam, atq; vmbram virtutum tenere possimus, ipsas vero virtutes tunc, cum venerint illa, quæ perfecta sunt. Et ideo iustus magis, vt mihi videtur, in vmbra virtutũ, quàm in ipsis virtutibus vixit; & ob hoc fortasis Hie-
Tren. 4. remias in lamentationibus dicit: Spiritus vultus nostri Christus Dominus, in vmbra eius viuemus in gentibus. Quòd si Christus est iustitia, & sapientia, & veritas, & dicimus in vmbra eius viuemus in Gentibus, ergo in vmbra iustitiæ, & in vmbra sapientiæ, & in vmbra veritatis viuimus, etiamsi iusti, & sapientes, & veritatis amatores esse videamur. Propterea ergo dicitur: Si quis se putat cognouisse, nondum cognouit quemadmodum oporteat scire. Hæc sic intelligenda sunt, non quod in iustis viris veræ virtutes non sint, sed quòd virtutes in præsenti sæculo relatæ ad eas, quæ in futuro erunt, imperfectæ sint multum, & tamquam depictæ.

5 Lib. 12. in c. 41. Ezech. to. 4. HIERONYMVS explicans verba illa; Et ingressus intrinsecus mensus est, in fronte portæ duos cubitos, ait. Prius introductus est propheta in templum, & post ingressus est intrinsecus, quia quãtumuis proficiamus, semper nobis maior profectus aperitur. Vnde post introitum templi, rursum ingredimur intrinsecus. Et dixit ad me hoc est sanctum sanctorum. Hoc notandum, quod in descriptione tabernaculi dicuntur sancta sanctorum plurali numero, hic autem, sanctum sanctorum numerò singulari, vt post sancta veniamus ad sanctũ, quomodo post multa cantica peruenimus ad Cãticũ Canticorũ, quod omniũ carminũ carmẽ est, & quod canẽtes spõsi copulamus amplexibus.

6 Lib. 1. Hexam. cap. 7. to. 1. AMBROSIVS exponẽs illa verba; Terra erat inuisibilis, & incomposita (siue inanis, & vacua, vt nostra habet lectio) sic ait. Merito terra tunc inuisibilis dicitur condita, quia incomposita, quæ figuram, & speciem congruentem adhuc nõ acceperat a Deo. Et fortasse dicant, cur Deus sicut dixit & facta sunt, non simul ornatus congruos rebus assurgentibus donauit elementis, quasi non potuerit cælum insignitum stellis subito vt creatum est refulgere, ac floribus, ac fructibus terra vestiri? Potuit vtique, sed ideo primo facta postea composita declarantur, vt imitatores sui nos efficeret Deus, vt primo faciamus aliqua, postea venustemus, ne dum simul vtrumque adorimur, neutrum possimus implere. Fides autem nostra quoddam gradu crescit. Ideo primum fecit Deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornasse, qui fecit, & fecisse,

Ioan. 11. qui ornauerit. Habes in Euangelio huius rei euidens testimonium. Nam suscitaturus Lazarum Dominus, iussit vt Iudæi remouerent lapidem de sepulchro, vt mortuum videntes, postea resuscitatum crederent. Deinde vocauit Lazarum, & resurrexit, & ligatis manibus & pedibus exijt foras. Nonne poterat remouere lapidem, qui poterat mortuum suscitare? Et qui potuit defuncto vitam reddere, non potuit nexus soluere vinculorum? Sed vtique aduertimus quòd voluit primo demõstrare mortuum, vt oculis suis crederent, deinde resuscitare, tertio iubere, vt ipsi vincula funeris soluerent, vt inter ista fides infunderetur infidelibus, & per gradus quosdam credulitas nasceretur.

7 IDEM ostendit sagacitatem multorũ animalium, sic inquiens. Est in natura quadrupedum, quod imitari nos sermo adhortatur propheticus; quo exemplo caueamus desidiã, exiguitate vel infirmitate corporis a virtutis studio non reflectamur, neq; reuocemur ab vllius propositi magnitudine. Exigua enim est formica, quæ maiora suis audet viribus, neq; seruitio ad operandũ cogitur, sed spontaneæ proposito prospicientiæ futura alimẽtorum subsidia sibi parat. cuius vt imiteris industriã Scriptura commonet te, dicens: Vade ad formicã, o piger, & æmulare vias eius, & esto illa sapiẽtior. Illa enim nullam culturam possidet, neque eam, quæ se cogat, habens, neque sub domino agens, quemadmodum præparat escam, quæ de tuis laboribus sibi messem recondit, & cum tu plerumque egeas, illa non indiget. Nulla sunt ei clausa horrea, nullæ impenetrabiles custodiæ, nulli inuiolabiles acerui. Spectat custos, furtaq. prohibere non audet. Nigro cõuectatur agmine prẽda, per campos ferunt semitæ comitatu viantium, & quæ cõprehendi angusto ore non possunt, humeris grandia frumenta truduntur. Spectat hæc dominus messis, & erubescit tam parca piæ industriæ negare compendia.

8 IDEM dicit. Nulla est sine labore virtus, quia labor processus virtutis est. Quod etiam legis verba significant, quæ dicit, Omne, quod aperit vuluam asinæ mutabis oue. Immunda enim animalia lex a sacrificio separauit, & pro his ad vicem munda iussit offerri. Asinæ ergo partum, hoc est, immundum iubet mutari oue, quæ munda & apta sacrificio est. Hoc est secũdum litteram. Ceterum, si quis sensum spiritualis intelligentiæ altius persequatur, considerabit quod asina laboriosum sit animal, ouis fructuosum. Fructu ergo dicit mutandũ laborẽ, vt finis operis sui fructus sit. Vel certe hoc modo omnẽ laborem tuum, omnẽ industriam, puro & simplici cõmendabis affectu. Si autem non mutabis, inquit, redimes; vbi docet liberandam animam tuam, vt desistat ab his, quæ fructum non habent. Qui enim redimit se, liberat, & quodam exuit debito. Relinquenda sunt opera, quæ verum fructum, bonosq. processus habere nõ possunt, qualia sunt ista munLibro 2. de Cain, & Abel. c.2.

Lib. 6. Hexam. cap. 4.

Prou. 6.

dana, quorum vsus non potest esse diuturnus. In quibus ipse nudus, & veri vacuus effectus est, & quamuis summo quæsitus fuerit labore, animam nihil iuuat. Ea enim, quæ seruitutem animæ inferunt, inutilia sunt omnia, etsi non desit effectus. 9 Infrà: Et vt præceptum legis exemplo astruamur, cũ deprimerent Ægyptij Iudæorum populum in operibus varijs, & luto ac latere, ingemuerunt filij Israel, & Domini prouocauerunt in se misericordiam. Et dixit ad Moysen: Ego exaudiui gemitum filiorum Israel, quomodo Ægyptij in seruitutẽ deprimunt eos. Vade, & dic filijs Israel, ego Dominus, & educã vos de potentia Ægyptiorum, & de seruitute eorum, & liberabo vos in brachio excelso, & sumam vos mihi in plebem, & ero vester Deus, & inducã vos in terram, in quam extendi manum meam. Ecce quomodo populus Hebræorum, fructu mutauit laborem, vt qui luto operabatur, spe regni operaretur æterni. Et ideo Dominus in Euangelio inanẽ gentilium miseratus laborem, qui lateres construerent lutulentæ superstitioni, & voluptati corporis dedit solidũ fidei murũ ædificare nõ possent velut ad quosdam asinæ fœtus locutus ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego vos reficiã. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Qua vocatione plenius mihi videor verba legis, & mysteria recognoscere, quia asinã aut commutandam oue docuit, aut redimendam pecunia, vt non solum asinæ partum oue, hoc est mundis immunda mutemus, sed etiam redimamus.

Exo. 3.

Matt. 11.

10 IDEM exponens verba illa; Humanũ dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis mẽbra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitię in sanctificationem, dicit. Dum infirmitatem carnis memorat, minus se significat exigere ab homine, quàm dignum est circa Dei culturam. Et vt occasionem nobis auferret timoris accedẽdi ad fidem, quæ quasi importabilis nobis, & aspera videretur, ea mensura nos Deo seruire præcepit, qua prius famulabamur diabolo, cum vtiq; propensius deberemus seruire Deo, quàm diabolo: quippe cũ hic salus, illic damnatio operetur: medicus tamen spiritualis nõ plus a nobis exigit, ne, dum præcepta quasi gravia fugeremus, perpendentes infirmitatem nostram, maneremus in morte.

In c. 6. epi. Pau. ad Roman. to. 5.

11 AVGVSTINVS inquit. Neq; enim similitudo pia est, si velimus ita similes esse Deo, vt & nos ab operibus nostris requiescamus in nobis, sicut ipse requieuit in se ab operib. suis. In quodã quippe incõmutabili bono requiescere debemus, quod ille nobis est, qui nos fecit. Hęc igitur erit summa, & pia requies nostra, vt sicut ipse requieuit ab omnibus operibus suis, quia non ei opera sua, sed ipse sibi bonum est, quo beatus est, ita nos ab omnibus operibus non tantum nostris, verumetiã ipsius, nonnisi in illo requieturos nos esse speremus, idq. desideremus post bona opera nostra, quæ in nobis agnosci-

Libro 4. de Genesi ad litterã. to. 3.

agnoscimus illius potius esse, quàm nostra, vt etiam sic post bona opera sua ipse requiescat in nobis, cum post bona opera, quæ ab illo iustificati fecerimus, in se nobis requiẽ præstat. Magnum est nobis ab illo extitisse, sed maius erit in illo requieuisse. Sicut ipse non ideo beatus est, quia hæc fecit, sed quia etiam factis non egens, in se potius, quàm in ipsis requieuit: vnde non operis, sed quietis diem sanctificauit, quia non hæc faciendo, sed eis, quæ fecit, non egendo, se beatum intimauit. Et quod apud illum quidem quieti eius nec mane, nec vespera est, quia nec aperitur initio, nec clauditur fine, perfectis autem operibus eius mane habet, & vesperam non habet, perfecta quippe creatura habet quoddam initium suæ conuersionis ad quietem Creatoris sui, sed illa non habet finẽ quasi terminum perfectionis suæ, sicut ea, quæ facta sunt. Quies ergo Dei, nec initium habet, nec terminum, creaturæ autem habet initium, sed nõ habet terminum; & ideo septimus dies eidem creaturæ cœpit a mane, sed nullo vespere terminatur, si enim sic intelligere non deberemus, septima dies sicut mane, ita & vesperã habere deberet.

12 IDEM dicit. Pharisæus in hoc errabat, quod sibi addẽdum ad iustitiam nihil putabat, seq. arbitrabatur eius plenitudine saturatum. nihil sibi addi ad virtutem iam petebat. Improbatus est, licet Deo de acceptis bonis gratias ageret, quia veluti saturatus nihil iam de alimentis iustitiæ rogabat accipere, & quod eã Publicano esurienti, & sitienti se velut insultãs prę ferre gestiebat, cum tamen beati sint, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, non qui iam saturati videntur quasi nihil eis desit, vt perfecti sint.

Lib. 2. cont. Pelag. to. 7.

Luc. 18.

13 IDEM exponens illa verba: Deduc me Domine in iustitia tua, propter inimicos meos, ait. Satis hic declarauit in profectione se esse, ideſt, in profectu ad perfectionem, nondum in ipsa perfectione, quãdo vt deducatur exoptat. In tua iustitia autem, non in ea, quæ videtur hominibus. Dirige in conspectu tuo iter meum. Hoc est enim iter, quod non terrarum locis peragitur, sed affectibus. In conspectu, inquit, tuo dirige iter meum.

In ps. 6. to. 8

14 IDEM explicans illa verba; Dirige me in semitam rectã, propter inimicos meos, inquit. Dirige me, non enim inchoare sufficit, cum inimici, donec perueniatur, non quiescãt. Legem pone mihi Domine in via tua. Ad te igitur tendenti, & ad tantam professionem peruenienti, ad sapientiam a timore inchoanti, legem mihi constitue in via tua, ne aberrantem disciplina tua deserat.

In ps. 26.

15 BERNARDVS exponens illa verba; Nigra sum, sed formosa sicut tabernacula Cedar, dicit. Vides ne vnde Ecclesiæ nigredo, vnde pulcherrimis quoque animabus nonnulla rubigo inhæserit? De tabernaculo profecto Cedar, de exercitio laboriosæ militiæ, de diuturnitate miseri incolatus, de angustijs ærumnosi exilij, de corpore denique fragili, & graui, quia corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, &

Serm. 26. in Cantica.

Sap. 9.

deprimit terrena inhabitatio sensũ multa cogitantem. Vnde & gemens vna de miseris aiebat: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Scit nimirum, qui huiusmodi est, quod non possit in tabernaculo Cedar carere ad purum macula, aut ruga, nõ quã tulacumq. nigredine, & cupit exire, vt se possit exuere. Et hæc ratio, cur sponsa nigram se dixerit, sicut tabernacula Cedar.

Roma. 7.

IDEM explicans verba illa; Ego flos campi, sic habet. Aduerte nunc mihi trifarium quemdam floris statum: in campo, in horto, in thalamo. Et in campo quidem, & in horto oritur flos, in thalamo autem minime; redolet, & lucet in eo, nõ tamen erectus, & stans, vt in horto, vel campo, sed plane iacens, tamquam qui allatus sit, nõ innatus. Propterea, & necesse est sane reparare frequenter, & semper recentiores apponere flores, quòd diu odorem suum minime retineant, nec decorem. Quòd si lectulus respersus floribus (vt in alio sermone diximus) conscientia est bonis operibus referta, videsne certe, vt similitudo seruetur, neq; quàm sufficere semel, vel secundo operari, quod bonũ est, nisi incessanter addas noua prioribus, quatenus seminans in benedictionibus, de benedictionibus & metas: Alioquin iacet, & marcet flos boni operis, atque in breui omnis ex eo & nitor exterminatur, & vigor, si non alijs, atque alijs superiectis pietatis actibus continue reparetur: hoc in thalamo.

16 Serm. in c. 3. Cant.

2. Cor. 2.

17 IDEM explicãs verba illa; Dilectus meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ; sic habet. Si dies resurrectionis est, cum aspirauerit dies, quidni multo magis pasci ibi inter lilia iuuet, vbi horum maior admodum copia erit? Sed aduerte, toto licet lilijs fulgentibus regno, sponsoq. medio existente, & deliciante, non tamen esse, quod dicatur, & pasci, iuxta id quidẽ, quod ante consueuerat, dicemus ne aut non fore, aut sponso minime sapere tunc virtutes? Et quidem sentire alterutrum dementiæ est. Sed vide ne forte alias illis delectetur, nam constat delectari, sed forsitam potu magis quàm pastu. Sane in tempore, & corpore isto, nulla nostra virtus ita suauis, & mera, vt sponso habilis sit ad potãdum. Sed qui vult omnes homines Saluos fieri dissimulat multa, & quos non potest potandi interim facilitate glutire, curat ex ea vel quippiam elicere sapidum, quasi arte quadam & quodam labore mandendi. Erit cum erit virtus colabilis, nec premetur dente, nec fatigabitur a mandente, vel potius non fatigabit mandentem, quæ bibentem absque opera delectabit, tamquam vtique potus, non esca. Denique habes spondentem in Euangelio: Quia non bibam de hoc genimine vitis, inquit, donec bibam illud nouum vobiscum in regno patris mei. Et de cibo nulla mentio est. Sed apud prophetam quoque legitur; Tamquam potens crapulatus vino. De cibo autem nihil ibi penitus inuenitur. Sponsa ergo conscia mysterij huius, cum dilectum pasci inter lilia comperisset, ac per-

Matt. 26.

Psal. 77.

ac perhibuisset, constituit terminum, quo ad id dignaretur, immo constitutū agnouit, & perhibuit dicens; Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Sciebat enim virtutibus eum postea potandum potius quàm pascendum. Aspiranteq. tunc die inclinabuntur vmbræ, quia occupante omnia luminis plenitudine, nulla pars superesse poterit tenebrarum. Denique adueniente, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est.

18 In epi. 254. quę est ad abbat. Garinum.

IDEM exponēs verba illa; Consummatus in breui expleuit tēpora multa, ait. Indefessū proficiendi studium, & ingis conatus ad perfectionē, perfectio reputatur. Quòd si studere perfectioni, esse perfectum est, profecto nolle proficere deficere est. Vbi ergo sunt, qui dicere solent, Sufficit nobis, nolumus esse meliores quàm patres nostri? O monache non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, viuere volo, & manere, quo perueni, nec peior fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest; quid enim stat in hoc sæculo? Et certe de homine specialiter scriptum est: Fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet.

Sap. 4.

Iob 14.

Psal. 18. Exultauit Dominus noster vt gigas ad currendam viam. Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Vnde Paulus aiebat; Sic currite, vt comprehendatis. Quòdsi Domino currente tu gradum fistis, non Christo appropias, sed te magis elongas, timendūq. tibi est, quod ait Dauid: Ecce, qui elongant se

1. Cor. 9.

Psal. 72. Domine a te, peribunt. Itaq. si proficere currere est, vbi proficere ibi & currere desinis; vbi vero non currere, ibi & deficere incipis. hinc plane colligitur, quia nolle proficere, non nisi

Gen. 28. deficere est. Vidit scalam Iacob, & in scala Angelos, vbi nullus residens, nullus subsistens apparuit, sed vel ascendere, vel descēdere videbātur vniuersi, quatenus palam daretur intelligi, inter profectū & defectum in hoc statu mortalis vitæ nihil mediū inueniri, sed quomodo ipsum corpus nostrū continue aut crescere constat, aut descrescere, sic necesse sit spiritum, aut proficere semper, aut deficere. Plura de re hac diximus lib. 9. cap. 22.

In virtute varij sunt gradus, neque in omnibus hominibus virtutes omnes æquales esse valent.

Cap. IX.

1 Homil. 9. in c. 8. & 9. lib. Iosue. to. 1.

ORIGENES exponens illa verba; Sed & proselytus, & indigena simul, & erunt dimidij iuxta montem Garizin, & dimidij iuxta montem Gebal, inquit. Mons Garizin benedictiones habet, mons autem Gebal maledictiones, quę peccatoribus imminēt. Statuerunt etenim (sicut scriptum est in Deuteronomio) sex tribus ad benedicendum in monte Garizin, & ipsas tribus, quæ nobiliores sunt, & eximiæ, idest, Symeon, Leui, Iuda, Isachar, Ioseph, & Beniamin. Alias vero sex ignobiliores ad maledicendū in monte Gebal: In quibus & Ruben, qui ascendit cubile patris, & thorū maculauit paternū, & Zabulon, qui est vltimus filius. In his, qui incedunt iuxtā montē Garizin, & qui incedunt iuxta montem Gebal, duas ego video esse species eorum, qui per fidem festinant, & properant ad salutem. Vnam eorum, qui promissionum cælestium cupiditate succensi, summo studio diligentiaq. nituntur, ne vna saltem minima eos beatitudo prætereat, habentes desiderium non solum benedictionis capiendæ, & effici in parte sortis sanctorum, sed etiam adsistere in conspectu Dei, & semper esse cum Domino. Alij vero sunt, qui & ipsi tēdunt ad salutem, sed non tam amore benedictionum, & promissionum ipsorum, quàm hoc magis habentes in prospectu, & dicentes, Sufficit mihi non ire in gehennam, sufficit non expelli in tenebras exteriores. Cum ergo in singulis quibusque fidelium talis sit propositi varietas, hoc mihi designari videtur in hoc loco, quod dimidij illi, qui iuxta montem Garizin incedunt, illum, qui ad benedictiones electus est, istos singulariter indicent, qui non metu pœnæ sed benedictionum, & repromissionum desiderio veniunt ad salutem. Illi vero dimidij, qui iuxta montem Gebal incedunt, in quo maledictiones prolatæ sunt, istos alios indicent, qui malorum metu, & suppliciorum timore complentes, quæ in lege scripta sunt, perueniunt ad salutem. Certum est autem nobiliores esse illos, qui boni ipsius desiderio, & benedictionū amore, quod bonum est agunt, quàm illos, qui pro mali metu bonum sectantur. Solus ergo Iesus est, qui potest ex omni populo eiuscemodi mentes, animosq. discernere, & alios quidē statuere in montem Garizin ad benedictiones, alios vero in montem Gebal ad maledictiones, non vt maledictiones accipiant, sed vt intuentes præscriptas maledictiones, & pœnas peccatoribus constitutas, incurrere caueant eas. Legit Iosue omnia verba legis, ideſt, benedictiones, & maledictiones, secundum omnia, quæ scripta sunt in libro legis, nec fuit vllum verbū ex omnibus, quæ mandauit Moyses, quod non legerit Iosue coram omni Ecclesia filiorum Israel, mulieribus ac paruulis, & aduenis, qui inter eos morabantur. Hoc dicit, quoniā vt ait Paulus, In domo magna nō solum sunt vasa aurea, & argētea, sed & lignea, & fictilia. dicimus viris quidem fortibus fortem traditum cibum ex quibus ipse sibi præparat Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam. Eos vero, quos in mulierum, vel infantum, vel proselytorum appellatione secernimus, intelligimus illos esse, qui adhuc lacte indigent. Viri intelliguntur illi, qui in omnibus perfecti, stare norunt arma ti aduersus astutias diaboli, mulieres vero, qui nondum ex semetipsis, quæ vtilia sunt gerunt, sed imitando meliores, & eorum exempla sectando. Infantes vero erunt, qui fide nuper susceptā lacte Euangelico nutriuntur. Proselyti vero

vero ij, qui iam sociari fidelibus studeant. Verumtamen nobis Iesu recitante legem vos infantes, vt in Ecclesia filiorum Israel annumeremini, nolite pueri effici sensibus, sed malitia paruuli estote: sensibus autem perfecti estote, sicut & Apostolus ad Hebræos dicit: Relinquētes principiorum Christi sermonem ad perfectionem feramur. Sed & vos, qui sub mulierum appellatione infirmi, & remissi, & languidi estis, commonemini, vt remissas manus, & dissoluta genua erigatis, ideſt, negligentes, & desides animos suscitetis, & virilem constantiam in explendis præceptis legis, & Euangelij assumatis, atque ad virorum fortium perfectionē celeriter properetis. Non enim nouit Scriptura diuina secundum sexum separationem virorum, ac mulierum facere, sed pro animi diuersitate, vel vir, vel mulier designatur. Quantæ ex mulierum sexu apud Deum in viris fortibus numerātur, & quanti ex viris inter remissas, & languidas mulieres reputantur? An non tibi videtur inter mulieres existimandus ille vir, qui dicit, non possum obseruare, quæ scripta sunt, vendere quæ habeo, & dare pauperibus, non possum percutienti maxillam præbere alteram, non possum maledicentem benedicere, non possum blasphematus deprecari, non possum persecutionē pati, & sustinere, non possum cetera similia, quæ mandantur? Qui dicit implere non possum, quid tibi videtur aliud, quàm inter mulieres, quæ nihil virile possunt, esse numerandus?

4 In lib. const. monastic. cap. 5. to. 2.

BASILIVS sic habet. Ventris moderatio, animi perturbationum compressio est, perturbationum autem compressio animi pax est atque tranquillitas; animi vero tranquillitas nihil aliud, quàm virtutū fœcundissimus fons. Porro continens. Ventris moderatio ea præstantissima iudicanda est, quam vires corporis cuiusque definiunt. Si quidem inuenti nonnulli sunt, qui in rebus grauissimi laboris perferendis nihil omnino graue pertulisse sibi visi sunt, eaque laxamenti loco potiusquàm laboris habuere, idq. propter vegetam ac prædurā, quæ illorum in corporibus inesset, harmonicā temperaturam ac robur eximium. Quamobrē ita amplectenda a nobis continentia est, vt eā cum viribus corporis commetiamur. Quæ enim solo animo cernuntur virtutes, eæ omnes omnibus promiscue æqualiter seruandæ proponentur, veluti mansuetudo, morum facilitas, humilitas, bonitas, amor in fratres, innocentia, studium veritatis, misericordia, humanitas; has enim peculiares animi esse virtutes dicimus, quando ad eas parandas, colendas ve animo corpus nihil plus affert, quàm quod ipsi quædam (vt ita dicam) veluti curia est in qua huiuscemodi res deliberantur. Porro modum vires corporis finient, si neque videlicet leuiores quis labores susciperit, quàm quantis ferendis esse par possit, neque si ea item persequi voluerit, quæ sustinere se non posse intelligat.

5 In epist. ad Eudox.

IDEM dicit. Vetus erat Athenienſiū consuetudo, atque ea meo iudicio pulcherima, posteaquam ad pubertatis annos venerant adolescentes, ducebantur ad artificia. Ducebantur autem ad hunc modum. Proponebantur publice cuiusuis artificij instrumenta, atq; ad illa ducebantur adolescentes: quocumque tunc quisque delectabatur, & ad quod accurrebat, illius edocebatur artificium; propterea quod quę ad naturæ ductum fiunt, plerumque bene succedunt, quæ vero præter naturam præsumuntur, frustra tentantur. Sic in scientijs illas addiscere debemus ad quas naturaliter sumus propēsiores, cursus enim fluuij detorquēdus non est. Eadem etiam ratione docemur virtutes eas sectari, quæ conformiores sunt naturæ nostræ, alij enim in exercitijs vitæ actiuæ gaudent, alij delectantur secreta contemplatione &c.

6 In epist. ad Princip. virginem. to. 3

HIERONYMVS exponens illa verba; Psalmo 44. Adducētur regi virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in templum regis, inquit. Iuxta Hebraicum totum ad sponsam dicitur, vsque ad eum locum, vbi scriptum est: Constitues eos principes super omnem terram. Et legitur: In scutulatis ducentur ad regem, virgines sequentur eam, amicę eius ducētur illuc, ducentur in lætitia, & exultatione, ingredientur thalamum regis. Multam esse distantiam animarum in Christo credentium demonstrat Canticum Canticorum, in quo scriptum est; Sexaginta sunt reginę, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, proxima mea, de qua dicitur; Viderunt eam filiæ, & beatificant eam reginæ, & concubinæ, & laudāt eam. Quæ ergo perfecta est, & sancta corpore, & spiritu, & columba, & proxima meretur vocari. Hæc est filia, de qua supra dictū est: Astitit regina a dextris tuis in vestitu deaurato circundata varietate. Quæ autē supergressæ sunt sex dies mundi, & futura regna suspirant, reginæ appellantur. Siqua vero circuncisionem quidem habet octauæ diei, sed adhuc non peruenit ad nuptias, hæc concubina vocitatur. Diuersa autem multitudo credentium, quæ necdum potest sponsi copulari amplexibus, nec de eo liberos parere, adolescentula dicitur. Ego puto de istis virginibus, quæ sequuntur Ecclesiam, & in primo ponuntur gradu, & te esse, & omnes, qui in virginitate corporis, & animæ perseuerant. Proximas autē, & amicas, viduas, & in matrimonio continentes, quę omnes cum lætitia, & exultatione ducuntur ad templum, & in thalamum regis, quasi sponsæ regis, & spōsi. Scutulata autem quibus sponso suo regina cōponitur, ipsa sunt, quæ in septuaginta legimus circumamicta varietate.

7 Lib. 12. in c. 40. Eze. to. 4

IDEM exponens illa verba; Portam quoque, quę respiciebat viam aquilonis, atrij exterioris mensus est tam in longitudine, quàm in latitudine, inquit. Considerandum est, quod primum introducitur propheta per portam aquilonis, secundo per portam austri, tertio per portam orientalem. Ab aquilone enim exardescunt mala super habitatores terræ. Pulchreq.

Hiere. 1. chreq. qui habitator terræ est, & non aduena, atque peregrinus, patet iaculis eius, qui venit ab aquilone, cuius ignita sunt iacula. Primus ad virtutem ingressus est aquilonem calcare pedibus, deinde introduci ad australem plagã, & aquilonis frigus expellere; & tunc ad perfectam venire virtutem, ideſt, ad portam orientalem, in qua oritur sol iustitiæ, & per quam solus ingreditur Pontifex.

2 In ca. 2. Micheæ. to. 6. IDEM exponens illa verba; Diuident, & transibuunt portam, & egredientur per eam, & transibit rex eorum coram eis, dicit. Ipse Dominus aperuit eis iter, vt absque vlla difficulta
Ioan. 10. te graderentur. Ipse enim Dominus, & rex, & pastor, & via est, & porta, dicitq. Ego sum ianua, per me qui fuerit ingressus saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet.
Psal. 117. De qua porta, & alibi prophetatur: Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eam. Quicumque autem ingressus fuerit, non debet in eo statu, in quo intrauerat, permanere, sed egrediatur ad pascua, vt in intrãdo exordium sit, in exeundo, & in pascua reperiendo virtutũ perfectio. Qui ingreditur adhuc in sæculo est, & ex creaturis intelligit Creatorem. Qui autem egreditur transcendit vniuersam creaturam, & omnibus quę videri possunt pro nihilo computatis, inueniet pascua super cælos, & sermone Dei vescetur, & dicet Dominus pascit me, & nihil mihi
Psal. 22. deerit. Hoc est ergo, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet, quod nunc dicitur, & transierunt portam, & egressi sunt per eam, qui tamen transitus, & egressio absque Christo rege nostro tribui non potest, qui Rex, & Dominus est.

9 In ca. 1. Ecclesiast. to. 7. IDEM sic habet. Tribus nominibus vocatum fuisse Salomonem Scripturæ manifestissime docẽt, pacificum, ideſt, Salomonem, & Ididum, hoc est dilectum Domini, quod nunc dicitur Ecclesiastes, quem nos nuncupare possumus concionatorem, eo quod loquatur ad populum, & sermo eius non specialiter ad vnum, sed ad vniuersos generaliter dirigatur. Porro pacificus, & dilectus Domini ab eo quod in regno eius pax fuerit, & eum Dominus dilexerit, appellatus est. Nam & Psalmi, quadragesimus quartus, & septuagesimus primus dilecti, & pacifici titulo prænotantur, qui super Salomone conscripti sunt, licet prophetiam Christi, & Ecclesiæ contineant. Is itaque iuxta numerum vocabulorũ tria volumina edidit, Prouerbia,
Cant. 1. Ecclesiastem, & Cantica Canticorum. In Prouerbijs paruulum docens, & quasi de officijs per sententias erudiens: vnde & ad filium eius sermo crebro repetitur. In Ecclesiaste vero maturæ virum ætatis instituens, ne quicquam in mundi rebus puter esse perpetuum, sed caduca & breuia vniuersa, quę cernimus. Ad extremũ, iam consummatum virum, & calcato sæculo præparatum in Cantico Canticorum, sponsi iungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia, & pompis sæculi renunciantes, expeditos nos ad aduẽtum Christi parauerimus, nõ possumus dicere: Osculetur me osculo oris sui. Nec non & hoc diligentius attendendum, quòd per hos tres libros auctoris diuersus est titulus. In Prouerbijs enim notatur, Prouerbia Salomonis filij Dauid regis Israel; in Ecclesiaste vero, verba Ecclesiastę filij Dauid regis Hierusalem; in Cantico autẽ Canticorũ, nec filius Dauid, nec Rex Israel, siue Hierusalem præscribitur, sed tantũ Canticum Canticorũ Salomonis. Sicut enim Prouerbia quasi rudis institutio ad duodecim tribus, & ad totũ pertinẽt Israel, & quomodo contemptus mũdi non nisi metropolitis conuenit, hoc est habitatoribus Hierusalem, ita Canticum Canticorũ ad eos proprie facit mentionem, qui tantum superna desiderãt. Ad incipientes, & proficientes, & paterna dignitas, & regni proprij merito indicatur auctoritas. Ad perfectos vero, vbi non timore eruditur discipulus, sed amore filius, proprium nomen sufficit, & æqualis magister est, & nescit esse se regem.

10 In lib. Serui. BERNARDVS ait. Non omnes vniformiter gradiuntur ad Deum. Quidam passu, sicut illi, qui terrenorum curis impliciti, vix aliquando respirant, vt Domini recordentur. Quidam modesto incessu, sicut hi, qui Domini seruitio mancipati, & Deo quidem seruiunt, & tamen erga seipsos indulgentiores existunt. Alij veloci, ideſt, rapido cursu, sicut hi, qui super carne sua se intuentes, & se, & transitoria contemnẽtes, celeriter proficiscuntur ad Deũ, hoc solummodo cupientes, in pace quiescere in idipsum. Vituli, quos Domino immolare debemus, tres sunt. Nouæ conuersionis effectus, quasi vitulus nouellus cornua producens, & vngulas: sacræ religionis profectus, qui est vitulus tenerrimus de armento: consummatæ virtutis affectus, qui est vitulus saginatus.

In virtute quis ordo seruandus sit, quæ Deo probata esse non potest nisi peccata desint, & virtutes connexæ sint.

Cap. X.

1 Homil. 9. in c. 8. & 9. Ioſue. to. 1. ORIGENES ait. Post quã subuertit Ioſue Hay, ideſt, chaos, & omnes habitatores eius exemit, oportebat eum dignũ aliquid tali, tantaq. victoria excelso omniũ munus offerre: vnde ædificauit (inquit) altare Domino in mõte Gebal, & fecit illud sicut præcepit Moyses filijs Israel. Scriptum est autem in lege Moysi, altare fieri ex lapidibus, in quibus nõ est iniectum ferrũ. Et postquã fecit altare Ioſue imposuit ibi holocausta Dño, & immolauit sacrificiũ, & post sacrificiũ scripsit in lapidibus Ieſus Deuteronomiũ legis, & scripsit eã corã filijs Israel. Omnes, qui in Ieſum credimus lapides viui esse dicimur, secundũ quod Scriptura pronũciat, dicens: Vos autẽ estis lapides viui. Sicut autẽ in istis terrenis lapidibus obseruari nouimus, vt hi quidem lapides, qui validiores sunt, & potentiores, primi in fundamẽta iaciãtur, vt ipsi credi, & superponi possit totius ædificij põdus: alij vero, qui sequentes sunt proximi illis, qui in fundamento sunt, ordinentur paulo illis inferiores: qui vero plus inferiores sunt, paulo superius a fundamentis. Ita nunc etiam intellige de lapidibus viuis esse aliquos in fundamentis huius spiritualis ædificij, quales fuisse Apostolos, & prophetas Paulus commemorat. Sed in hoc ædificio Ecclesiæ oportet esse & altare. Vnde ego arbitror, quod quicum-
2 que ex vobis lapidibus viuis apti sunt in hoc, & prompti, vt orationibus vacent, & vt die noctuq. obsecrationes offerant Deo, ipsi sunt, ex quibus Ieſus ædificat altare; sed lapides sunt integri, quibus ferrum non est iniectum. Nouit vniuscuiusque conscientia quis sit integer, quis sit incorruptus, impollutus, immaculatus in carne, & in spiritu, quis sit ille, cui ferrum iniectum non est, ideſt, qui iacula maligni ignita concupiscentiæ non recepit, sed scuto ea fidei extinxit, & repullit; vel ille, qui ferrum pugnæ, & litium numquam recepit, sed semper pacificus fuit, semper quietus, & mitis, & Christi humilitati cõformatus: super hos offert Ieſus sacrificia, & holocausta salutis: scripsit Ieſus super hos lapides Deuteronomium, quod quasi secunda legis latio dicitur. Si ergo vis videre, quomodo prima lege infirmata, secundam legem scribat Ieſus, audi eum in Euangelio dicentem: Dictum est antiquis non occides. Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo sine causa homicida est &c.

3 Hoz. 5. in c. 23. Matt. 3. IDEM explicans verba illa; Væ vobis scribæ, & Pharisæi hypocritæ, qui decimatis menthã, & anethum, & cyminum, & relinquitis, quę grauiora sunt legis, iudicium, & misericordiã, & fidem. Hæc autẽ oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci liquantes culicem, camelum autẽ glutientes, inquit. Hic sermo oportuno tẽpore est dicẽdus eis, qui circa res quidem minimas religionem ostendunt ad Deũ, circa res autẽ magnas, & necessarias cõtemnunt mãdatum, & Deũ ipsum, qui ea mãdauit. Talia & apud Iudęos fiebant, qui arbitrabantur se legẽ Moysi seruare, qui præcepit ex omnibus fructibus decimas dare Leuitis, & sacerdotibus; ita, quoniã facile erat implere legem in minimis, mentham quidẽ, & anethum, & cyminum decimabant, & omnia minima, & quæ leuia erant legis, grauia autem eius non obseruabant, ideſt, iudicium, & misericordiã, & fidem. Iudicium, quidẽ, vt vnusquisq; iusto iudicio de omnibus iudicaret, & acquiesceret ei, qui dixit: Misericordiã volo, & nõ sacrificiũ, vt sacrificia misericordiarũ Deo offerret, vt discutiens ea, quæ fidei sunt, esset fidelis. Hæc oportuit facere, hoc est, iudiciũ, & misericordiã, & fidem. Et illa nõ omittere, ideſt, decimationẽ menthæ, & anethi & cymini. Et sapienter dicit Pharisęos liquare, ideſt, expellere a se minima delicta, quæ culices nominauit; glutire autem, ideſt, committere maxima delicta, quæ nominauit camelos, animalia videlicet tortuosa, & grandia. Secundum hos itaque sermones omnis homo, qui o- 4
mittit grauiora legis, maxime autem iudiciũ, misericordiam, & fidem, camelum glutit. Æstimo autẽ omnes moraliter scribas dici, & Pharisæos, qui in rebus minimis religiositatem suã ostendunt relinquentes grauia. Si autem oportet in eiusmodi Euangelij verbis etiam moralem assumere intellectum, sciendum est, quoniam sicut mentha, & anethum, & cyminum, ciborum sunt conditura non ipsi principales cibi, sic in cõuersationibus nostris quædam quidem sunt principalia, & necessaria ad iustificationem animarum nostrarum, qualia sunt hæc grauia legis, iudicium, & misericordia, & fides: alia autem quasi condientia actus nostros, & commendantia eos, & suauiores eos facientia; vt puta abstinẽtia risus, flexio genuum permãsio in collectis, & alia his similia, quæ conditurę iustitiarum sunt. Res autem spirituales, quæ a semetipsis iustitiæ sunt, dicuntur iudicium, & misericordia, & fides. Non est vtile in ijs minimis obseruare, quod est decimare, rerum autẽ necessariarum obseruationes non offerre Deo, ideſt, non decimare. Isti autem cæci sunt, quos latet & magnitudo, & tortuositas camelorum, ideſt, actuum peruersorum. Nec vident quoniã nihil prodeſt liquare, & cautum esse discussorẽ in rebus minimis, cum principalia, & vere ad gloriam Dei pertinentia negligantur. Quoniã ergo multi sunt & in nobis, qui circa res leues caute viuere æstimantur, circa res autem necessarias contemnunt seipsos, huiusmodi homines sermo præsens confundit, non quidem leuia illa prohibens obseruare, sed principalia, & magis salutaria præcipiens cautius custodire. Omnia ergo liquat, qui in omnibus quæcumq; agit, vel loquitur, vel cogitat, segregat, quod est sordidum, & terrenum, & non diuinis rationibus adornatum ab his, quæ natura lucida sunt, & syncera, & iusta, secundum eum, qui docet, vt epulemur non infermento nequitiæ, & malitię, 1. Cor. 5.
sed in azymis synceritatis, & veritatis. Væ vo- 5
bis scribæ, & Pharisęi hypocritæ, qui emundatis, quod foris est calicis, & paropsidis, intus autem pleni estis rapina, & dolo. Pharisæe emunda prius, quod intus est calicis, & paropsidis, vt fiat id, quod foris est, mundum. Hic sermo nos instruit, vt festinemus esse iusti, non apparere. Qui enim studet, vt appareat iustus, quæ a foris sunt mundat, & quæ videntur curat, cor autem suum, & conscientiam negligit, non considerans, quoniam qui studet ea, quæ intus sunt, & cogitationes suas studet mundare, consequens est, vt etiam ea, quæ sunt a foris, studeat facere munda. Si quis autem ea, quæ videntur, studet, negligit autem interiora animę suæ, necesse est, vt huiusmodi homo impleatur ab intus auaritia, lasciuia, malignitate, cæterisque plurimis malis. Quoniam omnis, qui de salute sua sollicitus est, quod est ab intus, & de opinione sollicitus est, quod est a foris, non autem omnis, qui de opinione sollicitus est a foris, etiam de salute sollicitus est ab intus. Bo-

num est ergo ab intus caute mundare calicem, & paropsidem, quia ei, qui mundauerit primũ, quod ab intus est calicis, fiunt etiam ea, quæ foris sunt, vere mundata.

6 IDEM ait. Iob homo dicitur verax, sine querela, iustus Dei cultor, abstinens se ab omni re mala. Quòdsi quis nobis obijciat, cur præcedente boni operis laude, in vltimo mali continentia numeretur? Illud arbitror indicari, quod sæpe fieri solet, quia plurimi hominum agunt quidem, quæ bona sunt, misceatur tamẽ & aliquid operis mali. Pauci vero sicut Iob, qui ita veraces, & irreprehẽsibiles, ita iusti sint & cultores Dei, vt hæc omnia agentes abstineant se ab omni re mala. Si ergo, inquit Paulus, præuaricator sis legis, non agendo, quę bona sunt, circuncisio tua præputium facta est, dum & hoc tibi, quod abstinere a malo visus es, opera fidei, & iustitię non agenti ad infidelitatem reputatur: quia mali villici pars cum infidelibus ponitur. Insra: Si castitas ab interiore homine sumat exordium, peruenit vsque ad exteriorem: neque enim fieri potest, vt si ante quis non mæchetur in corde, mæchari possit in corpore. Sed non continuo, si quis ab exterioris hominis incipiat castitate, peruenit etiam ad interiorem continentiam. Vnde circumcisus in carne dicitur ille, de quo ait Apostolus, quòd iam non est in carne, sed in spiritu, & qui actus carnis per spiritum mortificat. Circuncisio autem interioris hominis dicitur, cum iam neque interior ille concupiscit in corde.

Lib. 2. in ca. 2. ep. ad Ro.

7 IDEM adducens locum Psalmi 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputabit Dominus peccatum, dicit. Primo dixit Dauid; Beati quorum remissæ sunt iniquitates; secundo, quorum tecta sunt peccata; tertio, cui non imputabit Dominus peccatum. Et vide si forte potest iste ordo in anima vna, eademq. intelligi, vt quia initium est conuersionis animæ mala derelinquere, par hoc iniquitatum remissionem mereatur accipere. Cum autem cœperit bona facere, velut singula quæque, quæ præcesserant mala, bonis recentibus obtegens, & abundantiorem numerum bonorũ introducens, quàm prius fuerat malorum, tegere peccata dicatur. Vbi vero iam ad perfectum venerit, ita vt omnis de ea malitiæ radix penitus amputetur eousque, vt nullum in ea vestigium possit inueniri nequitiæ, vbi iam summa perfectæ beatitudinis promittatur, tunc nullum possit Dominus imputare peccatum.

Lib. 4. in c. 4 ep. Pauli ad Romanos.

8 IDEM exponens illa verba; Si mortui sumus cum Christo, credimus, quia etiam simul viuemus cum eo, scientes, quia Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, sic ait. Ostendẽda est in nobis mors Christi. primo mortificatione membrorum, quæ sunt super terrã, cum semper mortificationem Christi in nostro nunc corpore circunferimus. Et hoc est, quod Paulus dicit: Quoniam mors in nobis operatur. Secundo cum iam resurgimus a mortuis, & in nouitate vitæ ambulamus. Prima dies mortis Christi est renunciasse sæculo: secunda renunciasse etiam vitijs carnis: plenitudo vero perfectionis in lumine sapientiæ, tertia resurrectionis est dies. Vnde dixit Apostolus: Quia si commorimur, & conuiuemus. Quisque commorientibus Christo quasi consequens, & necessarium sit, coniunxit, quod conuiuant ei.

Lib. 5 in ca. 6. ep. ad Ro.

2. Tim. 2

BASILIVS ait, disputãs an gratum, aut acceptum Deo sit eum, qui peccato seruit, iusti tiam facere secundum pietatis sanctorum canonem. In veteri testamento dicit Deus: Peccator, qui vitulum mihi immolat perinde est, atque qui canem mactat, & qui similam offert, quasi qui offert sanguinem suillum. Tantum sci licet de ijs, quæ ad sacrificandũ offeruntur, cautionis, ac diligentię legislator exposcit, & tam horrendum aduersum delinquentes iudicium statuit. In nouo vero Dominus dicit: Nemo potest duobus Dominis seruire. Et non potestis Deo seruire, & mammonæ. Et apertissime decernens, ita inquit: Quisquis ex vobis non renuntiauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus. Iam si de rebus medijs talis lata est sententia, quid dicendum est de vetitis? Per Apostolum vero sic dicit: Quæ participatio est iustitiæ cum iniquitate? Aut quæ cõmunicatio lucis cum tenebris? Quis cõsensus Christo cum Belial? Aut quid conuenit templo Dei cum idolis? His scilicet declaratũ est, quã hoc, quod quæritur, sit impossibile, Deoq. non gratum. Quapropter ea adhortor, vt faciamus arborem bonam, & fructum eius bonum, & repurgemus primum, quod intra poculum est, & catinum, & tunc etiam, quod extra est, mundũ erit totum. Et per Apostolum instructi, mundemus nos ab omni inquinamento carnis, ac spiritus, atq; ita perficiamus sanctificationem in dilectione Christi, vt Deo grati, & accepti Domino reddamur.

9 Ser. 2. de baptismo. cap. 7. tomo 1.

Matt. 6.

Luc. 14.

2. Cor. 6.

IDEM inquirit, an acceptũ sit Deo opus præcepti nõ cõpetenter iuxta rationẽ præcepti factum, & ait. Aduersus quamcũq; talẽ causam a veteri testamento docemur tãquã ex persona Dei dicẽte; Si recte quidẽ obtuleris, recte autẽ non diuiseris, peccasti, quiesce, ad te est auersio ipsius, quod non solũ acceptũ Deo nõ sit, quod non est oblatũ legitime, sed & in peccatũ reputetur ad eum modũ offerenti. Et Paulus ait: Et si certe quis non coronatur, nisi legitime certauerit, vt omnia in nobis honeste, & iuxta ordinẽ fiant, vt virtutẽ debitis adhibitis circunstãtijs operetur.

10 In c. 8. eiusdem conc.

Isa. 66.

2. Tim. 2.

11 Hom. 51. in perfecti in Matth. to. 2.

CHRYSOSTOMVS sic inquit. Os cõsecrare debet homo narrationibus sanctis, aures auditionibus pijs, oculos cõsideratione mirandorũ operũ Dei, mentẽ cogitationibus occupare cælestibus. Non enim sufficit, vt non loquatur, vel audiat, vel videat, aut cogitet mala. Qui enim hæc agit, clausit introitus suos, & impleuit, & oppilauit malis aduersus bona, vt ne locũ habeat introeundi bonus spiritus, qui autẽ mala quidẽ deponit ab eis, bona autẽ non susci-

suscipit, ille dicitur apertos habere introitus. propterea vacantes eos inueniens inimicus, intrat ad animam. Propterea quod opus est, vt iusti introitus non solum vacent a malis, sed etiam, vt sint clausi, & pleni, & oppilati bonis aduersus mala, vt malus non inueniat locum introeundi. Vnde & sapienter Petrus dicit apud Clementem, quomodo debet quis incessãter, quę Dei sunt, cogitare, & loqui, quoniam si mens fuerit in his occupata, malus non inuenit locum ad mentem. Consequenter propheta non dixit tantum: Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum nõ stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit, sed addidit, Sed in lege Domini volũtas eius, & in lege eius meditabitur die ac nocte. Et Paulus cum diceret: Nõ est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem. Non dixit tantum, deponite mala, sed suscipite omnẽ armaturã Dei, vt possitis resistere in die malo, ideſt, omnia opera bona facite. Sicut enim vas quandiu plenum est de aliquo, non recipit supermissum, si autem vacuum fuerit, recipit omne, quod mittitur, sic homo quamdiu occupatus est malis, non recipit bonum, & si occupatus fuerit bonis, repellit malum. Si ergo te negligente domum corporis hoc modo seruare ingressus fuerit fur diabolus, & furatus fuerit vestimenta iustitiarum, aurum intellectus tui, si diuinorum eloquiorum argentum ceteraſq. diuitias spirituales tollens te dormiente, feceriſq. te mendicum, & nudum, quomodo nudus ante conspectum Domini Dei tui accedes?

Psal. 1.

Eph. 6.

12 Epist. 1. quæ est ad Demetria. to. 1

HIERONYMVS dicit. Hæc tibi in Christiano agone subeũdo prima cura sit, aduersum diaboli castra in omnia præcepta Dei iurare, nec tantummodo declinare vetita, sed iussa cõplere: neque enim tibi sufficit a malis otiosam esse, si otiosa fueris a bonis, cum lex Dei duplici mandatorũ genere distincta sit, & mala prohibens, bona imperet, atque ab vtraque parte contemptum sui vetet. Non enim solum ille seruus contempsit dominum, qui prohibita fecerit, sed & qui iussa non fecerit. Dicta a Domino sententia est: Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Et blandimur nobis, si malis fructibus non grauemur, qui damnandi sumus, si a nobis steriles manserimus. Iuxta hanc intelligentiam abscindet Pater omnem palmitem non ferentem fructum. Et qui acceptum talentum in sudario abscondit, quasi inutilis seruus & nequã damnatur a Domino: nec minuisse solum, sed & non auxisse culpabile est. Contemptus cuiuscumque præcepti præcipientis iniuria est. Omnia facite, ait Paulus, sine murmuratione, & hæsitatione, vt sitis irreprehensibiles &c.

Matt. 7.

Ioan. 15.

Luc. 19.

13 In epist. de laude virg.

IDEM dicit. Nihil virginitas sola proficiet, quæ cælestis regni gloriam sperat, nisi & aliud habuerit, cui promittatur perpetua vita. Ante ergo omnia pudicitiam, integritatemq. seruantibus, & eius remunerationem sperantibus mandatorum sunt custodienda præcepta, ne glorioſæ castitatis, & continentiæ labor in irritũ deducatur. Supra mandatum enim esse virginitatẽ Apostolus ait, inquiens; De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Tunc autem proderit magis feciſſe, quàm iussum est, si quod iussum est feceris. Cupiens diuinum implere consilium, ante omnia serua mandatum. Tres sunt species, per quas regni cælestis possessio acquiritur. Prima est pudicitia, secunda mundi contemptus, tertia vero iustitia, quæ, vt connexæ plurimũ se possidentibus præstant, ita non possunt diuisæ prodesse. In primis igitur quæritur pudicitia, vt facilius subsequatur mundi contemptus, qui ab illis mundus contemni leuius potest, qui matrimonij nexibus non tenentur. Mundi vero contemptus exposcitur, vt iustitia conseruetur, quam difficile implere possunt, qui sæcularium bonorum cupiditatubus, & mundanarum voluptatum negotijs implicantur. Quisquis ergo possidet primam speciem pudicitiæ, & secundam, quæ est mundi contemptus non obtinet, pene sine causa possidet primam, quando secundam non habet, propter quam quæsita est prima. Si primam & secundam habet, cui tertia, quæ est iustitia, desit, fruſtra laborat, quoniam superiores duæ propter tertiam præcipue requiruntur. Quid enim propter mundi contemptum prodest pudicitiam habere, & propter quod eam habeas non habere? vel cur res mundi contemnas, si iustitiam, propter quam pudicitiam, & mundi contemptum habere te conuenit, non custodias? Iustitiam autem voco non peccare, & legis præcepta seruare. Præceptorum vero obseruatio duplici genere custoditur, vt nihil eorum, quæ prohibentur, facias, & cuncta, quæ iubentur, implere contendas. Hoc est quod dicit, Recede a malo & fac bonum. Si a malo recesseris, & non feceris bonum, transgressor es legis, quæ non tantum in malorum actuum abominatione, sed in bonorum operum profectione completur. Neque enim hoc solum tibi præcipitur, vt vestitum non spolies suis indumentis, sed vt spoliatos operias tuis vestimentis: neque vt habenti panem non auferas suum, sed vt non habenti tuum libenter impertias: vt scias, quod non sufficit Christiano a malis se abstinere, nisi etiam bonorum operum officia perfecerit. Dominus æterno igni reos fore dixit eos, qui quamuis nihil mali gesserint, non fecerint omne, quod bonum est, dicens: Tunc dicet Rex his, qui ad sinistram sunt; Ite maledicti in ignem æternum &c. Esuriui enim, & non dediſtis nihil manducare &c. Non dicit discedite a me maledicti, quia homicidium feciſtis, adulterium, aut furtum, nõ enim quia malum fecerunt, sed quia bona non fecerunt condemnantur. Nec quia quæ prohibita erant admiserunt, sed quia quæ præcepta erant noluerunt implere.

1. Cor. 7.

14

Matt. 25.

IDEM explicans verba illa; Super hoc vẽter meus ad Moab quasi cithara sonabit, & viscera mea ad murum cocti lateris, inquit, Viscera, & interiora prophetæ illa sunt, de

15 Lib. 6. in ca. 16. Isa. to. 4.

Psal.102. quibus Dauid dicebat: Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sancto eius. Quomodo enim cithara non emittit compositum sonum, si saltem vna chorda rupta fuerit, sic spiritualis venter prophetę, si vna in eo virtutum chorda defuerit, non poterit melos dulce resonare, nec ad latericium murum cunctis clamare visceribus. Philosophorum quoque sententia est, hærere sibi virtutes: & Iacobi Apostoli, vt cui vna defuerit, huic omnes deesse virtutes.

Ioan. 2.

16 IDEM explicans ea verba; Aperite portas, & ingredietur gens iusta, faciens veritatem, dicit. Quæ sunt portæ, quæ aperiuntur ab Angelis, vt ingrediatur, non populus Iudæorum, qui abiectus est, sed gens ista, quæ ex fide fidelium nomen accepit? Vtique illæ, de quibus Dauid loquitur: Aperite mihi portas iustitiæ; ingressus in eas confitebor Domino?

Lib.8.in ca. 26. Isaiæ.

Psal.117.

Psal.9. Has autem portas nullus poterit ingredi, nisi qui de portis mortis fuerit liberatus, & cũ Psalmista dixerit: Qui exaltas me de portis mortis, vt annunciem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Cum enim de portis mortis fuerimus erepti, tunc in portis filiæ Sion omnes laudationes Domini cantare poterimus. Et quomodo portas mortis reor esse peccata, de

Matt. 16. quibus ad Petrum dicitur: Portæ inferi non pręualebũt aduersum te, sic portas iustitię omnia opera virtutum, quas qui fuerit ingressus, vnam inueniet portam, de qua dicitur: Hæc porta Domini, iusti intrabunt per eã. Iuxta septuaginta, ille ingreditur portas Domini, qui custodit iustitiam in bonis operibus, & seruat seu amplectitur veritatem in fidei veritate, vt per bona opera, & fidem perueniat ad pacem, quæ omnem sensum exuperat. Vnde & in alio loco scribitur: Desideresti sapientiam, serua mandata, & Dominus tribuet tibi eam.

17 IDEM explicans verba illa; Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ, egredere dices ei. Et dabitur pluuia semini tuo, vbicumque seminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus, & pinguis, ait. Postquam idola destruxeris, dabitur pluuia tibi. Scriptum est in Regum volumine, quod postquam interfecti sunt ab Elia pseudoprophetæ, data sit pluuia terræ Israel. Ita & in præsenti loco non prius dabitur pluuia semini spirituali, & panis terræ vbertimus, atque pinguissimus, nisi idola deargentata, & deaurata fuerint comminuta, & reputata in sterquilinium. Nisi enim vitia recesserint, virtutes non subeunt.

Lib.9.in ca. 30. Isaiæ.

3.Reg.18.

18 IDEM ediserens locum illum: Ecce constitui te super gentes, & regna, vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes, sic habet. Considerandum, quod quattuor tristibus duo læta succedant. Neque enim ędificari poterant bona, nisi destructa essent mala, nec plantari optima, nisi eradicarentur pessima: Omnis enim plantatio, quam non plantauit celestis Pater, eradicabitur, & bona illi succedet.

Lib.1.in ca. 1.Hieremię

19 IDEM ait. Comparat propheta Hierusalē vineæ electæ, quam plantauit Dominus. Hæc vinea quãdiu affert fructus in omnibus lignis, nihil ea pretiosius est: sin autem vuas habere deserit, in nullo vtilis erit, nisi vt cum radice, & propaginibus suis tradatur incendio. Cetera ligna siluarum, vt de pomiferis taceã, succisa plurimam præbent vtilitatem; dum in vsum armorum proficiunt, omnemq. domus tribuunt suppellectilem: vitis autem si semel vuas afferre cessauerit, intantum inutilis est, vt ne paxillus ex ea possit fieri, de quo aliquid pendeat. Sensus ergo est, sicut vitis infructuosa incendio traditur, sic & habitatores Hierusalem tradentur ardoribus. Possumus vineam & Hierusalem, iuxta intelligentiam spiritualem, intelligere credentium multitudinē: quæ si negligens fuerit, & culturam pristinæ religionis amiserit, nec attulerit fruges virtutum, nec vinum fecerit, quod lætificat cor hominibus, æternis tradetur ardoribus, & in nihilum reputabitur. Vnde Dominus in Euangelio dicit: Omnem palmitem in me non ferentē fructum tollet eum, & omnem, qui fert fructum purgabit eum, vt fructum plus afferat. Si autem Saluator vitis est, & nos palmites, & Deus pater agricola, quamdiu Dei præcepta seruamus, semper excolimur, & cultura nostra purgatio est.

Lib.4.in ca. 15.Ezech. Hiere.2. Isaiæ 5. Psal.79. Ioan.16.

20 IDEM interpretãs locum illum: In primo mensę vna mensis sumes vitulum de armento immaculatum, & expiabis sanctuarium, dicit. Assumitur vitulus de armento liber, & nullo pressus iugo, hoc est, onere peccatorum, & immaculatus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus est in ore eius, vt in ipso mundetur, & expietur sanctuarium. Et tollet, inquit, sacerdos de sanguine eius, quod erit pro peccato omnium: sanguis eius, qui tollit peccata mundi, sanguis eius, cuius carnibus alimur, & cruore potamur, quo tanguntur quattuor anguli crepidinis altaris, vt sanctificetur domus, & altare, vt cum quis expiatus fuerit, & mundatus, ingrediatur portam atrij interioris, & possit Domini arcana cognoscere, & consequē ter venire ad septimam diem mensis primi, & cõsequi requiē, & Domino offerre sacrificium.

Lib.14.in c. 45. Ezech.

21 IDEM explicans verba illa; Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solēnitatibus, qui ingreditur per portam Aquilonis, vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ, & qui ingreditur per viam portæ meridianæ, egrediatur per viam portæ Aquilonis, inquit. Præcipitur populo terræ, vt qui derelinquens portam Aquilonis, a quo exardescunt mala super vniuersam terram, ingressus fuerit templum, non egrediatur nisi per viam portæ meridianæ, ad portam luminis, ad portam caloris, ad portam in qua sponsus cubat in meridie, vt dicatur; Surge Aquilo, & veni Auster. Per portam Aquilonis ingreditur, qui peccata dimittit, & egreditur per portam meridianam,

In cap.46.

Cant.4.

nam, qui virtutes sequitur. Et e contrario, si iustus lapsus fuerit in peccatis, ingreditur quidem per portam meridianã, sed egreditur per viam portę Aquilonis. Princeps autem, inquit, in medio eorum erit, ingredientium scilicet & egredientium, vtrorumque virtutis, atque peccati testis. Hoc enim est ingredi cum ingredientibus, & cum egredientibus egredi.

22 IDEM enarrans verba illa; Et erit fortitudo eorũ in direptionem, & domus eorũ in desertum. Et ædificabunt domos, & non inhabitabunt, & plantabunt vineas, & non bibent vinũ earũ, ait. Cum venerit tempus mortis, tũc omnis fortitudo eorũ in direptionē erit, vt quod male valebat, & erigebatur aduersus Dominũ, infirmum, fractumq. vertatur ad melius. Et domus eorum in desertum. Multi sunt in Ecclesia ædificantes Sion in sanguine, & Hierusalem in iniquitate, quibus prodest tales domos destrui. Legamus Leuiticum, vbi leprosa domus destrui iubetur. Et quia lepra permanens est, & diffunditur, lapides eius, & ligna, & omnis puluis extra ciuitatem in locum immundũ proijci iubentur. Sed & in Hieremiæ principio tale quid scribitur: Ecce constitui te super gentes, & regna, eradicare, & suffodere, & disperdere, & ædificare, & plantare. Destruitur ædificatio pessima, vt postea ædificatio bona construatur, eradicatur iniqua plantatio, vt plantatio iusta ponatur. Quasi bonus ergo Deus domus eorum, qui erant defixi in fecibus suis, destruit, nec eos in leprosis, & immundis domibus habitare permittit, nec facit, vt bibant vinum de vineis, quas plantauerant. Si enim plantassent vineam Soreth, & vineam electam, totam veram, bibissent vinum suum, & inebriati essent cum Patriarcha Noe, & Ioseph in meridie; sed quia de vinea Sodomorum erat vinea eorum, & propago eorum de Gomorra, vua eorũ vua fellis, & botrus amarissimus, propterea plantauerunt vineas, & nõ biberunt vinum earum. Et mystice dicitur de Sodoma, & Gomorra, quod omnis plantatio eorum perierit. Si enim permansissent in eo, quod cœperant, vt essent quasi paradisus Dei, & non fuissent in malo, plãtatio eorum vtique permansisset. Tale quid & illud super Ægyptijs sonat in psalmis: Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorum in pruina. Quasi clemẽtissimus quippe Deus omnem Ægyptiam plantationem, & arbusculas, quæ in Ægypto radicatæ sanguineos habent fructus, interficit, & subuertit, ne bibant, qui male plantauerunt, & comedant ex eis fructũ.

In cap.1. Sophoniæ.t.6.

Leuit. 14.

Hiere.1.

Psal.77.

23 IDEM edisserens illa verba; Donum hominis dilatat viã eius, ait. Donum charitatis, siue aliarum virtutum, quas a Domino fideles accipiunt, dilatat viam actionis eorum, quia, quo magis gratia Spiritus intus replẽtur, eo latius foris bonorũ operum gressus multiplicãt.

Lib.2.in c.18.Prouer. to.8.

24 IDEM in expositione illius loci; Accinxit fortitudine lumbos suos, & roborauit brachiũ suum, dicit. Accinxit Ecclesia lumbos suos fortitudine, cum supernorum desiderijs intenta, carnalibus illecebris succumbere despexerit. Roborauit brachium suum, cum se ad agenda virtutum opera roborauit, & præparauit. Et bene primo lumbos fortitudine accingere, ac postmodum roborare brachium dicitur, quia nimirum actio boni operis acceptabilis esse Domino minime valet, si non fluxa luxuriæ quis prius a carne simul & mente restringat. Vnde propheta: Quiescite, inquit, agere peruerse, discite benefacere. Et Dominus ipse: Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes. Lumbi videlicet præcincti prius, ne luxuriæ subdamini. Lucernæ vero ardentes, vt bonis fulgeatis operibus. Et tunc implebitur; Omnes domestici eius vestiti sunt duplicibus, quia promissionem habent vitæ, quæ nunc est, & futuræ: nunc in peregrinatione temporali diuino auxilio ne deficiant adiuti, tunc in patriæ habitatione, vt felices semper viuant. Item domestici eius induti veste sunt duplici: vna operis, altera mentis, fidei habentes, factorumq. velamina.

Lib.3.in c.11.Prou.

Isaiæ 1.

Luc.12.

25 IDEM exponens verba illa; Psallite Domino in cithara, in cithara, & voce psalmi, sic habet. Non potest esse cithara, si vna chorda defuerit. Quid tibi prodest, si sis castus, si largus in eleemosyna, & inuidiosus sis? Quid tibi prodest, si sex chordas integras habueris, & vnam ruptam? Si vna chorda defuerit, perfectus citharæ sonus esse non poterit.

In Psal. 97. to.7.

26 IDEM in expositione illorum verborum; Vox clamantis in deserto, parate viã Domini, rectas facite semitas eius, ait. Necesse est prius delere vitia per pœnitentiam. Semitæ autem post viam sequuntur, quia mandata moralia post pœnitentiam secundũ Marcum explanantur. Paratur via per fidē, & baptismũ, & pœnitentiam: rectæ semitæ fiunt per austera indicia vestis cilicinæ, & zonæ pelliceæ, & cibi locusti-ni, & potus mellis siluestris. Infra: Vocantur missi quattuor piscatores, Simon, & Andreas, Iacobus, & Ioānes. Hac quadriga vehimur ad æthera, vt Elias, his quattuor angulis construitur prima Ecclesia, his quattuor litteris Hebraicis, ideſt, tetragrammaton, nomen Domini agnoscitur a nobis. Quibus simili exemplo præcipitur, vt audiamus vocē Domini vocãtis, & obliuiscamur populum vitiorum, & domũ paternę traditionis, quę est stultitia corã Deo, & rete aranearũ, in quo nos velut culices pene lapsos tenebat aer inanis, nauem pristinæ conuersationis abominantes. Simon obediens, Andreas virilis, Iacobus supplantans, Ioannes gratia in Latino sonat. Quibus quattuor nominibus in agmen Domini coniungimur: obedientia, vt audiamus, virilitate, vt pugnemus, supplantatione, vt perseueremus, gratia, vt conseruemur. Quæ quattuor virtutes cardinales dicuntur, quia per prudentiam obedimus, per iustitiam viriliter agimus, per temperantiam serpentem calcamus, per fortitudinem gratiam Dei meremur.

In c.1. Marci. to.6.

27 AMBROSIVS inquit. Posuit Dominus Adam in paradiso operari, & custodire illum. Non est idem operari, & custodire. In opere

Lib.de paradiso.c.4.n.1.

enim quidã virtutis processus est, in custodia quædam consummatio operis deprehenditur, eo quod quasi consummata custodiat. Hęc duo ab homine requirnatur, vt & operibus noua quærat, & parta custodiat.

28 AVGVSTINVS de virga loquens Aaron, quæ germinauit, produxit frondes, & protulit flores, & germinauit nuces, dicit. Est primum germen, prima hominis in Christo confessio. Secundo frondescit, vbi renatus donum gratiæ Dei, sanctificationem q. susceperit. Inde affert flores, vbi proficere cœperit, & morum suauitate decorari, ac fragrantiam misericordiæ, & benignitatis effundere. Ad vltimũ quoq; affert etiam fructus iustitiæ, quibus non solum ipse viuat, sed & alijs vitam præbeat. Quando enim per doctrinam suam alios lucrifecerit, hoc est, attulisse fructus, quibus alij nutriantur. Istas quattuor differentias, velut quat tuor ætates Ioannes in epistola sua comprehendit: ait enim: Scripsi vobis pueri, scripsi vobis adolescentes, scripsi vobis iuuenes, scripsi vobis patres. In quibus vtique non corporales ætates, sed spiritualium profectuum differentias ponit. Habentur omnia hæc non tam in virga Aaron, quàm in ea, quæ exijt de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit, supra quem requiescit Spiritus Dei. In quo nec hoc ipsum videtur otiosum, quod exire dicitur virga, & flos ascendere. Quamuis enim vnus sit Christus, singulis tamen diuersus efficitur. Qui ergo segnior est, & negligẽtior pro disciplina, Christus ei efficitur virga, & in virga non ascendere dicitur, sed exire. Exeundum enim est ei, qui inutilis, & ignauus est, de eo statu, in quo non recte consistit, transeundum ad alium statum tamquam virgæ compulsione, id est, seueritate doctrinæ rigidioris admonitu. Qui vero iustus est, quia iustus sicut palma floret, in hoc ascendere dicitur Christus. Sic ergo, qui verberibus indiget, exit ad eum virga: qui autem proficit ad iustitiam, ascendit ei in florem: ascendit autem quousque afferat fructus spiritus, qui sunt charitas, pax, patientia, & reliquæ virtutes.

Serm. 99. de tempore. to. 10.

Num. 17.

1. Ioan. 2.

Isa. 11.

29 BERNARDVS dicit. Inuenerunt pastores Mariam, & Ioseph, & infantem positum in præsepio. Sicut enim Saluatoris infantia manifestam prætendit humilitatem, sic per virginem continentia, iustitia per Ioseph virum iustum non incongrue designatur. Sane continentiam deberi carni quis nesciat? Iustitia vero virtus est, quod suum est cuique tribuens, & hæc erga proximos est necessaria. Porro humilitas Deo nos reconciliat, Deo facit esse subiectos. Vt ergo inueniatur in nobis semper, Maria, & Ioseph, & infans positus in præsepio, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo. Propter hoc etiam apparuit gratia Dei erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc sæculo.

Serm. 4. in die natalis Domini.

Tit. 2.

30 IDEM ait. Tres montes Christus ascẽdit. Primum illum, in quo Dominus transfiguratus est. Ascendentes igitur in hunc montem, & reuelata facie gloriam Domini speculantes, haud dubium quin clamare habeatis & vos: Trahe nos post te. Quid enim prodest scire, quo sit eundum, si quidem qua debeas ire, non noueris? Alterum proinde montem ascendas necesse est, in quo prædicantem audias Dominũ, & scalam erigentem, octo distinctam scalaribus, cuius summitas cælos tangit. Iam si primum ascenderis montem iugi meditatione supernæ gloriæ, istum nihilominus monte ascendere nõ graueris, vt in lege eius mediteris die, ac nocte. Sic enim audies & tu, & quo eam scitis, propter primam ascensionem, & viã scitis, propter secundam. Propterea in corde tuo pone viam veritatis inquirere, ne forte sis de eorum numero, qui viam ciuitatis habitaculi nõ inuenerunt. Magis autem sollicitus esto ascendere, non modo cogitatione cælestis gloriæ, sed & conuersatione, quæ cælestem gloriã mereatur. Tertium nihilominus montem lego, in quem ascendit solus orare. Vides ergo quàm bene sponsa dicit in Canticis: Ecce iste venit saliens in montibus. In primo transfiguratus est, vt scires quo tenderes. In secundo verba vitæ locutus est, vt scires qua peruenires. Orauit in tertio, vt eundi, & perueniendi bonam obtinere studeas voluntatem, vt conualescas ad agenda, quæ videris.

Matt. 17.

Matt. 5.

Matt. 14.

31 IDEM inquit. Fratres, Saluatorem in deserto secuti, existis ad eum extra castra: sed vereor, ne quis forte in triduana expectatione pusillanimis inueniatur, & in Ægyptum sæculi huius nequam, vel corde, vel etiam corpore reuertatur. Merito proinde dicit Scriptura: Expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum, & sustine Dominum. Viam triũ dierum eas necesse est in deserto, si gratum Deo tuo offerre volueris sacrificium, & triduo sisti neas Saluatorem, si miraculo panum desideras satiari. Prima est dies timoris, dies inquam declarans, & illuminans tenebras tuas, interiores scilicet, & horrendum gehennę supplicium demonstrans. Huiusmodi siquidem cogitatio, sicut ipsi nostis, nostræ solet exercere primordia conuersionis. Secunda est pietatis dies, qua in luce miserationũ Dei respiramus. Tertia dies est rationis, in qua veritas innotescit, vt tamquam ex debito quodam naturæ sine aliqua contradictione Creatori subiecta sit creatura, seruus seruiat Redemptori. Miseri ipsi, qui non exiere cum exeuntibus, sed plane miserabiliores omnibus hominibus, qui profecti quidem cum alijs, sed non cum alijs sunt refecti.

Serm. 1. de septem panibus.

Psal. 26.

32 IDEM exponens verba illa; Super custodiam meam stabo, ait. Primus considerationis gradus iste est, vt incessanter consideremus, quid velit Dominus, quid placeat ei. Et quoniam in multis offendimus omnes, humiliemur sub potenti manu Altissimi, & omnino solliciti simus miserabiles nos exhibere in oculis misericordiæ eius. Postquam enim in huiusmodi cogitationibus mundatus est oculus cordis, iam non est in spiritu nostro cum amaritudine, sed in diuino magis spiritu cum multa delectatione versamur. Deinde cum iam in spirituali exercitio aliquatenus profecerimus, ducem sequẽtes spiritum, qui scrutatur etiam alta Dei, cogitemus, quàm suauis sit Dominus, quàm bonus in seipso, orantes cum propheta, vt videamus voluntatem Domini, & visitemus iam cor nostrum, sed templum eius, & cum eodem propheta nihilominus dicentes: Ad me ipsum anima mea conturbata est, propterea memor ero tui. In his enim duobus tota spiritualis conuersationis summa versatur, vt in nostra consideratione turbemur, & contristemur ad salutem, in diuina respiremus, vt de gaudio Spiritus sancti habeamus consolationem, & hinc timorem, & humilitatem, inde vero spem concipiamus & charitatem.

Psal. 26.

Psal. 41.

Serm. 85. in Cantica.

33 IDEM sic habet. Beata mens, quam sibi totam vendicauit sapor boni, & odium mali. Iam si in voluntatis mutatione reddita innotuit animæ vita, in eruditione sanitas, in virtute stabilitas, supereſt, vt decorem illi inueniamus, sine quo speciosa forma præ filijs hominum placere non potest. Deniq; audit: Quia concupiscit rex decorem tuum. Quanta enumerauimus animæ bona, dona verbi, voluntatem bonam, virtutem, sapientiam, & nihil horum Verbum rex cõcupiscere legitur, sed tantum concupiscet, inquit, rex decorem tuum. Ait propheta: Dominus regnauit, decorem induit. Quidni imagini suæ pariter & sponsæ simile cupiat indumentum? Tanto profecto sibi charior illa, quanto similior sibi. In quo ergo animæ decor? An forte in eo, quod honestũ dicitur? ita. De honesto autem exterior interrogetur conuersatio, non quòd ex ea honestũ prodeat, sed per eam. Nam in conscientia, & habitatio eius, & origo. Nihil hac luce clarius, nihil hoc glorioſius testimonio, cum veritas in mente fulget, & mens in veritate se videt. Sed qualem? Pudicam, verecundam, panidam, circumspectam, nihil penitus admittentem, quod euacuet gloriam conscientię attestantis, in nullo conscium sibi, quod erubescat præsentiã veritatis, quo cogatur auertere faciem quasi cõfusam, & repercussam a lumine Dei. hoc plane hoc illud decorum est, quod super omnia bona animæ diuinos oblectat aspectus. Cum autem decoris huius charitas abũdantius intima cordis repleuerit, prodeat foras necesse est tamquam lucerna latens sub modio, immo lux in tenebris lucens, latere nescia. Porro effulgentem, & veluti quibusdam suis radijs erumpentem mentis simulachrum corpus excipit, & diffundit per membra, & sensus, quatenus omnis inde reluceat actio, sermo, aspectus, incessus risus plenus gratitate. Horum & aliorum profecto actuum, sensuumq. motus, cum apparuerint puri, & modesti, pulchritudo animæ palam erit, si tamen non sit in spiritu eius dolus. potest enim fieri, vt simulentur omnia hæc, & non ex abundantia cordis taliter moueantur. Et vt magis eluceat is animæ decor, ipsum honestum definiatur mentis ingenuitas sollicita seruare cum conscientia bona famæ integritatem; vel iuxta Apostolum, prouidere bona nõ tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Beata mens, quæ hoc induit castimoniæ decus, & quemdam velut cælestis inuocentiæ candidatum, per quem sibi vendicet glorioſam conformitatem, non mundi, sed verbi; de quo legitur, quod sit candor vitæ æternæ, splendor, & figura substantiæ Dei. Ex quo iam gradu audet, quæ huiusmodi est, cogitare de nuptijs. Quidni audeat eo se nubilem, quo similem cernens? Non terret celsitudo, quam sociat similitudo, amor conciliat, profesio maritat. Profesionis forma hæc est: Iuraui, & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Vnde apud prophetam gloriatio maritatæ hæc est: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.

34

2. Cor. 8.

Sap. 7.

Psal. 118.

Psal. 72.

Ad virtutem multa nos debent monere, & vt ea summa cura statim in iuuentute inchoetur, a qua recedendum non est. Cap. XI.

1 ORIGENES inquit. Iubetur Moyses virga percutere mare, vt ingredienti populo Dei dehiscat, & cedat, ac volũtati diuinæ elementorum famulentur obsequia, & aquæ, quæ timebantur, dextra, leuaque famulis Dei murus effectæ, non solum perniciem nesciant, sed & munimen exhibeant. Cogitur ergo fluctus in cumulum, & vnda in semetipsam repressa curuatur: soliditatem recipit liquor, & solum maris aresit in puluerem, vt sicca planta populus Dei transiret. Bonitatem Dei Creatoris intellige, si voluntati eius obtemperes; si virtutem facias, si legem eius sequaris, ipse tibi elementa etiam contra sui naturam seruire compellit. Vtque simul transirent, & facilius liberarentur, audiui a maioribus traditum, quòd in ista digressione maris singulis quibusque tribus, singulæ aquarum diuisiones factæ sint, & propria vnicuique tribui in mari aperta sit via: idq. ostendi ex eo, quod in psalmis scriptum est: Qui diuisit mare rubrum in diuisiones. Per quod multæ diuisiones docentur factę non vna. Sed & hoc, quod dicitur ibi: Beniamin adolescentulus in mentis excessu. Principes Iuda, duces eorum, principes Zabulon, principes Neptalim, nihilominus vnicuique tribui proprius enumerari videtur ingressus.

Hom. 5. in Exod. to. 1.

Psal. 135.

2 IDEM vbi disserit de virga Aaron, quæ floruit, & nuces attulit, dicit. Fructus hic primo quidem indumento amarus est, sequenti minuitur, & tegitur, tertio sumentem pascit, & nutrit. Talis est in adiutorio Christi doctrina, legis, & prophetæ, vbi virtutem optetari iubemur. Prima litteræ facies satis amara est. Sed amarum nucis cortice proijce:

Homil. 9. in c. 17. Num.

Secundo in loco ad munimenta testæ peruenies, in quo vel moralis doctrina, vel ratio continentiæ designatur. Quæ necessaria quidem sunt ad custodiam eorum, quæ seruantur intrinsecus frangenda, quandoque tamen & sine dubio dissoluenda sunt. Vt si verbi gratia dicamus: abstinentia ciborum, & castigatio corporis, donec sumus in corpore isto passibili, sine dubio necessaria est. Cum autem confractum fuerit, ac resolutum, & incorruptibile ex corruptibili redditum in resurrectione, non iam labore afflictionis, nec abstinentiæ castigatione, sed qualitate sui nulla iam corpori corruptela dominabitur. Tertio autem loco reconditum in his inuenies, quo nutriantur, & pascantur animæ sanctorum, non solum in præsenti vita, sed etiam in futura. Iste est pontificalis fructus, de quo promittitur ijs, qui esuriunt, & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Sic tres puteos fodit Isaac Patriarcha, quorum solus tertius ab illo latitudo, vel amplitudo nominatus est.

Hier. 1. Virga hæc nucea est, de qua prophetauit Hieremias, quod viderit virgam vigilantem, & ollam succensam: quasi si ostenderet per hæc, in virga nucea esse vitam, & in lebete succenso esse mortem: ita enim & mors ponitur ante faciem nostram. Et est vita quidem Christus in sacramento nucis, mors autem diabolus in figura lebetis succensi. Si ergo peccaueris, portionem tuam pones cum lebete succenso; si autem iuste egeris, efficietur portio tua in virga nucea cum magno Pontifice Christo.

3 BASILIVS ad adolescentes, quomodo ex Gentilium doctrinis proficiant, ait.
Hom. 24 ex Varijs. to. 1. Moyses, cuius est in sapientia nomen apud omnes homines maximum, Aegyptiorum disciplinis mentem excitatus, ita ad Dei contemplationem peruenit. Similiter & in sequentibus temporibus Danielem in Babylonia Chaldæorum sapientiam dicunt didicisse, & tunc demum diuinas attigisse doctrinas. Sed disciplinis his siue poetarum, siue philosophorum sic vtendum est, vt non omnibus, quæ dicunt, mentem adhibeamus, sed eis tantum, quæ bonorum hominum facta, dictaue nobis enarrauerunt, illaq. imitari, & omnibus modis similes eis esse conari cēseo. Quando vero ad infames, & nefarios homines veniant, hæc omnino vitare, his aures obstruere non minus, quàm Vlyssem ad cantus Syrenarum fecisse dicunt, oportebit: nam prauis assuescere sermonibus via quædam est ad rem ipsam: ea horum recipiamus, in quibus virtutem laudauerunt, vel vitium vituperauerunt. Sicut apes mel ex floribus colligunt, sic & qui diligentes in legendo existunt, nō solum, quod dulce, iucundumq. fuerit, in eorum libris persequuntur, sed quamdam ex eis vtilitatem animo referre contendunt. Velut item apes non omnibus floribus similiter insident, neque ex eis, ad quos accedunt, omnia auferre conantur, sed quantum ipsis ad opus necessarium fuerit comprehendentes, reliquum dimittunt.

4 Nos etiam sobrij, sapientesq. quantum congruum nobis ex ipsis fuerit, persequamur, reliquum prætereamus. Et sicut in colligendis rosis spinas vitamus, sic in talibus sermonibus quidquid est vtile carpentes, noxium vitemus. Et quando per virtutem ad vitam bonam ascenditur, virtus autem ipsa plurimum a poetis, historiographis multo magis, & philosophis commendatur, talibus eorum sermonibus maxime vacandum. Nam prima quidem vtilitas est, in animis iuuenum virtutis esse commercium, ac consuetudinem, quorum semel acceptæ doctrinæ ob animorum teneritudinem perpetuo remanent intime illis infixæ. Nec aliam ob causam Hesyodum putamus hos scripsisse versus ab omnibus decantatos, nisi vt iuuentutem in primis ad virtutem adhortaretur.

Ad vitium facilis, vicinaq. semita cunctis
Panditur, at virtutis iter posuere remotum
Cælicolæ, durumq. prius, sed vertice summo
Dum fuerit, palam se offert quærentibus illud.

Mihi autē his carminibus videtur nihil aliud auctor voluisse, quàm ad amplectendam virtutem iuuenes excitare, vt nec initio voluptati confiderent, nec rerum tædio, ac labore ante consecutum terminum deficerent. Ego etiam ex viro graui, qui maxime poetarum sensus tenebat accepi, Omnis Homeri poesis virtutis est laus, & eius omnia ad hunc finem referuntur. Maxime autem vbi ducem Cephalensium nudum e naufragio seruatum scripsit. Primum quidem reginam apparentem solum veritum esse, tanti modestiam, ac nuditatis verecundiam extimasse, vnde loco vestis virtutis ornatum sumpsit, ac Phæacibus omnibus tanti postea fuit, vt relictis illi delicijs, quibus magnopere diditi fuerant, eius imitarentur exemplū, & se nihil potius optarent, quàm esse Vlyssem, quamquam nudum, & e naufragio seruatum. Quo sane exemplo enarrator mentis poetæ nihil aliud Homerum intēdere, & tantum clamare voluisse affirmat, O viri curanda ante omnia nobis virtus est, quæ naufraganti præsto adest, & connatat, & in terra nudum existentem, honoratiorem Phæacibus delicatis ac felicibus reddit. Virtus enim sola possessio immortalis, viuenti, ac morienti permanens. Infra: Corpori illud solum indulgendum (aiebat Plato) quāto ei opus est, vt philosophiæ ministerium, atq; auxilium suppeditet? Quod sane dictum cum Pauli conuenit sententia, qui monet nullam corporis habendam diligentiam, rationemve ad concupiscentiæ materiam. Est itaque totum corpus castigandum magis, ac feræ cuiusdam instar cohibendum, & ab ipso aduersus animam tumultus orientes ratione veluti flagello compescendi, ne frenum voluptati omnino laxando, mens veluti ab equis contumacibus, & minime obtemperantibus misere feratur, ac rapiatur. Ac inter cetera Pythagoræ meminisse dicti oportet, qui videns quemdā exercitationibus, ac cibis, laute, appositeq.

sitеq. sese curantem, ac saginantem, Heus, (inquit) miser, non desinis continuo duriorem tibi carcerem præparare? ideo & Platonem dicunt, cognito, quod ex corpore est, nocumēto, Academiam Athenis in loco pestilenti elegisse, vt nimiam corporis prosperitatem veluti vitem palmite luxuriantem amputaret.

6 IDEM docet, quod nullo modo impediri
In lib. Mor. sent. reg. 19. cap. 1. to. 2. debet, qui Dei voluntatem facere velit, sed in suscepta deliberatione permanere, & dicit.
Matt. 3. Venit Iesus ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego a te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus ait: Sine modo; sic enim decet nos implere omnem
Matt. 16. iustitiam. Et alibi: Cœpit Iesus ostendere discipulis suis, quod oporteret eum ire Hierosolymam, & multa pati a senioribus, & scribis, & occidi: & Petrus cœpit increpare eum, dicēs: Absit a te Domine, non erit tibi hoc. Qui conuersus dixit Petro: Vade post me Sathana: scādalum tu es mihi, qui non sapis ea, quæ Dei sunt, sed quæ hominum. Superuenit quidā vir a Iudæa, nomine Agabus: is, cum venisset ad
Act. 21. nos, tulit zonam Pauli, & alligans sibi manus, & pedes, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus, virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem, & tradent in manus gentium. Quod cum audissemus, rogabamus nos, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respōdit Paulus, & dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? Ego autem non solū alligari, sed & mori in Hierusalē paratus sum propter nomen Domini Iesu. Et cum ei persuadere non possemus, quieuimus dicentes: Domini voluntas fiat.

7 IDEM ait. Absurdum est, si extra pericu-
In ep. 118. ad Eudox. la philosophantes, in aduersis, vbi opus est, deprehendamur nihil minus quàm philosophi. Aristoteles, cum felicitatē nobis definiret, rectē progressus est, definiens illam esse animæ circa virtutem energiam, adijciens autem in ætate perfecta, quodq. & ipsum valde clare expressit propter concilam nostram, mutabilemq. naturam. Illud vero non præclare, sed admodum abiectе, quòd & mundanarū rerum, quæ extra hominem sunt, facultatem & abundantiam adiecit, quasi si pauper quisquam forte sit, vel morbidus, aut ignobilis, vel exul, ob id felicitatis particeps esse nequeat. Laudo vero animi dexteritatem, & prestantiam in Stoicis, qui nihil eorum, quæ extra hominem sunt, a felicitate impedire dicunt, sed felicem esse eum, qui virtutis studio incumbit, etiam si in Phalaridis tauro concremetur.

8 CHRYSOSTOMVS inquit. Habet
Hom. 48. in Matt. to. 2. virtus caput, & membra omni muliere formosa multo venustiora, ac pulchriora. Quod igitur caput virtutis est? Humilitas certe: quapropter ab ipsa incipit Christus, dicens: Beati
Matth. 5. pauperes spiritu. Hoc caput etsi nec cæsariem nec crines habeat, sic tamen pulchrum est, vt
Isa. 56. Deum ad seipsum attrahat. Ad quem enim inspiciam, ait, nisi ad mitem, & quietum, & humilem? Et oculi mei super mites terræ: & prope est Dominus tribulatis corde. Perspexisti caput, quod numquam vidisti, vide nūc etiam faciem, ac primum attende qualis color eius sit, quàm rubicundus, quàm floridus, quàm gratiosus, quæ constat ab erubescentia & pudore. Quòd si oculos quoque velis aspicere, considera modestiam, quanto decore, quanta diligentia depingantur, vnde nō solum speciosissimi, verumetiam tam acri acumine pollent, vt vel Dominū ipsum aspiciant. Beati enim, inquit, *Matt. 5.* mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Huic capiti os est sapientia, & intellectus, & spiritualium cantuum perpetua vox. Cor autem magna Scripturarum peritia, veri dogmatis conseruatio, misericordia, & benignitas. Pedes ac manus habet, quibus recta opera ostēdat. Animata est pietatis, & rectæ fidei anima. Pectus aureum ac adamante robustius ipsi est fortitudo, per quam efficitur, vt numquam pectus hoc queat infringi. Spiritus autem, qui animalium corda, & cerebrum continet, charitas est. Vis re ipsa tibi hanc imaginem ostēdamus? Hunc ipsum Euangelistam considera, cuius possumus ex paucis coruscantem effigiē eius videre. Quanta enim humilitate, & contritione rutilaret, inde cognosces, quia vel posteaquam præest Euangelio, Publicanum seip- *Matt. 9.* sum nominat. Misericordiam vero eius inde percipies, quia cunctis exutus, Iesum sequebatur. Sincerā fidem de dogmatibus percipies. Prudentiam, & charitatem ab Euangelij compositione facile intelliges. Vide quantam peritiam, quantamq. vniuersi orbis curam gerebat. Fortitudinē eius cognoscimus, quia cum gaudio cœtui conuersabatur: bonorum autem operum ostentationem, quia in sublimi sede omnino sessurus est.

9 IDEM ait. Si virtuti nos tradamus, nihil
Homil. 54. poterit nobis dolorē inferre. Hæc enim spem bonam suggerit, semper hęc, & Deo nos reconciliat, & hominibus gratos facit, hæc denique ingenti animum replet voluptate. Nam etsi laboriosa virtutis operatio esse videtur, facile tamen efficit, vt cum nullis stimulis conscientiæ animus pungatur, magno semper fruatur gaudio, adeo vt nemo id oratione possit exponere. Quid enim tibi videtur in præsenti vita iucundum, atque suaue? Mensa ne delicioſa, bona valetudo corporis, ingens gloria, diuitiarum copia? Sed hæc illi voluptati, quæ virtutem consequitur, collata, amara, & mæstitiæ plena videbuntur. Nihil enim aliud iucūdum est, quàm cōscientia proba, & spes futurorum certior. Quòdsi vultis firmiter credere iam moriturum hominem, vt a senio confectum, cum ei in memoriam primum reduxerimus magnificæ mēsæ, insignis gloriæ, præcipuæ laudis, & gestarum rerum, quas ex officio virtutis operatus est, tunc demum interrogemus, quibus maxime gaudet, & videbimus non mediocri pudore ipsum propter illa cōmoueri, propter hæc autem, quæ rectе fecit, tanta lætitia gestientem, vt salire, & volare videatur. Sic &

Ezechias

4. Reg. 20 Ezechias, cum ægrotaret, non mensæ deliciarum plenæ recordabatur, non eximiæ gloriæ, non regnorum, & imperij, sed iustitiæ, ac rectæ conscientiæ. Memento enim, inquit, quomodo ambulauerim in conspectu tuo in via recta. Paulum quoque vide propter hęc exultantem, 2. Tim. 4. ac dicentem: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidē seruaui. Sed quid aliud, inquies, Paulus poterat dicere? Honores certe, gloriam, ceteraq. huiusmodi, nec parua, nec Gal. 4. pauca. An non audis ipsum dicentē; Sicut Angelū Domini suscepistis me, sicut Iesum Christum; & si possibile fuisset, oculos vestros effodientes, dedissetis mihi? Nihil autem horum omnium, sed labores, sed pericula, & repositas pro his sibi coronas in mediū attulit. An ignoratis quemadmodum in die nouissimo acerba recordatio est delictorum, quomodo funditus cor euertit, quomodo summis doloribus cruciat? Tunc igitur, tunc iucunda bene actæ vitæ memoria quasi tranquillitas post tempestatem veniens, conturbatam facile animam consolatur.

10 IDEM ait. Antiquorum infrigidatio erat, Hom. 34. ex imperfec. in Matth. cognoscere mundi spatia esse longinqua: & quamuis ante finem mūdi in manu Dei essent ituri, tamen quodammodo negligentes eos faciebat circa iustitiam, & refrigescere faciebat animos eorum expectatio sæculi longioris: ideo ergo quamuis non per omne sæculum vixerint, tamen totius sæculi grauamina, & impedimenta pertulisse videntur. Itē tunc mundus in iuuentute constitutus, omnibus bonis prosperabatur, & felix erat; nunc autem mundus senescens, omnibus aduersitatibus premitur, & ideo concupiscibilis non est. Qui ergo tunc fuerunt homines, cum maiori difficultate, & labore iustitiam seruauerunt, quia ipsa felicitas mundialium rerum satis impedimentum est animæ ad iustitiam faciendam. Nunc autem facilius homines, iustitiam facere possunt, quia ipsa aduersitas, & angustia mundialium rerum adiuuat animam ad iustitiam faciendam. Sicut facilius est homini pauperi, & in angustia constituto disciplinam tenere, diuiti autem, & abundanti difficile, sic illis inter gaudia mundi difficile fuit tenere iustitiā, nobis autem inter tribulationes mundi facile. Multum ergo tunc bonus erat, & fortis in fide, qui poterat euadere vanitatem, nunc autem multum iniustus non deserens. Primi ergo, qui Matt. 20. ad vineam venerunt, aiebāt, Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei, & æstus? Ergo pondus, quod dicit, opus iustitiæ significat, quia graue est homini carnali amare iustitiā. Æstū autem dicit concupiscentias sæculi, quas tunc patiebantur, mundi iuuentute florente.

11 IDEM dicit. Nihil tam stultos homines Hom. 40. in Joan. to. 3. facit, sicut malitia, nihil sapientiores reddit, quàm virtus; etenim gratos, benignos, mites, humanos, mansuetos, lenes efficit. Quid ita affectis prudentius? Fons, mater, radix sapientiæ virtus: non secus ac malitia omnis ex stultitia oritur: siquidem superbus & iracundus, quoniam sapientia carent, his affectibus absumuntur. Ideo ait Propheta: Non est sanitas Psal. 37. in carne mea a facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis a facie insipientiæ meæ, vt omne peccatum e stultitia ortum habere demonstret. Nam qui virtuti studet, qui Deum timet, is sapientissimus est. Initium sapientiæ timor Eccls. 1. Domini.

12 IDEM dicit. Sancti virtutem operabantur propter ipsam, non regni, aut gehennæ intuitu. Quantis igitur lachrymis digni, qui, cum tanta polliceatur Deus, vt virtuti studeamus, nec sic audimus eum. Nunc perinde sit ac si rex quidem heredes suos, & coheredes filios volēs facere, post innumera etiam alia beneficia contemnatur. Princeps autem latronum, qui innumeris malis & nos, & parentes nostros affecit, & impleuit, & confundens nostram, cum gloriam, tum salutem, vnico dumtaxat obolo monstrato adoratur a nobis. Regnum promittit Deus, & contemnitur, gehennam apparat diabolus, & honoratur: hic diabolus est, ille vero Deus. Sed videamus præceptorum discrimen. Si enim nihil horum esset, & hic non esset diabolus, ille vero non esset Deus, & hic non gehennam, nec ille regnum exhiberet, nonne ipsa mādatorum natura sufficeret ad hoc persuadendū? Quid igitur vterque imperat? Hic ea, quæ confundunt, ille ea, quæ glorioſos reddunt: hic ea, quæ innumeris inuoluūt calamitatibus, ac turpitudinibus, ille ea, quæ multum refrigerij concedunt: ille Matt. 11. dicit: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus vestris: hic inquit, ferox esto, & immansuetus, & iracundus, & bestia magis, quàm homo. Nonne suauior mansuetudo, quàm ira, & temeritas? Nam mansuetus quidem sibiipsi dulcis, & alijs est vtilis: iracūdus vero & sibi insuauis, & alijs damnosus. Quemadmodum enim dies candidus ac lucidus, & hiems plena conturbatione inter se multum distant, ita etiam iracundi, ac mansueti animæ.

13 IDEM exponens locum illum; Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, Hom. 30. in c. 12. ep. Paul. ad Hebræos to. 4. sed mœroris, postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiæ, dicit. Qui amara bibunt antidota, patienter ferunt quidem primum molestiam, & tunc sensum percipiunt sospitatis. Tale quiddam est etiam virtus, tale quoque malitia. In ista primum est voluptas, & sequitur ægritudo, in illa vero primum est mœstitia, & tunc iucunditas procreatur. Sed nihil simile est, cum primum aliquis contristatur, & postea gaudio perfruitur, & cum primo gaudetur, postea in mœrores incidere. Et quomodo hoc? Hic enim timor futuræ tristitiæ domat præsens gaudium, illic autem spes futuræ iucunditatis detrahit præsenti tristitiæ. Ex hoc contingit, vt illic numquam prorsus gaudeatur, hic autem numquam prorsus dominetur. Et non in hoc tantum differentia constat, sed quia neque temporis

poris in vtrisque declaratur æqualitas, quia malitiæ gaudium temporale est, in spiritualibus vero gaudium est, & iucunditas sempiterna. Item dixit Paulus: Omnis disciplina in præsenti videtur non esse gaudij, sed mœroris. Bene dixit, videtur, quia non est, inquit, res tristitiæ disciplina, sed videtur esse. Qualis namque mœror est, qui existat occasio gaudiorum? sicut nec voluptas est, quæ sit causa tristitiæ. Postea vero, inquit, fructum pacatissimū exercitatis per eam reddet iustitiæ, non fructum, sed fructuum abundantiam numerosam.

14 IDEM inquit. Nihil virtuti par. Hæc enim & in futuro sæculo a gehenna nos eripit, Hom. 72. ad pop. Antio. & regni largitur nobis possessionem, & in præsenti vita nos omnibus superiores constituit, qui temere & incassum nobis insidiari conantur, nec hominibus tantum, verum & ipsis dæmonibus fortiores efficit. Quid igitur huic sit æquale, cum non tantum hominibus insidias parantibus, verum & dæmonibus superiores reddat ipsam sectantes? Virtus autem est omnia humana despicere, & per omnes horas futura cogitare, nulli inhiare præsentium, sed scire, quod omnia humana vmbra sunt, & somnium, & si quid his vilius. Virtus quasi mortuum ad huius vitæ res efficit, & ad nocentia quidem animæ saluti tamquam mortuum ope ratione carere, ad spiritualia vero sola viuere, Gal. 2. & operari. Sicut Paulus dicebat: Viuo autem iam non ego, viuit autem in me Christus.

15 HIERONYMVS ait. Pythagorica & In apologia aduers. Rufinum. to. 2. illa præcepta sunt; Amicorum omnia sunt cōmunia: & amicum seipsum esse alterum: duorumq. temporum maxime habendam curam mane, & vesperi, ideſt eorū, quæ acturi sumus, & eorum, quæ gesserimus. Post Deum veritatem colendam, quæ sola homines Deo proximos faciat. Illaq. ænigmata Aristotelis ad virtutem sunt accommodata; Cor non comedendum, ideſt mœrorem de animo proijciendum. Per viam publicam ne ambules, ideſt ne multorum sequaris errores. Hirundinem in domum non recipiendam, ideſt garrulos, & verboſos homines sub eodem tecto non habēdos.

16 IDEM dicit. Consuetudo est, quæ aut vi- In ep. 1. quę est ad virg. Demetriad. to. 9. tia, aut virtutes alit, quæque in his plurimum valet, cum quibus ab ineunte ætate simul creuerit. Optimi sunt ad institutionem morum primi quique anni; habent enim in se lentum quiddam & molle, quod facile formari queat, atque ad arbitrium violentis trahi, & in cunctis fere rebus citius assuescatur omne, quod tenerum est. Nouellas adhuc & vix firmæ radicis arbusculas, dum ad omnem ductum sequaces sunt, in quamlibet partem flecti facile est, quæ natura plerumque curuatæ cito ad arbitrium colentis corriguntur. Tenera adhuc & primæ ætatis animalia sine labore domari solent, quantoq. citius a vagandi libertate dissuēta sunt, tanto facilius vel colla iugo, vel frenis ora insuescunt. Ipsa quoq; litterarum studia teneris melius inseruntur ingenijs, idq. penitus inhærere sensibus solet, quod primitus sederit in mente. Hoc idem plurimum etiam in bene viuendi ratione valet, dum adhuc mobilis est ætas, & animus duci facilis; exercenda boni consuetudo, & iugi meditatione confirmanda est; occupandum est optimis rebus ingenium, & sanctæ conuersationis vsus altius inserendus est. Tunc vero ad perfectionis fastigium animus ascendit, & longæ consuetudinis beneficio vtitur ad bene viuendi facultatem, & virtutes suas ipse etiam miratus secū, quodammodo in se putabit natum, quod didicit.

17 IDEM in enarratione illius loci; Vade ad formicam, o piger, & considera vias eius, & di- Lib. 1. in c. 6. Prou. to. 3 sce sapientiam, quæ, cum non habeat ducem, neque præceptorem, parat æstate cibum sibi, & congregat in messe, quod comedat, inquit. Si tantillum animal principe carens, & rationis expers, natura duce sibi prouidet in posterum, multo magis tu ad imaginem Dei conditus, ad videndam eius gloriam vocatus, doctorū magisterio adiutus, ipsum Cōditorem habens ducem, debes in præsenti bonorum operum fructus congregare, quibus in æternum viuas in futuro. Hæc enim vita in eo messi comparatur, & æstati, quod nunc inter ardores tentationum tempus est colligendi futurorum merita præmiorū. At dies iudicij similatur hiemis rigoribus; quia tunc nimirum nulla relinquitur facultas pro vita laborandi, sed tātum cogitur quisque de horreo priscæ actionis proferre, quod recondidit. Formica erit strenuus quisque, & prouidus operarius, qui in præsenti vita velut in æstate fructus iustitiæ, quos in æternum recipiat, sibi recondit. Sapientia ergo bene operandi discenda est a formica.

18 IDEM edisserens verba illa; Qui negligit Lib. 2. in c. 13. Prouer. damnum propter amicum, iustus est, dicit. Si hoc de generali pecuniæ largitione, & puro homine amico recte dicitur, quanto magis iustitiæ corona dignus est, qui propter eum, qui dixit: Dico vobis amicis meis, ne terreamini ab Luc. 12. his, qui occidunt corpus, vel vendens, quæ possidet, pauperibus tribuit, vel rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipit, vel certe ipsam in passione carnem mortificandam, siue occidendam tradit?

19 IDEM exponens illa verba; Prouerbium In cap. 22. est: Adolescens iuxta viam suā, etiā cum senuerit, non recedet ab ea, inquit. Constat plerosq; in senectute Domino donante mutari a vitijs, quæ adolescentes habuerant, & e contra nonnullos illo se deserente deserere circa senium virtutes, quibus ab adolescentia videbantur illustrati. Sed quia multo sæpius quisque mores, quibus ab adolescentia imbutus est, in reliquum vitæ tempus exequi consueuit, prouerbium esse dicit, quia quod adolescens quisque coperit, in senecta non mutauerit; non tamen ipsum semper ita venire confirmat. Idcirco autem huiusmodi prouerbium ponit, vt auditores suos a prima ætate virtutibus studere persuadeat, ne forte in senectute non possint deserere studia, quibus in tenera ætate mancipari

cipari despexerant. Nam & quo semel est imbuta, recens seruabit odorẽ, testa diu. Et Græca narrat historia, Alexandrum potentissimũ regem, orbisq. domitorem, & in moribus, & in incessu Leonidis pædagogi sui non potuisse carere vitijs, quibus paruulus adhuc fuerat infectus.

20 In c. 12. Ecclesiastes. IDEM enarrans locum illum; Antequam rumpatur funiculus argenti, & recurrat vitta aurea, & conteratur hydria super fontẽ, & confringatur rota super lacum, & reuertatur puluis in terram suam sicut erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, vniuersa vanitas, ait. Præmiserat in exordio huius capitis; Memento Creatoris tui in die iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, antequam veniat dies malitiæ, & antequam tenebrescat sol, & luna, nunc cœptam sententiam simili fine concludit dicens: Antequam rumpatur funiculus argenti. Funiculus autem argenti candidam hanc vitam, & spiramen, quod nobis de cælo tribuitur significat. Rursus quoque vittæ aureę anima est, quæ illuc recurrit, vnde descenderat. Porro contritio hydriæ super fontem, & confractio rotæ super lacum, per metaphoram mortis ænigma sunt. Quomodo enim hydria, quæ conteritur, cessat haurire, & rota, per quam de laqueo & puteis leuantur aquæ, confracta fuerit, aquæ vsus intercipitur, ita & cum funiculus argenti fuerit interruptus, & animæ riuus recurrit ad fontem, interibit homo. Cum ergo interire debeat homo, pulchre post descriptionem interitus humani, exordiũ libri sui repetens, ait: Vanitas vanitatum, dixit Ecclesiastes, & omnia vanitas. Cum enim cunctus mortalium labor, de quo in toto volumine disputatum est, huc perueniat, vt reuertatur puluis in terram suam, & anima illuc redeat, vnde sumpta est, magnæ vanitatis est in hoc sæculo laborare, & nihil profutura conquirere.

21 Libro 1. de Cain, & Abel. c. 6. to. 1 *Eccls. 5.* AMBROSIVS sic habet. Qui diligit argentum, non satiabitur argento, nec est finis acquisitionis eorum. Si quæris thesauros, accipe inuisibiles, & occultos, quos in cæli altissimis, non quos in terrarum venis requiras. Esto pauper spiritu, & eris dives, quia non in abundantia diuitiarum vita est hominis, sed in virtute ac fide. Istæ te diuitiæ verum diuitem facient, si sis in Deum dives. Iacob non mundi huius copias, sed virtutum disciplinas sibi suppetere gaudebat. Qui studiose virtutẽ fuerit prosecutus, primatus benedictionis accipiet, sicut patriarcha Iacob, qui continentia, & fide humanarum supplantauit vestigia passionum. Iste ait, Misericordiam mei habuit Deus, & sunt mihi omnia. Hanc itaque misericordiam nos fide, studio, operibusq. mereamur. Quibus disciplinis inuenit Israel gratiã Dei, & per ipsam omnia. Virtutes nobis substituamus heredes, quas sanctus Abraham in Isaac filio suo substituit sibi, omen operum suorum deputans hereditatem sapienti, & iusto viro, *Gen. 25.* nec vllum ius hereditarium ancillis, vel ancillarum filijs derelinquens, sed tantummodo donationis munera. Perfectæ enim virtutes totum accipiũt gloriæ patrimonium. Hæc cum audit mens, auertit se a voluptate, virtutiq. adiungit, veri decoris admirans gratiam.

22 In cap. 8. IDEM vbi docet, quod munera Cain Deo non fuerunt accepta, quia post dies obtulit ex fructibus terræ munus Domino, ait. Prima voti gratia est celeritas solutionis. Abraham filium suum in holocaustum iussus offerre, non post dies, vt Cain obtulit, sed exurgens nocte strauit asinam suam, & adhibuit secum duos pueros, & Isaac filium suum, & concidens ligna ad holocaustum, surgens abijt, & venit ad locum, quem dixerat ei Deus die tertia. Primo aduerte immolãtis studium maturum, atque festinum, vt mora expectationis non esset, nisi donec audiretur oraculum. Alibi etiã, cum visus esset Deus Abrahæ ad ilicem Mambre, respiciens Abraham vidit tres viros: & videns occurrit obuiam illis ad ostium tabernaculi sui, & adorabit super terram, & dixit: Domine si inueni gratiam ante te. Cognosce celerius studia deuotionis: Cucurrit, inquit, & accepit vitulum vnum, tenerum, & bonum, & dedit puero, & festinauit facere eum: vbique impigra deuotio, & ideo fuit Deo eius munus acceptum. Habes alibi, vt solis ortum oratione præuenias. Occurre, inquit, ad solis ortum. Habes in Euangelio dicentem Iesum: Zachæe festinans descende, & ille festinans descendit, & accepit eum gaudens. Et ideo probauit Dominus eius affectum, & cum celeri remuneratione donauit, dicens: Quia hodie salus domui huic facta est. Festinauit enim & Dominus ad beneficium, & ideo non expectauit vt promitteret, & impleret omnia, sed ante fecit postea declarauit. Dixit enim, facta est salus; quod vtique præuenienti seruit, non promittenti. Ideo patres nostri festinantes manducabant pascha, succincti lumbos, & pedes suos calceamentorum exuentes vinculis, & tamquã onus corporeum deponentes, vt essent parati ad transitum. Pascha enim Domini transitus est a passionibus ad exercitia virtutis. Cito ergo virtutem quære anima, vt cito etiam audias sicut audiuit & Iacob: Quid est hoc, quod tam cito inueniſti fili mi? Et ille respondit: Voluntas Dei fuit, vt cito inuenirem. At vero Pharao, qui opinionibus vanis & inanibus studium impendebat suum, ranis repleta Ægypto, sonũ inanem rerum, & strepitum varium reddentibus, dicenti Moysi: Constitue mihi quando pro te orem, & pro populo tuo, vt exterminet Dominus ranas, cum debuerit in tãta positus necessitate rogare, vt iam oraret nec differret, respondit: Crastina die, otiosus, & negligens, moræ pœnam Ægypti soluturus excidio. *Gen. 18.* *Exo. 8.*

23 Serm. 2. in Psal. 118. IDEM explicans illa verba; In quo corrigit adolescentior viam suam? in custodiendo sermones tuos, ait. Optime dixerat Dominus: Bonum est viro, cum portauerit iugũ ab adolescentia *Tren. 3.*

lescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit, & leuabit se supra se. Non solũ tollere iugum verbi, sed in iuuentute debemus tollere. Præueniamus ergo iuuentutis annos correctione cõgrua, vt magis dicamus singuli, Deus, qui pascit me a iuuentute mea, quam recordationem *Psal. 24.* habentes lapsuum defleamus, dicentes: Delicta iuuentutis meæ, & ignorantiæ meæ ne memineris. Bonum est homini, cum tulerit iugũ in adolescentia. Ei autem, qui post decursæ iuuentutis annos iugum tulerit, non est statim perfectum bonum. Stimulant enim eum peccata sua, exagitat conscientiam consuetudo peccandi, & vsus erroris instabilem facit: luctandum est diu huiusmodi viro, vt abolere faciat inueterata, atque diuturna: huic in periculo res est, illi in bono. Deniq; sedebit ille singulariter, quasi is, qui facile nõ inueniat æqualem, singularibus donatus præmijs, & sedebit quietus, & feriatus ab omni interpellatione mundanæ sollicitudinis, & voluptatis, & diuinis vacabit oraculis, quę solent singulariter sedentibus reuelari. Sedebit solus, non solum secretus a turbis, verumetiam segregatus a meritis plurimorum. Deniq; reuelationes illi diuinæ gratiæ refulgebant, cuius muneris fructũ pro mercede adipiscebatur, quia a iuuentute suã iugum verbi susciperẽdum putauit, nec trahenda longo diutius fune peccata. Potest adolescentior iste, qui fecit bonum, tollendo in iuuentute iugum verbi nondum perfectus, qui adhuc iunior segregans se a colloquijs æqualium, quę plerumq; corrumpunt bonos mores, & contagia volens fugere peccãtium, ita intelligi singulariter sedere, & silere, ne rudis ætatis facilitate labatur, sed intendere seniorum preceptis, laudãdus eo, quia prius vult loquenda cognoscere, quàm proferre, quæ sentiat, antequã loqui discat, timens ne multiloquio peccatum contrahat. Vnde puto & Pythagoram illum philosophum imitatorem iuuenis huius prophetici instituisse sectam, vt discipuli sui quinquennio non loquentes, tanto silentio loqui discerent: cum præsertim & Dauid superioris ætatis quàm Pythagoram fuisse non dubium sit, qui ait: Dixi, custodiam vias meas, vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam. Et quia forte aliquando aliquid locutus esset incautius, ideo postea a Deo poni ori suo custodiam postulauit. Isaias etiã cum audisset, Clama, non prius clamauit, quàm audiret quid clamare deberet. Respondit enim: Quid clamabo? & dictum est ei: Omnis caro fœnum. Vterque igitur iuuenis prædicandus, ille tamen serius, hic cautus, ille seipso contentus, & numquam sibi solus, iste pulchram ætati lubricæ disciplinam ascisces silentij, nec adhuc sibi abundans, sed alijs se timens credere, quærens tamen a iuuentute congregare, quæ in senectute, & sibi, & proximis suis profint. *Eccli. 25.* Ne dicatur ei: Quæ in iuuentute non collegisti, quomodo inuenies in senectute? Ergo is, si in consilio seniorum sederit, manum adhibebit ori suo, vt audiens sentẽtias colligat, quas sibi ad maturiorem seruet ætatem. Quemadmodum Ioãnes, cum caput suum supra pectus Iesu Domini reclinaret, hauriebat profunda secreta sapientiæ. En tibi iuuenem, qui viam suam in iuuentute correxit. Piscator erat cum fratre suo, viam sæculi cœperat currere, sed auditis Christi imperijs, deseruit viam mundi, secutus est Christum. Probauit, quia in eo corrigit iunior viam suam, si Christi verba custodiat, dicens ad eum: Diligamus vbera tua super vinum. *Cant. 1.* Bibens hoc vinum, aperuit oculos suos, & vidit viam rectam, reliquit vias tortuosas, dicens: Recti diligunt te, vel æquitas dilexit te, hoc est, non flexuosa itinera te sequuntur, sed solus ad te potest iustitiæ trames peruenire. Hic iuuenis, qui potest corrigere viã suam, iunior est ætate, non moribus: & habet in primo flore iuuentutis suæ senilem intellectum, de quo ait: Canicies autẽ est intellectus hominibus, quibus maturitas consilij, grauitasq. suppetit. Vnde & Hieremiæ dicitur: Noli dicere, quia puer sum. Et vtique erat ætate iuuenis, sed prohibet eum iuuenem se dicere, qui esset maturioris prudentiæ. Daniel, cum puer esset, accepit spiritũ, quo dignus senectutis primatus haberetur, vt redargueret senes, ipse non senior longæuitate, sed gratia. Erat enim in illo ætas senectutis, vita immaculata. *Hiere. 1.*

25 In eadem concione. IDEM exponẽs verba illa; In toto corde meo exquisiui te, ne repellas me a mandatis tuis, arguit eos, qui virtutẽ negligenter operãtur, dicens, Salomon, qui ex toto corde quærebat Deum sapientiam postulans, & quia non opes sibi regias, sed diuinæ munus gratiæ depoposcit, accipere meruit sapientiæ disciplinam, repletus est, vt cognosceret mandata omnia. Qui autem non habet, vt in corde suo exquirat Deum, & facit quidem opus Dei, sed negligenter facit, maledicto subiectus est, sicut legimus, quia maledictus omnis, qui opus Dei facit negligenter. Merito ergo repellitur, quia maledicto dignus est, quia polluit magis, & impedit opus, quod negligenter putauerit exequendũ. Incuriosus ac remissus aliquis, cum talis sit, repellitur, quia non in toto corde exquirit Deũ. Quid sit autẽ repelli consideremus. Lectum est enim; Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorũ non meministi amplius, & quidẽ ipsi de manu tua repulsi sũt. Aduertamus igitur quos vulneratos, & proiectos in monumentis repellit, quorũ non meminerit amplius. Isti sunt, qui a mandatis Dei repelluntur: & quia a mandatis Dei repelluntur, repelluntur vtiq; de manu Dei. Merito angelo Laodiciæ dicitur; Hæc dicit testis fidelis & verus: Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; calidus, sed quia tepidus es, incipiã te euomere ex ore meo. Aperte negligẽtiam grauiori damnat iudicio, quàm imprudentiam. Frigidus est enim, qui fidem nescit, calidus est, qui Spiritus sancti feruore succensus est. Qui enim calorem fidei non habet, tolerabilius illi fuerat fidẽ non accepisse, quàm neglexisse. Est enim tepidus peior frigido; vt Iudæus, qui sibi videtur fidẽ habere, quàm non *3. Reg. 3.* *Psal. 87.* *Apo. 3.*

habet. Quanto tolerabiliorem causam gẽtilis habet, qui potest dicere: Non cognoui legem, non audiui prophetas, ideo non credidi, quàm ille, qui legit omnia, & non credidit.

26 Lib. 4. cõtra Iulian. Pelagian. to. 7. 1. Cor. 9. Pron. 2.

AVGVSTINVS sic habet. Exhortans Paulus homines ad virtutem, exemplũ posuit de vitiosa hominũ affectione. Nam qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, vt corruptibilem coronã accipiat: quemadmodũ alio in loco Scriptura, cũ ad amorem sapientiæ homines hortaretur, querendã dixit esse sicut pecuniã. Hoc dixit, quia notum est amatores pecuniæ quãtis patienter laboribus, doloribusq. subdantur, a quantis se contineant voluptatibus, siue cupiditate augendi pecuniã, siue timore minuendi, quanta lucrum sagacitate sectentur, & prudenter damna deuitent. recte admoniti sumus sic amare sapientiam, & virtutem, vt eam nobis thesaurizare auidissime cupiamus, atq; vt nobis magis, magisq. acquiratur, nec aliqua ex parte minuatur, & perferamus molestias, & libidines refrenemus, & prospiciamus in posterum, & innocẽtiam, beneficentiamq. seruemus.

27 Cõcione 5. in psal. 118. to. 8.

IDEM vbi illa enarrat verba; In quo corrigit adolescentior viam suã? in custodiendo sermones tuos, sic ait. Interrogat se, & respondet sibi: in quo corrigit iunior viam suam? Respõdet: In custodiendo verba tua. Quid? Desperãdus est senior? aut in alio corrigit etiam senior viam suam, quàm in custodiendo verba Dei? An forte admonitio est, qua ætate potissimum fieri debeat, secundũ illud: Fili a iuuentute tua excipe doctrinam, & vsq; ad canos inuenies sapientiã? Est & alius intellectus, vt ille hic agnoscatur filius Euangelicus iunior, qui profectus a patre in regionem longinquã, effudit substantiã suã viuens cũ meretricibus prodige, & posteaquã porcos pauit egestate pressus reuersus est ad semetipsum, & dixit: Surgã, & ibo ad patrẽ meũ. In quo enim correxit viã suã, nisi in custodiendo verba Dei, quæ tãquam panẽ paternũ esuriens concupiuit? Neq; enim corrigit viam suã frater eius senior, qui dixit: Ecce tot annis seruio tibi. Iunior ergo ille correxit viam suam, quam se ita deprauasse confessus est, vt diceret: Iam non sum dignus vocari filius tuus.

Eccls. 6. Lucæ 15.

28 In tract. de pass. Dom. qui habetur inter incerta opera ipsius. c. 9. Psal. 118. Psal. 106.

BERNARDVS inquit. Sunt nonnulli, qui bona quidem opera faciunt, vel coactione, vel necessitate, vel consuetudine, sed ad hæc agenda nulla alacritate mouentur. Vitium hoc accediæ est, quo religiosi homines maxime affligũtur, quod quendã torporẽ incutit animo, vt ipsis omnia exercitia spiritualia quasi insipida videantur, & in graue tædiũ conuertãtur. De quo ait Psalmista: Dormitauit anima mea præ tædio. Et alibi: Omnem escam abominata est anima eorum, & appropinquauerũt vsq; ad portas mortis. Tantum quippe aliquando affligitur hoc vitio anima bonorum, vt omnẽ escam, idest omne spirituale exercitiũ abominetur, vt nec orare, nec legere, nec meditari, nec aliud opus bonum libeat exercere. Contra hoc vitium operatur, qui viam mandatorum Dei currit, cũ cor hominis dilatatur, idest spirituali iucunditate aperitur. Dicitur enim, naturaliter timore & tristitia cor claudi, securitate vero & lætitia aperiri.

Virtutis perfectio, in quo consistit, quæ etsi a paucis quæratur, tamen paulatim saltim acquirenda est. Cap. XII.

1 Homil. 2. in Gen. to. 1.

ORIGENES ait. In arca Noe ligna extrinsecus, & intrinsecus bitumine liniuntur. Vult enim te architectus Ecclesiæ Christus non esse talem, quales sunt illi, qui de foris quidem apparent hominibus iusti, deintus autem sunt sepulchra mortuorum, sed vult te, & corpore sanctũ esse exterius, & corde intrinsecus purum; cautum vndiq; & castitatis, atque innocentiæ virtute munitum: hoc est intus, & foris bitumine esse linitum. Infra: Cap. 11. De animalibus vero, ac bestijs, & pecoribus, quæ erant in arca, quæ nobis alia figura seruãda est, nisi quam Isaias ostendit, cum dicit: In regno Christi lupum cum agno, pardum cum hœdo, leonẽ & bouem simul ire ad pascua, eorumq. fœtus simul paleis vesci? Vel etiam illa figura, quã Petrus iam nunc in Ecclesia haberi docet, cum refert visionẽ vidisse, in qua omnia quadrupedia, & bestiæ terræ, ac volatilia cæli intra vnum fidei linteum continebãtur, quatuor Euangeliorum initijs alligatum? Si quis crescentibus malis, & inundantibus vitijs conuertere se potest a rebus pereuntibus, & caducis, & audire verbũ Dei, ac præcepta cælestia, hic intra cor suum arcam salutis ædificat. Longitudinem in ea, & altitudinem, & latitudinem in ea, fidem, spem, charitatemq. collocat. Fide Trinitatis ad longitudinem vitę, immortalitatemq. descendit. Latitudine charitatis indulgentiæ, & benignitatis fundat affectum. Altitudine spei ad cælestia erigit & excelsa, super terram enim ambulans, in cælis habet, conuersationem. Summã vero actuum suorum refert ad vnum. Scit enim, quia omnes quidem currunt, sed vnus accipit palmam, scilicet qui cogitationũ varietate, & instabilitate mentis nõ fuerit multiplex, quia in cubito consummandã arcam in summo præceperat Dominus Noe. Deintus sane, & deforis bituminabis eam, corde fidem gerens, ore confessionem proferens: intus scientiam, foris operam habens: intus corde mundus, foris castus corpore incedens. In ista arca diuersæ sunt cellæ diuersarum virtutum, & profectuum.

2 Homil. 5. in c. 12. 13. & 14. Exodi.

IDEM exponens Iudęorum peregrinationem per mansiones varias, & eas applicãs moribus, ait. Prima profectio eorum fuit de Ægypto ex Rameſſe, & inde profecti venerunt in Soccoth, & de Soccoth profecti venerunt in Othon ad Epauleum iuxta mare. Tum deinde quòd ibi nubes eos præcesserit, & secuta sit petra, de qua biberunt aquam, transierunt etiam per

per mare rubrum, & venerunt in desertum Syna. Multa, quæ in itinere isto Iudæis contigerunt, in figura contigisse exponit Paulus Corinthijs, idemq. in reliquis, de quibus ipse non loquitur, intelligendum est. Leuantes ergo filij Israel de Rameſſe venerunt in Soccoth, & profecti de Soccoth venerũt in Othon. Si quis est, qui proficisci de Ægypto parat, si quis est, qui cupit obscuros huius mundi actus, & errorum tenebras derelinquere, primo omnium ex Rameſſe ei proficiscendum est. Rameſſe vero interpretatur commotio tineæ. Si ergo vis venire in Soccoth, vt Dominus tibi dux sit, & in columna nubis te præcedat, & sequatur te petra, qui tibi escam, & potum spiritualem præbeat, proficiscere, & exi ex Rameſſe, ne thesaurizes tibi vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiunt, & furãtur. Hoc est, quod aperte & Dominus in Euangelijs dicit: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni sequere me. Hoc est ergo proficisci de Rameſſe, & sequi Christum. Venerunt autem in Soccoth. Soccoth tabernacula intelligi apud Hebræos tradunt interpretes nominum. Cum ergo derelinquens Ægyptum discusseris a te tineas totius corruptelæ, & vitiorũ incitamenta reieceris, habitabis in tãbernaculis. Habitatio autem tabernaculorũ expeditum, & absq; vllis impedimentis indicat esse eum, qui festinat ad Deum. Sed nec in hoc quidem standum est, vrgenda est profectio, mouenda sunt castra etiã de Soccoth, & festinandum est, vt veniamus in Othon, quod interpretatur signa eis. Et merito: hic enim audiens dici, quia Deus antecedebat eos in columna nubis per diẽ, & per noctem in columna ignis, ostẽdens tibi Deus mysterium resurrectionis, & tunc incipiet te deducere Deus, & ipse tibi viam salutis ostẽdere. De Othon conuersi, iter fecerunt inter Epauleum, & inter Magdalum, quod est cõtra Beelsephon. Epauleum ascensio tortuosa interpretatur, Magdalum turris, Beelsephon ascensio speculæ, vel habens speculã. Tu fortasse credebas, quia iter quod Deus ostendit planũ erat, & molle, & nihil prorsus haberet difficultatis, aut laboris; ascensio est, & descensio tortuosa. Non enim procliue iter est, quo tẽditur ad virtutes, sed ascenditur, & anguste, ac difficulter ascẽditur, quia arcta & angusta est via, quæ ducit ad vitam. Vide quantũ consonat Euangelium cum lege. In lege ostenditur virtutis via ascensio tortuosa: in Euangelijs dicitur arcta via, quæ ducit ad vitam. Est ergo iter quod incedunt, ascensio tortuosa, & ascensio speculæ, vel habens speculam. Ascensio ad actus pertinet, specula ad fidem. Ostendit ergo, quia & in actibus, & in fide multa est difficultas, & multus labor. Sed est in hoc itinere turris, de qua Dominus in Euãgelio dicit: Quod volens ędificare turrim, prius cõputat sumptus, si habet vnde perficiat. Ista est ergo turris, sedes arduа, & excelsa virtutum. Post hæc venis ad mare, non enim iter vitæ sine tentationum fluctibus agitur, sicut & Apostolus dicit: Omnes, qui pie volunt viuere in Christo, persecutionem patientur. Quia, vt Iob pronunciat, tentatio est vita hominis super terrã. Hoc est ergo venisse ad mare. Sed si Moysen, idest legem Dei sequens agas hoc iter, Ægyptius te quidẽ persequitur. Vt autẽ videas quanta diuinitus tibi parantur auxilia, si ab Ægyptijs recedas, quantis adiutoribus vteris: Leuauit, inquit, Angelus Domini, qui antecedebat castra Israel, & abijt post illos. Eleuauit & columna nubis a facie eorũ, & stetit post eos, & intrauit inter castra Ægyptiorũ, & Israelitarum. Hæc columna nubis populo quidẽ Dei efficitur murus, Ægyptijs vero obscuritatem imponit, & tenebras. Tãtis ergo protectus auxilijs, non te Ægyptiorum equitatus, & quadrigarũ formido perterreat. Sed ne dicas sicut quidã illorum, tãquam nõ essent sepulchra in Ægypto, ita eduxisti nos vt in deserto hoc moriamur. Melius fuerat nobis seruire Ægyptijs, quã mori in deserto hoc. Falsum hoc est, tentationis, & fragilitatis hæc verba sunt. Lõge enim melius est in eremo mori, quàm seruire Ægyptijs. Qui enim in eremo moritur, hoc ipso quod separatus est ab Ægyptijs, & recesit a rectoribus tenebrarum, & de potestate Sathanæ, habuit aliquẽ profectũ, etiã si ad integrũ peruenire nõ potuit. Melius enim perfectam vitam quærenti est in itinere mori, quàm ne proficisci quidẽ ad perfectionẽ quærendã. Vnde & eorũ falsa est opinio, qui dũ nimis arduũ iter virtutis exponunt, dũq. multas eius difficultates, multaq. pericula, & lapsus enumerant, ne ineundũ quidem id, aut incipiendum iudicant. Sed multo melius est me in hoc itinere vel mori, si ita necesse est, quàm inter Ægyptios permanentem necari, & falsis atque amarissimis fluctibus obrui. In fluctibus extincti sunt Ægyptij. Extinguit Ægyptiũ, qui non agit opera tenebrarum. Extinguit Ægyptium, qui non carnaliter, sed spiritualiter viuit. Extinguit Ægyptium, qui cogitationes sordidas, & impuras, vel depellit ex corde, vel omnino non recipit, sicut & Apostolus dicit: Sumentes scutũ fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. Hoc modo possumus nos etiã hodie Ægyptios videre mortuos: possumus etiã ipsum Pharaonem videre demergi, si tanta fide & virtute viuamus, vt Deus conterat Sathanam sub pedibus nostris velociter.

Exod. 14. Luc. 14. Eph. 6.

5 Hom. 6. inter 16. varias. to. 5. Gal. 5.

CHRYSOSTOMVS inquit. Omnes homines, qui se student humo tollere, & inserere cælestibus, quique naturam mortalitatis euincere Angelicę conuersationis æmulatione nituntur: remoueant se quantum possunt spiritu virtutis a corpore, & penitus abstinant a carnali concupiscentia. Morientes quidem super terram huic vitæ secundum imitationem passionis Christi. Qui enim Christi sunt, inquit Apostolus, carnem suam crucifixerunt cum passionibus, & concupiscentijs. His ergo talibus olera pro carnibus, aqua pro vino, & cibus modicus pro dapibus opimis est. Propter quod & vigiliæ gratiores, quàm somnus, &

nus, & noctes pro diebus aguntur, & crebriora apud Deum per orationes colloquia. Et vere
2.Cor.10. sicut Apostolus dixit: In carne ambulantes, nō secundum carnem militant. Qui autem ad plenam huius exercitij perfectionem, sicut in verticem montis ascendere non valent, saltem in secundo virtutis gradu consistere studeant, vt immoderatam carnalium concupiscentiarum abundantiam circumcidant, vt sanctæ ad Dominum vocationis nō penitus alieni sint, & de his, quæ circa hunc mundum sunt, occupationibus non omnino teneantur. Ergo imitetur
Gen. 19. Loth, qui de terra Sodomæ, & Gomorrhæ, cum igneis imbribus ardere cœpissent, manibus Angelorum eductus exiuit. Et cum iuberetur in montem confugere, & illic ab incendio vrbium damnatarum tutus manere, pigebat vt senex ne deficeret in fuga, in montis ascensu, &
6 ignibus deprehenderetur. Metuebat autem & Angelos, ne cōtradicens præcepto Dei, quod per ipsos acceperat, perimeretur ab ipsis, quia in montem confugere collucta batur. Vnum ergo minimum de Sodomiticis vrbibus oppidum ad salutis refugium donari sibi popoſcit a Domino. Et qui altiora petere vitauit, minima autem pro multis poscere elegit, dat ei primum quidem in ciuitate modica de magnis illis, & optimis, & deliciosis vrbibus liberatis salutem, in magnis periclitans, in exiguo obtinet, propter quod & ipsa ciuitas, quæ
Gen. 14. prius Balath vocabatur, Segor appellata est, id est saluatrix, ex hoc autem munere Dei, quo paruæ ciuitatis habitaculum meruerat a Domino, assumens audaciam ascendit in montem. Tales quidem & nos efficiamur, vt primum effugiamus copiosas, & circumfluentes huius mundi delicias, quæ similes sunt Sodomitarum corruptis ex vbertate moribus ter-
Ezec. 16. rarum, de quibus dicit Deus: Quia in saturitate panum luxuriabant. Coarctemus autem multa immodica, vt non incendamur ex multis epulis, & comessationibus, sicut incensæ sunt Sodoma, & Gomorrha, & confines earum. Post vero moderata virtus nostra fragilitate nutrietur anima procedente in melius refrenandi corporis cōsuetudinem. Ascendamus ad perfectam abstinentiam castitatis, sicut in ipsum montem salutis, & verticem virtutis confugientes a sæculi huius incendijs. Declaret fidem tuam quotidiana actio tua, confirmet tuā ad Christum charitatem euidens a carnalibus concupiscentijs discessio tua, ne quis te contra disciplinam, & decus nominis Christiani in deūijs ambulantem videns, dicat; Iste est ille, qui cælestis vitæ sectator, qui electus a mundo, qui iam cælestibus Angelis comparabatur, qui se in aduentum cælestis regis præparabat. In hęc ergo post laudem opprobria deuenire præcanēs, ita age, vt glorificetur per te magis quàm blasphemetur Christus.

7 IDEM dicit. Tria vobis mandata cōmendare volo, vt hæc mihi in ieiunio præstetis, vt
Homil.3.ad pop. Antio. nemini detrahatis, inimicū habeatis neminē, & omnem ex ore malam iuramentorum consuetudinem expellatis. oportebat quidem omnem vobis mandare virtutē, sed hunc esse correctionis optimum modum puto, per partes legem capientes implere, & tunc ad alias ire. Sicut enim agro proposito agricola paulatim fodiens, sic ad finem venit, sic & nos legem hanc nobis ponamus, vt per quadragesimā præsentem, hæc tria mandata diligenter exerceamus, proculdubio cum bonę consuetudinis custodiā prudenter exhibuerimus, cum maiori facilitate, & ad reliquas veniemus, & ad ipsum disciplinæ verticem peruenientes, tum præsentem vitam bonam cum spe transigemus, tū & in futura cum multa Christo fiducia assistemus.

8 IDEM ait. Dic quæso, si tuum videas filiū quotidie scholā petentem, & tempore progres- Hom.73.ad populum.
so nihil amplius inde lucrantem, numquid patienter feres? Nonne & flagella puero infliges. Nos a diuina sumus gratia cōstituti, quasi spirituales filios vos ad hanc scholam vocantes, salutarem vobis doctrinam apponimus. Itaq; si nobis omne studium, & sedulitatem exhibentibus, & quotidie vos ad virtutis ducentibus semitam, vos in ijsdem permanetis, quāta vobis erit damnatio, cogitate. Hæc nunc dico, vt excitem, & persuadeā ne inutiliter & incassum sanctæ dies Quadragesimæ transcurratis. Et quid dico sanctæ dies Quadragesimæ, cum ne vnū quidem diem toto vitæ nostræ tēpore nos transigere liceat, si fieri potest, quo non aliquid spiritualis lucri nobis reponamus, vel per orationem, vel per confessionē, vel per beneficentiam, vel per aliā spiritualem quāpiam actionem? Nam si Paulus talis ac tantus clamabat, dicens: Per singulos dies morior propter glo- 1.Cor.15.
riam vestram. Itaq; si ille tantus præditus meritis, & tāquam Angelus in terra comparens, per singulos dies aliquid lucrari studebat, & spirituale sibi comparare mercimonium, nec vnquam desistere, quam nos habuerimus excusationem, qui non tantum omnibus priuati sumus meritis, verū & tot subiacemus delictis, quorū vel vnum, cū nobis adsit, potest nos ad ipsum perditionis barathrū deducere, & nullū habemus studium, vt hæc saltem corrigamus? Hæc dico, vt audientium quisq; congruum sibi sumens remediū, ex his, quæ a nobis dicuntur, studeat ocyus, & a vexantibus vitijs liberatus ad sanitatem reuerti, & ad virtutis operationem semetipsum reddere industrium.

9 HIERONYMVS inquit. Interrogas In epist. ad Hedibiam. to. 3.
quomodo perfectus esse quis possit? Hoc idem in Euāgelio legis doctor interrogat: Magister Luc.10.
quid faciens vitā æternam possidebo? Cui re- Matt. 19. & 22.
spondit Dominus, vt mandata seruaret, & illo dicente hæc omnia feci, Dominus intulit, vnū tibi deest. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni sequere me. Si vis ergo esse perfecta, & tollere crucem tuā, & sequi Dominum Saluatorem, & imitari Petrū dicentem: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, vade, & vēde omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem. Non dixit, da filijs, da fratribus, da propin-

propinquis, sed da pauperibus, immo da Christo, qui in pauperibus pascitur. Fac tibi amicos de māmona iniquitatis. Pulchre māmonā iniquitatis dixit: omnes enim diuitiæ de iniquitate descendunt, & nisi alter perdiderit, alter nō potest inuenire. Vnde & illa vulgata sententia mihi videtur esse verissima; Diues, aut iniquus, aut iniqui hęres. Vis esse perfecta, & in primo stare fastigio dignitatis, fac qđ fecerunt Apostoli; vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & sequere Saluatorem, & nudā, solāq. crucem nuda sequaris, & sola. Non vis esse perfecta, sed secūdum vis tenere gradum virtutis, dimitte omnia quæcūq. habes, da filijs, da propinquis. Qui habet duas tunicas det alterā non habenti. Quid si Scythiæ frigora sint, & Alpinę niues, quæ non duabus, & tribus tunicis, sed vix pecudum pellibus repelluntur? Quidquid ergo corpori nostro sufficere potest, & humanæ succurrere imbecillitati, hoc vna appellanda est tunica, & quidquid in præsentibus alimētis necessariū est, hoc viuus diei victus appellatur.

10 IDEM enarrat locū Pauli in epistola pri-
In quæst. 12 eiusdē ep. ma ad Thessalonicēses; Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur, sic inquiens. Supra dixerat; Spiritum nolite extinguere. In quo enim feruor spiritus multiplicata iniquitate, & charitatis frigore non torpescit, in hoc spiritus nequaquam extinguitur. Deus igitur pacis sanctificet vos per omnia. Qui sanctificatur, & in omnibus perfectus est, in hoc spiritus, & anima, & corpus in diē Dñi cōseruatur. Corpus integrū est, si singulorū mēbrorū vtatur officijs, verbi gratia, si operetur manus, pes ambulet, oculus videat, audiat aures, & omnia mēbra secūdū virtutē producant actus suos. Integrū etiā corpus est, tenens caput, ex quo omne corpus connexū, atq; cōpactū accepit augmentum in ędificationem corporis Christi. Iuxta hūc modum & animæ integritas conseruanda est, quæ dicere potest. Benedic anima mea Dominum, qui sanat omnes infirmitates tuas, & de qua scriptum est: Misit verbum suum, & sanabit eos. Spiritus quoque in nobis integer conseruatur, quando non erramus in spiritualibus, sed viuimus in spiritu, acquiescimus spiritui, & opera carnis mortificamus spiritu, afferimusq. omnes fructus eius, charitatem, gaudium pacem &c. Nos ergo in præsenti loco spiritum, qui cum anima & corpore integer conseruatur, non substantia Spiritus sancti, quæ non potest interire, sed gratias eius, donationesq, accipimus, quæ nostra vel virtute, vel vitio, & accenduntur, & extinguuntur in nobis.

11 IDEM inquit. Quia tibi per nouā gratiam
Ep. ad amicū, quē instituit in scientia diuinæ legis. to. 9. omnis lachrymarum causa detersa est, quæ de peccatis cōsurgebat, age, caue, curre, festina. Age vt spiritualiter proficias; caue, ne quod accepisti bouum, incautus, & negligens custos amittas; curre, vt non negligas; festina, vt celerius comprehendas.

12 IDEM vbi illa enarrat verba: Indicabo ti-
Lib.2.in c 6 Mich. to.6. bi o homo quid sit bonū, & quid Dominus quērat a te: vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo, dicit. Quia ignoras quomodo pro peccatis tuis Deum possis placare, ego respondebo tibi quid Deus quærat, qui poscit accipere, quod danti profit. vt faciamus iudicium, id est, vt nihil absq; ratione, & consilio faciamus, vt ante mens iudicet, quid factura sit, & postea opere compleat: vt misericrdiā diligamus, & nō quasi compulsi, aut ex necessitate misericordes simus, quoniam hilarem datorem diligit Deus. 2.Cor.9.
Nec dicamus, vade hodie, & cras reuertere, & dabo tibi. Præcipitur etiā, vt parati simus ambulare cū Domino Deo nostro, nulla hora dor- Prou. 3.
mire, nullo tempore securi esse debemus; sed semper expectare patrem familias venientem, & diem formidare iudicij, & in nocte huius sæculi dicere: Ego dormio, & cor meum vigi- Cant.5.
lat. Quinta æditio habet, agere sollicite, & hanc habere curam, vt ambules cum Deo tuo. Qui enim dicit, in Christo se credere, sic de- 1.Ioan.1
bet ambulare, quemadmodum & ille ambulauit.

13 IDEM edisserens locum illum: Ecce po-
In c.3.Nah. pulus tuus mulieres in medio tui, ait. Quis nō dicat speciosam Niniuen, animam natura pulchram, luxuria & voluptatibus huius sęculi delinitam, in muliebres delicias peruenisse, & virilitate perdita elanguisse in feminam? Si enim iusti anima in perfectū virum veniens, & conditionis suæ seruans rigorem, adhærens Deo, vnus cum eo efficitur spiritus: cur non e contrario anima, quę amat mundum, vnum cū mūdo fiat, & in mollitiem redacta femineam, virilem perdiderit rigorem? Ego puto ob hanc cau- Exo. 1.
sam in Exodo præcipere Pharaonem, vt omne masculinū, quod natū est Hebræis mittatur in fluuiū, & omne femineū viuificetur. Neq; enim Ezec. 29.
poterat Rex Ægyptius, qui dicit alibi: Mea sunt flumina, & ego feci illa, quicquā aliud, nisi hoc iubere, vt quodcumq; est Hebręorū, & eorū qui per sæculū istud trāseūt, forte & virile mittatur in aquas, & per fluenta earū deferatur in mare. Et e contrario quidquid femineū, & molle formosum videretur in sæculo, hoc viuificetur, adolescat, & generet. Simulq. considera, quod Ægyptius imperator viros Hebræorum non posit occidere, nec eos, qui iā egressi sunt de infantia, sed quorū ætas adhuc tenera est, & molle corpus, & profectus incipiens: scit, non posse nutriri feminas, nisi interfecti fuerint masculi. Vult itaq. in Hebręis quidquid forte est, & virile, hoc gurgite sui fluminis suffocare, vt quæ feminea sunt, liberius sola succrescant.

14 IDEM explicans verba illa; In die illa,
Lib.3.in ca. 12. Zachar. ponam duces Iuda, sicut caminum ignis in lignis, & sicut faciem ignis in fœno, & deuorabunt ad dextram, & ad sinistram omnes populos in circuitu, sic habet. Deuorabuntur illi ad dexterā, & sinistrā, qui in medio itinere incedere noluerūt. Vnde Dei populus pollicetur: Nec, ad dexterā, nec ad sinistrā declinabimus, via re-

gia grediemur. Via dextra parcitas est, siniſtra luxuries, media rectaq. frugalitas. Omnes igitur, qui sunt in via dextra, quibus dicitur; Ne sis iustus nimis, & in siniſtra, qui audiunt: Viæ quæ ad siniſtram sunt, peruersæ sunt, deuorans flamma consumit:

15 Lib. 1. in ca. 8. Prou. to. 8

IDEM in expoſitione illorum verborum: Parabolæ Salomonis. Ad sciẽdam sapientiam, & disciplinam: ad intelligenda verba prudentiæ: & suſcipiendam eruditionem doctrinæ, iuſtitiam, & iudicium, & æquitatem, sic ait. Sapientiam, & disciplinam scire est, quomodo recte credere, qualiter secundum id viuere oportet. Quod autem subdit, ad intelligenda verba prudentiæ &c. monet eos, quos imbuit, vt non solum sapiẽtiam, quam semel ipſi perceperint, amplecti, & disciplinæ virtutum, quam cognouerint, sciant inseruire, sed etiam verbis prudentium, quibus ad perfectiora proficiant, solerter intelligere curent. Iuſtitiam, & iudiciũ, & æquitatem. In iuſtitia actio recta, in iuditio discretio boni, & mali, in æquitate vero rectitudo mentis intelligitur. Iuſtitia est in his, quæ secundum regulam veritatis bene operamur, Iudicium in illis, quæ recta discretione cũ proximis agimus. Æquitas in eo, cum syncera intentione Deo soli in his, quæ recte gerimus, vel iudicamus, placere contendimus.

16 In Pſ. 23. t. 8

IDEM exponens illa verba; Quis ascendet in montem Domini, aut quis ſtabit in loco sancto eius, inquit. Quis, pro raritate ponitur: vel mons hic pro alta iuſtitia, vt illud; Vade, vẽ de omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis. Aut quis ſtabit super altiſsimam iuſtitiam eius, ac si dicat. Quis per seuerabit? Quia multi ascendunt, & non perſeuerant. Innocens manibus, & mundo corde. Purus in eo opere, quia per manus opera intelligũtur: & mundo corde, ideſt, mundis sermonibus: vel mundo corde, sanctius in cogitatione.

Luc. 18.

17 Epiſt. 52. ad Mace. de vera felic. to. 2

AVGVSTINVS ait. In hac vita virtus non est, niſi diligere, quod diligendum est; id eligere prudentia est, nullis inde auerti moleſtijs fortitudo est, nullis illecebris temperantia est, nulla ſuperbia iuſtitia est. Quid autem eligamus, quod præcipue diligamus, niſi quo nihil melius inuenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid, vel præponimus, vel æquamus, nos ipſos diligere neſcimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulãdo, sed amando: quem tanto habemus præſentiorẽ, quanto eundẽ amorẽ, quo in eũ tẽdimus, potuerimus habere puriorem. Mores noſtri nõ ex eo, quod quiſq; nouit, sed ex eo, quod quiſq; diligit diiudicari solẽt. Nec faciunt bonos, vel malos mores, niſi boni, vel mali amores.

18 In ep. 63. ad Cęleſtin. de triplici rerũ ordine.

IDEM inquit. Triplex est ordo rerũ: Deus, anima, & corpus: medium, quod est anima, viuit inclinatione ad infimum miſere, conuerſione ad ſummum beate viuit. Qui Chriſto credit, non diligit infimum inordinate, ſi credat amando etiam, non ſuperbit in medio, atq, ita ſummo inhærere fit idoneus, & hoc est totũ, quod agere iubemur.

19 Lib. 15. de ciuit. Dei c. 22. to. 5. Cant. 1.

IDEM sic habet. Mihi videtur, quod diſſinitio breuis, & vera virtutis ordo est amoris, propter quod in Cantico Canticorũ canit ſpõſa Chriſti: Ordinate in me charitatem. Huius igitur charitatis, hoc est, dilectionis, & amoris ordine perturbato, Deũ filij Dei neglexerũt, & filias hominum dilexerunt. Ordo amoris est, vt ametur, quod opus est, quãtũ & ſicut opus est.

20 In Pſ. 23. t. 8

IDEM in illa verba; Quis ascendet in mõtem Domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius &c. ait. Quis ascendet in montẽ Domini, quis ascendet in altiſsimam iuſtitiam Domini? Aut quis ſtabit in loco ſancto eius? Aut quis permanebit in eo, quo ascendit, ſuper maria fundato, & ſuper flummina præparato loco? Innocens manibus, & mundo corde. Innocens in operibus, & mundus in cogitationibus. Qui non accepit in vano animam ſuam. Qui non in rebus non permanentibus deputauit animam ſuam, ſed eam immortalem ſentiens, æternitatem ſtabilem, atq; in commutabilem deſiderauit. Et non iurauit in dolo proximo ſuo. Et ideo ſine dolo, ſicut ſimplicia, & non fallentia ſunt æterna, ita ſe præbuit proximo ſuo.

21 Conc. 17. in Pſal. 118.

IDEM enarrans illa verba; Bonitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, legit, ſuauitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine. Suauitatem vocat, quæ in bonis ſpiritualibus deputatur. Propter hoc enim eam & noſtri bonitatem appellare maluerunt. Nihil ergo hic aliud dicitur, ſuauitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, niſi feciſti, vt me delectaret & bonum. Quando enim delectat bonum, magnum Dei donum est. Quãdo autem bonum opus, quod lex imperat, fit timore pœnæ, non amore iuſtitiæ, ſeruiliter fit, non liberaliter. Perfecta autem charitas foras mittit hunc timorem. Suauitatem itaq; feciſti cum ſeruo tuo Domine, faciendo filiũ, qui ſeruus fuit. Suauitatem, & eruditionem, & ſciẽtiam doce me, quoniam mandatis tuis credidi. Augeri ſibi iſta poſcit, & perfici, nam vtiq; quia iam dixerat, ſuauitatem feciſti cum ſeruo tuo Domine, quod dicit, ſuauitatem doce me, hoc poſcit, vt gratia Dei magis, magiſq. abundet, vel innoteſcat dulcedine bonitatis. Habebant enim fidem, qui dixerunt; Domine adauge nobis fidem. Et quamdiu viuitur in hoc mundo, proficientium est hæc cantatio. Addit autem diſciplinam, quia cum quo facit Deus ſuauitatem, ideſt, cui propitius inſpirat boni delectationem, atque vt apertius id explicem, cui donatur a Deo charitas Dei, & propter Deũ charitas proximi, profecto inſtanter orare debet, quo tantum ſibi augeatur hoc donum, vt nõ ſolum pro illo contemnat delectationes ceteras, ſed etiam pro illo quaſlibet perferat paſsiones: ita ſuauitati ſalubriter additur diſciplina, tantamq. poſtulat ſuauitatem, vt diſciplinã, & flagella etiam grandia poſsit patientiſsime ſuſtinere. Tertia ponitur ſcientia; quoniam ſi magnitudine ſua præcedit ſcientia magnitudinem charitatis, non ædificat, ſed inflat. Cum ergo tanta fuerit charitas in bonitate ſuaui, vt

Luc. 17.

tribulationibus non poſsit extingui, quas adhibet diſciplina, tunc vtilis erit ſcientia, qua innoteſcat etiã ſibi homo, quid ipſe meruerit, & quę a Deo donata ſunt ei, per quę poſſe ſe ſciat, quæ ſe poſſe neſciebat, & per ſe ipſum omnino non poterat. Sed quid ait, ſuauitatem, & diſciplinam doce me, cum ſuauitas non doceatur, ſed detur? ſuauitas enim diſci non poteſt, niſi delectet. Item diſciplina, quæ ſignificat emendatoriam tribulationem accipiendo diſcitur, non audiendo, vel legendo. Docet autem Deus ſuauitatem inſpirando dilectionem, docet diſciplinam tẽperando tribulationem, docet ſciẽtiam inſinuando cognitionem. Doce ergo me ſuauitatem inſpirando charitatem, doce me diſciplinam donando patientiam, doce me ſciẽtiam illuminando intelligentiam.

22 Serm. 90. de tẽpo. to. 10

IDEM vbi exponit locum Exodi 5. In quo præcepit Dominus Moyſi, vt viam trium dierũ pergeret in deſertum, & cum omni populo ſacrificaret Domino, dicit. Viã triũ dierũ poſſumus intelligere, bene cogitare, bene loqui, bene operari. Et reuera, qui hoc agit, & tota animi virtute cuſtodit, non in nocte, ſed in die ambulat, nec filius tenebrarum, ſed filius lucis efficitur, vt impleatur in illo, quod dixit Apoſtolus: Fuiſtis aliquando tenebrę, nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate. Quaudo fuimus tenebræ fratres? vtiq; quando vias noctis ambulauimus, ideſt, quãdo malũ cogitauimus, malum diximus, malum etiam operati ſumus. His tribus vijs in infernum properamus, alijs vero tribus itur in cælum.

Epheſ. 5.

23 In lib. ſent.

BERNARDVS inquit. Adã in paradiſo poſitus primo perdidit circũſpectionẽ Dei, qua ante ruinam exaltatur cor. Secũdo perdidit iuſtitiã, quando vxoris voci pluſquam diuinæ obediuit, iuſtitia enim est virtus, quæ ſuũ vnicuiq; reddit. Tertio amiſit iudiciũ, cum poſt peccatum correptus in feminã culpã retorſit. Eiſdẽ ego virtutum gradibus redeundũ est homini in exilio poſito, quibus primus expelli meruit de paradiſo. Primum itaq; faciendum est iudiciũ, deinde exercẽda iuſtitia, tandẽ circunſpectio adhibenda. Et iudicium quidem nobis, vt nos ipſos iudicemus, & accuſemus, iuſtitiam proximo, circunſpectionẽ debemus Deo. Hanc redeundi viam oſtendit nobis Micheas propheta dicens: Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum, & quid Deus requirat a te: vtiq; facere iudicium, & diligere miſericordiã, & ambulare ſollicite cum Deo tuo. Hanc ſalutis viã teſtatur Paulus Chriſtum docuiſſe, dicens. Apparuit gratia Saluatoris noſtri Dei omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, & iuſte, & pie viuamus in hoc ſæculo. Sobrie ſcilicet quãtum ad nos, iuſte ad proximum, pie ad Deum. Hic etiam ordo viæ, & inſtitutio vitæ deſcribitur in Eccleſiaſtico, cum dicitur: Beatus vir, qui in ſapientia morabitur, & in iuſtitia meditabitur, & in ſenſu cogitabit circunſpectionẽ Dei. Moratur ſiquidem in ſapientia, & ſapiens est, qui ſemetipſum hic dijudicat, vt æternum

Micheæ 6.

Tit. 2.

Eccli. 14.

Dei iudicium euadat. Sapiens est non ſecundũ ſapientiam huius ſæculi, ſed ſecundum illã, quę trahitur de occultis, per quam vtiq; miro Dei opere agitur, vt electi quiq; tũſionibus, & preſſuris hic attriti, in ædificio veri Salomonis ſine ſonitu mallei poſtmodum collocentur. Quattuor gradibus deſtinguitur omniũ electorum profectus. Primo enim fit quiſq; amicus ſuæ animæ; in quo profectu vitat omnia, quæ animã poſſunt offendere, & diligit ea, quę eam poſſunt mulcere: horret infernum, cęlum concupiſcit, diligit proximum ſicut ſeipſum. Accepto autẽ hoc dono, non debet eo ſolo contentus eſſe, ſed ad maiora proueni: viuit iam per ſpiritũ. Sed ſi per ſpiritum viuimus (ait Apoſtolus) ſpiritu & ambulemus. Et Pſalmiſta dicit: Benedictionem dabit legiſlator, ibuntde virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Secundo fit homo amicus iuſtitiæ, & est ſecundus profectus noſtri. Quã ſi perfecte dilexerit, debet pro ea ferre patienter omnem pœnam, & quãcũq; illatam cõtumeliam. Duo quippe pręſtabit ei iuſtitia, vnum, vt faciat, quod debet, alterũ, vt patiatur, quod debet; ſcilicet, vt ſi bonum non fecerit, quod debuit, malũ, quod meruit, patiatur. Tertius gradus profectus est, vt ſit amicus ſapiẽtiæ, quæ materno affectu loquitur ſibi, cũ dicit: Fili præbe mihi cor tuum. Cum ergo adhunc gradum peruenerit nihil ei reſtat, niſi vt ad quartum aſcendat, vbi dicitur eſſe ſapiens. Hoc autem fit, quando iam operatur, non vt ipſe Deo placeat, quod vtiq; tertio gradu iam fecerat, ſed quia placet ei Deus, vel quia placet Deo, quod operatur. Quiſquis talis est, poteſt cum tota fiducia, ac ſecuritate conſcientiæ illud ſapientis Canticum dicere: In omnibus requiem quæſiui &c. Hic enim requieſcit in omnibus, cum per omnia ei placet Deus, qui non Dei voluntatem ad ſuam curuare, ſed ſuam didicit ad Dei voluntatem erigere. Morabitur in hæreditate Domini, ſicut ei Domini voce promittitur, cum dicitur: Terram in qua dormis tibi dabo, hoc est quietem iſtam, ad quam peruenisti labore tuo, & munere meo, ſtabilem tibi faciam atque perpetuam.

1. Cor. 1. 1

Iob 28.

24

Gal. 5.

Pſal. 83.

Eccli. 24.

Gen. 28.

IDEM enarrãs locũ illum: Ligna domorũ noſtrorũ cedrina, dicit. Domũ Dei ſpiritualem ſe ipſum quiſq; agnoſcat, qui tamen iam non in in carne ambulet, ſed in ſpiritu. Curate ergo fratres ſpirituali huic ædificio (quod eſtis vos) ne forte cum in ſuperiora proficere cęperit, vacillet, & corruat, ſi lignis fortibus non fuerit ſubnixum, & colligatũ. Curate inquã illi tigna dare imputribilia, & immobilia, timorẽ videlicet Domini, illũ caſtũ, qui permanet in ſæculũ ſęculi, patiẽtiam, de qua ſcriptum eſt: Quia patientia pauperũ non peribit in finẽ, longanimitatẽ quoq; quæ ſub quouis ſtructuræ pondere inflexibilis perſeuerans, vſq; in vitã beatã protẽditur. Magis autẽ ſuper omnia charitatẽ, quę nũquã excidit, quia fortis est vt mors dilectio.

25 Serm. 46. in Cantica. Cant. 1.

Prou. 25.

IDEM ait. Germana fidei ſpeiq. cognatio est, vt quod illa futurũ credit, hæc ſibi incipiat ſperare futurũ. Non credita nemo ſperare poteſt

26 Serm. 10. in Pſ. qui hab.

test, non plusquam supra inane pingere possit. Dicit ergo fides, Parata sunt magna, & inexcogitabilia bona a Deo fidelibus suis. Dicit spes, Mihi seruantur. Nam tertia quidem charitas, Curro, ait, ad illa.

Virtus varijs mutationibus est subiecta, quæ cũ in exordijs imperfecta sit, multa eget cura, vt conseruetur. Cap. XIII.

1 Lib. 6. in ca. 6. ep. ad Romanos. to. 3

ORIGENES edisserens locum illũ; Non regnet peccatũ in vestro mortali corpore, vt obediatis cõcupiscentiijs eius, neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed arma iustitiæ Deo, inquit. Requiro, cur addiderit, in corpore vestro mortali, cum vtique suffecisset dicere, non regnet peccatũ in vestro corpore, cur igitur additur mortale, quasi dubitaret aliquis corpus esse mortale? Sed non sine causa hoc addidit. Admonuit enim per hoc, quod possit in corpore non regnare peccatum, secundum quod alibi ipse dixerat: Corpus quidem mortuum propter peccatũ, spiritus vero viuit propter iustitiam. Si ergo scimus, quia corpus nostrũ mortificari potest, & mortuũ esse peccato, potest fieri, vt non regnet in eo peccatum: secundum hoc, nãq. quod mortuus est, iustificatus dicitur a peccato. Neque enim mortuus concupiscit, aut irascitur, aut furit, aut diripit aliena, si ergo ab his omnibus cõcupiscẽtijs corpus reprimamus, mortuũ peccato dicitur corpus, & ita Apostolus hic dicit,

1. Cor. 2. in corpore vestro mortuo, vel mortali. Neq. exhibeatis mẽbra vestra arma iniquitatis peccato; sed arma iustitiæ Deo. Cũ pios nos ipsos exhibuerimus Deo, & adhæserimus ei, ita mẽbra nostra efficimus arma iustitiæ Deo. Sicut enim manus sanctę dicũtur, quæ operibus sanctis ministrauerint, vt Apostolus dicit: Leuantes puras manus sine ira & disceptatione; & rursus

Isaiæ 1. manus dicuntur plenæ sanguine, quæ ad effundendum ministrauerint, ita & hic membra, quę peccato deseruiunt, & iniquitati, arma, iniquitatis appellantur. Et rursum si peccati concupiscentiam mortificemus in corpore nostro mortali, & in opere iustitiæ laboremus, atque omnibus mẽbris nostris iustitiæ ministremus, efficimur tamquam ex mortuis viuentes, peccato scilicet mortui, & iustitiæ viuentes, & consequenter etiam membra nostra sunt arma iustitiæ Deo.

2 Hom. 41. in Matt. to. 2. CHRYSOSTOMVS vno verbo innuit, quòd quemadmodum arbor dũ florida est, modico vento, aut gelu fructum ibi latentem amittit. Sic virtus dũ in flore est, & imperfecta, modico vanę glorię flatu ruit: vnde grãdis adhibẽda est cura, vt conseruetur, quãdiu in illo statu est.

3 In ep. ad Fabi. de 42. mãsionibus Israelit. in de HIERONYMVS ait. Et profecti de Remon phares, castramenti sunt in Lebna. Remon phares malum punicũ interpretatur, vel malum granatum. Cuius arboris fructus, aut Ecclesiam significat, quæ omniũ turbam credentium suo cortice tegit: aut veritatem, & consonantiã virtutum. De veritatem ergo, & consonantia virtutum venitur in Lebna, quę lateres significat. Legimus Ægyptios lateres in Exodo, quos populus faciens ingemuit. Legimus in Malachia lateres, pro quibus Idumæa destructis politos lapides reponere nititur. Et laterem in Ezechiel, in quo obsessæ Hierusalem pictura describitur. Ex quibus discimus, in itinere istius vitę, & de alio in aliud transitu, nunc nos crescere, nunc decrescere, & post ordinem Ecclesiasticum, & virtutum vnionem, sæpe ad laterum opera transmigrare. Et profecti de Lebna, castrametati sunt in Ressa, quæ decima octaua mansio in frenos vertitur Si enim post profectum, rursus ad luti opera descendimus, infrenandi sumus, & cursus vagi, atque præcipites Scripturarum retinaculis dirigendi. Sicut dicit Psalmista: In freno, & chamo maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. serto, in mã sion. 16. to. 3

4 Lib. 1. in c. 1. Prou. to. 7. IDEM enarrans locũ illum; Vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia, & intellectus, inquit. Paruuli dicuntur sensu simplices; adolescentes vero in fide, & opere proficientes. Paruulos dicit eos, qui nuper sapientiæ aurem accommodare cœperant: adolescentẽ, qui aliquantũ iam in eius auditione profecit. Et ideo fortasse paruulos plurali numero, adolescentẽ appellat singulari, quia doctrina sapientiæ, quos diuersis animi motibus, diuersis viuendi moribus deditos suscepit, in vnam virtutis perfectionem erudiendo prouehit; de quibus iure dicatur; Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Vt detur, inquit, paruulis astutia, subtilitas cautelæ. Hæc etenim rudibus, & incipientibus est necessaria, per quam cauere versutiam possint, ne falsorum fraudibus argumentorum abducantur a simplicitatẽ veræ sapientiæ, quæ ducit ad vitam.

5 Lib. de bono mortis. cap. 9. to. 1 AMBROSIVS dicit. Dauid aiebat; Cõuertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecerit tibi. Et in quo benefecerit, audi: quia liberauit, inquit, pedes meos a lapsu. Vides gratulari eum mortis huius remedio, quia finis factus est erroris, quia culpa, nõ natura defecit. Deniq; quasi exutus, & liber dicit: Placebo Domino in regione viuorum: illa est enim viuorum regio. Denique illam animarum requiem dicit, terram esse dicit viuentiũ, quo peccata non penetrant, vbi virtutum viuit gloria. Ista autem regio plena est mortuorum, quia plena delictorum: meritoq. dictum est: Sine mortuos sepelire mortuos suos. Sed & alibi, ait: Anima eius in bonis demorabitur, & semen eius hereditabit terram. Quod potest de eo accipi, qui sit in corpore, vt & ipse, si timeat Deum, in bonis habitet, & in cælestibus sit, & possideat corpus suum, & dominetur ei, quasi in seruitutem redacto, & possideat hereditatem gloriæ. Vnde & nos, si volumus post mortẽ corporis huius in bonis esse, caueamus ne adglutinetur anima nostra huic coropori, ne com- Matth. 8. Psal. 24.

ne commiscẽantur, ne inhæreat, ne trahatur a corpore, & tamquam ebria perturbationibus eius vacillet, & fluctuet, nec se ei credat, atque eius delectationibus, vt committat se eius sensibus. Illud egregium, quod ait Scriptura: Ante mortem non laudaueris quempiam. Vnusquisque quamdiu viuit, obnoxius est lapsui, nec senectus immunis a crimine. Ideo legis, quia Abraham mortuus est in senectute bona, eoquod in bonitate propositi sui permansit. Mors igitur vitę est testimonium. Nã si laudari ante gubernator non potest, quàm in portũ nauem deduxerit, quomodo laudabis hominem priusquam in stationem mortis successerit? Et ipse sui est gubernator, & ipse vitæ huius iactatur profundo. Quamdiu in salo est, tandiu inter naufragia. Dux ipse, nisi confecto prœlio, non sumit lauream, nec miles arma deponit, nec stipendij mercedem adipiscitur, nisi hoste superato. Mors igitur stipendiorum plenitudo, summa mercedis gratia missionis est. Quantum autem morti dedit Iob, qui dixit: Benedictio morituri in me veniat. Benedictio cuiusque morituri tantum virtutis habet, vt eam sibi sanctus propheta optauerit. Laudet & te vnusquisque moriturus, vnusquisque depositus æuo, vnusquisque morti proximus, quando iam finis est periculi, & mutationum, quibus virtus, dum viuimus, subiecta est.

Eccli. 11.

Gen. 15.

Iob 29.

6 Lib. 1 de vocatione gentium. to. 2. IDEM ait. Multis modis, & innumerabilibus differentijs, gratię opera, & dona variantur, inq. ipsis singulis generibus munerum dissimiles sunt gradus. Sicut enim in germinibus herbarum, atque lignorum, quæ terra producit, non vna species, nec vnum in omnibus genus est, sed singula quæque in sui seminis forma, & in suæ stirpis qualitate gignuntur, plenum autem decorem non statim, vt æduntur, accipiunt, sed certis, & ordinatis prouehuntur augmentis, donec ad perfectam sui habitus quantitatem, per succedentia sibi incrementa perueniant; ita & semina charismatum, plantæq. virtutum non in omni agro cordis humani, totum hoc pariter, quod sunt futura, nascũtur, nec facile reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio. Exerit quidem frequenter potens, & misericors Deus mirabiles istos suę operationis effectus, & quibusdã mentibus non expectata profectuum mora, statim ingentia bona dantur. Iacob nullo merito suffragante, dilectus, priusquam nascatur, eligitur. Hieremiæ dicitur: Priusquam te formarem in vtero, noui te, & antequam exires de vulua, sanctificaui te. Ioannes intra matris viscera Spiritu sancto repletus exultat; prius sentit initia gratiæ, quàm naturæ. Sed cum alia similium exempla non desint, multo tamen crebrior, multoq. numerosior pars illa hominum est, cui particulatim, quidquid superna largitas donat, accrescit, vt conferendorum munerum causæ de his, quæ sunt collata, pariantur. Quidam accepta fide, ita in ea sunt imperfecti, vt clament, sicut qui dicebat: Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Sed & hoc nec illi abesse penitus a suis animis sentiebant, qui dixerunt: Domine adauge nobis fidem. Plurimi, cum & fide, & intellectu videantur ornati, laborant tamen indulgentia charitatis, & his, quæ fide, & intellectu vident, nequeunt inhærere, quoniam perseuerari in eo non potest, quod non toto corde diligitur? Donum quoque ipsius charitatis non semper eiusmodi est, vt quidquid ad plenitudinem ipsius pertinet, simul a percipiente sumatur. Et sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcescit, nisi ad eum feruorem Spiritu sancto inflãmante profecerit, qui nullo extingui frigore, nullo possit tepore languere. Cum itaque in hoc inenarrabili dono Dei omniũ summa donorum, & quædam sit cunctarum vita virtutũ: hæc stabiles, & perseuerantes, & insuperabiles facit, quos flumine suæ voluptatis impleuerit. Qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etiam si aliquid primoribus labris de vitæ fonte gustauerunt, inebriari tamen aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, sua voluntate labuntur, & si in hac desidia perseuerant, ipsi se his, quæ acceperunt, spoliant: facile enim quælibet bona sine charitate possunt perire, quæ non possunt sine charitate prodesse,

Hier. 1.

Luc. 1.

7

Mar. 9.

Luc. 17.

8 Ser. 3. Epiphaniæ. BERNARDVS enarrans verba illa; Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo, ait. Misera plane ciuitas, in qua regnat Herodes, quoniam Herodianæ sine dubio particeps erit malitiæ. Confido ego in Domino, quoniam inter nos minime regnabit, etiã si adesse contingat, quod & ipsum Deus auertat. Nam Herodiana malitia, & Babylonica crudelitas est, nascentem velle extinguere religionem, & allidere paruulos Israelis. Si quid enim ad salutem pertinens, si quid religionis oritur, quicumque resistit, quicumque repugnat, plane cum Ægyptijs paruulos Israelitici germinis necare conatur, immo cum Herode nascentem persequitur Saluatorem.

Matth. 2.

9 Serm. 21. in Cantica. IDEM explicans verba illa; Trahe me post te, inquit. Familiarius a filio postulat trahi tamquam a sponso proprio, quem pater misit obuium ei ducem, ac præceptorem, qui sibi præiret in via morum, & præpararet iter virtutum, & erudiret eam sicut semetipsum, & viam prudentiæ doceret, & traderet ei legem vitæ, & disciplinæ, & sic merito ipse concupisceret decorem eius. Trahe me post te, in odore vnguentorum tuorum curremus. Propterea opus habeo trahi, quoniam refriguit paulisper in nobis ignis amoris tui, nec valemus a facie frigoris huius currere modo sicut heri, & nudiustertius. Curremus autem postea, cum rediderit lætitiam salutaris tui, cum sol iustitiæ iterum incaluerit, & pertransierit tentationis nubes, quæ hunc operire ad horam cernitur, atque ad lenem flatum auræ blandioris solito cœperint vnguẽta liquescere, & aromata fluere, & dare odorem suum, tũc in odore illo curremus.

2

remus. Spirantibus, inquam, vnguentis, curremus, quoniam abscedet torpor, qui nunc est, & reuertetur deuotio, & iam non erit opus, vt trahamur metu, quippe odore excitati, vt sponte curramus. Nunc vero interim trahe me post te. Vides ne illum, qui in spiritu ambulat, nequaquam permanere in vno statu, nec eadem semper facilitate proficere, & quod nō fit in homine via eius. Sed quemadmodum ei spiritus moderator prout vult dispensat, nunc segnius, nunc alacrius, quæ retro sunt, obliuisci, & ad interiora se se extendere? Puto si attenditis, quod vestra vobis experientia intus respondet, quod ego foris loquor. Ergo cum te torpore, accidia, vel tædio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere à studio spirituali, sed iuuantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia, factus promptior, alacriorq. curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autē quamdiu adest gratia, delectare in ea, vt non te existimes donum Dei iure hereditario possidere, ita videlicet securus de eo, quasi numquā perdere possis, ne forte cum subito retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior quàm oportet fias. Denique, ne dixeris, in abundantia tua, non mouebor in æternum, ne etiam illud, quod sequitur cum gemitu dicere cogaris: Auertisti faciem tuam a me, & factus sum conturbatus. Curabis potius (si sapis) pro consilio sapientis in die malorum non immemor esse bonorum, atque in die bonorum non immemor esse malorum. Ergo in die virtutis tuæ noli esse securus, sed clama ad Deum cum propheta, & dic: Cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me. Porro in tempore tentationis consolare, & dic cū sponsa, Trahe me post te, in odore vnguentorum tuorum curremus. Sic te non deseret spes in tempore malo, nec in bono prouidentia deerit, eriscq. inter aduersa, & prospera mutabilium temporum tenens quamdam æternitatis imaginem, benedicens Dominum in omni tēpore, proindeq. vendicans tibi etiam in huius nutabundi sæculi dubijs euentibus, certisq. defectibus, perennis quodammodo immutabilitatis statum, dum te cœperis renouare, & reformare in insigne illud antiquum similitudinis æterni Dei, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Quippe sicut ipse est, & tu eris in hoc mundo, nec in aduersis nimis timidus, nec in prosperis dissolutus. Sponsæ curemus æmulari constantiam, quæ sicut bene instructa in omnibus, & erudita corde in sapientia, scit abundare, scit & penuriam pati. Cum se rogat trahi, ostendit quid desit sibi virtutis. Rursum cum se nihilominus de spe redituræ gratiæ consolatur, etsi deficere, non tamen diffidere se probat.

Psal. 118. 10

Psal. 29.

Eccli. 11.

Psal. 70.

11 Tract. de passione Domini c. 21. qui

IDEM sic habet. Sathanas cum principio bonæ cogitationis non potest resistere ponit insidias in via, quibus intentionē boni propositi possit euertere. De his insidijs conquetitur psalmus: In via hac, qua ambulabam, absconderunt superbi laqueum mihi. O quanti istis laqueis capti, & decepti sunt, qui bona quidem bene initiantes, tandem exterioribus cogitationibus accedentibus, propositi sui rectitudinem deseruerunt, omnino peruersi, & per bona opera sua, vel diuitias, vel honores, vel voluptates terrenas semel adepti, primæ intentionis sunt obliti. Et aliud, quàm Deum quærentes similes illis facti sunt, qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem volucrum, bestiarum, & serpentum. In similitudinem volucrum mutāt gloriam Dei, qui bona opera sua, quæ prius ad gloriam Dei facere intenderunt, intentionis rectitudine commutata pro vana mundi gloria facere laborant. Per volucres enim leues, & instabiles, & instabiles, & alta petentes, ac vana figurantur. Gloriam Dei mutant in similitudinem bestiarum, qui bona opera, per quæ prius gloriā Dei intenderunt, pro carnis implenda voluptate faciunt. Per bestias enim, quæ tantum quæ carnis sunt, sequuntur, voluptas designatur. Gloriam vero Dei in similitudinem serpentum commutant, qui bona opera, quæ pro cælestibus tantum diuitijs, & pro gloria Dei adipiscenda fieri deberent, propterea operantur, vt ex ijs terrenas diuitias consequantur. Per serpentes enim, qui terram comedunt, designantur auari, qui tantum lucra terrena sequuntur, & animæ suæ ventrem cupiunt implere. Hæc sunt scandala, quæ in via rectæ intentionis gradientibus abscondit diabolus, vt bonum propositum a sua rectitudine distorqueat. Plura de re hac diximus in anterioribus lib. 9. cap. 24. & lib. 17. cap. 2.

habetur inter opera incerta Bernardi. Psal. 141.

Roma. 1.

Virtus, quæ facilis est, & conformis humanæ naturæ, cōsolationibus abundans, vnde tantas patitur difficultates, quibus peccatum, quod contra naturam est, caret. Cap. XIIII.

1 Homil. 6. in c. 5. Iosue. to. 1.

ORIGENES inquit. Dominus noster Iesus Christus, qui a nobis pollutionem abstulit carnis, & abscidit, & a corde, atque ab anima nostra peccatorū inquinamenta purgauit. Hæc est circumcisio, quam figurauit illa, quæ facta est a Iosue: Circumcisi autem filij Israel, inquit, requieuerunt in eodē loco sedentes in castris vsque dum sanarentur: & tunc dixit Dominus ad Iosue: Hodie abstuli opprobriū Ægypti a vobis. Non enim sufficit nobis circumcidi, sed & post circumcisionem sanari, idest, vsquequo etiam cicatricem ipsam circumcisionis vulnus obducat. Quando ergo cicatrix in vulnere nostræ circumcisionis obducitur? Ego ita arbitror, quod circumcidi per Iesum, hoc est, vitijs carere, malas consuetudines, & pessima

sima instituta deponere, fœdos, & inconditos mores, & quidquid ab honestatis, & pietatis regula abhorret, abscindere. Sed hoc cum in initijs facimus, ipsa nouitatis quodammodo difficultate constringimur, & quasi cū labore quodam, & dolore animi veteris consuetudinis culpas nouella institutione mutamus. Et ideo est, vt dixi, quædam in initijs, vt vix ægre amputare possimus prima, & secunda suscipere. Hoc ergo mihi videtur tempus esse, quo velut in dolore circumcisionis nostræ dicimur residere, vsquequo obducta cicatrice sanemur. Obducimur autem cicatrice, cum iam noua instituta absq; difficultate complemus, & in vsum nobis vertitur, quod prius quasi insolitum difficile videbatur: & tunc vere iam sanari dicimur, cum vitijs carentes, virtutes nouo vsu vertimus in naturam. Et ita demum merito ad nos dicit sermo diuinus: Hodierna die abstuli opprobriū Ægypti a vobis. Quia posteaquam ablatum est opprobrium Ægypti, tunc dicitur: Et fecerunt filij Israel pascha quartadecima die mensis primi. Vides quia nemo immundus facit pascha, nemo incircumcisus, sed quicumque mundus fuerit.

2 Lib. 6. in c. 7 ep. Pauli ad Romanos.

IDEM edisserēs verba illa; Nō quod volo bonū, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Scio, quod non habitat in me, hoc est, in carne mea bonū. Velle enim adiacet mihi, perficere autē bonum non inuenio. Cōdelector legi Dei secundum interiorem hominem. Video autem aliam legē in membris meis repugnantē legi mentis meæ, & captiuātem me in lege peccati, quæ est in mēbris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Iesum Christum, inquit. Quando Apostolus dicit, Nō quod volo bonū ago, sed quod odi, illud facio, ostendit, quia licet carnalis sit, & sub peccato venundatus, qui hæc loquitur, tamen etiā resistere aliquantulum vitijs conetur, sed vincatur a vitijs, & opprimatur in vitijs, vt sæpe accidit. Verbi gratia, cū proponit quis patienter ferre instigantem se, & ad vltimum vincitur iracundia, & patitur hæc quodammodo inuitus, irascitur ergo etiam, cum nolit irasci: idem & in alijs vitijs contingit. Vincitur ergo in his singulis, qui nondum spiritualis est, quia voluntas nondum ita fortis, & robusta est, vt definiat apud se etiam vsque ad mortem pro virtute certandum. Nec talis est, qui dicat, est est, non non, & ideo non potest operari, quæ vult, sed quæ non vult. Verumtamen non vsquequaque hic, cuius persona proponitur, alienus est a bonis, sed proposito quidem, & voluntate cœpit bona requirere, nondum tamē potest bona rebus, & operibus obtinere. Est enim talis quēdam infirmitas in his, qui initia conuersionis accipiunt, vt tum velint quidē statim facere omne, quod bonum est, non statim voluntatem sequatur effectus. Discernit, verbi gratia, apud semetipsum, vt non irascatur, & hoc voluntate definit. Sed quoniam longo vsu, & consuetudine diutina vitium in eo iracundiæ dominatū est, obsistit etiam voluntati, ac proposito, & insolita sibi rursus itinera vis furoris erumpit. Similiter agit, & libidinis vitium: pari quoque consuetudinis morbo & mendacium surripit, formido deterret, & in his singulis, iste qui iam initia conuersionis cœperat, competenter dicit, quia velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. Non enim, quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Iudicium de bono habet voluntas, consuetudo autem carnalium vitiorum (quæ lex carnalis, vel lex membrorum appellata est) obsistit. Quod si victus consuetudine vitiorum, vsuq. peccandi, non iam ego, hoc est, interior homo, quod bonum volo, hoc facio: sed quod habitat in me peccatum: peccandi namq; consuetudinem, peccatum nominauit. Condelector legi Dei, secundum interiorem hominem. Per quod ostendit, quia interior homo, hoc est, voluntas, & propositum, quo initium accipit conuerti ad Dominum, legi Dei consentit, & delectatur in ea. Sed non statim, vt voluntatem quis habuerit conuerti ad bona, etiam vsus boni operis subsecutus est. Cita enim res est voluntas, & sine impedimento conuertitur: opus vero tardum est, quia vsum, & artem, & laborem requirit operandi. Quod vt euidentius fiat, vtamur similitudine exempli. Vult quis sapiens fieri, nec tamē statim vt voluit, sapiens effectus est; sed voluntas quidē præcessit, nec sine voluntate aliquis sapiens fieri potest: sed tamen cum voluntas fuerit, adhibendus est labor, studium, sollicitudo, vigiliæ, doctrina, institutio, & vix aliquando vsu longo, & meditatione continua sapiens efficitur. Sic & de singulis quibusque virtutibus loquendum est: in quibus omnibus dici conuenit, quia condelector legi Dei, hoc est, virtutibus, secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis. Quod supra dixerat, velle bonum adiacet mihi, hic voluntatem boni, legem mentis nominauit. Quæ lex mentis conuenit cum lege Dei, & consentit ei. Sed rursum motus corporis, desideria carnis, legem membrorum dicit, quæ captiuam ducit animam, & peccati legibus subdit. Qui talis est, clamat, Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Vbi corpus mortis appellat, in quo habitat peccatū, quod mortis causa est. Exclamet ergo, qui non inuenit perficere bonum, quia nondum in eo vsus exercitiumq. inoleuerat virtutum. Omnia ergo verba hæc non ex persona Pauli accipienda sunt, sed illius, quem initia conuersionis accepisse describit Apostolus, in eo, quod voluntas adiacet boni, sed nondum in effectum venit boni.

3

4 Lib. de regulis fusius disputat. in respons. 75. interrogationis. to. 2.

BASILIVS differens, an omnis peccati causa recte in Sathanam possit conferri, sic habet. Vtitur Sathanas adiutricibus secum naturalibus motionibus, sicut in Domino facere tentauit, quādo esurientem illum animaduertens,

Matt. 4. tens, dixit: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. In Iuda etiam, quem auaritiæ morbo esse obnoxium intellexerat, huius ipsius cupiditatis opera vsus, auarum hominem ad sceleſtissimæ proditionis lapsum triginta argenteis extimulauit. Quod autem etiam mala ex

Matt. 15. nobis nascantur, manifeste ostendit: De corde enim, inquit, exeunt cogitationes malæ, &c. Hoc autem vsu venit ijs, qui ex incuria naturalia rerum bonarum semina inculta dereliquerunt, conuenienter dicto illi Prouerbiorũ: Tamquam seges vir stultus, & velut vinea vir indigens prudentia. Si dimiseris eam, squalebit, & herbis luxuriabit tota, & fiet derelicta: Porro, quæ ex huiusmodi incuria in squalorem abijt, & derelicta est anima, consequens est necessario, vt spinas, ac tribulos progeneret, & ei illud eueniat, quod dictum est: Expectaui, vt faceret vuas, fecit autem spinas. De

Isa. 5. qua quidem anima illud prædictũ est: Et plantaui vineam Soreth, quod electam significat. Consimile huic, ex persona Dei dicitur apud

Hier. 2. Hieremiam: Plantaui te vineam frugiferam totam veram, quomodo conuersa es in amaritudinem vitis alienæ?

5 Hom. 39. in Matt. to. 2. CHRYSOSTOMVS enarrans locum illum 11. cap. Iugum meum suaue est, & onus meum lene, inquit. Si iugum, aut onus audiendo formidas nimium, atque perhorrescis, non naturæ rerum huiusmodi timorem, sed ignauiæ totum attribnas. Nam si accinctus, & præparatus eris, & nulla desidia effeminatus, cuncta tibi facilia, leuissimaq. videbuntur. Quapropter Christus, vt vigilandum esset, certiores nos redderet, non sluit onera, nec suauia tacuit, sed vtrumque complexus, & iugum dixit, & suaue appellauit, onus apposuit, & leue adiecit, ne aut tamquam laboriosa nimium fugeres, aut tamquam nimium facilia contemptu prosequereris. Quod si vehementer ardua, difficilisq. tibi virtus videtur, veniat tibi in mentem quato difficilior vitiositas est, cum Christus Dominus eos, qui in peccatis sunt, & laborantes, & oneratos vocauerit: quod psalmista significauit apertius, & naturam ipsius peccati descripsit, dicens: Et sicut onus graue grauatæ sunt super me. Zacharias quoque similiter plumbi talentum esse ait. Quod si aliqui in peccatis lætantur, mentis ipsorum, ac ægroti animi non iucunditatis rerum hoc signum est. Illi autem, qui virtuti student, non minus paupertate, quàm regis diademate gloriantur, maxillam vertere multo facilius vapulanti, quàm repercutere. Si attẽditis, hinc enim bella, & dissidia originem trahunt, inde bellorum omnium, atque inimicitiarum causæ soluuntur. Et altero quidem modo maiorem flammam suscitasti, altero autem vtriusque incendium extinxisti.

Psal. 37. *Zach. 5.*

6 Hom. 57. in c. 17. Matt. *Isa. 58.* IDEM edisserens verba illa Isaiæ 58. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, & omne onus disrumpe, ait. Vide quanta sapientia vtitur Propheta, abstulit difficiliora, & a facilibus saluari iubet: vt ostendat virtutis facilitatem, & grauissimum vitiositatis onus, nudisq. nominibus id comprobans; vincula, & fasciculos vitium, virtutem vero horum omnium dissolutionem appellat.

7 Hom. 12. in ep. Pauli ad Rom. to. 4. IDEM docẽs veritatem huius sententiæ, Vitiũ magno dolore, virtutem autem magna voluptate cõstare, dicit. Quid enim quæso magis triste, quid minus lætum esse queat, vitæ malè actæ cõscientia? Quid rursus minus mæstum, magis suaue spe bona? Certe nihil sic premere consueuit, vt mala expectatio. Rursus nihil sic illos sustentare, erigere, ac veluti volatiles reddere, vt conscientia bona. Nam qui carcere clausi tenentur, sententiam contra se expectantes, ij, vt delicijs infinitis, ac voluptatibus interim perfruantur, maiori sane cum animi mæstitia vicitant, quàm inopes ij, qui per vrbium angiportus cum mendicent, nullius tamen sceleris sibi conscij sunt: supplicij enim expectatio illos non sinit præsentium voluptatum sensum capere. Opponito paruæ voluptati peccantis magnos terrorum fluctus animam torquentes, tum autem breui continentiæ labori vitæ perpetuo duraturæ tranquillitatem, & intelliges hanc illa esse longe suauiorem. In virtute, quæ antecedunt, laboriosa quidem sunt, quæ insequuntur, suauia; vt hac demum ratione ille labor leuetur, & leniatur. In vitiositate autem secus, post voluptatem dolores atque supplicia, ita vt hinc prorsus, si qua inest voluptas, pereat. Nam quemadmodum fit, vt qui lauream expectat, is labores eos, in quibus versatur, minime sentiat; sic qui voluptate perfecta, supplicia sibi parata intelligit fieri, non potest, vt iusta lætitia perfruatur, timore omnia conturbante.

8 Epist. 1. quæ est ad Demetriadem virg. to. 4. HIERONYMVS sic ait, docens naturæ propensionem ad virtutem operandam, vitiaq. fugienda. Quid est obsecro illud, quod ad omne peccatum, aut erubescimus, aut timemus, & culpam facti nunc rubore vultus, nunc pallore monstramus, ac trepidante animo etiã in minimis delictis testem effugimus, conscientia remordemur, e diuerso autem in omni bono læti, constantes, intrepidi sumus, idq. si occultum est, palam etiam fieri cupimus, & volumus, nisi quod testimonio sibi est ipsa natura, quæ hoc ipso declarat bonum suum, quo ei malum displicet, & dum in bono tantum opere confidit, quid solum eã deceat, ostendit? Hinc est illud, quod frequenter carnifice occulto, in auctorem sceleris conscientiæ tormenta desæuiunt, & latentem reum secreta mentis pœna persequitur. Nec vllus post culpam impunitati locus est, cum sit reatus ipse suppliciũ. Hinc est, quod e contrario innocens etiam inter ipsa tormenta fruitur conscientiæ securitate, & cũ de pœna metuat, de innocentia gloriatur. Est enim, inquam, in animis nostris naturalis quædam (vt ita dixerim) sanctitas, quæ velut in arce animi præsidens, exercet boni, maliq. iudicium: & vt honestis, rectisq. actibus fauet, ita sinistra opera condemnat, atque ad conscientiæ

scientiæ testimoniũ diuersas partes domestica quadam lege dijudicat. Nec vllo prorsus ingenio aut fucato aliquo argumẽtorum colore decipit, ipsis nos cogitationibus fidelissimis & integerrimis sane testibus, aut arguit, aut defendit. Huius legis scribens ad Romanos meminit Paulus, quam omnibus hominibus insitam, velut in quibusdã tabulis cordis scriptã esse testatur. Cum enim, inquit: Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt; huiusmodi legẽ non habentes, ipsi sibi sunt lex. Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente eis conscientia eorum, & inter se inuicem accusantiũ cogitationum, aut etiam defendentium. Hac lege vsi sunt omnes, quos inter Adã atq; Moysem sancte vixisse, ac placuisse Deo, Scriptura cõmemorat. Nec illud est paruum argumentũ ad comprobandũ naturæ bonum, quòd illi primi homines per tot annorum spatia absque vlla admonitione legis fuerunt, non vtique quod Deo aliquãdo creaturæ suæ cura non fuerit, sed quia se talem sciebat hominum fecisse naturam, vt eis pro lege ad exercendam iustitiam sufficeret. Denique quandiu recentioris adhuc naturæ vsus viguit, humanæ rationi velut quandam caliginem longus vsus peccandi obduxit. Sine lege dimissa est natura, ad quam Dominus nimijs iam vitijs obrutam, & quadam ignorantiæ rubigine infectam limam legis admouit, vt huius frequenti admonitione expoliretur, vt ad suum posset redire fulgorem. Neque vero alia nobis causa difficultatem benefaciendi facit, quàm longa consuetudo vitiorum, quæ nos infecit a paruo, paulatimque per multos corrupit annos; & ita postea obligatos sibi & addictos tenet, vt vim quodammodo videatur habere naturæ. Omne illud tempus, quo ad vitia eruditi sumus, nunc nobis resistit, contraque nos venit, & nouam voluntatem impuguat vsus vetus, & miramur cur nobis per ocium atque desidias nescientibus etiam quasi ab alio sanctitas conferatur, qui nullam consuetudinem boni facimus, cum malum tantum didicerimus?

9 Lib. 1. in c. 2 Michææ. t. 5 IDEM interpretans locum illum, qui tantum habetur in septuaginta interpretum æditione: Fugistis nemine persequente, dicit. Hoc ait Dominus ad illos, ad quos præmiserat in eadem lectione; Propter immunditiam consumpti estis corruptione: qui voluptati corporis, & libidini seruientes voluptatum amatores magis quàm Dei. Ad hos dicitur, quòd conscientia peccatorum etiam absque supplicijs resistere hostibus, & dimicare non audeant. Vnde & formidolosi in sanctorum prælio, ne terreant mentes fratrũ suorum, eijciuntur a castris, & ex acie repelluntur: & in maledictis Leuitici ad huiuscemodi homines sermo dirigitur: Persequetur vos folij vox volantis, fugietis nemine persequente.

Deu. 20.

Leuit 26.

10 In c. 1. Sophoniæ. IDEM edisserẽs verba illa: Et eri: tin die hostiæ Domini visitabo super principes, & super filios regis, & super omnes, qui induti sunt veste peregrina, sic habet. In consummatione mundi visitabit Dominus super principes, super pastores, & super filios regis, qui se iactant Christianos, & quòd regis Christi sint filij gloriatur, & super omnes, qui induti sunt vestibus alienis. Vestis filiorum regis, & principum indumentum Christus est, quod accepimus in baptismo, iuxta illud; Induite vos Dominum Iesum. Et induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, mansuetudinem. in quibus præcipitur, vt induamur nouo homine cælesti iuxta Creatorem nostrum, & proijciamus indumentum veteris hominis cũ operibus eius. Cum ergo debeamus talibus indui vestimentis, pro misericordia induimur crudelitate, pro patientia impatiẽtia, & pro Christo Antichristo. Illi induti sunt veste peregrina, qui pro Dei cultu venerati sunt idola, qui recesserunt a protectione & induméto Dei, & suo errore cooperti sunt. vbi peccata vocat peregrinam hominis vestem, virtutes autem naturalem & propriam vestem naturæ nostræ conformem.

Galat. 3. *Coloss. 3.* *Ephes. 4.*

11 In c. 4. Proverb. to. 8. IDEM explicãs locum illum: Ducam te per semitas æquitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum, inquit. Semitę, idest, actiones æquitatis, dum inchoantur, arctę videntur & angustæ; dum vero profectum capiunt, iam ex consuetudine spacioſæ videntur & latæ, psalmista testante, qui cum incipiens Domino dixisset; Propter verba labiorum tuorum ego custodiui vias duras, postmodum iam proficiens canebat; Viam mandatorum tuorum cucurri, dum dilatares cor meum. Etsi ergo semitę æquitatis, cum ingredi cœperis, arctæ tibi videntur, tamen eas cũ ingressus fueris, non arctabũtur gressus mentis tuæ, sed iuxta quod Dominus ait, iugũ suaue & onus leue reperies; electorũ enim pedes diriguntur in viam pacis. Et currens non habebis offendiculũ: quia quo alacrius ad implenda Dei mãdata cucurreris, eo minus aduersa, quæ te impediant, timebis. Nã quicumq; in praua actione desudant, offendiculum in medio cursu reperiunt: comedunt panem impietatis, & vinum iniquitatis bibũt. actione scelerum iniqui, quasi epulis delectantur appositis.

12 Lib. 6. confessionum. c. 6. to. 1. AVGVSTINVS inquit. Inhiabam honoribus, lucro, coniugio, & tu irridebas. Patiebar in eis cupiditatibus amarissimas difficultates, te propitio tanto magis, quãto minus sinebas mihi dulcescere, quod nõ eras tu. Quàm misera erat anima mea, & sensum vulneris tu pungebas, vt relictis omnibus, conuerteretur ad te, & sanaretur. Quàm ergo miser eram, & quomodo egisti, vt sentirem miseriam meam die illo, quo cum pararem recitare imperatori laudes, quibus plura mentiri, easq. curas anhelaret cor meum, & cogitationum tabificarum febribus æstuaret. Transiens per quemdã vicum Mediolanensem, animaduerti pauperem mendicum iocantem, atquæ lætantem, ingemui,

gemui,& locutus sum cum amicis,qui mecum erant,multos dolores insaniarum nostrarum, quia omnibus talibus conatibus nostris, quibus tunc laborabam,sub stimulis cupiditatum trahens infelicitatis meæ sarcinam, nihil vellemus aliud,nisi ad securam lætitiam peruenire,quo nos mendicus ille iam præcesisset,numquam fortasse illuc venturos. Quod enim iã ille pauculis,& emendicatis nummulis adeptus erat, ad hoc ego tam ęrumnosis anfractibus,& circuitibus ambiebã, ad lætitiã scilicet temporalis felicitatis. Non enim verum gaudium habebat, sed & ego illis ambitionibus multo falsius quærebam. Gaudebat forte mendicus ebrietate sua, & ille ipsa nocte digesturus erat ebrietatem suam, ego autem cum mea dormieram,& surrexeram, & dormiturus, & surrecturus eram, vide quot diebus? In fine libri versa, & reuersa in tergum, & in latera, & in ventrem, & dura sunt omnia, & tu solus requies. Tu constituis nos in via tua,& liberas a miserabilibus erroribus,& consolaris,& dicis, Currite,ego feram,& ego perducam.

13
Lib.7.c.16. IDEM dicit. Sensi & expertus sum non esse mirum, quod palato nõ sano pena est panis, qui sano est suauis; & oculis ægris odiosa lux, quæ puris amabilis est. Et iustitia tua displicet iniquis. Insistebam frui Deo meo, rapiebar ad te decore tuo, moxq. deripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista temporalia cũ gemitu,& pondus hoc consuetudo carnalis. Sed mecum erat memoria tui,sed corpus,quod corrũpitur, aggrauabat animam,& deprimebat terrena inhabitatio sensum multa cogitantẽ. Tũ vero inuisibilia tua per ea,quæ facta sunt, intellecta conspexi,sed aciem figere non valui, & repercussa infirmitate,redditus solitis,non mecũ ferebam nisi amantem memoriam,& quasi olefacta desiderantem, quæ comedere nondũ posset. Infra: Ego cum deliberaueram,vt iam seruirem Domino,sicut diu disposueram,ego erã, qui volebam, ego qui nolebã,ego ego erã: nec plene volebã,nec plene nolebã: ideo mecũ contendebam, & dissipabar a me ipso: & ipsa dissipatio me inuito quidem fiebat, nec tamen o-
Rom. 7. stendebat naturam mentis alienæ, sed pœnam meæ. Et ideo non iam ego operabar illa, sed quod habitabat in me peccatum,quia eram filius Adã Nã si tot sunt contrariæ naturæ quot volũtates sibi resistunt,non iã duę,sed plures erũt, sic ægrotabã, & excruciabar accusans memetipsum solito acerbius,ac voluẽs,& versans me in vinculo meo,donec abrumperetur totũ, quo iam exiguo tenebar, sed tenebar tamen, sed timebam,ne exiguum,quod me tenebat,reualesceret iterum, & me robustius alligaret. Dicebam enim apud me intus, ecce modo fiat, modo fiat. Et cum verbo iam ibam in placi-
14 tum, iam penefaciebam, & non faciebam, nec relabebar tamen in pristina,sed deproximo stabam, & respirabam,hæsitabam mori morti, & vitæ viuere, plusq. in me valebat deterius inolitum, quàm melius insolitum. Punctumq. ipsum temporis, quo aliud futurus eram,quanto propius admouebatur,tanto ampliorem incutiebat horrorem. Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & murmurabant: Dimittis ne nos? Et a momento isto non erimus tecum vltro in æternũ, & a momento isto non licebit tibi hoc, aut illud vltra in æternum? Et quæ suggerebant in eo,quod dixi,hoc,aut illud Deus meus auertat ab anima serui tui misericordia tua. Quas sordes suggerebant, que dedecora? Retardabant me cunctantem abripere, atque excutere ab eis,& transilire,quo vocabar, cum diceret mihi consuetudo violenta; Putas ne sine istis poteris? Ista controuersia in corde meo, non nisi de me ipso aduersus me ipsum.

IDEM enarrans verba illa; Secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos, 15 In Ps.5.
quoniam irritauerunt te Domine (vbi ipse legit, quoniam inamaricauerunt te Domine) ait. Ego sum, inquit Dominus, panis vi- Ioan. 6.
uus, qui de cælo descendi. Et operamini escam, quæ non corrumpitur. Et gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Peccatoribus autem panis veritatis amarus est. Ipsi Psal.33.
ergo amaricauerunt Deum, qui peccando in eam ægritudinem deuenerunt, vt cibum veritatis, quo sanæ animæ gaudent, tamquam felleum sustinere non possint. Et lætentur omnes, qui sperant in te,in æternum exultabunt,& habitabis in eis. Lętentur in te vtique illi,quibus gustantibus suauis est Dominus.

IDEM in expositione illorum verborum: 16
Quoniam non est in morte, qui memor sit tui, In Psalm.6.
in inferno autẽ quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meum, ait. Hoc in loco mortem vocat peccatum, quod contempta diuina lege committitur: in qua morte,hoc est esse immemorẽ Dei,legem eius & pręcepta eius contemnere, vt infernũ dixerit cœcitatem animi,quę peccantem,idest, morientem excipit,& inuoluit. Ab ista morte, & ab isto inferno tutam se præberi anima deprecatur, dũ molitur cõuersionẽ ad Deũ,& sẽtit difficultates. Propter hoc cõtexit dicẽs: Lauabo per singulas noctes lectũ meũ. Lectus est hoc loco appellatus,vbi requiescit animus ęger,& infirmus, idest, in voluptate corporis,& omni delectatione sæculari. Quã delectationẽ lachrymis lauat, qui se se ab illa conatur extrahere. Videt enim iã se damnare carnales concupiscentias, & tamen delectatione tenetur infirmitatis, & in ea libenter iacet, vnde resurgere,nisi sanatus animus non potest. Quod autẽ ait, per singulas noctes,fortasse accipi voluit,quod ille,qui spiritu promptus sentit aliquam lucem veritatis, & tamen in delectatione huius sæculi per carnis infirmitatem aliquando requiescit,tamquam dies, & noctes alterno affectu cogitur pati. Vt cum dicit: Mẽ-
te seruio legi Dei,tamquam diem sentiat,tur- Rom. 7.
sus cum dicit; Carne autem legi peccati, inclinetur in noctem, donec omnis nox transeat, & veniat vnus dies, de quo dicitur: Mane

astabo

astabo tibi,& videbo. Tunc enim astabit: nunc autem iacet, quando in lecto est.

17 IDEM exponens illa verba; Quàm ma-
Cõcione 3. gna (vel multa,vt Augustinus legit) multitu-
in Psal. 30. do dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te,sic habet. Hic homo impius si dicat: vbi est ista multitudo dulcedinis? Respondebo, quomodo tibi ostendam multitudinem dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis perdidisti? Mel si non nosses quàm bene saperet, non clamares, nisi gustasses, palatum cordis no habes ad hæc bona gustanda, quid tibi faciam? Quomodo ostendam? Non est cui dicam: Gustate, & videte, quoniam suauis est
Psal.33. Dominus. Quàm multa multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te. Quid est abscondisti illis? Seruasti illis, vt soli ad illam perueniant: Quia initium sapientiæ timor Domini. Perfecisti autem dulcedinem tuam his, qui sperant in te.

18 IDEM enarrans illa verba; Concupiuit
Cõcione 8. anima mea desiderare iustificationes tuas in
in Psal.118 omni tempore,dicit. Ista concupiscentia est,de
Sap. 6. qua scriptum est: Cõcupiscentia sapientię deducit ad regnum. Huius anima concupiuit desiderare iustificationes Dei. Credo nondũ eas desiderabat,quando concupiuit desiderare. Iustificationes autem, facta sunt iusta, opera iustitiæ. Quàm longe ab his est, qui eas desiderare concupiscit; & quàm longius, qui nec hoc adhuc concupiscit. Quis est iste mirabilis, atque inexplicabilis languor? Ægrotus, qui fastidio laborat,& vult euadere hoc malum,concupiscit vtique desiderare cibum, dum concupiscit non habere fastidium, sed hoc fastidium morbus est corporis;concupiscentia vero,qua concupiscit desiderare cibum,hoc est, carere fastidio,in animo est, non in corpore. Et ideo non est mirum, si appetit animus, vt appetat corpus, quando appetit animus, nec appetit corpus. Cum autem vtrumq; animi est, in vno eodemq. animo habeo concupiscentiã desiderij huius,& desiderium ipsum non habeo? Ita. Sępe enim quid agendum sit,videmus,nec agimus,quia non delectat,vt agamus,& concupiscimus,vt delectet. Præuolat intellectus,& tarde sequitur, & aliquando non non sequitur humanus,atque infirmus affectus. Ideo ergo desiderare concupiscebat, quæ bona esse cernebat,cupiens eorum habere delectationẽ, quorum potuit videre rationẽ. Concupiuit anima mea desiderare,dixerat,& nõ concupiscit, iam enim peruenerat ad id, quod ante concupiuerat, iamq. desiderabat eas, quarum se desiderium iam aliquando cõcupisse commemorat. Nam paulo post dicit: Seruus autẽ tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Sed quibus quasi gradibus ad eas perueniatur, ostendit. Prius enim,vt videatur, quàm sint vtiles, & honestæ, deinde vt earum desiderium concupiscatur,postremo,vt proficiente lumine, atque sanitate, delectat earum & operatio, quarum sola ratio delectabat.

19 IDEM explicans verba illa; A indicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mi- Concione
hi,ait. Tu interior in intimis meis, tu intus in 22.
corde legẽ posuisti mihi spiritu tuo, tamquam digito tuo, vt eam non tamquam seruus sine amore metuerem,sed casto amore,vt filius diligerem. Et ideo sequitur: Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua super mel ori meo. Hæc est illa suauitas, quam Deus dat, vt terra nostra det fructum suum, vt bonum delectatione faciamus. Propterea omnem viam iniquitatis odio habui. Necesse est enim, vt oderit omnem iniquitatem amor iustitiæ.

BERNARDVS exponens verba illa; 20
Fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra, di- Serm. 6. de
cit. Hoc igitur oramus, vt sicut Angelus sic & oratione dominica.
homo adhærens Deo, vnus cum eo spiritus sit. Sed heu me quot obstacula separant,quot prohibent impedimenta? Obijcit se se malitia mediã,obijcit infirmitas,obijcit concupiscentia,& ignorãtia nostra. Inest enim nobis quasi a natura, magis autem ab exterminio naturæ affectio quædam pessima, & libido nocendi,vt inextinguibilis inueniatur in miseris animabus nostris malitiæ delectatio. Quid vero longius a voluntate diuina? Hinc omnis radix amaritudinis germinat, hinc inuidiæ, hinc detractiones,hinc dissensiones pullulant. At hæc quidẽ germina virulenta præcidi semper necesse est falsæ iustitię, qua videlicet extorquemus a nobis,ne quid faciamus, quod nolumus nobis fieri, sed quæ volumus, vt faciant nobis homines,hæc eadẽ & nos eis faciamus. Eradicari autẽ,aut extirpari a cordibus omnino nõ poterit malitia,donec in hoc mũdo sumus,qui totus positus est in maligno. Conteritur quidẽ serpentis caput,sed experiri est frequenter calcaneo insidiantem. Secundo loco ipsa quoque corruptibilis huius infirmitate corporis præpedimur, ne voluntas nostra diuinæ cohæreat. Nobis quidẽ,quod molestum sentimus,non potest nõ displicere,& frequenter in his voluntas nostra a diuina dissidet voluntate,cui ne penitus aduersetur,fortitudo est nobis necessaria. Nec sola impedit corporis afflictio,impedit & concupiscentia, qua multiplicibus, & inexplebilibus distrahimur desiderijs. Quando autem poterit anfractuosa, & angulis plena voluntas ei vniri, quæ rectissima est, & omnimodis indistorta? Heu mihi Domine Deus, quia vndique mihi bella, vndique tela volant, vndique pericula, vndique impedimenta. Quocumq; me vertam, nulla vsquam securitas est, & quæ mulcent,& quæ molestant,timeo,& esuries,& refectio, & somnus, & vigiliæ, & labor,
& requies militant contra me. Diuitias, & Prou. 20.
paupertatem, ne dederis mihi, orat Sapiens, nimirum, quia vtrobique laqueus, vtrobique periculum. Quod si reprimit temperantia concupiscentiam, erit quidem vnio iam nonnulla, sed perfecta non erit. Hinc Paulus Apo-
stolus ait: Ego quidem mente seruio legi Dei, Roma.6.
carne autem legi peccati, quæ est in membris meis. Ex parte ergo cohæret, & ex parte dissidet,donec veniat,quod perfectum est. Quar-

ta est

ta est ignorantia, quam & ipsam plurimum nobis obesse non ignoratis. Propterea inquirenda sunt nobis cum omni desiderio incrementa prudentiæ, vt magis ac magis notam faciat nobis Deus voluntatē suam, vt sciamus quid acceptum sit ei omni tempore.

21 Serm. 2. annūciationis Dominicæ. IDEM ait. De Christo Domino scriptū est, quia requieuit super eum Spiritus Domini, in quo nihil in eo contradictionis fuisse declarat. In nobis autem, quia non omnino superior est Spiritus, non requiescit, carne nimirum aduersus spiritum, & spiritu aduersus carnem concupiscente.

22 Epist. 72. ad Ramaldum abbatem. IDEM inquit. Libet admirari, quàm leue sit onus virtutis. Num vere leue est, quod portantem non grauat, sed leuat? Quid eo leuius onere, quod non solum non onerat, sed & portat omnem, cui portandum imponitur? Hoc onus ipsa, quibus se præbuit sustentandū, senis Simeonis brachia sustentabat. Hoc etiam Paulum Apostolum in graui licet, & corruptibili corpore positum, rapiebat vsque ad tertium cælum. Sicut pennæ auium corpulentiorem reddunt substantiam, & agiliorem: vnde grossescit materia, inde sarcina leuigatur. Hoc plane in pennis Christi oneris exprimit similitudinem, quod & ipsæ ferunt, a quibus feruntur. Quid & de quadriga dicam? Hæc nimirum admota iumento sarcina, quæ ab ipso mouerī non poterat, auget quidem, sed portabiliorem facit: onus oneri additur, & minus onerat. Sic virtutis operatio auget perfectionem, & difficultatem minuit. Graues manus Moysi leuigatæ sunt per gratiam.

23 Tract. de vita solitaria ad fratres de monte Dei. Rom. 7. IDEM explicat locum Pauli; Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio, & ait, Hoc est, ac si dicat, semper quidem velle adest, sed aliquando iacet, hoc est, ineffícax est, quia perficere opus bonum quæro, sed non inuenio.

Vitam, & statum bonorum, sicut & malorum varijs similitudinibus explicant sacræ litteræ, illa autem imitari debet homo. Cap. XV.

1 Homil. 1. in Leuit. to. 1. ORIGENES enarrans verba illa; Decorantes holocaustum, diuident illud membratim, & imponent filij Aaron sacerdotis diuisa membra, & caput, & adipes, & ligna, quæ sunt super altare. Interanea vero, & pedes lauabunt aqua, & imponet sacerdos omnia super altare: ostia est, & sacrificium, odor suauitatis Domino, inquit. Ego puto, quod ille sacerdos detrahit corium vituli oblati in holocaustum, quo membra eius conteguntur, qui de verbo Dei detrahit velamen litteræ, & interna eius, quæ sunt spiritalis intelligentiæ, membra denudat, & hæc membra verbi non in humili aliquo loco ponit, sed in alto, & sancto, idest, super altare collocat, cum non indignis hominibus, ac humilem vitam, & terrenam ducentibus pandit diuina mysteria, sed illis, qui altare Dei sunt, in quibus semper ardet diuinus ignis, & semper consumitur caro. Super hos tales membratim diuisus est vitulus, cum alia incipientibus, alia his, qui iam in fide proficiunt, alia his, qui iam perfecti sunt in charitate aptantur.

2 Homil. 4. in c. 6. Leuit. IDEM edisserēs locum illum: Anima, quę mentietur proximo suo super depositō, quod commodatum est ei, restituet ipsum caput, & quintas insuper augebit, qua die conuictus fuerit, ait. Videamus, quod est depositum, quod nunc fidelium quisque suscepit. Ego puto, quod & ipsam animam nostram, & corpus depositum accepimus a Deo. Et vis videre maius aliud depositum, quod accepisti a Deo? Ipsi animæ tuæ Deus imaginem, & similitudinem suam commendauit. Istud ergo depositum tam integre tibi restituendum est, quàm a te constat esse susceptum. Si enim sis misericors, sicut Pater tuus cęlestis misericors est, imago Dei in te est, & integrum depositū seruas. Si perfectus es, sicut Pater tuus in cælis perfectus est, imaginis Dei in te depositum manet. Similiter si pius, si iustus, si sanctus, si mundus corde, & omnia, quæ in Deo præsto sunt per naturam, si tibi per imitationem subsistant, depositum apud te diuinæ imaginis saluum manet. Si vero e contrario agas, & pro misericorde crudelis, pro pio impius, pro benigno violentus, pro quieto turbulentus, pro liberali raptor existas, abiecta imagine Dei, diaboli in te imaginem suscepisti, & bonum depositum tibi diuinitus commendatum abnegasti. Hoc electo discipulo Timotheo Apostolus cōmendabat, dicens: O Timothęe, depositum custodi bonū. Ego etiam illud addo, quod & Christum Dominum depositum suscepimus, & sanctum Spiritum depositum habemus: videndū est ergo, ne hoc sancto depositō non sancte vtamur: & cum nos in consensum suum peccata sollicitant, iuremus nos suscepisse depositum, quod vtiq; si habeamus in nobis, peccato consentire nō possumus. Sed & ipse sensus rationabilis, qui in me est, commēdatus mihi est, vt eo vtar ad intelligentiā diuinorū. Ingenium, memoria, iudicium, ratio, & omnes, qui intra me sunt motus, cōmendati mihi vidētur a Deo, vt eis vtar in his, quæ præcepit lex diuina. Si vero ad malas artes perspicax vertamus ingeniū, & rebus Dei abutamur in his, quæ nō vult Deus, hoc est, abiurare depositum, & beneficia vertere in perfidiā. Post hæc de rapina dicitur: Sunt autem raptores boni, & mali. Boni quidem de quibus dicit Saluator: Quia regnum cælorum rapiunt. Mali raptores sunt, de quibus dicit propheta: Et rapina pauperū in domibus vestris est. Si homo nondum purgatus a vitijs, nondū segregatus a profanis, & sordibus actibus, velit se cœtui sanctorum, & perfectorum latenter ingerere, & sermonem, quo perfecta tractantur, audire, huiusmodi secretorum, & perfectorum scientiam, non bene rapit. Meminisse enim oportet præcepti Saluatoris, quo dicit; Quia nemo mittit vinū nouum in vtres veteres, alioquin & vtres rumpētur, & vinum peribit: ostendens, quod animæ nōdum renouatæ, sed in vetustate malitiæ perduranti, non oporteat nouorum mysteriorū, quæ per Christum mundus agnouit, secreta committi.

1. Tim. 6.

3

4 Hom. 18. in 24. Num. IDEM exponens verba illa; Et exurget ex Iacob, & perdit liberatum de ciuitate, dicit. Ciuitas hæc mundus est, & quem liberat Christus de hoc mundo, perdit eum. Dicit enim, quia, qui perdiderit animam suam propter me, saluam faciet eam. Salutari ergo perditione perdit Iesus eum, quem de huius mundi ciuitate liberauerit. Et nos itaque si ad salutem venire volumus, & de hoc mundo liberari, perdere debemus animas nostras perditione vtili & necessaria. Perdit enim animam secundum Christum, qui desideria eius refrenat, qui cupiditates eius resecat, qui luxuriam eius, resolutionemq. castigat, & in nullo facit voluntatem suam, sed Dei: & per hęc perire dicitur anima. Perijt namque vita eius prior, & incipit nouam vitam, quæ in Christo est, ducere.

5 Hom. 22. in 2. p. Num. IDEM enarrat historiam quinq; filiarum Salphaat Israelitæ, qui mortuus est in deserto nulla virili sobole derelicta, & ait. Istæ filiæ interpellant Moysen, & sortem paternæ hereditatis exposcunt, dicētes, Ne deleatur nomen patris earum de medio plebis suæ, quia non est ei vir filius natus: consuluit Moyses Dominum, & iussit vt daret eis possessionem in medio fratrum patris sui, & daret sortem patris ipsarum ipsis, & filijs Israel loqueris, dicens: Homo, si mortuus fuerit, & filius non fuerit ei, dabitis hereditatem eius filiæ eius. Requiramus, quæ sint istæ filiæ quinque, quarum etiā si pater mortuus fuerit, ipsæ tamen hereditatem ex verbo Dei capiant. Superius, virtutes animi, & sensus mentis filios dici docuimus: consequens sine dubio, & conueniens videtur, etiam filias opera, quæ corporis ministerio explentur, accipere, ideo & quinque dicuntur, quinque enim sunt sensus, quibus omne opus expletur in corpore. Istæ ergo quinque filiæ, idest operum perfectio, etiam si patre orbentur & remaneant orphanæ, non tamen eijciuntur ab hereditate, nec excluduntur a regno, sed in medio plebis Dei portionem hereditatis accipiunt. Pater operum intellectus est: sæpe ergo accidit, & non pauci inter fratres nostros sunt, in quibus intellectus altior, & profundior nullus, sed est in eis sensus emortuus. Iste ergo etiam si ad intelligentiam spiritalem nihil sapit, tamen si genuerit filias, idest opera ministerij, opera obsequij, & mandatorum Dei, hereditatem terræ cum plebe Domini consequitur in plebeio ordine. Iste Saphat generat opera, & actus, quæ sunt simplicioris vitæ ministeria, & ideo ostendit in ijs clementia Dei, quòd innocentiores quique, etiamsi sensu deficiant, habeant tamen opera bona, non excludantur ab hereditate sanctorum. Infra: De Iosue temporibus dicitur, quia quieuit terra a bellis: quod de Iesu nostro dicitur, non de illo Naue. Atque vtinam mea terra cesset a bellis, & cessare possit. Si ego Iesu principi meo fideliter militarem; si enim paream Domino meo, numquam caro mea consurget aduersus spiritum meum, nec impugnabitur terra mea ab aduersarijs gentibus, diuersis, scilicet concupiscentijs stimulata. Oremus ergo vt Iesus regnet super nos, & cesset terra nostra a bellis, cesset ab impugnationibus carnalium desideriorū: & cum ista cessauerint, tunc vnusquisque requiescet sub viti sua, & sub ficu sua, & sub oliua sua, sub velamento enim Patris, & Filij, & Spiritus sancti requiescet anima, quæ pacem in se recuperauerit carnis ac spiritus.

7 Hom. 26. in c. 22. Iosue. IDEM inquit. In superioribus dictum est, quia filij Israel dederunt sortem Iosue in monte Ephraim, & quia accepta sorte ædificauit ibi ciuitatem, & inhabitauerit in ea. Nunc autem hæc repetens addit, quòd ibi posuit cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israel in eremo. Dominus Iesus petit a nobis locum, quem ædificet, & in quo habitet: & debemus tales effici, tam mundi corde, tam simplices mente, tam sancti corpore, & spiritu, vt & in anima nostra locum dignetur accipere, & ædificare illam, & inhabitare in ea. Habitat autem in monte Ephraim, hoc est, in monte fructifero. Illi sunt montes fructiferi, in quibus sunt fructus spiritus, gaudium, pax, patientia, charitas, &c. Isti sunt montes fructiferi, qui fructum Christi afferunt, & mente, ac spe semper excelsi sunt. Ibi etiā reconduntur gladij lapidei, verbum scilicet Dei, quo circumciditur omnis malitia, & impuritas auditorum.

8 Homil. 1. in psal. 36. to. 2 IDEM enarrans illa verba; Fac bonitatem, & inhabita terram, & pasceris in diuitijs eius, sic habet. Noli esse sicut fœnum arescens, noli fieri sicut olera herbarum, quæ cito deficient: sed spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabita terrā. Terram vocat cor nostrū, quā iubemur inhabitare, & non longius euagari, non vltra, citraq. discurrere, sed consistere intra animæ nostrę terminos, & considerare diligentius, atq; effici eius agricola, sicut fuit Noe, & plantare in ea vineā, & excolere terram, quę intra nos est, nostræ animæ innouare noualia, & non seminare super spinas, videlicet, cum animam nostram purgamus a vitijs, & incultos, atque asperos mores ad mansuetudinem Christi imitationis excolimus, & ita demum ex virtutum diuitijs pascimur. Inhabita terram, hoc est, animæ tuæ semper assiste, ibi semper permane, & excole terram tuam, vt cum abundare cœperis iustitiæ fructibus, tunc pascaris in diuitijs eius. Pasci in diuitijs eius, hoc est, quia quodcumque seminauerit homo, hoc

& metet. Et qui seminat in carne, de carne metet corruptionem, & qui seminat in spiritu de spiritu metet vitam æternam. Si autem habites terra tua, & ipsam non in carne, sed in spiritu seminaueris, pascéris in diuitijs eius, sicut oues illæ, quæ in loco viridi pasci dicuntur. Vnde constat, quòd vnusquisque nostrum ipse sibi præparat intra se locum viridē, in quo pascitur a Domino, cum agros animæ suæ excolit. Vnde subdit: Delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Hoc, quod in Latino dicitur, Delectare in Domino, in Græco, Deliciare in Domino, legitur. Prius pascitur anima, & postmodum deliciatur. Si quis audiat ea sola verba, quæ ipsum incitent ad timorem Dei, iste cibum tantummodo capit ex huiusmodi verbo. Quando autem non ad hoc solum, quod ei ad vitam sufficit, cibo vtitur mandatorum, sed in omni agnitione scientiæ delectatur; Deliciare ergo in Domino. Dominus veritas est, & sapientia est, & iustitia est, & sanctificatio est. Si ergo abundaueris in diuitijs veritatis, si abundaueris in intellectu sapientiæ, si copiosus fueris in actibus iustitiæ, tunc plene, & integre deliciaris in Domino. Quod cum expleueris, dabit tibi Dominus petitiones cordis tui, hoc est, aptas delicijs supradictis.

9 Homil.4.in c.17.Hiere. IDEM enarrans locum illum; Et ego non sum turbatus te pastorem sequens, loco cuius vertit ille, Ego autem non laboraui subsequēs post te, dicit. Iesus tibi loquitur, Tolle crucem tuam, & veni, sequere me. Et qui non reliquerit patrem, & matrem, & secutus fuerit me, nō potest meus esse discipulus. Si igitur talis fueris, vt semper Christum sequaris, quanto plus secutus fueris, tanto minus laborabis. Si enim laborantes venerimus ad Iesum, & eum fuerimus secuti, qui ait: Venite ad me omnes, qui laboratis, & ego reficiam vos; tunc dicere poterimus, ego autem non laboraui subsequens post te.

Marc.8. Luc.9. Matt.11.

10 Homil.6.in c.11.Hiere. IDEM explicans verba illa; Et dixit Dominus ad me, inuenta est colligatio in viris Iuda, & in habitantibus Hierusalem, inquit. Si peccauerimus nos, qui propter Christum Christiani vocamur, & inuenti fuerimus in numero peccatorum; & de nobis dicitur, Inuenta est colligatio in viris Iuda, & in habitantibus Hierusalem. cum in Ecclesia Dei tales sint, in quibus reperiatur laqueus iniquitatis, & vincula peccati. Conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum (nos legimus priores) Duplices habemus patres. Siquidem antequam crederemus diabolus pater noster fuit, vt Dominus dicit in Euangelio: Vos ex patre Zabulo nati estis: cum autem credidimus facti sumus filij Dei. Si ergo post hęc peccauerimus, conuertimur ad iniquitates patrum priorum. Si duos non haberemus patres, Dauid non diceret: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuā, & obliuiscere populum tuum, & domū patris tui. Quasi pater quippe cœpit, Audi filia, &

Psal.44.

statim, obliuiscere, inquit, domum patris tui prioris. Si igitur oblitus domū patris tui prioris, rursus tueris ad peccata conuersus, incidisti in id, quod nunc dicitur peccatum, conuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priorum. Infelix, qui semper peccans, semper generatur a diabolo: rursumq. multum beatus, qui semper ex Deo nascitur. Neque enim, semel dicam iustum ex Deo natum, sed per singula virtutis opera semper iustus nascitur ex Deo; Saluator noster semper a Deo Patre nascitur: & idcirco dicitur: Ante omnes colles generat me, non (vt quidam legunt) genera-uit. Si semper ex patre nascitur Dominus, etiā tu in similitudinem eius, tantum adoptionis spiritum habens semper generaris a Deo per singula opera, & efficeris filius Dei.

11 Homil.2.in c.16.Matth. to.3. IDEM in expositione Euangelij de communi vnius martyris: Si quis vult post me venire abneget semetipsum, &c. ait. Nemo potest ire post Christum, nisi denegauerit se. Denegat autem seipsum, qui priorem vitā suam malam bona cōuersione relinquit: vtputa aliquando luxuriosus, denegat se luxuriosum, cōuersus ad castitatem: & qui erat iniustus denegat se iniustū, cum cœperit seruare iustitiā; sic & in omni malitia est dicēdum, qui se ab ea cōuerterit, secundum quod præcepit Iesus, denegat quod fuerat. Sic & e contra, qui non denegat seipsum, se quidem confitetur, denegat autem Christum, a quo & ipse denegabitur. Adhuc autem in eo, quod dicit, abneget semet ipsum, videtur mihi vtile esse exemplum Pauli denegantis seipsum, & dicentis: Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Quod enim dicit, Viuo iam non ego, vox est denegātis seipsum, & quasi qui deposuit suam vitam. Susceptt autem Christum in se, vt ipse viuat in eo quasi iustitia, quasi sapientia, quasi redemptio, quasi virtus Dei, in eo operās omnia hæc. Tollit crucem, qui dicit Christo, Confixus sum cruci. Qui enim voluerit animam suam saluā facere, perdet illam. Qui autē perdiderit animam suam propter me, inueniet illam. Dupliciter possumus intelligere hoc verbū. Primum hoc modo: si quis amator vitæ præsentis, & putans hanc vitam præsentem esse optimā, parcit animæ suæ, timens mori, & putans animam suam per hanc mortem perire, iste volens hoc modo saluare animam suam, perdet illā, alienam faciens eam a vita æterna. Si quis autem contemnens vitam præsentem propter Christi verbum, & confidens de vita æterna, vsque ad mortem pro veritate certauerit, perdet quidē animam suam quantum ad vitam præsentem, tradens eam pro pietate in mortem, quæ abusiue dicitur mors, iste, quoniam propter Christum perdidit animam suam, magis eam faciet saluam in vita æterna. Alio modo sic intelligimus textum. Si quis intelligit, quæ est vera salus, & acquirere vult eam salutem animæ suæ, iste abrenuncians hanc vitā, & denegans seipsum, & tollens crucem suam, & sequens Christum

stum, perdit quantum ad voluptates carnales animam suam propter Christum. Et perdens animam suam hoc modo, saluat eam per opera pietatis. Si ergo abnegare, & tollere crucem, non solum est mori pro Christo, sed carnalem cōuersationem reijcere, sine dubio, & perdere animam nō solum mori est, sed etiam deponere voluptates carnales. Volentes ergo saluare animam nostram, perdamus eam huic mundo quasi crucifixi cum Christo, & habētes gloriationem in cruce Christi, per quē nobis crucifixus est mundus, & nos mundo, vt cōsequamur salutem animarum nostrarum in conuersatione vitæ melioris. Qui denegat se, & tollit crucē suam, ipse est, qui perdit animā suam propter Christum. Et perdēs, melius eam saluat, & qui perdit animam suam quantum ad voluptates carnis, ipse est, qui denegat se, & tollēs crucem suam sequitur Christum. Cui autem nō crucifigitur mundus, ipse facit animæ suæ detrimentum. Ideo duobus nobis propositis, vt si voluerimus mundum lucrari, perdamus animas nostras, aut si animas nostras voluerimus lucrari, perdamus hunc mundum, magis est eligendum, vt mundum perdamus, & lucremur animas nostras, ex eo quod propter Christum perdimus eas.

13 Hom.19.in 9.21.Matth. IDEM enarrans parabolam vineæ, quam plantauit paterfamilias, inquit. In Isaia ipsam vineā accusat plantator, dicens: Expectaui, vt faceret vuas, fecit autē spinas, in Euāgelio autem manifeste non vinea accusatur, quasi, quæ non dederit fructus in tempore suo, sed coloni, qui non reddiderunt fructum temporibus suis. Iterum in Isaia ipsi vineæ minatur: Auferā sepem eius, & erit in conculcationem, &c. Sed & nubibus promittit se mādaturum ne super vineā pluant illam, quæ domus Israel est, qui nullum fructum fecerunt. In Euangelio autem vineam non inuenimus aliquid patientē: coloni autem omnem suscipiunt irā, vineæ autē promissionem facit, quod eam dabit alijs colonis. Intellige mihi in vnaquaq; anima, quasi vineā verbū Dei plantatum. Sicut ergo in vineis est aliquod tempus quādo principium fructus demonstrant, & aliud quādo florent, quæ sunt demōstrata, & aliud quādo acerbescunt fructus, & aliud quando variant, & aliud quando vindemiandi est tempus fructus perfectos, & paratos ad præbēdum vinum. In omnibus itaq; primum vitæ tempus est infantia, & est tunc vinea nihil ostendens, nisi tantum habens in se vitalem virtutem. Cum autem cœperit posse loqui, tempus est generationis. Postea autem perducitur vsq; ad perfectum virtus producēs diuersos, atq; perfectos charitatis, & gaudij, & pacis, ceterarumq. virtutum fructus.

14 Homil.8.in c.1.Lucæ. IDEM exponens illa verba; Magnificat anima mea Dominum, dicit. Si Dominus nec augmentum, nec decrementū recipere potest, quomodo Maria clamat: Magnificat anima mea Dominum? Si considerem Dominum Saluatorem imaginem esse inuisibilis Dei, & videam animam meam factam ad imaginē Conditoris, tunc videbo, quoniam in exemplū eorum, qui solent imagines pingere, vnusquisq; nostrum ad imaginem Christi formans animā suā, aut maiorem ei, aut minorem ponit imaginem, vel sordidā, vel claram, atq; lucentem ad effigiem imaginis principalis. Quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, idest animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone, tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est in nostra anima magnificatur. Et quomodo crescit Dominus in nostra imagine, sic si peccatores fuerimus, minuitur, atque decrescit.

15 Homil.5.in Hexam. *Isa.5.* BASILIVS sic habet. Non cessat vbique Deus vitibus nostras animas comparare. Vinea namq; facta est dilecto, inquit, in loco pingui, & sepem circumposuit. Animas humanas vineam dicit, circumdedit septo tum ea securitate tutelave, quæ ex præceptis resultat, tum ipsa custodia Angelorū. Immittet enim se, aut medium constituet Angelus Domini in circuitu metuentium eum. Deinde quasi valla, siue perticas nobis defixit, positis in Ecclesia primum Apostolis, secundo prophetis, tertio doctoribus. Exemplis præterea veterū hominū, beatorumq. sensus nostros in sublime erexit, neq; permisit in humū nos esse dejectos, ac dignos esse, qui cōculcemur. Vult etiā nos quasi clauiculis, aut alijs arboribus, amplexibus charitatis proximis inniti, ac adhærere, & in ipsis etiā conquiescere, vt iugi affectu sursum versus feramur, & quasi arbustiuæ vites nos ipsos adæquemus sublimium fastigijs arborū. Quin & a nobis exposcit, vt dū defodimur, sustineamus. Sane anima tantisper defoditur, dum se tenacibus exuit mundi curis, quæ cordibus nostris grauissimo sunt oneri. Itaque, qui carnalem hunc posuit amorem, qui pecuniarum a se excussit auiditatem, qui suspirijs prosequendę mundialis gloriolæ affectationem despuendā prorsus duxit, & aspernabilē, is sane inani onere terrenæ istius prudentiæ abiecto, veluti defossus respirauit. Opus proinde sit, vt ne vitem hanc nostrā sinamus sarmentis noxijs silnescere, & eluxuriari, idest ne quid in obeundis vitæ huius nostræ munijs per ostentationem designemus, nec laudem venemur humanam, magis vero admitamur fructuosi vt simus.

16 Hom.17.in Psal.115. IDEM edisserens verba illa; Calicem salutaris accipiam, inquit. Vbi ad memoriā reuocauit innumera erga se Dei dona; horū contemplatione anxius, ait: Quid retribuā Domino pro omnibus, quę retribuit mihi? Non vtique victimas, non incensum holocaustorum. Quid igitur? Vitam omnem meā, eoq. dicit; Calicem salutaris accipiam, appellatione calicis tolerantiam subindicans, sudoremq. certaminum in gratiam tuendæ pietatis, simulq. conatum ingentem, quo ad mortem vsq; aduersus peccatum restitimus. Ob id dicat; Calicē salutaris accipiam, hoc est, sitienter & cupide cōtendo ad perfectionem per martyrium, animæ

mæ nimirum, corporisq. requiem ducens, non item dolores, quæ pro pietate decertaturus tolerabat, supplicia. Ait itaque, meipsum Domino offeram in oblationem, cum cetera omnia existimem munifici adeo benefactoris dignitate longe esse inferiora.

17 In lib. de regulis fusius disp. in prologo.

IDEM dicit. Quomodo vna cum Iob potero ego collocari, qui ne leuissimum quidem incommodum vmquam cum gratulatione susceperim? Quomodo cum Dauid, qui leniratē aduersus hostem non adhibuerim? quin cum Daniele, qui non per continentem abstinentiam, & precationem sedulam Deum exquisierim? quin denique cum sanctis singulis viris, qui illorum vestigia secutus non sim? Quis quæso ludorum Gymnicorū arbiter, adeo nullo est iudicio, qui paribus censeat oportere coronis dignari, & qui ex certamine victores euaserint, & qui nullum in certaminibus laborem susceperint. Quis exercitus ductor vmquam in æquam prędę partem cum victoribus eos vocauit, qui nusquam in prælio cō parauerint? Qui solem suum oriri facit, is cæcitate etiam mulctat: qui imbrem dat, etiam ignem pluit. Quoniā igitur neq; salui esse possunt, qui opera, quæ fieri Deus iusserit, non fecerint, neque periculo vacat, si quis eorum aliquid præterierit, quæ imperata sint. (Siquidē graue est hoc arrogantiæ genus, velle nos legislatori iudices assidere, & delatis ab eo legibus pro arbitrio nostro alias ascisce re, & approbare, alias repudiare.

4. Reg. 6.

18 Hom. 15. in c. 5. Matth. to. 2.

CHRYSOSTOMVS in illa verba; Vos estis sal terræ; ait. In hoc ostendit non ad vnā, aut alteram ciuitatem Apostolos mittere, sed ad totum mundum varijs criminibus oppressum. In his verbis terribiles, ac seueros ponit magistros. Hoc est enim omnino mirabile, quia non adulantes, neq; palpantes, sed e diuerso salis instar vrentes, fere omnibus se tam desiderabiles reddiderūt. Vos estis lux mundi. Prius autem sal posuit, deinde lumen, vt discas quantum sit verborum vrentium beneficium, quantumq. commodum honestæ, rectæq. doctrinæ. Hæc siquidem stringit animos, facitq. attentius ad lumen virtutis aspicere, ad quam velut apprehensa manu pertrahit audientes. Nō potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio. Rursus eos per ista ad bene viuendi diligentiam cohortatur, ostendens, vt studeāt esse solliciti, quasi ante omnium oculos constituti, & in medio orbis terrarum certantes theatro.

19 Hom. 21. in c. 6. Matth.

IDEM explicans verba illa; Lucerna corporis tui est oculus tuus, ait. Sicut enim postquam corporalium oculorum lumen extinctū est, omnia iam membra in miseria versantur, ac tenebris, ita etiam mente cæcata, innumeris prorsus malis hominum vita cumulatur. Sicut ergo in corpore hoc maxime prouidemus, vt oculos habeamus incolumes, sic etiam in anima intellectus conseruemus salutem. Si vero cæcamus istum, quo alijs quoque debemus lumen inferre, vnde iam ipsi poterimus aspicere? Sicut enim, qui caput ipsum fontis obstruxit, totum simul exiccauit & fluuium, sic etiam, qui oculum mentis tenebris obduxit, omnes quoque vitæ istius actus vna confusione cæcauit. Propter quod ait: Si lumen, quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebrę quantæ erunt? Quando enim lucerna extinguitur, quando gubernator mergitur, quando dux ipse capitur, quæ tandem obedientibus supererit spes salutis? Dedit nobis intellectū Deus, vt ignorantiam fugemus e mentibus, vt rectum teneamus, iustumq. iudicium, & contra diuersarum impugnationum varios incursus hoc quasi quodam scuto vsi ac lumine, maneamus innocui, atque muniti. Nos vero tantum hoc Dei donum temere prodimus propter superflua ac vana prorsus. Quid enim prodest auratis armis milites refulgere, cum ducitur rex ipse captiuus? Quod lucrum est ornatæ, depictæq. nauis, cum ipsius mergitur gubernator? Quænam illa est bene compositi corporis pulchritudo, cum facies oculos amisit? Quemadmodum igitur si medicū, cuius sanitas ad aliorum ægritudines depellendas necessaria est, ipsum in ægritudinē mittas, & in deaurato cubiculo, lectuloq. argēteo iacere præcipias, nihil proficiet omnino lāguentibus; ita etiam si mentis principale corrumpens, quo scilicet ingruentibus potes vitijs repugnare, thesauro feceris assidere, non modo nihil profeceris, sed totum omnino animum læseris. Si enim oculis effossis, nulla fere iucunditate mulcemur propter miseriam, quam de illorum priuatione sentimus, multo id magis in submersione mentis, & cæcitate patimur. Vt enim in tenebris ambulantes, nihil manifeste, vereque conspiciunt; si enim funem viderint, serpentem putant, si inter montes, ac prærupta deuenerint, præmoriuntur pauore; sic etiam isti nulla prorsus metuenda cernentes, sola suspicione terrentur; nam pauperiem contremiscunt, immo quantulumcumq; dispendium.

20

21 Hom. 56. in c. 16. Matth.

IDEM enarrans illa verba; Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me, dicit. Tria continet sermo hic, abnegationem sui ipsius, & vt crucem accipias, & sequaris Christum. Si intelligas quid sit alium abnegare, tunc intelliges quid sit abnegare teipsum. Qui alium iam abnegauit, si cædi eum virgis videat, si arceri vinculis, quidquid aliud mali pati eum conspexerit, non occurrit, non auxiliatur, non flectitur, nec prorsus vllo modo mouetur, ceu ille, qui penitus ab illo alienatus est. Sic igitur nullo nos pacto corpori nostro parcere vult, vt neque si cæditur, neque si pellitur, nec si quid aliud huiusmodi patitur, ei parcamus. Quid dixi, non parcamus, cum id profecto sit vere parcere? Nam etiam tunc patres maxime filijs parcunt cum magistris tradētes

maxime rogant, ne parcant. Sic igitur Christus non dixit, non parcas, sed significantius, denegate ipsū, pericula subi, certaminibus te offer, & quasi alius hæc patratur, sic afficiare. Nec dixit neget, sed abneget, vt hac adiunctiuncula plurimum addat, cum abnegare multo plusquam negare sit. Tollat crucem suam addit, vt abnegandos nos esse, vsque ad mortem, & mortem turpissimam, quam designans non dixit, abneget semetipsum vsque ad mortem, sed tollat crucem suam, non semel, nec bis, sed continue per totam vitam hanc tecum mortē circumferas. Quare si mortem obire oporteat, & eam turpissimam, & æstimatione hominum pessimam, ferenda sunt omnia æquo, immo læto animo. Et sequatur me. Nam quomodo posset quis sic talia pati, vt Christum non sequeretur, si nihil videlicet propter ipsum pateretur? Quippe latrones, & alij multa plerumque talia patiuntur. Sequi ergo Christum, est propter ipsum omnia sustinere, & alias virtutes non negligere. Multi diabolum sequentes, multa patiuntur, & vitam propter ipsum perdunt, qui & in hac, & in futura vita sibi obsunt: nos vtraque vita potiamur, faciamus obsecro.

22 Ho. 80. in c. 25. Matth.

IDEM in expositione illius loci: Et segregabit oues ab hædis, dicit. Nunc non segregati, sed mixti sunt vniuersi, tunc vero ita distincti, vt pateant vniuersis. Hac etiam appellatione mores vtriusque partis aperiuntur, cum alij hædi, alij oues nuncupentur, vt aliorum sterilitas, quia nihil ab hædis producitur, aliorū fertilitas ostendatur. Vberes enim, & multi ab ouibus fructus proficiscuntur, alij lactis copia, alij elegantia lanę, alij fœtu, quibus omnino hę di carent. Vnde ouibus dixit: Venite benedicti Patris mei, percipite paratum vobis regnum a constitutione mundi. Quibus bonis hoc nomen conpensari potest, vt benedictus sis, & a patre ipso benedictus? Nec dicit, accipite, sed hereditate quasi propria, quasi vestra, quasi paterna, quæ vobis a principio debebantur. Hæc autem retribuuntur, non solum, quia in carcere existentibus succurrerunt, sed quia visitauerunt; non quia ægrotantibus medicauerūt, sed quia venerunt ad illum; nec quia sumptuosam mensam esurientibus erogauerūt, sed illorum inopiam leuauerunt adhibitis necessarijs. Impijs autem non dicit: Ite maledicti patris mei, sed maledicti, non enim ipse, sed opera eis propria maledixerunt. In ignem æternum, non vobis, sed diabolo, & Angelis eius paratum.

23 Hom. 15. ex imperfec. in Matth.

IDEM in illa verba; Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum, ait, Qui collocat thesauros in terra, non habet, quid speret in cęlo. Vt quid enim aspiciat in cælum, vbi nihil repositum habet? Propterea, siue lætatur, in carnalibus, & terrenis lætatur; siue tristatur de carnalibus, & terrenis tristatur. Qui autem diuitias suas reponit in cælo, non habet spem in terra: vt quid enim delectetur in terra, qui nihil habet in terra? Ideo siue lætatur, in spiritualibus lętatur, siue tristatur, de spiritualibus tristatur. Ergo peccatorum, & lætitia mala, & tristitia peior, quia aut de lucro terreno lætantur, aut de damno tristantur. Iustorum autem, & lætitia bona, & tristitia melior; quoniam, aut de iustitia lætantur, aut de peccato tristantur. Si enim aliqua causa mortis aduenerit, si quidem spes illius in terra sit, tristatur, quasi de domo sua ad peregre vadens, non dicam ad tormēta; si autem spes eius in cælo sit, gaudet, quasi de peregre ad domum propriam reuersurus. Qui thesaurizat in terris, dupliciter facit peccatū. Primo quia male congregat: secundo, quia cor habens in terra, numquam quę Dei sunt, recordatur, sed semper, quæ terræ. Et qui thesaurizat in cælo, dupliciter iustitiam facit. Primo, quia bene fœnerat: secundo, quia spem habens in Deo, semper, quæ Dei sunt cogitat, non quę terræ. Et sicut qui semel congregare cœperit in terra, ipsa concupiscentia terrena facit eum magis sollicitum esse, non solum ne minuat inde, sed vt magis etiam augeat; sic & qui thesaurizat in cælo, ipsa concupiscentia spiritualis facit eum sollicitum, non solum, vt non perdat, quod habet, sed adhuc, vt augeat super id, quod habet. Si oculus tuus fuerit simplex, totū corpus tuum lucidum erit. Illius oculus lucidus est, qui cor habet ad Deum: illius mens spiritualis, & munda est, nec terrenis concupiscētijs sordidata, sicut scriptum est: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbūt. Sicut enim, qui ægros oculos habet, si ponas eum in aliquo obscuro, tenebrosoq. loco, melius videt; si autem ponas eum in sole, nihil videt, quia oculus eius non suffert solis candorem. Sic homo mundialis, qui oculum, ideſt, mentem terrenis desiderijs sordidam habet, & turbulentā, si ponas eum in rebus mundialibus sapit, & astutus est, si autem trahas eum ad res spirituales, tenebrescit, ac nihil sapit, quia mens illius desiderijs corrupta terrenis, iustitiæ bonum non sentit, quia nec delectatur in eo, præoccupatum enim habet cor circa delectationē terrenam. Si autem oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit. Quæ sunt in nobis tenebræ? Sensus carnales, maleuoli, & iniqui, qui semper desiderant, quæ sunt tenebrarum, & non lucis. Qui ergo oculum habet mundum, ideſt mentem spiritualem, cælestia semper aspicientem, corpus suum seruat lucidum, ideſt, sine peccato. Qui autem oculum, ideſt, mentem habet, aut malignitate aliqua tenebrosam, aut diuitiarum concupiscentia turbulentam, tenebrosum possidet corpus, & in peccatis. Si autem lumen, quod in te est, tenebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt. Caro tenebrosa dicitur, quia regulariter habet peccandi propositum; lumem autem est in corde. Si ergo ipsa anima diuina cum sit, & data ad illuminādam carnem, fiat quasi carnalis, & terrenis concupiscentijs contenebrescat, & terrena semper aspiciens, illius talis hominis caro iam vide quomodo inuoluta sit tenebris peccatorum. Si enim in viro iusto contra dicente sibi rationali anima, semper caro surripit animę, & quod suum est agit, quantis putas in homine

24

Sap. 5.

mine malo iniquitatibus se inuoluet caro, quã do anima, quæ contradicere illi debuerat, consentit ei, consilia concupiscens?

25 Hom. 25. in c. 10. Matth. IDEM enarrans verba illa; Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt, ait. Ideo numerat Deus aliquos, ne aliquid perdat ex ipsis, sicut dicit propheta; Mihi autem nimis honorati sũt amici tui Deus; Dinumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur. Non minuũtur, qui numerati sunt, sed etiam multiplicantur. Vis scire dignitatem numeratorum, considera ouem illam, quomodo pastor, nõ requieuit per desertum discurrere, donec inueniret illam, & ad pristinum numerũ reduceret. Nullam ex omnibus se habere putabat, si de numero suo vna periret. Qui autem perituri sunt non numerantur. Peccatores autem, vt quid numerentur, qui esse non æstimantur? Illud enim numerat Deus, quod vult possidere, quod autem non vult habere, vt quid numerat? Ergo passeres sunt meliores, quàm peccatores? Non, sed similes. Sicut enim Deus non dixit, quia non cadunt, sed sine voluntate Dei non cadunt, quæ vult, vt ad vsum humanum occidantur. Sic voluntas Dei est, vt homo, qui sine lege Dei vixit, sine lege & pereat, & qui Deũ non aspexit, non aspiciat illum Deus. Quanta autẽ sit dignitas numeratorum, etiam in libro Numeri ostenditur, quoniam electi numerantur a Moyse præcipiente Deo. Non numerantur in ter eos feminæ; femina autẽ intelligitur corruptio corporalis. Omnis autẽ vir mollis animo, remissus in fide, & corruptus in actibus, femina est animo, & ideo nõ numeratur inter sanctos. Illic seruilis conditio excludebatur, hic autem seruilis cõuersatio expellitur apud Deum. Itẽ neque Ægyptus mundialis. Qui ergo diligit mundum, in sæcularibus negotijs gaudet. Ille nõ numeratur, quia aima Ægyptius est: Ægyptius autẽ si cælestia amauerit, Hebræus est. Itẽ nec puer nominatur ille, qui puer est sensibus, malitia autem perfectus est: qui autem malitia puer est, sensibus perfectus est. Vestri autem & capilli capitis numerati sunt omnes. Spiritualiter autem capilli sunt subtiles animæ, quę de spiritu Christi quasi de capite ipsorum prodeunt. Voluptas autem præcindit eos de capite.

Num. 1. & 3. & 26.

26 Hom. 52. in c. 25. Matt. in qua exponit. Euang. decẽ virgi. IDEM ait. Decem virgines omnes homines sũt. Omne genus peccatorũ in quinq; diuiditur, & omne genus iustorũ similiter in quinque. Christiani omnes fatuæ virgines sunt, aut sapientes. Fatuæ virgines sunt, quæ fidem Christi habent, opera autem iustitiæ non habent. Ait autem; Tunc simile erit reguum cælorum decem virginibus. Quia modo non apparet, quæ prudentes sint, & quę fatuæ, sed tunc multæ, quæ videbantur prudentes apparebunt fatuæ, & e contra. Et venerunt obuiam sponso, & sponsæ. Bene ait, venerũt quando ex illa die, qua homo credit Christo quasi de se ipso egressus, & de mundo ire videtur obuiam Christo, quia quotidie Christi expectat aduentum, & quasi in via stat. Propterea, & Iudæi exituri de Ægypto expediti, & præcincti visi sunt agnum manducare, & ad exeundum parati, ostendentes nobis, quomodo quicũque nostri agni Eucharistiam manducant, ita debent semper esse expediti, quasi quotidie exituri de mundo. Infra: Amen dico vobis nescio vos. Signa spiritus mei in vobis non video. Imaginem meã non cognosco in vobis. Imago autem mea est fugere malum, & facere bonum, vos autem e contra fugistis bonum, & operati estis malum. Non potestis meorum militum præmia accipere, qui tyranni vexilla portatis. Non possum meos dicere, in quibus meum nihil cognosco.

Exod. 12.

27 Homil. 54 IDEM enarrans locum illum: Et congregabuntur ante eum omnes gentes, ait. Sicut in nocte rerum facies non apparet, sed gemma quasi lapis videtur, & lapis quasi gemma existimantur; sic ante aduentum Christi humanorum cordium differentia non apparebat, sed & mali quasi boni sustentabantur, & boni quasi mali contemnebantur. Tunc segregabuntur ab inuicem &c. Sicut in tempore hiemis inter virides, & aridas arbores discretio non est, cũ autem venerit tempus, illud beatum vernale, discernuntur. Ita tunc vnusquisque secundum quidem fidem suam, & secundum opera sua manifestabitur, impijs quidem nulla proferentibus folia, nullum ostendentibus fructum, sancti autem, & folijs vestientur vitæ æternæ, & fructibus ornabuntur gloriæ. Oues sunt homines iusti propter mansuetudinem, quia ipsi neminẽ lædunt, propter patientiam, quia cum ab alijs læsi fuerint, sustinent. Et sicut ouis ad mortem ducitur, & non clamat, sic & sancti maledicuntur, & non remaledicunt, percutiuntur, & non repercutiunt, bona eorum diripiunr, & illi non contradicunt, dolorem sentiunt & clamorem non emittunt. Hędos autem homines peccatores dicit, quia in capris naturaliter hæc sunt vitia, libido præ ceteris animalibus, superbia, rixa. Semper enim se percutientes incedunt. Itẽ inuidi sibi alterutro inuident, sicut significat Salomon de inuidis dicẽs: Sicut capra, sic aspicit ruinam proximi sui. Item capræ multum trahuntur concupiscentia gulę. Propter gulam namque suam per saxa; & præcipitia ambulant, & super præcipitia se suspendunt. Itẽ clamoribus super omnia garrulæ. In omnibus his vitijs peccatores abundant, & ideo hædis sunt assimilati. Merito iustos ad dexteram collocat, quia non cognouerunt sinistram; merito impios ad sinistram, quia numquam cognoscere voluerunt dexteram. Vias enim, quæ a dextris sunt, nouit Dominus, peruerse autem sunt, quæ a sinistris sunt.

Infra 18.

Eccli. 11.

Prou. 4.

28 Hom. 23. variarum in Matth. IDEM quærens, cur Dominus ficulneam maledixerit non habentem fructum, cum tempus non esset ficorum, dicit. Hoc factum est, vt edoceat quanta pœna homo dignus sit, qui modo cum tempus sit bene operandi, fructus non ferat. Quod Christus Dominus esurit in homine, illud est, vt faciat voluntatem Patris sui, qui in cælis est. Infructuosas arbores Dominus in vinea sua permanere non patitur, sicut

Lucæ 13. sicut ipse in Euangelio suo testatur: Ecce triẽnium est, ex quo venio, & fructũ in arbore ista non inuenio. Succide illam, vt quid enim terram occupat? Non te patiar, sine fructu consistere, quę infructuosas arbores iussi amputare. Esto itaque homo arbusculæ tuæ valde diligẽs cultor, vt in ea arida, quæcumque sunt, abscindantur, quæ infructuosa sunt, amputentur, quæ fructuosa sunt, excolantur.

29 Ep. 4. ad. Rusticũ monachum. to. 1. HIERONYMVS sic dicẽs inquit. Perspicuum est, si negotiatores sæculi tanta sustinent, vt ad incertas, perituraq. diuitias perueniant, & feruent cum animæ discrimine, quæ multis periculis quæsierunt; quid Christi negotiatori faciendum est, qui venditis omnibus quærit præciosissimam margaritam, qui totis substantię suæ opibus emit agrum, in quo reperiat thesaurum, quem nec fur effodere, nec latro possit auferre.

30 Ep. de celebratione pasch. to. 4. IDEM sic habet. Philosophi ex ipsis cornibus lunæ, quæ a sole auersa sunt, siue crescentis, siue decrescentis, coniecerunt eam, vel a sole illustrari, & quanto magis ab eo recederet, tanto magis ab ea parte, quæ terris apparet, radios eius excipere, quanto autem ad eum magis post dimidium mensem ex alio semicirculo propinquaret, tanto magis a superiori parte illustrata, ab ea parte, quam terris auerteret non posse excipere radios, & propterea videri decrescere, vel si haberet suum lumen, illud haberet ex vna parte in hemisphærio, quam partem cum recedens a sole paulatim terris ostẽderet, quasi augmenta monstraret, dum non addatur, quod deerat, sed perdatur, quod inerat, ac rursum paulatim abscondere, quod patebat, & ideo videri decrescere. Sed quodlibet horum duorum sit, illud certe manifestum est, & cuiuis aduertenti facile cognitu, quod luna, non augeatur ad oculos nostros, nisi a sole recedendo, neque minuatur, nisi ad solem ex parte alia appropinquando. Attende, nunc quod in

Sap. 5. Prouerbijs legimus: Sapiẽs permanet sicut sol; nam stultus, vt luna mutatur. Et quis est sapiẽs qui permanet, nisi sol ille iustitiæ, de quo dicitur: Ortus est mihi sol iustitiæ; & quem sibi non fuisse ortum in die nouissima plangentes

Eccls. 27. impij, dicturi sunt: Iustitiæ lumen nõ luxit nobis, & sol non est ortus nobis. Quis ergo est ille stultus, qui tamquam luna mutatur, nisi Adam, in quo omnes peccauerunt? Anima quippe humana recedens a sole iustitię, ab illa scilicet interna contemplatione incommutabilis

31 veritatis omnes vires suas in terrena cõuertit, & eo magis, magisq. obscuratur in interioribus, ac superioribus suis. sed cum redire cœperit ad illam incommutabilem sapientiam, quã to magis ei propinquat affectu pietatis, tanto magis exterior homo corrumpitur, sed interior renouatur de die in diem. Omnisq. illa lux ingenij, quæ ad inferiora vergebat ad superiora conuertitur, & a terrenis quodammodo aufertur, vt magis, magisq. huic sæculo moriatur, & vita eius abscondatur cum Christo in Deo. Mutatur ergo in deterius ad exteriora progrediens, & in vita sua proijciens intima sua; & hoc terræ, ideſt, eis, qui terrena sapiunt melius videtur, cum laudatur peccator in desiderijs animæ suæ, & qui iniqua gerit benedicitur. Mutatur autem in melius, cum intentionem suam, & gloriam a terrenis, quæ in hoc sæculo apparent, paulatim auertit, & ad superiora interiora conuertit; & hoc terræ, ideſt, eis, qui terrena sapiunt, deterius. Vnde impij infructuosam agentes pœnitentiam, etiam hoc sunt inter multa dicturi: Hi sunt, quos aliquãdo habuimus in derisum, & in similitudinẽ improperij, nos insensati vitam illorum ęstimabamus insaniam.

Psal. 9.

32 Lib. 1. in ca. 2. Isalę. to. 5 IDEM enarrans verba illa: Dies Domini super omnem turrim excelsam, & super omnẽ murum munitum, inquit. Turris, vel ob munitionem vrbis ædificatur, vel ob speculam, vt lõge veniens cernatur hostis. Vnusquisque ergo nostrum debet ædificare turrim prius sumptibus supputatis, ne iuxta Euãgelicam parabolam, cum explere opus nequiuerit, rideatur; sin autem erecta in superbiam firma non habuerit fundamenta, cadet super eum, a quo ędificata est, sicut illa in Siloe, que decem & octo homines interfecit. In cõsequentibus quoq; lecturi sumus, quod Deus in vinea sua ædificauerit turrim, & fecerit torcular, & maceriã circũderit. Sed hęc omnia destructa sunt, atq: vastata, quia vano superbiæ supercilio intumuerint. Muri quoq; extruuntur excelsi, ne cito ciuitas destruatur, ne hostibus pateat, quia circundantur Ecclesiæ a sapientissimis viris, & omni ratione firmantur, ne quod dogma peruersum præualeat veritati. De istiusmodi muris Deus loquitur ad Hierusalẽ: Ecce super manus tuas depinxi muros tuos, & in conspectu meo sunt semper. Sin autem hi, qui prius impugnauerãt Ecclesiam, cognita veritate transierint ad fidem, & pugnauerint pro ea, quam ante impugnauerũt, tunc illud implebitur: Cito ædificaberis ab his, a quibus destructa eras.

Lucæ 14.

Isaiæ 5.

33 Lib. 4. in ca. 16. Ezech. IDEM explicans verba illa; Et quando nata es non es sale salita, inquit. Tenera infantium corpora, dum adhuc vteri calorẽ tenẽt, & primo vagitu laboriosæ vitæ testantur exordia, solent ab obstetricibus sale cõtingi, vt ficciora sint, & restringantur. Porro Hierusalem, quæ de malis parentibus nata est, nihil saporis, nihil diligentiæ consecuta est. Qui autem renascũtur in Christo, dicitur ad eos; Vos estis sal terræ. Et præcipitur eis ab Apostolo; Sermo vester semper in gratia sale sit conditus. Vnde & vulgo sapientes salsi, & stulti vocantur insulsi. Et in Leuitico lege sancitur; Omne sacrificium vestrum sale salietur. Non cessabit sal testamenti Domini de sacrificijs vestris, in cunctis muneribus vestris sal offeretis. Qui hoc sale conditus fuerit, & omnem putorem, humoremq. noxium huius admixtione siccauerit, vltra non dicet: Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ a facie insipientiæ meę. Nec inuoluta pannis, vt sale siccetur corpus, panni adhibentur, ne sal defluat.

Matt. 5.

Coloss. 4.

Leuit. 2.

Psal. 37.

IDEM

34 In ca. 2. Sophon. to. 5.

IDEM in enarratione illius loci; Quærite Dominum mansueti terræ, qui iudicium eius estis operati, ait. Septuaginta interpretum lectio, & nostra vulgata tam varia est in hac re, vt septuaginta legentes, Quærite Dominum omnes humiles terræ, iudicium operamini, in mala lam partem hunc locum interpretẽtur, in quo humilis terræ appellatur, qui peccatis humilia
Matt. 11. tus est, nec potest dicere cum Christo: Discite a me, quia mitis sum, & humilis corde. Et in alio loco sermo ad sanctum dirigitur: Quanto
Eccli. 3. maior fueris, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Qui autem peccatis humiliatus est, & aggrauatus est conscientia delictorum, ac loquitur: Sicut onus graue grauatæ
Psal. 37. sunt super me, iste debet audire: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. hæc iuxta septuaginta interpretes. Ceterum iuxta Hebraicum alius sensus est, dicitur enim ad sanctos: O vos, qui mea præcepta custodistis, qui in terra positi, & scientes quia omnis, qui se humiliat, exaltabitur, imitati estis mansuetudinem meam, & iudicium estis operati, quærite Dominum in mansuetudine vestra, quærite iustum, quærite mansuetum, vt quidquid in vestra mansuetudine minus est ab eo, qui fons est mansuetudinis, impleatur. Si quo modo abscondamini in die furoris Domini: hoc est, si forte posstis ex eo, quod quæsistis Dominum, & iustitiam estis operati, iram Dei vitare venientis. Si autem de his dubitat, qui eius iuditia fecit, dicens, Si quo modo abscondamini in die furoris Domini, quid fiet de peccatoribus?

35 Lib. 2. in ca. 17. Pro. to. 8

IDEM exponens illa verba; Gemma gratissima expectatio præstolantis, quocumque se verterit, prudenter intelligit, dicit. Qui præmia futura fideliter expectat, quasi gemmæ splendidissimæ possessione lætatur. Nam & in Euangelio negotiator sapiens pro acquisitione præciosæ margaritæ, ideſt, desiderio cęlesti omnia, quæ habuit, vendidit; talisq. exator, siue aduersa, seu prospera contigerint a sua in tentatione, non flectitur, prudenter intelligens, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

36 Lib. quæs. in Matth. to. 4.

AVGVSTINVS edisserens locum illũ; Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices, sicut columbę, dicit. Serpens totum corpus obijcit persequenti, vt tueatur caput. Vel quod per angustias se coarctans, væteri tunica exutus innouetur. Quod impletur, quando pro Christo se omni periculo exponunt. Imitantur
Matt. 7. etiam serpentẽ, quibus dictum est: Intrate per angustam portam, cũ vetere homine exuũtur. Nam si cauendum malum, ita moneret, vt violenter resistendum esset malis, non supra dixisset: Mitto vos, sicut oues in medio luporum.
Matt. 10. Simplices autem sicut columbas esse voluit ad nulli nocendum. Nam hoc genus auis nullum omnino animalium necat, non solum grandiũ, contra quæ vires non habet, sed etiam minutissimorum, quibus etiam perparui passeres aluntur. Discunt ergo ex similitudine columbarum, nulli prorsus nocere ad societatem suã pertinenti participationis rationis. Infra de zizania non eradicanda mandans Do- Matt. 13.
minus, ait: Ne forte eradicantes zizania, eradicetis simul & triticum. Verum intuendum, quia etiam boni, cum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum permixtione, siue vt per eos exerceantur, siue vt eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, vt nitantur ad melius, quibus sublatis, altitudo charitatis quasi euulsa marcescat, quod est eradicari.
Ephes. 3. Nam sic ait Apostolus: Vt in charitate radicati, & fundati, possitis comprehendere. An forte ideo simul eradicatur triticum, cum auferũtur zizania, quia multi primum zizania sunt, & post triticum futuri sunt. Qui nisi patienter cum mali sint tolerentur, ad laudabilem mutationem non peruenient. Itaque si euulsi fuerint, simul eradicabitur & triticum, quod futuri essent, si eis parceretur. Infra: Præ- Matt. 13.
tiosam margaritam vocat, vel dilectionem proximi, vel Christum Dominum. Prætium autem eius nos ipsi sumus, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis, quæ temporaliter possidentur: venditis enim rebus nostris, nullum earum maius accipimus prætium, quàm nos ipsos, quia talibus implicati, nostri non eramus, vt rursus nos ipsos pro illa margarita demus, non quia tanti valeamus, sed quia plus dare non possumus.

37 In libro 83. quæstionũ. Matt. 25.

IDEM enarrans Euangelium decem virginum, ait. Decem numerus virginum, quarũ quinque admittuntur, quinq; excluduntur, bonorum, & malorum discretionem significat. Quapropter si virginitatis nomen honorabile est, cur receptis excluſisq. commune est? Deinde, quid sibi vult numerus in vtraq; parte quinarius? Quid significat oleum, & quod sapientes petentibus non communicant, cum misericordes esse oporteat ad præstandũ ex eo, quod
Luc. 6. habent, dicente Domino: Omni poscenti te tribue? Quid est autem, quod possit dando non sufficere vtrisque? Videntur itaque mihi quinque virgines significare quinquepartitam cõtinentiam a carnis illecebris. Continendus est enim animi appetitus a voluptate oculorum, a voluptate aurium, olfaciendi, gustandi, tangendi. Sed quia ista continentia partim corã Deo fit, vt illi placeatur in interiori gaudio cõscientiæ, partim coram hominibus tantum, vt gloria humana capiatur, quinque dicuntur sapientes, & quinque stultæ, vtræque tamen virgines, quia vtraque continentia est. Lampades autem sunt opera, quę secundum istam cõtinentiam fiunt. Omnes vero acceperunt lampades, & venerunt obuiam sponso. Intelligendum est ergo Christi nomine censeri, de quibus agitur; non enim possunt, qui Christiani non sunt, sponso Christo venire obuiam. Sed quinque fatuæ acceptis lampadibus suis non sumpserunt oleum secũ. Multi enim quamuis de Christi bonitate plurimum sperent, gaudiũ tamen non habent, dum continenter non viuunt,

uunt, nisi in laudibus hominum. Non ergo habent oleum secum, nam ipsam lætitiam oleo sig-
Psal. 44. nificari arbitror. Propterea vnxit te Deus, inquit, oleo exultationis. Qui autem non propterea gaudet, quia Deo intrinsecus placet, nõ
38 habet oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum secum in vasis suis cum lampadibus, ideſt, lætitiam bonorum operum in corde, atque cõscientia posuerunt. Sicut Apostolus
Galat. 6. monet: Probet se homo, & sic laudem habebit in semetipso, & non in altero. Tardante vero sponso, dormitauerunt omnes, quia ex vtroque genere continentium hominum, siue eorũ, qui coram Deo exultant, siue eorum, qui in laudibus hominum acquiescunt, moriuntur hoc interuallo temporis, donec in aduentu Domini fiat resurrectio mortuorũ. Media autem nocte, ideſt, nullo sciẽte, aut sperante (quippe cũ ipse Dominus dicat: De die autem illa, & hora, nemo scit. Et Apostolus: Dies Domini tamquam fur in nocte veniet. Ex quo significatur eum penitus latere, cum venerit.) clamor factus est:
Matt. 24. 1. Thess. 5. Ecce sponsus venit, exite obuiã ei. In ictu oculi, & in nouissima tuba omnes resurgemus. Ergo surrexerunt omnes virgines illæ, & aptauerunt lampades suas, ideſt, rationes reddendas
1. Cor. 15. operum suorum: Oportet enim nos manifestari ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, prout gesit, siue bonum, siue malum. Dixerunt stultæ sapientibus: Date
2. Cor. 5. nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur. Quorum enim facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt. Itaque hominum, qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Responderunt prudentes: Ne forte non sufficiat nobis, & vobis. Vnusquisq; enim pro se rationem reddet, nec alieno testimonio quisquam adiuuatur apud Deum, cui secreta cordis apparent, & vix sibi quisque sufficit, vt ei testimoniũ perhibeat conscientia sua. Quis
Prou. 20. enim gloriabitur castum se habere cor? Inde
1. Cor. 4. est, quod Apostolus ait: Mihi autem pro minimo est, vt a vobis iudicer, aut ab humano die: sed neq; meipsum iudico. Quapropter, cum de seipso quisque, aut non omnino, aut vix posset veram ferre sententiam, quomodo potest de
1. Cor. 2. alio iudicare, cum nemo sciat quid agatur in homine, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ite potius ad vendentes, & emitte vobis. Non
39 consilium dedisse putandæ sunt, sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vẽdunt enim oleum adulatores, qui siue falsa, siue ignorata laudando, animas in errorem mittunt, & eis
Isa. 3. vana gaudia tamquam fatuis conciliando, nõ intelligunt illis dictum esse: Qui vos felices dicũt, in errorem vos mittunt. Melius est autem
Psal. 140. obiurgari a iusto, quàm a peccatore laudari. Corripiet, vel emendabit me iustus in misericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. Ite ad vendentes, & emite vobis, ideſt, videamus nunc quid vos adiuuant, qui vobis laudes vendere consueuerunt, & vos in errorem inducere, vt nonã cor Deo, sed ab hominibus gloriã quæretis. Euntibus illis emere, venit sponsus: ideſt, inclinantibus se illis, in ea, quæ foris sunt, & solitis gaudere quærentibus, quia gaudia interna non nouerant, venit ille, qui iudicat. Et quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, ideſt, quibus bonum coram Deo testimonium cõscientia perhibebat, intrauerũt ad nuptias, ideſt, vbi munda anima puro, & perfecto, sempiternoq. Dei verbo fœcundata copulatur. Et clausa est ianua, ideſt, receptis illis, qui sunt in
1. Cor. 15. angelicam vitã immutandi, (quia omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur) clausus est aditus ad regnum cælorum. Non enim post iudicium patet precũ, aut meritorum locus. Venerunt virgines fatuæ, sed non dictum est, quod emerunt oleum, & ideo intelligendæ sunt, nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustijs & magnis afflictionibus implorare Deum. Quod vero sponso dixit obuiam venire virgines, sic intelligendum puto, vt ex ipsis virginibus constet ea, quæ dicitur sponsa. Nunc enim desponsata est Ecclesiæ, & virgo est ad nuptias deducenda, ideſt, cum se contineat a corruptione sæculari. Illo autem tempore nubet, cum vniuersa mortalitate in ea pereunte, immortali coniunctione fruetur. Desponsaui enim vos vni viro, in-
2. Cor. 11. quit, virginem castam exhibere Christo.

40 Tract. 23. in Ioan. to. 9.

IDEM explicans Ioannem esse lucernam, ait. Omnes homines lucernæ sunt, quia & accendi possunt, & extingui. Et lucernæ quidem, cum sapiunt, lucent, & spiritu feruent, nam si ardebant, & extinctæ sunt, etiam putent. Permanserunt enim serui Dei lucernæ bonæ ex oleo misericordiæ illius, non ex viribus suis.
1. Cor. 15. Plus omnibus laboraui, ait quædam lucerna, non ego, sed gratia Dei mecum, ne viribus suis ardere videretur. Lucernæ Apostoli & gratias agunt, quia & accensæ lumine veritatis sunt, & feruent spiritu charitatis, & suppetit illis oleum gratiæ Dei.

41 Lib. 50. Homil. Homil. 37. to. 10. Ephes. 5.

IDEM edisserens locum illum Ioannis 12. Qui amat animam suam, perdet illam, dicit. Huic sententiæ quasi contrariũ videtur esse, quod ait Apostolus: Nemo vmquam carnẽ suã odio habuit. Si ergo nemo est, qui carnem suam oderit, quãto magis nemo est, qui oderit animam suam, cum anima superior sit, caro autẽ inferior, & subiecta? Quomodo ergo intelligendum est: Qui amat animam suam, perdet eam? Quia timeo perdere, ideo non amo. Dicit & alibi Dominus: Quid prodest homini,
Matt. 16. si vniuersum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Ecce quia sic est amanda anima, vt lucro totius mundi præferatur, & tamen obseruet, qui animam amat, quia si amat, perdet illam. Non vis perdere eam, noli illam amare: sed si non vis eam perdere, non potes eam non amare. Sunt ergo, qui peruerse animam suam amant, & hoc vult Dei sermo corrigere, non vt oderint animam suam, sed vt recte diligant: male enim diligendo perdunt eam: si oderis illam, recte cõseruans illam. Est ergo quidã peruersus amor eius, & quoddã rectũ odiũ eius. Sed amor per-

uerſus ab odio, odiũ rectum ab amore eſt. Quis
eſt peruerſus animę amor, quando diligis ani-
mã tuam in iniquitatibus, audi, quia ab odio
Pſal.10. venit amor iſte peruerſus: Qui autẽ diligit ini-
quitatem, odit animã ſuam. Odium autem re-
ctum, vide, quia ab amore venit: ibi Dominus
Ioan.12. ſecutus ait: Qui autẽ odit animam ſuã in hoc
42 ſæculo, in vitam æternam cuſtodit eam. Vtiq;
quod vis inuenire in vitã æternã, multũ amas.
Quod amas ad tẽpus, quid proderit? aut ſubdu
ceris illi, aut ſubducitur tibi. cũ fueris tu ſub-
tractus, perit ipſe amor, cum fuerit illud ſubtra
ctum, perit quod amaſti. Vnde hoc amandum
non eſt, ſed illud, quod poteſt nobiſcum eſſe in
æternum. Sed ſi vis animam tuam in æternum
habere ſaluã, oderis eam ad tempus. Amor ani
mæ eſt tãtam diligentiã adhibere, vt vita præ-
ſens conſeruetur. Si curris pro hac vita centũ
millia, quod millia debes currere pro vita æter
na? Si feſtinas lucrari dies paucos, & ipſos in-
certos, hodie enim homo a morte liberatus
neſcis ſi moriatur cras, tamen ſi ſic curritur
propter lucrũ paucorum dierũ, quia & vſq; in
ſenectã pauci dies ſunt, quomodo currendũ eſt
pro vita æterna? Diſcamus ergo amare ani-
mas noſtras: amor noxius recedat, vt amor
vtilis ſuccedat. Pleni ſũt homines amore malo,
fundant illũ, & intrabit, & capiet amor bonus.

43 BERNARDVS inquit. In lectione Euã
Serm.1.Dominicæ 1. poſt oct. Epiphaniæ. gelica audiuimus, quia Dominus venit ad nu-
ptias. Faciamus ergo quod alibi monet, vt ſi-
miles ſimus hominibus expectãtibus dominũ
ſuum, quando reuertatur a nuptijs. Veniet Do
Luc.12. minus expectantibus eum in veritate, qualis
Pſal.39. erat, qui dicebat: Expectans expectaui Domi-
nũ. Veniet tamquã reuertens a nuptijs, inebria
tus vino charitatis, & immemor iniquitatũ no
ſtrarum. Veniet non expectantibus tamquam
reuertens a nuptijs, tãquam potẽs crapulatus
a vino, vere ebrius, & immemor miſerationũ
ſuarũ. tunc enim quantum ad illos, obliuiſce-
tur miſereri Deus. Sicut mercenarijs, & quoti-
dianus cibus datur in opere, & merces ſerua-
tur in fine, ſic Dominus vitam æternam in fine
reddet, & interim centuplum repromittit, &
exhibet.

44 Sermone 2. IDEM ait. Omnes nos ad ſpirituales nu-
Pſal.18. ptias vocati ſumus, in quibus vtiq; ſponſus eſt
Dominus, de quo dicitur: Et ipſe tãquam ſpõ-
ſus procedẽs de thalamo ſuo. Sponſa vero nos
ipſi ſumus, ſi non nobis videtur incredibile, &
omnes ſimul vna ſponſa, & animæ ſingulorum
quaſi ſingulæ ſponſæ. Spõſa hæc multo inferior
genere, multo inferior ſpecie, & dignitate. At-
tamen propter æthiopiſſam iſtã Filius Dei de
longinquo venit, vt ſibi deſponſaret illã. Moy-
ſes quidẽ æthiopiſſam duxit vxorem, ſed nõ po
tuit eius mutare colorẽ. Chriſtus vero, quam
adamauit ignobilem adhuc & fœdã, glorioſam
ſibi exhibuit Eccleſiã, non habentem maculam
aut rugã. Vnde tibi, o humana anima, vnde ti-
bi hoc? vnde tam inæſtimabilis gloria, vt eius
ſponſa merearis eſſe, in quẽ deſiderant Angeli
proſpicere? Vnde tibi hoc, vt ipſe ſit ſponſus
tuus, cuius pulchritudinẽ ſol & luna mirantur,
ad cuius nutum vniuerſa mutantur? Quid re-
tribues Domino pro omnibus, quæ retribuit
tibi, vt ſis ſocia menſæ, ſocia regni, & ſocia tha
lami, vt introducat te rex in cubiculum ſuum?
vide quibus brachijs vicariæ charitatis reda-
mandus, & amplectendus ſit, qui tanti te æſti-
mauit, immo qui tãti te fecit. Deſere carnales
affectus, ſæculares mores dediſce, cõſuetudines
noxias obliuiſcere. Quid enim putas? nonne
ſtat Angelus Domini, qui fecet te medium, ſi
forte (quod auertat ipſe) alterũ admiſeris ama
torem? Iam enim deſpõſata es illi, iam nuptia-
rum prandium celebratur, nã cœna quidem in Pſal.35.
cælo paratur. Sed ibi vinum non deficiet: Ine-
briabimur enim ibi ab vbertate domus Dei, & Pſal.45.
torrente voluptatis eius potabimur. Paratum
eſt profecto illis nuptijs flumen vini, vini, in-
quam, quod lætificat cor: ſiquidẽ fluminis im-
petus lętificat ciuitatem Dei. Nunc autẽ, quo-
niam grandis nobis reſtat via, prandium quí-
dẽ accipimus hic, etſi non in tanta copia, quòd
plenitudo, & ſatietas cænæ reſeruetur æternæ.
Hic nonnumquã vinum deficit, gratia ſcilicet
deuotionis, & feruor charitatis.

IDEM inquit. Admonendus eſt vnuſquiſ- 45
que de vinea ſua; quis enim omnia a ſe ſuper- Serm.58.in Cantica.
flua reſecauit, vt nil ſe habere putet putatione
dignum? Credite mihi, & putata repullulant,
& effugata redeunt, & reaccendũtur extincta,
& ſopita denuo excitantur. Parum eſt ergo ſe-
mel putaſſe, ſæpe putandũ eſt, immo ſi fieri poſ-
ſit ſemper, quia ſemper quod putari oporteat,
inuenis. velis nolis intra fines tuos habitat Ie-
buſæus, ſubiugari poteſt, ſed non exterminari.
Tempus putationis aduenit, vitioſa ſcilicet at-
que ſuperflua, & omne quod fructũ ſalutis im-
pedire poteſt. Tolle ſuperflua, & ſalubria ſur-
gunt, vtilitati accedit quidquid cupiditati de-
mis. Non poteſt virtus cum vitijs pariter cre-
ſcere, putetur cupiditas, vt virtus roboretur.

IDEM enarrans locum illum; Vox turtu- 46
ris audita eſt in terra noſtra, ait. Si multi ge- Serm.59.
mẽtes, quid ſibi vult vnius expreſsio? Vox tur-
turis, inquit, quare non turturum? Turturis,
quia ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemiti-
bus inenarrabilibus: pro ſanctis ipſe induci-
tur gemens, quia gementes facit, vnde vnius
per omnium labia vox ſonat. Quidni illius, qui
ipſam in ore ſingulorum pro quorumq; neceſ-
ſitatibus format? Turtur, compare vno cõten-
ta eſt, quo amiſſo alterum iam non admittit.
Pudet ad negotium honeſtatis rationem non
poſſe in homine, quod natura poſuit in volu-
cre. Videas turturem tempore ſuæ viduitatis
vbiq; ſingularem, vbiq; gementem audias, nec
vmquã in viridi ramo reſidentem proſpicies,
vt tu ab eo diſcas voluptatum virentia, velut
virulentia vitare. Adde quod in iugis montiũ,
& in ſummitatibus arborum, frequentior illi
conuerſatio eſt, vt quod vel maxime propoſi-
tum pudicitiæ decet, doceat nos terrena deſpi-
cere, & amare cæleſtia. Nunc vox turturis, &
caſtitatis ſonat: olim illa; Creſcite, & multi- Gen.1.
plicamini, & replete terram.

IDEM in illa verba; Capite nobis vulpes 47
paruu-

Serm.63. parulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea
noſtra floruit: Sic hadet. Viro ſapienti ſua vi-
ta vinea eſt, ſua mens, ſua conſcientia. Nil
quippe incultum, deſertumq. in ſe ſapiens de-
relinquet, ſtultus non ita, cuncta apud eum ne-
glecta inuenies, cuncta inculta, & iacentia. Nõ
eſt vinea ſtulto. Quomodo vinea, vbi nil plan-
tatum, nil elaboratum vſpiam paret? Tota ſpi-
nis ſilueſcit, & tribulis, ſtulti vita, & vinea eſt?
& ſi fuit iam non eſt, redacta in ſolitudinem,
Vbi vitis virtutis? Vbi botrus boni operis?
Vinum lætitiæ ſpiritualis? Per agrum homi-
Prou.24. nis pigri tranſiui, ait, & per vineam viri ſtulti,
& ecce totum repleuerant vrticæ, & repleue-
runt ſuperficiem eius ſpinæ; & maceria lapi-
dum deſtructa erat. Audis ſapientem irriden-
tem ſtultum, quod bona naturæ, & dona gra-
tiæ, quæ per lauacrum regenerationis accepe-
rat, tamquam illam, quam plantauit Deus, &
non homo, primam ſuam vineam, in non vineã
negligendo redegit. Denique non poteſt vinea
eſſe, vbi vita non eſt. Arbor arida, & in ſterilita
tem verſa, nonne mortua iudicatur? Et ſar-
Pſal.77. menta mortua ſunt. Et occidit, inquit, in grã-
dine vineas eorum, monſtrans vita priuatas,
quæ ſterilitate damnatæ ſunt. Soli itaque con-
uenit ſapienti habere, vel potius eſſe vineam,
qui vitam habet: Bona vinea iuſtus, cui vir-
tus vitis, cui actio palmes, cui vinum teſtimo-
nium conſcientiæ. Vides apud ſapientem va-
care nihil. Sermo, cogitatio, conuerſatio, & ſi
quid aliud eſt ex eo, quidni totum, Dei agri-
cultura, Dei ædificatio eſt, & vinea Domini
Sabaoth? Quid denique illi de ſe perire poſsit,
quando, & folium eius non defluet? Sapiens
erit ſollicitus ſeruare vineam ſuam non minus
quàm excolere, nec ſinet eam vorari a vulpi-
bus. Peſsima vulpes occultus detractor, ſed
non minus nequam adulator blandus. Fru-
ctus vineæ profectus noſtri ſunt.

48 Tractatu de paſ. Dñi, qui habetur inter opera incerta Bernardi. ca.27 IDEM dicit. Manifeſtum eſt, quod in mul
tiloquio non deerit peccatum, ſed paulatim
ab otioſis verbis ad detractiones venitur, do-
nec tandem ad apertas contumelias prorum-
patur. Arguit autem loquacitatem Iacobus,
Prou.10. ita dicens, ſi quis putat ſe religioſum eſſe non
Iaco.1. refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor
ſuum, huius vana eſt religio. Nemo igitur de
religionis habitu blandiatur, qui adhuc lin-
guam ſuam non didicit religare. Religa linguã
tuam, ſi vis eſſe religioſus, quia ſine linguę re-
ligatione religio vana eſt. Vnde patris ſanctiſ-
ſimi religionum inſtitutores, & eorum ſequa-
ces ſapientiſsime, ſicut a ſpiritu ſapientiæ do-
cti fuerant, diſtricte inſtituerunt obſeruatio-
Prou.25. nem ſilentij, non ignorantes, quia ſicut vrbs
patens, & abſq; murorum ambitu, ita vir, qui
non poteſt in loquendo cohibere ſpiritum ſuũ,
Pſal.139. ſicut Pſalmus ait. Vir linguoſus non dirigetur
in terra. Sciunt etiam homines ſpirituales,
qui hoc experti ſunt, quãtum auferat deuotio-
nis, quantum afferat diſſolutionis intrinſecus
frequens linguæ reſolutio. Nam ſicut fornax
cuius os ſemper apertum eſt, non poteſt in ſe
retinere feruorem, ſic nec cor deuotionis in
ſe poterit gratiam conſeruare, cuius os non
fuerit ianua ſilentij recluſum. De fratre quo-
dam, qui diſcere volebat, & linguam corrigere
legitur, quòd per triennium lapidem portabat
in ore. De alio vero, quòd triginta annos non
fuerat locutus quicquam.

IDEM enarrans verba illa; Qui vult ve- 49
nire poſt me abneget ſemetipſum, & tollat cru In tract. qui
cem ſuam, & ſequatur me, ſeipſum abnegare eſt modus
eſt voluptatibus proprijs renunciare. Vt qui bene viuendi ad ſororẽ
ſuperbus erat, ſit humilis, & iracundus, ſit mã- cap.7.
ſuetus, & qui luxurioſus, ſit caſtus, & qui aua-
rus erat ſit largus.

Vitæ huius, & hominis miſeriæ multæ ſunt, quas Deus in noſtrum ordinat bonum. Cap. XVI.

BASILIVS ſic habet. Sa- 1
lomon ſane, quam ſapiens, Hom.11.in
non eruditus in perſuaſibi- Hexa.te.1.
libus humanæ ſapiẽtię ver-
bis, qui e ſolida ac veraci
Spiritus ſancti doctrina ſuã
illam hauſit ſapientiam, in
ijs, quæ recens lecta nobis ſunt, magnifico pla
ne hominem exornans elogio hæc de prome-
bat. Magna res eſt homo, & res pretioſa vir
miſericors. Ego e contra omnia admetiens
meæ vnius exiguitati, cum ea, quæ in animo
mecum ipſe verſabam, tumq. doctrice ſcriptu-
ra de homine edidiceram. Equidem reputabã
ipſe, quìnam poſſet dici homo res eximia a-
deo ac præcellens, animal deciduum, & morti
deſtinatum, quod innumeris obnoxium, & ex-
poſitum affectionibus, ab ipſa mox effuſione,
vteri materni ad extremę ſenectæ lineam ag-
men ſecum trahens inexplicabilium malorum
veluti ſentinam quandam exhaurit, de quo di-
ctum eſt: Domine quid eſt homo; quia inno- Pſal.143.
tuiſti ei? Et ecce quẽ regius pſaltes pro aſper-
nabili ducit, huic Prouerbiorum liber elogiũ
defert eximiæ cuiuſdam ac ſingularis præroga
tiuæ. Verum oppoſitionem hanc diluit hiſto-
ria Geneſeos de homine lecta. Audiebamus
enim nunc, quia Deus accepto de terra pulue-
re finxerit hominẽ. Ex hoc plane colligimus,
quia in homo, & nihil eſt, & idẽ quiddã eſt exi-
miũ. Si ad illius naturã tantũ ſpectes, nihili ho-
minem dixeris; at ne vllius eſſe, momenti, ſi ad
id honoris, quo illum dignata eſt, & inſigniuit
Dei benignitas mentẽ conuerteris, vtiq; ma-
gnum quid deprehendes eſſe hominem. In-
fra: Ecce dedi vobis lignum, quod vobis erit Gen.2.
in cibum, non dixit, dedi vobis piſces in cibum
pecora reptilia, quadrupedia. Primaria illa le-
giſlatio eſum indulſit fructuum. Homo autẽ ſi-
mul, vt præſtitutũ ſibi traducendæ vitæ præter-
greſſus eſt canonẽ, cũq; mox a diluuio prænoſ-
ſet Dñs homines nequaquã ſibi ab inconceſsis
temperaturos, indulſit quouis veſci. Omnia
hæc, ait, quaſi olera virentia comedite. Viris

enim paradisi delicijs simulatque excidimus, has plane fucatas, & quæ nihil habeant syncerę voluptatis ipsi nobis excogitauimus.

2 Homilia in Psal. 33. IDEM in enarratione illorum verborum: Quis est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos, dicit. Si quis vult vitam, non communem hanc, quam viuunt & bruta, sed quæ prorsus vera est vita, nec vlla interciditur morte. Nunc enim, ait Apostolus, Coloss. 3. mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Igitur vera vita Christus est, & nostra in ipso conuersatio vera est vita. Similiter autem & dies quidam sunt boni, quos propheta in hac proponit pollicitatione: Sæculi huius dies mali sunt, quoniam mundus iste totus in maligno positus est. Propterea Ephes. 5. dicit Apostolus: Redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Iacob item, dies, inquit, Gen. 47. annorum meorum pauci admodum, & mali sunt. Igitur nunc quidem in vita non sumus, sed in morte. Idcirco optabat Paulus dicens. Rom. 7. Quis me liberabit de corpore mortis huius? Non itaque cum bonos audieris dies, hanc vitam putes prophetam polliceri. Præterit figura huius mundi.

3 Homil. in Gordij martyrę militę cęsariensem. IDEM de Gordio ait. In martyrio mira dixit, in quibus alacritatę animi sui explicuit, & dixit: Velociter ex hac vita, quæ potius est interitus lõgus dicenda, breui quidẽ labore ad veram vitam commigremus. Quicumq; enim nati sunt, aut senio tabescunt, aut ægritudine corporis resolnuntur, aut violento, improuisoq. casu aliquo concidunt. Quamquam etiãsi sempiterna esset terrena ista, nihilominus sic quoque pro cælestibus commutanda esset. Verum quoniam hæc fluxa, fragiliaque sunt, & illorum comparatione magnopere indigna, quis furor in his invigilare, & illorum studio spem illam beatam credentibus repositam negligere?

4 In ho. 23 cuius titulus est, non esse adhęrendũ rebus temp. IDEM ait, introducens Iob consolantem vxorem suam in calamitatibus, quas patiebantur, & dicentem: Nullius hominis vita prorsus beata est. Semper prospere agere solius est Dei. Bibisti liquidum vitæ laticem, & turbidum iam toleranter bibe. Ne fluuiorum quidem riui omnino puri videntur. Est autem, vt scis, vita nostra fluuius quidam continue, & irremissis ac indesinentibus fluctibus plenus; quorum alio prætерlapso, iam alius adhuc in cursu prędens est, & hoc quidem e fonte suo iam promanante, ille adhuc promanaturus, & hoc pacto ad commune mortis mare properamus omnes.

5 In apologia aduersus Ruffin. to. 2. HIERONYMVS inquit. Vinctum in Domino vocat se Paulus, quia in pluribus locis lectum est: Vinculum animæ corpus hoc dici, quo quasi clausa teneatur in carcere: propterea dicimus Paulum corporis nexibus Rom. 7. coerceri. Vnde, vinctam dici animam corpore, donec ad Christum redeat, & in resurrectione mortale corpus induat immortalitatem, non absurdæ intelligentiæ est. Vnde & Apostolus: Miser ego homo, inquit, quis me liberabit de corpore mortis huius? corpus mortis appellans, quod vitijs, & morbis, & perturbationibus, ac morti subiaceat, donec fragile prius lutum excoquatur feruore Spiritus sancti in testam solidissimam, in resurrectione demutans gloriam non naturam. De Crasso refert Lucilius, quod semel tantum in vita sua riserit.

6 In ep. Euseb. de morte Hieros. to. 4 IDEM in epistola Eusebij narrantis miranda, quæ in morte sua ipse dixit, ait. Vere hic viuens mortuus sum, & ecce iã viuificor. Vita mundi, non vita, sed mors, vita fallax, vita onusta tristitijs, imbecillis, & vmbratica, vita mendax: nunc flores, & statim arescis, vita fragilis, vita momentanea, & caduca, quæ quanto magis crescis, tanto magis decrescis: cum plus procedis, plus ad mortem propinquas. O vita plena laqueis, quot in mundo homines illaqueas, quot per te iam sustinent tormenta infernalia! Quàm beatus, qui tuas agnoscit fallatias, quàm beatior, qui de tuis non curat vanis blanditijs, quàm beatissimus, qui te bene priuatus est. Melior est negotiatio mortis argento, & auro, primi & purissimi eius fructus. Non certe mors, quæ vitam veram largiris, quæ fugas febres, & vulnera, fames extinguis, & sitim.

7 Lib. 11. in c. 40. Isaiæ. IDEM edisserens locum illum: Vox dicentis, clama. Et dixi; quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, cecidit flos, quia spiritus Dei flauit in eo, vere fœnum est populus, ait. Reuera si quis fragilitatem carnis aspiciat, & quod per horarum momenta crescimus, atque decrescimus, nec in eodem manemus statu, ipsum quoq; quod loquimur, dictamus, & scribimus de vitæ nostræ parte, præteruolat. Nõ dubitabit carnem fœnum dicere, & gloriam eius quasi florem fœni, siue prata camporum, qui dudum infans, subito puer, qui puer, repente iuuenis, & vsque ad senectutem per spatia mutatur incerta, & ante se senem intelligit, quàm iuuenem non esse miretur. Pulchra mulier, quæ post se adolescentulorum trahebat greges, arata fronte cõtrahitur, & quæ prius amori, postea fastidio est. Quod & egregius apud græcos scribit orator, Speciẽ corporis, aut tempore dificere, aut languore consumi. Exiccata est igitur caro, & cecidit pulchritudo, quia spiritus furoris Dei, atque sententiæ flabit in ea; eius, qui portat imaginem terreni, & seruit vitijs, atque luxuriæ, fœnumq. est, & flos præteriens. Qui autem habet, atque custodit imaginem cælestis, illa caro est, quæ cernit salutare Dei, quæ quotidie renouatur in agnitionem secundum imaginẽ Creatoris; & incorruptibile, atque immortale corpus accipiens, mutat gloriam, quia verbum Domini, & hi, qui verbo sociati sunt permanent in æternum.

8 Lib. 3. in c. 12. Hiere. IDEM edisserens locum illum; Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus, qui prævaricantur, & inique ãgunt? Plantasti eos, & radicem miserunt, proficiunt, & faciunt fructum, prope es tu ori eorum, & longe a renibus eorum. Congrega eos, quasi gregem ad victimam, & sanctifica eos in die occisionis, dicit. Contra omnes iniqua agentes, hæc disputatio est, & 72. psalmi breuiter sententia comprehenditur, in qua propheta ait: Psal. 72. Quàm bonus Israel Deus, his, qui recto sunt corde. Mei autem pene moti sunt pedes, quia zelaui in peccatoribus, pacem peccatorum videns. Nullum est scandalum, inquit, quod impij pro tempore floreant. Licet enim proficiant, filios generent, & faciant fructum, & prope sis ori eorum, & longe a conscientia eorum; tamen non parua est consolatio, quod quasi pecora saginantur ad victimam.

9 In c. 2. Ecclesiastes to. 5. IDEM, vt mundi huius vanitatem, & inconstantiam ostenderet Salomon, latissime ostendit se traditum omni voluptati, ita vt quidquid desiderarent oculi eius, non negauerit eis, quin omni voluptate fruerentur, post quæ omnia ait: Et odiui vitam, quia malum super me opus, quod factum est sub sole, quia omnia vanitas, & pastio venti. Si mundus in maligno positus est, in tabernaculo isto Apostolus ingemiscit, dicens: Miser ego homo, Roma. 7. quis me liberabit de corpore mortis huius? Recte odio habet omne, quod sub sole factum est, quia nunc quasi in ergastulo, & carcere sumus, & valle lachrymarum, in sudore vultus nostri comedentes panem.

10 In cap. 3. IDEM explicans verba illa; Omnia tempus habent, & suis spatijs transeunt vniuersa sub cælo. Tempus nascendi, & tempus moriendi, &c. inquit. Incertum, & fluctuantem statum conditionis humanæ in superioribus docuit. Nunc vult ostendere omnia sibi in mundo esse contraria, & nihil stare perpetuum eorum, quæ sub cælo sunt. Quæ abundantia est facienti, in quibus ipse laborat? Vidi occupationem, quam dedit Deus filijs hominum, vt occupentur in ea. Locum hunc ab Hebræo, qui me in Scripturis erudiuit, ita expositum audi. Cum omnia suo labantur tempore, & sit tempus destruendi, & ædificandi, flendi, atque ridendi, tacendi, atque loquendi, &c. quid frustra conamur, & tendimus, & breuis vitæ labores putamus esse perpetuos? Matt. 6. Nec contenti sumus secundum Euangelium malitia diei, nihilq. in crastinum cogitemus. Quid enim possumus habere in hoc sæculo amplius laborando, in quo id tantum a Deo hominibus datum est, vt alius alia sectando haberet, in quibus erudiri, & exercere se posset?

11 In cap. 4. IDEM enarrans verba illa; Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes, & feliciorem vtroque iudicaui, qui necdum natus est, nec vidit mala, quæ sub cælo fiunt, sic habet. Ad comparationem miseriarum, quæ in hoc sæculo mortales premunt, feliciores iudicaui mortuos, quàm viuentes. Secundum illud Iob de mortuis disputans; Ibi quieuerunt fessi robore cum his, qui vincti fuerunt, iam securi non audientes vocem exactoris. Porro, qui necdum natus est, in eo felicior est, quod necdum mala mundi expertus est. Sic Ioannes, quo maior non fuit in natis mulierum, minor est eo, Matt. 11. qui minimus est in regno cælorum, & corporis onere liberatus, nescit cum Apostolo dicere: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?

12 Lib. 1. in c. 2 epist. ad Ephes. to. 8. IDEM exponens locum; Eramus natura filij iræ, dicit. Vocamur omnes filij iræ, vel propter corpus humilitatis, corpusq. mortis, & quod ab adolescentia mens hominum apposita sit ad malitiam. Vnde Salomon ait: Non Eccli. 7. est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Vel quod ex eo tempore, quo possumus habere notitiam Dei, & ad paupertatem venimus, omnes peccamus. Filij iræ dicuntur, quia ira operatur in eis. Vel filij irę, hoc est, diaboli.

13 Lib. de bono mortis c. 2. to. 1. AMBROSIVS ait. Pereat dies in qua natus sum, aiebat Iob. Quid enim est, quod hæc vita delectatur, plena ærumnarum, & sollicitudinum, in qua innumeræ calumniæ, & multæ molestiæ, & multæ lachrymæ eorum, qui afflictantur molestijs, & non est, inquit, qui eos consoletur? Et ideo laudat Ecclesiastes defunctos magis, quàm viuentes: Et optimus, inquit, supra hos duos, qui nondum natus est, qui non vidit hoc malum. Et alibi idem Ecclesiastes: Meliorem longæuo viro asseruit, quem abortu eiecit mater sua, quia non vidit hæc mala, quæ fiunt in hoc mundo, nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulauit sæculi. Quid enim boni est homini in hac vita, qui in vmbra viuit, nec expleri potest cupiditatibus suis. Et si repleatur diuitijs, fructum quietis amittit, quia cogitur custodire, quod misera auiditate quæsierit, vt miserius eas possideat, cui prodesse non poterunt. Quid enim miserius, quàm vt custodia torqueat, quarum abundantia nihil profit? Itaque si plena oneris vita, vtique finis eius alleuamentum est. Vnde Symeon ita se dimitti postulabat a Domino, quasi a vinculis quibusdam ad libertatem festinaret. Sunt enim velut vincula quædam corporis huius, & quod est grauius vincula tentationum, quæ nos alligant, & ad iniuriam captiuitatis astringunt quadam lege peccati. Quid igitur tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto maiore oneratur sarcina peccatorum? Vnde Iacob dixit: Dies annorum vitæ Gen. 47. meæ, quos habeo, centum triginta minimi, & mali, non quia dies mali, sed quia nobis accessu dierum malitiæ incrementa cumulantur. Vnde Paulus aiebat: Mori lucrum. Lucrum est euasisse incrementa peccati, lucrum fugisse deteriora, & ad meliora transisse.

14 Serm. 22. in Psal. 118. to. 4 IDEM enarrans locum illum; Viuet anima mea, & laudabit te, dicit. Futuræ vitæ non præsentis sibi remuneratione blanditur. Hæc enim vita quomodo dici potest, de qua scriptum est: Et in puluerẽ mortis deduxisti me? Quàm multi viuẽtes in inferno sunt. Ipse Paulus cupiebat de corpore mortis huius liberari. Dis-

Phil. 1. ri: Dissolui enim cupio, & cum Christo esse, multo enim melius; permanere autem in carne magis necessarium, quàm voluntariũ. Quomodo ergo viuit anima operta mortis inuolucro? Aut quæ est vita, quæ in vmbra est? In regione vmbræ mortis sumus, abscondita est vita nostra, non libera: erit enim libera in regione viuorum. Ibi ergo viuit anima nostra, vbi nihil mortale, nihil infirmum amicta sit, nihil debitum pœnę. Ibi laudabit Dominum, vbi depósito infirmitatis corpore, conformis esse cœperit gloriæ corporis Christi. In vmbra sumus hic positi, in vmbra viuimus, perfecte in vm-
Psal. 136. bra laudare non possumus. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?

15 AVGVSTINVS, vbi inquirit an vita
Lib. 13. de Ciuit. Dei. c. 10. to. 5. mortaliũ mors potius, quàm vita dicenda sit, ait. Ex quo quisq; in isto corpore morituro esse cœperit, numquam in eo nõ agitur, vt mors veniat. Hoc enim agit eius mutabilitas toto tempore vitæ huius, si tamen vita dicenda est, vt veniatur in mortem. Quidquid temporis viuitur, de spatio viuẽdi demitur, & quotidie fit minus, minusque, quod restat, vt omnino nihil sit aliud tẽpus vitæ huius, quàm rursus ad mortem. In quo nemo, vel paululum stare, ne aliquando tardius ire permittitur, sed omnes vrgentur pari motu, nec diuerso impelluntur accessu. Neque enim, cui vita breuior fuit, celerius diem duxit, quàm ille, cui longior: sed cũ æqualiter æqualia momẽta raperentur ambobus, alter abijt propius, alter remotius, quo nõ impari velocitate ambo currebant. Aliud est autem amplius viæ peregisse, aliud tardius ambulasse: qui ergo longius viuit, plus itineris conficit, non lentius pergit. Vnde, ex quo homo cœpit esse in hoc corpore, in morte est. Quid enim aliud diebus, horis, momentisq. singulis agitur, donec ea consummata mors, quæ agebatur, impleatur, & incipiat iam tempus post mottẽ, quod cum vita detraheretur, erat in morte. Numquam igitur in vita homo est, ex quo est in corpore isto, moriente potius, quàm viuente, si & in vita, & in morte simul non potest esse. An potius & in vita, & in morte simul est, in vita scilicet, in qua viuit, donec tota detrahatur, in morte autem, quia iam moritur, cui vita detrahitur? Non enim frustra, cũ vita fuerit corpori tota detracta, post mortem iam dicitur, nisi quia mors erat, cum detraheretur, vnde viuens est homo in morte. Nunc in vita non solum mors est, verum etiam tam molesta est, vt nec vlla explicari locutione possit. Vnde Solon aiebat, neminem in vita posse dici beatum, quia ante mortem nemo laudandus est.

16 IDEM inquit. Cum summum bonum ci-
Lib. 19. de Ciuit. c. 20. uitatis Dei sit æterna pax, atque perfecta, non per quam mortales transeant, nascendo, atq; moriendo, sed in qua immortales maneant, nihil aduersi omnino patiendo, quis est, qui in comparatione illius vitæ istam, quæ hic agitur quantislibet animi, & corporis, externarumq. rerum bonis plena sit, non miserrimam iudicet? Res ista sine spe illa beatitudo falsa, & magna miseria est.

17 IDEM dicit. Rarissimi sunt, qui nullas
Lib. 21. ca. 14. in quo disputat de pœnis temporalibus huius vitæ. in hac vita, sed tantum postea pœnas luunt. Fuisse tamen aliquos, qui vsque ad decrepitã senectutem, ne leuissimam quidem febriculam sensserint, quietamq. duxerint, ipsi nouimus, & audiuimus, quamquam vita ipsa mortalium tota pœna sit, quia tota tentatio est, sicut scriptum est: Numquid non tentatio est vita hu-*Iob 7.* mana super terram? Homo non a risu, sed a fletu orditur hanc lucem, quid malorũ ingressus sit nesciens, prophetat quodammodo. Solum quando natus est ferunt risisse Zoroastem, nec ei boni aliquid monstruosus risus ille portendit. Nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor, quæ nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem contra suos inimicos prodesse potuerũt. A Nino quippe rege Assyriorum, cum ipse esset Bactrianorum rex bello superatus est. Prorsus, quod scriptum est: Graue iu-*Eccli. 40.* gum super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.

18 IDEM enarrans illa verba; Nam etsi am-
In Psal. 22. to. 8. bulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, dicit. In medio huius vitæ, quæ vmbra est mortis.

19 IDEM exponens locum illum; Odisti ob-
In Psal. 30. seruantes vanitates superuacue, ego autem in Domino speraui, dicit. Ego qui non obseruo vanitatem, in Domino speraui. Speras in pecunia, obseruas vanitatem, speras in honore, & sublimitate aliqua potestatis humanæ, obseruas vanitatem, speras in aliquo amico potente, obseruas vanitatem. Hanc vanitatem commemorat Isaias, dicens: Omnis caro fœ-*Isa. 40.* num, & omnis gloria eius, tamquam flos fœni. Aruit fœnum, & flos eius decidit. Quia respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Quæ sunt necessitates, vnde saluam volumus fieri animam nostram? Quis has enumeret? Quis digne exaggeret? Quis congrue vitandas, fugiendasq. commendet? Primo in genere humano dura necessitas nescire cor alterius, male sentire plerumque de amico fideli, bene sentire plerumque de amico infideli. O dura necessitas, nec tuum vides quale erit cras! Dura necessitas nolle, quod potest euitari. Quæ sunt etiam necessitates vincendarum vetustissimarum cupiditatum, & annosarum malarum consuetudinum? Vincere consuetudinem, dura pugna, nosti.

20 IDEM edisserens illum versum; Quis est
Cõcione 2. in Psal. 33. homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos, inquit. Nonne omnis in vobis respondet, ego? An quisquam est in vobis, qui non diligit vitam, & non diligat dies videre bonos? Nonne quotidie hoc murmuratis, & hoc dicitis, quamdiu ista patimur, quotidie peiora, & peiora? Apud parentes nostros fuerunt dies lætiores, & meliores. O si interrogares ipsos parẽtes tuos, similiter tibi de diebus suis murmurarent: Fuerunt beati patres nostri miseri sumus nos, malos dies habemus. Qui quærit dies videre bonos, non hic illos querat: bonam rem quærit, sed non in regione eius eam quærit, non hic habitant dies boni. Sed habuerunt illos patres nostri. Fallimini: omnes hic laborauerunt: semper dies mali in sæculo; sed semper dies boni in Deo. Fames validissima fuit
4. Reg. 6. temporibus Eliæ. Habuit dies bonos Abraham, sed in corde. Habuit dies malos, quando a fame mutauit regionem. Paulus habuit dies bonos, qui dixit, in fame, & siti, in frigore, & nuditate? Ipse Dominus non habuit dies bonos in hoc sæculo, contumelias, iniurias, tanta mala patiebatur.

21 IDEM edisserens illa verba; Sitiuit in te
In Psal. 62. anima mea, quàm multipliciter ribi caro mea, ait. In alia vita, cum resurrexerit caro, satiabitur, modo ex corruptione fragilitatis, si non manducamus, deficimus, & esurimus, si non bibamus, deficimus, & sitimus, si diu vigilemus, deficimus, & dormimus, si diu dormiamus, deficimus, & ideo vigilamus, si diu manducemus, & bibamus, quamuis propter refectionẽ manducemus, & bibamus, ipsa diuturna refectio, defectio est, si diu stemus, fatigamur, ideo sedemus, & si diu sedeamus, & ibi fatigamur, & ideo surgimus. Deinde videte, quia nullus est carnis nostræ status; quoniam infantia auolat in pueritiam, iterum & ipsa migrat in adolescentiam, hæc in iuuentutem, in senectutem, & senex moritur. Non stat ergo ætas nostra, vbique fatigatio est, vbiq; lassitudo, vbique corruptio. In istis omnibus multiplicibus defectionibus nostris sitimus illam incorruptionem, & sic caro nostra multipliciter sitit Deo. In ista idumæa, in isto deserto quàm multipliciter laborat, tam multipliciter sitit, quàm multipliciter fatigatur, tam multipliciter sitit illam infatigabilem incorruptionem. In terra deserta, sine via, & sine aqua, talis enim est mundus iste.

22 IDEM explicãs verba illa; De torrente in
In Ps. 109. via bibit, ait. Torrens profluxio mortalitatis humanæ est. Sicut enim torrens pluuialibus aquis colligitur, redundat, perstrepit, currit, & currendo decurrit, idest, cursum fixit, sic est omnis iste cursus mortalitatis. Nascuntur homines, viuunt, moriuntur, & alijs morientibus, alij nascuntur, rursusq. illis nascentibus, alij moriuntur, succedunt, decedunt, nec manebũt. Quid hic tenetur? Quid hic non decurrit? Quid non quasi de pluuia collectum, & in abyssum? Quomodo enim fluuius repente collectus de pluuia, de guttis imbrium, it in mare, nec apparet. Sic hoc genus humanum de occultis colligitur, & in mortem profluit. De hoc torrente bibit Christus, quia natus, & mortuus est. Et propterea exaltauit caput, quia humiliatus est.

23 IDEM edisserens locũ illum; Verba mea
Tract. 22. in Ioan. to. 9. qui audit, & credit ei, qui me misit, habet vitã æternam, vt in iudicium non veniat, sed transeat a morte in vitam, inquit. Vbi, & quando transimus de morte ad vitã, vt non in iudicium veniamus? In hac vita trãsimus a morte ad vitã; in hac vita, quę nondũ est vita, hinc transimus a morte ad vitã. Quis est ille trãsitus? Qui audit verba mea, & facit, transit. In hac vita, quæ nõ est vita, transitur a morte ad vitã. Si n, vita esset ista, non diceret Dominus cuidam: *Matt. 19.* Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Non enim ait illi: Si vis venire ad vitam æternam, sed tantum dixit vitam. Hæc nec vita nominãda est, quia non est vera vita: vera enim vita, æterna vita est. Audi Apostolum dicentem ad
1. Tim. 6. Timotheum: Præcipe diuitibus huius sæculi non sublime sapere, nec sperare in incerto diuitiarũ, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum, benefaciant diuites, sint in operibus bonis. Ad quid hoc? Vt apprehendant veram vitam. Profecto ista in qua erant, falsa vita est, nam vt quid velis apprehendere veram, si iam tenes veram? Si autem apprehendenda est vera, migrandum est a falsa.

24 IDEM enarrans verba illa Deut 23. Vti-
Lib. cuius titulus est speculum peccatoris. nam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Tria docet hic Dominus, vt scias, & intelligas, & prouideas. Vult, vt scias vitam præsentem fugitiuam, periculosam, breuem, miserijs tabescentem, vniuersæ vanitati subiectam, peccatorum sordibus pollutam, cupiditate corruptam, in breui perituram, vt quãto infelicior mundus iste esse conspicitur, tanto felicius pro amore cælestis patriæ contemnatur. Vult itaque Deus, vt fragilem tuam conditionem intelligas, quia nudus egressus es ex vtero matris tuæ, & nudus reuerteris illuc, quia terra es, & in terram ibis: in huius vitæ miseriam intrasti lugens, dies tuos in dolore, & ærumna pertransisti, cum luctu, & labore hinc exiturus es. Intelligas ergo quantum sit exitus, & ingressus tuus flebilis, progressus tuus debilis, & egressus horribilis.

25 IDEM edisserens verba illa; Redimentes
Serm. 26. de verbis Apostoli Pauli. to. 10. tempus, quoniam dies mali sunt, ait. Dies malos duæ res faciunt, miseria hominum, & malitia hominum. Miseria communis est omnibus. Vnde interrogemus pueros, qui nascuntur, quare a ploratu incipiunt. Nascitur, & statim plorat, & post nescio, quot dies ridet. Quãdo plorabat nascens propheta, suæ calamitatis erat, lachrymæ enim testes sunt miseriæ. Nondum loquitur, & iam prophetat in laborem se venturum: vel in timore & si bene vixerit, & iustus fuerit, certe in medijs positus tentationibus semper timebit, cum inter malos
2. Pe. 2. sit, horum vita iustorum persecutio est. Sicut Loth in Sodomis persecutionem patiebatur, malos videndo.

26 IDEM sic exorditur. O vita, quæ tantos
Serm. 49. ad fratres in eremo. decipis, de proprijs tãtos seduxisti, tantos excæcasti; quæ dum surgis, nihil es, dum videris, vmbra es, dum exaltas, fumus es: dulcis es stultis, amara sapientibus: qui te amat, non te cognoscit, qui te contemnunt, ipsi te intelligunt: væ, qui tibi credunt, beati, qui te con-

temnunt. Vera non es vita, quam te ostendis, alijs ostendis te longam, vt perdas in finem, vt faciant, quod volunt: alijs breuem, vt dum pœnitere volunt, non permittas. Sic est vita nostra quasi homo in domo aliena nesciens qua hora, vel die Dominus, domus dicat: Vade foras, quia non est tua domus, in qua es. O sæculum vanum, quid nobis tanta promittis, dum decipis? Qui tibi voluerit amicus esse, inimicus Dei constituitur. O vita atrocissima, quam humores tumidant, dolores æstuãt, aeres morbidant, escæ inflant, ieiunia macerant, ioci soluunt, tristitiæ consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, diuitiæ superbiunt, paupertas eijcit, iuuentus extollit, senectus incuruat, frangit infirmitas, mæror consumit, & super his omnibus mors attocissima succumbit vi furibunda. In æterna autem vita vita est sine morte, iuuentus sine senectute, lux sine tenebris, gaudium sine tristitia, nobilitas, & voluntas sine iniuria, regnum sine commutatione.

27 GREGORIVS explicãs illa verba Iob capitis 14. Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, inquit. Mulier in sacra Scriptura aliquando pro infirmitate ponitur, sicut per quemdam sapientem dicitur: Melior est iniquitas viri, quàm benefaciens mulier. Vir enim fortis quilibet, & discretus vocatur, mulier vero mens infirma, & indiscreta. Et sæpe contingit, vt etiam discretus quisque subito labatur in culpam, atq; indiscretus alius, & infirmus bonam exhibeat operationem. Sed is, qui indiscretus, atque infirmus est, nonnunquam de eo, quod bene egerit, amplius eleuatur, atque grauius in culpam cadit: discretus vero ex eo, quod male se egisse intelligit, ad districtionis regulam arctius se reducit, & inde altius ad iustitiam proficit, vnde ad tempus a iustitia cecidisse videbatur. Qua in re recte dicitur: Melior est iniquitas viri, quàm bene faciens mulier; quia nonnunquam culpa fortium occasio virtutis fit, & virtus infirmorum occasio peccati. Hoc igitur loco mulieris nomine quid nisi infirmitas designatur, cum dicitur: Homo natus de muliere? Ac si apertius dicatur, quid in se habebit fortitudinis, qui natus est ex infirmitate? Breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Pœna hominis breuiter dicta est, quia & angustatur ad vitam, & dilatatur ad miseriã. Omne, quod hic agitur, si bene consideretur, pœna, & miseria est, vt contra frigus vestimenta, contra famem alimenta, contra æstum frigora requirantur: quòd multa cautela custoditur salus corporis, quòd etiam custodita amittitur, amissa cum graui labore reparatur, & tamen reparata in dubio semper est; quid hoc aliud, quàm mortalis vitæ miseria est? Quid amissa cælesti patria repulsus homo delectatur exilio, grauatur curis, & tamen cogitare dissimulat, quàm graue sit, quod priuatus est interno lumine, & tamen in hac vita diu vult perpeti cæcitatem suam, quid hoc aliud, quàm de pœna nostra nata miseria est? Sed quia quamuis hic diu stare desideret, ipse tamen cursu mortalis vitæ egredi cogitur. Ideo ait: Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & numquam in eodem statu permanet. Quasi flos egreditur, quia nitet in carne; sed conteritur, quia redigitur in putredinem. Tendamus oculos cordis in hanc latitudinem mundi præsentis, & ecce quot hominibus, quasi tot floribus plenus est. Vita itaque in carne flos in fœno est. Vnde psalmista ait: Homo, sicut fœnum dies eius, *Psal. 102.* & sicut flos agri ita florebit. Homo etenim more floris, procedit ex occulto, & subito apparet in publico, qui statim ex publico per mortem retrahitur ad occultum. Quasi flos apparuimus, qui non eramus, quasi flos aresceimus, qui temporaliter apparebamus. Et quia per momenta, homo quotidie compellitur ad mortem, dicitur fugere velut vmbra, & numquam in eodem statu permanere. Fixum statum hic habere non possumus, vbi transituri venimus, atque hoc ipsum nostrum viuere quotidie a vita transire est.

29 BERNARDVS dicit. Graue iugũ super filios Adam, idq. a die exitus de ventre matris eorum, vsq; in diem sepulturæ in matrem omnium. In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres, in exitu more vipereo laceramus, mirum, quod non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, merito quidem vtpote vallem plorationis ingressi, vt nobis illud Iob ex omni parte possit aptari: Homo natus de mulie- *Iob 14.* re, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Quàm verum verbum hoc sit, non nos verba docuere, sed verbera. Homo, inquit, natus de muliere, nihil abiectius. Et ne forte ex ipsa sibi voluptate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blandiatur, in ipso statim introitu de exitu quoque terribiliter admonetur, cum dicitur: breui viuens tempore. An ne spatiolum illud, quod inter ingressum, & egressum relinquitur, sibi liberum putet, repletur, ait, multis miserijs. Multis, & multiplicibus, inquam, miserijs corporis, miserijs cordis, miserijs cum dormit, miserijs dum vigilat, miserijs quaqua versum se vertat.

30 IDEM dicit. Hæc vita, qua viuimus, magis mors est, nec simpliciter vita, sed vita mortalis. Moritur homo dicimus, quando morti certissime appropinquat. Quid vero agimus, ex quo primum incipimus viuere, nisi morti appropinquare, & incipere mori? Sed & dies qualescumque vitæ huius pauci, & mali sunt, sicut sanctus Patriarcha testatur. *Gen. 47.* Ibi vere viuitur, vbi viuida vita est, & vitalis: ibi dies boni vbi interminabilis longitudo dierum.

Vita hæc breuis est & incerta, & hoc diuina misericordia, & quomodo sequẽti comparetur. Cap. XVII.

1 Homil. 1. in Ps. 38. to. 2. ORIGENES enarrans verba illa; Ecce mẽsurabiles posuisti dies meos, legit, Ecce veteres posuisti dies meos, & ait. In Græco legitur, palescas, quod significat mensurã quattuor digitorũ. Volẽs ergo docere nos, qui in hac vita breues & perpaucos ducimus dies, dixit: Notum fac mihi Domine finem meum, vt sciam quid desit mihi. Ex quo intelligitur quia posit & alius dicere, Quia dies meos posuisti vnum digitum, velut consequens de temporis breuitate, & alius duos digitos, vel tres. Vbi prophetæ vita metita est, & numerata. Vnde addit in sequentibus: Substantia mea tamquam nihilum ante te. Verumtamen vniuersa vanitas omnis homo viuens. Omnia enim, quæ in hac vita sunt apud homines, vana sunt, quorum vita vana est. contemnamus vanam istam vitam, & festinemus ad sanctam vitam, & beatam, ac veram, & in illam animo ac mente tendamus omni vanitate discussa.

2 Homilia de Adam, Sodomitis, Achab, & pœnitẽtia. to. 1 CHRYSOSTOMVS sic exorditur. Quoties mecum temporis cursum, vitæq. huius quotidianum defluxum recogito, vitæ Iob tragœdia mentem meam subit, quam ipse de semetipso in suis calamitatibus declamabat: *Iob 9.* Vita mea, inquit, leuior cursore. Nam cursor interdum diuertit, sed cursus vitæ cursor est non requiescens. Quis non miseretur eorum, qui per huius vitæ spatium de angustia vitæ, & quod quasi in morte sint, disputant, & non cogitant, quod in vsuram vitam acceperint, vt forte præsentis temporis futuras diuitias lucrifaciant, & breui hoc tempore vitæ æternam acquirant.

3 Hom. 1. imperfec. to. 2. IDEM edisserens locum illum; Isaac genuit Iacob, ait. Iacob, & Esau geniti sunt in figura duorum sæculorum. Esau a capite vsque ad pedes totus pilosus, sæculum primum hoc significat, quod ab initio vsque ad finem totum quasi asperrimis pilis iniquitatum repletũ est. Iacob autem totus speciosus, & nitidus, futurum sæculum significat, quod totum pietatis decore fulgebit, & non inuenietur in illo aliqua asperitas, aut nigredo peccati. Et quemadmodum Esau persequebatur Iacob, sic filij sæculi huius persequuntur filios sæculi illius, & sicut ipse ita & filij eius non resistendo, sed fugiendo superant malos. Nam quemadmodum *Gen. 27.* tunc mater adiunit Iacob, dicẽs: Fili audi me, & fuge in Mesopotamiam, donec quiescat ira fratris tui: sic & Ecclesia filios suos quotidie docet, cum persecutionem patiuntur, dicens: *Matt. 10.* Si vos persecuti fuerint in ciuitate ista, fugite in alteram, & date locum iræ.

4 Homil. 7. in cap. 4. IDEM edisserens verba illa; Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum, inquit. Faciam vos doctores, vt cum rete verbi Dei comprehendatis homines de mundo hoc falso, & fluctuabundo, & tempestuoso, & instabili, & perfido, & semper periculoso, & nemini vmquam tuto, vbi homines non ambulant, sed feruntur quasi nolentes a fluctibus passionum. Violentia enim diaboli concupiscentias multas inoperans, eis mentitur se facturum eorum voluntatem, quia cum delectatione rapit in mala opera, vbi homines alterutrum se comedant, sicut pisces fortiores, semper deuorantes infirmiores, ne translati viuant in terra fructifera, in terra dulci, & semper tranquilla.

5 Hom. 27. in Ioan. to. 3. IDEM sic habet; Duas nobis Deus vitas constituit, præsentem, & futuram. Præsentem in certamen posuit, futuram in certaminis præmium.

6 Homil. 35. IDEM dicit. Dederat nobis a principio Deus liberam omni cura & laboribus vitam, eo turpiter munere abusi sumus, & inertiæ dediti paradisum amisimus: idcirco laboriosam nobis vitam instituit, quasi se humano generi excusans diceret: Dedi vobis a principio delicias, facti estis indulgentia deteriores, ideo eas vobis laboribus commutaui. Vita igitur laboriosa instituta est, quoniã quies & otium vitam, & mores corrumpere consueuit; natura enim humana desidiam non patitur, sed ab ea facillime ad malitiam declinat. In alia vita dicitur sanctis, vt requiescant a laboribus suis. *Apo. 14.* In quibus verbis non desidiam, sed quietem significat illorum. Malitiam nunc voluptas breuis, dolor perpetuus sequitur: contra virtutem labor breuis, gaudiũ sempiternum. Voluptas vitiorum si sola esset sine laboribus, quid ea vilius? quid abiectius? quæ simul & venit, & abuolat, languescit, fugitq. antequam comprehendatur, & siue corporum dixeris voluptatem, siue deliciarum, siue pecuniarum, ne per diem quidem firma perstat, sed statim vt venerit, fugit.

7 Hom. 55. in Ioan. IDEM enarrãs verba illa cap. 8. Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est, dicit. Si Christus lucem & diem hanc vitam appellauit, quomodo Paulus eam noctẽ vocat, dicens: Nox præcessit, dies autem ap- *Roma. 13.* propinquauit. Noctem præsentem vitam appellat, quoniam in tenebris versamur, vel propter eius ad diem illam comparationem. Christus autem noctem futurum tempus appellat, quoniam peccatores nihil operari poterunt. Nox a Paulo hæc vita vocatur, quia in tenebris sunt, qui in peccatis, & incredulitate degunt.

8 Homil. 57. IDEM ait. Breue nobis tempus in præsenti vita præstatur, quo nisi necessarijs vtamur, quid ad aliam vitam migrãtes faciemus? Tempus dedit nobis Deus, vt pietatẽ, vt recte viuendi artẽ erudiremini: cur incassum, & inutiliter hoc tempus consumitis? Et qua gratia nobis breue tempus præscripsit Deus? o stultitiam! o insipientiam! Pro quo maximæ gratiæ habendæ sunt, quod labores nobis & sudores minuit, quod requiem nobis, & æternita-

tem largitur, id & reprehendis & molesto fers animo.

8 IDEM exponens illa verba; Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quòd ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis, sic habet. Terrenam domum hoc corpus appellat. Vide ipsis nominibus quantum futura præsentibus antecellant. Vt enim dixit terrenum, opposuit cæleste, & vt dixit domicilium tabernaculi, ostenditq. fragile illud, & temporarium, opposuit æternum.

Hom. 10. in c. 5. epist. 2. Pau. ad Corinth. to. 4.

10 IDEM dicit. Non est profecto theatralibus scenis præsens vita dissimilis. Nam, vt illic ille Imperatoris, hic iudicis, alter & militis implet officium, vbi autem consecuta nox fuerit, nec Imperator agnoscitur Impetator, nec iudex qui fuerit iudex videtur, nec miles postea, qui prius miles. Ita vnusquisque nostrum in illius sæculi die non personis, sed rebus, atq; actibus competentem accipiet dignitatem.

In epi. 6. ad Theodorũ monac. to. 5

Hæc ergo gloria iudicanda est, quæ sic ab homine desiuit, vt cadere diuinus sermo florem dixit a fœno. Sed diuitiarum pompa laudanda est, quam qui possident miserabiles iudicãtur? Væ enim, inquit diuitibus. Et alibi: Væ his, qui confidunt in virtute sua, & in multitudine diuitiarum suarum gloriantur. In hoc sæculo aut quæritur vita, aut amittitur. Huius enim vitæ diuitiæ, & illicitæ voluptates, somno similes, vmbrisq. trãscurrunt, in quibus antequam peccato terminus detur, delectatio cupiditatis extinguitur, quod hic oblectare creditur, temporale est, quidquid autem illic cruciat, æternum est. Quid in hoc mundo stabile, quid perenne est? Audi cuiusdam venerabilis viri vocem: Tempus, inquit, vitæ meæ leuius cursoribus fuit. Vt enim illi priusquam bene stent, exiliunt, ita & hæc euolat antequam veniat.

Iob 13. *Luc. 6.* *Psal. 48.* *Iob 9.*

11 HIERONYMVS dicit. Humanæ vitæ breuitas, damnatio delictorum est. Et in ipso sæpe lucis exordio, mors secuta nascentem, labentia quotidie in vitium sæcula profitetur. Nam cum primum homo peccauit æternitas mortalitate mutata est in nongẽtos, & eo amplius annos. Exinde paulatim recrudescente peccato in breue tempus hominum vita contracta est. Hoc quoque spatium sceleribus nostris semper contra diuina pugnantibus pene perdidimus.

Ep. 21. quæ est ad Paulam. to. 1.

12 IDEM in illa verba; Quoniam superuenit mansuetudo, & corripiemur. Varias interpretationes habet locus iste. Quoniam transiuimus cito, & auolauimus. Hunc locum ita Symmachus transtulit, succidimur enim repente, & auolamus. Quinta editio hoc modo, quoniam trãsiuimus celeriter, & dissoluimur. Et est sensus. Post septuaginta annos, aut vt multum octoginta, in quibus vita tranfigitur, vento similes auolamus. Et cum pertransierit omne, quod viuimus, subita morte dissoluimur. Vnde verbum Hebraicũ, gas chiz, quod septuaginta, Theodotio, & sexta editio trãstulerunt mansuetudinem; Aquila Symmachus, & quinta editio festinationem, & repente, celeriterq. transtulerunt. Dexteram tuam sic notam fac, & eruditos corde in sapientia, Aquila, Symmachus, & quinta æditio sic verterunt, Dies nostros sic ostende, vt veniamus corde sapienti. Est autem sensus, Numerum annorum dierumq. nostrorum, quibus in hoc sæculo nos viuere decreuisti, ostende nobis, vt præparemus nos aduentui tuo, & contempto errore mortaliũ ad te pergere festinemus, cupiamusq. præsentiam tuam, ad quam festinemus corde sapienti. Nihil enim ita decipit humanum genus, quàm quod dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi huius possessionem repromittunt. Vnde & illud dictum est egregie nullum tam senem esse, & sic decrepitæ ætatis, vt non se adhuc vno plus anno viuere suspicetur. Ad hunc sensum pertinet illud, quod scriptum est: Memento mortis tuæ, & non peccabis. Qui enim se recordatur quotidie esse mobis. Qui enim se recordatur quotidie esse mobis. Qui enim se recordatur quotidie esse mob

sis, perpetua beatitudine succedet. Hæc autem vita de nobis exigit continentiam, vt etiã cum labore, & luctamine ingemiscentes grauati, & habitaculum nostrum, quod de cælo est, superindui cupientes a sæcularibus delectationibus temperemus. Et significatur quadragenario numero, quo & Moyses, & Elias, & ipse Dominus ieiunauerunt. Laborantibus in hac vita fidelibus, merces in futura illis persoluit paterfamilias.

Matt. 20.

20 Lib. 7. Mor. c. 14. to. 2.

GREGORIVS enarrans verba illa Iob cap. 6. Considerate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper, ait. Theman auster rete interpretatur. Quid hic per austrum, qui afflata teporibus membra dissoluit, nisi fluxa viuendi remissio, quid per rete, nisi actionis obligatio demonstratur? Qui enim dissoluta mente ea, quæ terrena sunt, appetunt, nec gressu libero ad Deum pergunt, ipsi se suis inordinatis conatibus ligant, cumq. se fluxis cõuersationis suæ actibus implicant, quasi remãsuros in retis vinculis pedes ponunt. Ait ergo Considerate semitas Theman, itinera Saba; ac si aperte diceret: damna alieni temporis attendite, & tunc spem de æternis firmius sumite. Bene autẽ dicitur. Expectate paulisper. Sæpe enim dum præsentis vitæ breuitas, quasi diu perseueratura diligitur, ab æterna spe animus frangitur, & delectatus præsentibus, desperationis suæ caligine reuerberatur: cumq. longum putat, quod in viuẽdi sibi spatium restat, repente vitam deserit, æterna mala inuenit, quæ vitare iam nequeat. Hinc per Sapientem dicitur: Væ his, qui perdiderunt sustinentiam. Sustinentiam videlicet perdũt, qui dum diu se immorari visibilibus æstimant, spem inuisibilium derelinquunt: cumq. mens in præsentibus figitur, vita terminatur, & repente ad supplicia improuisa perueniunt, quæ decepti suis præsumptionibus, aut numquam se cõtingere, aut tarde crediderunt. Hinc Veritas dicit: Vigilate, quia nescitis diem, neq; horam. Hinc rursum scriptum est: Dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Quia enim ad rapiendam animam propinquãs minime cõspicitur, furi in nocte comparatur. Tanto igitur debet quasi semper veniens metui, quanto a nobis nõ valent ventura præsciri. Vnde & sancti viri, quia breuitatẽ vitæ indesinenter aspiciunt, quasi quotidie morientes viuunt, & tanto se solidius mansuris præparant, quanto & nulla esse transitoria semper ex fine pensant. Hinc quippe Psalmista veloci cursu fugere vitam peccatoris aspiciens, ait; Pusillum adhuc & nõ erit peccator. Hinc iterum dicit: Homo, sicut fœnum dies eius. Hinc Isaias ait: Omnis caro fœnũ, & omnis gloria eius sicut flos agri. Hinc mentes præsumentiũ Iacobus corripit, dicens: Quæ est vita nostra? Vapor est ad modicum parens. Recte ergo dicitur, expectate paulisper, quia & immensum est, quod sine termino sequitur, & parum est quidquid finitur.

Ecclī. 2. 21 *Matt. 25.* *1. Thess. 5.* *Psal. 36.* *Psal. 102.* *Isa. 40.* *Iaco. 4.*

22 Hom. 32. in Euãg. to. 3.

IDEM dicit. Auaritia bene compescitur, si ipse status ambientis sollicite consideratur. Nam cur instet ad colligendum, quando stare nõ potest ipse, qui colligit? cursum ergo suum quisque consideret, & agnoscet sibi posse sufficere parua, quæ habet. Sed fortasse metuit, ne in huius vitæ itinere sumptus desit. Longa nostra desideria increpat vita breuis: incassum multa portantur, cum iuxta est quo pergitur.

23 Ser. 5. in vigil. Natalis Domini.

BERNARDVS exponens verba illa; Sanctificamini hodie, & estote parati, die enim crastina videbitis maiestatem Dei in vobis, dicit. Sanctificari hodie iubet, nam crastina nec in sanctificatione erit, nec in præparatione, sed in visione vtique maiestatis. Crastina, inquit, die videbitis maiestatẽ Dei in vobis. Hoc est, quod ait patriarcha Iacob: Cras mihi respondebit iustitia mea. Hodie enim iustitia colitur, cras respondebit, hodie exercetur, cras fructificabit. Alioquin, quod non seminauerit homo, nec metet. Nec enim tunc videbit maiestatem, qui contempserit interim sanctitatẽ, nec orietur ei sol gloriæ, cui sol iustitiæ ortus non fuerit, nec illucescet ei dies crastina, cui non luxerit hodierna. Nimirum idem ipse, qui hodie factus est nobis a Deo Patre iustitia, apparebit cras vita nostra, vt & nos cum eo appareamus in gloria. Nimirũ quos hodie Dominus iustificauerit, cras magnificabit, & consummationi sanctitatis succedet visio maiestatis. Ab hoc sancto hodie sanctificemur, vt maiestatem eius, vbi dies illa aspirauerit, videamus. Habet quidem hodie fructum suum in sanctificatione, crastina die finem habiturus vitam æternam.

Gen. 30.

24 Serm. 17. in Ps. Qui habitat. 1. *Tim.* 4. *Roma.* 6.

IDEM enarrans verba illa; Longitudine dierum replebo eum, inquit. Sæpius vos admoneo fratres, quod iuxta Pauli sententiam, Promissionem habeat pietas vitæ eius, quæ nunc est, & futuræ. Vnde & idem ait: Habetis quidem nũc fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Ipsa est, quæ nunc promittitur, longitudo dierũ: quid enim tam longum, quàm quod æternum est? Bonus finis vita æterna, bonus finis, qui finem non habet. Dexteræ Dei est ista promissio; Delectationes in dextera hac vsque in finem: quia operi manuum tuarum porriges dexteram. Manifeste Sapiens dixit: In sinistra illius diuitiæ, & gloria, in dextera eius longiturnitas vitæ. Vita, qua nunc viuimus, magis est mors, quàm vita. Gratias ei, qui tam non modo fortiter, sed & suauiter disponit vniuersa. Eorum nempe paucitas dierum finietur breui, quorum sufficit cuiq; malitia sua. Vbi autem dierum bonitas, æternitas quoque non deerit. Longitudine dierum replebo eum.

Iob 14. *Prou. 3.*

25 Serm. 33. in Cantica.

IDEM vbi exponit locum illum; Indica mihi vbi pascas, vbi cubes in meridie, sic habet. Quantumlibet inualescat, & incalescat sol iustitiæ, & dilatet radios suos super omne huius mortalitatis nostræ curriculum (erit enim nobiscum vsque ad consummationem sæculi) non tamen ad meridianum perueniet lumen, nec in illa sui plenitudine videbitur modo, in qua videndus est postea. O vere meridies

dies, plenitudo feruoris & lucis, solis statio, vmbrarũ exterminatio! O peremne solstitiũ, quando iam non inclinabitur dies! O lumen meridianum! O æstiua venustas! O autumnalis vbertas! O quies, & feriatio hiemalis, tunc enim hiems abijt, & recessit. Hunc locum, inquit, tantæ claritatis, & pacis, & plenitudinis, indica mihi, vt dicam cum Iacob: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Nam & hic pascis, sed non in saturitate. nec cubare licet, sed stare, & vigilare oportet, propter timores nocturnos. Heu nec clara lux, nec plena refectio, nec mansio tuta, & ideo indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie.

Matt. 5.

Beatam me dicis, cum esurio, & sitio iustitiam. Quid hoc ad illorum felicitatem, qui repleti sunt in bonis domus tuæ, qui epulantur, & exultant in cõspectu Dei, & delectantur in lætitia? Omnia mihi hic cedunt citra perfectum, plura præter votum, & tutum nihil. Quando adimplebis me lætitia cum vultu tuo? Vultum tuum Domine requirã. Vultus tuus meridies est; indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie. Scio satis, vbi pascas non cubans, indica mihi vbi pascas, & cubes, & vbi pascas nõ alijs temporibus, sed in meridie. Nam in tempore quidem mortalitatis meæ, & peregrinationis meæ consueui sane sub tua custodia pasci, & pascere in sacris litteris, & de gestis sanctorum, propter dolos inuisibilium potestatum, quæ sedent in insidijs, parantes sagittas suas in pharetra, vt sagittẽt in obscuro rectos corde. Propter hos, inquam maxime videtur mihi illa meridies optanda etiam nobis, vt clara luce deprehendamus astutias diaboli, atque angelum Sathanę illum, qui se trãsfigurat in Angelum lucis, ab Angelo nostro facillime discernamus. Non enim aliter nos custodire sufficimus ab incursu, & dæmonio meridiano, nisi in lumine æque meridiano. Meridianum autem angelum voco, qui sub specie lucis, & boni, immo meridianæ lucis homines tentat. Ioſue non prius amicum Angelum suscipit, quàm esse amicum nouerit, ideo scisciteatur, suus ne sit, an aduersariorum, tamquam qui expertus sit dæmonij meridiani versutias.

Ioſue 5.

Vita contemplatiua quantum in se est actiuæ præponderat, vtramq; tamen coniungere debet homo iustus.

Cap. XVIII.

1 Lib. 2. in c. 3. Lament. Hier. to. 4.

HIERONYMVS enarrãs verba illa; Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se, ait. Militũ Christi perfectio est exutã mentẽ habere a cunctis terrenis negotijs, & tumultu sæculi,

2. *Tim.* 3.

iuxta illud Apostoli: Nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus: eamque quantum humana imbecillitas sinit, festinat vnire cum Christo. Quam quidem speciem conuersationis boni eremitæ, & monachi, qui voto monasticæ disciplinæ obligati sunt, imitari contendunt, sed rara est, & paucissimis dono Dei hæc perfectio concessa. Is enim vere perfectus est, qui & in eremo squalorem solitudinis, & in cœnobio infirmitates fratrum æquali magnanimitate sustentat. Et ideo in vtraque professione per omnia consummationem inuenire difficile est, quia nec Anachorita contemptum, ac priuationem materialium rerum, nec cœnobita Theoricam ad integrum potest assequi puritatem. Sed quantum superexcellat tranquillitas serenæ vitæ turbulentiã sæcularis conuersationis, nouit, qui hãc expertus est, & Dominicum iudicium cernit, quẽ in Euãgelio Dominus inter duas mulieres fecit, ad Marthã dicens: Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima: porro vnum est necessarium, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Et Dauid solum hoc necessarium homini esse definiens, Deo iugiter adhærere desiderat dicens: Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. Et alibi: Vnam petij a Domino, &c. Vna ergo & sola est Theorica, idest contemplatio Dei, cui merito omnia iustificationum merita, vniuersa virtutum studia postponuntur. Actiua enim vita cum corpore deficit, contemplatiua autem vita hic incipitur, vt in cælesti patria perficiatur, quia amoris ignis, qui hic ardere inchoat, cum ipsum, quem amat viderit, in amore eius amplius igneſcit.

Luc. 10. *Psal. 72.* *Psal. 26.*

2 Lib. 3. in c. 31. Prouer. to. 8.

IDEM in enarratione illorum verborum; Et de nocte surrexit, deditq. prædam domesticis suis. & cibaria ancillis suis, inquit. Sicut totus labentis sæculi cursus peremni diei ac noctis alternatione variatur, & dies quidem ad operandum, nox ad quieſcendum naturaliter condita est; sic totum præsentis Ecclesiæ tempus, gemino quodã quietis, & operis statu discernitur. Quasi enim nocte quieſcit, cũ aliqui fidelium eius intermissa ad tempus sollicitudine externa, sibimet vacare, seq. ipsos spiritualiter incipiunt curare, vel lectionibus sacris, vel orationibus, ac lachrymis sese, vel alijs huiusmodi studijs secretius exercendo. Surgit autem de nocte, cum in ijsdem suis fidelibus ad agendam etiam proximorum curam se sollicite accinxit. Quod fraternæ administrationis opus duobus modis exercere cõsueuit, quia & eos, qui foris errabant, ad fidei gratiã conuocat; & illos, qui fidei sacramẽtis iam sũt imbuti, vt bonis operibus amplius insistãt, excitare nõ desinit: vnde bene dicitur: Deditq. prædã domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Dat namq. predã domesticis suis, cũ eos, quos ab antiquo hoste docẽdo eripere potuit, societati illorũ, qui in fide præcesſere, cõciliat. Dat & ancillis cibaria, cũ humiles quoq. & debito timore sua iussa seruãtes, ne pio labore lasseſsãt, superną mercedis cõmemoratione reficit.

De nocte surrexit, cum ad operandum se post quietem præparauit: & ideo apte dicitur, quod lucerna sanctæ Ecclesiæ non extinguatur in nocte, quia & cum a negotio quiescit actionis, vacat liberius luci supernæ contemplationis; cumque a publicis cessat operibus, curat se ardentius, vel auditui sanctæ lectionis, vel laudibus mancipare diuinis, iuxta exemplum mulieris industriæ, quæ non solum interdiu necessarijs solet instare laboribus, sed & nocte sæpius accenso lumine, parilem rei familiaris agere curam.

3 AMBROSIVS in enarratione illius loci: Maria optimam partem elegit, quæ nō auferetur ab ea, dicit. Agat te sicut Mariam desiderium sapientiæ: hoc enim maius, hoc perfectius opus: nec ministerij cura a cognitione verbi cælestis auertat: nec arguas eos, & otiosos iudices, quos videas studere sapiētiæ: hanc enim sibi cohabitantem Salomon ille pacificus asciuit. Nec Martha tamen in bono ministerio reprehenditur, sed Maria quod meliorem sibi partē elegerit, antefertur; Iesus enim multis abundat, & multa largitur. Denique Apostoli optimum non putauerunt relinquere Dei verbum, & ministrare mensis, sed vtrūque munus sapientiæ est. Nam & Stephanus plenus sapientia, minister electus est. Vnum enim corpus Ecclesiæ, etsi diuersa membra, alterum altero eget, nam etsi alia principalia, tamen alia necessaria. Sapientia in capite, actus in manibus. Ideo sapiēris oculi in capite eius, quia ille vere sapit, cuius animus in Christo est, & cuius interior oculus erigitur ad superna.

4 AVGVSTINVS docens, quod Deus sanctificauit diem septimum, eum videlicet, in quo requieuit, non eos, in quibus cōdidit mundum, ait. Deus, nec cum creauit, defessus est, nec cum cessauit, refectus est, sed nos voluit per Scripturam suam ad quietis exhortari desiderium, intimando nobis eum diem se sanctificasse, in quo quieuit ab omnibus operibus suis. Nam nusquā omnium sex dierum, quibus creata sunt omnia, legitur aliquid sanctificasse, sed diem istum, in quo requieuit ab omnibus operibus, quæ fecit, sanctificauit, tamquam & apud ipsum, qui nihil in opere suo laborat, plus quies, quàm operatio valeat. Hoc quidem in hominibus Euangelium nobis intimam præferens Mariam sedentem ad pedes Domini, Marthæ, quæ satagebat circa frequens ministerium.

5 IDEM in expositione tituli huius psalmi, qui est, In finem, Psalmus ipsi Dauid, ecstasis, dicit. Ecstasis verbum Græcum est, Latine excessum significās. In excessu vero mentis duo intelliguntur, aut pauor, aut intentio ad superna, ita vt quodammodo de memoria labantur inferiora. In hac ecstasi fuerunt omnes sancti, quibus arcana Dei mundum istum excedentia reuelata sunt. De hoc mentis excessu, idest ecstasi Paulus, cū loqueretur seipsum insinuās, ait. Siue enim mente excessimus Deo, siue tē-

Lib. 7. in c. 10. Luc. to. 5

Act. 6.

1. Cor. 12.

Eccls. 2.

Libro 4. de Genesi ad litt. to. 3.

Lucæ 10.

Cōcione 1. in Psal. 30. to. 8.

2. Cor. 5.

perantes sumus vobis, charitas enim Christi compellit nos: hoc est, si ea tantum agere vellemus, & ea tantum contemplari, quæ mentis excessu intuemur, vobiscum non essemus; sed essemus in supernis tamquam contemptis vobis. Et quando nos ad illa superiora, & interiora infirmo passu sequeremini, nisi rursum compellente nos charitate Christi, qui semetipsum exinaniuit, & consideremus nos esse seruos, & non ingrati ei, a quo accepimus altiora, propter eos, qui infirmi sunt, non contemnamus inferiora, & temperemus nos eis, qui non possunt videre sublimia. Tantus fuit excessus Pauli, quando raptus est ad tertium cælum, & audiuit ineffabilia verba, quæ non licet homini loqui, vt diceret; Siue in corpore, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Et cum talia cōtemplaretur, ad bonum proximorum se accommodans, sobrius erat in illorum bonum.

6 IDEM enarrans verba illa; Sic memor fui tui super stratum meum, &c. vbi legit, Si memoratus sum tui super stratum meum, in diluculis meditabar in te, quia factus est adiutor meus, ait. Stratum suum quietem suam dixit. Quando aliquis quietus est, memor sit Dei, quando aliquis quietus est, non per quietem dissoluatur, & obliuiscatur Deum. Si memor est Dei, quando quietus est, in actionibus suis in Deum meditatur. Diluculō enim dixit actiones, quia omnis homo diluculo incipit aliquid agere. Quid ergo dixit? Si memor fui tui in stratu meo, & in diluculis meditabor in te. Si autem non fui memor in stratu meo contemplationi vacans, nec in diluculo meditabor in te. Qui quando otiosus est, non cogitat Deum, in actionibus suis cogitare Deum potest? Qui autem memor eius est, quando quietus est, in ipso meditatur cum agit, ne in actionibus suis deficiat.

7 IDEM explicans visionem scalæ Iacob, in qua Angeli ascendebant, & descendebant, dicit. Multi sancti ascendunt ad Deum per contemplationem, & descendunt ad nos bonum nobis procurantes. In quadam altitudine cordis habitabat Paulus, cum diceret: Siue enim mente excessimus Deo. Iam quod mente excesserat, Deo excesserat. Excedens enim mēte omnem humanam fragilitatem, omnem sæculi temporalitatem, omnia quæcumque nascendo, & occidendo euanescunt transeuntia, hic habitabat corde in quadam ineffabili contemplatiōne quantum poterat. Etsi semper manere vellet in eo, quod videbat, & loqui non poterat, te non leuaret, vbi & tu posses videre. Quid autem fecit? Descendit. Ideo enim ait: Siue temperantes sumus vobis, id est, sic loquimur, vt capere possitis. In illis scalis ascendentes sunt, & descendentes. Ascendentes sunt, qui proficiunt ad intellectum spiritualium: descendentes, qui quamuis quantum homines possunt, fruantur intelligentia spiritualium, tamen descēdunt ad parvulos, vt talia eis dicant, qualia possunt capere.

In Psal. 62.

In Psl. 119.

Gen. 28.

2. Cor. 5.

GRE-

8 GREGORIVS enarrans locum illum Iob cap. 5. Ingredieris in abundantia sepulchrum, ait. Sepulchri nomine contemplatiua vita significatur, quæ nos quasi ab hoc mūdo mortuos sepelit, dum a terrenis desiderijs susceptos in intimis abscondit. Ab exteriori quippe vita mortui, etiam sepulti per contemplationem fuerant, quibus Paulus dicebat: Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Actiua quoque vita sepulchrum est, quia a prauis nos operibus mortuos tegit; sed contemplatiua perfectius sepelit, quia a cunctis mundi actionibus funditus diuidit. Hinc est, quòd Abraham mortuam coniugem in sepulchro duplici sepeliuit, quia homo extinctam a præsentis vitæ desiderijs animam suam, sub bonæ operationis tegmine, & contemplationis abscondit, vt a carnali concupiscentia sub actiua contemplatiuaque vita, quasi insensibilis lateat, quæ prius mundi desideria sentiens mortaliter viuebat. Hinc est, quòd humani generis Redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & ad orationis studium in monte pernoctat. Vt perfectis prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus operationis nimietate contemnant, sed quieti contemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant: speculando quippe in Dei amorem surgitur, sed prædicando, ad proximi vtilitatem redditur. Sed inter hæc magnopere sciendum est, quia valde inter se diuersæ sunt complexiones animorum. Nonnulli namque hominum ita otiosæ mentis sunt, vt si eos labor occupationis excipiat, in ipsa operis inchoatione succumbant; & nonnulli ita inquieti sunt, vt si vacationem laboris habuerint, grauius laborent, quia tanto deteriores cordis tumultus tolerant, quanto eis licentius ad cogitationes vacat. Vnde necesse est, vt nec quieta mens ad exercitationem se immoderati operis dilatet, nec inquieta ad studium contemplationis angustet. Sæpe enim, qui contemplari Deum quieti poterant, occupationibus pressi ceciderunt; & sæpe, qui occupati bene humanis vsibus viuerent, gladio suæ quietis extincti sunt. Hinc Dominus in Euangelio Matthæi dicit: Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Bonum est tibi vnum oculum habentem in vitā intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Duæ vitæ actiua, & contemplatiua, cum conseruantur in mente, quasi duo oculi habentur in facie. Dexter namque oculus vita contemplatiua est, sinister actiua. Sed sunt nonnulli, qui discrete intueri summa, & spiritualia nequaquam possunt, & tamen alta contemplationis assumunt, & ideo perfidiæ errore delabuntur. Hos contemplatiua vita vltra vires assumpta cadere facit, quos in statu suæ rectitudinis humiliter poterat sola actiua custodire. His dicitur: Bonum est tibi cum vno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennā ignis. ac si aperte diceret: Cum ad contemplatiuam vitam idonea discretione non sufficis, solam securius actiuam tene: cumque in hoc, quod pro magno eligis, deficis, eo contentus esto, quod pro minimo attendis. Rursus nisi quibusdam mentibus contemplatiua vita potius quàm actiua congrueret, nequaquam per Psalmistam Dominus diceret: Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus. Vir perfectus in abundantia sepulchrum ingreditur, quia prius actiuæ vitæ opera congregat, & postmodum carnis sensum per contemplationem mortuū huic mundo funditus occultat. Is, quem legio dæmonum Domino iubente dereliquit, ad Saluatoris sui pedes residet, verba doctrinæ percipit, & de regione sua simul discedere cum salutis auctore concupiscit, cui Dominus dicit: Reuertere primum in domum tuā, & narra quanta tibi fecerit Deus. Cum enim quamlibet parum de diuina cognitione percipimus, redire ad humana iam nolumus, & proximorum necessitatibus onerari recusamus, quietem contemplationis quærimus, nihilque aliud, nisi hoc, quod sine labore reficit animum, amamus. Sed sanatos nos veritas ad domum mittit, narrare, quæ nobiscum acta sunt, præcipit, vt videlicet mens prius desudet in opere, & postmodum refici debeat per contemplationem.

Lib. 6. Mor. c. 17. to. 2.

Coloss. 3.

Gen. 23.

Matt. 18.

9 IDEM addit. Hinc est, quòd Iacob pro Rachel seruiuit, & Liam accepit, eique dicitur: Non est consuetudinis in terra nostra, vt minores ante tradamus ad nuptias, quàm maiores. Rachel visus, Lia autem laboriosa dicitur. Et quid per Rachelem, nisi contemplatiua, quid per Liam, nisi actiua vita signatur? Vnde & Rachel pulchra, sed sterilis, Lia autem lippa est, sed fœcunda, quia nimirum mens cum contemplando otia appetit, plus videt, sed minus Deo filios generat, cum vero ad laborem prædicationis se dirigit, minus videt, sed amplius parit. Post Liæ ergo amplexus ad Rachelem Iacob peruenit, quia perfectus quisque ante actiuæ vitæ ad fœcunditatem iungitur, & post contemplatiuæ ad requiem copulatur. Quia enim contemplatiua vita minor quidem tempore, sed merito maior est quàm actiua, duæ mulieres in Euangelio significant, quarum Maria otium contemplationis amans optimam partem elegit: sed Marthæ cura, in qua actiua vita significatur, non reprehenditur: Mariæ vero etiam laudatur, quia magna sunt actiuæ vitæ merita, sed contemplatiuæ potiora. Vnde nec auferri vmquam Mariæ pars dicitur, quia actiuæ vitæ opera cum corpore transeunt, contemplatiuæ autem gaudia melius ex fine cōualescunt. Quod bene, ac breuiter Ezechiel propheta exprimit, cum volantia animalia contemplatus, ait: Et similitudo manus hominis subtus pennas eorū erat. Quid enim per pennas animalium, nisi contemplationes possumus sen-

In c. 18. eiusdem libri. Gen. 29.

Lucæ 10.

Ezec. 1.

tire sanctorum, quibus ad summa transuolant, & terrena deserentes sese in cælestibus librãt? Quid per manus, nisi operationes accipimus? Quia cum in proximi amore se dilatant, bona, quæ præualent, etiam corporaliter administrant. Sed manus eorum sub pennis sunt, quia actionis suæ opera virtute contemplationis vincunt.

12 IDEM enarrans locum illum Iob cap. 38. Lib. 30. Moral. cap. 2. Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus? inquit. Fulgura ex nubibus exeũt, cum mira opera ex sanctis prædicatoribus ostenduntur: qui idcirco nubes vocari solent, quia & coruscant miraculis, & verbis pluunt. Et quia humana corda postquã per prædicationem mota non fuerint, istis miraculorum fulgoribus conturbantur, propheta attestante didicimus. Vnde scriptum est: In lumine iacula tua ibunt, in splendore fulgoris armorũ tuorum. Iacula Dei in lumine ire, est verba eius aperta veritate resonare. Sed quia sæpe homines verba vitæ etiam intellecta despiciunt, adiunguntur etiam miracula: vnde illic subdit, In splendore fulgoris armorũ tuorum. Fulgor quippe armorum est claritas miraculorum: arma cum iaculis sunt miracula cum prædicationibus. Dicitur ergo ad Iob: Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus? Vadunt fulgura, cum prędicatores miraculis coruscant, & auditorũ corda trãsfigunt. Reuertentia vero dicunt, adsumus, cum non sibi, sed Dei viribus tribuunt quidquid se fortiter egisse cognoscunt. Aliter fulgura sancti viri mittuntur, & eunt, cum a secreto contemplationis in publicum operationis exeunt. Mittuntur, & vadunt, cum de abscondito speculationis intimæ in actiuæ vitæ latitudinem diffunduntur. Sed reuertentes dicunt Deo, adsumus, quia post opera exteriora, quę peragunt, semper ad finum contemplationis recurrunt, vt illic ardoris sui flammam reficiant, & quasi ex tactu supernæ claritatis ignescant. Citius enim inter ipsa licet bona exteriora opera frigescerent, nisi intentione sollicita ad cõtemplationis ignem incessanter redirent. Vnde bene per Salomonem dicitur:

13 *Eccls. 1.* Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant. Ipsi quippe illic flumina, qui hic fulgura sunt vocati. Quia enim corda audientium rigant dicuntur flumina, quia vero accendunt, fulgura vocantur. Ad locum ergo, de quo exeunt flumina, reuertuntur; quia sancti viri, etsi a conspectu Creatoris sui, cuius claritatem mente conspicere conantur, foras propter nos ad actiuæ vitæ ministerium veniunt, incessanter tamen ad sanctum contemplationis studium recurrunt, etsi in prædicatione sua exterius nostris auribus per corporalia verba se fundant, mente tamen tacita ad considerandum semper ipsum fontem luminis reuertuntur; de quibus & bene dicitur, vt iterum fluant. Nisi enim ad cõtemplandum Deũ sollicita semper mente recurrerent, nimirum interna cæcitas etiam exteriora prædicationis eorum verba siccaret, sed dum videre Deum indesinenter sitiunt, quasi decursura foras flumina, intus semper oriuntur, quatenus illic amando sumant, vnde ad nos prædicando defluant. Dicatur ergo recte, Numquid mittes fulgura, & ibunt, & reuertentia dicent tibi, adsumus: subaudis, vt ego, qui prædicatores meos cum voluero post cõtemplationis gratiam ad actiuæ vitæ ministerium cõpono, quos tamen semper a bonis exterioribus ad internum culmen prædicationis reuoco, vt modo inssi, ad exercenda opera exeant, modo reuocati ad speculationis studium apud me familiarius viuant. Reuertentes itaq; dicunt, adsumus, quia quamuis per exteriora acta parum quid contemplationi deesse videantur, per ardorem tamen desiderij, quem in mente sua continue accendunt, obsequentes Deo suam præsentiam ostendunt. Adsumus namq; dicere, est se præsentes amando monstrare.

14 IDEM exponens illa verba; Manus homi- Homil. 3. in c. 1. Ezech. to. 2. nis sub pennis eorum, inquit. Quid per manus nisi actiua vita, & quid per pennas, nisi contemplatiua vita signatur? Manus ergo hominis sub pennis eorum est, ideſt virtus operis sub volatu contemplationis. Si per actiuam vitam boni aliquid agimus, ad cæleste tamen desiderium per contemplatiuã volamus. Vnde & apud Moysen actiua seruitus, contemplatiua autem libertas vocatur. Vnde ad Moysen dicitur: Si emeris seruum Hebræum sex annis seruiet tibi, in septimo egredietur liber gratis. Cum quali veste intrauit, cũ tali exeat. Si habens vxorem, & vxor egrediatur simul. Quod si dixerit seruus; Diligo dominum meũ, & vxorem, ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus dijs, & applicabitur ad ostium, & postes, perforabitq; aurem eius subula, & erit ei seruus in sæculum. Seruus Hebræus emitur (Hebræus enim transiens interpretatur) quando vnusquisque, qui iam ab hoc sæculo mente transit, seruitio omnipotentis Domini subditur. Ille enim vere Deo seruire appetit, qui ab hoc sæculo mente transire didicerit. Seruus vero Hebræus emptus, sex annis seruire præcipitur, ita vt in septimo liber exeat gratis. Quid enim per senarium numerum, nisi actiuæ vitæ perfectio designatur? Quid per septenarium, nisi contemplatiua exprimitur? Sex ergo annis seruit, & septimo egreditur liber, quia per actiuam vitam, quam perfecte exhibuerit, ad contemplatiuæ vitæ libertatem transit. Si habens vxorem emptus est, & vxor egrediatur simul. Cum eo enim ad libertatem vxor egreditur, quando is, qui ad contemplationem peruenit, etiam foris actionem boni operis, qua prodesse possit alijs, non relinquit. Vxorem quoque amans ac liberos egredi recusat, quando actiuam vitam, eiusq. fructus diligens, transire ad contemplatiuam non vult: quia bona se opera habere in ministerij sui seruitute considerans, ad libertatis quietem recusat secedere. In sæculo seruus est, qui per actiuam vitam seruire hominibus

Exo. 21.

dispositi,

dispositi, vt post præsens sæculum ad libertatem veram valeat peruenire. Erit seruus in sæculo, vt esse post sæculum liber possit. De qua per Paulum dicitur: Quia & ipsa creatura liberabitur a seruitute corruptionis in libertatem gloriæ filiorum Dei.

Rom. 8.

15 IDEM enarrans verba illa; Et animalia Homil. 5. in 6. Ezech. ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis, sic habet. Cum superius dictum sit, non reuertebantur, cum ambularent, qua ratione nunc dicitur, Animalia ibant, & reuertebantur? valde enim hæc sibi videntur contraria. Sed qualiter intelligendum sit, citius, agnoscimus, si duas vitas actiuam, & contemplatiuã sollicite discernamus. In vna enim fixi permanere possumus; in altera autem intenta mente manere nullo modo valemus. Cum enim torporem nostrum relinquimus, nosq. ipsos ad bonę operationis studium excitamus; quo alibi nisi ad actiuam imus, a qua reuerti post nos nullo modo debemus; quia qui post illam ad torporem negligentiæ, & ad prauitatis nequitias, quas reliquerat, reddit, esse sine dubio cæleste animal nescit. Cum vero ab actiua vita, ad contemplatiuam surgimus, quia diu mens stare in contemplatione non valet, necesse est, vt ad actiuam redeat, seq. ipsum continue in vsu bonæ operationis exerceat, vt cum mens surgere ad contemplanda cælestia non valet, quæque potest bona agere, non recuset. Sicq. fit, vt ipsis suis bonis actibus, ad superiora rursus in contemplationem surgat, & amoris pastum de pabulo contemplatæ veritatis accipiat. In qua quia diu se tenere ipsa corruptionis infirmitas non potest, ad bona rursus opera rediens, suauitatis Dei memoria pascitur, & foris pijs actibus, intus vero sanctis desiderijs nutritur. Hinc etenim de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicitur: Memoriam suauitatis tuæ eructabunt. Ostensa ergo animalia, vadunt, & non reuertuntur, atq; vadunt, & redeunt, quia sancti viri ab actiua vita, quam apprehenderunt, ad iniquitates non corruunt, & a contemplatiua, quam tenere iugiter non possunt, in actiuam relabuntur.

Psal. 144.

16 IDEM enarrans locum illum; Affligebat Lib. 1. in c. 1. lib. 1. Reg. c. 1. Annam æmula sua, & vehementer angebat, in tantum, vt exprobraret ei, quod conclusisset Dominus vuluam eius, inquit. Velut in pace vtramque vxorem possidet, qui nec tempora operis contemplationi deputat, nec contemplationis otia per intentionem operis inquietat. Ab æmula autem Anna affligitur, cum immoderata intentio boni operis turbat quietem internæ visionis. Affligitur cũ ei illa præponitur, quæ esse ignobilior cõprobatur; & vehementer angitur, quia electæ mentis contemplatio angustatur, dum is, qui in contemplatione sublimium esse desiderat, sese in actiuæ vitæ operibus immoderatius dilatat. Mentis quippe visio stringitur, cum impedita occupationibus operum, in illa internæ lucis immensitate nequaquam dilatatur. Et quia hanc vehementer angere dicitur, notandum est, quia etiam boni operis immoderata sollicitudo contemplationi non parum nocet. Phennena quippe Annam vehementer angit, quia mens, dum actiuæ vitæ immoderatæ impẽditur, valde difficile est, vt cum ad disponenda terrena se occupat, in visione cælestium potenter surgat. Cui etiam velut sterili Phennena exprobrat, quia dum ex actiua vita bonorum operum fructus cito proferimus, & ad internæ contemplationis gaudia facile pertingere non valemus. Sterilis ista cernitur, dum rudes de eius fœcunditate desperamus. Dum ergo pro fœcũditate Phennenam diligimus, Anna affligitur, angitur, & sterilitatis opprobrio notatur, quia dum bonarum actionum sollicitudinem non ea, qua debemus, discretione restringimus, puritatem contemplationis tanto nobis difficiliorem reddimus, quanto nobiliorem vitam excellenti studio nequaquam retinemus. Porro Anna flebat, & non capiebat cibum. In fletu quippe ardens desiderium diuinæ contemplationis ostenditur. cibum autem fastidiebat, sicut qui dicebat: Renuit consolari anima mea, quia cibum solatij capere de oblectamento rerum conditarum dedignatur. Sed quia epulas deliciarum suarum in Deo inuenit, ait: Memor fui Dei, & delectatus sum.

Psal. 76.

Psal. 42.

17 BERNARDVS enarrans verba illa; Sicut pullus hirundinis, sic clamabo, meditabor, vt columba, dicit. Sicut pullus hirundinis hac, illacq. discurrens, Marthæ me officijs mancipabo, hilarem datorem me exhibens omni necessitatẽ patienti; & meditabor, vt colũba, gemendo vtique, quod obstat, dum quod restat, intueor. Hoc autem faciam mane, & vespere. Quod significare Iob puto, vbi ait: Si dormiero dico, quando consurgam? Et rursum expectabo vesperam. Quiescens quippe in vespera contemplationis, mane desiderabat, quo surgeret ad actionem, rursumq. negotijs fatigatus, expectabat vesperam, libenter repetens otia contemplationis. Attenuati sunt oculi mei suspicientes in excelso per contemplationem, ideſt, subtiles facti pro assiduitate suspiciendi in excelso, videlicet sublimia, atque excelsa contemplandi, siue intelligatur attenuati, ideſt, reuerberati, & a suo quodammodo acumine imminuti, iuxta illud: Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.

Serm. de cãtico Ezech. regis.

Iob 7.

18 IDEM edisserẽs locum illum; Murenulas Serm. 41. in Cantica. aureas faciemus tibi vermiculatas argento, dicit. Vide quomodo sponsa aliud cupit, & aliud accipit; & nitenti ad contemplationis quietem labor prædicationis imponitur, & sitienti sponsi præsentiam filiorum sponsi pariendorum, alendorumq. sollicitudo iniungitur. Neque nunc tantum accidit illi hoc, sed & alia vice cum sponsa amplexus, & osculatus suspiraret, responsum est ei: Quia meliora sunt vbera tua vino; vt ex hoc se intelligeret matrem, atque ad dandum lac paruulis, nutriendumq. filios reuocari. Res ita quondam in sancto Iacob

Gen. 29. cob præfigurabatur, tum frustratus optatis, diuq. expectatis Rachelis amplexibus, pro sterili & decora fœcundam & lippam inuitus atque ignarus accepit. Ita ergo nunc sponsa scire cupiens, & inquirens, vbi meridianis horis dilectus pascat & cubet, murenulas pro eo reportat aureas vermiculatas argento: ideſt, sapientiam cum eloquentia, haud dubium, quin ad prædicationis opus. Docemur ex hoc sane intermittenda plerumque dulcia oscula propter lactentia vbera, nec quemquam sibi, sed omnes illi, qui mortuus est pro omnibus, esse viuendum. Væ eis, de quibus dici potest: Dedi eis aurum meum, & argentum meum, ipsi autem de argento, & auro meo operati sunt Baal, non bene vtentes donis Dei ad lucrum animarum.

Voluntas propria abijcienda est, vtpote quæ multorum malorum fons est, diuinæq. accommodanda.

Cap. XIX.

1 Lib. de Trinitate, & vnitate Dei. to. 4. Ioan. 6. AVGVSTINVS dicit. Iudicium Christi iustum est, quia non quærit volutatem suam, sed voluntatem eius, qui misit illum. Hoc dicens, ad illum hominẽ Adam voluit referre intentionem nostram, qui voluntatem suam quærendo, non eius a quo factus est, non habuit iustum iudicium de seipso; sed iustum iudicium habitum est de ipso, quando expulsus est de paradiso, & condemnatus, & subditus miserijs multis. Ipse quippe homo perficiens voluntatem suam, nõ Dei, moriturum se esse non credidit, sed hoc iudicium eius non iustum fuit.

2 Enarratione 2. in Psal. 31. to. 8. IDEM edisserens illa verba; Gloriamini omnes recti corde, ait. Duæ voluntates sunt, Dei, & tua. sed voluntas tua corrigatur ad voluntatem Dei, non voluntas Dei detorqueatur ad tuam. Praua est enim tua, regula est illa. Stet regula, & quod prauum est, ad regulã corrigatur. Ostendens Christus Dominus voluntatem humanam, clamat: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Sed vide rectum cor: Verumtamen nõ quod ego volo, sed quod tu vis Pater. Si in te surripit humanæ cuiusdam voluntatis fragilitas, cito dirigatur in Deum, vt sis in eis, quibus dicitur; Gloriamini omnes recti corde, ideſt, qui voluntatem vestram curuam, & distortam rectitudini diuinæ voluntatis accommodatis.

3 In Psal. 32. IDEM in enarratione loci illius; Rectos decet collaudatio, inquit. Recti sunt, qui dirigunt cor secundum voluntatem Dei, & si eos conturbat humana fragilitas, diuina consolatur æquitas. Quamuis autem corde mortali priuatim aliquid velint, quod suæ interim causæ, vel negotio, vel præsenti necessitati conueniat: vbi intellexerint, & cognouerint aliud Deum velle, præponunt voluntatem melioris, voluntati suæ, & voluntatem omnipotentis voluntati infirmi, & voluntatem Dei voluntati hominis. Quantum enim Deus distat ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Conceditur humanæ fragilitati, cõceditur humanæ infirmitati aliquid proprium velle, sed subiuga te, corrigens voluntatem tuam, diuinæq. subijciens. Si hoc feceris, eris rectus, & te decet laudatio: si autem curuus fueris, laudas Deum, quando tibi bene est, & blasphemas, quando tibi male est. Rectus est, cui nihil displicet ex his, quæ fecerit Deus, propriam voluntatem respuit, & in omnibus diuinam sequitur.

4 In Psal. 48. IDEM sic exorditur. Omnia diuina eloquia salubria sunt bene intelligentibus, periculosa autem his, qui ea volunt ad sui cordis peruersitatem detorquere, potius quàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Hoc est enim in hominibus magna, & vsitata peruersitas, quia cum debeant viuere ipsi secundum voluntatem, Deum volunt viuere secundum voluntatem suam: & cum ipsi nolunt corrigi, illum volunt deprauari, rectum non arbitrantes, quod ille vult, sed quod ipsi volunt.

5 Serm. 1. in conuersione S. Pauli. Act. 9. Psal. 56. Psal. 118. BERNARDVS enarrãs verba illa; Domine, quid me vis facere? ait. Hæc fratres perfectæ conuersionis est forma. Paratum, inquit, cor meum Deus, paratum cor meum. Paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Domine quid me vis facere? O breue verbum, sed plenum, sed viuum, sed efficax, sed dignum omni acceptione. Quàm pauci inueniuntur, qui suam ita abiecerint voluntatẽ, vt ne ipsum quidem cor proprium habeant, vt non quid ipsi, sed quid Dominus velit omni hora requirant, dicentes sine intermissione: Domine quid me vis facere? Et illud Samuelis: Loquere Domine, quia audit seruus tuus. 1. Reg. 3. Heu plures habemus Euangelici illius cæci, quam noui Apostoli imitatores. Quid vis, ait Matt. 10. Dominus ad cæcum illum, vt faciam tibi? Vere cæcus ille, qui non considerauit, non expauit, non exclamauit: Absit hoc Domine, tu magis dic, quid me facere velis? Sic enim decet, sic omnino dignum est, non meam a te, sed a me tuam quæri, & fieri voluntatem. Discernunt, & diiudicant eligentes, in quibus obediant imperanti, immo in quibus præceptorem suum ipsorum obedire necesse sit voluntati. Quos imitari non debemus, sed Apostolum, qui primam perfectæ conuersionis formam nos docens, ait: Domine, quid me vis facere?

6 Serm. 3. resurrectionis IDEM inquit. Duplex est lepra, propria voluntas, & proprium consilium. Lepra vtique nimis pessima, eoq. perniciosior, quo magis interior, voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo, & hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, nõ ad vtilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, nõ intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere pro-

Monachorum princeps Ioannes fuit vitam hanc honorãs. lib. 9. c. 6. num. 8.
Verbo Religiosus.
Mors amici moderate sentienda est, ac flenda. lib. 1. cap. 11. num. 7.
Post Mortem tarde euigilabunt mali. libro 1. cap. 17. num. 22.
In Morte, & in iudicio sors iustorum, & iniquorum mutanda est. lib. 2. cap. 16. nu. 22. & 13.
Mortis immaturæ nullus potest conquæri, cum post peccatum omnis vitæ nostræ dies illi sit obnoxius. lib. 18. cap. 17. num. 13.
Mors Christi morte victa vires amisit. lib 3. cap. 10. num. 18.
In Morte exemplo Christi in manus Patris se commendat homo, quando diuinam impleuit voluntatem, dum vixit. lib. 3. c. 10. nu. 85. & 86.
Mors vbique homines expectat, & ideo sapiens vbique eam debet expectare. lib. 3. cap. 19. nu. 13.
Mortem filiorum pacienter ferant parentes. lib. 4. cap. 11 nu. 1. 7. 8. 10. 11. 30. vsque ad 33. 36. 37. & 50. lib. 6. cap. 7. nu. 1. 3. vsque ad. 7.
Mortis dies maledicenda non est. quia melior est die natiuitatis. lib. 4. c. 1. num. 2. 4. & 79.
Mortis diem celebrãt Christiani in exequijs defunctorum. lib. 4. c. 1. nu. 3. 4. & 9.
Mors iustorum in noua lege non lachrymis, sed gaudijs celebranda est. lib. 4. c. 1. nu. 4. 5. 9. 10. 15. 16. 22. 34. 38. 39. 49. 70. 74. & 79. lib. 11. c. 9. nu. 10.
Mortem suorum moderate ferebant gentiles in confusionem nostram. lib. 4. c. 1. nu. 7. 22. 25. 26. 37. 75. & 76. lib. 6. cap. 7. nu. 3. lib. 11. c. 9. nu. 5.
Mors peccatorum flenda est. lib. 4. c. 1. nu. 8. 9. 18. 22. 45. 46. 59. 60. 70. & 82. lib. 11. c. 9. nu. 2. & 28.
In Morte propinquorum id faciat Deus, quod tempus efficiet. lib. 4. c. 1. nu. 10. & 76.
In Morte filij Deo gratias agere, hominem facit similem Abrahæ. lib. 4. cap. 1. nu. 12.
In Morte eorum, quos diligimus, quæ nos debent consolari. lib. 4. cap. 1. nu. 12. vsque ad 15. 19. 20. 22. vsq; ad 28. 30. vsque ad 33. 35. vsque ad 37. 48. vsque ad 50. 69. vsque ad 78. 80. lib. 6. cap. 7. nu. 3. vsque ad 8. lib. 9. cap. 15. nu. 14. lib. 11. c. 9. nu. 4. 5. & 6.
Mortuo Christo Mors timenda non est. lib. 4. cap. 1. n. 15. 25. vsque ad 27. 49. & 57. lib. 11. c. 9. nu. 3. 4. & 27.
Mors somnus est, vnde moderate mortui lugendi sunt. lib. 4. cap. 1. num. 19. 35. 36. 58. 59. & 75. lib. 11. cap. 9. num. 4.
Mortem suorum tam acriter flent homines quia eos plusquam Deum diligunt. lib. 4. cap. 1. num. 19. 20. 32. & 33.
Mortes filiorum, & coniugum tam frequentes sunt, quia eos immoderate diligimus. lib. 4. cap. 1 nu. 19. & 20.
In Mortibus virorum. & vxorum frinolis rationibus ducuntur homines ad flendum nimis. lib. 4 c. 1. nu. 19. 20. 36. & 37 lib. 6. cap. 7. nu. 3. lib 11. c. 9. nu. 5. 6.
Mors iustorum flenda, quia tales homines sæculo desunt. lib. 4. cap. 1. nu. 26. 61. vsque ad 65. & 68.
In Morte immatura filiarum quæ debent consolari parentes. lib. 4. cap. 1. nu. 30. 32. 33. 50. 66. & 67. lib. 6. c. 7. nu. 1. lib. 11. c. 9. nu. 5. & 6.
A Mortis pœnam quamlæti exibant sancti. lib. 4. c. 1. n. 38. 39. 57. vsque ad 60. & 64. lib. 11. c. 9. nu. 9. & 10.
In Morte sollicitudo ingens dæmonum, vt homines peruertant. lib. 4. cap. 1. nu. 42. 59. & 60.
Mors timenda non est, cui bona vita præcessit. lib. 4. c. 1. nu. 43. 52. 58. 59. 66. & 67. lib. 11. cap. 9. nu. 17. vsque ad 19.
Mortem amici, idest, consanguinei flere vitat nullus, dum debitus ordo seruetur. lib. 4. c. 1. nu. 44. 48. 51. 61. vsque ad 65. 69. & 77. lib. 6. c. 7. nu. 1.
In Morte cum filijs heredes sint etiam pauperes. lib. 4. c. 1. nu. 45. & 46.
Mortis dies semper in memoria sit. lib. 4. c. 1. nu. 47. 54. vsque ad 56. 59. & 60. lib. 11. cap. 10. nu. 9. 13. vsque ad 15. & 17.
Morte mala non perit, qui misericors est in fratres. lib. 4. cap. 1. nu. 52.
In Morte multa sunt, quæ terrere nos debent. lib. 4. c. 1. nu. 47. 59. & 60. lib. 11. cap. 9. nu. 11. 12. & 26.
Mors, qua anima separatur a corpore, vmbra est mortis. vera autem, qua anima separatur a Deo. lib. 4. c. 1. nu. 57. lib. 11. c. 9. nu. 27.
In Morte studiosus iuuenis consummatus in breui expleuit tempora multa. lib. 4. c. 1. nu. 66. & 67.
In Morte pœna æterna punitur malus, quia consummatus in breui expleuit tempora multa. lib. 4. cap. 1. nu. 67.
Mortes immature piorum principum merito sunt flendæ. lib. 4 c. 1. nu. 68.
Mortem incertam voluit esse Deus, vt virtutem amplectamur semper. lib. 4. c. 8. nu. 2.
Mors sanctorum malorum imminentium primum inditiũ. est. lib. 5. cap. 8. nu. 15.
Mortis diem frementes quærunt dæmones ad vorandos impios. lib. 9. cap. 9. nu. 28.
Mortis dies dicitur dies Domini, quia quod in iudicio futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur. lib. 9. c. 9. nu. 34. & 40.
Mors quibusdam est in pacientia, alijs in desiderio, & vita in pacientia. lib. 9. cap. 9. nu. 61.
Mortem ægre non ferat, qui peregrinus est, dum viuit. lib. 9. c. 14. nu. 12.
Mors propria taliter contemnebatur, & optabatur a sanctis, quod & timebatur; aliena autem flenda, maxime impiorum. lib. 11. cap. 9 per totum.
Mortem alacri animo suscipiebant philosophi. lib. 11. cap. 9. num. 1.
Morte non terrebantur sancti, sed gaudebant. lib. 11. c. 9. nu. 1. 3. 13. vsque ad 15.
Mors iustorum infelix dicenda non est extra patriam, lectumq.

lectum q. & c. moriens, sed impij, vt cumq. illi accidat. lib. 11. c. 9. nu. 2.
In Morte suorum consolabantur gentiles, multo magis nos tenemur, cum maiora, & potiora sint, quæ nos debeant consolari. lib. 11. cap. 9 num. 4.
Mors dulcis esse debet, cum finis omnium laborum suauis sit. lib 11. cap 9. nu. 7. 13. vsque ad 16. & 19.
Mors regi terribilis est, eademq. philosopho minime molesta. lib. 11. c. 9. nu. 8.
Morti, & funeri sanctorum debita humanitas exhibenda est. lib 11. c. 9. nu. 10. & 11.
Mortem flebat Ezechias tam acriter, videns promissionem factam de Christo perire, dum filijs ille careret. lib. 11. cap. 9. nu. 12.
In Morte bona opera ad memoriam reuocanda sunt, ne homo desperet. lib. 11. c. 9. nu. 12.
Mors alia est peccati, illa mystica, qua quis moritur peccato, alia naturalis. lib. 11. cap 9 num. 14. vsque ad 16.
Mors alacriter suscipienda est, in qua a tot miserijs absoluuntur homines. lib. 11. c 9 nu. 14. & 15.
Mortem optabant sancti, quia vinculis carnis absoluti fiebant perfecta Christi hostia. lib. 11. cap. 9. num. 16. 17. & 19.
Mors in mundum intrauit, vt cessaret culpa, & non est vita diuturnior, ne sit culpa numerosior. lib. 11. cap. 9. num. 18.
Mors terribilis non est, sed eius opinio, quam quis pro suo interpretatur affectu. lib. 11. cap. 9. nu. 19.
Mortem quare malam arbitrantur peccatores. lib. 11. cap. 9. nu. 19.
Mors bona dicenda est, cum corpus inimicum nobis iaceat, anima autem ad Deum euolet. lib. 11. cap. 9. num. 20.
Mortem naturaliter refugiunt & bruta, & homines. lib. 11. c. 9. nu. 21. & 24.
Mors desideranda est, cum passiones, & vitia tanta insurgant in homines. lib. 11. c 9. nu. 23.
Mortem optabant sancti, quia caro carcer illis erat. lib. 11. c. 9 nu. 25. lib. 18. c. 16. nu. 6.
Mors quasi interitus calcat super impios, quia morientes potestati dæmonum traduntur. lib. 11. cap. 9. num. 28.
Mortis consideratio, & quod breuiter secutura sit, multas habet vtilitates, qua appropinquante, Dei misericordia consideranda est. lib. 11. cap. 10. per totum.
Mortis dies cum incertus sit, quiuis vltimus credendus est. lib. 11. c. 10. nu. 1. & 2.
Mortis diem incertum esse voluit Deus, ne imparati simus. lib. 11. cap. 10. nu. 2. 3. & 11.
Mortis certus dies si presciretur, nihil non auderent homines. lib. 11. c. 10. nu. 3.
Mortem credere longe ab esse multa causat damna. lib. 11. cap. 10. nu 3. 7. 11. & 17.
Morte appropinquante non peccata, sed Dei bonitatem respicere expedit. lib. 11. c. 10. nu. 8.
Mortis diem dum non considerat homo, in manus hostium traditur. lib. 11. c. 10. n. 9. 11. & 16.
Mortem in breui venturam qui considerat, bene viuit. lib. 11. c. 10. nu. 10. 11. 14. 15. & 17.
Mortem crastinam cogitantes impij, quam stulte dicunt, Comedamus, & bibamus. lib. 11. c. 10. nu. 12.
Mors Christiani Imperatoris flenda multum, rogandumq. vt in successore similes sint mores. lib. 16. c. 6.
num. 12.
Mors filiorum ferenda est, cum hi non pereant, sed seruentur a Deo. lib. 17. c. 2. nu. 14.
Mortis dies incertus est homini, vt semper vigilet, & paratus sit. lib. 18. c. 5. nu. 1. 9. vsque ad 11. 13. 15. 16. & 20.
Mortis dies dum homini tardare videtur, negligenter viuit. lib. 18. c. 5. nu. 3. 10. 11. & 15.
Mortis dies vt fur venit, quando nos dormientes, & imparatos inuadit. lib. 18. c. 5. nu. 7. 10. & 11.
In Morte finientur omnia, de quibus extollebantur mali. lib. 18. c. 10. nu. 22.
In Morte, bonæ vitæ recordatio animam consolatur: est autem acerba delictorum memoria. lib. 18. cap. 11. num. 9.
In Morte laudandi iusti, vbi tantum securi sunt a lapsu. lib. 18. c. 13. nu. 5. c. 16. nu. 16.
Mortuos non lachrymis, sed bonis operibus iuuare debemus. lib. 4. cap. 1. num. 8. 10. 18. 51. vsque ad 53. & 80.
Mortuorum sepulchra considerare optimum est ad virtutem. lib. 4. c. 1. nu. 21. 47. 54. vsque ad 56.
Mortui in cælo, si fieri posset, acriter indignarentur contra eos, qui flent immoderate. libro 4. cap. 1. num. 33.
Mortuos quotidie efferimus manibus, & adhuc mortales esse non credimus. lib. 11. c. 9. nu. 7.
Mori lucrum dicitur, quia lucrum est fugisse deteriora, & ad meliora transisse. lib. 18. c. 16. nu. 13.
Moriuntur mali in dimidio dierum suorum: iusti autem pleni dierum. lib. 11. c. 9. nu. 12.
Mori lucrum est sanctis, viuere autem Christus, quia propter voluntatem eius vitam ferebant. lib. 11. c. 9. num. 15.
Mori nolunt homines, cum tamen nisi per mortem peruenire non possint ad immortalitatem. lib. 11. cap. 9. num. 24.
Morturum se cogitans homo quotidie, facile contemnit omnia. lib. 11. c. 10. nu. 4. 7. 14. 15. & 17.
Mori nos vult Paulus vt viuamus, quia viximus vt moreremur. lib. 11. c. 13. nu. 4.
Mors bona animæ illius est ecstasis, quæ vitam nõ aufert, sed mutat in melius. lib. 11. c. 13. nu. 9.
Mori nolle fidelibus indicium est parum eos profecisse. lib. 11. c. 9. nu. 22.
Mulieres diligere vituperabile non est, cum multæ fuerint viribus sanctiores, est tamen earum societas & virorum cauenda. lib. 11. c. 11. per totum.
Verbo Femina.
Mundani in exordijs persequuntur iustos, si autem in bono perseuerent, laudantur. libro 2. cap. 6. num. 20. & 21.
Mundana anima turbido torrenti comparatur. lib. 3. c. 10. num. 32.
Mundani omnes aureo calice Babylonis potantur, & inebriantur. lib. 5. c. 1. nu. 2. 3. 4.
Mundani homines infeliciter sunt felices. lib. 7. cap. 3. num. 11.
Mundani vitia nominibus virtutum palliant. lib. 11. cap. 14. num. 1.
Mundanis dum quærimus placere vt dominis, veram virtutem relinquimus. lib. 11. c. 14. num. 2. vsque ad 5. c. 15. nu. 25.
Mundanorum iudicia cum sint corrupta, & ridicula, contem-

contemnenda sunt. lib. 11. cap. 14. nu. 4. vsque ad 6. 8. 10. 12. & 14.

Mundanorum iudicium contemnendum est, non tantum, quia corruptum, sed quia statim marcescit. lib. 11. cap. 14. nu. 6. vsque ad 8.

Mundani homines vitia, & virtutes contrarijs nominibus vocant. lib. 11. c. 14. nu. 8.

Mundum istum contemnere debemus, rari autem sunt, qui id faciant. lib. 1. cap. 17. num. 5. & 15. cap. 18. nu. 18. & 27.

Mundi amor animam ad sublimia volare non sinit. lib. 1. c. 17. nu. 15. & 16. c. 18. nu. 25.

Mundus odit iustos, quia huic sæculo non conformantur. lib. 1. c. 18. num. 18. lib. 2. c. 6. num. 20. & 21. lib. 11. cap. 14. nu. 10. & 11. c. 15. nu. 18.

Mundo huic conformantur mali, iusti autem futuro. lib. 1. c. 18. nu. 18.

Mundus iste, & futurus recte in Iacob, & Esau significantur. lib. 18. c. 17. nu. 3.

Mundus iste mari comparatur, multis de causis. lib. 18. c. 17. nu. 4. lib. 5. cap. 3. num. 4. lib. 11. c. 12. num. 19. 20. 32. 33.

Mundus non cognoscit Deum, id est, qui vinculis affectionum vitæ huius solutus non est. lib. 3. c. 18. nu. 3. lib. 11. c. 12. nu. 14.

Mundi strepitus audire non sinit loquentem Deum. lib. 4. c. 27. nu. 6. 8. 10. & 11.

Mundum istum, & mundanos innumeris inuoluit dæmon malis. lib. 4. cap. 33. num. 1. vsque ad 4. cap. 34. num. 1. & 11.

Mundi huius dulcedo ad tempus fauces indulcat, sed in magnam amaritudinem conuertetur. lib. 4. cap. 39. num. 21.

Mundo huic & Deo simul seruire non possumus. lib. 4. c. 42. nu. 10. & 11. lib. 11. cap. 12. nu. 30.

Mundus in fine sæculi nimis destitutus iustis. lib. 5. c. 5. nu. 5. vsque ad 8. & 12.

Mundo vtilissimi sunt iusti, quem ab ira Dei tutantur. lib. 5. 8. nu. 4. vsque ad 7. 9. 13. & 15.

Mundum Deus omnibus copijs honestauit, in probationem hominis, qui futura bona anteponere debet præsentibus. lib. 7. cap. 5. nu. 4.

Mundi odium contemnere debent iusti. lib. 8. c. 9. nu. 1.

Mundus calcandus, vt sibi gradum faciat homo, per quem in sublime conscendat. lib. 9. cap. 1. nu. 26.

Mundus odiendus, vt Deo per amorem viuamus. lib. 9. c. 14. num. 22.

Muudus animo relinquendus, vt Deo probetur homo. lib. 9. c. 22. nu. 19.

Mundi admirabilis dispositio est, in qua potentia, & sapientia Dei manifestatur. lib. 10. cap. 5. num. 3. vsque ad 7.

Mundum, & patriam relinquere expedientissimum est ad virtutem, licet Dei potentia loco non arctetur. lib. 10. c. 9. num. 1.

Mundus iste carcer est iustorum propter aliqua, quæ eos tenent, desideria terrena. lib. 11. cap. 9. nu. 25.

Mundus malus dicitur, & periculosum mare, quod enauigant sancti, qui & relinquendus, & odiendus est. lib. 11. c. 12. per totum.

Mundum, patriam, ac parentes relinquens Abraham, nouum accepit nomen, & circumcisionem. lib. 11. cap. 12. num. 1.

Mundus relinquendus, vt Deo sacrificia offerantur, quæ in Aegypto, si ibi simus animo, ei non placent. lib. 11. c. 12. nu. 2.

A Mundo, & Aegypto recedens iter tridui proficiscatur, vt integer spiritus, anima, & corpus, dicta, cogitata, factaq. mortificentur. lib. 11. cap. 12. nu. 2. & 36.

Mundo qui conformatur tulit de anathemate Hierico, cõtra præceptum Dei. lib. 11. c. 12. nu. 3.

Mundus corruit Iosue, id est, Christo duce, si iam in homine caro, & spiritus consonant. lib. 11. cap. 12. nu. 3.

Mundus vocatur in sacra Scriptura aliquando insyncerissima, innumerisq. mutationibus obnoxia vita. lib. 11. c. 12. num. 4.

Mundus, id est, qui carnali vita deuinctus est, Deum non cognoscit, vt expedit. lib. 11. c. 12. nu. 4. & 14.

Mundum, & communem vitam sequens, non potest abnegare se, tollere crucem, & sequi Christum. lib. 11. c. 12. nu. 5. & 6.

Mundo, & mundanis cohabitans iustus, de virtute sibi blanditur, & non proficit. lib. 11. c. 12. nu. 6.

Mundus propter hominem conditus est, non e contra, vnde illi seruire non debet. lib. 11. c. 12. nu. 7.

Mundi curis detracta mens veritatem cernere vix potest. lib. 11. cap. 12. nu. 13. & 28.

In Mundo degentes maiori egent studio, vt recte viuant, quàm religiosi. lib. 11. c. 12. nu. 15.

Mundum relinquere, est deserere Chaldæos, & Babyloniam. lib. 11. c. 12. nu. 16. 18. & 37.

Mundi huius tentationes qui pertranseunt, mundum dicuntur transire. lib. 11. cap. 12. nu. 19. & 20.

Mundus malus dicitur, id est, ea, quæ in mundo fiunt. lib. 11. c. 12. nu. 21.

Mundus plenus periculis. lib. 4. cap. 2. nu. 2. vsque ad 6. 13. lib. 11. cap. 12. na. 22.

Mundus fugiendus, quod dum curamus, multa nos ad eum trahunt. lib. 11. cap. 12. nu. 22.

Mũdum fugit, qui abstinet a peccatis, & Deum imitatur. lib. 11. cap. 12. nu. 23. & 24.

Mundus fugiendus, vt Deus videatur, idq. qui alas non habet, facere non potest. lib. 11. c. 12. nu. 24.

Mundus velociter fugiendus est, & depredandus, vt Iudæus Aegyptum. lib. 11. c. 12. nu. 25.

Mundus fugiendus, ita vt fuga non fiat hieme, vel sabbato, nec fugiat homo, vt lactantem ferens. lib. 11. cap. 12. num. 25.

Mundi vincula asperitatem habent veram, & iucunditatem falsam, certum dolorem, incertam voluptatem, &c. lib. 11. cap. 12. nu. 26.

Mundo florente olim florere noluerunt iusti, modo autem malos perire, cum pereunte delectãt. lib. 11. c. 12. num. 27.

Mundum diligentes diabolum habent dominum, foras autem eijcitur, cum ex toto corde mundo renunciamus. lib. 11. c. 12. nu. 28.

Mundum volens vincere, castiget corpus suum. lib. 11. c. 12. nu. 28.

Mundus diligendus non est, bene tamen illo vti debemus. lib. 11. c. 12. nu. 29.

Mundo derelinquente homines, assumit eos Deus. lib. 11. c. 12. nu. 31. & 40,

Mundus iste, qui Aegyptus dicitur, relinquendus est ab eo, qui terram promissionis debet accipere. lib. 11. c. 12. nu. 36. & 44. c. 14. nu. 14.

In Mũdo hoc captiui sunt homines, quorũ captiuitas Babylonicæ captiuitatis fuit figurata. lib. 11. c. 12. nu. 37.

Mundi rectores, id est malorum, dicuntur dæmones. lib. 11. cap. 12. nu. 38.

Mundus vocantur illi, qui diligunt mundum. lib. 11. cap. 12. num. 38.

Mundum alij deserunt perfecte, alij imperfecte: qui in Loth, & vxore eius figurantur. lib. 11. cap. 12. nu. 39.

Mundum deserens, retro respicere non debet. lib. 11. cap. 12. num. 39.

Mundus amandus non est, cum eius figura prætereat. lib. 11. cap. 12. nu. 41.

In Mundo inter sæculi turbas pœnitentiam agere difficillimum est. lib. 11. c. 12. nu. 42.

Mundus nunc positus est in maligno, quem dæmones indefesse custodiunt, ne euadat homo. lib. 11. cap. 12. num. 43.

Mundum vt relinquat homo, pallium dimittat custodibus eius. lib. 11. c. 12. nu. 43.

Mundum relinquenti tria occurrunt impedimenta, stimulus cupiditatum, cumulus tentationum, & aculeus molestiarum. lib. 11. c. 12. nu. 44.

Mundo mori expedientissimum ste. lib. 11. c. 13. per totum.

Mundus diligendus non est, cum omne, quod in eo est, concupiscentia carnis sit, &c. lib. 11. cap. 13. nu. 1.

Mundus in Martio conditus est. lib. 3. c. 5. nu. 90.

Mundo, & peccato qui renunciat, habet se vt homo mortuus. lib. 11. c. 13. nu. 1. & 2.

Mundo viuens facit quidquid vult, & quod sensibus placet. lib. 11. c. 13. nu. 2.

Mundus crucifixus est iusto, vt eum non teneat, nec teneatur. lib. 11. cap. 13. nu. 3.

Mundo qui perfecte extincti sunt, in occulto gaudent, & cum diuitibus requiescunt. libro 11. cap. 13. num. 5. & 6.

Mundo, & concupiscentijs eius qui non moritur, iustitiæ viuere non potest, nec multiplicare bona opera. lib. 11. c. 13. num. 7. & 8.

Mundo mori prius debet homo, vt per amorem Deo viuat. lib. 11. c. 3. num. 8.

Mundi ac mundanorum iudicium stultum, & paruipendendum, quibus numquam placuit veritas. lib. 11. cap. 14. per totum.

Mundus odit eos, qui prædicant veritatem. lib. 11. c. 14. num. 13. & 15.

Mundus vniuersus plenus peccatis, ebrietate plenus est. lib. 14. c. 11. nu. 4. 8. & 10.

Mundus fugiendus est, quia est locus malitiæ, & officina impietatis. lib. 11. c. 14. nu. 8.

Mundum relinquens offensiones oculorum suorum abijciat, ne his delectetur, quibus antea delectabatur in sæculo. lib. 14. c. 22. nu. 22.

Mundo mortuus, non est, qui antea erat. lib. 14. cap. 22. num. 34.

Mundum inhabitans, dum in medio laqueorum sedet, maiori cura contra dæmonem debet pugnare. lib. 15. cap. 7. num. 2.

Mundus in exordio felix difficulter relinquebatur amore virtutis, modo senescens, & miserij plenus facile relinquendus est. lib. 18. c. 11. nu. 10.

Murmurationes peccatorum in iustos cessant, cum isti perseuerant in bono. lib. 2. c. 6. nu. 21.

Murmurationes impiorum in iustos illis nocent, istis prosunt. lib. 4. c. 36. nu. 2. lib. 11. cap. 15. nu. 1. 9. 10. 14. 16. vsque ad 18. 20. 21. & 25. c. 16. nu. 1.

Murmarationes arcendæ, maxime tempore ieiuniorum, vt hæc prosint. lib. 9. c. 1. nu. 7.

Murmuratoris lingua gladius est, & lancea, spinæ, & claui, quibus laceratur Christus. lib. 10. c. 8. nu. 20. lib. 11. cap. 16. nu. 7. c. 17. nu. 1.

Murmurationes malorum sic ferant boni, vt innocentiam ostendant suam. lib. 11. c. 15. per totum.

Murmurationibus impiorum respondeant iusti se defendentes. lib. 11. c. 15. nu. 2. vsque ad 7. 12. 24. & 25.

Murmurationes ferunt sancti, sed cruciantur eis. lib. 11. cap. 15. nu. 3. vsque ad 5.

Murmurationibus frustra irascitur, qui dat murmurandi materiam. lib. 11. c. 15. nu. 8.

Murmurationes impiorum exemplo Domini ferendæ sunt. lib. 11. cap. 15. nu. 9. vsque ad 13. 18. & 19. cap. 17. num. 7.

Murmurationes patienter ferat, qui recordatur sæpe alijs detraxisse. lib. 11. c. 15. nu. 11.

Murmurationes, quas iusti patiuntur, suas vocant, quia sunt ad propriam liberationem. lib. 11. c. 15. nu. 16.

Murmurationes malorum aliquando turbat nauem, cum homo commouetur, & vult irasci; sed fluctus expedit sedare. lib. 11. c. 15. nu. 19.

Murmurationes in iustos permittit Deus, vt humilientur, &c. lib. 11. c. 15. nu. 20.

In Murmurationibus testimonio conscientiæ consolentur iusti. lib. 11. c. 15. nu. 23. & 26. lib. 12. cap. 1. nu. 6.

In Murmurationibus impiorum id consoletur iustos, quod dum illis displicent, Deo placere credendi sunt. lib. 11. c. 15. nu. 22. & 23.

Murmurationibus qui deijcitur, aut laudibus exaltatur, harundo vento agitata est. lib. 11. c. 15. nu. 23. & 24.

Murmuratores, si possunt, compescere debent prælati & prædicatores, non laudem propriam, sed animarum lucra quærentes. lib. 11. c. 15. nu. 24. & 25.

In Murmurationibus malorum consolari nos debet, si recti diligant nos. lib. 11. c. 15. nu. 26.

Murmurationes, maxime contra iustos, & prælatos inferunt homini multa nocumenta. lib. 11. cap. 16. per totum.

Murmurantes in proximos acriter punit Deus. lib. 11. c. 16. nu. 1. 6. 15. 16. 18. & 19. c. 17. nu. 8. & 13.

Murmurantium animæ lepra peccati replentur. lib. 11. c. 16. num. 1.

Murmurantes in iustos seuere castigantur a Deo. lib. 11. c. 16. nu. 2. 8. & 11.

Murmurationes, & maledictiones in iustos pro propriis habet Deus. lib. 11. c. 16. nu. 2. c. 17. nu. 7. & 8.

Murmurator non est, qui vt corrigat, consultat peccatum alterius, & ne alij decipiantur. lib. 11. c. 16. nu. 3.

Murmurantes in plælatos acriter punit Deus. lib. 11. c. 16. nu. 3. & 18.

Murmurantes audire non debemus, ne par nos inuoluat pœna. lib. 11. c. 16. nu. 3. vsque ad 5. & 9. c. 17. nu. 1. 6. & 11.

Murmurantes, & eos audientes excommunicandos dicebat Basilius. lib. 11. c. 16. nu. 4.

Murmuratio vile vitium est, dum homo aliorum vituperatione se credit laudari. lib. 11. c. 16. nu. 5.

Murmuratio non minus auribus, quàm lingua est vitanda. lib. 11. c. 16 nu. 5. & 9.

Murmurans de malo proximi, ipse se obligat, ne talia faciat. lib. 11. c. 16. nu. 6.

Murmurantes in iustos pro dentibus gladios habent, vt eos trucident. lib. 11. c. 16. nu. 7.

Murmurare, & maledicere regibus, & potentibus non debemus, quia illis contra spem ista nunciantur. lib. 11. c. 16. num. 8.
Murmuratio peior est formicatione, quia hac homo se tantum occidit, illa autem se & audientem. lib. 11. cap. 16. num. 9.
Murmuratores serpentibus optime comparantur. lib. 11. c. 16. nu. 10. c. 17. nu. 3.
Murmuratores, qui numquam cessant ab hoc vitio, deuorant Dei populum, idest iustos, vt cibum panis. lib. 11. c. 16. num. 11.
Murmurationes malorum modo ferant iusti, quia non finiuntur dum mundus durauerit. lib. 11. c. 16. nu. 12. vsque ad 14.
Murmuratores Christiani simul habitant in Ecclesia corpore, sed non corde. lib. 11. c. 16. nu. 14.
Murmurant aliqui dicentes se id ex amore facere, cum re vera ab odio id procedat. lib. 11. cap. 16. num. 15. cap. 17. num. 10.
Murmurans non passione & subito, sed ex otio ad id vacans, sedens aduersum fratrem loquitur. lib. 11. c. 16. num. 16.
Murmurantibus apte conuenit plaga locustarum Aegypti. lib. 11. c. 16. nu. 17.
Murmurare conditio est hypocritarum, & ignorantium. lib. 11. c. 16. nu. 19.
Murmurare, & consentire murmuranti, multa habet in se conuenientia, sicut & discordias seminare, quod frequens est malum. lib. 11. c. 17. per totum.
Murmuratores arcentur, quando audiens silentio, & tristitia vultus illum moderari voluerit. lib. 11. cap. 17. nu. 1. & 2.
Murmurantes audiens hilari vultu illis dat ansam detrahendi. lib. 11. c. 17. nu. 2.
Murmuratio graue peccatum est, licet leue aliqui illud putent. lib. 11. c. 17. nu. 8. vsque ad 10. & 12.
Murmuratio acrius ceteris vitijs videtur impugnare charitatem Dei. lib. 11. c. 17. nu. 9. & 10.
Murmurationum multæ sunt species. lib. 11. c. 17. nu. 10.
A Murmuratione multa nos debent arcere. lib. 11. c. 17. nu. 12. & 13.
Murmurans surdo maledicit contra præceptum legis. lib. 16. c. 8. nu. 26.
Murmurationes & reprobationes malorum vitam iustorum clarescere faciunt. lib. 17. c. 2. nu. 1.
Murmurationes in iustos Deus permittit ne laudati ruät. lib. 18. c. 1. nu. 32.

N

NOBILITATEM generis contemnendam docuerunt etiam philosophi. lib. 6. c. 5. nu. 1. 3. 4. 6. vsque ad 9.
Nobilitas clara non prodest illi, quem mores sordidant. lib. 6. c. 4. nu. 3. & 10.
De Nobilitate generis gloriari non debent homines Christiani. lib. 6. c. 5. nu. 6. vsque ad 8. & 10.
Nobilitatis ad hoc recordari debet homo, vt cum clarita te generis morum sanctitas concordat. lib. 6. cap. 5. num. 7.
Nobilitas cælestis vna est in nobis, vnde alia contemnenda est. lib. 13. c. 8. nu. 1. & 20.
Nomen Dei, quod antea inclusum erat, cum Deus incarnatus est effusum est. lib. 3. c. 5. nu. 88.
Nomen Dei vnguentum effusum, non omnibus, sed adolescentulis, & renouatis animabus. lib. 3. c. 6. nu. 2. & 3.
Nomina varia Christi in ordine ad homines ei tributa narrantur. lib. 3. cap. 9. num. 4. lib. 4. cap. 15. num. 20. & 21.
Nomina reticere eorum, quos nominamus, signum odij est, sicut dicere signum amoris. lib. 4. c. 6. nu. 14.
Nomina varia sortitur Deus secundum qualitatem hominum, quos adiuuat, vel punit. lib. 4. cap. 24. nu. 16. lib. 12. c. 2. nu. 2. vsque ad 5. 9. & 10.
Nomen Iesu expugnare cupientes Romani non valuere. lib. 5. c. 4. nu. 1.
Nomen Dei omni reuerentia, & adoratione dignissimum, quod tantum in tiarâ Pontificiæ lamina scribebatur olim, modo iurando vilescit. lib. 9. cap. 11. nu. 7. & 8.
Nomen Dei qui diligunt, misericordiam a Deo accipiunt ingentem, quam postulabat Dauid. lib. 12. cap. 2. num. 14.
Nomen Iesu delectabile, consortans peccatorem, nomen beatæ spei inuocandum est. lib. 12. cap. 2. nu. 15. & 19.
Nomen Iesu salutem significat, quam ipse dedit Iesus, in cuius typo duo præcessere viri. lib. 12. cap. 2. nu. 16. & 25.
Nomen Iesu non solis verbis, sed & operibus laudandum est, & inuocandum. lib. 12. c. 2. nu. 16.
Nomen Iesu vocatum est ab Angelo, non impositum. lib. 12. c. 2. nu. 17.
Nomina multa dedit Christo Isaias, quæ in nomine Iesu includuntur. lib. 12. c. 2. nu. 17. 18. & 20.
In Nomine Domini spes est, & res in facie. lib. 12. c. 2. num. 19.
Nomen Dei non nouit, qui illud assumit in vanum, qui non facit, quod dicit ipse Deus. lib. 12. c. 2. nu. 19.
Nomen Dei non nouit, qui eum nec honorat vt patrem, nec timet. lib. 12. c. 2. nu. 19.
Nomen Dei qui nouit desiderat, vt semper sanctificetur in eo. lib. 12. c. 2. nu. 19.
Nomina, quæ Isaiæ 9. tributa Christo sunt, ei conueniunt in opere redemptionis. lib. 12. c. 2. nu. 20.
Nomina hæc eadem possunt ei congrue assignari in salute cuiusq. hominis. lib. 12. c. 2. nu. 20.
Nomina omnia, quæ in sacris litteris Deo tributa sunt, aut gratiam, aut potentiam significant. lib. 12. cap. 2. num. 21.
Nomina maiestatis in Christo conuersa sunt in nomina pietatis, dum factus est homo. lib. 12. cap. 2. num. 21. & 22.
Nomen Dei effusum est in incarnatione, ne Deus diceretur Abraham, &c. sed pluriũ, qui venerunt ab oriente, &c. lib. 12. c. 2. nu. 22.
Nomen Dei effusum de cælo in Iudæam, & inde in omnem terram, & infernum. lib. 12. c. 2. nu. 22. & 22.
Nomen Christi participant Christiani, participaturi & hereditatem. lib. 12. c. 2. nu. 23.
Nomen Dei effusum mirari non debemus, cum & ipse Deus effusus sit. lib. 12. c. 2. nu. 23.
Nomen Iesu optime oleo comparatur. lib. 12. cap. 2. nu. 23. vsque ad 25.
Nomen Iesu omnia dulcia reddit, mel est in ore, &c. lib. 12. c. 2. nu. 24. & 25.
Nomen Iesu vasculum est, in quo electuarium salutare continetur. lib. 12. c. 2. nu. 25.
Nomen Iesu tributum est antiquis, sed vacuum. lib. 12. cap. 2. num. 25.

Nomen

Nomen Iesu tantum in Christo veritatem habet, quam significat. lib. 12. cap. 2. nu. 25.
Nomina, quibus significatur iustorum, & malorum differentia, nominaq. quibus iustorum virtutes aperiuntur. lib. 12. c. 3. per totum.
Nomina impiorum, quibus ipsorum status mirandus significatur, & mala. lib. 12. c. 4. per totum.
Nomen Dei tunc sanctificatur cum glorificatur. lib. 13. c. 8. nu. 1. & 2.
Nomen Dei sanctificant, qui irreprehensibilem exhibent vitam suam. lib. 13. c. 8. nu. 2. 12. 15. & 31.
Nomen bonum non contemnere, sed conseruare conuenit. lib. 12. c. 1. per totum.
Nomen bonum amittere dolebant sancti. lib. 12. cap. 1. num. 3.
Nomen bonum non a vulgo, sed a iustis appetunt sancti. lib. 12. c. 1. nu. 4. & 7.
Nomen bonum, & conscientiam bonam habens similis Christo vestitur duplicibus. lib. 12. c. 1. nu. 13.
Nomina varia tribuuntur Deo in sacris litteris, inter quæ nomen dulce Iesu suaue, amandum, ac veneratione omni dignum est. lib. 12. c. 2. per totum.
Nomen Domini Iesu, quod pauci antiquorum cognouerunt, benedictum sit in sæcula. lib. 12. c. 2. nu. 1.
Nomen Domini ab innumeris periculis eripuit sanctos. lib. 12. c. 2. nu. 1.
Nomen Domini benedictum ab Angelis, & hominibus in hoc sæculo, & in futuro. lib. 12. cap. 2. nu. 1.
Nomen hominis, leonis, vrsi, ignis, assumit Deus, quando mali id merentur. lib. 12. c. 2. nu. 2. vsque ad 4. & 6.
Nomen agni, vel ouis datur Deo, quando se offert pro hominibus. lib. 12. c. 2. nu. 4.
Nomen vnicornij datur Deo, quando hominum vitia punit. lib. 12. cap. 2. nu. 4.
Nomen ignis Deo tribuitur propter mirandos effectus, quos in hominibus producit. lib. 12. c. 2. nu. 6.
Nomen Iesu reuerita est natura, cum miranda in cælo fecit Iosue. lib. 12. c. 2. nu. 7.
Nominibus decem significabatur Deus ab Hebræis. lib. 12. c. 2. nu. 8.
Nomen Iesu, quod in Hortensio non reperiebat Augustinus, insuauem reddebat librum illum. lib. 12. cap. 2. num. 12.
Nomen Dei iucundum est, & non impijs, sed sanctis, lib. 12. c. 2. nu. 13.
Nomen Dei ille sanctificat, qui sciens eum sanctum, curat ne eius sanctitas violetur in eo per opera mala. lib. 13. c. 8. nu. 6. 7. 12. 17. 20. & 21.
Nomen Dei petimus sanctificari, idest, vt qui in baptismo sanctificatus est, in hoc bono perseueret. lib. 13. c. 8. nu. 28. lib. 14. c. 24. nu. 10. 11.
Nomen Dei poscimus sanctificari, quia immundis nomen Dei nondum est sanctum. lib. 13. c. 8. nu. 29.
Nomen Dei sanctificandum postulamus, non vt cumq. sed in terra, sicut in cælo. lib. 13. c. 8. nu. 32.
Nomen Dei blasphemantes calice Dei acerrimo potantur. lib. 14. c. 8. nu. 21.
Nomen Dei tam frequens in ore Pauli in causa fuit, vt eius Epistolæ minus bene intelligerentur. lib. 14. cap. 25. §. 2. nu. 40.
Nomina Deus mutat suis, vt cum hoc & vita mutetur. lib. 14. c. 31. nu. 27.
Nomen Dei in populo graui laudatur; blasphematur autem in peccatoribus. lib. 16. c. 6. nu. 15.
Nomen bonum non curans, etiamsi aliunde, non peccet, scandalizat alios in proprium malum. lib. 16. cpa. 8. num. 26.
Nuptiæ olim cum magna gerebantur & moderatione, & modestia, quod modo non fit. lib. 11. c. 8. nu. 5. & 6.
Nuptiarum cantilenæ, luxus, &c. multa pariunt inconuenientia. lib. 11. cap. 8. num. 6. & 7.
Verbo Matrimonium.

O

OBEDIENDVM est statim, & incunctanter Deo. lib. 4. cap. 4. num. 1. vsque ad 3. 14. vsque ad 17. lib. 13. c. 1. nu. 2. 3. 9. lib. 14. c. 17. nu. 22.
Obediendum est Deo semper, ea enim vera est pietas, quæ præponit diuina humanis. lib. 4. c. 20. num. 17. cap. 22. num. 4. & 5.
Obediunt Deo cuncta creata vno homine excepto. lib. 11. c. 3. nu. 8. 23. vsque ad 25. lib. 12. c. 4. nu. 3.
Obediendum Deo, & prælatis; inobedientia enim grande est peccatum, & nimis odibile. lib. 13. c. 1. per totum.
Obedientia exhibenda prælatis a religiosis multum commendatur in sacra Scriptura. lib. 13. cap. 1. num. 1. vsque ad 4.
Obedire prælatis debemus, sicut Deo ipsi. lib. 13. cap. 1. nu. 2. 3. 24. & 28.
Obedire prælatis debent subditi, vt instrumentum artifici. lib. 13. cap. 1. nu. 3. 4. 14. 18. & 25.
Obedire prælatis debent subditi, propter quos tantis periculis illi sunt subiecti. lib. 13. c. 1. nu. 5.
Obediendum est prælatis, & sacerdotibus, quicumque illi sint: contrarium huius grauium malorum est causa. lib. 13. c. 1. nu. 5. vsque ad 7. & 19.
Obedire prælatis tam est necessarium, sicut eos habere, & non obedire tanta mala parit, sicut non habere. lib. 13. c. 1. num. 7.
Obediendum est vni præposito id docente natura. lib. 13. c. 1. num. 8.
Obediens loquitur victorias, quia se superat, & vincit. lib. 13. c. 1. nu. 15.
Obedientiæ forma perfecta ostensa est in seruo Abrahæ, quærente vxorem Isaac. lib. 13. c. 1. nu. 13.
Obedientiæ, & vtilitatem, & necessitatem ostendere voluit Deus prohibens Adæ esum pomi. lib. 13. cap. 1. nu. 10. & 11.
Obediendum Deo ostendit Hieremias in Reccabitis, &c. lib. 13. c. 1. nu. 12.
Obedientia religioso vtilissima est, inobedientia autem semper nocuit. lib. 13. c. 1. nu. 13. 28. & 29.
Obedientia ad Deum qualis sit virtus, constat ex malis inobedientiæ. lib. 13. cap. 1. nu. 13. 15. 18. vsque ad 20. 22. 28. & 29.
Obedientiæ perfecta forma ostensa in Abraham. lib. 13. c. 1. nu. 14. 23. & 24.
Obedientia ad prælatos hilaris, & diligens esse debet. lib. 13. c. 1. nu. 14. 24. vsque ad 27.
Obedientia sola est, quæ ceteras virtutes menti inserit, & custodit. lib. 13. c. 1. nu. 15.
Obedientia iure victimis præponitur, quia per illas aliena caro, per hanc propria voluntas mactatur. lib. 13. c. 1 nu. 15. 21. & 22.
Obedientiæ forma perfectissima Christus fuit, eius virtutem nobis explicans. lib. 13. cap. 1. nu. 15. 16. & 29.
Obedientiæ causa mala facienda non sunt, sed multo-

ties

ties bona intermittenda . lib. 13. cap 1. num. 16.
Obedientia in aduersis debet de suo habere aliquid , & in prosperis aliquid omnino ex suo non habere, vt illa desideret, non ista. lib. 13. c. 1. nu. 16. 17. & 27.
Obedientiâ ad prælatos perfecta fuit in Samuele . lib. 13. c. 1. nu. 18. & 19.
Obedientiæ meritum non pensatur ex operis qualitate, sed ex mortificatione propriæ voluntatis . lib. 13. c. 1. nu. 18. 19. 21. 22.
Obedientia in religione præponderat alijs exercitijs maiori bus, quia propria eruuntur voluntate . lib. 13. c. 1. nu. 19. 21. 22. & 24.
Obedientiæ labor est , per quem vt Iacob rapimur ad quietem internæ visionis . lib. 13. c. 1. nu. 19.
Obedientia nos ipsos, per alias virtutes nostra Deo damus. lib. 13. c. 1. nu. 21. & 22.
Obedientia prælatis exhibita quantùm sit bonum ostenditur , cum non acquiescere idolatria vocetur. li. 13. c. 1. n. 22.
Obediendum est fortiter, humiliter, & perseueranter. lib. 13. c. 1. nu. 27.
Obedientiæ perfectam formam dedit Christus in passione . lib. 18. c. 19. nu. 11,
Obedientiam didicisse Christum, ait Paulus, in suo corpore ex his, quæ passus est in capite . lib. 18. c. 19. nu. 11.
Otio vacare non debent homines Christiani, qui milites sunt Christi . lib. 2. cap. 5. nu. 9. 10. c. 6. nu. 33. 34. & 37. cap. 7. num. 1. 4. 5. 18. 24. 28. 29. & 42. cap. 8. num. 40. & 41.
Otiosi tentationes ferre non possunt . lib. 2. c. 7. nu. 29.
Otium bonum est, cum a perturbationibus noxijs libera est anima. lib. 3. c. 18. nu. 1. & 16. lib. 6. c. 2. nu. 14. lib. 10. c. 1. nu. 12. lib. 13. c. 12. nu. 2. 3. & 17.
Otium, quo vacamus a malis, Deum facit habitare in nobis. lib. 4. c. 19. nu. 4. lib. 6. c. 2. nu. 14.
Otium bonum est , & malum, vnde fugiendum est otium malum, amplexandum autem, quod bonum est. lib. 13. c. 12. per totum .
Otium, si Dei metu careat, præceptor vitiorum est: otiosi in loquendo & audiendo assidue peccant . lib. 13. c. 12. nu. 1. 12. & 14.
Otio vacare non debent homines , sed laborare , vt panem manducent . lib. 13. cap. 12. num. 4. vsque ad 6. 14. 20. & 21.
Otium docet omnem malitiâ, & ideo Adam operari in paradiso Deus iussit . lib. 13. c. 12. nu. 6. 18. 19. & 21.
Otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur, qui autem malum facit otiosus non est , sed mortuus . lib. 13. cap. 12. num. 8. & 9.
Ad Otium vocati non sumus modo sed ad laborem vineæ, vt post mercedem capiamus . lib. 13. c. 12. nu. 8. 9. 14. 15. & 19. lib. 14. c. 17. nu. 15.
Otiosi animam implent rubigine miseriores omnibus creaturis, cum natura hominis sit operari. lib. 13. c. 12. nu. 10. & 11.
Otium pater est fornicationis , quia anima otiosa esse non potest , sed vt terra gignit spinas . lib. 13. cap. 12. nu. 12. 13. & 19.
Otium sanctorum melius est omnibus negotijs. lib. 13. cap. 12. nu. 16. & 17.
Otium vocatum est a quodam gentili viui hominis sepultura . lib. 13. c. 12. nu. 18.
Otium fugiendum docet omnium creaturarum occupatio. lib. 13. cap. 12. nu. 18. vsque ad 20.
Oculos dextros , quibus videntur æterna eruere conatur diabolus, non sinistros. lib. 3. c. 4. nu. 21.
Oculos columbarum habent insti, cum considerant spiritualia . lib. 3. c. 8. nu. 16. lib. 13. cap. 2. nu. 10.
Oculorum animæ aciem , perspicacitatemq. confundunt perturbationes illius . lib. 3. c. 18. nu. 1.
Oculis pleni sunt iusti, quia vitam suam solerter aspiciunt. lib. 3. c. 23. nu. 15.
Oculos dat Deus iustis , quibus vera bona animæ videant. lib. 4. c. 28. nu. 13.
Oculi sani, clausi, & aperti, quando dicantur, deq. ipsorum necessaria custodia . lib. 13. c. 2. per totum .
Oculi frenandi sunt , ne videant , quod non licet concupiscere . lib. 13. c. 2. nu. 1. 10. & 11. lib. 16. c. 9. nu. 5.
Oculus ad videndum datus, ex quo bona, & mala generantur . lib. 13. cap. 2. num. 2. 3. 7. & 9. lib. 16. cap. 9. nu. 5. & 7.
Oculus animæ dicitur mens pura , mentis autem aspectus est ratio , intellectus, visio &c. lib. 13. cap. 2. nu. 4.
Oculi primorum parentum aperti dicuntur post culpam , quia concupiscentia cœpit esse in membris . lib. 13. cap. 2. nu. 5. & 7.
Oculi primorum parentum aperti erant ante peccatum ad videndum opera Dei , post aperti sunt conscientia delicti . lib. 13. cap. 2. nu. 7.
Oculos cordis illuminandos postulabat Dauid, ne peccando clauderentur . lib. 13. c. 2. nu. 8.
Oculi visum multa impediunt , & etiam multa impediunt visum animæ. lib. 13. cap. 2. nu. 12. vsque ad 14. lib. 15. c. 5. num. 19.
Oculi vulnerantes cor sponsi sunt rerum labentium consideratio , & cœlestis patriæ digna æstimatio . lib. 13. c. 2. nu. 15.
Oculi nostri vt illuminentur , egent sole iustitiæ . lib. 16. cap. 9. nu. 12.
Oculi defluunt de foraminibus suis , & alij dantur , dum quis male videbant, cadunt, & surgunt , qui Deum aspiciant . lib. 16. cap. 9. nu. 16.
Oculi mentis dum cæcantur, omnes vitæ istius actus vna confusione cæcantur. lib. 18. c. 15. nu. 19. & 20.
Oculus mentis terrenis concupiscentijs sordidus æger est , terrena tantum intelligit . lib. 18. cap. 15. nu. 24.
Odium a corde reijciendum est , vt Deum placemus iratum . lib. 1. c. 12. nu. 5. 7. & 34.
Odium aduersus proximum impunitum numquam relinquit Deus , vbicumq. illud repererit . lib. 1. c. 13. nu. 5. cap. 15. num. 4.
Odium sui , & mundi ducit hominen ad amorem Dei , & proximi . lib. 1. c. 18. nu. 4.
Odium mundi contristare non debet sanctos . lib. 2. cap. 6. nu. 4. 5. 20. & 21.
Odium, quod iusti patiuntur a peccatoribus, vnde oriatur. lib. 2. c. 6. nu. 4. 5. 20. & 21.
Odio haberi pro peccatis malum est , odium autem mundi iniustum contemnendum est . lib. 8. c. 9. nu. 1.
Orationem nostram non recipit Deus , si odium in corde conseruetur . lib. 1. c. 12. nu. 5. 7. & 34. lib. 13. c. 5. nu. 17. lib. 14. c. 5. nu. 2.
Oranti aliquando non statim adest Deus , vt detur occasio amplius deprecandi . lib. 1. c. 21. num. 4. lib. 13. c. 9. nu. 20. & 21.
Orationem comitentur bona opera , vt Deo probetur . lib. 1. cap. 21. num. 4. lib. 8. cap. 7. num. 11. lib. 13. cap. 5. nu. 4. 5. 14. vsque ad 17. 19. 27. & 30. cap. 6. num. 1. vsque ad 3. 5. 8. & 11.

Orantibus sanctis differt Deus, quæ promisit, vt illi clariores reddantur . lib. 2. cap. 2. nu. 4. 19. & 24.
In Oratione amplius dat Deus frequenter, quam rogetur . lib. 3. c. 10. nu. 105.
In Oratione concipit anima a Deo bona multa. lib. 3. c. 21. nu. 20. & 21.
In Oratione , quam variæ inseruntur cogitationes . lib. 3. cap 27. nu. 2. & 3.
In Oratione aliqua negat Deus propitius, quæ concedit iratus . lib. 4. c. 5. nu. 29. lib. 6. c. 10. nu. 30. lib. 13. cap. 9. nu. 3. 10. 13. 15. 17. & 22.
Orandus Deus continuo, vt a periculis liberemur . lib. 4. c. 14. nu. 3. & 20.
Orantibus, quam presto adest Deus . lib. 4. c. 14. nu. 3. cap. 16. nu. 1. 4. 6. vsque ad 9. & 16.
Orationes, quam perseuerantes erant in sanctis. lib. 4. cap. 16. num. 8.
In Oratione clamat, qui corde , & fletibus Deum interpellat . lib. 4. cap. 16. nu. 9. & 10. lib. 13. c. 5. nu. 21. 22. & 26. c. 7. nu. 9.
In Oratione etsi verba sint eadem , si non sit, idem affectus non eodem modo Deus adest . lib. 4. c. 16. nu. 10.
In Oratione quærendus Deus, non alia ab ipso, qui se vult nobis donare . lib. 4. c. 16. nu. 11. c. 19. nu. 16. lib. 13. c. 5. nu. 6. vsque ad 8. c. 9. nu. 14. 15. & 18. c. 10. n. 22.
In Oratione genua corporis Deo flectere , & genua cordis dæmoni, impium est . lib. 4. c. 42. nu. 1.
Oratio cella est vinaria , vbi mens inebriatur bonis. lib. 5. c. 1. num. 21.
Orationes tepidæ, & miseræ hominum taxantur. lib. 5. c. 2. num. 1. & 2.
Orationem versi adorientem facimus ex Apostolorum traditione . lib. 5. cap. 6. nu. 1. & 2.
Orationes tempore paschali, & Dominicis diebus ex traditione Ecclesiæ erecti perficimus . lib. 5. c. 6. nu. 3.
Oratio apud Christianos, est sacrificium Iudæorum , quod vocabatur insidens . lib. 6. c. 2. nu. 4. & 5.
Orationem, & sacrificium indesinens ille offert , qui mundus est, a peccato . lib. 6. c. 2. nu. 5.
Oratio sic tepida arguit imperfectam in homine fidem . lib. 6. c. 3. nu. 4.
In Oratione non exaudit Deus ad voluntatem semper, sed ad vtilitatem . lib. 6. c. 10. nu. 30. lib. 13. c. 9. nu. 1. 2. 6. 7. 15. 19. & 23.
Orandum post comestionem docebant sancti . lib. 7. c. 7. nu. 2. vsque ad 5.
Oratio humilis Ezechiæ multum valuit apud Deum. lib. 8. cap. 7. nu. 11.
Orationes iustorum interpellare debemus in angustijs constituti . lib. 8. cap. 7. nu. 11.
Oratio, & contemplatio sepulchrum est mentis exterius mortificatæ . lib. 9. cap. 14. nu. 16.
Oratio lachrymis rigata in multam altitudinem crescit. lib. 10. c. 2. nu. 6.
In Oratione lachrymæ vtiliores sunt, quam verba. lib. 10. c. 2. nu. 11. & 13.
In Oratione lachrymæ non sint pro temporalibus bonis acquirendis, sed pro æternis . lib. 10. cap. 2. nu. 21.
Orat Deum tota die sine intermissione , & laudat homo , qui quidquid egerit bene agit . lib. 10. cap. 6. nu. 7. lib. 13. c. 7. nu. 1. vsque ad 3.
In Oratione contemplationem tria impediunt, peccatum, & memoria peccati, & cura terrenorum actuum . lib. 13. c. 2. nu. 12. vsque ad 14.
Orationem quibus rationibus suadeant sancti . lib. 13. cap. 3. per totum .
Orationibus pugnare debemus contra inimicos . lib. 13. c. 3. nu. 1. 2. 8. 17. 24. 25. 32. & 33.
Orationes frequentes sanctorum sunt, ex quibus Iesus ædificat templum, & altare, & eas offert patri . lib. 13. c. 3. nu. 3. 31. & 32.
Orationi instantes sancti dicunt filij Dei , qui astant coram Domino Iob 1. lib. 13. c. 3. nu. 4.
Orationi quadraginta annis deditus fuit Moyses cum fugiens Aegyptum Aethiopiam venit . lib. 13. cap. 3. num . 5.
Ab Oratione , vt a mensa animæ non recedat homo , nisi corroboratus sit spiritus . lib. 13. c. 3. nu. 6. & 9.
Ab Orationibus recedere non debemus sub pretextu alicuius piæ causæ fictæ . lib. 13. c. 3. nu. 6.
Orationibus communibus contenti esse non debemus , sed his priuatas addere . lib. 13. c. 3. nu. 6.
In Orationis mercatura diuites efficiuntur homines . lib. 13. c. 3. nu 6.
Orationem maxime conatur impedire dæmon , ne inchoetur, & vt inchoata relinquatur . lib. 13. cap. 3. num. 6. & 7.
Oratio magnum bonum adducit ex colloquio cum Deo, vt colloquium cum viro sancto ostendit . lib. 13. ca. 3. nu. 7. 28. & 34.
Oratio magnus thesaurus est animæ, magnus portus, diuitiæ indepredabiles magna arma . lib. 13. c. 3. nu. 7. & 18. c. 10. nu. 21.
Orationis potentia ostenditur in victoria Iudæorum contra Amalech . lib. 13. c. 3. nu. 8. 9. & 36.
Oratio vires homini præbet contra potentissimum hostem . lib. 13. c. 3. nu. 8. 9. 17. 28. 33. & 36.
Oratione sancti potentes erant cuius sunt admirabiles effectus. lib. 13. c. 3. nu. 8. vsque ad 10. 14. 18. 19. & 33. cap. 6. num. 4.
Orationis fructus fuit Samuel . lib. 13. c. 3. nu. 10.
Orationis perseuerantiam docuit Dominus . lib. 13. cap. 3. nu. 11. 29. & 30. c. 5. nu. 8. c. 7. nu. 5. vsque ad 7.
Orationem poscit Deus , non vt discat nobis necessaria , sed vt familiaris fiat ei homo, &c. lib. 13. cap. 3. nu. 11.
Orationem prætermittere non debet homo prætextu suæ malitiæ, cum orando recipiantur amissa . lib. 13. cap. 3. nu. 12. vsq; ad 14. 23. & 25.
Orationibus nostris Deus non lassatur , sed eas multum optat, vt benefaciat nobis . lib. 13. c. 3. nu. 12. vsque ad 15. & 19. c. 7. nu. 4. & 6.
Orationi respirationi comparauit Chrysostomus . lib. 13. cap. 3. nu. 12.
Oratio Pauli , & Sylæ aperuit carcerem , & Eliæ cælum , & modo aperit cælum , & placatum reddit hominibus Deum . lib. 13. c. 3. nu. 14.
Orationes nocte faciendas consulebant sancti. lib. 13. c. 3. nu. 14. & 26. c. 4. nu. 11.
Oratio animarum est firma custodia , tutissimumq. præsidium. lib. 13. c. 3. nu. 16. 23. & 28.
Ad Orationem confugiebant sancti , quando opus erat armis, quod & nos facere debemus . libro 13. cap. 3. num. 17.
Oratio non desidiosa , sed quæ intenta , & animo dolenti fit scandit cælum . lib. 13. c. 3. nu. 13. 19. & 35. c. 5. nu. 13. c. 6. nu. 12.
Oratio homines tristes consolatur . libro 13. cap. 3. num. 18. & 19.

Oratio lumen est animæ, sicut sol corporis. lib. 13. cap. 3. nu. 20. & 38.

Orationem suadens Deus, & honorat nos, & amorem ostẽdit suum. lib 13. c. 3. nu. 20. vsque ad 22. & 27.

Orandus est Deus multo cum gaudio, & cum tremore. lib. 13. c. 3. nu. 20. & 27.

Orationem non amans sublatus est, multisq. bonis priuatur. lib. 13. c 3. nu. 21. vsque ad 23. & 26.

Orationem nec per triduum omisit Daniel, iussus sub pœna capitis, ne oraret lib. 13. c. 3. nu. 22.

Orationem qui non amat, nihil egregiæ dotis in anima possidet: & qui optat, multis abundat bonis. lib. 13. ca. 3. nu. 22. & 23.

Oratione deficiente, impossibile est cum virtute degere. lib. 13. c. 3 nu. 23. & 25.

Oratio est animæ ægrotantis pharmacum. lib. 13. c. 3. nu. 23. vsque ad 25.

Oratio in quocumque pectore sibi domicilium elegerit, eũ implet virtute. lib. 13. cap. 3. nu. 23. & 24.

Orationis virtus innumera pericula depellit. lib. 13. cap. 3. nu. 24. 28. & 33.

Oratio radix est & basis vitæ frugiferæ, sed non sola sufficit ad salutem. lib. 13. cap. 3. nu. 25. & 27.

Oratione nõ minus egemus homines, quàm arbores aqua. lib 13. c. 3. nu. 25. & 26.

Orationes summo mane per diem, & in vespera. &c. faciendæ sunt, vt a diabolo simus tuti. lib. 13. cap. 3. nu. 26. & 35. c. 4. nu. 11.

Oratio separat nos a brutis, & sociat Angelis. lib. 13. c. 3. nu. 27. & 28.

Oratione destitutus ciuitas est, absq. muro captu facilis. lib. 13. c 3. nu. 28.

Orationi deditus, ad Deiq. consortium eleuatus, vilitatem fugit peccati. lib. 13. c. 3. nu. 28, & 29.

Oratio neruus est animæ, quo compacta est anima. lib. 13. c. 3. num. 29.

Oratio vita est animæ sicut aqua piscis lib. 13. c. 3. nu. 29.

Orantibus quæ bona conferat Deus, recte colligit Chrysostomus. lib. 13. c. 3. nu. 31.

Orationes sunt lapides, ex quibus templa construuntur Christo. lib. 13. cap. 3. nu. 31.

Orationibus suis communiebant orbem sancti. lib. 13. c. 3. nu. 31. & 32.

Orationibus reddebãtur sancti fortes, & alacres in tribulationibus. lib. 13. c. 3 nu. 32.

Oratio ad tantam dignitatem euehit nos, vt pro Petro, & Paulo, dum viuerent orarent fideles. li. 13. c. 3. nu. 32.

Oratione sua egit Moyses vitam similem cælicolis. lib. 13. c. 3. num. 33.

Orabat Dauid regijs negotijs occupatus septies in die, ad confusionem nostram. lib. 13. cap. 3. nu. 34. & 35.

In Oratione quandoque tantis gaudijs, & donis replentur sancti, vt ea furi non possint. lib. 13. cap. 3. nu. 37.

Orationi dediti sancti miserias, & vitia etiam parua perhorrescunt. lib. 13. c. 3. nu. 38.

Orationi instet homo certus, quod accipiet, quæ petit, aut vtiliora. lib. 13. c. 3. nu. 39. c. 5. nu. 8.

Oratione euadimus imminentia nobis pericula, & meditatione agnoscimus. lib. 13. c. 3. nu. 40.

Oratio, lectio, meditatio, & contemplatio scalæ sunt claustralium. lib. 13. c. 3. nu. 41. & 42.

Oratio postulat beatæ vitæ dulcedinem, lectio inquirit, meditatio inuenit, contemplatio gustat. lib. 13. c. 3. nu. 41.

Oratio saporem acquirit, lectio cibum ori apponit, meditatio masticat, contemplatio est ipsa dulcedo. lib. 13. cap. 3. num. 41.

Oratio, lectio, meditatio, & contemplatio coniũgenda sunt. lib. 13. c. 3. nu. 41. & 42.

Orationi instantes erant sancti, vt in bono conseruarentur, & alijs prodesset orationum suarum efficatia, quarum fructu priuantur mali. lib. 13. c. 4. per totum.

Orationes sanctorum, qui iam sunt victores in cælo, iuuant multum pugnantes in terra. lib. 13. cap. 4. nu. 1. 8.

Orationi tam erat deditus Iacobus, vt omnia fere membra essent emortua. lib. 13. cap. 4. nu. 2.

Orationes alienæ non prosunt, nisi virtute propria iuuentur. lib. 13. c. 4. nu. 2. vsq; ad 5.

Orent sancti pro peccatoribus sed hi ob id otio non torpeãt. lib. 13. cap. 4. nu. 2. vsque ad 5.

Orationes alienas etiam sancti mendicare debent. lib. 13. c. 4. nu. 3. & 5.

Orationes alienæ multum prosunt nobis. lib. 13. c. 4. nu. 3. vsque ad 5.

Orationes communes Ecclesiæ proficuæ multum sunt. lib. 13. cap. 4. nu. 6.

Orabat tota nocte Paulus eremita centum iam annorum. lib. 13. c. 4. nu. 7.

Orationibus concupiscentiæ corruunt, vt olim muri Hierico per iubilationem sacerdotum. lib. 13. c. 4. nu. 9.

Orans feruenter, & deuote manibus clamat, & pupilla nõ tacet. lib. 13. c. 4. nu. 10.

